



Duchesne

2°. Gall. /p 25.

HISTORIAE NORMANNORVM SCRIPTORES ANTIQVI,

RES AB ILLIS PER GALLIAM, ANGLIAM, APVLIAM, CAPVÆ PRINCIPATVM, SICILIAM, & Orientem gestas explicantes,

AB ANNO CHRISTI DCCCXXXVIII. AD ANNVM MCCXX.

INSERTAE SVNT MONASTERIORVM FVNDATIONES variæ, series Episcoporum ac Abbatum, genealogiæ Regum, Ducum, Comitum, & Nobilium:

PLVRIMA DENIQVE ALIA VETERA, TAM AD PROFANAM quàm ad sacram illorum temporum Historiam pertinentia.

EX MSS. CODD. OMNIA FERE NVNC PRIMVM EDIDIT ANDREAS DVCHESNIVS TVRONENSIS.



LVTETIAE PARISIORVM.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Viris ampliss. ac præclariss.

CLERO, SENATVI, POPVLOQVE ROTHOMAGENSI,

ANDREAS DVCHESNIVS salutem prec. & incol.

AVTHORES NORMANNICÆ HISTORIÆ *collectos, & in ordinem digestos, quibus potiùs offeram quàm vobis, Viri præclarißimi, qui* ROTHOMAGENSIS *Vrbis curam tanta cum laude ac vigilantia geritis? Vrbis, inquam, illius, quæ totius* NORMANNIÆ *caput, antiqua Ducum vestrorum sedes, populis, & omni bonorum genere opulentißima semper extitit? Historiarum certè studium eiusmodi est, vt cùm omnibus ingenuis hominibus conueniat, tum eorum, qui Reipublicæ inuigilant, proprium sit. Illarum dico præcipuè, quæ gentis suæ primordia, maiorum prisca instituta, labores pace & bello exantlatos, rerum denique vias, tam in prosperis, quàm aduersis docere possunt. Quamobrem vt ijs magnas debetis gratias, qui in scribendis veterum* NORMANNORVM *præclarè gestis, ne illorum memoria succedentibus sæculis obliteraretur, de omni Normannica gente benè meriti sunt: sic & me operæprecium, Patriæque vestræ non contemnendum officium præstitisse fortè censebitis, qui neglectos eiusmodi Scriptores, ac varijs in Bibliothecis hactenus delitescentes conquisiuerim, eosque nominis vestri auctoritate protectos in hominum conspectum nunc producam. Vt quantum virtute bellica* NORMANNI *olim præstiterint, quibusque artibus nobilißima regna varijs in Prouincijs constituerint, & quanta pietate, religione, ac diuino cultu, iam inde à conuersione* ROLLONIS, *inter pijßimas ac religiosißimas orbis Christiani gentes imprimis floruerint, cunctis innotescat. Si vos illorum pietas, prudentia, fortitudo tangit, in huiusmodi narrationibus delectabimini, meúmque de Collectione hac consi-*

lium probantes, vt magni in vos, ac Vrbem, Gentémque vestram vniuersam affectus qualecumque monimentum, eam placidè & gratanter suscipietis. Id vnum igitur opellæ meæ, ac laboris precium opto, & vt Deus O. M. vos, ac NORMANNIAM *vniuersam florentem semper custodiat, atque conseruet, ad sancti nominis sui gloriam, & Regis* CHRISTIANISSIMI *Normannorum Ducis fidele obsequium, exopto. Valete. Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Aprilis, anno* M.D.C.XIX.

AD HISTORIÆ NORMANNORVM SCRIPTORES,

PRÆFATIO.

NEMINEM generalis Historiæ totius Regni FRANCIÆ studiosum fore puto, qui nō res quoque in singulis Prouincijs gestas, ac Populorum & Ecclesiarum etiam priuatarum Historias, ad illius cognitionem vtiles, ne dicam necessarias, iudicet. Hac ego ratione permotus, varias eiusmodi Historiarum Collectiones magno hactenus labore, magnóque interdum sumptu feci: potissimum verò illarum, quæ temporum siue negligentiâ, siue incuriâ latebant, & eas tandem aliquando, Patriæ, Posteritatique consulens, in lucem edere decreui. Visum est autem ab HISTORICIS NORMANNIÆ VETERIBVS incipere, cùm quòd hæc vna sit inter cæteras Franciæ Prouincias celebertima ac florentissima; tùm quòd illi plurimas ac præclarissimas res nostras, tam sacras quā profanas, suis inserant Scriptis: antiquas nempè Monasteriorū fundationes, Episcoporúmque ac Abbatum series annotent: illustrium quoque Familiarum origines antehac ignotas aperiant; progressus earundem varios acsi digito monstrent, præclara denique Nobilium domi militiæq; gesta referant. quod à multis hodie summo studio desiderari, summáque diligentiâ perquiri, cuicúmque passim notum est.

QVANDOQVIDEM igitur NORMANNI è Dacia prodeuntes bellica virtute sedem in Francia quæsiuerunt, nobilissima Regna in Anglia & Sicilia constituerunt, ac maximas etiam res in Oriente magna cum laude gesserunt: ideò plurimi Scriptores gentem illam bellicosissimam celebrauerunt, ac multiplices armorum eius euentus aut aspectos, aut ab iis qui viderant acceptos, nec non pietatis eiusdem insignia erga Ecclesiam monimenta memoriæ commendauerūt. Horum præcipuos & sinceriores, qui tam Latino, quàm vernaculo sermone lucubrationes suas texuerūt, in tres diuisi Tomos, primúmque nunc publici iuris facere meo stetit animo; vt si qualitercúmque Historiæ nostræ amatoribus placuisse compererim, ad reliquos propediem edendos me pariter accingam. Ordo verò, quem in eo obseruaui, sic habet.

PRIMVS sine nomine Scriptor, ex Codice magno Carthusiæ Montis-Dei descriptus, orditur à primis Normannorum per Frisiam, Hollandiā, Belgicam, Franciam, Germaniámque incursionibus, & finit post sedes ROLLONI in Neustria concessas: Historiam continens annorum LXIX. ab anno DCCCXXXVIII. ad annum DCCXCVI. Belgam fuisse suspicio est, eúmque eruditissimi viri D. Iacobi Sirmundi beneficio habui. Quæ autem subsequuntur, ex Rheginone, Annalibus Moguntinis, & alijs Chronicis, ac Sanctorum Vitis adiecta sunt. Deinde ABBONIS Floriacensis Abbatis Libros duos, quos *de obsidione Lutetiæ Parisiorum à Normannis* inscripsit, primúsque V. Cl. Petrus Pithoeus publicauit, subdidi.

HINC sequitur DVDO. Is primùm Clericus, *pretiosi*, vt ait, *Martyris CHRISTI*

QVINTINI Canonicus, & hoc nomine ab ALBERTO Viromandensium Comite ad RICHARDVM Normannorum Ducem missus, vt interuectu suo Regem Franciæ HVGONEM ipsi Comiti infensum pacificaret. Postea vero super totam Sancti Quintini Congregationem Decanus constitutus, vt idem prænotat. Initium scribendi facit ab HASTINGO Danorum Duce, qui Rollonem præcessit: finem in morte RICHARDI I. Normanniæ Ducis, cuius auus Rollo. Declarátq; se Opus incœpisse, non voluntate spontanea, sed vt Duci illi redderet suæ seruitutis officium, propter innumera beneficia, quæ absque suo merito ei dignatus erat impartiri. Operis autem necdum primas partes attigerat, cum lacrymabilis fama RICHARDVM Principem obijsse nunciauit. Et tunc omnia in illius dolore postponere voluit, vt ipse testatur, propter nimium fletum intolerabilémque planctum. Sed per filium eius Ducem RICHARDVM, & præcipuum Comitem RODVLPHVM Ibreicensem, res eadem illi repræsentata fuit. Institerunt ambo precibus, vt quod RICHARDVS pater præceperat exequeretur, & ne propositum imperfectum relinqueret contestati sunt. Adquieuit ille præceptis precibúsque eorum, executus est, & absolutum Opus ADALBERONI Episcopo Laudunensi, auctoritate sua confirmandum, dedicauit. Peritum virum appellat GVILLELMVS Gemmeticensis Monachus in Epistola sua ad GVILLELMVM I. Anglorum Regem. Et ORDRICVS Monachus Vticensis, siue sancti Ebrulfi, de eodem sic paucis verbis loquitur in Prologo Libri III. Historiæ suæ: *Bellicos actus trium Ducum DVDO VERMANDENSIS DECANVS eloquenter enarrauit, affluenterq; multiplicibus verbis & metris Panegyricum super illis edidit, & RICHARDO GVNNORIDÆ, gratiam eius captans, transmisit.* Necnon Libro VI. sub finem, *De aduentu*, inquit, *Normannorum, & crudeli barbarie illorum Dudo Veromandensis Decanus studiosè scripsit, & Ricardo II. Gunnoridis filio Duci Normannorum destinauit.* In huius editione duobus Codicibus vsus sum, vno viri illustr. D. Francisci Ambosij, altero D. Iacobi Sirmundi, qui & solus carmina varia rustico magis quàm poëtico stylo intertexta exhibuit. Nec illa tamen prætermissa volui, ne fidem Historiæ minuisse quibusdam fortè viderer.

Epist. ad Adalb. Laudun. Episc.

POST DVDONEM locum dedi ELOGIO EMMAE Anglorum Reginæ, filiæ RICARDI II. Normannorum Ducis, matrisque EDWARDI Regis Angliæ, qui GVILLELMVM cognomine BASTARDVM Normanniæ Ducem in filium & successorem adoptauit. Auctor illius anonymus, sed coætaneus, & vt ipse dicit, sancti Bertini vernula, siue Monachus. Historiam enim suam ipsi EMMÆ Reginæ adhuc viuenti consecrat, atque Regem CNVTONEM secundum eius maritum ingentes oblationes in Monasterijs sancti Audomari & sancti Bertini facientem se vidisse contestatur. Huius vt & sequentis autoris GVILLELMI PICTAVINI scripta debentur viro perillustri D. ROBERTO COTTONO Anglo, non solum familiæ vetustate ac splendore, quæ honoratissimas cognatione complexa est, atque equestris ordinis dignitate Baronetta: sed etiam eruditione multifaria, nec non felicissima industria in congerenda antiqua rarissimorum librorum numorumque supellectile, quam pro candore omnibus studiosis libentissimè aperit, commendatissimo. A quo maximi vir nominis inter doctos D. GVILLELMVS CAMDENVS Anglus exemplaria M.S. impetrauit, eaque transmisit ad V. I. & de litteris benè meritum. D. NIC. FABRICIVM DE PETRISCO Regium in Aquisextiensi Prouinciæ Curia Senatorem, mihi summo amicitiæ vinculo charissimum.

GVILLELMI PICTAVINI Codex, qui, vt diximus, ex instructissima Nobilissimi Cottoni Bibliotheca prodit, antiquissimus est, talisque notæ quem autographum non immerito plerique existiment. Gesta continet GVILLELMI DVCIS, qui virtute bellicâ Regem HARALDVM prostrauit, ac vniuersam ANGLIAM conquisiuit. De horum auctore primò milite, postea Ducis eiusdē Capellano, ac demū Lexouiensi Archidiacono sic breuiter GVILLELMVS Gemmeticensis Monachus, cap. XLIV. Libri VII. *Si quis vero pleniùs illa*, scilicet gesta Guillelmi Regis Anglorū, *nosse desiderat, Librū* VVILLELMI PICTAVENSIS *Lexouiorum Archidiaconi, eadem gesta sicut copiosè, ita eloquenti sermone affatim continentem legat.* Et ORDRICVS in fine Libri III. *Susceptum itaque imperium Guillelmus*

Rex in aduersis & prosperis strenuè viriliterque rexit. De cuius probitate & eximiis moribus, ac prosperis euentibus, & strenuis admirandisque actibus GVILLELMVS PICTAVINVS *Lexouiensis Archidiaconus affluenter tractauit, & Librum polito sermone & magni sensus profunditate præclarum edidit. Ipse siquidem prædicti Regis Capellanus longo tempore extitit, & ea quæ oculis suis viderit, & quibus interfuerit, longo relatu vel copioso indubitanter enucleare studuit.* Verùm aduersis casibus impeditus, hoc suum Opus vsque ad finem Regis non perduxit. In morte enim Eduini Merciorum Consulis, à tribus fratribus, qui ei familiares præcipuique satellites erant, Normannis proditi anno MLXX. desiit. Quod & idem ORDRICVS obseruauit ad illum annum, pluráque etiam de eo rursus addidit, his verbis: *Hucusque* GVILLELMVS PICTAVINVS *Historiam suam texuit, in qua Guillelmi gesta, Crispi Salustij stilum imitatus, subtiliter & eloquenter enucleauit. Hic genere Normannus, de vico Pratellensi fuit, ibique sororem, quæ in Monasterio sancti Leodegarij præerat Sanctimonialibus, habuit.* PICTAVINVS *autem dictus est, quia Pictauis fonte philosophico vbertim imbutus est. Reuersus ad suos, omnibus vicinis & consodalibus doctior enituit, & Lexouienses Episcopos* HVGONEM *&* GISLEBERTVM *Archidiaconatus officio in Ecclesiasticis rebus adiuuit. In rebus bellicis ante Clericatum asper extitit, & militaribus armis protectus terreno Principi militauit. Et tanto certius referre visa discrimina potuit, quanto periculosius inter arma diris conflictibus interfuit. In senectute sua taciturnitati & orationi studuit, & plus in dictando seu versificando, quàm sermocinando valuit. Subtiles & concinnos versus, atque ad recitandum habiles frequenter edidit, studioque iuniorum, quibus ipsi emendarentur, sine inuidia erogauit.* Ipse quoque Guillelmus de se pauca sic prælibat pag. 180. huius Editionis, *Celeberrimè in Aquitania, dum* PICTAVIS *exularem, eadem, quam nostrates contestantur, Normanni Comitis diuulgabatur claritudo.* Et pag. 195. vbi de Hugone Episcopo Lexouiensi loquitur: HVGONEM, *quem propria familiaritate conspectauimus, dictatu longiusculo alijs indicare neuticam grauamur, quoniam eius cognitionem aliis non dubitamus profuturam.* Quæ per omnia cum ORDRICI dictis conueniunt.

SEQVITVR GVILLELMI Gemmeticensis Monachi Historia de Normannorum Ducum gestis. Cognomentum illi fuit CALCVLVS, vt ex eodem Ordrico patet in Prologo Libri III. Floruitque tempore GVILLELMI I. Anglorum Regis, cui Opus suum obtulit. Principium narrationis è DVDONIS Historia collegit, vt ipse fatetur, *eamque eleganter abbreuiauit: ac de aliis Ducibus, qui* RICHARDO I. *successerunt, breuiter & diserte res propalauit,* inquit adhuc Ordricus: *Prol. l. 3.* quæ partim relatu plurimorum, ad corroborandum fidem æquè idoneorum annis *Gemetic.* & rerum experimentis, partim certissimo iudice proprio visu didicerat, priuatim *ipse in epi.* sua donans. Sed de gestis HENRICI I. Anglorum Regis, vtrum ab illo quoque *ad Guill.* post obitum GVILLELMI I. adiecta sint, an ab altero potius Monacho con- *Ducem.* scripta, dubium mouet Epistola, quam Operi suo præfixit, & multo magis prædictus Ordricus. Hic enim ipsum post Senlaceium certamen narrationem suam terminasse scribit his omnino verbis: GVILLELMVS *quoque cognomento* CALCVLVS *Gemmeticensis Monachus* DVDONIS *materiam subtiliter replicauit, facetè abbreuiauit, & successorum actus vsque ad subiectionem Angliæ adiecit; post certamen Senlaceium narrationem suam consummauit, Guillelmoque Regi subtilissimo suæ gentis obtulit.* Vt vt sit; illius Scripta primùm à V. cl. ac doctissimo D. Guillelmo Cambdeno Anglo edita, & inter Anglicarum, Normannicarum, Hibernicarumque rerum Historicos in Germania excusa sunt. Eadem ego cum duobus antiquis Codd. MSS. contuli, qui mihi è locuplete Bibliotheca V. Ampliss. Iacobi Augusti Thuani perhumanè suppeditati sunt, in illisq; multa Typographorum errore deprauata correxi, omissa restitui, confusa variis in locis distinxi, sicut Lector ipse legendo facilè deprehendet.

GVILLELMO CALCVLO succedit ORDRICVS, qui & VITALIS, Vti- *Ipse Ordr.* censis Cœnobij Presbyter & Monachus, vt ipse inscribit. Hic in Anglia natus est *lib. 5. p. 548* XIV. Kal. Martij, anno Christi MLXXV. patre ODELERIO CONSTANTII AVRELIANENSIS filio; præcipuo ROGERII DE MONTE-GOMERICI Scrobesburiensis Comitis Consiliario: Sabbatoque sequentis Paschæ apud *Eod. l. p.* Attingesham in Ecclesia sancti Eattæ Confessoris, per ministerium ORDRICI *579. 581.* sacerdotis sacro fonte renatus est. Post quinquennium SIWADO nobili Pres-

bytero litteris erudiendus à genitore traditus, cuius magisterio prima percepit
pag. 548. rudimenta. Vndecimo autem ætatis suæ anno pro amore Dei à proprio patre abdicatus est, & de Anglia in NORMANNIAM tenellus exul, vt æterno Regi militaret, destinatus. Deinde à MAINERIO venerabili VTICENSIS Cœnobij Patre susceptus, monachilis habitus trabea togatus, sinceroque Monachorum Conuentui fœdere indissolubili sociatus est. Inter quos Ecclesiasticum morem & seruitium ediscere laborauit, & semper ad aliquid vtile, præcipuè verò ad scribendum ingenium applicauit. Sed præstat ORDRICVM ipsum de se sic in fine sui
pag. 924. Operis loquentem audire: *Tu es Rex meus & Deus meus, & ego sum seruus tuus, & ancillæ tuæ filius, qui pro posse meo à primis tibi vitæ meæ seruiui diebus. Nam sabbato Paschæ apud Attingesham baptizatus sum, qui vicus in Anglia situs est super Sabrinam ingentem fluuium. Ibi per ministerium* ORDRICI *Presbyteri ex aqua & Spiritu sancto me regenerasti, & mihi eiusdem sacerdotis, patrini scilicet mei, nomen indidisti. Deinde cum quinque essem annorum, apud vrbem Scrobesburiam scholæ traditus sum, & prima tibi seruitia Clericatus obtuli in basilicâ Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Illic Siguardus insignis Presbyter per quinque annos Carmentis Nicostratæ litteras docuit me, ac Psalmis & Hymnis, aliisque necessariis instructionibus mancipauit me. Interea prædictam Basilicam super Molam flumen sitam, quæ patris mei erat, sublimasti, & per piam deuotionem Rogerij Comitis venerabile Cœnobium construxisti. Non tibi placuit, vt illic diutius militarem, ne inter parentes, qui seruis tuis multoties oneri sunt & impedimento, paterer inquietudinem, vel aliquod detrimentum in obseruatione legis tuæ per parentum carnalem affectum incurrerem. Iccirco, gloriose Deus, qui Abraham de terra, patrisque domo & cognatione egredi iussisti,* ODELERIVM *patrem meum aspirasti, vt me sibi penitus abdicaret, & tibi omnimodis subiugaret. Rainaldo igitur Monacho plorans plorantem me tradidit, & pro amore tuo in exilium destinauit, nec me vnquam postea vidit.* Et paulo post: *Decennis itaque Britannicum mare transfretaui, exul in Nomanniam veni, cunctis ignotus neminem cognoui. Linguam, vt Ioseph in Aegypto, quam non noueram audiui, suffragante tamen gratia tua, inter exteros omnem mansuetudinem & familiaritatem reperi. A venerabili* MAINERIO *Abbate in Monasterio Vticensi* XI. *ætatis meæ anno ad Monachatum susceptus sum,* XI. *que Kal. Octobris Dominico clericali ritu tonsoratus sum. Nomen quoque* VITALIS *pro Anglico vocamine, quod Normannis absonum censebatur, mihi impositum est: quod ab vno sodalium sancti Mauricij Martyris, cuius tunc Martyrium celebrabatur, mutuatum est. In præfato Cœnobio* LVI. *annis te fauente conuersatus sum, & à cunctis fratribus & contubernalibus multò plus quàm merui amatus & honoratus sum. Aestus & frigora, pondusque diei perpessus in vinea Sorech inter tuos laboraui, & denarium, quem pollicitus es, securus quia fidelis es, expectaui. Sex Abbates, quia tui fuerunt vicarij, vt patres & magistros, reueritus sum, Mainerium & Serlonem, Rogerium & Guarinum, Ricardum & Rannulfum. Isti nempè Vticensi Cœnuentui legitimè præfuerunt, pro me & pro aliis tanquam rationem reddituri vigilauerunt, intus & exterius solertiam adhibuerunt, nobisque necessaria te comitante & iuuante procurauerunt. Idus Martij, cum* XVI. *essem annorum, iussu Serlonis electi, Gislebertus Luxouiensis Præsul ordinauit me subdiaconum. Deinde post biennium* VII. *Kal. Aprilis Serlo Sagiensis Antistes mihi stolam imposuit Diaconi. In quo gradu* XV. *annis tibi libenter ministraui. Denique* XXXIII. *ætatis meæ anno, Guillelmus Archiepiscopus Rotomagi* XII. *Kal. Ianuarij onerauit me sacerdotio. Eodem vero die* CCXLVIII. *Diaconos, &* CXX. *consecrauit Sacerdotes, cum quibus ad sanctum altare tuum in Spiritu sancto deuotus accessi, tamque* XXXIV. *annis cum alacritate mentis tibi sacra ministeria fideliter persolui.*

HABVIT & idem fratres duos minores se natu, quorum vnus EBRARDVS nomine paternæ hæreditatis successor, alter BENEDICTVS in Cœnobio S. Petri Scrobesburiensis æquè Monachus extitit. Sic enim ODELERIVS ipsorum pater in exhortatione ad Rogerium de Monte-Gomerici Scrobesburiæ Comitem, de fundatione præfati Monasterij verba faciens: *In primis*, inquit, *aduenientibus Monachis cum cementariis ad iaciendum Monasterij fundamentum, ad inchoationem huius-*
Lib. v. Hist. Ordrici pa. 580. 581. *cemodi porrigam* XV. *libras sterilensium. Deinde meipsum, &* BENEDICTVM *filium meum iam quinquennem, & omnia mea tradam Monasterio, tali tenore vt omnium rerum mearum medietas mecum subdatur Monachorum dominio, aliáque medietas* EBRARDO *filio meo dedatur sub Monachorum patrocinio. Porrò primogenitum* ORDERICVM *videlicet meum iamdudum litteris imbuendum liberali Didascalo mancipaui, eique locum tutæ mansionis inter vernulas Dei apud Vticum in Neustria procuraui: pro quo eulogias benedictionis,*

XXX. *scilicet marcos argenti futuris eius magistris & consodalibus de porismate meo libenter erogaui.* Et ORDRICVS filius paulo post subdit: *Sæpedictus quoque* ODELERIVS, *pater* VITALIS, *quod promiserat ex integro compleuit, datisque ducentis libris argenti, Deo* BENEDICTVM *filium suum ibidem obtulit, & ipse post obitum Rogerij Comitis monachile schema suscepit. Ibi* VII. *annis secundum normam sancti Patris Benedicti Monachus Deo seruiuit.*

OPVS verò suum ORDRICVS præcepto ROGERII Abbatis Vticensis incœpit, & quia de rebus potissimum Ecclesiasticis, ac de sui temporis Christianorum euentibus in eo tractauit, ECCLESIASTICAM illud HISTORIAM appellari affectauit, quam & in tria Volumina diuisit. In primo enim, duos Libros continente, *de quibusdam amicis Dei, Dominisque ac Rectoribus populi sui*, hoc est de Apostolis & Pontificibus Romanis, de Imperatoribus, Regibus, & aliis Principibus, locutum se fuisse testatur. In secundo, quod IV. Libros complectitur, *plurima dictauit de Monasterio in Vticensi saltu tempore* GVILLELMI *Ducis postea Regis honorificè restaurato, nonnullaque de bonis seu malis Primatibus sui sæculi veraciter adiecit.* In tertio denique VII. Libellos peregit, in quibus *de morte* GVILLELMI *Regis, & de tribus filiis eius plura edidit, & iter Hierosolymitanum; casusque varios suis temporibus contingentes referendo addidit*: vltimum terminans anno ætatis suæ LXVII. CHRISTI vero MCXLI. quo STEPHANVS Rex Anglorum in carcere MATHILDIS Andegauorum Comitissæ gemens detinebatur. In ea Historia edenda, quam hactenus multi desiderauerunt, tribus Codicibus vsus sum, vno Monasterij sancti Ebrulfi, altero sancti Stephani Cadomensis, quos ope eiusdem D. de Petrisco habui, illum scilicet à Reuerendo admodum viro D. CAROLO CHALIVEAV Vticensi Abbate dignissimo, hunc à Iurisconsultiss. viro D. CLAVDIO DE SALET summa & eruditione & eloquentia inter causarũ patronos hoc sæculo in Normannica sua Prouinciâ celeberrimo: tertio demum viri ornatissimi ac rerum antiquarũ studiosissimi D. Ioannis Bigoti in Rothomag. vectig. Curia Senatoris. Prol. lib. 1. Prol. li. 3. Lib. 6. Prol. lib. 3. Lib. 6. p. 632.

ORDRICVM excipit alius sine nomine Historicus, qui Gesta STEPHANI Anglorum Regis, & Comitis Boloniensis scripsit. Certè contemporaneum ipsius Regis, & partium eius fautorem fuisse, quæ refert in pluribus Historiæ suæ locis, indicant. Hunc do ex veteri, sed imperfecto & semiexeso Exemplari Episcopi Laudunensis, quod mihi benignè obtulit D. Georgius de Y Doctor Theologus Parisiensis, Regis Christianissimi Consiliarius & Prædicator ordinarius, necnon Vicarius generalis reuerendissimi Domini Benjamini de Brichanteau Episcopi-Ducis Laudunensis ac Franciæ Paris.

SEQVITVR deinde Chronicum alterius Scriptoris æquè anonymi, ab anno CHRISTI M.C.XXXIX. ad annum M.CC.LIX. quod ex Bibliotheca Canonicorum Regularium Cœnobij S. Victoris Parisiensis depromptum est. Sed eius descriptor, quisquis fuit, ferè perpetuos in annis anachronismos commisit; quos tamen emendare, vel aliquid in illis mutare non præsumpsi. Tãtùm vt à quouis facilè cognosci possint, certius aliud ac breuius Chronicum ex iam memorato Cadomensis Monasterij Codice subieci.

DENIQVE per Appendicis formam addidi diuersos nobilium Normãnorum Catalogos, qui tempore GVILLELMI CONQVÆSTORIS in Angliam profecti sunt, & ab eo feuda immediatè tenuerunt, partim ex Censuali Angliæ Libro Conquestoris ipsius iussu confecto, qui extat apud Acta Londini, partim ex alijs antiquis Codicibus excerptos, & à D. Guillelmo Cambdeno perhumaniter trãsmissos. Adiunxi prætereà Nomina militum ferentium bannerias in Normannia, & alijs Franciæ Prouincijs, sub PHILIPPO II. Rege: Notitiam Feudorũ Normanniæ, Scriptum de Seruitijs militum quæ debentur Normanniæ Duci, Officiũ ad constituendum Ducem, & alia nonnulla ad veterem Historiam pertinentia.

CHRONICVM verò Cœnobij Beccensis antiquum & optimum, quod habui à Reuerendissimo & Illustriss. D. Dominico de Vic Abbate Beccensi meritissimo, in Tomum II. huius Collectionis reieci, vnà cum Historiis de rebus à Normannis per Siciliam & Apuliam gestis, ne primum hoc Volumen modum excederet. Quo tu interim, Lector, vtere, fruere lubens, & si quid ab Historicis interdum fortè plus æquo Principibus suis addictis, minus rectè aut verè dictum fuisse reperieris, ne id in recti veritatisvè præiudicium trahas. Vale.

CATALOGVS ET ORDO SCRIPTORVM hoc Volumine comprehensorum.

GESTA NORMANNORVM IN FRANCIA ANTE ROLLONEM DVCEM.

AB ANNO CHRISTI DCCCXXXVII. AD ANNVM DCCCXCVI.

EXCERPTA VARIORVM CHRONICORVM DE DANIS ET NORMANNIS.

ABBONIS DE OBSESSA A NORMANNIS LVTETIA PARISIORVM

LIBRI DVO.

Guillelmus Pictauinus Archidiaconus Lexouiensis in Historia Guillelmi Regis Angl.

NORMANNI POSSIDENT APVLIAM, DEVICERE SICILIAM, PROPVGNANT CONSTANTINOPOLIM, INGERVNT METVM BABYLONI. ANGLICA TERRA TOTA SE EORVM PEDIBVS LÆTA PROSTERNIT.

Rogerius Houedenus Anglus in Annalibus.

AVDAX FRANCIA NORMANNORVM MILITIAM EXPERTA DELITVIT, FEROX ANGLIA CAPTIVA SVCCVBVIT, DIVES APVLIA SORTITA REFLORVIT, HIEROSOLYMA FAMOSA ET INSIGNIS ANTIOCHIA SE VTRAQVE SVPPOSVIT.

GESTA NORMANNORVM IN FRANCIA,

Ab anno Christi DCCCXXXVII. *vsque ad annum* DCCCXCVI. *Auctore incerto.*

A NORTHMANNI procedentes de Scanzia insula, quæ Northvvega dicitur, in qua habitant Gothi & Huni atque Daci, cum XIII. nauib. egressi, primò in Flandrensi littore molientes, ab his qui in præsidio erant repulsi sunt. Deinde in ostio Sequanæ similia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus; quinque suorum interfectis recesserunt. Tandem in Aquitanico littore prosperis vsi successibus, vico Burnad depopulato, cum ingenti præda reuersi sunt ad propria. Northmanni venientes in Frisiam aliquam partem ex illa deuastauerunt, homines quosdam occiderunt, quosdam captiuos abduxerunt, partémque eius igni cremauerunt, anno
B Domini DCCCXIII. regnante Ludouico Augusto Karoli Magni filio.

ANNO Domini DCCCXXXVII. Northmanni in insula, quæ Vvalacra dicitur, multos trucidauerunt, & aliquandiu inibi commorantes, censu exacto ad Dorastadum peruenerunt, & tributa similiter exegerunt. Quibus Ludouicus Imperator auditis, ad Nouiomagum castrum properare non distulit. Cuius aduentu Northmanni audito, continuò recesserunt. 837.

ANNO Domini DCCCXL. Northmanni in quandam Frisiæ partem irruentes, non parum incommodi nostris finibus intulerunt. 840.

ANNO Domini DCCCXLI. Northmanni ab Occeano Euripo Rotumam irruentes rapinis, ferro, igníque bacchantes, Monachos populúmque cædibus vel captiuitate deleuerunt; & omnia templa & loca flumini Sequanæ adhærentia depopulati sunt, & multis acceptis pecuniis recesserunt. 841.

ANNO Domini DCCCXLIII. Northmanni vrbem Namnetum aggressi, interfe-
C ctis Episcopo, & multis Clericorum atque laicorum, sexúsque promiscui, deprædata ciuitate, inferioris Aquitaniæ partes adoriuntur. Ac postremum Insulam quandam ingressi, hiemare decreuerunt. 843.

ANNO Domini DCCCXLIIII. Northmanni in Britanniam insulam, quam Angle-Saxones incolunt, impetentes, triduò pugnando victores effecti, prædas, rapinas, neces facientes, terrâ pro libitu potiti sunt. 844.

ANNO Domini DCCCXLV. Northmannorum Rex Roricus sexcentas naues per Albim fluuium in Germaniam aduersus Lodouicum dirigit. Quibus Saxones occurrentes, commisso prælio, Domini nostri Iesu Christi auxilio victores efficiun- 845.

tur. Vnde digressi Slauorum quandam impetunt & capiunt ciuitatem. A

Anno eodem Northmanni alueo Sequanæ remenso maria repetunt, cuncta maris loca finitima diripiunt, vastant, atque incendiis concremant. Demum cùm à quodam Monasterio nomine Sithiu direpto, incensoque, oneratis nauibus repedarent; ita diuino iudicio vel tenebris cæcati, vel insania sunt perculsi, vt vix perpauci euaderent, qui Dei omnipotentis iram cæteris nunciarent. Vnde commotus animo Rex eorum Orichus*, ad Ludouicum Regem legatos pacis gratia destinauit, captiuitatem absoluere, thesaurósque paratus pro viribus restituere.

*Roricus.

846. Anno Domini DCCCXLVI. Northmanni Frisiam adeuntes, recepto pro libitu censu, pugnando quoque victores effecti, prouincia potiuntur. Eodem anno inferiorem Galliam, quam Brittones incolunt, adeuntes, ter cum eisdem bellantes superant. Scothi à Northmannis per annos plurimos tributarij efficiuntur, Insulis circumquaque positis nullo resistente potiti immorantes.

*Ex fine Cod. [*Anno Domini DCCCXLVI. Pyratæ Danorum Fresiam adeuntes, Prouincias & Ecclesias vastauerunt, & populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenses, B vicinarúmque vrbium Pontifices & Abbates cum Sanctorum suorum reliquiis ad sanctum venerunt Audomarum, quia muro valido & turribus atrium eius diuina prouidentia munitum erat. Isti sunt Sancti, qui propter persecutionem illam conuenerunt. Sanctus Vvandregisilus, & sancti Vvlframnus, Ausbertus, Bauo, Vvasnulfus, Piatus, Barcius, Vvinnocus, & sancta Austraberta, & XL. annis ibi fuerunt.]

848. Anno Domini DCCCXLVIII. Northmanni Burdegalam Aquitaniæ Iudæis prodentibus captam, depopulatámque incendunt. Deinde Metullum vicum populantes, incendio tradunt. Scothi super Northmannos irruentes, auxilio Dei victores eos à suis finibus propellunt. Vnde Rex Scothorum ad Karolum pacis & amicitiæ gratia legatos cum muneribus mittit, viam sibi petendi Romam concedi deposcés. Eodem anno Northmanni Petrocorium Aquitaniæ ciuitatem populantes incendunt, atque impunè ad naues remeant.

850. Anno Domini DCCCL. Northmanni Fresiam & Batauos populantur, & in oppido Gandauo venientes, S. Bauonis Monasterium incenderunt. Deinde Rotumum & vsque ad Beluacum pedestri gradu peruenerunt. Qua in causa cùm redirent intercepti à nostris, & aliqua ex parte profligati sunt. C

852. Anno Domini DCCCLII. Northmanni CCLII. nauibus Fresiam adeunt, acceptísque multis, prout ipsi statuerunt, ad alia diuertunt.

853. Anno Domini DCCCLIII. Northmanni mense Iulio, relicta Sequana, Ligerim adeuntes, Nannetum vrbem, & Monasterium S. Florentij, ac vicina loca populantur. Deinde à Namnetibus superiora petentes, VI. Idus Nouembris vrbem Turonicam adeunt atque incendunt, cum Ecclesia S. Martini, & ceteris adjacentibus locis. Sed quia euidenti certitudine hoc præscitum fuerat, corpus beati Martini ad Cormaricum Monasterium eius Ecclesiæ, & indè ad ciuitatem Aurelianorum transportatum est. Eodem anno Northmanni inter se prælio dimicantes, adeò certatione obstinatissima bacchati sunt, vt Oricho Rege, & ceteris cum eo interfectis Regibus, penè omnis nobilitas interierit. Tunc Ligere insistentes, denuò ciuitatem Andegauorum incendio concremant, demum Burdegalam. D

855. Anno Domini DCCCLV. Northmanni Ligerim ingressi, relictis nauibus, pedestri itinere vrbem Pictauorum adire moliuntur. Sed occurrentibus Aquitanis adeò afflicti sunt, vt vltra CCC. pauci euaserint. Anno eodem XIV. Kal. Maij Northmanni ciuitatem Aurelianis adeunt, prædantur, & impunè reuertuntur: & mediante Augusto Sequanam ingrediuntur, & vastatis direptísque ex vtraque parte fluminis ciuitatibus atque villis, locum qui dicitur Fossa Guiraldi Sequanæ congruum stationique munitum deligunt, vbi hiemem quieti transigunt.

857. Anno Domini DCCCLVII. V. Kal. Ianuarij Northmanni Lutheciam Parisiorum inuadunt, atque incendio tradunt: basilicam S. Petri & S. Genouefæ incendunt, & Ecclesiam S. Vincentij & S. Germani, prætérque Ecclesiam S. Dionysij: pro quibus tantummodò ne incenderentur, multa solidorum summa soluta est. Ludoicum Abbatem S. Dionysij capiunt. Deinde Saxoniam aggrediuntur, sed viriliter repelluntur.

859. Anno Domini DCCCLIX. Northmanni Scaldum fluuium transeuntes, loca po-

A pulabantur vndique. At vulgus promiscuum inter Sequanam & Ligerim inter se coniurans, aduersus eos in Sequana cõsistentes fortiter resistit. Sed quia incautè sumpta esteorum coniuratio, à potentioribus nostris facilè interficiuntur. Eo anno Northmanni inter Hispaniam & Africam nauigantes, ingrediuntur Rodanum, depopulatisque ciuitatibus ac Monasteriis, in Insula, quæ Camarias dicitur, venerunt. Anno etiam eodem Monasterium S. Vualerici, & Samarobriuam Ambianorum ciuitatem, aliaque circumquaque loca rapinis & incendiis vastant. Postea insulam Reni Patauum simili furore inuadunt. Demum Nouiomum ciuitatem noctu ingressi, Immonem Episcopum cum aliis nobilibus tam clericis quàm laicis capiunt, & ciuitate vastata secum abducunt, atque in itinere interficiunt.

ANNO Domini DCCCLX. Northmanni in Somma flumine consistentes, receptis obsidibus ad Anglos Saxones nauigant: à quibus repulsi alias partes petunt. Illi verò, qui morabantur in Rodano, vsque ad Valentinam ciuitatem vastando perueniunt. Qua deprædata, ad insulam, in qua sedes posuerant, redeunt. Demum Italiam petunt, & Pisas ciuitatem, aliasque capiunt atque deuastant. 860.

B ANNO Domini DCCCLXI. Northmanni Lutheciam Parisiorum, & Ecclesiam S. Vincentij Martyris & S. Germani incendio tradunt. Negociatores quoque per Sequanam nauigio sursum fugientes insequuntur & capiunt. Alij quoque Northmannorum Teruanensem pagum adeunt, & vastant, de Anglia reuertentes. Deinde cum Duce eorum Vvelando cum CC. nauibus per Sequanam ascendunt, & castellum in Insula, quæ Oscellus dicitur, obsident. Ad quorum obsidentium videlicet locarium, quinque milia libras argenti cum animalium atque annonæ summa non modica, de regno suo, ne deprædaretur, exigi Karolus præcepit. 861.

ANNO Domini DCCCLXIV. Northmanni mense Ianuario per Renum versus Coloniam nauigio ascendunt, & Dorestato depopulato villa, ad quam Frisij confugerant, occisis multis Frisorum negociatoribus, & capta populi multitudine, vsque ad quandam insulam secus castellum Nouesum perueniunt: sed consilio accepto, sicut accesserant recedunt. 864.

ANNO Domini DCCCLXV. Northmanni residentes in Ligerim cum magno impetu, faciente diuino iudicio, vsque ad Monasterium S. Benedicti, quod Floriacus dicitur, nauigant, & incendunt illud: & in reuertendo, Aurelianis ciuitatem & C Ecclesias cremauerunt, præter Ecclesiam S. Crucis, quam flamma, cùm inibi multum laboratum à Northmannis fuerat, vorare non potuit. Sicque per amnis alueum descendentes, & vicina quæque depopulantes, ad stationem reuersi sunt. Demum Pictauum ciuitatem incendunt, & ad naues redeunt. 865.

ANNO Domini DCCCLXIX. Karolus cum Northmannis in IIII. milium libris argenti ad pensam* eorum paciscitur; & indicta per regnum suum collatione ad idem exsoluendum tributum, de vnoquoque manso ingenuli exiguntur VI. denarij, & de seruili III. & de accolis vnus, & de duobus hospitibus vnus denarius, & decima de omnibus quæ negociatores videbantur habere: sed & à Presbyteris secundum quod vnusquisque habuit, vectigal exigitur, & herbanni de omnibus Francis accipiuntur. Inde de vnoquoque manso tam ingenuli quàm & seruili vnus denarius sumitur, & demum per duas vices, iuxta quod vnusquisque regni Primorum de honoribus habuit, coniectum tam in argento quàm in vino ad pensum, quod ipsis Northmannis pactum fuerat, persoluendum contulit. Præterea quoque & D mancipia à Northmannis prædata, quæ post pactum ab eis fugerant, aut reddita, aut secundum eorum placitum redempta fuerunt: & si aliquis de Northmannis occisus fuit, quæsitum precium pro eo est solutum. 869. *pensum.

ANNO eodem, mense Iulio, Northmanni mare intrant, & pars quædam ex ipsis Italiæ rediit. Northmanni verò commixti Brittonibus circiter CCCC. de Ligeri cum caballis egressi, Cinomannis ciuitatem adeunt. Qua deprædata, in regressu suo vsque ad locum, qui dicitur Brieserta, veniunt; vbi Robertum & Ragnulfum, Godefridum quoque & Henricum Comites cum valida manu armatorum, si Deus cum eis esset ostendunt. Et conserto prælio Robertus occiditur, Ragnulfus vulneratur, postea mortuus est. Deinde Henrico sauciato, & aliis quibusdam occisis, cæteri quique ad sua discedunt. Et quoniam Ragnulfus & Robertus de præcedentium se vindicta, qui contra suum ordinem alter Abbatiam S. Hilarij, alter Abba-

tiam S. Martini præsumpserat, castigari noluerunt, in se vltionem experiri meruerunt. A

870. Anno Domini DCCCLXX. Hugo Abbas & Gautfridus cum trans-Sequanis confligentes cum Northmannis in Ligerim residentibus LX. inibi interfecerunt, & capientes quendam apostatam Monachum, qui se Northmannis contulerat, & nimis Christianis infestus erat, decollari fecerunt. Tunc Northmanni multam summam argenti, frumenti quoque & vini, & animalium, ab incolis terræ ipsius quæsierunt, vt cum eis pacem facerent.

879. Anno Domini DCCCLXXIX. Ludouicus frater Karlomanni contra Northmannos, qui Corbeiæ Monasterium, & Ambianis ciuitatem, aliaque sancta loca occupauerant, obuiam perrexit: & castello firmato, apud Compendium Natiuitatem Domini & sanctum Pascha celebrauit.

880. Anno Domini DCCCLXXX. Northmanni incendiis & deuastationibus inhiantes, sanguinem humanum sitientes, ad interitum & perditionem regni mense Nouembrio in Gandauo Monasterio sedem sibi ad hiemandum statuunt: & mense Decembrio corpus S. Vedasti Vall. supra Summam in villa sua defertur. Northmanni denium Tornacum ciuitatem, & omnia Monasteria super Scaldum fluuium ferro & igne deuastant; interfectis accolis terræ atque captiuatis. Deinde sedem sibi mutauerunt, & Cortriaco castrum ad hiemandum construunt. Indéque Menapios & Sueuos vsque ad internecionem deleuerunt, quia valde illis infesti erant; omnemque terram iuxta flumina consumpserunt. B

881. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXI. VII. Kal. Ianuarij Northmanni Sithiu oppidum ingressi cum infinita multitudine, ipsum oppidum cum Ecclesiis igne cremauerunt, excepta S. Odomari Ecclesia, quæ Dei prouidentia benè erat munita. At Northmanni interfectis omnibus, quos inuenire poterant, omnem terram vsque ad Summam expugnauerunt, & capta præda infinita hominum & pecudum recesserunt. Inde Cameracum ingressi, incendiis & occisionibus ciuitatem destruunt, & Monasterium S. Gaugerici vastantes cum præda maxima ad castra reuersi sunt. Deinde circa Purificationem S. Mariæ iterum mouentes, per Teruennam iter arripiunt, & vsque Centula Monasterium S. Richarij, & S. Vvalerici, & omnia loca circa mare, & Monasteria, & vicos, deinde Ambianis ciuitatem, atq; Corbeiam peruagantes, multis onusti prædis sine impedimento ad sua repedauere castra. Postea circa sollemnitatem S. Petri mense Februario Attrebatis venerunt, omnésque quos ibi inuenerunt interfecerunt. Interim Ludouicus Rex graui dolore contristatus, conuocato exercitu præparat se ad prælium. At Northmanni cum magno exercitu mense Iulio Summam fluuium transeunt, & vastando omnia vsque Beluagorum ciuitatem perueniunt. Quibus Rex obuius in pago Vvimau, in villa quæ Sathulcurtis dicitur, commissum est prælium. Mox Northmanni fugam ineunt, quos Rex insecutus, gloriosissimè de eis triumphauit. Tunc Northmanni per Gandauum redeuntes, reparatis nauibus, terra marique iter facientes, Mosam ingressi sunt; & in Haslac sedem firmant ad hiemandum. Eo tempore Ludouicus Rex senior obiit. C

882. Anno Domini DCCCLXXXII. Karolus frater eius Romam perrexit, Imperiique dignitatem adeptus est. At Australes Franci congregant exercitum contra Northmannos: sed statim terga vertunt, ibique Vvalo Metensis Episcopus corruit. Quo finito, Northmanni famosissimum Aquisgrani Palatium igne cremant, & Monasteria atque ciuitates Treueris nobilissimam, & Coloniam Agrippinam: Palatia quoque Regum & villas, cum habitatoribus terræ interfectis, igne cremauerunt. Contra quos Karolus Imperator exercitum congregans, eos in Haslac obsedit. Godefridus verò Rex Northmannorum ad eum exiit, cui Imperator Regnum Frisonum, quod olim Rorichus Rex Northmannus tenuerat, dedit, coniugémque ei dedit Gislam filiam Lotharij Regis, Northmannósque de suo regno abire fecit. D

883. Anno Domini DCCCLXXXIII. mense Octobrio Northmanni regnum Karlomanni atrociter deuastantes, & per Terraciam iter agentes, Hisam transierunt, quos Karlomannus insecutus in Auall. comprehendit, commissoque prælio victor extitit, cecideruntque Northmanni circiter mille. Sed nil eos hæc pugna perdomuit; sed ad naues conuersi omne Regnum ferro & igne deuastant, & Ecclesiis di-

A rupti s,& accolis terræ deletis, Vermandis peruenerunt, & Ecclesiam S. Quintini incenderunt,& Ecclesiam S. Mariæ in Attrebatis ciuitate: & Octobrio mense finiente Lauetum cum equitibus & peditibus, atque omni supellectili veniunt. Naues quoque per mare Sommam fluuium ingressæ, Regem cunctumque exercitum eius fugere compulerunt,atque Hisam fluuium transire fecerunt. Tunc Ambianis ciuitate ad hiemandum sibi sedem parauerunt. At Franci videntes Northmannorum res prosperè in omnibus accrescere, quendam Danum Christianum nomine mittunt ad eos,qui cautè cum redemptione regeret. Ille verò Bellouagum venit, & ita Ambianis perrexit,ad exercendum sibi iniunctum officium. Northmanni interim non cessant captiuare atque interficere populum Christianum, atque Ecclesias subruere,destructis mœniis,& villis crematis. Per enim plateas jacebant cadauera clericorum & laicorum nobilium,ac mulierum, iuuenum & lactentium. Non erat via vel locus quo non jacerent mortui, & erat tribulatio omnibus & dolor. Interim B Francorum Principes inito consilio Danum Christianum, Regísque fidelem, nepotem Heoricidam ad Northmannos mittunt, vt tributum acciperent, & de regno abirent. At Northmanni ad vltimum XII. milia pondera argenti imposuerunt Regi & Francis in tributum,& datis obsidibus adinuicem aliquatenus cœperunt securi esse. Deinde Northmanni trans Scaldum venientes, prædas more solito capientes,cuncta deuastant,Ecclesias,ciuitates,vicos,habitatores vsque ad interniciem deleuerunt. Post sanctum itaque Pascha inchoatur tributum persolui. Spoliantur Ecclesiæ & Ecclesiastica mancipia. Tandem soluto tributo, mense Octobrio finiente adunantur Franci,vt si Northmanni vellent fidem immutari,eis resisterent. Northmanni verò sua castra incendunt. Rex verò & Franci Isa transito, lento eos insequuntur itinere. Northmanni autem iter agentes, Bononiam veniunt, & pars illorum mare transiit,& pars altera Luuanium in regno quondam Lotharij, & castra ad hiemandum statuunt. Karlomannus deinde venandi causa in Basui silua veniens, dum aprum vellet percutere,quidam ex suis Bertoldus nomine, cùm eum vellet iuuare,casu Regem in tibia vulnerauit, & accepto vulnere VII. diebus superuixit, C atque in eodem loco defunctus est,anno ætatis suæ octauodecimo, & sepultus est in Ecclesia S. Dionysij.

KAROLVS Imperator fratre Karlomanno mortuo, venit vsque Pontionum, ibíque Franci ad eum venientes, eius se subdiderunt imperio, & Karolus rediit in terram suam. Tunc Northmanni sæuire cœperunt incendiis & occisionibus sitientes,populumque Christianum necant, Ecclesias captiuant & subruunt. At Franci munitiones construunt,vt illis nauale iter interdicant. Castrum statuunt super Hisam in loco qui dicitur ad Pontem-Isaræ, quod Aletranno committunt ad custodiendum. Northmanni verò mense Nouembrio Hisam ingressi,prædictum castrum obsidione cingunt. Ii autem qui in castro erant,pacem petunt, & viuos se abire postulant: & datis adinuicem obsidibus Aletrannus cum suis Beluagum petiit. Northmanni verò castrum incenderunt,diripientes inibi reperta. Hac Northmanni patrata victoria Parisius adeunt,Turrimque aggressi valde impugnant. At Christiani viriliter eam defendunt:& factum est prælium à mane vsque ad vesperam,noxque dirimit prælium,atque ita Northmanni ea nocte regressi sunt ad naues suas. Sequenti D die iterum Northmanni accurrunt ad ipsam Turrim, fitque grauis pugna vsque ad solis occasum. Sed Northmanni multis suorum amissis ad naues redeunt, inibíque castrum sibi statuunt aduersus ciuitatem,eamque obsidione vallant. Deinde portam ipsius Turris adeunt,ignemque supponunt: & hi qui infra erant, fracti vulneribus incendio capiuntur, atque in opprobrium Christianorum diuersis interficiuntur modis,atque in flumine præcipitantur,indeque ipsam Turrim destruunt. Post hæc non cessant oppugnare ciuitatem. Gauzlinus verò Episcopus dum populum sibi commissum iuuare vellet,cum Sigeberto Rege Northmannorum amicitiam firmauit,vt per hoc ciuitas ab obsidione liberaretur. Quo facto Episcopus diem clausit extremum. Episcopo verò defuncto, Northmanni non cessant oppugnare ciuitatem. Quod vt Imperatori nunciatum esset,accepto consilio venit Parisius cum manu valida,sed nil vtile gessit: fecit enim consilium nimis miserum. Nam vtrumque, & ciuitatis redemptio Northmannis promissa est & data est,& via sine impedimento attributa. Imperator autem quò venerat redire festinans, Sigefridus Rex North-

mannorum Hisam fluuium ingressus, terrâ & aquâ iter faciens post eum cum suis, A
omnia ferro vastabat & igne. Quod cùm Imperator cognouisset, festinè rediit in terram suam. Post hæc Sigefridus famosissimam Ecclesiam beati Medardi igne cremauit, & palatia regia, interfectis & captiuatis terræ accolis. Northmanni verò, qui per Sequanam ascenderant à Parisius cum omni exercitu, & supellectili, & nauibus, Hionam fluuium ingressi Senonas ciuitatem obsederunt. Sed Euurardus ipsius ciuitatis Archiepiscopus statim cum eis de ereptione ciuitatis agere cœpit, & obtinuit quod voluit, anno Domini DCCCLXXXVI.

887. ANNO Domini DCCCLXXXVII. Sigefridus Rex Northmannorum verno finiente in Sequanam rediit, agens solita: & circa Autumni tempora Frisiam petiit, ibíque interfectus est. Northmanni verò Parisius regressi propter tributum ab Imperatore promissum, receperunt illud. Post Maternam fluuium ingressi, *Gauziaco sibi castra statuunt. Franci verò Australes videntes Imperatoris vires ad regendum imperium inualidas, eiecto eo de regno, Arnulfum filium Karlomanni, qui eius erat nepos, in regni solio ponunt. Tunc Northmanni omnia loca vsque Mosam more solito, partemque Burgundiæ deuastauerant, & igne concremauerant, anno Domini DCCCLXXXVII. B

*Casiaco.

888. ANNO Domini DCCCLXXXVIII. Odoni Regi Francorum per Dei misericordiam inopinata contigit victoria. Nam die natiuitatis S. Ioannis Baptistæ cum paruo exercitu Northmannorum exercitui obuiauit, super fluuium Axonam, commissóque prælio mox victor extitit. Quæ victoria non modicam illi gloriam contulit. Post, ab Arnulfo Imperatore conuocatur ad placitum. Statuto itaque die Odo Rex suorum fretus auxilio, Vvormaciam venit, & honorificè ab Arnulfo Imperatore susceptus, facti sunt amici, & remisit eum cum honore in regnum suum. Interim Northmanni Meldis ciuitatem obsidione vallant, machinis instruunt, aggerem comportant ad capiendam vrbem. Cumque obsidione & fame attenuati, mortibus etiam suorum afflicti, cernerent ex nulla parte sibi affuturum auxilium, cum Northmannis egerunt, vt data ciuitate viui sinerentur abire. Referantur portæ, fit via Christianis vt egrederentur, delegatis his qui eos quò vellent ducerent. Cumque amnem Maternam transissent, Northmanni eos insecuti, comprehenderunt Episcopum cum omni populo. Indéque reuersi ciuitatem igne combusserunt, murosque quantum placuit destruxerunt, atque ibi morati sunt vsque mensem propè Nouembrem. Circa verò Autumni tempora Odo Rex congregato exercitu venit Parisius, ibíque castra metatus est propè ciuitatem, ne iterum obsederetur. Northmanni verò per Maternam in Sequanam regressi, indéque nauigantes, & iter per terram facientes Iunam fluuium ingressi, circa eius littora sedem sibi firmauerunt. Circa Autumni tempora Parisius regressi sunt, contra quos Odo Rex venit, & nunciis intercurrentibus, munerati ab eo, reuersi à Parisius, relicta Sequana per mare nauale iter atque pedestre & equestre agentes, in territorio Constantiæ ciuitatis circa castrum S. Laudi sedem sibi faciunt, ipsumque castrum impugnare non cessant, anno Domini DCCCLXXXIX. C

890. ANNO Domini DCCCXC. Laudi castrum, interfectis habitatoribus, funditus terræ coæquatum. Northmanni in festiuitate omnium Sanctorum Hisam ingressi Nouiomagum petunt. Odo verò Rex adunato exercitu super Hisæ littora resedit, ne regnum liberè deuastarent. Northmanni verò, qui Nouiomo erant, mouentes exercitum vsque Mosam, omnem terram peruagati sunt, Scaldumque transeuntes Rex Odo insecutus est, comprehenditque eos super Galtheram; sed non ita vt voluit. Nam dispersi per siluas euasere, atque ad castra sua reuersi sunt. Circa autem Autumni tempora, relicto Nouiomo, maritima petiere loca, ibíque toto æstiuo tempore morati sunt; indéque reuertentes, Mosam ingressi sunt. Quod audiens Arnulfus Rex velociter occurrit, eosque vsque trans Scaldum, & prope Attrebatis insecutus est; sed eos non comprehendit, indéque rediit in regnum suum. Northmanni verò, qui Nouiomo hiemauerant, mense Nouembrio petunt iter, & Ambianis sedem sibi firmauerunt. Arnulfus autem Rex adunato exercitu, venit aduersus Northmannos, & Deo se protegente ipsum cœpit castrum, interfecta Northmannorum multitudine, atque hac potita victoria rediit in regnum suum. Northmanni verò, qui huc illucque dispersi erant, in eodem loco iterum castrum statuunt. Odo autem congre- D

A gato exercitu, Ambianis pergit, sed nihil ibi prosperè egit. Verùm post hoc in pago Vermandense ob neglectum custodum, illi superueniunt Northmanni, eumque fugere coëgerunt.

ANNO Domini DCCCXCI. Northmanni Aluario regressi, videntes omne Regnum fame atteri, relicta Francia tempore Autumni mare transierunt. 891.

ANNO Domini DCCCXCV. Northmanni iterum cum Duce eorum, qui Rodo * dictus est nomine, rursus Sequanam ingressi, iam multiplicati, ante natiuitatem Domini Hisam intrantes, Cauciaco sibi sedem nullo resistente firmauerunt, & in multitudine graui regni Prouincias ferro & igne deuastantes, Aquitaniæ partibus inferuntur, atque Monasteria, castris euersis, & interfectis habitatoribus, penitus deleuerunt. Post hæc autem Rex Karolus Simplex cum exercitu paruo, Northmannis à præda reuertentibus, in pago Vvithmau, aliquibus suorum interfectis, plurimósque vulnerans, insecutus est. Northmanni verò timentes, more solito ad castra redierunt. Postea Karolus Simplex Rodoni Neustriam tradidit, quam Normanniã
B Northmanni vocauerunt, eò quòd de Northvvega egressi essent. 895. *al. Rollo.

CHRONICI
RHEGINONIS ABBATIS
PRVMIENSIS EXCERPTVM
DE NORMANNORVM GESTIS.

C ANNO Dominicæ incarnationis DCCCXII. Classis Normannorum Hiberniam insulam aggressa, commissóque cum Scotis prælio, multi ex eis interfecti, cæteri fuga lapsi sunt. 812.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLIII. Nortmanni Britannicum mare nauigio gyrantes, ostia Ligeris fluminis occupauerunt, & repentina irruptione ciuitatem Nannetis inuadunt, omniáque cædibus, incendiis, ac rapinis depopulantes, Pontificem ciuitatis ipso die Sabbato sancto Paschæ, cùm baptismum ex more celebraret, in Basilica interficiunt, Clerumque trucidant. Omnémque circumquaq; regionem deuastantes, primùm Andegauensem, deinde Turonicam occupant vrbem. Ac velut immanis tempestas cuncta prosternit, ita cuncta consumunt. Templum etiam præcellentissimi Pontificis Martini incendio cremauerunt. Tunc primum Nortmannorum classis, vt aiunt, Ligeris attigit littora. 853.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXVII. Nortmanni oram Ligeris fluminis occupantes, Nannetensem, Andegauensem, Pictauensem, atque Turonicam 867.
D Prouinciam iterato crudeliter depopulari cœperunt. Contra quos RVBERTVS, qui Marchiam tenebat, & RANVLFVS Dux Aquitaniæ, collecta multitudine, aciem dirigunt. Illi sentientes se exercitu insequi, cum summa acceleratione ad classem repedare contendunt. Sed cùm appropinquare insequentium multitudinem cernerent, cognoscentes se effugere non posse, quandam villam ingrediuntur, vbi se quantum hora permisit, communiunt. Erat autem in eadem villa Basilica pergrandis ex lapide constructa, in quam maxima pars Nortmannorum introiuit, cum duce eorum nomine HASTINGO. Rubertus & Ranulfus cum sociis superirruunt, quoscumque extra Basilicam reperiere, absque mora trucidant. Ad Ecclesiam peruenientes, cùm vidissent locum munitum, & animaduertissent non modicam turbam Paganorum intrinsecus latitantem; parumper deliberantes castra in circuitu statuunt, tentoria figunt, vt in crastinum extructis aggeribus, applicatisque machinis, hostes totis viribus expugnarent. Declinabat quippè iam sol ad occasum: Rubertus nimio calore exæstuans, galeam & loricam deposuit, vt aura collecta pau-

lisper refrigeraretur. Cumque vnusquisque in positione castrorum intenderet, repentè Northmanni à munitione exiliunt, & cum ingenti clamore super Rubertum ac socios impetum fecerunt. Sed quamuis repentini & subitanei casus etiam fortissimos viros in bello conturbare soleant, tamen arma quam citiùs corripiunt, hostes viriliter excipiunt, & cædentes in Basilicam redire compellunt. Rubertus absque galea & lorica accurrens, cùm incautiùs dimicaret, & inimicos vltra insequeretur, interfectus est in introitu ipsius Ecclesiæ. Eius corpus iam exanime Northmanni intrinsecus trahunt. Porro Ranulfus, cùm eminus stans euentum rei specularetur, à quodam Northmanno per fenestram Basilicæ sagittæ ictu grauiter vulneratus est, & à suis ex certamine eductus vix triduo superuixit. Tali felici infortunio pugna commissa & finita, exercitus, amisso capite, terrore pariter ac mœrore repletus, soluit eadem hora obsidionem, & ad propria reuertitur. Nortmanni ouantes ad classem dirigunt gressum. Non multò pòst interiecto tempore, HVGO Abbas in locum Ruberti substitutus est, vir strenuus, humilis, iustus, pacificus, & omni morum honestate fundatus. Siquidem Vdo & Rubertus filij Ruberti adhuc paruuli erant, quando pater extinctus est. Idcirco non est illis Ducatus commissus. B

873. ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXIII. Carolus Andegauensem obsedit vrbem. Namque Nortmanni postquam Ruodbertum & Ranulfum & alios generosæ stirpis viros, qui patriæ terminos armis tuebantur, Deo habitatoribus terræ aduersante, occiderunt, cùm nemo inueniretur qui eorum violentiæ resisteret, sollicitati paucarum ciuitatum vel regionum deceptione, ex præda singularum quantæ opes vniuersarum essent, animo prospicientes, Andegauis ciuitatem, ciuibus fuga dilapsis, vacuam reperientes ingrediuntur: quam cùm munitissimam, & pro situ loci inexpugnabilem esse vidissent, in lætitiam effusi, hanc suis suorumque copiis tutissimum receptaculum aduersus lacessitas bello gentes fore decernunt. Protinus nauibus per Meduanā fluuium deductis cum mulieribus & paruulis, veluti in ea habitaturi intrant, diruta reparant, fossas vallàque renouant, & ex ea prosilientes, repentinis incursionibus circumiacentes regiones deuastant. Cumque Carolo tam perniciosa pestis in visceribus regni interclusa nunciata esset, illico ex omnibus regnis quæ suæ ditioni parebant, veluti ad commune incendium extinguendum exercitum colligit, atque castris in circuitu positis ciuitatem obsidione cinxit. C Et quia Medana fluuius à partibus Britanniæ vrbis murum alluebat, Salomoni Regi Britonum mandat, vt contractis auxiliis citius aduentaret, vt communem hostem communibus viribus expugnarent: qui assumptis secum multis Britonum millibus, super ripam fluminis Meduanæ tentoria fixit. Igitur ex omnibus partibus vrbe obsidione circumdata, multis diebus vndique summa virtute dimicatur, noua & exquisita machinamentorū genera adplicantur. Sed conatus regis prosperitatis effectum non obtinuit, quia & loci facies non facilem præbebat accessum, & paganorum valida manus, quia pro vita res erat, summo resistebat conamine. Exercitus immensæ multitudinis, cùm longæ obsidionis tædio, fame, & graui pestilentiæ morbo attereretur; cernentes Britones vrbem inexpugnabilem, conati sunt fluuium à suo alueo deriuare, vt exsiccato naturali meatu naues Nortmannorum inuadere nō possent. Cœperunt itaque fossam miræ profunditatis ac latitudinis aperire. Quæ res D tantæ formidinis metum Nortmannis ingessit, vt absque dilatione ingentem pecuniam Carolo pollicerentur, si soluta obsidione eis ex suo regno liberum præberet egressum. Rex turpi cupiditate superatus pecuniam recepit, & ab obsidione recedens hostibus viam patefecit. Illi conscensis nauibus in Ligerim reuertuntur, & nequaquam vt spoponderant ex regno eius recesserunt, sed in eodem loco manentes multo peiora & immaniora quàm antea fecerunt.

874. ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXIIII. Salomon Rex Britonum à Pasquitano & Vurfando ducibus suis dolo interficitur: post cuius mortem cum hi duo regnum eius inter se diuidere vellent, sed in diuisione dissentirent, eo quod maxima pars Pasquitani partibus faueret, bellum ab vtrisque summis viribus instauratur. Pasquitanus quanquam maiore multitudine abundaret, Nortmannorum tamen auxilia pecunia conducit, eaque ad supplementum virium suo exercitui miscet, & mox contra æmulum ad pugnam proficiscitur. Vurfandi satellites videntes vires regni ad Pasquitanum concessisse, cœperunt ab eo diffugere, vt vix mille cum

A eo in acie remanerent: qui ipsi cœperunt suadere, vt secederent, mortísque periculum declinarent, se cum paucis innumeram multitudinem sustinere non posse. Ad hæc ille respondit, Absit (inquit) optimi commilitones, vt hodie faciam quod « nunquam feci, scilicet vt inimicis meis terga vertam, vt gloria nominis nostri infa- « metur. Melius nobiliter mori, quàm ignominia vitam seruare: nec diffidendum de « victoria. Fortunæ vires cum hostibus experiamur: neque enim salus est in multitudi- « ne, sed potius in Deo. Huiuscemodi exhortationibus animati socij, super triginta & « eo amplius, vt ferunt, aduersariorum millia irruunt, clamor in cœlum tollitur, pugna summa virtute conseritur. Vurfandus cum suis in confertissimam hostium aciem irrumpit, & veluti herba pratorum recisa ante acumen falcis cadit, & vberrimæ segetes procella tempestatis desæuiente prosternuntur: ita ferro cædit, sternítque omnia. Raro in vllo regno, in vllo prælio tantum sanguinis fusum est. Pasquitanus, vt mactari suos more pecudum vidit, cum paucis, quos gladius necdum consumpserat, fugit. Porro Nortmanni, qui in auxilium fuerant conuocati, Monasterium sancti B Melani Episcopi ingressi sunt, ibique se more solito communiunt, & succedente nocte fuga dilapsi, ad naues reuertuntur. Fuit verò gestum hoc prælium in campis iuxta ciuitatem Redonis. Erat hic Vurfandus genere inter suos clarus, sed virtutum experimentis & nobilitate clarior: quæ tanta fuit in illo, vt animi magnitudine viriúmque gloria inter suos, vt diximus, nulli videretur esse secundus. Ad cuius audaciam, mentísque constantiam demonstrandam, vnum è multis ponere placuit. Nam cùm Salomon rex hyemis tempore aliquando contra Nortmannos castra posuisset, vt ab eorum incursione fines regni sui tueretur, ibíque multis diebus resideret, quadam die cùm sermo inter socios teneretur de audacia & duritia Nortmannorum: Vurfandus se vltra vires præsumens arroganter iactauit, si rex cum exercitu recederet, se tantummodo audere cum suis in eodem loco remanere, & tribus diebus post decessum regis immorari. Distabant verò castra Britonum à Nortmannorum classe tantum octo milliaribus. Nuntiata sunt verba quæ Vurfandus quasi leuiter protulerat, nescio à quo Hastingo duci paganorum. Non multo post interiecto tempore, C datísque quingentis vaccis Salomon pacem cum Nortmannis fecit, & acceptis obsidibus cùm redire in regnum disponeret, legatus Hastingi eum taliter alloquitur: Nuntiatum est domino meo, te tantum virum habere qui se iactet, quod te receden- « te solus cum suis hoc in loco audeat remanere. Si ergo tantus est, quantus sibi vide- « tur, incunctanter remaneat, quia dominus meus vult eum videre, audacísque viri « desiderat notitiam habere. Interrogatus autem Vurfandus à rege, vtrum tale ali- « quid professus esset, respondit se talia dixisse, & hæc eadem facere velle, protinusque licentiam ibi remanendi petit. Cùm à Principe obiurgatus, cur tam fatua obstinatione detentus, prouerbiis inaniter in ventum prolatis, vellet mori, suósque morti tradere, nullatenus acquieuit, asserens nisi remanendi licentiam daret, nequaquam illi fidelis in reliquum foret. Sed cùm Salomon irreuocabilem eius animum perspexisset, dare ei solatium ex suis satellitibus voluit: quod renuit suscipere, affirmans, si alios quam suos secum haberet, iam non esse vera quæ spoponderat. Rex cum omnibus copiis in regnum recessit, & Vurfandus in eodem loco cum ducentis ferè viris remansit, ibique quinque diebus expectauit. Sexta nocte Hastingus quen- D dam captiuum absoluit à vinculis, & eum ad Vurfandum direxit, mandans vt sibi ad vadum cuiusdam torrentis inter tertiam & secundam superuenientis diei horas occurreret, vt mutuis colloquiis fruerentur. Qui nihil cunctatus, arma corripere sociis imperat, & ad condictum locum absque mora pergit, prospiciénsque vadum torrentis inter suos & aduersarios quasi limitem fore, nullo modo ibi consistere voluit, sed transuadato gurgite vltro obuiam hostibus procedit. Nortmanni admirantes animositatem & audaciam viri, ab eo declinauerunt, nec eum bello lacessere ausi sunt. Ille autem vsque ad horam sextam intrepidus expectans, cùm neminem aduersæ partis venire cerneret, cum suis ad propria reuersus est. Nec illi animus minus in mortem inuictus, quàm in hostem fuit. Denique post peractam victoriam morbo grauiter ad extremum deducitur. cuius valetudinem cùm persensisset Pasquitanus, resumptis viribus; fautores eius bello aggreditur. qui perterriti timore ad ducem confugiunt, & cum lachrymis ei minas Pasquitani aperiunt, petentes contra imminens periculum consilium. At ille hortatur, vt aduersus hostem audacter procedat,

suum vexillum ferentes, pollicetúrque victoriam. Qui cùm respondissent, sine eius praesentia non audere cum aduersariis congredi, spiritum qui vna cum viribus corporis iam pene effugerat, resumens, quia nec pedibus neque equo poterat ire, iubet se in lecto portari, ante aciem inimicorum exponi, & sic subire certamen. Quod cùm satellites fecissent eius, mox hostes in fugam versi sunt. Patrata victoria, eum cùm reportare vellent domum, inter manus militum, spiritum qui tantummodo in pectore palpitabat, exhalauit. Paucis autem interpositis diebus, Pasquitanus & ipse defunctus est. Post horum duorum continuas mortes, Iudichail ex filia Herispoij regis natus, & Alanus frater memorati Pasquitani, Britanniam inter se partiti sunt: inter quos etiam multa iurgia & bella fuerunt. Sed Iudichaile in praelio, quod contra Nortmannos magis audacter quàm prouidè gesserat, interempto, in ditionem Alani omnis Britannia concessit, qui & hanc strenuè hactenus gubernat. A

879. Anno Dominicae incarnationis DCCCLXXIX. Ludouicus qui Austrasiis imperabat, cùm in regnum reuerteretur, repentè obuiam habuit Nortmannorum innumeram multitudinem, iuxta Carbonariam, in loco qui vocatur Thimnin, cum ingenti praeda ad classem repedantem, cum quibus absque mora conflixit; &, Deo propitiante, maximam ex eis partem gladio prostrauit. Reliqui fuga dilapsi in fiscum regium se communiunt, vbi Hugo filius Regis ex pellice natus, cùm incautiùs dimicaret, grauiter vulneratus ab hostibus rapitur, & inter aduersariorum arma cecidit. Rex existimans, quòd adhuc filius viuus ab inimicis seruaretur, exercitum ab impugnationis infestatione iubet cessare, vt quocumque pacto illum incolumem recipere posset. Interea nox desuper veniens, Regem cum suis redire ad castra compulit. Nortmanni cadauera suorum flammis exurentes noctu diffugiunt, & ad classem dirigunt gressum. Rex diluculo consurgens, cùm filium extinctum reperisset, nimio dolore afficitur. Corpus eius in loculo compositum ad Loresheym Monasterium imperat deferri. B

881. Anno Dominicae incarnationis DCCCLXXXI. Nortmannorum classis Vvalam fluuium ingressa, Neumago palatio regio applicuit, ibique castra posuit. Quod factum cùm ad notitiam Ludouici perlatum est, absque dilatione cum exercitu venit, & munitionem obsidione clausit. Conserto nonnullis diebus certamine, non adeo praeualuit, quia palatium ingentis magnitudinis mirique operis hostibus tutissimum praebebat receptaculum. In qua congressione captus est aduersarius Eberhardus Saxo filius Meginardi comitis, & captiuus ducitur, quoad postea mater Enesse magno pretio dato incolumē recepit. Postremo rex, accepta pollicitatione, quod si ab obsidione cessaret, Nortmanni continuo è regno eius decederent, cum omnibus copiis recessit. Illo recedente, pagani palatium vna cum munitione exurentes flammis, nauibus ascensis ostia Rheni repetunt. Item eodem anno, mense Nouembri, duo reges Nortmannorum Godefridus & Sigefridus cum inaestimabili multitudine peditum & equitum consederunt, in loco qui dicitur Hassou iuxta Mosam, & primo quidem impetu finitima loca depopulantes, Leodium ciuitatem, Traiectum castrum, Tungrensem vrbem incendio cremant. Secunda incursione Ribuariorum finibus effusi, caedibus, rapinis, ac incendiis omnia deuastant, Coloniam Agrippinam, Bonnam ciuitates, cum adiacentibus castellis, scilicet Tulpiacum, Vilipiacum, & Nuis igne comburunt, post haec Aquis palatium. Iidem Amalimundarias & Stabulum monasteria in fauillam redigunt. C D

882. Anno Dominicae incarnationis DCCCLXXXII. Arduennam percurrentes Prumiam monasterium ingrediūtur ipso die Epiphaniae Domini, vbi triduo cōmorantes, omnem in circuitu regionem depopulati sunt. In quo loco innumera multitudine peditum ex agris & villis in vnum agmen conglobata, eos expugnatura aggreditur, sed Nortmanni cernentes ignobile vulgus non tantum inerme, quantum disciplina nudatum, super eos cum clamore irruunt, tantáque caede prosternunt, vt bruta animalia, non homines mactari viderentur. His itaque patratis, onerati praeda ad castra redeunt. Illis discedentibus, ignis qui in diuersis habitaculis accensus remanserat, cùm nullus esset qui eum extingueret, monasterium consumpsit.

Dum haec aguntur, Ludouicus Rex morbo grauatus, apud Frankfurt moritur XIII. Calendas Septembris. Sepultus est in Loresheym iuxta patrem in Coenobio. Nortmanni audita morte Regis, nimio exultabant tripudio. Etiam non de con-

A flictu, sed de præda cogitant. Igitur cum omni admiratione exiliunt, & Treuirorum nobilissimam ciuitatem Galliarum Nonas Aprilis, die sacratissimæ Cœnæ Domini occupant, in qua vsque sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes; omne tentorium vrbis circumquaque vsque ad solum demoliti sunt: deinde ciuitatem flammis exurentes, Mediomatricum dirigunt aciem. Quod cùm reperisset eiusdem vrbis Episcopus Vvalo, adiuncto sibi Bertolfo Episcopo & Adalhardo Comite, vltro illis obuiam ad pugnam procedit. Inito certamine, Nortmanni victores extiterunt. Idem Vvalo Episcopus cecidit, cæteri fugerunt. Pagani iter quod ceperant, deserentes, cum ingenti præda summa celeritate ad classem reuertuntur.

Ea tempestate Carolus Imperator in Italia morabatur, vbi diuersis legationibus Germaniæ ac Galliæ pulsatur, vt ad suscipienda regna sibi hæreditario iure competentia festinaret, & periclitanti imperio succurreret: quod capite amisso, ludibrio hostibus erat. Qui nihil tardatus, cum omnibus copiis in Franciam venit, & cum B Langobardis, Baioariis, Alemannis, Thuringis, Saxonibus, Frisonibus & omnibus regnis suæ ditioni subditis, Nortmannos in supradicto loco obsidere exorsus est: sed conatus eius paruum effectum obtinuit, quanquam (vt diximus) ex diuersis regnis & gentibus inæstimabilis multitudo in vnum confluxit, indignatione cælesti super populum Christianam religionem profanantem desæuiente. Nouissimè rex Godefridus Nortmannorum ea conditione Christianum se fieri pollicetur, si ei munere Regis Frisia prouincia concederetur, & Gisla filia Lotharij in vxorem daretur. Qui, vt optauit, adeptus baptizatus est, & ex sacro fonte ab Imperatore susceptus. Sigifrido & reliquis Nortmannis immensum pondus auri & argenti expositum est, & tali tenore fines regni excedunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIV. Nortmanni qui ab Haslou recesserant, Sonum fluuium intrant, ibique consederunt. quorum creberrimas incursiones cùm Carolomannus sustinere non posset, pecuniam pollicetur, si à regno eius recederent. Mox auidæ gentis animi ad obtinendam pecuniam exardescunt, & XII. millia pondera argenti puri atque probati exigunt, totidémque annis pacem promittunt. Accepta tam ingenti pecunia, funes à littore soluunt, naues conscendunt, & marina littora repetunt. Interea Carolomannus venatum perrexit, vbi & ab apro grauiter vulneratus, post modicum vitam cum regno amisit, sepultúsque est apud sanctum Dionysium. Aiunt autem quidam, quod à quodam suo satellite improuidè arma ferente vulneratus fuerit; & quia non sponte, sed inuitus hoc facinus commiserat, idcirco à Rege celatum est, ne innoxius morti traderetur. 884.

(C at "cem promittunt" line.)

Nortmanni, cognita morte Regis, protinus in regnum reuertuntur. Itaque Hugo Abbas & cæteri proceres legatos ad eos dirigunt, promissionem & fidem datam violatam esse proclamant. Ad hæc illi respondent, se cum Carolomanno rege, non cum alio aliquo fœdus pepigisse: quisquis ille esset qui in regnum eius succederet, eiusdem numeri & quantitatis pecuniam daret, si quietè ac pacificè imperium tenere vellet. Territi huiuscemodi mandatis optimates regni, ad Carolum Imperatorem missos dirigunt, eúmque vltro in regnum inuitant, eique aduenienti ad Gundolphi villam obuiam procedunt, & manibus sacramentísque iuxta morem datis, eius ditioni se subdiderunt.

D Eodem anno Nortmanni, qui in Chinheym & Denemarcam venerant, adsentiente Godefrido, Rhenum nauigio ascendunt, & Dinsburch oppido occupato munitionem in eodem loco more solito construunt, & in ea tota hyeme resident. Contra quos Henricus dux castra posuit, & nullatenus prædas agere permisit. Redeunte vernali tempore, castris exustis, ad maritima loca se recipiunt.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVI. Nortmanni à Sono fluuio exeunt, & rursus in regno Lotharij reuertentes, in loco qui dicitur Louen, castra sedésque statuunt, scilicet in confinio vtriusque regni, & continuis incursionum infestationibus vtraque regna fatigant, ad quorum ingenitam malitiam compescendam, Imperator semel & iterum exercituum misit, sed nihil dignum aduersus tantam violentorum rapacitatem actum est. 886.

Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVII. Nortmanni à Louen recedentes Sequanam ingrediuntur, Parisiis applicantes castra ponunt, & ciuitatem obsidione claudunt; contra quos Imperator Henricum ducem cum exercitu vernali 887.

tempore dirigit,sed minime præualuit. Erant enim (vt ferunt) xxx. & eo amplius aduersariorum millia,omnes pene robusti bellatores. Denuo æstiuo tempore antequam segetes in manipulos redigerentur, idem Henricus cum exercitibus vtriusque regni Parisios venit,& circunstantibus legionibus ipse cum perpaucis propius accedens,munitionem circuit,situm loci contemplatur,aditúmque perquirit, quo exercitui cum hostibus minus periculosus pateret congressus. Porro Nortmanni audientes appropinquare exercitum,foderunt foueas latitudinis vnius pedis & profunditatis trium in circuitu castrorum,eásque quisquiliis & stipula operuerant, semitas tantum discursui necessarias intactas reseruantes.Pauci igitur latrunculi, qui latitabant in concauis viarum itineribus, videntes Henricum appropinquantem, cito surgunt à locis quibus delituerant, prouocántque virum, telis & voce lacessunt.Ille animi magnitudine indignitatem non ferens, super eos irruit, & mox incertis foueis equus cui insidebat impegit, & cum ipso in terram corruit: hostes summa cum festinatione aduolantes,antequam à loco eleuaretur,eum in terra confodiunt,& aspiciente vniuerso exercitu, absque mora eum trucidant, arma auferunt,& spolia ex parte diripiunt.Agminibus autem impetum facientibus, vix cadauer exanime eruitur,& à suis vsque Suessionis deportatur,in basilica sancti Medardi sepelitur.Exercitus amisso duce ad propria reuertitur.

Eodem tempore Hugo Abbas,magnæ pietatis vir & magnæ prudentiæ, Aurelianis moritur,& apud sanctum Germanum Autissiodoro tumulatur. Ducatus quem tenuerat & strenuè rexerat, Odoni filio Rudberti ab Imperatore traditur, qui ea tempestate Parisiorum Comes erat, & cum Gozzilino eiusdem vrbis Episcopo cōtra Nortmannorum assiduam impugnationem ciuitatem totis viribus tuebatur.His etiam diebus prædictus Gozzilinus Episcopus inter ipsas obsidionum pressuras migrauit à seculo,in cuius loco substitutus est ab Imperatore Haschiricus Episcopus. Post hæc Imperator Galliarum populos perlustrans, Parisios cum immenso exercitu venit,ibique aduersus hostes castra posuit:sed nil dignum imperatoria maiestate gessit.In eodem loco ad extremum,concessis terris & regionibus quæ vltra Sequanam erant,Nortmannis ad deprædandum,eo quod incolæ illarum sibi obtemperare nollent, recessit.

888. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVIII. Nortmanni, qui Parisiorum vrbem obsidebant,miram & inauditam rem non solùm nostra,sed etiam superiore ætate fecerunt. Nam cùm ciuitatem inexpugnabilem esse persensissent, omni virtute,omníque ingenio laborare cœperunt, quatenus vrbe post tergum relicta,classem cum omnibus copiis per Sequanam fluuium ingredientes, Burgundiæ fines absque obstaculo penetrarent. Ciuibus autem omni instantia prohibentibus ascensum fluminis,naues per siccum plusquam duorum passuum millibus trahunt. Taliter declinato omni periculo, iterum eas Sequanæ fluentis immergunt. Post paululum Sequanam relinquentes,Hionnam,vt disposuerant,& sub omni celeritate nauigantes,Senonis applicuerunt,ibíque castris positis,per continuos sex menses eandem vrbem obsidione claudunt,totámque pene Burgundiam rapinis, cædibus, ac incendiis demoliuntur.Sed ciuibus fortiter repugnantibus,Deo protegente, nequaquam præfatam ciuitatem capere potuerunt,quanquam omni laborum sudore, omniúmque artium & machinamentorum ingenio id multipliciter pertentassent.

889. Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIX. Nortmanni à Senonica vrbe recedentes,denuo Parisios cum omnibus copiis deuenerunt. Et cùm illis decursus fluminis à ciuibus omnino inhiberetur,rursus castra ponunt, ciuitatem totis viribus impugnant,sed Deo opem ferente nihil præualent. Transactis paucis diebus, iterum Sequanam cum classe ascendunt,& Matronam fluuium ingredientes, Trecas ciuitatem incendio cremant,& vsque Verdensem ac Tullensem vrbes, cuncta circunquaque depopulantur.

890. Anno Dominicæ incarnationis DCCCXC. Nortmanni à Matrona fluuio exeuntes Parisios reuertuntur. Et quia omnimodus descensus fluminis per pontem prohibebatur, tertio castra locant, & iterato certamine prædictam vrbem impugnant.Sed ciuibus (continuis enim operum ac vigiliarum laboribus indurauerant, & assiduis bellorum conflictibus exercitati erant) audacitèr reluctantibus, Nortmanni desperatis rebus naues per terram cum magno sudore trahunt: & sic alueum repetentes,

A repetentes, Britanniæ finibus classem traiciunt. Quoddam castellum in Constantiensi territorio, quod ad sanctum Lod dicebatur, obsident, & accessum ad fontem aquæ ex toto prohibentes, oppidanis siti arescentibus, fit deditio, eo pacto, vt vita tantùm concessa, cætera tollerent. Illis à munitione progressis, gens perfida fidem & promissa data prophanat, omnésque absque respectu iugulat, inter quos Episcopum Constantiensis Ecclesiæ interimunt.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCXCI. Nortmanni duobus continuis prælijs in Britannia grauiter attriti, in regnum Lotharij classem transferunt, & castrametati prædas exercent: contra quos Arnolphus rex exercitum dirigit, iubétque super Mosam tentoria figere, transitúmque fluminis hostibus prohibere. Sed antequam exercitus in vnum colligeretur ad condictũ locum iuxta castrum Traiectense, Nortmanni superiora tenẽtes, circa Leodium Mosam transierunt: & hostilẽ expeditionẽ à tergo relinquentes, in syluis & paludibus Aquis palatio contiguis disperguntur, obuios quosq; perimunt, palustra & vehicula, in quibus alimenta exer- 891.
B citui deferebantur, capiunt. Quæ fama cùm ad exercitum peruenisset, qui iam ipso die natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ pene in vnum conuenerant, non tam tremor quàm stupor mentes omnium occupauit. Principes verò concione conuocata non tam de periculo, quàm de re dubia consulunt: incerti, vtrum Ribuariorum fines intrantes Coloniam tenderent, aut per Prumiam transeuntes Treueros dirigerent gressum, vel certè congregata aduersum se multitudine pertimescentes transuadata Mosa ad classem festinarent. Inter hæc nox superueniens conuentum soluit. Postera die cùm aurora radios suæ lucis repræsentaret, omnes armantur, & leuatis vexillis per descensum fluminis ad pugnam gradiuntur. Cúmque torrentem, qui Gulid dicitur, transissent, acies pariter substiterunt. Dehinc deliberant, ne omnis exercitus incassum fatigaretur, quòd vnusquisque procerũ duodecim ex suis mitteret, qui in vnum agmen redacti hostes inuestigarent. Hæc sermocinantibus subito apparuerunt speculatores Nortmannorum. quos cùm omnis multitudo inconsultis ducibus confuso ordine insequerentur, peditum turmas in quadam villula offen-
C dunt, qui in vnum conglobati, facilè sparsim superuenientes repellunt, atque retrorsum redire cogunt. Deinde perstrepẽtibus secundum morem pharetris, clamor in cœlum tollitur, pugna committitur. Equites Nortmannorum, audito clamore, summa cum festinatione aduolant, & ingrauato prælio Christianorum exercitus, peccatis facientibus, heu proh dolor! terga vertit. In quo prælio Episcopus Moguntiæ vrbis Sunzo, & Arnolphus Comes occubuerunt, nec non innumera multitudo nobilium virorum. Nortmanni patrata victoria castra diuitiis omnibus referta inuadunt, & trucidatis quos in bello ceperant, onerati præda ad classem reuertuntur. Fuit verò hæc cædes facta VI. Calendas Iulij.

INTERIECTIS diebus Nortmanni ex superiori pugna elati, cum omni virtute ad deprædandum proficiscuntur, contra quos Rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes acies appropinquare, super fluuium, qui Thilia dicitur, ligno & terræ congerie more solito se communiunt, & cachinnis, & exprobrationibus agmina lacessunt, ingeminantes cum insultatione & derisu, vt memorarentur Guliæ,
D turpísque fugæ, cædísque patratæ, post modicum similia passuri. Rex felle commotus, exercitum iubet descendere, & pedestri congressione cum aduersariis decertare. Qui dicto citius ab equis desilientes, clamore exhortationis dato, præsidium inimicorum irrumpunt, & (Deo vires cœlitus administrante) eos vsque ad internecionem ferro cædunt, terræq; prosternunt, ita vt ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui ad classem aduersum nuncium reportaret. Rebus feliciter gestis Arnolphus in Bauariam reuertitur.

ANNO Dominicæ incarnationis DCCCXCII. mense Februario, Nortmanni, 892.
qui ad naues remanserant, Mosam transeuntes, Ribuariorum pagum ingressi, & secundum crudelitatem sibi ingenitam cuncta deuorantes, peruenerunt vsq; Bonnã. Inde digressi occupauerunt quandã villam quæ Landolfesdorff dicitur, vbi occurrit eis exercitus Christianorum: sed nihil dignum, quod virtuti ascribatur, egit. Nocte superueniente recesserunt Nortmanni à iam dicta villa, & formidantes hostilẽ impetum, nequaquam ausi sunt se committere planioribus atque campestribus locis: sed syluas semper tenentes, exercitum verò à læua post tergum relinquẽtes, quanta

poterant velocitate ad Prumiam Monasterium aciem dirigebant, ipsisque iam irruentibus Abbas & congregatio fratrum vix fuga dilapsi sunt. At Nortmanni Monasterium ingressi omnia depopulati sunt, & quosdam ex Monachis interficientes, plurimámque familiam trucidantes, reliquos captiuos abduxerunt. Inde exeuntes Arduennam intrant, vbi quoddam castrum in quodam praeeminenti monte nouiter constructum, in quo innumera multitudo vulgi confugerat, adgrediuntur, & absque mora expugnant. Interfectis omnibus cum ingenti praeda ad classem redeunt, oneratísque nauibus cum omnibus copiis transmarinas repetunt regiones. A

ANNALIVM

IN FVLDENSI MONASTERIO SCRIPTORVM EXCERPTVM, B

DE DANIS ET NORMANNIS.

808. ANNO DCCCVIII. GODOFRIDVS Rex Danorum Abodritos bello aggressos quamuis multis afficeret malis, cum magno tamen copiarum suarum detrimento rediit, Reginoldo filio fratris sui, & optimis militum suorum & manu promptissimorum amissis.

810. ANNO DCCCX. Imperator Aquisgrani adhuc agens, & contra Godofridum Regem expeditionem meditans, nuncium accepit classem ducentarum nauium de Normannia Frisiam appulisse, totásque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas, iámque exercitum illum in continenti esse, ternáque praelia cum Fresonibus commisisse, Danósque victores tributum victis imposuisse; & vectigalis nomine cetum libras argenti à Fresonibus esse solutas, Regem verò Godofridum domi iam esse. Et reuera ita erat. *Et paulo post.* Classem, quae Frisiam vastabat, domum egressam, & Godofridum Regem à quodam suo satellite interfectum narratur. C

812. ANNO DCCCXII. Sigifridus nepos Godofridi Regis, & Anulo nepos Herialdi, succedere volentes, cùm inter eos de primatu conuenire non posset, commisso praelio ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoriam, Herialdum & Raginfridum fratres eius Reges sibi constituit. Quod necessariò pars victa concessit. In eo praelio x. millia DCCCXL. viri cecidisse referuntur.

Eodem anno, classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis praelio superatur.

815. ANNO DCCCXV. exercitus Francorum à Ludouico Imperatore ad auxilium Herialdo Danorum Regi ferendum contra filios Godofridi in Normanniam missus, cùm aduersarij eis congredi non auderent, circumquaque vicinis pagis *, & acceptis popularium obsidibus XL. reuersus est. D

*f. depopulatis.

822. ANNO DCCCXXII. Ebo Remorum Episcopus genti Nordmannorum euangelizauit verbum Dei.

828. ANNO DCCCXXVIII. foedus cum Normannis factum, per negligentiam ruptum, & castra nostrorum à Normannis direpta sunt.

835. ANNO DCCCXXXV. Normanni Dorestadum vastauerunt, Andvverpiam ciuitatem incendunt, similiter & Vvitham emporium iuxta ostium Mosae fluminis, & à Frisionibus tributum acceperunt.

836. ANNO DCCCXXXVI. Normanni tributum exactantes in Vvalehram insulam venerunt, ibique Eggihardum eiusdem loci Comitem, & Hemmingum Halpdani filium cum aliis multis XV. Kal. Iul. occiderunt, & Dorestadum vastauerunt, acceptóque à Frisionibus tributo reuersi sunt.

837. ANNO DCCCXXXVII. Naues contra Normannos aedificabantur.

A Anno dcccxlv. Normanni regnum Karli vastantes per Sequanam vsque Parisios nauigio venerunt,& tam ab ipso quàm incolis terræ accepta pecuniâ copiosa,cum pace discesserunt. In Frisia quoque tribus præliis conflixerunt. In primo quidem victi,in secundis verò duobus superiores effecti magnam hominum multitudinem prostrauerunt. 845.

Anno dcccxlvii. Normanni Dorestatum incendentes vastauerunt. 847.

Anno dcccl. Rorvc natione Normannus,qui temporibus Hludovvici Imperatoris cum fratre Harialdo vicum Dorestadum iure beneficij tenuit, post obitum Imperatoris,defuncto fratre,apud Lutharium,qui patri successit in regno,proditionis crimine falsò,vt fama est,insimulatus, tentus,& in custodiam missus est. Vnde fugâ lapsus in fidem Hludovvici Regis Orientalium Francorum veniens,cùm per annos aliquot ibi moraretur,& inter Saxones,qui confines Normãnis sunt,mansitaret; collecta Danigenarum non modica manu, cœpit piraticam exercere,& loca regni Lutharij Septentrionalis Oceani littoribus contigua vastare. B Venitque per ostia Rheni fluminis Dorestadum , & occupauit eam atque possedit. Et cùm à Luthario Principe sine periculo suorum non posset expelli, cum consilio Senatus Legatis mediantibus in fidem receptus est;ea conditione,vt tributis cæterisque negotiis ad Regis ærarium pertinentibus fideliter inseruiret,& piraticis Danorum incursionibus obuiando resisteret. Normanni Godafrido duce per Sequanam ascendentes regnum Karli prædantur. Ad quorum expulsionem Lutharius in auxilium vocatus,cùm sibi pugnandum esse cum hoste putaret, Karlus clam mutato consilio Godafridum cum suis in societatem regni suscepit,& terram eis ad inhabitandum delegauit. Lutharius verò aduentum suum illò superuacuum videns, ad propria reuersus est. 850.

Anno dccclii. Genaldvs Normannus, qui superioribus annis iram Domini sui Horvc Danorum Regis fugiens,ad Regem Hludovvicum se contulit,ab eo benignè susceptus, baptizatus , ac fidei sacramentis imbutus est : cùm per plures annos honorificè inter Francos haberetur , tandem Principibus Borealium partium,& custodibus Danici limitis,quasi lubricæ fidei , & molimine proditionis C cœpit esse suspectus. Vndè & ab eis occisus est. 852.

Anno dcccliii. Normanni per Ligerim fluuium venientes Turonum Galliæ ciuitatem prædantur,& inter alias ædes,Ecclesiam quoque S.Martini Confessoris,nemine resistente , succendunt. 853.

Anno dcccliiii. Normanni,qui continuis xx. annis regni Francorum fines per loca nauibus accessibilia cædibus & incendiis atque rapinis crudeliter vastabant,congregati de regionibus,per quas prædandi cupiditate dispersi fuerant, in patriam suam reuersi sunt. Ibique inter Horvc Regem Danorum,& Gvdvym * filium fratris eius , qui eatenus ab eo regno pulsus piratico more vixit , orta contentione,ita se mutua cæde mactauerunt,vt vulgus quidem promiscuum innumerabile caderet ; de stirpe verò regia nisi vnus puer nullus remaneret, Domino Sanctorum suorum iniurias vlciscente , & aduersariis digna factis retribuente. 854. * al. Gudurm.

Anno dccclvii. Rvorvc Normannus, qui præerat Dorestado , cum D consensu domini sui Lutharij Regis classem duxit in fines Danorum, & consentiente Horico Danorum Rege,partem regni , quæ est inter mare & Egidoram, cum sociis suis possedit. 857.

Anno dccclxvii. Rvodbertvs Karoli Regis Comes apud Ligerim fluuium contra Normannos fortiter dimicans occiditur , alter quodammodo nostris temporibus Machabæus. Cuius prælia, quæ cum Brittonibus & Normannis gessit, si per omnia scripta fuissent, Machabæi gestis æquiparari potuissent. 867.

Anno dccclxxiii. venerunt Vvormatiam Sigifridi Danorum Regis Legati,pacis faciendæ gratia inter illos, & Saxones. Rex circa Kal. Maij Moguntiacum veniens,per alueum Rheni fluminis nauigio vectus Aquense Palatium petiit, ibique cum suis secretum habuit colloquium , & Rorichvm per obsides ad se venientem in suum suscepit dominiũ. Deinde mense Augusto,cùm apud vrbem Mediomatricorũ generalem cõuẽtum habuissent, Halbdeni frater Sigifridi Regis etiã suos ad eum nuncios misit,eadẽ postulãs quæ frater suus postulauerat,videlicet vt Rex legatos suos ad fluuium nomine Egidoram,qui illos & Saxones dirimit,mit- 873.

teret: & illi eisdem occurrentes, pacem ex vtraque parte omni tempore stabilem A
confirmarent. Obtulerunt quoque iidem nuntij gladium Regi pro munere, aureum habentem capulum; obnixè flagitantes, vt Rex dominos suos, supradictos scilicet Reges, in loco filiorum habere dignaretur, & illi eum quasi patrem venerari vellent cunctis diebus vitæ suæ. Iurabant etiam iuxta ritum gentis suæ per arma sua, quòd nullus deinceps de regno dominorum suorum regnum Regis inquietare, aut alicui in illo læsionem inferre deberet. Quæ omnia Rex gratanter accepit, & postulata se facturum spopondit.

MENSE Iunio HRVODVLPHVS quidam Normannus de regio genere, qui regnum Karoli prædis & incendiis sæpenumerò vastauerat, classem duxit in regnum Hludouici Regis, in Comitatum scilicet Abdagi Regis. Missisq; nunciis, præcepit habitatoribus loci illius tributa sibi soluere. Qui cùm respondissent, se non debere tributa pendere, nisi Hludovvico Regi, eiúsque filiis, & se nequaquam in hoc negotio ei assensum esse præbituros; ille vehementer iratus iurauit præ superbia, se, B
cunctis maribus occisis, mulieres & paruulos cum omni substantia illorum, in captiuitatem esse ducturum, ignarus vindictæ quæ eum de cælo erat secutura. Statimque terram illorum ingressus, bellum aduersus eos instaurauit. Illi autem Dominum inuocantes, qui eos sæpiùs ab hostibus liberauit, hosti infestissimo armati occurrerunt, insertoq; prælio, ipse Hruodulphus cecidit primus, & cum eo octingenti viri. Ceteri verò, cùm ad naues effugere nõ potuissent, in quodã ædificio se tutati sunt. Quod Frisiones obsidentes, conferebant inter se quid de eis facere debuissent. Cúmque diuersi diuersa dixissent, vnus Normannus qui Christianus effectus longo tempore cum eisdem Frisionibus conuersatus est, & eiusdem certaminis
» dux erat, cæteros hoc modo affatus est: O boni commilitones, sufficit vobis huc vs-
» que pugnasse, quia quod modo nos pauci contra plurimos præualuimus hostes, non
» nostris deputandum est viribus, sed Dei gratiæ. Scitis etiam quòd oppidò lassi su-
» mus, & plurimi nostrûm grauiter vulnerati. Isti autem, qui hîc intus latitant, in de-
» speratione positi sunt. Si contra eos pugnare cœperimus, non eos sine cruenta obti-
» nebimus victoria. Si autem illi fortiores extiterint, (varius enim euentus est prælij) C
» forsitan nobis expugnatis, securi discedent iterum morituri. Consultius ergo mihi
» videtur, vt obsides ab eis accipiamus, & quosdam ex illis inlæsos abire patiamur ad
» naues; & obsides interim retineamus, donec mittant vniuersam pecuniam, quam
» in nauibus retinent: priùs tamen præstito sacramento, ne vltra in regnum Hludo-
» vvici Regis redeant. Huius itaque consilio cæteri assenserunt, & obsidibus acceptis, quosdam ad naues ire permiserunt. Illi autem miserunt pecuniam valde multam, & obsides quos dederant receperunt; priùs autem, vt dixi, præstito sacramento, ne vltra in regnum Hludovvici Regis redirent. Ac deinde cum magna confusione, ac suo detrimento, etiam sine duce, à finibus illis discesserunt.

876. ANNO DCCCLXXVI. Frisiones, qui vocantur Occidentales, cum Normannis dimicantes, victores extiterunt; omnésque thesauros, quos Normanni plurima loca spoliando congregauerant, abstulerunt, atque inter se diuiserunt.

880. ANNO DCCCLXXX. Rex Hludovvicus ad expugnandos Normannos, qui in Scalta fluuio longo tempore resederunt, conuertit exercitum; initóque certamine, D
plus quàm quinque millia ex eis prostrauit. In quo prælio HVGO filius Regis occubuit. In Saxonia cum Normannis infeliciter dimicatum est. Nam Normanni superiores existentes duos Episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrih & Marcvvart, & XII. Comites his nominibus appellatos, Brun Ducem & fratrem Reginæ, Vvigmanum, Bardonem, alterum Bardonem, & iterum Bardonem, Thiotherium, Gerricum, Luntolfum, Folcvvartum, Auan, Thiotricum, Lutharium, cum omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. Præterea XVIII. satellites regios cum suis hominibus prostrauerũt; exceptis innumerabilibus, quos in captiuitatem duxerunt.

Eodem anno, Normanni in Gallia prædas & incendia exercent. Inter plurima loca & Monasteria, quæ depopulati sunt, etiam Baiorzuna, vbi pars maxima Frisionum habitabat, incendio concremarunt. Et indè reuertentes, Nouiomagum vallo firmissimo & muris circumdantes, hiemandi sibi locum in Palatio Regis parauerunt. Quibus Rex Hludovvicus cum manu valida occurrit, & propter hiemis asperitatem, & loci firmitatem, rebus parùm prosperè gestis reuersus est.

A ANNO DCCCLXXXI. Nepos Regis Hludovvicus cum Normannis dimicans nobiliter triumphauit. Nam nouem millia equitum ex eis occidisse perhibetur. At illi instaurato exercitu, & amplificato numero equitum, plurima loca in regione Regis nostri vastauerunt; hoc est, Cameracum, Traiectum, & pagum Hasbanicum, totamque Ripuariam: præcipua etiam in eis Monasteria, id est, Prumiam, Indam, Stabulam, Malmundarium, & Aquense Palatium; vbi in Capella Regis equis suis stabulum fecerunt. Præterea Agrippinam Coloniam & Bunnam ciuitates cum Ecclesiis & ædificiis incenderunt. Qui autem indè euadere potuerunt, siue Canonici, siue Sanctimoniales, Moguntiacum fugerunt, thesauros Ecclesiarum, & Sanctorum corpora secum portantes. Rex apud Franconofurt graui infirmitate laborabat. Et quia ipse non potuit, exercitum suum contra Normannos destinauit. 881.

ANNO DCCCLXXXII. Hludovvicus inualescente morbo XIII. Kal. Decemb. diem vltimum clausit. Quod audiens exercitus, qui contra Normannos fuerat missus, ab expugnatione hostium desistens, infecto negotio rediit. Quorum Normanni indè transeuntium vestigia secuti, cætera quæ prius diuiserant incendio cremauerunt vsque ad Confluentem castellum, vbi Mosella Rhenum ingreditur. Murus Moguncïæ vrbis restaurari cœptus, & fossa murum ambiens extra vrbem facta. Normanni de sua munitione egressi, Treuerensem vrbem inuaserunt, & habitatoribus vrbis partim expulsis, partim occisis, totam in Non. April. incenderunt. Quibus Vvalah Mettensis Episcopus, incautè cum paucis occurrens, occisus est. Normanni, ereptis quas poterant rebus omnibus, ac quàm pessimè, & visui * horribilior erat, quibusdam locis & Ecclesiis dimissis, quibusdam concrematis, reuersi sunt in suam munitionem, quæ circumsepta constabat secus littus Mosæ fluminis, loco qui dicitur Ascloha, de Rheno milliar. XIIII. Karolus quippè cùm audisset obitum fratris sui maioris, de Italia per Baioariam iter suum in Franciam direxit, placitum generale ad Vvormaciam tenuit, receptis primoribus & regno fratris sui mense Maio. Post hæc, præparatis copiis ex omni regno suo, Longobardis, Alamannis, Francisque secum assumptis, ille ex Occidentali parte contra Normannos; Baioarij ex Orientali Rheni fluminis vsque ad Autriuacha tandem se transmiserunt. Ibi diuiso exercitu, Baioarij cum Principe eorum Arnulpho, Franci cum Heinrico missi manu cum valida ante Regem & exercitum; vt quasi incautos & inæstimantes quandam partem inimicorum extra munitionem inuenirent, & insidiis caperent, secundum illum nobilissimi Poëtæ versum, 882. (B, C in margin)

Nil refert armis contingat palma, dolisve.

Et ita factum foret, ni nostri muneribus corrupti, vt fama refert, de parte Francorum proditores essent & impedirent. Sed tamen paucis occisis, reuersi sunt ad Regem. Redeuntibus illis, alio Rex arrepto itinere cum omni exercitu fines & munitionem Normannorum, ipsis cum eorum Regibus, id est SIGIFRIDO & GODEFRIDO, Principibus Vvrm, Hals, intus inclusis occupauit: castra exercitus in circuitu propè ciuitatem fieri præcepit, sicq; per dies XII. obsessam constrinxit. Mira itaque res, & stupenda obsidentibus & obsessis quadam die occurrit. Nam XII. Kal. Augusti post medium diem tenebrosa subitò caligo tota castra operuit, fulgure & D tonitru concrepante, & talis grando, vt nullus antea mortalium se tale quid vidisse profiteretur: non, vt solitum est, lapides descendere plana & æquali superficie, sed cornuta & inæquali & aspera facie, omnibus cernentibus insolitum & magnum præbuit spectaculum. Mirabile & incredibile dictu! vt vix grossitudo eorum potuerit pollice & medio circumdari. Nam & ita equi stupefacti fuerunt, vt effractis sudibus & habenis, partim extra castra, partim in castris errore & stupore versarentur. Ciuitatis quoque, quam obsederant, propter impetum aëris, magna pars corruit, ita vt vna cohors coaceruatim posset equitando ingredi, nisi vallo, quod circumierat, suspensa constaret. Igitur per tot dies obsidens tam magnus exercitus æstiuo in tempore, propter putredinem cadentium hominum ægritudine correptus ac pertæsus est. Nec minus inclusi simili molestiâ premebantur. Consultum est ex vtraque parte, vt datis ex nostra parte obsidibus, Sigifridus Rex, qui manu validior erat, veniret extra munitionem supra sex milliaria ad Regem. Primùm iuramento contestatus est, quòd ex illa hora & vltra vsquedum Karolus Imperator viueret, numquam in suum regnum hostili præ-

datione esset iturus. Dehinc Christianitatem professus, ipsum Imperatorem patrem in baptismate acquisiuit. Duos ibi dies læti insimul versabantur, cùm remissis nostris obsidibus de munitione, ipse econtrario cum maximis muneribus remissus est ad sua. Munera autem talia erant. In auro & argento bis mille libræ, & LXXX. vel paulò plus: quam libram per XX. solidos computamus expletam. Ita compositis rebus regrediens, etiam Rex in Confluente castello cuncto exercitui amabilem licentiam redeundi concessit. A

883. ANNO DCCCLXXXIII. Heinricus frater Popponis, scilicet cùm Normannorum manum validam Prumiam venire cognoscit, vsque eos (vt dicunt) nullo euadente, cum suis, ad internecionem deleuit; & ille verò vulneratus euasit.

885. ANNO DCCCLXXXV. Gotafridus Rex accusatur, vt in regnum Francorum cum Normannis consuleret; ab ipsis etiam accusatoribus occisus est.

886. ANNO DCCCLXXXVI. post Pascha habito generali Papiæ conuentu Imperator per Burgundiam obuiam Normannos in Galliam, qui tunc Parisiis erant, vsque peruenit. Occiso ibi Henrico Marchensi Francorum, qui in id tempus Neustriam tenuit. Rex parùm prosperè actis rebus, reuertitur in sua.

891. ANNO DCCCXCI. Normanni fines Occidentalium Francorum inuadentes, B quid * ad defendendum exercitus à Francia dirigitur. Ibi Sundaroldus Moguncia-censis Archiepiscopus incautè illis occurrens, interfectus est. In cuius locum Haddo Abbas Augensis Cœnobij, homo subtilis ingenij, Antistes constituitur. Arnolfus ergo Rex ob hoc vlciscendum in Normannos cum Francis Alamannico exercitu, inutile, secum assumpto, iter arripuit. Sed Alamanni quidem ægrotantes à Rege domum relapsi sunt: ipse cum Francis ad Occidentem prosperè profectus est. Normanni, deuastata ex maxima parte Hlotharici regni regione propè fluuium Clyla, loco qui dicitur Louonnium, sepibus (more eorum) munitione capta, securi consedêrunt. Ex improuiso enim Rex & exercitus peruenêre ad eundem locum. Transito igitur celeriter eodem fluuio, nec mora, meditatum est, prælium applicari. Cunctati namque Regi, ne tam valida manus periclitaretur, quia interlatente palude, ex parte vna, ex altera circumfluente ripa, non donatur facultas equitibus aggredi: oculis, cogitatione, consilio, huc illuc peruagabatur, quid consilij opus sit, quia Francis pedetentim certare inusitatum est. Anxiè meditans tandem heros primores Francorum aduocans sic alloquitur patienter: C

„ Viri Domini, recolentes, & semper sub Dei
„ gratia patriam tuendo fuistis inuincibiles; inspirate animis, si ab inimicis, quando
„ quidem more paganismo furentibus pium sanguinem parentum vestrorum effu-
„ sum vindicari recolitis, & sacra sub honore Sãctorum Creatoris vestri templa euer-
„ sa iam in patria vestra cernitis: ministros etiam Dei summo gradu consistentes pro-
„ stratos videtis. Nunc milites agite, ipsos sceleris factores ante oculos habentes, me
„ primum equo descendentem signa manu proferentem sequimini. Non nostram, sed
„ eius, qui omnia potest, contumeliam vindicantes, inimicos nostros in Dei nomine
aggredimur.

His incitati dictis, omnibus senibus & iuuenibus par voluntas & audacia, pedestre bellum aggredere * datur, priùs Regem flagitantes, vt equitando eos procuraret, ne quid eis pugnantibus à tergo insidiis inimicorum timendum sit. Clamor Christianis in cœlum attollitur, nec minus Pagani more suo clamantes, signa horribilia per castra mouebantur. Euaginatis gladiis ex vtraque, vt lapis ferro, in inuicem ad inuicem concursum est. Erat autem ibi gens fortissima inter Normannos D Danorum, quæ numquam antea in aliqua munitione & capta & superata auditur. Durè certatum est, sed non * indui, subueniente gratia Dei, victoria ad Christianos concessit. Normanni fugæ præsidium quærentes, flumen quod antea eis à tergo pro muro habebatur, pro morte occurrebat. Nam instantibus ex altera parte cæde Christianis, coacti sunt in flumen præcipitari. Coaceruatim se per manus & colla cruribúsque complectentes, in profundum per centena & millia numero mergebantur, itavt cadaueribus interceptum alueum amnis siccum appareret. In eo prælio cæsi sunt duo Reges eorum, Sigiffridus scilicet & Godafridus, regia signa XVI. ablata, & in Baiovvariam in testimonium transmissa sunt. Eodem in loco die * Kal. leitanias Rex celebrare præcipit. Ipse cum omni exercitu laudes Deo canẽdo processit, qui talem victoriam suis tribuit; vt vno homine tantùm occiso de parte Christianorum, quod compertum est, tanta millia hominum ex altera parte perierunt.

A

ALIA
VARIORVM CHRONICORVM EXCERPTA, DE NORMANNIS.

Ademarus Monachus S. Eparchij Engolismensis, in Chronico MS.

B IPSO tempore nunciatum est, naues Pyraticas XIII. à Nortmanniæ sedibus mare conscendisse, & prædatum nostros fines appellere. Contra quas Imperatoris circumspectio custodiam fieri cùm imperasset, à Flandrensi solo simul, & ostio Sequanæ repulsæ, in Aquitaniam sese verterunt, & vastato vico, cuius vocabulum BVIM, multáque oneratæ prædâ reuersæ sunt.

Normanni Herio insulam incendunt mense Iunio, & destituta est à generali 830.
Monachorum habitatione. Ibi fecerat domnus Imperator Karolus Monasterium S. Filiberti. Post annos quinque RAINOLDVS Comes Arbatilicensis mense 835.
Septembri cum Normannis in Herio insula dimicat, & fugatus est.

Anno sequenti corpus S. Filiberti de Insula Herio effoditur VII. Idus Iunij, & 836.
Burgundiam à Monachis perfertur.

Alio anno Siguinus Comes Burdegalensis & Sanctonicensis à Normannis captus & occisus est: & Sanctonas à Normannis concremata est, thesauris eius optimis exportatis. His temporibus Normanni diffusi sunt per Aquitaniam, quia Duces eius inter se bellis deciderant, nec erat qui eis resisteret. Et concrematæ sunt C ab eis Herio insula, & Monasterium Deas, Burdegala, Sanctonas, Engolisma, Lemouicas, Parisius, Turonis, Beluacus, Nouiomagum, Aurelianis, Pictauis, & innumera Monasteria & castella destructa.

RANNVLFVS Comes Pictauensis, & RAINO Comes Arbatilicensis consanguineus eius, cum Normannis in Briliaco villa dimicantes fugati sunt.

LVDOVICVS Rex frater Lotharij obiit, & Karolus Caluus in Imperatorem 876.
eleuatus est. Quo tempore grauissimè Normanni Aquitaniam affligebant. Monasterium quoque beati Eparchij ab infestantibus Paganis desolatum est, ita vt ibi nullus Monachorum habitaret, & hac de re Canonicalis habitus ibi reuerteretur, qui nuper exierat.

RODVLPHVS Rex Burgundiæ cum hoste fortissimo Lemouicinum appulit, & 888.
congregati sunt contra eum innumerabiles hostes Normannorum. Et commisso prælio in loco, qui dicitur ad Destritios * vsque ad internecionem deuastati sunt Pagani. Et exindè fugientes, non vltrà fiduciam præsumpserunt veniendi in Aquitaniam. D

* al. ad Districta.

Idem Ademarus in gestis Pontificum & Comitum Engolismensium, MS.

KAROLVS Caluus congregato Concilio Aquitaniam per Comites disposuit, Turpionem verò in Engolisma ciuitate misit, propter infestationem Normannorum. Post autem paucos dies Turpio Comes Engolismæ vltra Xantonas cum Normannis congressus est, & occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipse occiditur. Currentibus enim caballis ambo in pectoribus sibi lanceas configunt, & vitam relinquunt.

Vvlgrinus multis prælijs cum Normannis frequenter confligens hac de causa ædificauit castellum Mastacium & Marcilliacum in munitionem contra Paganos, misitque in Marcilliaco Robertum legis doctum, & amicum Ranulfum, quem fecit Vicecomitem.

A

Vetus Membrana Carrofensis Monasterij.

MORTVO Rege Karolo,&quibusdam Regibus,qui ei in regno successerãt vitâ exemptis; Odone autem,qui consilio Francorum,cùm esset Dux Aquitaniæ, Rex eleuatus fuerat,Principatum obtinente; NORMANNI gens non mediocriter perfida,à natiuo solo more formicarum ebullientes,fines Galliarum,& præcipuè Aquitaniam continuis improuisisque discursibus depopulabantur. Quorum metu accolæ regionis compulsi,ad munitiora superioris Æquitaniæ se cum suis contulêre loca. Karrofenses etiam Monachi sua quæque optima ad castrum sancti Iuonij, quod eis Eufrasia Comitis Rogeri vxor dederat, deportauêre, Dominicam Virtutem preciosioráque reliquiarum pignora penes se retinentes. Sed cùm vis persecutionis Normannorum magis magísque per regionem desæuiret, tandem ipsi cum
* i.Cruce. Dominica Virtute *,& his quæ secum retinuerant,vrbem Engolismam, quæ tunc temporis inter Aquitaniæ vrbes tum murorum ambitu,tum naturali loci situ munitior habebatur,petiuêre; ibíque, donec persecutio miseratione diuina refriguit, insimul habitauêre. B

Chronicum Monasterij S. Sergij Andegauensis, MS.

843. ANNO ab incarnatione Saluatoris DCCCXLIII.* mense Iunio, Normannorum ferox natio numerosa classe aducti, Ligerim fluuium, qui inter nouam Britanniam & vltimos Aquitaniæ fines in Occiduum mergitur Oceanum, ingrediuntur. Demum dato classibus zephiro ad vrbem Nanneticam, impiissimo Lamberto crebro exploratore præcognitam, celeri carbasorum volatu, pariter remorum impulsu contendunt. Quam mox nauibus egressi vndique vallant, & sine mora,nullo propugnatore capiunt,vastant,diripiunt. Alij quippe scalis murum subeunt,alij oppilatum olim aditum offendentes infringunt & penetrant. Porrò, ciuitatis Episcopus vocabulo GVIHARDVS,vir innocens & omni pietate repletus, Clerus omnis cum Monachis,qui ex vicino Cœnobio, cuius vocabulum est ANTRVM,quod ante fati amnis ictifero gurgite vndique cingitur, ad vrbem copiosum Ecclesiæ thesaurum habentes confugerant. Cúmque reliqua vulgi multitudine,quos vel metus hostis incluserat,vel Præcursoris, quæ inerat, Natiuitas non solùm ex vicinis regionibus,& vicis,sed etiam ex procul positis vrbibus attraxerat;cernentes intra mœnia hostem, certatim cuncti ad Templum Apostolorum Petri & Pauli,quod in vrbe nobilius & pulchrius erat,vtpote ignari certaminis, concurrerunt: obseratísque ostiis ædis,solum quod supererat cœlitùs auxilium anxiè flagitabant. At gentiles effractis ostiis,fenestrísque propulsis templum feraliter irrumpũt, imbellem pariter & inermem multitudinem gladio feriunt, tantáque crudelitate in Christi sæuiunt gregem,vt præter eos,quos suis captiuandi siue distrahendi gratiâ in naues transtulerunt,omnem multitudinem Sacerdotum, Clericorum, atque laïcorum,cum prædicto Antistite,intra Ecclesiam gladio sternerent. Monachorum verò quosdam extra alios, intra Ecclesiam, plerósque autem super ipsam Templi aram instar hostiæ trucidant: reliquos verò noctis crepusculo secum abducunt, classíque imponunt. Quis, proh dolor! illius diei dolorem explicare, quis explicando à lacrymis valeat temperare? quando mortuarum matrum cruorem pro lacte suggentes pendebant ad vbera nati; quando sanctorum sanguine hostili mucrone fuso templi pauimenta madent,altaria sacra innocẽtium cruore oblita fluũt? Post hæc,erasis omnibus opibus,cum gregibus captiuorum vtriusque ordinis & ætatis ad naues remeant: ad quorum postmodum redemptionem plurimum à cladis superstitibus collatum est. Quibus peractis,Cœnobium Insularum, de quibus suprà meminimus,Natalitio Apostolorum Petri & Paulis scaphis adeunt, vastant,incendunt. Quos ex tunc,præter intestinos,vsque in præsentem antedicti Regis annum, nullo propugnatore,vtpotè studiis in diuersa,imò peruersè tendentibus,terra maríque externos hostes assiduè patimur.

* Rhegino DCCCLIII. ī.

C

D

A

Ioannes Parisiensis, Canonicus S. Victoris, in Memoriali Historiarum, MS.

ANNO DCCCLXIII. corpus beati Guenaili Abbatis à Britannia propter timorem Northmannorum translatum in Gallias, Deique dispositione in castro Corboliensi receptum est à Comite HAYMONE, & in Ecclesia in honore ipsius à dicto Haymone Comite constructa honorificè collocatum est. Eodem tempore dicitur esse translatum corpus S. Exuperij apud Corbolium de vrbe Bajocacensi, & primò apud Paludellum villam super Exonam, & post apud Corbolium: vbi nunc, id est anno Domini MCCCXV. XVIII. & XIX. multis & mirandis claret miraculis. 863.

Auctor historiæ S. Viuentij, MS.

B EST memoriæ commendandum, qualiter post multiplices miraculorum claritudines à loco, vbi primitus reconditum beati Viuentij Confessoris corpus fuerat, ad alium translatum sit territorium. Nam cùm in Gallicanis, tum etiam in cæteris generalibúsque terrarum Prouinciis illud Apostoli impleretur præconium, *Superabundante iniquitate refrigescet charitas multorum*, subsecuta est tam dira, quàm frequens vltio in Christianos, per manus Paganorum. Denique exigentibus Paganorum cumulis, egressa à Septentrionali plaga Normannorum gens, gladio & igne consumpsit inferiorem Galliarum partem ad mare vsque.

ANNO quoque incarnationis Dominicæ DCCCLXVIII. post Ludouicum & 868.
cæteros præpotentes Reges, regnante Carolo minore, supra modum grassatæ sunt prædictorum infestationes Paganorum, deficientibus, tam Regum, quàm cæterorum nostrorum Principum ad repugnandum viribus. Ergo plebe passim gladio & fame pereunte, igne pariter cremabantur hominum res & ædificia quæque, præcipuáque Sanctorum loca, & vniuersæ Ecclesiæ. Earum verò Ministri, id est Clerici C & Monachi, crudeliùs damnabantur, altaria funditus euersa dehonestabantur, sepulchra etiam Sanctorum sine reuerentia violabantur. Siquidem clades, sicuti primitus, ita acerbiùs in insulis seu territoriis Occidentalibus ac mari contiguis desæuit; innumerabilia Sanctorum Confessorum ac Martyrum corpora propriis mausoleis per fidelium manus sublata ad alias confugij gratia delata Prouincias. Eo namque in tempore venerandus confessor & Christi Sacerdos VIVENTIVS in Pictauensi territorio, Grauione scilicet castello vetustrimo, quod ei deificæ Trinitatis clarissima tuba HILARIVS iubar Pontificium condonans perpetuò stabiliuit, honorificò quiescebat cultu. Cuius nempe ossa diligenter ipsius Monachi colligentes ob timorem prædictæ cladis, cum maximo vtriusque sexus famulantium comitatu, aliorúmque Sanctorum pignoribus ad Aruernensem detulerunt vrbem.

Auctor Vitæ S. Genulfi, lib. II.

D SIc itaque clandestino malo Francorum vacillante regno, ab externis etiam Cap. XVIII.
Galliæ nationibus affliguntur. Siquidem barbaries effera Nortmannorum, quæ interiora Oceani Britannici plagæ Septentrionalis incolere videbatur, nauali manu innumera de suis electa, ingentis pelagi Galliæ victum occupat limbum. Igitur ab ipsis incipiens oris, ac deinde cuncta peruadendo sese diffundens, Occidentales Gallias, & maximè Neustriam, & Aquitaniam depopulari cœpit. Idipsum verò multoties superioribus annis adgressi fuerant Nortmanni. Sed eis belligeri viri Duces locorum sæpius obstiterant, & eorum frequentes impetus sæpè Mauortia manu pepulerant. At ipsis etiam Ducibus inter se diuturno bello dissidentibus, ac vario rerum euentu nunc istis, nunc illis decidentibus, ita tellus nudata suis defensoribus perfacilè patuit externis peruasoribus. Quorum insania per cuncta, quæ visus ante sui faciem erat, feraliter incedens, obsistentes si qui fuerant interimere, victos captiuare, bona cuncta diripere, nulli mortalium parcere, diuina & humana suis ludibriis promiscua habere, sancta loca demoliri, cædibus, incendiis, prorsus cuncta replere satagebat. Cùm verò iam per plurima Galliarum loca suæ crudelitatis exercuissent

facinora, Biturigum etiam pagum violenter affligere cœperunt. Iam dictus autem Cœnobij Stradensis Abbas Mainardus, cum fratribus suis, hostili præcognito aduentu, apud prædictum S. Petri Monasterium fugæ præsidium expetere decreuerat. Assumptis igitur omnibus, quæ saluandi gratiâ secum ferenda censuerant, etiam beati Præsulis Genulfi corpus pariter ferri voluerunt. A

Cap. XIX. Aduenientes autem hostes ad Stradense Cœnobium, & tam rebus quàm habitatoribus vacuum reperientes locum, quicquid reliquum fuit in ædibus flammis tradidêre voracibus. Sed reliquis circompositis ædibus igne consumptis, ita totius Monasterij fabrica, Domini Iesu protegente virtute, restitit illæsa, vt in ea nullius adustionis vestigium appareret. Quod cernentes hostes, & virtutem diuinam sentientes, à loco recesserunt, & super vicini fluminis oram, Duces eorum circum se scrobibus actis, aliquibus temporibus consederunt, donec ab eis omnis circumquaque regio vastaretur. Itaque cùm per septem annorum lustra, Neustriam & Aquitaniam deuastando, Aruernum vsque peruenissent Normanni, Rex Burgundiæ Radulfus in auxilium euocatus ab Aquitanis, cum exercitu valido festinus occurrit eis. Commissóque prælio cum eis in loco, qui dicitur AD DESTRICTIOS, Deo auxiliante Christianis, penè vsque ad internecionem deleti sunt Pagani, & ab Aquitania fugati. Qui verò euadere potuerunt, in oris Galliæ super Oceanum, in vrbibus scilicet, quas ipsi primo impetu suo desolauerant, eo pacto, permittente Francorum Rege, vt fierent Christiani, resederunt. Quæ loca propter inhabitantes nunc partim Normannia, partim Britannia dicuntur. B

Asser Meneuensis in Vita Aelfredi Anglo-Saxonum Regis.

886. ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVI. sæpememoratus *paganorum Normannorum, siue Danorum*, exercitus regionem fugiens iterum in Occidentalium Frācorum regionem venit, naues suas dirigens in flumen, quod SIGNE * dicitur, sursum contra longè nauigans Parisiam ciuitatem adiit, & ibi hiemauit, & castra metatus est. Intra quam partem fluminis propè ad pontem, vt transitum pontis ciuibus prohiberet, quia illa ciuitas in medio fluminis sita est in insula parua, obsedit illam ciuitatem anno illo integro. Sed Deo misericorditer fauente, & ciuibus viriliter se defendentibus, munitionem irrumpere non potuit. C

* Sequana.

887. ANNO Dominicæ incarnationis DCCCLXXXVII. suprà memoratus Paganorum exercitus Parisiam ciuitatem derelinquens incolumem, eò quòd aliter proficere sibimet non poterant, classem suam sub illo ponte sursum contra Signe longè remigando, tam diu direxit, donec ad ostium fluminis, quod MATERRE * nominatur, peruenisset: tunc Sigonam deserentes in ostium Materræ diuertunt. Contra quod diu ac longè nauigantes, demum non sine labore vsque ad locum, qui dicitur CAZIEI, id est Villa regia, peruenerunt: in quo loco hiemauerunt integro anno. Sequenti anno in ostium fluminis, quod dicitur YONA, intrauerunt, non sine magno regionis damno; & illic remorati sunt anno vno.

* Materna.

Chronicum Monasterij Besuensis MS.

840. LVDOVICO Pio terreni insignia regni anno Dominicæ Incarnationis DCCCXL. perpetua felicitate commutanti, filij eius graui pernicie in semet dissidentes, vnitum priùs pulcherrima de diuersis nationibus compage Francorum regnum fœda sectione sciderunt. Tunc demum inter regni Primores conglobantur horribilia bella veluti intestina, deseritur custodia littorum maris Oceani, augescit numerus hostium, crescit innumerabilis multitudo Normannorum, Danorum, atque Britonum. Fiunt passim Christianorum strages, deprædationes, vastationes, incensiones. Capiunt quascunque adeunt ciuitates nemine resistente. Capitur Burdegala, Petragorium, Sanctonum, Lemouigas, Engolisma, atque Tolosa. Andegauorum, Turonensium perinde, ac Aurelianensium ciuitates pessundantur. Ad vltimum, videntes Reges suâ discordiâ addi vires extraneis, & damna ciuium esse lucra hostium, pacificantur inter se primùm, tum deinde cum hostibus. Quia regno eos expellere non potuerunt, pactum cum eis ineunt; & quod armis tueri debuissent, pecuniis redimunt. D

A MORTVO Lothario Imperatore frater eius Carolus suscepit Imperium. Sed Ludouicus alter frater cupiens inuadere Monarchiam regni, iterum contra Carolum bellum concitat, Normannos ceterásque gentes in regnum Caroli euocat. Auxiliante autem Domino, Carolus fratrem de finibus eius expulit, & Normannos intra Neustriam compressit. Hæc fuit secunda eruptio Normannorum in Francia.

REFERT quidam Scriptor * in eo Opere, quod metrico stylo composuit de excidio Parisiacæ vrbis, quæ per septem annos à Normannis obsessa atque vastata est, hunc Carolum congregato immenso exercitu expugnare Normannos voluisse. Quod illi audientes, Legatos mittunt ad Carolum, promittunt se ei subici, cuncta ab eo imperata facere, ad quod voluisset paratos fore: tantùm si permittantur intra regnum consistere, & pacificè Francis cohabitare. Quibus promissionibus delusus Rex, credens vera esse quæ dicebantur, intermisit bellum. Nec multò post Carolus moritur. Normanni verò resumptâ audaciâ inuadunt ciuitates Beluacensium, atque Meldorum, necnon & Milidunum deuastant castellum. Capitur Carnotis, ac B reliquæ secus vndique ciuitates. Nam in primo suo aduentu Rotomagum, Ebroas, Bajocas, & ceteras Neustriæ ciuitates depopulati fuerant. Gallias insuper peruagantur, Hispanias adeunt, Rodanum intrant fluuium, Italiam populantur, ac totum Christianorum pessundatur regnum. * Abbo

VENIENTIBVS per Franciam in Burgundia Normannis, Monasterium istud Besuense penitus contigit desolatum iri. Et cùm septies inueniamus locum istum à perfidis Christianis, seu à Paganis violatum atque destructum, hæc vltima destructio non immeritò emphaticè à nobis dicitur desolatio desolationum.

IAM verò dicendum est de illa vltima desolatione, quæ non solùm huic loco obfuit, verùm etiam totam Franciam ipsis Normannis vastantibus, neque vspiam Francis tutam resistendi firmitatem reperientibus, multa Sanctorum corpora Diuioni castro inuecta sunt: eò quòd firmissimum & inexpugnabile videretur. Quorum quædam postea sunt relata, quibusdam ibi remanentibus. Alia sunt ad alia loca translata. Delatum est à Suessionis corpus beati Medardi Episcopi. Delatum est à Taruanensibus corpus beatissimi Siluini eorum Episcopi. Nostri quoque patroni C beatissimi Prudentij corpus eodem delatum, & in Basilica beati Stephani collocatum, multis annis permansit. Tandem Domino nobis propitio, paceque reddita, beati Prudentij corpus indè est relatum, & beati Siluini corpus cum beata Anglia eius familiarissima nobis à Domino donatum.

AVDIENTES hi, qui hîc erant, Monachi Normannorum aduentum, quidam timore pœnæ ac mortis se occultauerunt, quidam ad alia Monasteria demigrauerunt. Nec mirum, quoniam qui hîc remanserunt gladio interfecti sunt. Quorum nomina hæc sunt. Ayrmannus Monachus, Genesius Monachus, Beraldus Monachus, Sifardus Monachus, Rodco Monachus, Ansuinus Presbyter, Adalricus puerulus. Hi omnes pro Christo piè iugulati, talionem ei reddentes, sacrificium Deo effecti sunt anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXVIII. 888.

VERVNTAMEN cùm nemo repertus sit, qui eis posset vltra, aut auderet resistere, fuit iisdem temporibus quidam Dux nostrarum partium, RICHARDVS nomine, qui à iustitiæ studio dictus est & ipse Iustificator. Hic pro libertate patriæ partim D zelo succensus, plurimùm verò pro Ecclesiis Dei defendendis, Dominum habens adiutorem, expugnare illos aggressus est. Et licèt vsque ad hanc Besuam hostilis impetus procurrerit, & hîc rabies insaniæ eorum adeò efferbuerit, vt & Monachos nostros, vt prædiximus, gladiis interemerit, & omnia vastauerit; in tantùm, vt fontem ipsum de sese gurgitē magni fluuij euomentem potatione quadrupedum innumerabilium per totum quatriduum exsiccauerit: ad Diuionem tamen eos aspirare, nec loci firmitas, nec Ducis nominatissimi permisit metuenda bellicositas. Quinimò, occurrens eis præfatus Dux Richardus in loco vocato Argentoilo, commisso cum eis prælio, cæsa est eorum quamplurima multitudo. Sicque Dani cum Normannis retroredire sunt coacti.

ANNO DCCCXCI. incarnati Verbi, XIII. Kal. Augusti in Sabbato, cùm obsiderent Normanni Carnotinam vrbem, & iam esset penitus capienda, superuenientes Richardus & Robertus cum suis, Dei auxilio, & beatæ Mariæ patrocinio roborati, fecerunt stragem maximam Paganorum, à paucis qui remanserunt obsides capientes. 891.

A

Gesta Dominorum Ambaziensium, incerto Authore, MS.

TEMPORE Caroli Calui Francorum Regis, Dani Sueui, quos Theotici linguâ sua NORMAN, id est Aquilonares homines vocant, nunc in ripas Ligeris, nunc Sequanæ, vrbes vastantes, inuehebantur. Carolus eos apud Andegauum obsedit, Salomone Britonum Rege cum exercitu sibi adiuuante. Sed pecuniâ sibi à Normannis data, egressum præbuit eis; tali siquidem pacto, vt non ampliùs Gallias infestarent, quod nequaquam tenuerunt. Rex prudens Carolus, timens infestationes Normannorum, frequentes munitiones in Cenomanēsi pago fecit. Vicos quosdam in oppida munitissima conuertit, & diuersis Optimatibus diuersa castella distribuit. Diuersos etiam Consules in ea regione constituit. Similiter Aquitanorum seditiones prouidens, & hæredum debilitatem animo suo vaticinando reuoluens, cuidam nobili viro de Aurelianensi pago, nomine ADELAVDO, Lochas castrum, & duas partes Ambaziaci oppidi tribuit. Buzenchaichum verò, & motam Castalionis, cum domo quæ ibi erat, & tertiam partem Ambazij Haimoni cuidam de Curia sua donauit. Ea tempestate Elfredus & Ioannes Scotus maximam partem Danorum ad fidem Christi conuerterunt, qui in Angliam & Daciam redierunt. B

MORTVO autem Carolo Caluo, Dani, qui in infidelitate remanserant, cum HVASTEN Duce suo Gallias tribus annis infestantes, beati Martini corpus Autissiodoro Canonicos transferre compulerunt. Post, quantas Gallorum strages fecerint, quantas vrbes regionésque concremauerint, enarrare nolo. Sed tamen hæc diuino nutu peccatis Gallorum accidisse puto. Verùm diras mortalium calamitates, quas Gallorum incolæ pertulerunt, tragicis & lugubribus carminibus satis alij scripsere. Isti verò terram vsque Parisius & Aurelianis depopulati sunt. Adeo-vt vbi quondam agri opulentissimi, vrbesq; speciosissimæ fuerant, nunc bestiarum auiúmque vasta habitacula sint; & vbi seges voluptuosa pollebat, è contrario,

Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Sic super ripas Ligeris omnia vastantes Ambazio peruenerunt. Quod oppidum cum paucis defensoribus repertum, citò capientes, totum succenderunt, pontémque Ligeris diruerunt. Ecclesias, vnam, quæ erat vltra Ligerim in introitu pontis; & aliam in loco, qui Luat dicitur, sitam omninò destruxerunt. Qui in planitie prope Ambazium hospitati, locum, qui Nigron dicitur, multo sanguine innocentum captiuorum fœdauerunt. Quod ætate LVDOVICI BALBI cognomento Nihilfecit actum est: quod stultitiâ Ambaziensium contigit, qui cum vicinis populis obuiam Normannis processerant, putantes eis nocere. Quia, Normannis alia viâ incedentibus, decepti castrum proprium amiserunt. Vastatis itaque agris inter Carum & Ligerim, destructo etiam lapideo ponte Blirei, cùm vltra non reperirent quod diripere possent, collectis armatorum copiis ad vrbem Turonicam iter dirigunt. Omnia verò, quæ in suburbio ciuitatis inuenire potuerunt, facta priùs miserabili hominum cæde, demoliti sunt. Porro Turonici trepidare, concurrere, portas obserare, turribus se inserere, propugnacula armorum apparatu munire non cessant. Hostes portas vrbis multo turbine quassantes, toto nisu ingressum vrbis sibi pollicebantur. Tunc Clerici, qui ibi aderant, iuncto sibi totius debilitatis agmine, rapido cursu ad Ecclesiam conuolantes clamabant; Sancte Dei Martine, quare tam grauiter obdormiuisti? Ostende quæsumus pietatem, succurre, fer opem miseris. Alioquin & nos peribimus, & ciuitas nostra redigetur in solitudinem. Qui ex sepulcro beati viri rapta cistella, in qua sacratissimæ Martini reliquiæ seruabantur, & cuneolus * ille, quem Clerici ob pericula submouenda reliquerant, portæ vrbis iam multo hostium turbine quassatæ intulerunt. Tunc verò oppidani, qui paulò antè metu propinquæ mortis exterriti fuerant, mox præsentiâ tantæ opitulationis animati, corporis & animi vires resumpserunt. Danis econtrario stupor vehemens incussus est, post stuporem formido, & mentis alienatio obrepsit. Deinde fugam conati, videres, cùm alter impediretur ab altero, ac si per glaciem occurrerent, præcipites labi. Igitur oppidani Christum sibi per Martini preces propitium sentientes, eruptione facta persequuti sunt inimicos, ex quibus ferè mille interfecerunt. Sicque glorificantes Dei misericordiam, qui eis inopinatam victoriæ palmam dederat, reliquias beati Martini in locum suum restituerunt. C D

Mortuo

A MORTVO Odone Rege, qui x. annis regnauit, in septimo anno post eius obitum, ab ERICH & *BATHET Normannis ciuitas Turonis succensa est, Ecclesiáque beati Martini cum toto castro, atque cum XXVIII. Ecclesiis. Quo tempore ROLLO Normannorum Dux Carnotum obsedit. Qui cùm Gentilis adhuc esset, visa camisia beatæ Mariæ, quam Carolus Caluus à Bizantio attulerat, à Carnoto fugatus est. Rollone effecto Christiano, Carolus Stultus dedit ei Normanniam cum filia sua Gilla, qui pedem Caroli Stulti noluit osculari, nisi ad os suum leuaret.

*Bierth.

Chronicum Turonense MS.

LOTHARII Imperatoris anno primo, HASTINGVS cum innumera Danorum multitudine Franciam ingressus, oppida, rura, vicos, ferro, flammâ, fame depopulatur. Galliæ itaque superioris finibus accensis, Turoniam venit; ibíque Ambazia, & vniuersis, quæ inter Ligerim & Carum fluuios continebantur, in fauillam redactis, Turonim obsidet. Cúmque vrbem crebris assultibus infestaret, Turonici viribus diffidentes corpus B. Martini flentes & dolentes rapiunt, & super murum, quo belli violentior impetus erat, mortuum pro viuis propugnatorem opponunt. Quid plura? virtute Sancti, Dani fugiunt, fugientes Turonici persequuntur, secum corpus beati Martini cum laudibus deferentes. Sícque pars Danorum gladio cadit, pars capta reducitur, pars altera fugiens sic euasit. Turonici verò cum gaudio redeuntes, in loco, quo Sancti substitit corpus, dum Danos fugarent, in honore Sancti fabricauerunt Ecclesiam, quæ propter belli euentum, sancti Martini Bellum ab incolis nuncupatur. In loco autem, quo corpus Sancti positum fuerat supra murum, similiter in honore Sancti construxerunt Ecclesiam, quæ sancti Martini Basilica nominatur. In qua dicunt Aulam Valentiniani Imperatoris fuisse, qui beato Martino astanti assurgere noluit, donec ignis eum à sede compulit eleuare. In honore verò Sancti eo die, quo de Danis habuerunt victoriam, scilicet IIII. Idus Maij, instituerunt solemnitatem annuam celebrandam, quam Subuentionem propriè nuncuparunt. Dani verò, qui remanserant, in vnum congregati, per mare Britannicum Ligerim ingressi, aggrediuntur Namnetem ciuitatem, & in sabbatho Paschæ Episcopum fontes benedicentem trucidant, Clerum & populum diuersis cruciatibus occidẽdo. Contra quos Karolus Caluus Rex cum Britonibus & Francis viriliter occurrẽs, eos fortiter debellauit. Inter quos erat TORQVATIVS venator, qui à minori Britannia pulsus fuerat à Romanis, qui loco Imperatoris in illis locis dominabantur, eo quòd idem Torquatius diuersis iniuriis incolas affligebat. Hic autem Torquatius Karolum Caluum contra Danos viriliter adiuuabat. Pro quo Karolus dedit ei Nimellum* nemus in Episcopatu Redonensi. Nam & prius idem Torquatius cum filio suo TERCVLFO eundem Karolum contra fratrem suum Lotharium fortiter adiuuarat. Nec multo post Torquatius moritur, cui Terculfus filius eius successit, armis strenuus, facie decens. Cui Karolus PETRONILLAM filiam HVGONIS Magni Ducis Burgundiæ, materteram alij HVGONIS Magni Abbatis beati Martini Turon. dedit in vxorem, cum tota terra Gastinensis pagi.

841.

Vide Tractatum S. Odonis Abbatis Clun. De reuersione corporis B Martini Turon à Burgũdia, *in Bibliotheca Clun. pag.* 117. *Ex eo enim hæc, & sequentia fere ad verbum desumpsit Autor huius Chronici, qui vixit anno* MCCXXV.

*Nidum-meruli.

D ANNO Lotharij XVI. Dani per Flandriam venientes, sanctum Quintinum, & vrbem Suessionis, & Parisius cum adiacenti terra, destruxerunt, & combusserunt: & S. Genouefæ Parisiensis Ecclesiam cremauerunt. Quo facto, Turoniam redeunt, regionem concremant, Andegauis vrbem obsident & oppugnant. Quos Carolus Caluus adunato exercitu viriliter insequutus, auxilio Salomonis Regis minoris Britanniæ Andegauum obsidet & impugnat. Cúmque Dani diuersis assultibus lacessiti venire ad deditionem compulsi fuissent, Carolus Rex inuito exercitu à Danis recepta pecunia eos abire permisit. Sícque Hastingus per pelagus Italiã rediens, Lunam ciuitatem cepit, & ibi remansit, & factus est Carolo ex inimico amicus. 856.

E lapsis post Hastingui incendia tribus lustris, ROLLO cũ innumera Danorũ multitudine Sequanam, Ligerim, Garumnam nauigio ingressus, in festo S. Ioannis Nãnetum venit, & vrbe pessundata GVRVARDVM vrbis Episcopum Missas celebrantem ad altare S. Ferreoli decollauit, & post vrbem Andegauum deuastauit. Deinde Cenomannica vrbe obsessa procuratores sui exercitus Turonum delegauit, qui vrbe destructa bona terræ diriperent, & vinculatos loci incolas captiuarent.

Sed auxilio B.Martini tanta Cari & Ligeris excreuit inundantia, quòd non potuerunt Dani ad vrbem Turonicam peruenire. Quo viso, Cœnobium Maioris-Monasterij combuxerunt, & ibi CXXVI. Monachos occiderunt. HERBERNVM verò Abbatem extractum à latebris tormentis variis affecerunt, ab eo thesauros Ecclesiæ requirentes, & Monachos in latebris latitantes. Sed pius Pastor nec thesauros Ecclesiæ prodidit, nec latitantes filios reuelauit. Quo facto, Danis recedentibus, Canonici B.Martini, audito Maioris-Monasterij infortunio, dolentes & flentes ad locum accedunt, & Herbernum Abbatem cum XXIV. Monachis suis, qui remanserant, ad suam secum deducunt Ecclesiam, eis in omnibus necessaria ministrantes. Auditóque, quòd Cenomanni captâ, Rollo Turonis redire disponeret, habito diligenti consilio corpus beati Martini primò apud Floriacum, deindè Chableias, & postea apud Autisiodorum portauerunt. Cuius custodes fuerunt, Herbernus Abbas Maioris-Monasterij, cum XXIV. Monachis suis, & XII. Canonici, & XII. burgenses Castrinoui, qui eis necessaria ministrabant. A

Rollo verò, Cenomanni destructa, & aliis Occidentis partibus deuastatis, Secanam & Sagunnam ingressus, Clarummōtem cum toto territorio deuastauit, & post Prouinciam Senonensem: & deinde veniēs Floriacū, ibi LX. Monachos trucidauit. B

869. ANNO Ludouici XIV. & Karoli XXIX. corpus S. Benedicti *, quod propter timorem Danorum in Burgundia fuerat à * Grandifolio deportatum, transfertur ad Fossatense Monasterium.

*f S. Mauri. * Glannafolio.

879. ANNO primo Caroli Crossi, Rollo, & infinita gens Danorum per pelagus Sequanam sunt ingressi, sibi primo impetu Rothomagum vendicantes: deinde Parisius ferè per annum obsidentes, spe decepti in Normanniam reuertuntur, Baiocas euertunt, & postea Meldensem vrbem expugnantes, in Angliam transeunt.

881. ANNO Caroli Crossi Imperatoris tertio Normanni adiunctis sibi Danis Franciam peruagantes, Ambianis, Atrebatis, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Morinorum destruunt.

Deinde Normanni Treuerim incendunt, & Metis Christianos in bello vincunt, in quo Vvalo Metensium Episcopus occisus est.

885. ANNO Imperij Caroli septimo, Rollone in Alemannia demorante, & regiones finitimas deuastante, Franciáque à Normannis secura, Turoni Autissiodorum mittentes, ab Aunario Autisiodorensi Episcopo corpus B.Martini requirunt. Quo negato, ad Karlomannum Regem Franciæ tendunt, vt corpus B. Martini restitui faceret Turonicæ ciuitati. Sed à Rege nihil potuerunt super hoc impetrare. Quo viso, consilium iniunt cum Adalardo Archiepiscopo Turonensi, Raimone * Aurelianensi, & Lupo Andegauensi, ceterisque qui ibi adfuerant, quid super hoc sit agendum. Quorum iudicio INGELGERIVS Comes Andegauensis, qui nepos HVGONIS Ducis Burgundiæ erat, & apud Autisiodorum magnos redditus possidebat, ab omnibus humili prece requiritur, vt sæpedictum Antistitem suæ redderet ciuitati. Qui lacrymabilibus votis eorum diligenter annuēs, exercitu adunato Autisiodorum properat, corpúsque B. Martini, inuito ciuitatis Episcopo, piè rapiens, Turonicis præ gaudio lacrymantibus repræsentat. C

893. ANNO Arnulphi sexto, & Caroli Regis quarto, Rollo cum Danis Carnotum vrbem obsedit. Sed visa camisia B.Mariæ, quam Vvantelmus Episcopus Carnotensis tenebat in manibus, versus in fugam, Rothomagum est reuersus. D

Adreualdus Floriacensis, libro I. de Miraculis S. Benedicti.

CA. XXXIII. Clades Normannorum vnde, & quas vrbes inuoluerit.

VERVM piissimo Augusto LVDOVICO carnis onere spoliato, regnum Francorum quod ex diuersis nationibus solidum corpus fuerat effectum, trifariam diuiditur: atque à tribus eiusdem Imperatoris filiis ad regendum suscipitur. Et maior quidem natu Lotharius Franciam cum Italia, Ludouicus Saxoniam omnémque Germaniam, Carolus autem iunior Burgundiam cum Aquitania possedit. Sed vt de regnis taceam, bellisne attrita decreuerint, an pace continua aliquanto floruerint: nostræ partis ærumnas breuiloquio excurrere libet. Carolo regni non minimam assequuto partem, infortunium iunctum fortunæ Rempublicam maximo profligauit damno. Ac primùm, Marchisis Britanici limitis inter se

A grani perduellione dissidentibus, bellum oritur vtræque lugubre parti. Quamuis enim Rainoldo occumbente, victor Lambertus extiterit, non adeò tamen victricia abhoste retulit signa, dum millia suorum prospexit oppetiisse satellitum. Idque aduersum Herineum repetens, primum natorum Rainoldi, arma ob vindictam paternæ resumentem necis: eundem malè depugnātem vicit, telisque confossum, neci tradidit. Hoc dissidij genere, bellatoribus vtrimque pereuntibus: penè omnis illa regio defensoribus nudata suis, præda gentibus patuit externis. Brittonum si quidem proxima vis, limitem transgressa antiquum, Nanneticam regionem, Andegauensem quoque, Meduanam vsque fluuium vastando; cædibus atque incēdiis, in suam redegit potestatem. Obstiterat quidem Lambertus iàm pridèm id annitentibus: sed iussu Regis loco cedens, Brittonibus explere conatus permisit Barbaricos. Præterea Nortmanni, gens Aquilonalis, nostro generi plus æquo præcognita: non B iam piraticam exercendo, omnem oram maritimam pessumdedit, atque vt verius dicam, in vastam redegit solitudinem. Fuerant eorum pessimi conatus sæpe à Ducibus illarum regionum sibimet succedentium frustrati, Lamberto scilicet atque Rotberto: necnon Rainulfo. Sed illis varia pereuntibus sorte, omnis ferè Neustria, quæ à Genabensi vrbe, per transuersum Lutetiam vsque Parisiorum pertingit oppidum, Normannicæ patuit feritati. Inruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primò pedites quidem, eo quod equitandi peritia deesset, deinde equis euecti more nostrorum, omnia peruagantur. Interea stationem nauium suarum, ac si asylum omnium latrunculorum, in insula quadam Cœnobio sancti Florentij subposita componentes: mappalia quoque instar exædificauerunt burgi, quo captiuorum greges cathenis adstrictos asseruarent: ipsique pro tempore corpora à labore reficerent, expeditioni illicò seruitura. Ex qua inopinatos discursus agitantes, modo nauibus, modo equis delati: totam circumcirca C deleuêre prouinciam. Et primo quidem aduentu, Vrbem Nanneticam incendio cremauêre: Andegauensem percurrentes regionem, ipsam quidam ciuitatem concremant. Pictauorum vero Castella atque vicos, omnémque patriam à mari vsque eamdem Pictauam vrbem populantur, vastant: cædibus replentes omnia. Sequenti tempore nauigio Turonum veniunt, eámque de more stragibus opplentes, adpostremum ignibus tradunt, populata omni circumquaque regione. Haud longò post, superiora Ligeris amnis nauibus expetentes Aurelianis perueniunt: captámque vrbem auro distrahunt, Agio tunc temporis præfatæ vrbis præsulatum gerente. Sícque ad tempus recedentes, secundo aduentu prædictam ciuitatem combustione dissipant, Matre duntaxat Ecclesia, quæ in honore sanctæ Crucis iubente Constantino Augusto, à beato Præsule Euurtio sacrata erat; studio bonorum hominum remanente. Quid denique solius Neustriæ clades memorando, stilum protrahimus? aut solæ quatuor supra memoratæ vrbes excidij damna sensere? Quid Lutetia Parisiorum nobile caput, resplendens quondam gloria, opibus, fertilitate soli; incolarum quietissima pace, quam non immerito Regum diuitias, Emporium dixero populorum? Num magis ambustos cineres, quàm vrbem nobilem potis est cernere? Quid proindè Bellouacus? quid Nouiomagum, & ipsæ quondam Galliarum præstantissimæ vrbes? nonne & ipsæ inruptionibus Nort- D mannicis, atque hostili gladio concidêre. Piget referre Cœnobiorum nobilissimorum tam virorum, quàm feminarum Deo deuotè seruientium excidia; stragésque non ignobilium plebium, captiuitates matronarum, virginum ludibria, ac cuncta, que victis victores inferre valent, infanda tormentorum genera. Quid Aquitanicæ gentis ingentem referam afflictationem, quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præferat dextram, suísque orbata luminibus, ducibus egeat alienis? Etenim ipsa quoque, optimos quosque genitalis soli in sese elidens, patet nunc præda gentibus alienis. Ab ipso quippe, vt ita loquar, Oceani littore, Oriente versus, Aruernum vsque clarissimam veteri tempestate Aquitaniæ vrbem, nulla libertatem retinere valuit regio; non oppidum, aut vicus, non denique ciuitas, quæ non strage ferali conciderit Paganorum. Testatur hoc Pictauis fœcundissima quondam vrbs Aquitaniæ, hoc Sanctonum, hoc Engolisma, hoc Petrogorium, hoc Lemouica: hoc certè Aruernus, terminus nunc vsque Barbarici gladij, ipsúmque Auaricum caput Regni Aquitanici proclamant, nulla

scilicet bellica obuiante manu, hostili grauiter sese concidisse incursu. His, atque A
huiuscemodi malis per triginta fermè annorum spatium, Gallis non absque piaculo quorumlibet detritis, cultus quoque diuinæ religionis quomodo processerit, vtrum necne floruerit, in promptu est cuilibet, licèt tardioris ingenij, mortalium persentiscere. Quis enim Christianæ Religionis Ordo normam eò propositi ad liquidum exequitur, vt non magis præuaricator mandatorum Christi iudicetur, si actuum executio ritè vestigetur? Vnde non immeritò talibus, hoc est, nobis transgressoribus præceptorũ suorum, vltionis vindictam olim per Prophetam repromissam videtur infligere. Dicit enim, comminans per Ieremiam Prophetam: *Pro eo quod non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognatoines Aquilonis, ait Dominus, & adducam eas super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt. Et interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & sibilum, & in solitudines sempiternas, perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & vocem lucernæ: & erit vniuersa terra eius in solitudinem, & stuporem.* Itémque per Ezechielem Prophetam: *Fac conclusionem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate. Et adducam pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuarium eorum. Angustia superueniente requirent pacem, & non erit. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum. Et requirent visionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.* Et post pauca: *Secundùm viam eorum faciam eis, & secundùm iudicia eorum iudicabo eos, & scies quia ego Dominus.* Est itaque cernere comminationem Propheticam nostro assignari æuo, quando ob scelerum immanitatem, populus quondam Dei, & oues manuum eius, dati sunt nationibus in deprædationem, captiuitatémque durissimam: atque solum nupera florentissimum ætate vbere glebæ, cunctarúmque opulentiâ rerum, redactum in vastitatem, ac solitudinem extremam. Libet igitur cum Propheta Dauid veraciter exclamare: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Atque cum altero humiliter implorare: *Domine, miserere nostri, te enim expectauimus. Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.* Hæc de excidio iucundissimæ patriæ breuiter literis mandare libuit; quo his, quæ consequenda erant, clariorem pararemus viam. Omissis scilicet infandis malorum cladibus, quæ ipso sui horrore, & execratione, stili cursum in semet hebescere cogunt. Iam nunc ad propositum redeamus.

Ierem. 1. *Ezech. 7. 23.* *Psal. 118.* *Esai. 33. 2.* (B, C)

CA. XXXIV. *Nortmanni Floriacense Cœnobium post captas Aurelias exurunt.*

INTEREA Nortmanni, vt suprà paucis prælibauimus secunda inruptione Aurelianos aggressi, vrbem ambustione concremant: pársque illorum, duce Bareto, cum quadraginta nauibus, Monasterium sancti Patris Benedicti expetunt, quod ab vrbe Aurelianensi decem & octo distat millibus. Illud denique vacuum habitatoribus reperientes, cunctis verò mortalium temporaneis refertum commodis, more sibi familiari prædantur, dissipant, ad postremum verò igni immisso adurunt. Aberat iam tunc corpus sacratissimum Confessoris Christi Benedicti. Siquidem prima vastatione præfatæ vrbis, curam huius sacri loci agente Bernardo, nobilissimi generis viro, leuatum à loco sepulchri sanctissimum corpus in scrinio cum honore congruo repositum est: sicque in loculo gestatorio collocatum, qualiter quocumque fugiendi impelleret necessitas, à Fratribus fugæ præsidio sese tuentibus deferri posset. Sed gratia Christi agente, gentili gladio sedes sibi aptatas repetente, sanctissima membra loco conduntur proprio. Secundo verò incursu hostium, iam prælibato Abbate vltimos sui regiminis decurrente Soles, iterum leuatum sanctissimum corpus, atque in loculo vectario depositum, hâc illácque, provt opportunitas fugæ se obtulit, à fratribus defertur. Non tamen infra hæc temporis spatia, gratia diuina seruos suos, quanquam miserabiliter peregrè, incertísque sedibus iactatos, obliuisci dignata est, quin miraculis solaretur, per dilectissimum suum patratis: quatinùs titubantia propter tot aduersos casus hominum corda, ex præsentia tanti Patris, virtute quoque præ oculis habita, abundantiùs roborarentur. Post exaustum namque graui grassante incendio Cœnobium, nulla iam soli gratia remanente. Quippe cui non templa diuinis cultibus apta, non lares diuersis extructi vsibus, non horrea, non penora, non certè quippiam decoris, aut vti-

A litatis restiterat, nudique maceriarum parietes stuporem spectantibus oculis, horrorémque magis, quàm decus, aut gloriam præferrent: compulsi Fratres, domum quondam quieti aptatam, interpositis partientes arcubus: de parte, vmbram finxêre minoris sacelli. In quo fabricato altari, diuinum officium interdiu celebrabant. Quo etiam in loco corpus beatissimi deferunt Benedicti, in loculo adhûc gestatorio positum.

Adelerius Floriacensis in Appendice ad Adreualdum.

NORTMANNICA siquidem gens, quæ iam bis, vagina suæ habitationis exempta, piraticam toties exercuerat: demùm de morte patris eius vires resumendo, intra terminos Regni Franciæ liberè paucis resistentibus, cladem malignitatis suæ inferebat continuè. Et primum partes aggressa Neustriæ, cædibus & rapinis tota conaminis sui peruersitate intenta, quæque priùs desiderabilia & vitæ humanæ commoda videbantur, diripere; & in suos nefarios vsus conuertendo, satagebat redigere. Peregisſétque inchoata, nisi Hugo nobilissimus Abbas strenuè Rempublicam gubernans, cùm armis, tum consiliis suis & virtute, eius barbaricos conatus reprimendo, maximam ex eis manum peremisset. Quod qualiter huius per virtutem Patris Benedicti potenter effecerit: paucis subiiciendum censemus. Igitur pertransiens vt diximus, nullo obsistente, plurimarum portus ciuitatum, Aurelianis deuenit: indéque altius gressum protendens, ad Monasterium Floriacum, cladem inflictura, accedere contendit. Porro fama vulgante, istud iam pridem Fratres compererant: competénsque eis visum est, vt loco cederent, & præsidio opportunitatis necessariæ se communirent. Proindè diuersorum vehiculorum plaustris aptatis, quæque preciosa in eis componentes, cum supellectili reliqua, ad prædium Matriniacense decernunt contendere: quatinùs illic quoquomodo tuta sua omnia possent esse. Ast eadem perfida natio, Monasterium deueniens, spéque sua frustrata, nihil in eo quod diripere præter parietes valeret reperiens, tandem plaustrorum recentibus vestigiis perspectis, eò tendendum deliberat, quo fratres iisse suspecto animo æstimabat: vt melioribus eorum direptis, rediret patrata victoria. Præuenítque ipsorum nequam consilium omnipotentia misericordis Dei: quæ eos & sua virtute protereret, & innocentem plebem à maligna eorum infestatione benignè defendendo saluaret. Nam tùm prædictus venerabilis vir Hugo, à partibus Burgundiæ ob suæ vtilitatem necessitatis, fortè Dei consilio vocatus ad hos fines contenderat. Propéque Monasterium perueniens, relatu suorum addicit, Fratres ab hostibus subsequi, ac ocissimè deprædari, nisi Dei liberarentur virtute mirabili. Denique hoc comperto, animum in diuersa protrahens, vt potè militum paruus admodum inpræsentiarum aderat numerus, anxiari super hoc multimodè cœpit & tæderi: qualiter occurrendum foret, intra semetipsum reuoluens, tantæ multitudini. Tandem hortatu Girboldi nobilissimi Autisiodorensium Comitis, animum congrediendi bellum assumpsit: asseuerans nulla vnquam passum discrimina fore, qui beati Benedicti Patris seruitutis gratia, aduersantium agmini sese immiscuerit. Roboratis ergo hac exhortatione animis, confisi meritis & auxilio excellentissimi Patris: haud procùl à Monasterio hostes prosequuntur à tergo. Consertóque forti animositate graui prælio, tanta depopulationis strage in eos baccati sunt: vt ex tanta populi numerositate vix fuerit aliquis, qui belli euentum intimaret posteris. Patrata itaque desiderabili victoria, belli Dux suos interrogans, requisiuit, si fortè quempiam reuerendæ visionis Monachum, inter densitates hostium, sibi viam pandentem, proprio visu contemplati essent. Quibus respondentibus se in illo prælio neminem Monachorum vidisse. Statim ille. « Sanctus, inquiens, Benedictus, me per totum belli huius certamen protegens, sinistra « manu equi mei habenas dirigendo, ac custodiendo tenuit: dextra verò baculum « manutenens, plurimos hostium prosternendo morti tradidit. Sic & nocentibus « pœna, & innocentibus interuentu Patris Benedicti securitas reddita est: præstante benedicto Dei filio, cuius nomen benedictum permanet in sæcula sæculorum.

CAP. XLI. Insignis de Nortmannis per sanctum Benedictum patrata victoria.

A

Aymoinus Floriacensis libro II. de Miraculis S. Benedicti.

CAP. I. GALLICANARVM incolas regionum assiduis exterarum labefactatos incursibus nationum, & veteres & modernæ, quibúsque eas intellectu reuoluentibus pandunt historiæ. Quos Iulij Cæsaris decennalis attriuit concertatio, Hunnorum subita dilacerauit inruptio, Gothorum subuertit præsumptiua habitandi inuasio: ad vltimum Francorum viuida bello dextra, victos paritérque victores, æqua sorte, suo subiugauit dominio. Horum præferox potentia, cùm in subigendis, tum etiam in arcendis à suis finibus barbaris Gentibus, viguit concordiæ viribus: vsque ad diuæ memoriæ Karoli Calui tempora, filij Hludouici, cui agnomen Pius fuit. Contra hunc fraternæ insimulatio inuidiæ, finitimarum concitauit odia Gentium, præcipuè Northmannorum, qui piraticam exercendo, maritima regni eius loca, direptionibus grauissimis depopulati sunt. Obstitit primò eorum sæuis conatibus B Rotbertus Andegauensis Comes, Saxonici generis vir, cui per id locorum, à Rege summa rerum delegata fuerat: adnitentibus sibi præeminentissimis Neustriæ viris, Rainulfo atque Lamberto, vti eloquentissimus Author Adreualdus priori refert libro. Sed illis varia obeuntibus sorte, Dani excursionis suæ liberam nacti occasionem, quæ & quanta ciuitatibus bina expeditione intulerint damna, vastationibus seu incendiis Monasteriorum, ac reliquarum Ecclesiarum, studioso lectori præcedentis operis textus patefaciet. Verùm Augusto Karolo rebus humanis exempto, filius eius Hludouicus successit, qui nihil fecisse prænomen sortitus est, siue quòd vix duobus annis Regno potitus nil strenuè gessit, siue quòd Sanctimonialem quamdam, sicuti à maioribus accepimus, Kale Monasterio puellarum abstractam, coniugio copulans suo, peccatum quod nihil esse noscitur, perpetrarit. Huius in diebus effera memoratorum natio Danorum, tertiam Neustrasiis inflictura cladem, aduenit, intulissétque maiorem superioribus, ni Hugo, vt fertur, Roberti filius*, per Gal- C

*f. frater.

lias Abbatis honore præditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Denique quòd parua manu innumeras hostium phalanges, adiutus manifesto sanctissimi Patris Benedicti auxilio ita fuderit, vt vix nuncius superuiueret, ex scriptis venerabilis viri Adelerij agnosci facile est. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis quietas liquerunt. At Hugone vltimos vitæ suæ claudente Soles, Hludouicóque Principe post administratum biennio regnum, diem obeunte, Karolus eius filius, qui Simplex posteà est dictus, in cunis æuum agens, patre orbatus remansit, cuius ætatem Franciæ Primores incongruam, vt erat, exercendæ dominationi arbitrati, maximè cùm iam recidiui Nortmannorum nunciarentur motus, cōsilium de summis ineunt rebus. Supererant duo filij Rotberti: senior Odo dicebatur, Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem, Franci licet reluctantem, tutorem pueri, regníque elegêre Gubernatorem, qui mente benignus, & reipublicæ, hostes arcendo, strenuè præfuit, & paruulum optimè fouit, atque adolescenti & sua repetenti, patienter regna refudit: à quo parte regni redonatus, quoad vixit tempore, hostibus terribilis, eíque semper exstitit fidelis. Ab hac fraterni mansuetudine animi, in tantum frater eius aberrauit Rotbertus, vt eo defuncto, quia pars regiminis, quam germanus suus Odo tenuit, non redhibebatur, palàm tyrannidem inuaserit. Quam causam Aquilonales populi sibi non obfuturam D arbitrati, cùm scilicet totius Regionis incolæ, studiis in diuersa porrectis, concordi nequaquam aduersus eos rebellarent animositate, totis incumbendum rapinæ viribus decernunt. Et quia nobis ad præsens non bella Regum, tumultúsve gentium differere, animo propositum est: quinimò Miracula per beatissimum nostræ vilitatis alumnum, Deo operante, patrata Benedictum, mens promere gestit; ad ea explicanda veniendum est. Non verò nos idcirco eum nostræ vilitatis authorem fatemur, quasi nos ipse viles fecerit, verùm quia nos abiectos despectósque, nulliúsve momenti existentes, ad hoc suo interuentu, ac sua ope prouexerit, vt & eius laudes promere, & quidquid in nos salutis, seu vtilitatis quiuerimus agnóscere, post Dominum ei debeamus imputare. Prophetici itaque nos memores existere oraculi, quo dicitur, *ab Aquilone omne venire malum*, ac si specialiter in nos prolati, frequens cogit memoratorum infestatio Paganorum, qui è genuina sua tellure, instar apum super nostras sæpissimè, vt præfati sumus, prouincias, examen effudêre prædonum. Qui

A hac vltima, de qua nunc nobis sermo est, expeditione, Rainaldo quodam duce, nostrarum reliquias spinarum, quantum in ipsis fuit, eradere procurarunt. Huius testes sunt rei, non solùm, vt iam dicti verba testantur Authoris Adreualdi, Sequanico Ligericóque littori, quibus Neustria nobilitatur fluminibus, Dordoniæ seu Garonnæ, quarum Aquitania insignitur fluentis, adhærentium vrbium: verùm etiam præminentium ruinæ ædificiorum. Intérque eminentissimum illud Karoli Magni Principis palatium Cassignol, gloria quondam & decus cunarum filij eius iam præfati Hludouici Pij, quod ita Deo inimica gens subuertit, vt & inhabitabile redderet; & tamen quid aliquando fuerit, manifestè appareat. Id eo loci situm est, quo torrens Quodrot Garonnam influit, turrim lateritiam in margine memorati torrentis exstructam habens, è qua & aduentus præuideri, & ingressus hostilium possit arceri nauium. Simúlque vt classis regia, absque aduersariorum impedimento fabricata in minori, ad fluenta maioris deduceretur amnis. Habet verò Ecclesiam ampliori B Ecclesiæ coniunctam, miro opere ex lateribus fornicatam, in qua, si benè visa recordor, permodicum habetur sarcophagum, in quo frater Hludouici Pij geminus esse putatur sepultus. Inde etiam magnum Karolum Garonnam transiisse, Hispaniæ Christianis suppetias ferentem, ibique rediisse, liber vitæ eius refert. Sed de his satis dictum, nunc propositum exequamur.

Cap. II. S. Benedictus Rainaldum Nortmannorum Regem occidit, & post obitum vexat.

IGITVR innumeræ Nortmannorum phalanges, super quas Rainaldus regnum obtinuerat; quampluribus longis vsæ nauibus, vsque ad superiora Ligeris percursantes, cuncta deuastant. Tandem ad Cœnobium ter beati Deóque dilecti Benedicti, quod Floriacum dicitur, Rainaldus cum suis attingens, vacuum habitatoribus, cunctísque necessariis offendit rebus, domibus duntaxat exceptis. Siquidem Monachi, cum corpore semper nominandi Patris nostri Benedicti, ad tutiora se contulerant loca, Lamberto tunc Abbate, piæ sollicitudinis erga eos curam gerente. Perueniens ergo inibi Rex memoratus, & ex captiuis rescíscens quorum hominum foret talis habitatio, Dormitorium Fratrum suæ metationis delegit sedem, in quo varia, vtporè Paganus, dum patraret flagitia, vna noctium quiescenti ei sanctus adstitit Bene-C dictus duobus comitatus Monachis: vnus, vt ipsi Rainaldo videbatur, mediæ ætatis robore præditus; alteri puerilis inerat habitudo. Beatissimus autem Pater niueam capite canitiem præferens, baculum verò manu: ita iacentem alloquutus est aduersarium: Quid, inquiens, te Rainalde offendi, quòd me meósque à propriis perturbas " sedibus? Sed mihi deinceps curæ erit, & te ab incœptis inhibere, & famulis Christi, " ossibus quoque vnà meis, optatam quietem reformare. His dictis, ligno, quod manu " gerebat, incuruo caput iam expergefacti Regis contingens, prænunciauit terminum eius vitæ in proximo affuturum, sícque recessit. Turbatus hac visione Rainaldus, satellites magna ad auxiliandum sibi voce inclamat. Quibus accurrentibus, & quid pateretur percunctantibus: Quidam, inquit, Monachus, non alter, vt æstimo, " quàm ille huius tutor loci, senex Benedictus, baculo verticem tangens meum, mortem minitando, dolorem mihi ingessit ingentem. Iubet confestim, cunctos peruasa " domicilia deserere, natiuúmque solum repetere; cum quibus ipse profectus, vt pa- " triam attigit, crebrò debilitatus cruciatu, vita decessit. Tantáque subitò, moriente D eo, ventorum procella inhorruit, vt non solùm culmina tectorum, verùm etiam eminentium subrueret moles arborum. Captiuorum vincula soluta, equi seu reliqua iumenta infra duodecim & eo amplius milliaria, à Rothomagensi vrbe ad pastum deducta, disruptis compedibus, in diuersa fugerunt. Corporis eius tumulo pyramidem superædificatam, validissimo accepimus terræmotu subuersam, ac eius cadauer tellurem à suo reiecisse sinu, quod culeo cum lapidum mole insutum, in Sequanam est demersum, quandoquidem humo non poterat contineri tectum. Hoc interitu, memoria nefandi abolita fuisset hominis, ni vetustas Floriacensium incolarum curiosa futurorū, marmoream eius capitis fingere curauisset effigiem, quæ nunc in vltima parte parietis Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac famuli eius Benedicti, Septentrionem versus, inserta perspicitur. Quatinùs & præsentes, & sequuturi omnes agnoscerent, interuentu eorumdem Sanctorum omnipotens Deus, qualem quantámque exercuerit in suis aduersariis vindictæ seueritatem. Adeò denique hæc vltio Northmannicam in posterum perterrefecit temeritatem, vt præ cæteris Galliæ Sanctis, beatissimum reuereantur Patrem nostrum Benedictum.

A

Vetus Chronicum incerti Auctoris, sed qui Monachus Floriacensis fuisse videtur, MS.

LVDOVICO Imperatore defuncto, Lotharius ab Italia egressus totum sibi supponere tentauit Imperium. Vnde duo reliqui fratres Ludouicus & Karolus apud Fontanidum campum contra Lotharium atrociter dimicauerunt. Vbi Fraciæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, Britanniæque omnes penè milites mutuis conciderunt vulneribus. Victoriam tamen Karolus obtinuit. Quibus patratis, Dani piraticam exercentes Duce ALSTAGNO Franciam inuaserunt. Qui vt portum attigerunt, Flandrensium terram grauiter deuastauerunt. Taruanense, atque Nouiomense territorium ita penitus attriuerunt, vt & sancti Quintini Martyris Monasterium flammis exurerent, & nihil extra portam Nouiomensis ciuitatis illæsum & incontaminatum relinquerent. Sed & S. Medardi Monasterium ab eis est concrematum, & Ecclesiam S. Genouefæ in prospectu ciuitatis Parisiacæ sita, ab ipsis est conflagrata: & omnes, ad quas peruenire potuerunt, Ecclesiæ, extra munitionem locatæ. Nam totam Franciam militum præsidio nudam, cuius robur in bello Fontanido nuper deperierat, tantus metus corripuerat, vt ei nemo posset resistere, nemo repellere. Vnde Rex KAROLVS cum præfato tyranno fœdus pepigit, & hostem quem ferro nequibat auro compescuit. Quo fœdere securus ALSTAGNVS * à Francorum terra per Oceanum pelagus Italiam tendens, Lunæ portum attigit, & ipsam vrbem continuo cepit. Qua potitus, per numerosa annorum curricula ibidem deguit, Regique familiaris postmodum factus est ex inimico amicus. Verùm iste Alstagnus vulgo Gurmundus verso nomine solet nominari.

B

* Hastingus.

ANNO Karoli Pij vltimo, incarnationis verò Dominicæ DCCC...VI. gens Danorum per Oceanum pelagus Sequanam ingressa regnum Francorum cœpit infestare. Præfuit illi profanæ genti ROLLO Dux potentissimus, infidelitatis adhuc tenebris inuolutus: qui primo impetu sui aduentus statim Rothomagum sibi subiugauit. Deinde fere per vnum annum Parisiorum obsedit ciuitatem, sed tamen illam capere non potuit. Interim tamen Bajocas euertit, & vrbem Meldensem expugnauit. Verùm post annum vnum, quo vaginam suæ habitationis egressus fuerat, & omnem oram maritimam incendiis & rapinis contaminauerat, & ab Anglorum Rege inuitatus insulam illam expetiit; & per triennium ibi demoratus, eandem gensibi firmo fœdere colligauit.

C

KAROLI denique, qui Simplex dictus est, temporibus, idem Rollo Anglorum fretus auxilio, per Sequanam & Ligerim, pérque Garumnam, tria quæ Oceano fluunt flumina, emergens tripertito exercitu, jam non more pyratico, sed liberè Franciam peruadendo cœpit infestare. Cooperuerunt itaque Dani superficiem terræ sicut locustæ, nec erat cuiquam hominum eos facile prohibere. Igitur die natalis S. Baptistæ Ioannis vrbem Nanneticam adorsi, concremãt; & GVRNARDVM Præsulem sacra Missarum sollemnia peragentem super aram Martyris Ferreoli, quæ est ad læuam ædis beati Petri Apostoli matris Ecclesiæ eiusdem ciuitatis obtruncant. Denique vrbe succensa ac depopulata, quasi tempestas valida cœperunt hâc illâcque discurrere, & omnia per quæ vagabantur prosternere. Et Andegauensi vrbe conflagrata, ciuitatem quoque Turonicam obsederunt: sed tunc ab hostili peruasione beatissimi MARTINI meritis meruit liberari, cuius corpus paulò ante introductum fuerat intra mœnia ipsius vrbis. Ipsum tamen S. Martini Monasterium, quod iuxta vrbem erat, concrematur, Clerici fugantur, Monachi disperguntur, & venerabile corpus S. Martini Autissiodorum postmodum cum honore defertur. Hac etiam sæuiente procella, vrbs Cenomannica deuastatur, & Cœnobium sanctæ Virginis Scholasticæ extra muros vrbis situm exustum est; & corpus ipsius sacræ Virginis intra eiusdem vrbis sinum positum & conseruatum. Sed & in Aquitania Karoli Magni Imperatoris Palatium, quod Cassinogilum vocatur, dissipatum est & euersum.

D

QVIBVS patratis ROLLO, cuius sæpe meminimus, conscensis nauibus tandem per Sequanam & Sagunnam maxima flumina, tendens ad superiora Burgundiæ, & Aruernorum fines subintrauit, & vsque ad Clarmontem Aruernorum ciuitatem totam regionem diuersis calamitatibus exinaniuit, & inde rediens per Pro-

A uinciam Senonensem in Floriacum venit. Verùm, ante biduum quàm illuc pergeret, eius aduentus ad notitiam Floriacensium peruenit Monachorum. Qui statim Aurelianis citissimi fugiendo peruenerunt; & intra ipsam vrbem, in Ecclesia S. Præsulis Aniani, S. Benedicti preciosum ac venerabile corpus deposuerunt, donec ille malignantium impetus pertransiret. Impius autem ille cœtus adueniens, sexaginta ibi sacri desiderij Monachos reperit, & quosdam cum eis Ecclesiæ seruitores, quos mox gladio trucidauit; ipsúmque sancti Patris Benedicti Cœnobium priùs deuastatum effera rabie concremauit. Sed eadem nocte pius pater Benedictus in somnis apparuit cuidam Comiti nomine GISSILOLFO, qui eiusdem Monasterij erat Aduocatus, & dixit ad eum: Eia Comes, quare te tanta timiditas siue ignauia oppressit, vt meæ aduocationis locum Floriacum ita dimitteres indefensum, vt serui Domini ibi iaceant inhumati, à gentilibus interfecti? Cui Comes; Quis, inquit, es tu Pater? Ait illi: Ego sum frater Benedictus, qui de Beneuentanis finibus in Galliam translatus, propriam requiem in Cassino monte spreui, & hunc locum Floriacensis B Monasterij elegi, vt lucerna disciplinæ Monasticæ per meam corporalem coëssentiam vniuersæ innotesceret Galliæ. Surge ergo quantociùs, & esto vir fortis, & belliger robustus; & insequere dorsa crudelium Paganorum, qui & locum meum violauerunt, & igni combusserunt; insuper & Monachos meos, & colibertos interfecerunt, & impunè, proh pudor! euaserunt. Ad hæc Comes: Quomodo, inquit, possum ego vel insequi quos iubes, vel prædam excutere; qui non habeo tempus congregandi satellites meos? Cui Pater sanctus: Noli, inquit, anxiari propter paucitatem militum: tantum accelera & arripe clypeum cum his, qui tibi assunt, hominibus, & insequere velociùs nihil metuentes: quia ego ero tecum, vt ambiam latera tua, & immunis ab hostium telis, victor famosus reuerteris. His dictis, Comes euigilauit, secúmque quæ viderat & audierat prudenter pertractans, celeriter surgit, & arreptis armis cum suis hostes insequitur, tanti patris animatus sponsione, maximóque impetu subito super eos irruit. Hostes aggressus, captiuos emancipauit, prædam excussit, & victor lætabundus absque læsione aliqua est regressus. Qua expleta vi-C ctoria, Floriacum est ingressus, & non sine lacrymarum copiâ interemptorum tumulauit corpora, illud Psalmographi commemorans: *Effuderunt sanguinem sanctorum, & non erat qui sepeliret.* Quod factum postmodum peruenit ad notitiam Karoli Regis, qualiter Comes Gissilolfus S. Benedicti Aduocatus cum paucis hostium multitudinem prostrauisset, & prædam excussisset, vinctos enodatos reduxisset, & victor illæsus remeauisset. Moxq; prædictus Comes aduocatus ante Regem affuit, rémque per ordinem sicut egerat illi retexuit: testem sibi aduocans Deum, quia in hora congressionis beatissimus Pater Benedictus Monachili habitu reuestitus caballum cui insedebat conscendit, & in tota illa congressione vti pius propugnator promiserat, frenum tenuit, & equum rexit, scutúmque rotauit, & illum illæsum cum suis omnibus ab hostili acie reduxit. Quod audiens Rex Dominum glorificauit, & Floriacum perueniens lamentum desolationis dedit: & post hæc munificentia regali copiosum subsidium restaurationis adhibuit. Data denique, vt dignum est, totius restaurationis vberrima copia, in vnius anni spatio penè totum Monasterium in D pristinum renouatum est modum.

PORRO quædam Ecclesia intra castrum Floriacum erat constructa, & in honore S. Petri Apostolorum Principis consecrata, quæ diuina gratiâ ab incendio remanserat inuiolata. Verùm intra annum Monachi qui remanserant consilium inierunt, vt beati corpus Benedicti in initio Aduentus Domini ab Vrbe Aurelianensi nauigio reportarent, & illud in præfata S. Petri basilica, quæ intacta ab igne remanserat, eo vsque collocarent, donec eorum officinæ regulari more perficerentur. Statuto igitur die, Conuentus Episcoporum & Abbatum non minimus Aurelianis aduenit, quatinus thesaurum Domini, sancti corpus videlicet Benedicti, secundum condictum proprium reportarent ad locum. Acceperūt igitur viri timorati sacrum corpus S. Benedicti, & imposuerunt naui. Quæ cùm tantæ sanctitatis onus suscepisset, miro modo totum illud Ligeris spatium, quod ab Aurelianensi ciuitate vsque ad Floriacum protenditur, sursum versus absque gubernatore & humano remige sine offendiculo decurrere cœpit: vt crederes Christum in naui cum Apostolis sedentem, & elementis potestatiuè imperitantem. Ipsa verò dies pridie Nonas

Decembris esse dinoscitur, in qua quandiu huius mundi Sphæra voluitur, honor & memoria tantæ gloriæ per totam Galliam sollenniter celebratur. Verùm vbi nauis portum Floriacensem impegit, maxima Episcoporum, Abbatum, Monachorum, Clericorúmque vnâ cum plebeiis turmis multitudo concurrit, psallentes & dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et cùm ingens frigus, vti tunc temporis solet, cuncta obstrinxisset arua, res contigit mira, ac vehementer stupenda. Nam cùm per eam portam, quæ nunc Paschalis dicitur, sanctissimi cineres inferrentur; ac si in medio Aprili, ita omnes arbores eiusdem loci tam pomiferæ quàm agrestes, spineta etiam & arbusta in flores eruperunt. vt palam cunctis innotesceret, qualiter S. Benedictus pater apud omnipotentem Dominum nostrum Iesum Christum gloria & honore sublimatus existeret. Nulla vox alia audiebatur, nisi, *Gloria tibi Deus, quia nunc cognoscimus quid te donante suscepimus*. Depositis igitur sacris pignoribus in antefata S. Petri basilica, celebratóque sollemniter diuino mysterio, quique in sua rediere cum gaudio. A

PAVCIS denique euolutis diebus præfatus ROLLO tyrannus disposuit obsidere Carnotum. Erat eodem tempore in eadem vrbe sacerdos venerandus nomine VVANTELMVS. Qui audiens aduenientium opinionem hostium perfidorum, orabat sanctam Dei genitricem Mariam, vt illam ab imminenti periculo protegeret ciuitatem. Inuitauit præterea Burgundionum Comitem RICHARDVM, necnon & Pictauensem Marcionem EVBALVM, vt suo aduentu miseris ciuibus præstarent auxilium. Quid plura? Cùm perfidus Rollo prædictam ciuitatem iam crudeliter perurgeret, aduenicns Comes Ricardus cum Francis & Burgundionibus, cœpit eos repente proterere, & incautos huc illúcque diffundere. Vvantelmus etiam sacerdotaliter infulatus, bajulans reliquias sanctæ Dei Genitricis, egressus patentibus portis, vna cum ferratis militibus vrgebat hostes attentiùs. Sícque Rollo sanctæ Mariæ meritis iterum superatus, Rothomagum est regressus. B

VERVM tandem tricesimo & sexto anno, quo Francorum regnum à memorata gente cœperat infestari, Rollo Dux ille potentissimus voluit esse Christianus. FRANCO quippe Rothomagensis Archiepiscopus illum verbis salutaribus mitigauit, & ad Christi Domini cultum sagaciter inuitauit. Et postquam permissu diuino multa Franciæ bona diripuit, vastauit, incendit, atque consumpsit: factus est fidelissimus Christi cultor, cuius ante fuerat crudelissimus persecutor. ODO, cuius ante meminimus, Burgundiæ Dux iam decesserat; sed minor frater eius supererat RODBERTVS, patrem suum nomine referens. Cuius vsus consilio Rex Karolus Rollonem per prædictum Pontificem ad colloquium inuitauit, desponsauítque illi filiam suam nomine GVILLAM, concedens ei pariter terram, quæ nunc Normãnia vocitatur, à fluuio Andellæ vsque ad Oceanum mare: eóque illum secedere cõpulit, & metas ei Arnam fluuium posuit. Baptizatum denique Rollonem præfatus Rodbertus Burgundiæ Dux à sacro latice leuauit; & imponens ei suum nomen, magnificis eum muneribus honorauit. Rex quoque adiecit donationi, quam prius Rolloni donauerat, totam Britanniam sicut iamdudum possederat; vt per hoc etiam beneficium efficeret illum sibi fidelissimum vassallum. Quibus peractis, Rollo qui & Rodbertus post paucos dies, longa militia fatigatus, & senio prægrauatus decessit; relinquens filium suum GVILLELMVM, cui cognomen fuit Longaspata, sibi successorem. C D

TRICESIMO denique & sexto anno postquàm Francorum regnum à memoratis paganis infestari cœpit, corpus beati Martini ab Autisiodoro ad propria relatũ est. Cuius Ecclesiam nuper concrematam Optimates quique reædificauerunt, & ne leuiter ampliùs oppnimeretur, muro cinxerunt. Sæpedictus etiam Karolus Rex Frãcorum pontem miræ firmitatis aduersus impetus Danorum, quos nunc Normannos vocamus, super fluuium Sequanam fieri fecit: positis in vtrisque capitibus castellis artificiosè fundatis, in quibus præsidia collocauit. Quibus patratis, auidè materiam quietis arripuit.

A

ABBONIS
DE OBSESSA A NORMANNIS LVTETIA PARISIORVM LIBRI DVO.

B

SCIDVLA SINGVLARIS CERNVI ABBONIS dilecto Fratri Gozlino.

CVNCTORVM Dei plasmatum extimus & conleuita indignus Abbo, sinceræ omnemque terrigenam superantis igne dilectionis amplexando fratri Gozlino quicquid in Christo vtriusque vitæ manet iocunditatis. Tuæ admodum mihimet acceptissimæ germanitatis affectio sibimet dudum destinari crebrò poposcit, vt bellorum Parisiacæ polis, præcellentissimi quoque Principis ab * examine regni hucusque Odonis, nostro genitum labore codicellum didicit, tam * contigui studiosa ingenioli, quàm fraterni insuper non immemor flagri. Eandem itaque ob gratiam faustissime noueris Germane, tibi hancce dirigi pagellam, cùm tam rara ne vnquam penes me frustretur petitio, tum C solamine omnium apud lectorem amicissimi vt cara finetenus vice illam mittentis fungatur: quinctiam à deuiis prudenti dextera releuetur. Nunquam enim otio reficiendi ob scholarum pluralitatem cuius commoditati vbique locorum vacauerim. Verùm quî primùm fuerit prolata, constat adhuc sequens pagina membranis semel tantum mutatis: post quoque ceu quopiam Phœbo, tuo sagaci lustretur arbitrio. Denique huius eliminata directionis causa, æquum autumatur depromi geminas etiam opusculi inchoationes. Quarum siquidem prima fuerit causa exercitationis (tunc etenim adhuc litteratoriæ tyrunculus disciplinæ, Maronis proscindebam eglogas:) altera verò mansuri aliarum tutoribus vrbium exempli. Cæterùm tam tuæ, quàm reliquorum quidem lectorum almæ charitati non istud metricè cōplecti volumen quòd vates * taxer, notum fore molior. Nullatenus quippe hîc quæ penes summos reperiuntur figmenta poëtas. Atqui Faunos ferásve nunquam tripudio carminis in ludum more Sileni conglomerauerim, neu rigidas motare cacumina quercus coëgerim, tum verò syluæ auésque, mœnia quoque nunquam nostris D sunt comitata vestigiis, præ dulcedine cantionis: nec quouis modulamine Orco aliisve manibus animas tartarea eripuerim caligine ritu Orphei. Planè etiam si quando affuerit velle, nusquam tamen his actibus fauit posse. Ergo nec * positor quidem nuncupor, nec figmenta hîc habentur. Sed nostræ facultatis adsint præsidia. Porro Triadi nostros credidi biblos visu & auditu modo decussatos. Quorum duo quidem tam præliis Parisiacæ vrbis, Odonis quoque Regis, quàm profectò almi ac herois præsertim mei Germani eiusdem sedis olim egregij Præsulis effulgēt miraculis, aliàs tamen quibuslibet inauditis. Qui autem supplet Trinitatem tertius * horumce ignarus constat. Nam cleronomos tametsi angustum maneat situm, decentissimè ornat, tum scholasticis ambientibus glossas suis in commentis obnixè complacet, allegoria verò aliquātisper cui eius indago libuerit, renitet; cui per semet quoniam * mutis inhæret verbis, propria manu * linguas superieci. Pedes autem in omnibus

*gl. origine.
*glo. propinqui.
*glo. nominer. Virg. egl. 6.
*gl. poëta.
* Hunc tertium librū, vt nihil ad historiam facientem omisit Pithœus.
*glo. obscuris.
*glo. glossas.

opusculi versibus adeo delegerim, quo perrarissimos forte ignorātia potiúsve obliuione liquerim claudos: qui tamen * periergia quæso industriáque legentis debitæ virtuti restituantur. Pentemimeris nempe seu cum catatriton trocheon éptemimeris rata similitudine per omnia currunt cæsuræ, quamquam bucolice ptomen perpauca. Communibus præterea * bannitæ modis cum diæresi & episynalepha non densè vsus extiti. Igitur largiente diuino munere, suggessit hæccine mihi facultas. Quid plura? Catalecticus cunctus existit versus. Tum multa prorsus alia lectori seria parebunt indita. Nec tamen putetur hoc ob aliud factum nisi materiam vel à tua, dulcissime Frater, prudentia hauriendam, seu cuiuspiam alterius diserti, cùm ad manus venerit, metrici. Dactilici quidem versiculi trimetri præpositi causam enucleant sui, sed minimè exauditi. Verùm quod haud apud magistrum, saltem merceantur nancisci penes Germanum. A

*gl. solertia.

*gl. syllabæ.

Gaudia quot radij Phœbo, tibi sint & honores,
Cùm sine in finem, clam quoque sine Deo.

VERSICVLI DACTILICI, AD MAGISTRVM SVVM AIMOINVM.

O Padagoge sacer meritis
Aymoine pij radians,
Dignéque sydereo decore:
*Perrogitat * mathites liniens*
Ore pedes digitósque tuos
Cernuus ABBO *tuus iugiter,*
Sume botros, tibi quos tua fert
Vitis adhuc virides; rubeant
Imbre tuo radiisque tuis.
*Continuò seris * atque fodis*
Tu, celebrande, putas & eam,
Nuncque cupis niteat pluuiis
Alterius, iubare alterius,
Dulce cui tribuas rogo mel.
Nam tibi palmes & vua manet.
Floruit has mihi Parisius
Nobilis vrbs, veneranda nimis
Bella precans sua ferre tibi.
Agnita cuius vt orbe vago
Sepiat æthera palma volans,
Doxáque regnet vbique micans,
Ore tuo gradiente super. C

*discipulus

*gl. doces atque corrigis.

ABBONIS,

D

ABBONIS LIBER PRIMVS DE BELLO PARISIACÆ VRBIS.

IC alacris saluata Deo Lutetia summo,
Sic dudum vocitata, geris modo nomen ab vrbe
* *Isia, Danaum lata media regionis,*
Quæ portu fulget cunctis venerabiliori:
Hanc Argiua sitis celebrat perauara gazarum,
Quod nothum species metaplasmi modo nomen
O collega, tibi, Lutetia, pingit honeste
Nomine Parisiúsque nouo taxaris ab orbe,
Isiæ quasi par merito pollet tibi consors.
Nā medio Sequanæ recubans, culti quoq; regni
Francigenum, temet statuit percelsa, canendo.
Sum polis vt regina micans omnes super vrbes
Quæ statione nites cunctis venerabiliori.
Quisq; cupiscit opes Francorum, te veneratur,
Insula te gaudet, fluuius sua fert tibi giro
Brachia complexo muros, mulcentia circum
Dextra tui pontes habitant tentoria lymphæ
Læuáque claudentes: horum hinc inde tutrices
Cis vrbem speculare * *falas, circa quoq. flumē.*
Dic igitur, præpulchra polis, quod Danea munus
Libauit tibimet soboles Plutonis amica,
Tēpore quo præsul Domini & dulcissimus heros
Gozlinus temet pastórque benignus alebat?
Hæc inquit, miror, narrare potest aliquis ne?
Nonne tuis idem vidisti oculis? Refer ergo.
Vidi equidem, iussísque tuis parebo libenter;
Hæc tibi nempe litauerunt libamina saui
Septies aërias centum præter iuniores
Quamplures numero * *naues numerante carentes,*
Extat eas moris vulgò barcas nominare:
Queis adeo fartus Sequanæ gurges fuit altus,
Vsque duas modicúmque super leugas fugiēdo,
Vt mirareris, fluuius cui se daret antro;
Nil parens, abies quoniam velauerat illum
Ac quercus vlmique simul, madidæ sed & alni.
Vrbem quo tetigere quidē * *Titane secundo,*
Egregij Sigefredus adit pastoris ad aulam
Solo Rex verbo, sociis tamen imperitabat,
Vertice flexo ad pontificem sic inchoat ore:
O Gozline, tibi gregibúsque tuis miserere,
Ne pereas, nostris faueas dictis rogitamus:
Indulge siquidem tantùm transire queamus
Hanc vrbem, tangemus eam nunquam, sed honores
Conseruare tuos conemur, Odonis & omnes
(Hic consul venerabatur, Rex atque futurus
Vrbis erat tutor, regni venturus & altor.)
Hæc contra Domini præsul fidissima iecit:
Vrbs mandata fuit Karolo nobis basileo,
Imperio cuius regitur totus prope cosmus
Post Dominum, regem dominatorémque potentum,
Excidium per eam regnum non quod patiatur,
Sed quòd saluetur per eam sedeatque serenum:
Vt nobis si fortè tibi commissa fuissent
Mœnia, quódque peregisses iustum tibi narras,
Quid fore sancires? Sigemfredus, Caput, infit,
Ensis honore meum, canibus demum quoque dignum:
Toxica, ni tamen his precibus cedas, tibi tela
Nostra ministrabunt castella die veniente
Decedente famis pestem hoc peragéntque quotannis.
Hæc ait, atque dehinc abiit sociósque coëgit.
Sic caput Aurora rapuit perdente duellum,
Nempe ruunt omnes ratibus, turri properantes,
Quam feriunt fundis acriter cōplētque sagittis.
Vrbs resonat, ciues trepidant, pōtésque vacillāt.
Concurrunt omnes, turrique iuuamen adaugēt.
Hîc Comites Odo, fratérque suus radiabant
Robertus, paritérque comes Ragenarius; illic
Pontificisque nepos Ebolus fortissimus Abba:
Hîc modicum præsul iaculo palpatus acuto.
Hîc eius iuuenis miles simili Fredericus
Est ictus gladio, miles periit, seniorque
Conualuit sese medicante Dei medicina.
Hîc vitæ multis extrema dedere; sed acres
Pluribus infigunt plagas, tandémque recedunt,
Exanimes Danos secum multos referentes.
Iam occidui medium vergebat ad vltima Tyle
Climatis australis quoque Apollo secutus Olympo,
Nil prorsus species turris renitens erat adhuc
Perfectæ, fundamentis tantum bene structis
Ac modicum ductis sursum factísque fenestris
Gaudebat, belli sed eadem nocte peracti
Altius hæc circumductis creuit tabulatis.
Lignea sescuplæ siquidem superadditur arci.
Sol igitur Daníque simul turrim resalutant,
Prælia deuotis iaciunt immania valde:
Pila volant hinc inde, caditq; per aëra sanguis,
Commiscentur eis fundæ laceræque balistæ;

* *Nam Parisius dicitur.*

* *glo. turres.*

* *glo. ducones.*

* *die.*

Nil terras intérque polos aliud volitabat.
At turris nocturna gemit dardis terebrata,
Nox fuit eius enim genitrix, cecini quoq. supra.
Vrbs pauitat, ciues strepitant, & classica clamãt.
Absque mora tremulæ cunctos succurrere turri.
Christicolæ pugnant, bellóque resistere curant.
Belligeros inter cunctos gemini radiabant
Plus aliis fortes, alter comes, alter & abba;
Alter Odo victor, bellis inuictus ab vllis,
Confortando fatigatis vires reuocabat,
Lustrabat iugiter speculam perimens inimicos.
Qui verò cupiunt murum succidere musclis,
Addit eis oleum cerámque picémque ministrãs
Mixta simul liquefacta foco feruentia valde,
Quæ Danis ceruice comas vrũtq. trahuntque.
Occidunt autem quosdam, quosdamque suadent
Amnis adire vada. Hoc vnà nostri resonabant,
Ambusti Sequanæ ad pelagos concurrite, vobis
Quo reparent alias reddẽdo iubas mage cõptas.
Fortis Odo innumeros tutudit. Sed quis fuit alter?
Alter Ebolus huic socius fuit æquiperánsque.
Septenos vna potuit terebrare sagitta,
Quos ludens alios iussit præbere coquinæ.
Hisce prior mediúsve fuit, circúmve nec vllus.
Fortiter ast alij spreta nece belligerabant.
Verũ stilla quid est simplex ad caumata mille?
*P * geminum fidos rarò quamuis vegetabat,*
** M q; truces posthac chile seranta chile id extat.*
Hice recenter eunt vicibus turrim: iuge fœdi
Ingeminãt bellum, clamor fremitúsq. fit altus,
Ingentésque replent voces hinc inde ruentes
Aethera, saxa fremunt parmas quatientia pictas,
Scuta gemunt, galeæ strident traiecta sagittis.
Huc præda redeunt equites, certamina stipant,
Incolumes adeunt speculam, saturique ciborum,
Antéque durcones multi repetunt morientes
Quàm lapides iaciant illáque grauẽt lapidãdo:
Dulce quibus flumen Danæ spirantibus, aiunt
Quæq. suo lacerãs crines lachrymánsq. marito,
Vnde venis: fornace fugis? scio nate diabli
Hanc nullus poterit vestri superare triumphus?
Non tibi nunc Cererem, vel apros, Bacchúmque litaui?
Tamque citò quare repedas ad tegmina stratus?
Hæc iterum gestísne tibi ponis? redeúntne
Helluo sic alij? Similem mereantur honorem
*Clibanus * ob humile quantũ speculæ sinuatus*
*Sæua per ora * duit quamuis ignobile nomen.*
Ima dehinc ardent eius discindere scisci.
En immane foramẽ, hians, maius quoq. dictu.
Apparent penitus proceres iam nomine citi
** Cristatósq. vident cũctos, quib. atq. vidẽtur*
Conspiciúntq. viritim omnes non introeuntes:
Horror enim vetuit quod non audacia sumpsit.

* P. Græcũ si fuerit geminatum 200. significat.
* M. similiter geminatum 40. significat. Chile mille. Tot enim erãt Nortmanni, id est 40. millia.

* Turrim vocabant furnum. Sic v.c.
* dedit.

* glo. galeatos.

Orbita mox à turre teres iaculatur in illos,
Bis ternas arcens animas direxit Auerno,
Pérque pedes tracti numerum cõplet morientũ.
Tum foribus posuere Larem Vulcania cura.
Hinc multare viros, rentes & perdere turrim.
Fit rogus horribilis fumúsque teterrimus inde,
Nubila militibus miscet, succedit & vmbris
Scilicet arx piceis, hora veluti diuturna.
Nam tulit hac minimè sufferre diu sibi notos:
Sed nostri Dominus miserescens vertere iussit
In sortem cæcam populi nebulam generantis.
Fortius ille furens Mauors regnare sategit.
Signifer en geminus concurrit ab vrbe benigna
Lancea bina gerens speculã conscendit, amictũ
Auribus immodica croceum formido Danorũ;
*Tunc centena * quium pepulit cum sanguine vitam*
Centeno catapulta nimis de corpore pernix.
Hospitiúmque comas ducti lintrésque remisũt.
Lemnius hic moritur claudus, magno superãte
Neptuno, humectant latices incendia fusi:
Pestiferæ gentis miles percussus acerbo
Rotbertus felix iaculo spirauit ibidem,
Atque Deo pauci vulgo periere iuuante.
Erubuere tamen posthac veluti lupus audax
Nil rapiens prædæ, repetitq. quidẽ nemus altũ,
Subtilémque nimis secum retulere fugellam.
Tercentum exanimos flentes Charone receptos,
Nox comitans turris studuit vulnus medicari.
Hæc duo bella sui residens in limite currus
Ante Nouẽber adest, gelidus supplere Decẽber.
Solibus is caudam ternis quam cederet anni.
Sole suos fuluo radios fundente sub æthre
Sorte Dionysij lustrant equidem recubantes
Macharij, Sequanæ ripas & castra beatum
Germanum circa teretem componere vallis
Commixto lapidum cumulo glebisque laborant.
Post, montes & agros, saltus campósque patẽtes
Ac villas equites peragrãt peditésque cruenti:
Infantes, pueros, iuuenes, canámque senectam,
Atque patres, natósque necãt, necnõ genitrices,
Coniugis ante oculos strages gustat mulierem,
Coniugis ante oculos cædem tribuere marito,
Ante patrum faciem soboles, necnon genitricũ.
Efficitur seruus liber, liber quoque seruus,
Vernáque fit dominus, contra dominus quoque verna.
Vinitor, agricolæque simul cum vitibus omnes
Ac tellure ferunt crudeles mortis habenas.
Frãcia iã dominisque dolet famulísque relicta,
Heroe gaudebat nullo, lachrymísque rigatur.
Nulla domus stabilis viuo regitur dominante,
Ah! tellus opulenta gazis nudatur opimis,
Sanguiuomis, laceris, atris, edacibus æquo
Vulneribus, prædis, necibus, flammis, laniatu,
Prosternunt, spoliant, perimunt, vrunt, populantur

* pro quorum.

Dira cohors, funesta phalanx, catusque seuerus.
Posse fauebat eis actutum velle quod ipsum
Omnia se visum gestabant ante cruentum,
*glo. Valles, pauperes. Valles *diffugiūt humiles, tumidi prius Alpes
*glo. valde amant. Arma simul *diamant lucos cum corde fugaci:
Nemo patet, fugiunt omnes, heu, nemo resistit.
Sic decus à regni pro posse tulere venusti,
Sic celebris specimen cymbis portant regionis.
Terribiles inter acies tamen astitit acta
Parisius ridens media imperterrita tale.
*Carri XVI rotis, lx. hominum capaces. Ergo bis octonis * faciunt mirabile visu
Monstra rotis ignara modi compacta Triadi
Roboris ingentis super argete quodque cubante
Domate sublimi cooperto. Nam capiebant
Claustra sinus archana vteri penetralia vetris.
Sexaginta viros, vt adest rumor, galeatos.
Vnius obtinuêre modum forma satis ampla.
Completis autem geminis, ternum peragendo
Mittitur arte fala vexare falarica binos
Artifices, neruis iaculata vno quoque plectro:
Sic nobis lethum primi meruêre paratum.
Mox monade necata obiit sæuissima dias.
Mille struunt etiam celsis tentoria rebus
Tergoribus collo demptis tergoque iuuencûm;
Bis binos tresisue viros clypeare valebant:
Quæ pluteos calamus vocitat cratesue Latinus.
Nox nullam recipit requiem, nullumque soporē.
Veloces acuunt, reparant, cuduntque sagittas,
Expediunt clypeos, veteresque noui efficiuntur.
Cumque senis Phœbi fulgor iam scandit in almas
Quadrigas agilis, noctemque repellit opacam,
Atque suos oriens oculos dimittit in vrbem;
En proles Satanæ subitò castris furibundi
Erumpunt trepidis nimium telis onerata:
Ad turrim properant, tenues vt apes sua regna
Distentis adeunt humeris casiaque thymoque
Arboreisque simul vel amœni floribus agri:
Haud secus infœlix populus contēdit ad arcem
*glo. arcubus. Pressis *fornicibus humeris ferroque tremēte
Ensibus arua tegunt Sequanam clypeis, & in vrbem
Plumbea mille volant fusa densissime mala,
Atque ferunt pontis validis speculas catapultis.
Mars hinc inde furit surgēs, regnatq. superbus:
*i. cāpanę Totius Ecclesiæ conuexa boando *metalla
Flebilibus vacuas supplent clamoribus auras.
Arx nutat, ciues trepidant, ingēsque tubarum
Vox resonat, cunctosque pauor cum turribus intrat.
Hic proceres multi fortesque viri renitebant:
Antistes Gozlinus erat primas super omnes,
Huic erat Ebolusque nepos Mauortius Abba,
Hic Rotbertus, Odo, Ragenarius, Vtto, Erilangus
Hi Comites cuncti, sed nobilior fuit Odo,
Qui totidē Danos perimit, quot spicula mittit.
Dimicat infœlix populus pugnatq. benignus:
Tres armauit atrox cuneos, quibus obtulit arci,
Maiorem, picto ponti geminosque *parone; *glo. nauigio.
Hanc sat opinati superare hunc si potuissent.
Hæc multum patitur, multò maiora sed ille:
Hæc depicta gemit vario sub vulnere rubra,
Ille virum luget vires obitusque fluentes.
Sanguine nulla via vrbis adest intacta virorū,
Prospiciens turrisque nihil sub se nisi picta
Scuta videt, tellus ab eis obtecta latebat.
Inde super cernens lapides conspexit acerbos,
Ac diras vt apes densè tranare *cateias,
Inter sese aliud turrimque nihil metit æther. *glo. dardos.
Vox immensa, metus maior, strepitusque fit altus,
Hi bellant, isti pugnant, resonantibus armis
Prælia Nortmanni exacunt crudelia sanè;
Nullus habet terra totidem qui viuere natus
Indutos gladiis pedites spectaret in vnum,
Et tanta miraretur testudine picta
Hac sibi confecêre polum vitam nutrientem,
Quem nullum superare caput cupiebat eorum.
Ast infra capiunt tetra necis arma frequenter.
Mille dabant pugnam pariter stantes in agone,
Mille simul turrim, quoniam contingere cuncti
Haud vnà poterant, turmis certare studebant.
Arx speculans nudis quoniā * chelis inimicus *glo. brachiis.
Ingeminat populus certamen, & ore patenti
Erectas taxos arcus conuertit in vncos.
Vnius hinc iaculum trāsmittitur os in apertū,
Quem subito conans alius *clypeare migrātem, *glo. contegere.
Nempe cibum gustat primus quem repserat ore.
Adueniens autē numerū qui clauderet *almū *i. trinū.
Hos nitens geminos auferre latenter, & ipse
Percussus pharetra turri veniam quoque poscit.
Sub clypeis illos alij conduntque trahuntque:
Vnde furore nimis pingues bellum renouarunt,
Scuta cient planctus saxis ferientibus ipsa,
Sanguineasque vomunt voces galeæ subeuntes
Aethera, crudeli lorica mucrone foratur.
Respiciensque suas & quos fundauerat artus
Omnipotens fabricas modicum Danis superari,
Exhibuit nostris vires animosque valentes;
Impertitus eis sensus equidem tremebundos.
Tum pereunt miseri, pluresq. vehuntur ad altos
Ponentes animas torquentibus arma *faselos. gl. naues.
Iam Titan celeres missos præmittere curat
Oceano pompare thoros otium quibus abdat,
Toruaque plebs quā iam cecini tentoria turri
Texta tulit syluis flenti cæsisque iuuencis;
Queis noctem quidam bello, quidamque sopore
Prætериere, quibus *circumtriuere meatus *gl. posuere.
Penniuolas *acies vibrari felle madentes *gl. sagittas.
Militibus noctu eximiam cernentibus arcem.
Mane quidam flagrante nouant certamina plenis

Arma trucum terris fixa testudine giro.
Certabant plures alij fossata studere
Quæ circa resident illam, sulcosque replere.
Hinc glebas specubus, frondesque dabant nemorosas,
Atque suo segetes etiam fœtu viduatas,
Prata simul, virgulta quoq. & vites sine gēmis,
Hincq; senes tauros, pulchrasq. boues, vitulosq;
Postremūque necant, elegos, heu! quos retinebāt
Captiuos, sulcisque cauis hæc cuncta ferebant.
Idque die tota stantes agitant in agone.
Hocce pius cernens præsul, clara lachrymādo
Voce vocat Domini Saluatorisque parentem:
Alma redemptoris genitrix mundique salutis,
Stella maris fulgens, cunctis præclarior astris,
Cede tuas precibus clemens aures rogitantis,
Si tibi me libeat missas vnquam celebrare,
Impius atque ferox, sæuus, crudelis & atrox
Captiuos perimens, laqueo necis irretiatur.
Arce repentè volans telum deferre sategit
Antistes Gozlinus huic quod flendo precatur
Qui vinctos vinctus mortis dimisit habenis,
Atque miser sociis tendit clypeumque pedēque,
Os soluit, virtute ruit, sulcosque repleuit,
Mensurans terram, spirans animam malè natam,
Captiuos iuxta tritos gladio nimis eius.
Vrbs in honore micat celsæ sacrata Mariæ
Auxilio cuius fruimur vita modò tuti:
Hinc indicibiles illi si forte valemus,
Reddamus grates, placidas reboëmus & odas,
Vox excelsa tonet, laudesq; sonet, quia dignum.
Pulchra parens salue Domini, regina polorum,
Nostra nites altrix, orbis constas dominatrix,
Quæ sæuis manibus Danûm gladioque minace
Soluere Lutetiæ plebem dignata fuisti,
Lutetiæque satis poteras conferre salutem,
Quæ lubrico Saluatorem cosmo genuisti.
Cælicoli cœtus, virtutes ac dominatus,
Primatusque, potestatesque, tronique polorum,
O genitrix sobolis summi Regis celebranda
Te gaudent, recolunt, laudant, venerantur, adorant.
O fœlix vteri thalamo quæ claudere mater
Quem cœli nequeunt, tellus, vastū mare, quisti;
Atque tuum delecta patrem nobis peperisti.
Luna micans, Solem multo plus te renitentem
Fudisti terris, & eas quo plena manebas
Inradiando genus nostri lapsum reparasti.
Ergo cui, Regina poli, componere quibo?
Sanctior es cunctis, sexu felicior omni.
Cultorum miserere tui iam nata potentis:
Gloria, laus & honor, radiāsque decus tibi sēper
Sit benedicta Dei mater sceptris in Iesu.
Phœbus abit, noctisque redit caligo serena,
Excubiisque * nequam turris sæpitur opimis. *gl. Nortmannorū.
Aurora girante polos girantur & arces.
Mortiferis siquidem telis quatientibus illas
Arietes constant, vnumque locant ab Eoo
In turrim; contemplatur Septemtrio celsa
In portas alium: tenuit contra latus eius
Ocque cidens ternū, magno cum pondere nostri
Tigna parant, quorum calibis dens summa peragrat,
Machina quo citius Danum quisset terebrari:
Conficiunt longis æquè lignis geminatis
Mangana quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus iaciunt ingentia, seu iaculando
Allidunt humiles scenas gentis truculentæ.
Sæpe quidem cerebrum ceruice trahunt elegorū,
Vah, multosque terunt Danos, plures quoque * peltas. *gl. scuta.
Immunis clypeus fractu nullus fuit ictus
Quem talis tetigit, non vllus morte misellus,
Ast infelices foueas supplere phalanges
Nequicquam tendunt, potuere replere nec vllā.
Nitebantur enim arietibus pessundare turrim:
Quos quoniam nequeūt æquis deducere cāpis,
Corripiunt ternas rabidi Rimbas * satis altas *naues.
Frōdiuagis equidem syluis grauidare flagrātes,
Postremum Vulcanus eis imponitur ardens.
Flammiuomas oriens demittit eas pedetentim,
* Anguinisque trahebantur ripas secus ipsæ. *gl. Funebus.
Ad pontem, seu conspicuam comburere turrim,
Sylua vomit flammas, arent latices pelagique,
Terra gemit, virides herbæ moriuntur ab igni,
Lenius atque potens Neptuno stat pede trito.
Regna poli furuus penetrat, nubesque peragrat.
Hinc tellus & ager lymphæ cœliq; cremantur.
Vrbs luget, speculæque timēt & mœnia deflent.
Heu quā magna oculis manāt lacrymosa beatis
Flumina: Dant pulchri iuuenes, sed & alba senectus
Mærentes gemitus, matresque iubas laniando
Terga dabat siccæ, crinesque per arua reuoluūt,
Hæ colaphis nudata suis iam pectora tundunt,
At secuēre genas aliæ lachrymis madefactas:
Tum trepidāt ciues, cunctique vocāt celebrādū
Germanum: Miserere tuis, Germane, misellis
(Parisius præsul fuerat sanctissimus olim,
Illustrabat eam cuius venerabile corpus)
Mœnia Germani nomen recinunt: & in omni
Exclamat miles specula, primique virorum;
O famulis, Germane, tuis succurrere disce.
Littora seu liquidi laticis pelagus ciet altum,
Sydereosque thronos quibus emicat, vt iubar almus
Verberat innumerus Echo comitante boatus,
Germanū respondet & vrbs vocitātibus ipsum.
Concurrunt matres pariter iuuenesque puellæ
Ad sancti tumulum suffragia poscere grata.
Infœlix & ob hoc populus subiit nimis alta
Gaudia, subsannans ciues Dominique cateruā.
Scuta dabant alapis reprobo risu saturatis,

Argutóque tument horum distenta boatu
Guttura, & vrbanis plangentibus, aëra magno
Implentur sonitu, clamore minus nihil amplo:
Vox auditur in excelsis, & luctus in athris.
At Deus omnipotẽs omnis fabricæ reparator
Orbis, adest precibus Sancti rogitatus, & ipse
O, Germane, venis humili succurrere plebi,
Auxilio lapidumque salire struem super altã
Flammiuomas puppes, pontem ne læderet vlla
Ipse coëgisti: pontem sustentat is agger.
Continuo Domini populus descendit ad ignes,
Quos mergẽs in aquas, naues cepit sibi victor.
Hicque Dei sumpsit fœlix gaudere caterua,
Vnde prius sumpsit gemitus magnosq; dolores.
Sic nostris geritur bellumque, diesque recedit,
Noxque falã * gurdis mandat custodibus ipsã.
Sole suas nondum claras subeunte quadrigas,
Sub lucem, reuehũt crates sua ad oppida furtim,
Arietes carcamusas vulgo resonatos
Dimisere duos, pallos vetuit remouere
Quos nostri capiunt gaudenter depeculantes,
Rexque Danos retulit Sigẽfredus super omnes,
Quẽ turris metuit proprios sibi vellere ocellos.
Sicque iuuante Deo, durus Mauors requieuit.
Ianuarij suprema dies statuit triduana,
Hæc finire sequens studuit certamina mensis.
Tertia lux huius fuerat belli recolendæ
Sancta Genitricis tunc purificatio Christi,
Quæ nostræ tribuit plebi gaudere triumpho.
Præterea conscendit equos auibus ociores
Infortuna cohors repetens partes Orientis,
Francia quas nondum populatas tristis alebat,
Cuncta prius dimissa necans magalia poscit,
Quæ Rotberto aderant Pharetrato agnomine
claro,
Cuius erat miles tantum obsequio modo solus:
Vna domus retinebat eos. Miles seniori,
Nortmannos contemplor, ait, cursim veniẽtes.
Rotbertusque suum cupiens admittere scutum,
Nil vidit, quoniam populus suus abstulit illud:
Quem Danicos iussit cuneos idem speculari:
Ense forum nudo petiit tamen obuius illis,
E quibus occidit geminos, & tertius ipse
Incubuit morti, nullo sibi subueniente.
Vnde nepos eius nimium tristans Adalelmus
Consulis intererat populo, cui talia dixit:
Eia viri fortes clypeos sumatis & arma,
Vlciscique meũ raptim properemus auunclum,
Hæc inquit, villam petiit, congressus acerbis
Ilicet hos vicitque trucidauitque nefandos:
Normanno villam victor moriente repleuit.
Nil reliqui prohibente fuga retulere * paroni.
Hæc eadem Rotbertus erat nitens operari.
Post æquor residens almi niueam secus aulã
Scandere Germani tentant crebrius vocitati,
Eius quæ speciem constat lucere sepulchri.
Hic iacuit suimet iugiter venerabile corpus,
Nobiliusque monasterium cunctis fuit illud
Neustria quæ refouere sinu dicebat in amplo.
Hinc propriis fuerat famulis gestatus in * vr-
bem.
Ipse Danos quicumque dabant vestigia prato,
Militibus speculam cernentibus vrbis in eius
Rure sitam, fugiente mora tradit capiendos.
Ecclesiam cuius penetrans lacerare fenestras
Ictibus arboreis vnus viteras lanionum,
Continuo amenti rabei confunditur atrox
Curribus Eumenidũ piceis artatus ab * almo,
Morsq; sequens miserum perdit, pietate remota,
Hisque fatigatus causis inferna petiuit.
Mi Germane sacer, cura ne spiritus olim
Illa meus subeat cuius miracula canto.
Hæc & quæ supplere queam faueas precor alme:
Summa patris summi natique, rogato, columba
Ore meo sedeat, mentem repleat piẽ domne,
Actibus atque sacris virtutum floribus ornet,
Expulsis sestrice sacra vitiis procul atris.
Torriculi scandens alius sublime cacumen
Mutat iter per quod subiit, gressus quoq; voluit
Ardua præcelsi nimium per culmina templi,
Ossa cui fregere sacri fastigia tecti,
Germani meritis vrgentibus. Hoc super vrbis
Pergama stans * venturus Odo Rex prodidit
omni
Stipanti semet plebi, digito manifestans.
Ipse Danum semet retulit vidisse cadentem.
Tertius adueniens oculos direxit in amplum
Mausoleum Sancti, nolens quos liquit ibidem.
Quod subiens quartus superis est demptus ab
auris,
Obticuitque sub occidua mox sorte sopitus.
Fortunate tui quintus, Germane, parentis
Accelerat reserare thorum, primo sed adempto
Percutit hinc saxo proprium pectus, patientem
A cathedra cogens animam decedere pestis,
Quæ nolens baratri tetigit cœnacula tetri;
Illustrem sobolis sanctæ seruat genitorem
Dextera; læua sacram prolis retinet genitricem.
Est Eleuterius pater, est Eusebia mater.
Proh dolor en medius cecidit pos nocte sileti
Obsitus alluuiis tumida bacchantibus ira.
Nam sparsim Sequana circumfudit sua regna,
Exuuiisque suis obtexerat æquora campum.
Australis gestabat cum vertex, sed & arcam
Quæ tellure manet sancti fundata beati.
Vrbis inhærebant dextris, alter sed & altri,
Mane quidẽ surgẽte Dani surgant simul acres,
Atque rates subeunt, armis onerant clypeisque,
Transque natant Sequanam, turrim cingunt-
que misellam.
Multa dabant illi densis certamina telis:
Vrbs tremuit, lituiq; boant, lacrymisque rigãtur
Mœnia, rusque gemit, totum pelagusq; remugit,
Aëra circumeunt lapides & spicula mixtim;

Marginal notes:
* ineptis, stultis.
* glo. nauigio.
* scilicet, ad parœciam, quæ nunc S. Germani veteris dicitur.
* glo. S. Germano
* glo. futurus rex.

Exclamãt nostri, clamãtque Dani simul omnes.
Terra tremit, nostri lugent, lætantur & illi.
Dumque volũt, ciues nequeunt succurrere turri,
Atque viris bello deferre iuuamen anhelis,
Quos validè numero bellantes sub duodeno
Rumfea vel formido Danũ non terruit vnquã.
Difficile est dictu bellum, sed nomina subsunt
Ermenfredus, Eriueus, Erilandus, Odaucer,
Eruic, Arnoldus, Solius, Gosbertus, Vvido,
Ardradus, pariterque Eimardus, Gozsuinusq;,
Seque neci plures sociarunt ex inimicis.
Hi quoniam nequeunt animis curuarier atris,
Aestibus accingunt carpentum arentibus arcis,
Ante fores gurdi * miserandæ gramine plenũ: *glo. stulti.
Fulmineisque velut Phœbo sub rura procellis
Nox vacua cæli specie confunditur alta.
Fas nulli arridente suum contemnere doma:
Haud secus, occuluit fumus speculam catapultis
Immersis aliquantisper feruore tonante.
Quisque rogi proprios flatus ne clade perirent
Accipitres, loris permisit abire solutis;
Quem dũ iam cupiũt omnes extinguere, desũt
Vasa quibus possent latices haurire fluentes.
Nãque Danum formidabant ausum fore nullũ
Aequora iam confessoris contingere gressu,
Pansa priùs propter meritũ miracula Sancti,
Haud modicã retinent solũ nisi quippe lagenã,
Quæ claram iaciẽdo focos Sequanã super altos
Seruantum fugit digitis dilapsa sub illos.
Vulcano periit claudo Neptunus inermis.
Larque super turrim saliit, cõtriuit & omnem.
Robora congeminant gemitus oppressa sub igni
Plus bello dominante rogo. Dimittitur illa
Militibus, pontis subeunt extrema relicta.
Prælia constituunt illic noua, sæuaque sæuis,
Donec ad alta caput flexit Phœbus vada ponti.
Pila dabat rupesque simul celeresque * cateias * dardos.
Plebs inimica Deo, pransura Plutonis in vrna.
Sed quia conflictus talis superare * nequibat, *glo. duodecim qui erant in turre.
Militibus clamare, fidem, cœpit, sed inanem
Ad nostram properare viri nolite temere.
Proh dolor! alloquiis se se credunt male functis,
Sperantes pretio redimi potuisse sub amplo.
Non alias verè caperentur luce sub illa.
Heu! nudi gladium subeunt gentis truculentæ,
Et cœlo mittunt animas liuore fluente.
Martyrij palmam sumunt caramque coronam.
Mox reliquis vt visus adest gẽtilibus Erueus,
Rex (quoniã facie splẽdens formaque venustus
Creditur, atque sui donis grassante tuetur)
Protinus intuitu fuso cernendo sodales
Dilectos * plecti, tanquam leo sanguine viso *glo. decollari.
Ipse furit, conansque manus vitare tenentũ,
Vndique vi voluit semet ceu nexus, vt arma
Sumeret, vlcisci proprios socialéque vulnus,
Obtentáque carens ipso sic insuperata
* Limphãtes potuit qua voce tonauit in aures. *glo. dementes.
Cædite me tensa ceruice: pecunia prorsus
Nulla meam tractet vitam, morientibus istis
Viuere quid sinitis? frustratur vestra cupido:
Quæ lux haud eius micuit, sed crastina flatu
Quæ voces, quæ lingua, quod os edicere possunt
Bella tot his prato egregij commissa relati?
Quotq; necaucrũt Nortmãnos hic? quot & vrbi
Duxerunt secum viuos? iam nullus eorum
Tunc audebat agrũ Sancti * conscendere latũ, * Germani.
Quorum præ terrore virũm certamina promo.
Corpora crudeles Sequanæ tradunt sine vita,
Laus quorum iugiter nomenque per ora virorũ
Insignesque simul mortes & bella volabunt,
Sol radiis donec noctis * pompare tenebras *glo. ornare sedilcat
Luna, diem stellæ pariter componere discant.
Prosternunt dehinc speculam de morte dolẽtem
Custodum. Cecidit telo quatiente Danorum
Signifer; hic artus misit flatumque Charoni.
Nemo meis super hoc dictis insurgere bello
Decertet: siquidem nemo nil verius vllus
Expediet, quoniam propriis obtutibus hausi.
Sic etiam nobis retulit qui interfuit ipse,
Atque natando truces gladios euadere quiuit.
Tũ Sequanã saliũt, Ligerimque petũt patriãq;.
Has inter geminas peragrant prædam capitis
Quam regio ipse meo pandet iussu dominante.
Interea sperans Ebolus fortissimus Abba
Gentiles quod in hanc issent cuncti, prope solus
Arce ruit, dardumque ferens castella petiuit
Illorum, hastamque vibrans proiecit in ipsa,
Non sonipes retulit nobis hunc, nec tulit illuc.
Confestim socium nixus munimine, sæua
Castra petit, murosque ferit, quo * lenius adsit, *glo. ignis.
Ipse iubet, pugnant nostri, constantius illi:
Argutus nimium fremitus iam sumat ab illis,
Exiliuntque foras vulgusque fugãt sine tactu,
Extiterant plures quoniam nobis: tamen illis
Obuius hic Ebolus sociique simul stetit heros.
Haud illum fuerant audentes tangere ferro
Quingentis etiam si tunc subnixus adesset
Qualis & ipse fuit, castris se se daret vltro,
Ast animas propria de * sede repelleret omnes. *glo. de corporib.
At quia militibus caruit, sic ludere cessat.
Neustria nobilior cunctis regionibus orbis,
Quæ vaste fueras procerũ genitrix dominatũ,
Ne pigeat capta turri producere quæso
Quot vel quas hausere Dani palmas tibi; necnõ
Vbera quot pecorum mulsere tuum peragrando
Distentum variis tractum gazis: tamen olim;
Mi soboles, aliquis censere potest? etiamsi
Affuerint cunctæ volucres, erumpere voces
Tot nequeunt hominum, quot equũm, pecudumque boumque
Sublegere mihi natos natasque suumque:
Flumina balatu agnorum, mea gramine læta,
Prata sonant denso mugitu tempe iuuencũm,
Ceruorumque nemus rauco clamore remugit,

Grunnitusque mei sylvas scindebat aprorum.
Hæc mihi subduxere truces, si noscis & audis.
Hæc oculis quidem petii sistens super urbis
Mænia, nec visu claudebantur neque ritmo:
At quoniam cingi nequeũt pratis, nec ab agris,
*Efficitur * bostar Germani antistitis aula,* * glo. stabulum.
Completur tauris, suculis, simisque capellis:
Longa trahunt illic suspiria, tumque dehiscũt
Corpora, flant dulces ventos cruciante dolore.
Adveniunt stabulatores ea ferre coquinæ
Nitentes, cũ iam maneant epulæ innumeratis
Vermibus, Ecclesia quorum fœtore repleta
Exportant, Sequanæ referũt non nẽpe coquinæ,
Ecclesiamque piant bovibus, nec caditur ultra.
Legisti prædas, etiam cognosce trophæa.
Restitit oppida quæque capi suprema voluntas.
Carnoteno innumeros conflictus applicuerunt gl. Nortmanni.
** Allofili: verùm liquere cadavera mille*
Hic quingenta simul, rubeo populante duello
Una dies, istum voluit sic ludere ludum.
His ducibus Godefrido, nec non & Odone
Belligeri fuerant Uddonis Consulis ambo.
Idem Odo præterea opposuit se sæpius illis
Et vicit iugiter victor: heu liquerat illum
Dextra manus bello quondã: cuius loca cinxit
Ferrea, pene vigore nihil infirmior ipsa.
Nec satius quicquam sortiti apud hi Cinomannos:
Haud equidem reliquæ cesserũt suavius urbes.
*Iam quia * Apollo rogat, calamus requiem mereatur.* gl. Sol.

SECVNDVS BELLORVM
Parisiacæ polis codicellus.

*Vrgito Musa celer lampas accendit * Eoa* *gl. Orientalia.
Climata, luciferam propera prævertere plantam.
Saxonia vir Ainricus fortisque potensque
Venit in auxilium Gozlini præsulis urbis,
At tribuit victus illi letumque cruentis
Heu paucis: auxit vitam nostris, tulit amplam
His prædã. Sub nocte igitur quadã penetravit
Castra Danũm, multos & equos illic sibi cepit.
Agmen Ainrico cedente nimis lanionum,
Efficitur celsus nimium clamor fremitusque:
Deserit unde quies nostros & mænia vallant.
Immodicas voces flavere Dani morientes,
Immenso resonant cives clangore paventes
Ut solitum paterentur ab his ex more laborem.
Sic & Ainricus postremum castra reliquit,
Culpa tamẽ fugiente mora, defertur ad arcem.
Pila ministrabant acidas referendo salutes.
Ianua militibus reseratur; cominus acre
Urgetur bellum, clypei labuntur & enses.
Vita meos adamat dextros, oditque sinistros.
Infestos adamat mors, vita gubernat amicos.
Inde sopor repetit cives, miserosque fugella.
Rege Sigemfredo, simul ast Odone loquente
** Protenus à specula currentes agmine multo,* *glo. Procul.
Ducere fortè truces secum conantur Odonem
Qui primus feriendo falæ fossata volatu
Transilit propero clypeum gestansque cateiam.
More suo functus bello versus stetit heros.
Exiliere viri domino suffragia dantes
Nobilibusque stupent eius super artibus omnes.
Conspiciens Sigemfredus nostros in agone
Esse feros, inquit sociis: Hanc linquite sedem,
Hic nõ stare diu nostrum manet, hinc sed abire.
Ergo suas ut Ainricus secessit ad aulas
Germani teretis contemnunt littora Sancti,
Equivocique legunt, cuius factis bene vescor,
Circumeunt castris æquor, sed & undique vallo
Clauditur en dominusque meus quasi carcere latro
Ipse nihil peccans, murus circumdedit eius
Ecclesiam nostro celsam cogente reatu.
Denique Rex dictus, denas capiens argenti
Sex libras nitidi à nobis causa redeundi
Normannis se se cunctis comitantibus, optat
Mel dulcis fluvii limphis conferre marinis,
Qualiter osque freti, caudam Sequana rapit albam,
Aequoreũq; caput pennis quatitur Sequaninis
Ostentare: sed his autem nolentibus, infit.
Eia Dani muros urbis lustrate potentes.
Pergama circumquaque viri vestite valentes,
Et scapulas arcu validisque onerate sagittis.
Quisque ferat lapides, sed & undique tela ministret.
Hoc etiam bellum conabor & ipse videre.
Quo sermone quiescenti, surgunt simul omnes.
Inq; sulas penetrant urbis sedes quibus extat.
Mænia circumeunt trucibus gladiis onerati,
Digressique foras nostri circumdare turres.
Occidunt Reges geminos, pluresque aliorum
*Fallaces; fugam * diamãt veriq; triumphũ.* * i. valde amant.
Amnis in auxilium nobis Sequanæ fuit altus
Quos sorbens penitus mersit trãsmisit Averno.
Sigemfredus ovans, ridẽs morientibus, inquit.
Nunc vallate viri pinnas, urbem capitote,
Mensurate metris ædes quas hic habitetis.
Inde suis, Abeamus, ait: tempus venit, ecce,
Quo gratum fuerit nobis istinc abiisse.
Mox hilaris Sequanam liquit pro munere sumpto.
Sic alii facerent eadem si tunc meruissent:
Quis sentire potest patula quod subditur aure?
Terra gemat, pontusque, polum, latus quoque mundus.
Gozlinus Domini præsul mitissimus heros
Astra petit, Domino migrãs rutilãs velut ipsa.

Nostra manēs turris, clypeus, nec non bis-acuta
Rumphea, fortis & arcus erat fortisque sagitta.
Heu cunctis oculos fontes terebrant lacrymarū,
Atque pauore dolor contritis viscera scindit.
Tempestate sub hac Hugo princeps obit Abba,
Eurardo Senones viduantur præsule docto.
Gaudia tunc hostes adipiscuntur sua læti;
Qui vigiles madidæ per opaca silentia noctis
Germanum nitida clarum vidisse figura
Se perhibent, metasque sui lustrasse locelli,
Lumine gestantem rutilanti sæpe laternam.
Quo Sancti redolent artus forsan tumulati.
Instabant eius festæ solemnia lucis,
Obiurgantur & hi castellanis, quia sacra
Non celebrant, alto inde ruunt cum mente cachinno.
**Mergitib. plaustrū per rura mouēt grauidatū.* — *glo. Garbis, vulgo Gerbes, quibus plaustrum grauabatur.
Cuspide terga boum verso nimium stimulātes.
Protinus hi propriæ claudis sine crimine causæ.
Connectunt alios pluresque de hinc aliosque
*Certabant * elegi scapulis cornúque iuuenci.* — *miseri.
Iamque lauāt proprias rubeo de sanguine costas,
Nonque valent axem terris disiungere fixum,
*Attonitique stupent, domni miracula * nostri.* — *glo. Germani.
Soluuntur tauri stimulusque ferox requieuit.
Lux segetis recidiua rotas spoliis vacuauit,
*Atque suis dodum * reuocauit motibus axem.* — *clodum.
*Effugiens * horum quidam iussus iugulari* — *s. Normanorū.
Templa subintroiit sancti, tenuit quoque bustū.
Pellitur inde miser profuga pietate necandus.
*Væ miseris multant * elegum, multātur & ipsi* — *miserū
Quod munus dederant socio, simili pietate
Germani meritis nactum cuncti meruerunt,
Cælitus afflicti nimium pro talibus ausis.
Vnde sacerdotes statuēre locum venerantes
*Qui missas cursusque * sacros illic celebrassent.* — *horas Canonicas.
Tunc omnes cuiquam prohibent hinc tollere quicquam.
Quod violans vnus proprio deferre cubili
Ecclesiæ tegmen studuit; sub quo manifestè
Effigies eius repetita fuit puerilem
Scilicet euentu nulli similante minuta,
Nota quibus fuerat pridem, nec noscitur vllo
Oppido, miror vbi venæ neruique laterent,
Ossaque fugerunt pariter fugiente medulla
Viscera spelunca tenuis foueam petiēre.
Maior habebatur magnis (mirabile factum)
Is qui nuncque minor pueris moriens patet esse
Vitaq; cū gemitu fugit indignata sub vmbras.
Visus adest cuidam Domini sanctissimus idē
Pectore carpenti requiem per nubilia noctis
Marcelli sancti precibus, nec non Clodoaldi
Accipiēs liquidā manibus benedicere lymphā.
Vnde rigans vrbem graditur per mœnia circū.
Huicque viro proprium prompsit nomen, sed & vrbi
Spem spondens, faciem liquit se conspicientem.

Nobilis hac & in vrbe fuit vir carne liquescēs,
Deficiens etiam flatus metuebat obire.
Castellumque capi Normannis, tempore in ipso
Attulit huic ciues somnus se linquere velle,
Vrbs armis quoniam cunctis deserta manebat.
Clericus inde venustatis miræ astitit illi
Ore loquens placido, rutilans vultuque sereno:
Quid metuis? surgens tremulos depone timores,
Oblitaque fuga quamplures cerne paratos
Ad bellum. Surgens alacer, muros videt omnes
Vallatos cuneis iuuenum galeis oneratum,
Voxq; tonat, tutoribus his defenditur hæc vrbs.
Ast ego sum Germanus, ait, huius quoq; præsul.
Confortare, nihil formidabis, quoniam nunc
Faucibus haud sceleratorū grassabitur hæc vrbs.
Affatur sanctus, redamatque virū caro flatus;
Affatur fœlix, fugitque virum mala pestis.
Alloquitur sanctus, lecto surrexit egrotus:
Almis faminibus sospes procedit egrotus:
Expleuit visu noctis quod viderat ipse.
Luce dehinc quadam, dū gestabatur & almi
Militibus propriis corpus per mœnia circum,
Vrbanis septum sectantibus omnipotentem,
Pro rogitando Deum votis sub voce canora, — *glo. à pagano.
*Cæditur allofilo * de portatoribus vnus*
*Nomine Gozbertus calclo *: percussor in vmbras* — *glo. lapide.
Tartareas fugit moriens, icto patiente
Nil super hoc lapidis iactu, Sancto auxiliante.
Interea cædis validæ corrupta procellis
Vrbs patitur gladiū exterius, lethi quoq; pestis
Eheu nobilium plebes penitus laniabat,
Interitus nec erat nobis tellus obeuntum
Quæ præbere sepulturam membris potuisset
Cominus, vlla dies nec erat quæ non generasset
Vrbanos interque suburbanos truculentes
Bella: nec vlla abiit prope quæ non interfectos
Pestiferos secum duxisset ad antra gehennæ.
*Rex igitur venturus * Odo transmittitur inde* — *glo. futurus.
Francorum Karolo suprafato basileo,
Quatenus auxilio celeri succurreret vrbi.
Post nullus procerū remanet nisi Martius Abba,
Sæpe supra cuius memoratio scripta relucet.
Ipse equites ex more Danūm vestire coēgit
Sex soles redeunte die quadam, super arua
Trāsque volāt illi Sequanā campósque peragrāt:
Et variis plenos armis sauóque sopore
Nortmānosq; necant totidē fuerāt quot & ipsi.
Nascitur hinc strepitus castris: horū resonante
Voce truces carpunt clypeos nostrique carinam.
Nostra Dionysij tondebant littora Sancti
Pecora, quæ duxēre sibi crebrò speculata:
Verùm illis Ebolus iugiter fuit obuius Abba,
Qui quorum Comitē quadam strauit vice telo,
Vnde Dani linquunt ripam referūtq; cadauer.
Mox Ebolus senos equites dimisit ab arce:
*Quattuor * biternosque necāt certamine diro.* — *glo. sex.
Nocte quidem ciues crebrius pecorū sub opaca

Custodes adeunt, quosdamque fugant, aliosque
Attribuunt iugulis, hoc egeruntque frequẽter,
Indicioque tulere Danos vrbi sine flatu,
Atque simul viuos vt sic credi potuissent,
Inque sulam penetrant solito quadã vice ritu
Mœnia qua resident vrbis sæui trecenti:
Protinus ense quiũm * bino strauère nouenos, *glo. quorum.
Vulnera deposuère quibus triginta, nec extat
Posse datum quarti lumen spectare diei.
Congressi nostrũm gemini, qui morte fruentes
Egregia sanctos vexere pedes super astra.
Nam senior Sigebertus erat, iunior Segeuertus.
Forte deinde tribus cuneis cinctus galearum
Armipotẽs mõtis super Odo cacumina Martis
Enituit, cuius clypeos nonus irradiauit
Sol croceo Oceani thalamo vastipede spreto.
Hunc prius Elios adamans quam rura salutat:
Quem visu capiunt ciues, & amore sub alto.
Ast hostes prohibere fores turris cupientes
Transiliunt Sequanam, vallantes littora circũ.
Reddidit Oddo tamen castellanis equitando
Se medios inter sæuos, Ebolo reserante
Huic portas, cunctique stupent hoc nobile factũ.
Hinc eius socios retro statim redeuntes
Ferreus insequitur hostis post terga meando:
Plus geminis etiam leugis interfuit illis
Dictus Adalalmus, superis pridẽ qui comes idẽ
Eia, suis inquit, satius peragamus in illos
Quam nos hic illi inueniant. Adalalmus hoc inquit.
Pestiferi petière fugam, nostrique trophæum.
Scuta tonant, dardique volãt, & corpora Danũ
Cõsulis arua tegunt, gladio regnãte Adalalmi.
Non dimisit eos donec repedare coëgit
Ad fluuium, post hæc & ouans victorq. reuersus.
En & Ainricus superis crebro vocitatus
Obsidione volens illos vallare, necatur.
Inque suos nitens Sequanam transire, Danorũ
Rex Siuric, geminis ratibus spretis, penetrauit
Cum sociis ternam quinquagenis, patiturque
Naufragium; medio fluuij fundum petiturus,
Quo fixit comitesque simul tentoria morti.
Hic sua castra prius Sequanæ contingere fũdũ
Quo surgẽs oritur, dixit, quam linquere regnũ
Francorum, fecit Domino tribuẽte quod inquit.
Deniq. cum medius Titane inceditur Orbis,
Cũque sitit tellus, pecoriq; libet magis vmbra,
Sibilat & gratus syluas Zephyrus per amœnas,
Pergama letiferis stipantur ab hostibus vrbis,
Quæ passim patiebantur certamen, & vnum
Bellabant muri, speculæ, pontes quoque cuncti;
Pugnabat pelagus contra tellus magis ampla.
Classica valde tonant, mensis discedere ciues
Eus, clamant litui, conuiuia temnite cuncti.
Vrbs terrore simul ciues, inuaditur omnis;
Nullus in vrbe locus fuerat qui bella lateret.
Pila falas *, lacer æque tegunt nimiũ catapultæ *glo. turres.
Arua velut pluuiæ, plumbi necnon onerosi
Poma dabant peltis gemitus & grandia saxa.
Hæc nobis illi tribuebant præmia semper.
At contra lapides rapidos pariterque balistas
Direxère feris nostris, celeresque sagittas.
His aër feritur, hinc inde volantibus amplum
Non inter cælos aliud tranabat & arua.
Mars magis atque magis regnat tumidusque superbit.
Virgo Dei Genouefa caput defertur ad vrbis
Quo statim meritis eius nostri superarunt.
Inde fugauerunt etiam pinnis procul illos,
Robore qui multus fuerat, sed corpore paruus
Gesserit hoc miles quinis comitatus ab armis * *gl. armatis.
Gerboldus, nusquam cuius petiit catapulta
Sanguinei rostrum siccã * sine fluminis vnda. *gl. terrã.
Partibus ex aliis longẽ surgunt acriora
Prælia, plangores clypeique cient galeæque
Stridores, nostri bellant, sed fortius illi.
Defecère fatigati bello quoque dextri.
Proh dolor, alta nimis flentes lamẽta trahebãt:
Cana senecta gemit multum, florẽsque iuuẽta:
Plorabãt monachi, lachrymatur clericus omnis,
Aëra voce tonant, luctus sed & æthra facessit.
Hi tristes animos vrbem metuendo reuelant
Hoste capi, cælo læti torquere cachinnos
Mœnia vocisonos rentes lucrare seueri.
Fœmineusque iubas sexus lugens lacerando
Verrebat terras proprio de crine soluto:
E heu nuda suis quatiebant pectora pugnis,
Vnque gulis facies secuerunt tristia & ora.
Voce rogat lachrymosa omnes, Germane beate,
Auxiliare tuis, alioquin nunc moriemur,
O pie, nunc succurre citus, succurre, perimus.
Germanum reboat tellus, nec non fluuiusque,
Littora, & omne nemus pariter circũ resonabat,
O germane sacer nobis miserere, rogamus.
Templorum campana boant mœrẽtia clamant:
Vocibus his & humus tremuit flumẽq. remugit.
Vrbs extrema verens instantis carpere lucis
Omnia lamẽtis lachrymans spargebat amaris.
Omnibus en Germanus adest recolẽdus in orbe,
Corpore subsidioque simul, nil vota moratus,
Quo maiora tenebantur certamina Martis,
Signiferosque Danum lucrari à morte coëgit.
Atque de hinc alios per plures * protenus vrbe, *gl. longẽ ab.
Ponte simul pellens illos, quem maxima turris
Ante suos domnum speculãs congaudet ocellos,
Vnde fatigati vires reuocant sibi fortes,
Atque resistere decertant bellando proteruis;
Qui turrim repetunt, pontẽ vel mœnia linquũt.
Mille simul speculæ stabant, omnes quia pugnæ
Multa non vna poterant numero prohibente.
Dilabuntur humi vario traiecta mucrone
Viscera, * quo pluuiæ cælo ratibusque feruntur. *gl. sicut.
Iam capiente iubar migrans sub marmora Tetis

Oceano, foribus turris submittitur altus
Valde focus: flammæ precelsa cacumina turris
Cingebant, armis pugnant ignique sinistri.
Linquitur arx dextris, valuasque iubẽt aperire
Optantes prorsus pretiosam scandere mortem
Plus, quam fallacum fidei committere semet.
Nemo stetit supra speculam solus nisi sæpe
Iam sancti famulus dicti, lignum crucis almæ
In flãmas retinens, oculis hæc vidit, & inquit
Densus enim fumus nimium velauerat illam.
Tum portis igitur reseratis, aridus ense
Portu in madido moritur Vulcanus inermis,
Subtilemque fugam petiere cadauera torni
Multa reportantes secum, Mauorsque quieuit.
Hæc virtute crucis sancta victoria nostris
Ceditur, & meritis Germani antistitis almi,
Quem reuehunt ad basilicam Stephani quoque testis
Gaudentes populi præcelsa voce boantes,
Voce Deum te laudamus Dominũq. fatemur.
Vrbis erat præsul clarus, tutamen & vrbis
Mæstitiam alterutrim nactæ sic lætitiamque.
Fũditus his animo versus tanquã mare Choro,
Cernere, Frãcigenis inquit, properate, sub vrbẽ
Sexcentis statum nostris suggestibus aptum.
*glo. serui s. ausi sunt agere. Talia me coram * fures? Iussis opus addunt.
Dum tamẽ hos trames reuehit primatis ad aulã
Sectantur, glomerãt cuneos post terga nefandi.
Committunt, superant, cedunt, fugiunt, moriuntur.
Templa fugax cœtus penetrat confinia muris
Victorum; gemini quandam (mirabile narro)
Ecclesiã irrumpunt, farsam de morte relinquũt.
Post & equos saltu repetunt paribusq. cohærent.
Sic ternis Sequanã Martisq. cacumina, stratis
Sexcenti copulant ex milibus hinc remeantque.
Nãq. triũphantes fratrũ prompsit geminorum.
Fama fuisse Theodorici procerum ast Aledrãni.
En princeps de quo canitur, circũdatus armis
Omnigenis cœlum veluti splendoribus astreis
Induperator adest Carolus comitatus opimo
Diuersi populo labij tentoria figens.
Sub Martis pedibus montis speculamque secundum;
Redditur Ecclesiæque diu pastor viduatæ
Nobilis egregiusque sacræ pompatus honore
Totius Anschericus virtutis germine clarus,
Annuiturque feris licitum Senones adeundi
Septies argenti libris causa redeundi
Martis mense datis cẽtum sua ad impia regna.
Tunc glaciabantur torpentis sæcla Nouembris.
Sic Karolus rediit moriturus fine propinquo.
Nomina tunc ensem quorum perpessa fuisti
Nec vocitare prius, pigra ô Burgundia bello,
Neustria præcluibus thalamũ nisi comerct altis
Iam tibi consilio facilis, verùm modò iam scis.
Inde reuertentes prato sua castra reponunt
Iam dicto, templum Sancti velut ante colẽtes.
Quattuor hic dominusq. mei Germanus in vsũ
Contractos nimium mẽbris priscum reuocauit;
Motibus atque suis admouerat * organa fibris *glo. neruos.
Subducto genibus dudum pedibusque * parato *gl. reparato.
Iure suo; extinctisque fenestris * vnius orbi *i. oculis.
Restituit radios Solis spectare micantes.
Bessino huc adiens inter sæuos comitatu
Læsa nihil quoddam meritis sed tuta beati
Fœmina post quædam meruit lumẽ quoq. cæca.
Cuius adaccubitat puteus vestigia, cuius
Qui potabit aquas, extemplò febre laborans
Auxilio Sancti fidens capiet medicinam.
His panem cupiens quædam componere, iussit
Vi sibi scotta Danûm deferri: namq. sacerdos
Tẽpla tuẽs, puteum vẽdebat ægris pretio amplo.
Depositus flammæ panis, mox ipse figuram
Sanguinis accepit rubeam. Post * altera fortè *gl. Dana.
Scitur vi conans latices, hausisse cruorem.
Quis tanti peragrare potest miracula Sancti?
Ora mihi si mille aderant, totidem quoq. lingua
Vocibus explentes aër cœlumque boatu,
Gesta mei narrare patris numerũ-ve nequissẽ:
Hic Germanus, hic est qui passus adhuc retinere
Haud mundo cunctis nimiũq. stupẽda peregit.
Fundere signa prius didicit genetricis in aluo,
Anteq. virtutem celsam, quàm cernere lucem.
Talia quis, lector, Sanctorum gesserit vnquam?
Cedo, sacer forsan sodes, Baptista Iohannes.
Ergo meus similis Germanus huic habeatur.
Iste cadaueribus ternis vitam reuocauit,
Restituens lapsis proprias sedes animabus.
Vrbs, age, Parisius, sub queis defensa fuisti
Principibus? Me quis poterat defendere, primas
Hic nisi Germanus virtus & amor meus omnis?
Post Regem regum sanctamque eius genitricẽ.
Rex meus ipse fuit, pastorq., comes quoq. fortis,
Hic ensis bisacutus adest meus, hic catapulta,
Is clypeusq., patens murus, velox sed & arcus.
His quia sat * sylua resonant, philomela quiescat: *gl. populi
Plectra reuoluamus vocis post terga * stuporũ *glo. miraculorum.
Fœdere quo fragili fuerant infecta loquamur
Agmina Nortmãnûm Francis è finibus, antra
Ad sua nolentum descendere, sed Sequanina
Immò fluenta cupiscentum tua rursus adire,
Quæ argẽtum sibimet retinẽdo noualia mõstrẽt,
O Burgundia, non: simulata cupido latebat.
Quod sequitur cordi assuerat, sed hoc tamen ori.
Concipiunt igitur Thetis nitendo quadrigas
Munere clam gratum pontes transcendere iusto.
Ilicet Anscherici defertur Episcopi ad escas
Ast Ebali * ferclis inerant Titane secante *gl. mẽsis.
Lucifluam cernente poli * gnomone figuram *gl. horologio.
Multiplici remo contundere * pocula lymphæ, *gl. alucos
Scandere gentiles vndas conclamat Eoas
Parisius. Surgit securus vterque ciborum,

Arma ciũt, ripasq; legũt, pinnasque * facessunt. *gl. muros replent.
Hic Ebalus raptat chordam vibratque sagittam,
Quam nauclerus in ascellam per nauis hiatum
Prauius accepit, modicum terebroque foratum.
Sic auriga necis casus pelagique faselus.
Quin patitur, restant igitur caduntque sub arcẽ
Acephali, quoniam Christũ perdunt, caput ipsũ.
At verò veniam deposcunt obsidibusque
Iusiurandá parant, aliud non tangere littus
Ni Sequanæ gressumque referre citò velut ante.
Nam nobis dederãt tranquillũ Matrona flumẽ
Quicquid alit, solito securum quod vocitamus.
Hoc nostris violare Danos ingens erat horror,
Vnde forum fœdus pariter commune fiebat,
Vna domus, panis, potus, sedes, via, lectus.
Commixtum sibimet populũ mirãtur vtrumque.
Quod pactũ Senones primũ statuere migrando,
Hactenus & seruauerunt, quoad vsque secũdo
Mœnibus inuitis superos latices adipisci
Has meruere, dato. barcas per flumina raptãt.
Eheu catholicos secum per littora vitæ
Bisdenos siquidem aut necibus lorisue plicarũt.
Mox adhibent propriis vitã sine mãdere castris
Vallatã geminis mortem sine tegmine prunas,
Quæ nostri precibus sperarunt tuta tenere.
Securum frangũt, Senones temnũt, Matronãque
Aequoreo curru sulcant. Mandatur & vrbi:
Guttura millenis crepitant planctu quoq. bõbis.
Pax * communis abit, fœd⁹ pessumdatur omne. *glo. quæ fuit inter Christianos & Nortmannos.
Continuo cuncti toruos disquirere ciues
Vrbe, foro currunt aliqui si forte paterent.
Euax! inueniunt quingen, plagisque trucidãt
His micuit præstans Ebolus Mauortius Abba
Ni cupidus, nimiũ lasciuus & omnibus aptus.
Nã pulchrè nituit studiis, quæ grãma ministrat.
Fœderis antistes causa permisit abire
Anschericus tentos, potius occidere debens.
Inde feri Meldis feriunt, vrbem quoq; vallãt.
Interea Karolus regni, vita quoque nudus,
Viscera Opis Diuæ complectitur abdita tristis:
Lætus Odo Regis nomen, regni quoque numen,
Francorum populo gratante fauenteque multo,
Ilicet, atque manus sceptrum diademaq; vertex.
Francia lætatur quamuis is Nustricus esset.
Nam nullum similem sibimet genitũ * reperire. gl. pro reperiebat.
Nec quia Dux illi Burgundia defuit, eius
Nustria ad insignis nati concurrit honorem.
Nustria ad insignis nati concurrit honorem.
Sic vno ternum congaudet ouamine regnum.
Præterea astutos petiit præceps Aquitanos,
Mox sibi subiectis, Francorum regna reuisit,
Mœnia Meldis adhuc Danis stipantibus vrbis,
Cui præsul residens fuerat in ea Segemundus,
Præsulis Anscherici Tetbertus belliger heros
Germanus consul; minimè Delius neque Phœbe
Apportabat ei spatium; iuge sed sibi bellum
Vndique constat, eisque tamẽ per multa resistit.

Perdidit innumeros, quotiens ex agmine sæuo
Exiliens citra muros pessumdare tetros.
Flamina quot tulerat telis, * orare nequibo. glo. loqui
Proh dolor! armipotens inter mortalia desit,
Arma ruens, nunquam sibi principe subueniẽte.
Exitiumque polis post hac cum præsule capto
Passa luit. Regis hinc fœlix micat omen Odoni.
Denique Lutetiæ reuolant ad culmina tuta,
Cõuocat huc omnes proprios per regna morãtes.
En, sine iã numero, numerũ præstãs Odo nectit.
Francigeni approperant altã cum frõte superbi.
Calliditate venis acieque Aquitania linguæ,
Consilioque fuga Burgun adiere diones:
Sessio fit non longa satis frustrata triumpho.
Nescio quæ socios lusit Danosque cecidit
Non paucos, modico quamuis, vt fama, popello.
Quo ventus veniens Ademarus nomine dictus,
Sclademarusq; dehinc * binos iugulis dedit, isque *gl. Nortmannos.
Deditus est idem primus primum * duit vmbris *gl. dedit
Lutetiæ toruum postquam primo patuere,
Principium gladij tenuit finemque recepit,
Hoc super infidos, illum corpus super eius.
Rotberti fuerat pugnax comitis Sclademarus
Dispulerat galeas terror, propriũmq. sub vrbem
Lunatas stadiis libitum peltas trecentis
Præterea quadringentis à mille remotis
Acephalos prostrauit humi peditum comitatus
Agmine tercentum pastor: certamine acerbo;
Nobilis Anschericus pollens ex virginis ore.
Sic alacres spolium reuehunt ad mœnia multum
Vrbani, præstante Deo qui regnat ab alto.
Expediam⁹ ab hinc dignos Odone triũphos;
Falconem vocitant equitum quo milia vicit
Dena nouẽq; dehinc montẽ peditumq; profana.
Hoc illi vicibus peperit natale trophæum
Lux præcursoris Domini * catecasta Iohannis. glo. singularis.
Quippe latus vtrimque viris comptus clypeatis
Mille legebat iter, quando, tyronis ab ore
Venantis canibus lepores nemorosa per arua,
Panditur aduentare equites per milia sæuos.
Is scutumque simul recipit colloque pependit,
Armaq; cum sociis stringit, penetrans inopina
Prælia solamen cœleste petit, rapit atque
Viscera, deponunt alij clypeos, animasque:
Terga parant reliqui regalibus in quibus armis
Ex pueris libuit ternis requiescere Odonis,
Tunc dixit propriis; Istos fortasse sequuntur;
Ast alij idcirco pariter statum glomerate:
Si fuerit verbum super hoc, ne differat vllus
Adiecit, subeam * tumulum specularier ipse. *gl. mõtẽ
Si vos perculerit clangor, nullum mora vincat.
Cornu suũ poscens, scopulũ scandens, videt, ecce,
Armisonos lento pedites incedere gressu.
Tunc tuba cuius ab ore boans mox omnia late
Excitat, anfractusq; per astra, per arua volabãt, *gl. sine modo.
Omnibus atque modis, solido * fractoque ciebat.

Omne nemus responsa dabat voci famulando.
It tuba cum celeri bombo per cuncta elementa.
Nil mirum quoniam regale caput tonat, inquã.
*gl. equos, *Ergo sui infrenãt* currus, saltu quoque scãdũt,*
*gl. Normannus. *Allosilum in mediũ migrãt, vnusque*, securis*
Vibratu, pepulit vnum de vertice Regis
In humeros lapsum: Domini verũ quia Christũ
*gl. animã *Tundere præsumpsit,* ventum de pectore iecit,*
Hospite continuo iaculator principis ense.
*gl. inepti *Pugna adolet, ponũt animas cũ sãguine* gurdi,*
Infames traxere fugam, primasque trophæum.
*gl. 19. milia Normannorũ cesa ab Odone. ** Milia tot Phœbo strauit spectante sub vno,*
Perpete tum gladio, donec à finibus illos
Francorum sequitur, prohibet; verùm nihil illud
Ad suimet requiem iuuit: quia mox Aquitanos
Linquere se numenque sui postponere nouit.
Appetit ergo furens illos vastans populansq;
Arua modò & vulgus; quamuis cõcludere nisus
Vrbes aduersus, minimum tamẽ aucta facultas
Forte sed insurrexit eis spreto ætheris arce
Sole sub vndiuaga posito testudine ponti.
Consul Ademarus Regi copulatus eidem
Progenie cuius memini. Proserpina dudum
Huic cessit, cuneos dum profligauit Odonis.
Vmbra fugat stellas, Ademarus ab agmine vitas.
Dormit Odo, consanguineus sua proterit arma.
*gl. Rex. *Astra micant, * Primas vigilat, sed & auolat ipsa*
Regia, mox consanguinitas de sanguine læta.
Talia cur siquidem recinam cum gesserit olim?
Nam libuit Regi dare propugnacula fratri
Rotberto Pictauis, Ademaro tamen haud sic.
Nempe sibi cepit plus se quia diligit illo.
Inde Limouicas adiens, Aruernicaque arua.
Prævalidas Vvillelmi acies secum videt hostis,
Ni congressuras fluuius medio prohiberet.
Perdidit ergo suos illic Vvillelmus honores
Hugoni regnante datos, qui Bituricensis
Princeps extiterat consul, quare fuit actum
Hos inter geminos comites immane duellum:
Mille super centum defleuerat inclitus archos
Claromontinsis Vvillelmus Hugone necatos:
Iste minus numero secum maiore remotum.
Hic Hugo dum tandem capitur mucrone Vvillelmi,
Supplicat vt pietas eius succurreret illi.
Olli tam sero per verba measse respondit,
Ocius & dicto trans pectora lancea transit
Hugonis: intererant cuneis Rotgarius atque
Valde viri Stephanus fortes, per plura Vvillelmi
Letha suis dantes, alter comes Vgoniusque
Ipse nepos, alter miles Stephanus nimis audax
Proh dolor! Hugo necem flesti Vvillelme trophæum.

Nuncius interea regalem concutit aurem
Gallia quod mentita sibi sit, portat in ore,
Gnati pressa iugo Karoli collum Ludouici
Qui vocitatus vt à cælo, prænomine Balbus,
Inde mouens callem Germanica quis sibi regna
Nauiter acciperet, temerè disquirere vadit.
Clarus Odo castella petit, vincitque duelles,
Hinc e fugat Karolũ facie, cunctosque sequaces,
Delius vt pellit tenebras, vt Lucina athomos.
Admittit humiles dudum ceruice superbos.
Sermo quis effari poterit, quotiens fuga celsi
Arnulphi Induperatoris genitum tulit ense
Odonis Cendebaldum post terga tonante?
Subsidium Caroli virtus, spes hic in Odonem:
Cuius ad obtutus audacia non tamen vnquam
Applicuit. Verum nihil id requiei fuit illi.
En iterum misero gemitu loquor assore sæuos
** Allosilos; terram vastant populosq; trucidãt,* *Paganos Normãnos.
Circumeunt vrbes pedibus regnantis & ædes.
Ruricolas prendũt, nexant, & trãs mare mittũt.
Rex audit nec curat Odo, per verba respondit,
O quam responsi facinus non ore dedisti
Tale tuo! Dæmon certè proprium tibi fauit,
Non tua mẽs procurat oues Christo tibi missas:
Longius ille tuum forsan nec curet honorem.
Hæc vbi fata receperunt probitate neglecti,* *glo. dura.
Exultant hilares, barcas agitantque per omnes
Gallia queis amnes fruitur, terram pelagusque
In ditione tenent, totum tutore ferente.
Francia cur latitas? vires narra, peto, priscas:
Te maiora triumphasti quibus, atque iugasti
Regna tibi. Propter vitium triplexque piaclum
Quippe superciliũ, Veneris quoq; fœda venustas,
Ac vestis pretiosæ elatio te tibi tollunt.
Aphrodite adeo saltem quo arcere parentes
Haud valeas lecto, Monachas domino neque sacras:
Vel quid naturam, siquidem tibi sat mulieres
Despicis, occurrant? Aquitanus fasque nefasque
Aurea sublimem mordet tibi fibula vestem,
*Efficis & calidam * tyria carnem pretiosa.* *gl. purpura
Non præter chlamydẽ auratã cupis indusiari
*Tegmine, * decussata tuos gemmis nisi zona.* *gl. decorata.
Nulla fouet lumbos, aurique pedes nisi virgæ,
Non habitus humilis, nõ te valet abdere vestis?
Hæc facis, hæc aliæ faciunt gentes ita nullæ.
Hæc tria ni linquas, vires regnumq; paternum,
Omne scelus super his Christi, cuius quoq; vates
Nasci testantur bibli: fuge Francia ab istis.
*Psallere non tedet, * desit tamẽ actus Odonis* *gl. desinit.
Nobilis is quamquã mulcet superas adhuc oras.
*Flagito quo * positor possim per amœna polorum* *gl. poëta
Hoste canas lector gratarier atria victo.

FINIS.

DVDONIS
SVPER CONGREGATIONEM S. QVINTINI DECANI,
DE MORIBVS ET ACTIS PRIMORVM NORMANNIÆ DVCVM, LIBRI III.

Ex veteri Codice MS. nunc primùm in lucem emissi.

E

EPISTOLA PANAGERICA ATQVE APOLOGITICA RATIONE TRANSCVRSA.

INCLITO ET PIE' VENERANDO, QVEM GENVS ornat, ſapientia decorat, ADALBERONI *Epiſcopo ſanctæ Dei Laudunenſis Eccleſiæ Cathedrâ reſidenti, ſibi commiſſarum ouium ducamen ante diuinæ Maieſtatis conſpectum,* DVDO *ſuper Congregationem ſancti Quintini Decanus.*

A GLORIOSISSIMI nominis tui diuulgamen culmine ſuperlatiuo Libaninis altiùs, luce clariùs ſublimatū, prolixa interpolatione prolixæ longitudinis, atque expaciata intercapedine expanſæ latitudinis terræ, vt palam eminet latiùs diffamatum; nemo, qui verba Domini Nichodemo dicentis, *Spiritus vbi vult ſpirat,* intelligit, neſcit. Quia vt colore indicatiuo humanis viſibus palificatur, ſolamen effectus ſufficiens omnibus, omnibúſq; omnia factus, omnium Præſulum celſitudinem generis ſper-
B mate, & meriti almitate tranſcendis. Idcirco tu apex Pontificalis, inclytum ſpecimen rectitudinis, incomparabilis forma perſpicuæ vitæ, decus Sacerdotale, inenarrabilis lux vniuerſæ Eccleſiæ, inſigne culmen ſanctitatis, totius bonitatis columna inflexibilis, dignè pro meritis aſſertione veridica ſanciris. Te etenim, quem talem tantámque perſonam facta egregia concinunt, talis tantæque proceritatis honore Altitroni dextera extollere diſpoſuit, quia indempnis pectoris tui antra cordíque inſontis intima poſſidet diuina caritas, cum ſua ſobole multimoda. Quicquid multifariarū virtutum eiuſdem caritatis filiorū, vniuſcuiuſq; famuli Dei iugi
C ac vigilante ſtudio, prout aſpirator & inluſtrator mentium, videlicet Flamen diuinum, adipiſcitur; quicquid ſanctiſſima eorum ſeruitute conſequi poteſt, in te diuinitus regnare videtur, atque omnem earundem virtutum congeriem fons caritatis in pectoris tui ſede locauit mirificè. Omnibus ſiquidem rationis capacibus, mi Pater atque domine, certum conſtat eſſe, à puerilis ætatulæ vagitibus interna cordis contrictione te totū æterno Sacerdoti hoſtiam viuam mactaſſe, pectus tuum plenitudine vir-

tutum Pneumati superno thronum consecrasse, cælos mente habitasse; A quia iocundi animi tui enorme propositum, vt vsq; nunc temporis patet, hactenus vlla proluuie, nec aliqua vitiorum tortitudine inspicitur ab incœpto deuiare. Tactus itaq; sancti Spiritus nectare, singulari mirabilitate & mirabili singularitate videris cælitus; dum velut mystica lampas, solari lumine exardescis inter Episcopos seculi. Quis verò tam saxeum pectus gereret, tantæq; caliginis obductione cor obuolutum haberet, mirabilibus inspectis actibus tuis; à sua prauitate statim in cælibem non verteretur vitam? Quippe omnibus, qui ab anfracto itinere illius amarissimi callis, quo multi seueriter ducuntur morti, sese nituntur priuare, & ad quem fallentis mundi sapientia illorum viam dirigit, quorum corporeæ B delectationis gaudia imitatur affectus vnita intentio, fieri participes religionis tuæ: quia multis præteritis & futuris temporibus certè nec primum similem visus es, nec habere sequentem. Nec mirum, Antistes reuerentissime, si hoc tibi diuinitus concessum est, vt toto orbi præmaximum exemplar boni effectus sis: quoniam ab ipsa cunabulari vita gradibus virtutum sidereæ patriæ templa visus es scandere, atque præmiorum magnitudine stelligeras sedes possidere. Sed etiam talibus factis quoddã mirum inducitur, ô miræ admirationis Pontifex, ne prauis iniquorum sophistarum susurrationibus posses criminari. Illius vitæ præcepta amplexatus, quæ semper ad ardua molitur, talem tuis studiis curam adhibuisti, vt sicubi terrarũ quid regnaret religionis, & ab indigenis alicuiusve hominis C relata aures tuas irrumperet, nunquam vnius horæ spacium passus es trãsgredi, quousque citiùs dicto adimplere laborasti. Tu quidem gaudium Domini tui ingressurus per pauca, idest per quinque talentorum dona fideliter dispensata, & cibariam dispensationem prudenter distributam, super multa locaberis seruus bonus & fidelis, cùm Dominus venerit; quia supernarum virtutum iunctus consortio, gaudia sine fine mansura possidebis. Mna quippe tibi credita tuis sacris nundinis ad thesaurum summi Patris familias decem mnas reportabit, cùm Dominus redierit: quia videlicet per Decalogi mandata temetipsum lucratus Deo, manipulos iustitiæ in dextera ferens, centesimum fructum ad mensam inuisibilis atque immortalis Sponsi dignus conuiua reportabis, sicut mna centum ponderatur dracmis. Tu meritò Apostolici meriti gradum sortitus, sortéque diuina in eiusdem gradus culmine, id est in duodenario numero sublimatus; quia si secreta eiusdem numeri pensentur, vbique celsitudini tuæ D deputatur. Qui reuera impariter par à Mathematicis vocatur, ex pariter pari, & pariter impari confectus. Sicut námque iste numerus ipsam eandem significationem illorum, & aliam, quam illi non habent, de quibus conficitur, possidet: ita tu omnium Episcoporum, qui eidem numero deputantur, quam habent vim religionis, & aliam à Deo obtines. Et qualiter ex vna impar, ex altera parte par dicitur: sic ipse tu aliis, qui altitudine ipsius numeri sublimantur, inæqualis, & æqualis inueneris: inæqualis sanctitate, æqualis verò nomine. Ipse rectè superfluus suis asseritur partibus, quia videlicet si in vnum redigantur eius species, qualiter summam pristinæ quantitatis transgrediuntur; sic transgressione meritorum, si tuæ sanctitatis symbola colliguntur, aliis in eodem numero Deo mili-

A tantibus altior reperiris. Quid vero eodem in Musicis calculo designatur
modulis, nisi sublimitas tanti patroni? Quid aliud ipse duodenarius, nisi
concentum symphoniæ diapason augmento duplicitatis perficit ad senarium,
qui sui quadam demonstratione alicuius rei perfectionem, sicut
ipse perfectus est, assuescit significare? Et quid per ascensum ordinis huius
numeri, nisi immensa perfectio duplicis incremẽti in te cumulata augmentatione
duplicitatis declaratur? Respiciente siquidem eodem numero
ad octonarium sesqualtera, ad nouenarium sesquitertia proportione
diapente, & diatessaron retinet symphonias: quia tunc temporis, quo ipsius
eiusdem prouectio te in Pastorale regimen sustulit, octo beatitudines
vitæ augmentauit, & nouem Angelorum cœtibus sociauit. Qua verò ratione
binarij multiplicatione ipse duodenarius in vicesimam quartam
cumulationem transcendit: sic geminorum præceptorum, scilicet Dei &
B proximi amor, gemina obseruatio viginti quatuor supernis senioribus te
aggregauit, cum quibus immarcessibili corona redimitus canticum nouum
sedenti in throno cantabis. Inter quos, sicut isdem sua medietate superposita,
id est senario, qui, vt dictum est, caret defectione & superfluitate,
in octauumdecimum numerum crescit: similiter dulcissonis consonantiis
totius harmonicæ modulationis officium mellifluæ cantilenæ reddentibus,
nihil defectiuum, nihil superfluum audiens, secundum quinque
tetragorda decem & octo disparibus innexa fidibus efficaciter delectaberis.
Quorsum tendunt ista? Illud est in causa. Peragratis totius Galliæ
partibus, circumspectis vndique secus omnium Christianorum finibus,
neminem comperio, cui pari decore totius honoris munera adtribui debeant,
sicut tibi. Quocirca, memorande Pater, postquam inclyta fama ex
C tuis miris actibus expressa aures meas irrupit, animis meis indesinẽter stimulos
ad te diuertendi ministrauit: quia velut ab ipsa diuulgatione nominis
tui didici, satisfacturus vbique desideriis meis, vt refrigerium fieres
meæ necessitatis. Hanc verò necessitatem ab incoatione vsque nunc temporis
patior, quòd cui tantilli Operis despectiuam atque reprobabilem
compositionem ad corrigendum repræsentarem, minimè reperiebam:
præter te, cuius laus cælos tangere videtur, & cui, vt suprà dictum est, totus
honor debetur. Talem, & huiuscemodi honorem corde reuoluo, &
mẽte delibero, decere tãtum patronũ: vt quæ in hoc Codice suis tenebris
obscura videntur, per te ad lucem referãtur, quia non penuriosi & ingloriosi
nomen compositoris, sed egregij correctoris laus adquiretur. Quã-
D quã sit in me pro stultitia reputandũ, per istarum litterarũ fiduciã audaciæ
animositatẽ arripiẽs, maiestatis tuæ conspectum adgredior, adgressúsque
cordis & corporis ceruice submissa, non solũ semel, nec bis, nec ter, quinetiam
crebriùs preces iungo precibus, vt omnis scrupulositas iniustæ ambiguitatis
tuis acutissimis bipennibus, ex purissimo calibe totius sapiẽtiæ
confectis, funditus atq; radicitus amputetur. Penè dimidia pars huius Operis
minimè videtur respicere ad negotiũ vtilitatis, nisi te messore sarriatur
carduis superfluitatis: quia dum premor corporis infirmitate, dumque
seculariũ rerum impedior necessitate, mentis meæ oculus sua sponte cæcitatem
potiùs quàm lucẽ amplectẽdo suffocatur, & corporaliũ desideriis

gaudiorum orbatur, atque in immenso gurgite tenebrarum demergitur. A Illum siquidem oculum, quem dico, subsidiis recti luminis destitutum, à te, qui versaris in sacrorum præceptis eloquiorum, exopto illustrari. Certum te reddere volo, vt non rearis me huic Operi hæsisse voluntariè, nec illud spontanea voluntate cœpisse. Ante biennium mortis eius vt more frequentatiuo sui apud eximium Ducem RICARDVM, VVILLELMI MARCHIONIS filium, volens ei reddere meæ seruitutis officiũ, propter innumera beneficia, quæ absque meo merito mihi dignatus erat impartiri. Qui quadam die adgrediens cœpit brachiis piissimi amoris me amplecti, suísque dulcissimis sermonibus trahere, atque precibus iocundis mulcere, quinetiam detestari & iurare in caritate, vt si qua possem ratione, animis suis diu desideratis mederer: scilicet vt mores actúsque telluris Normannicæ, quinetiam proaui sui ROLLONIS quæ posuit in regno iura describerem. B Stupui velut amens, & per dies aliquot his petitionibus me negaui abnuens. Tandem verò tot precatibus motus, tantísque precibus fatigatus, vix flexi animum ad tantæ sarcinæ pondus humeris meis imponendum. Et quanquam super virium mearum possibilitatẽ hoc esse recensuissem quod indicebatur, iugum tanti oneris collo meo imposui; illius mandati imitator effectus, quod præcipit nos stare, viriliter agere, & confortari, insuper omnia nostra in caritate fieri. Stilus nostræ imperitiæ nedum primas partes Operis attigerat, heu proh dolor! cùm lacrimabilis fama RICARDVM toto orbe Principem obisse nunciauit. C Omnia hæc in dolore huius Principis postposuissem propter nimium fletum, intolerabilémque planctum, qui non solùm cor meum, verumetiam totius corporis membra quassans torquebat: nisi per præcellentissimum filium eius Patritium RICARDVM adhuc superstitem, & præcipuum Comitem RODVLFVM res eadem repræsentaretur. Insistunt ambo precibus, vt quod memorabilis vitæ dux Ricardus precando præceperat exequerer; & ne propositum, quod illi spoponderã, in bilinguitatis vitium versum, videretur vllo mendacij inquinamento pollui, sed pollere totius medullis intellectus intimis, cõtestantur. Adquiescens præceptis precibúsq; eorum, exsecutus sum, licet dialecticis syllogismis, nec rhetoricis argumẽtis nõ glorietur. Tuæ maiestati mittere disposui, vt falsa amputarentur, & si quid veritatis in illo haberetur, tua auctoritate confirmaretur: vt mirabilis mercedum retributor, qui eximium Marchionem Ricardum in Paradiso gloriæ suæ locauit, sicut te erexerat suæ sanctæ Ecclesiæ columnam, ita serto perenni ornatum constituat inter omnium D Sanctorum choros Senatorem cælestis aulæ.

ADLOCVTIO AD LIBRVM.

TEMATE pertenui quoniam digestus haberis,
Rhetorica ratione carens dulcaminis omni,
Liber, interno cùm te perscrutor ocello;
Ægrè fert animus quòd vulgo ducere gestis
Quæ digesta stylo nequicquam scemata nostro,

A Et subsannêris tumido vafróque tumultu.
Si te conseruent; studiisque sigilla pudicis
Pestiferum intentant secreti tædia nobis,
Auripluo quoniam Danaen vix texit ab imbri,
Vt promit mytho Fulgentius, ænea turris.
Aut pergas Northmannica nunc Gymnasia præpes,
Aut Scolis clausus Franciscis iam morulêris.
Ridiculam vereor nobis sat surgere sannam,
Si impatiens refutes clauem nunc obice dempto,
Et in ** proprias argutæ plebis in ora.
Inuitum quatient Nortmanni verbere vatem.
B In vulgus venies audax nunc præpete gressu.
Pro quanto tanti spernunt iactabere fluctu.
Hic fœdum spuet aggestis labris labiisque,
Succinet infandum retracta nare aliusque,
Et plausum manibus nimium dabit hicce profanis:
Elatis terram pedibus ter succiet * hic, *iste, vt constet versus.
Verrucas alius disquirens ore notabit,
Cordibus explosis, si nulla tamen patet vsquam,
Integra, doctus erit certe prauertere falsis.
Ast ex hoc fuerit quo perditiórque profanus,
Acrius his furias amens baccetur in omnes,
Et nolénsque volens sic * ANTIA ET ωNTA subibis,
Ludibrio tandem sannæ subtus * & omni,
Croco * narcissus frustra trudêre taberna,
C Gingiber, aut nardi modicum, costúmque, pipérque,
Ignauis si quidque feres cartis amicitur;
Obstiterit monitor longè, nec cura mederi
Tute consiliis motus, nostrisque querare
Fraudatum, hoc tecum iugiter memorando referto.
Qua frontem titubans titulus præfixerit acrem,
Suspicio primò subeat QVINTINVS enormis,
Panderet vt cælos itiner qui de nece fecit:
His dux, his meritísque suis primordia signet.
Hoc forsan poteris contemnere vulgus inerme,
Plebis virgantis seu iam discrimina mille:
D Ne meritis fulgentis nominis obice tantis
Vix ausint tumidæ temet spreuisse phalanges.
Nitescet rabies, parcentque sputis duce tali,
Febréque subtracta nudo incrudescere dente.
Flamine septifluo felix liberi duce sacro
Protectus iugiter, munitúsque auxiliatus,
Retondis * meritis Quintini Martyris almi;
Nec te non monitum olim discessisse grauêris,
Quod restat dubiis supplex comitéque * fatis,
Méque vtinam affectu optato meliora sequantur.

A

VERSVS AD RICHARDVM MAGNI RICHARDI FILIVM.

O TE magnanimum, pium, modestum!
O te præcipuum timentem Deum!
O te magnificum, probum, benignum!
O te mirificum, bonúmque, iustum!
O te pacificum, Deíque prolem!
O te munificum, sacrum, modestum!
O te prærutilum, RICARDE *clemens!*
O te longanimem, Ricarde prudens!
O te percelebrem, Ricarde decens! B
O te iuridicum, Ricarde mitis!
O te promeritum, Ricarde dulcis!
Gentes omnigenæ ferunt decenter.
Quæ cernis memora Libro modestè.
His depasce tuum cor, atque pectus,
Innecti vt valeas quibus recensis.

FVTVRÆ MATERIEI TREPIDATIO, ET DISSVASIO.

TVRBINIBVS *variis cui casibus innumerísque*
Ast inoportunis rerum vicibus volitantum, C
Lapsibus atque volubilibus fati exagitantis
Anxia mens titubat, nimiis singultibus hærens,
Cor quoque prætrepidum fibris marcessit adustis.
Torpens ast animus planctu suspirat acerbo,
Linguaque raucidulos cursus iam gutturis inter,
Desipiens horret, balbutit, blaterat, hæret,
Squalentíque situ vix verba sonantia garrit,
Ingeniumque socors, intellectúsque pusillus,
Difficilis sensus, heu! stultitiaque repletus.
Quali quibo modo compto sermone referre
Quod mihi nutanti committitur accumulare D
Numine diuino gestum, nutúque superno?
Qui nec priuatim casu, nec publicè gesta
Elicere humanis possum digesta labellis.
Vltra posse suum pondus quisquis graue sumit,
Ludibrium passus prægmagnum, ridiculúmque,
Impendit semet ludicræ garrulitati.
Sæpè feræ sectatori incauto arte venandi,
Et sua pessumdat præsumptio & inuia luci.
Sic tyro parmam gestat belli monimentum.

A
Vsus lasciui facili conamine sudans,
Extorto sed non nouit certare duello.
Ales numquam vestra tutus spatulum sibi cessum,
Præuia cui mater dux non fuerit, resecabit.
Ingerit in pelagus parua qui lintre marinum
Nautarum semet doctrinæ ignarus & artis,
Fluctuat aut illuc, aut huc, aut sæpè voratur.
Qui solitus faleris onagro sine sæpè sedere,
Præcipitatur eques iam factus præpete cursu.
Non opus ire forum librato fœnore mercis,
Emere qui quod vult nescit cautè, & licitare,
B
Totius artis inops, rationis, consiliíque.
Sic in diuersum præ lapsu scinditur omni,
Qui repetit quod diffinire nequit moderatè,
Doctorum nisi doctrináque, fauore iuuetur.
Ergo mea nunc inscitiæ squalore repungor,
Ignorans super hoc quid agam, faciámve, sinámve.
Quanquam sensus hebes genuinæ garrulitatis,
Thematis intepidum quicquam, infacetum, inhonestum,
Digerat, auctoris nullius robore fretus.
Aggrediar potero quicquid, faciamque meapte,
Fidens in Domino mundum ditione regente,
Quicquid vult faciens cælo, terraque, maríque.
Rudere consuetam plenè edere verba coëgit,
Sessoríque suo alterius profarier orsis,
C
Postque sepulcralem Lazarum recreauit honorem,
Et voluit functum post funus currere viuum.
Post subiit vexilla crucis, mundúmque redemit.
Suscipe gesta tui proaui, Præsul recolendæ,
Et locupletis aui suscipe gesta tui.
Quin etiam meritis patris super æthera noti,
Participis Christo quinetiam meritis.
Illius atque bonis animum depasce benignis,
Instrue te exercens illius atque bonis.
Mirificos recolens actus sermone retracta,
Affatúsque suos mirificos recolens.
D
Et memora, memora causas eius memorandas,
Dignè quæ gessit nunc memora, memora.
Nisibus eximiis eius reminiscere morum,
Atque recordare nisibus eximiis.
Legitimum huius opus relegens imitare libenter,
Et rimare studens legitimum huius opus.
Scis quia castra Dei semper recolendo adamauit,
Dilexit venerans scis quia castra Dei.
Ariete non fragilis patriæ murus fuit ipse,
Portaque difficilis ariete, non fragilis.

Orphanus, exul, inops, capiebat opem viduæque, A
Solamen cunctis orphanus, exul, inops.
Ecclesias statuit, paganos credere fecit,
Delubra construxit, Ecclesias statuit.
Corde Deum Dominum dilexit viribus, atque
Vt se propinquum corde Deum Dominum.
Fortè feros populos violento marte domabat,
Et conculcabat fortè feros populos.
Legibus & Ducibus verbo induperabat amico,
Gratior in regno Regibus & Ducibus
Muneribus variis missos ditabat honores,
Ast humiles pariter muneribus variis.
Pallia distribuens, aurum, pelles, sonipésque, B
Munere largifluus pallia distribuens.
Indomitos Dacos verbis blandibat amicis,
Austerísque premens indomitósque Dacos.
Ordinis atque gradus nostri decus omne per omne,
Ac firmamentum ordinis atque gradus.
Alloquio celebris, virtutum agalmate pinguis,
Mansuetus verbo, alloquio celebris.
Causidicum superant eius me nunc bonitates,
Atque facultates causidicum superant.
Permanet indicium illius verum probitatis,
Signa & adhuc rutilant, permanet indicium.
Ampliùs eloquar, an sileam quæ gesta videntur, C
Tempore venturo eloquar, aut sileam?
Garriet ecce meus poterit quæcumque relatus,
Tractatúsque simul garriet ecce meus.
Voce boabo fremens, vehementi corde retractans,
Quæ retulit viuens voce boabo fremens.
O venerande, pie, recolende, verende, patrone:
Præsul ROTBERTE, *ô recolende pie.*
Immemores patris & memores scrutare triumphos,
Actus perquire immemorésque patris.
Exhibeásque patris dictis temet reuerendis,
Factis te speculans exhibeásque patris. D
Subueniat iugiter præsens oratio patri,
Votaque continua subueniant iugiter.
O vtinam valeas, vigeas per secla potenter,
Cum Christo regnans, ô vtinam vigeas!
Elisio maneas campo patre cum reuerendo,
Empireæ patriæ Elisio maneas.

A

VERSVS
AD COMITEM RODVLFVM HVIVS
OPERIS RELATOREM.

VIRTVS & nomen vulgata potentia paßim
Flamigero regni substractis creuit in orbe,
Cedant conuicti Comitis probitate RODVLFI.
Illis Consulibus Romanus calluit orbis,
Nunc Northmannus apex RICARDI culmen honoris,
Totius regni virtus, decus, atque potestas,
Moribus & meritis mactus RODVLFE benignis,
B
Retribuente viget; timet, atque superstite pollet,
Præpollens grauitate animi cordisque profundi.
Ore salem fundis tranquilli pectoris, almo.
Vt salis vnda cibos, sic sensus tu quoque condis.
Radix consilij fœcundi nectaris vrna,
Viuax ingenio, mitis rutilante loquela.
Sol velut hunc mundum, refoues sic firmate cunctos:
Nilus vt Aegyptum, recreas sic corda tuorum.
Te tellus rutilum meruit Northmannica lumen.
Splendor vbique micas, qui cordis lampade fulges.
Archipatres prisci pariter, procerésque moderni,
Scipio, Pompeiúsque, Cato quis gloria Romæ,
C
Magnificum decus, Imperium dominánsque coruscum.
O felix animus, patriæ qui consulis actus,
Auxilium regni, firmamentum, decus, atque
Cuius quæ constant Libro hoc conscripta relatu,
Digeßi attonitus, tremulus, hebes, anxius, anceps.
Sit tibi summus honor Christo regnante per æuum,
Vitáque sit præsens cum Sanctis, atque futura.

ITEM AD ROBERTVM ARCHIEPISCOPVM.

PRæsul præcipue, atque venerande,
Culmen magnificum Ecclesiarum;
Summus noster honor, noster & altor,
D
Luxque, insigne decus, digna salúsque
Nostri sancte gradus, ordinis auctor:
Quæ digesta meo, suscipe, sensu.
Sacra tange manu quæ fero supplex,
Intemptata sciis * Grammaticæ artis:
Ac rimare legens quæque peracta,
Quæ nos dulcis amor, curáque summa
Patris præcipui, & dulcis, almi,
Magni Patricij, & reuerendi
RICARDI celebris orbi, labanti
Æterna patria, iure potentis,
Quanquam sat breuiter, scribere fecit.
Qui bonitate cluens & pietate,
Simplicitate valens & probitate,
Fulgens iudicio iustitiaque,
Regno splendidior floruit isto,
Magni CLOTHARII tempore Regis,
HVGONISQVE Ducis, postea Regis:
Cuius corde sagax, mentéque prudens
Expensas memora, factaque, dicta.
Recte quo valeas æquiparari
Digne consimili iam bonitate
Tam digno Comiti, tamque celebri;

Tam iustóque, bono, tamque modesto,
Tam sancto, pio, tamque colendo,
Iustè quo fruitur, atque potiri,
In cœtum Superûm iréque dexter,
Agnus candidulo vellere pulcher,
Iunctus Cælicolis pace perenni.
Pontificalis apex & honor,
Culmine præcipuo renitens,
Gloria Pontificum merita,
Pastor opime gregis Domine,
Pacifica pietate calens,
Officiis generosè piis,
Ecclesiæ ordinis, atque gradus
Palma, decúsque, fidésque, salus,
Christicolæque caput populi,
Egregium auxilium patriæ,
Vir venerande, sacer meritis,
Belligeri egregij proaui,
Martyrio micantis aui,
Prædulcis eximiique patris,
Ingenio reserata meo
Thematis ordine prosaici
Stultilogo, stolidóque, hebete,
Inscia, inepta, vidéque, cape.
Materie fluitanda sua,
Dulcia, munifica, & stupida,
Famine, veridico alloquio,
Gesta legens, replicando diu,
Quæ bona repperies memora.
Fruge salutiferâ segetum
Pasce animúmque tuum, his epulis,
Talibus instrue corque tuum,
Actibus æquiparis valeas
Currere cum seniore viro,
Cum patre, cum genitore sacro.
Gloria, vita, salus, probitas,
Sospite corpore, quin animo,
Longa per innumerum tibi sit.
Postque necis lugubre excidium
Elisia patria vigeas
Participans ΘΗΩΘΗΝ ΩΥΡΑΝΥΚΑΜ.

PRæsul amande,
Et reuerende
Et recolende,
Atque tremende;
Onoma cuius
Hoc quoque metrum
Non capit vsquam,
Nisi redempta
Littera desit
Mirificarum
Prosapiarum.
Gesta tuorum
Suscipe patrum,
Patris, auique,
Sat bonitatis
Luce micantis,
Nunc proauique,
Iam memorando
Quæ bona quisque
Fecit in orbe,
Vita superstes
Dum vegetauit
Fomite sacro;
Atque salubri
Somatis artus.
Namque verenda
Ecclesiarum
Mirificarum
Culmina fulgent:
Quas pater olim
Scemate pulcro
Ædificauit.
Quis valet eius
Cuncta videre
Quæ bona fecit,
Corde sagaci,
Ménteque pura?
Martia quem nunc
FRANCIA *plorat,*
Et gemit Elus,
Eiulat atque
Morte lugubri,
Atque merenda,
Heuque dolenda:
Munere cuius
Quæ locupleta,
Se exhilaranda
Lætificabat.
A nece cuius
Ordo sacrarum
Ecclesiarum,
Quæ refouebat,
Multimodarum
Congerierum
Munere sacro,
Fomite sancto,
Colloquióque.
Tristis habetur,
Quin viduarum
Turba vagantum,
Exul, inopsque,
Esuriensque,
Qui sitis, atque
Luce priuati,
Consilióque,
Vestéque nudi,
Frigore pressi,
Et lue pleni,
Diues in omni
Et locupletum
Turba bonorum
Atque malorum,

Ponti-

A Pontificalis
Culmen honoris,
Rex, Proceréſque,
Græcus, & Indus,
Friſſo, Britóque,
Dacus, & Anglus,
Scotus, Hibernus,
Clerus herili
Sorte dicatus,
Ordo verendus,
Pulcher Eous,
B Occiduuſque,
Atque Sicamber
Belliger, acer,
Fleuit amarè.

Præſul opime,
Culmen, apexque,
Atque cacumen,
Lux generiſque,
Progenierum
Altus amórque
Pontificalis,
Nunc imitare:
Et prece prona,
Corde ſubacto,
Mentéque pura,
Viribus almis,
Sedulus ora:
Quo requieſcat,
Pace fruendo,

Axe ſuperno,
Agnus eátque
Dexter, ouando,
Velleris albi,
Tu quoque cunctò
Tempore ſalua.
Longa per annos,
Innúmeróſque
Vita tibi ſit:
Soſpite ſacro
Somate ſemper:
Poſtque lugubre,
Mortiferúmque,
Flebile damnum,
Pace fruaris
Sede perenni.

O Trinum ſpecimen, tria ſumma *, virgo Deus vnus,
Præcellens numen æthereum columen.
Cauſarum decus, & ſeries, concordia mundi,
Exſors principij & ſine fine manens.
ΝΩΥΣque ΛΩΓΩΣ, mundi altor, & actor enormis
Orbis terreſtris, idea ſtelligeri.
Vota precum aſpirans humili prece poſco mearum,
Quo faueas cœptis inſcitiâ tremulis.
C Actus & caſus rerum, infortunia, ſtrictim
Pandam ſi potero themate proſaico,
Quæ tulit Alstemo duce barbaries furioſa,
Et quæ Rollone denique Chriſticola.
Qualiter & ſoboles eius Vvillelmvs in omni
Lege ſerenato profuit imperio.
Quin & Ricardi merito ſuper æthera noti,
Patricij ſummi, Chriſticolæque pij.
Terra ferax populi Normanni iure quieuit
Annis fructiferis, tempore pacifico;
Te præſtante, Deus, qui cernens omnia ſolus
D Regnas, & viuis, & ſine fine manes.

F

A.



DVDONIS
SVPER CONGREGATIONEM SANCTI QVINTINI DECANI,

B

DE MORIBVS ET ACTIS PRIMORVM NORMANNIAE DVCVM,

LIBER PRIMVS.

HASTINGVS.



TOTIVS namque molis orbe descripto, ambitúque & superficie terræ sagaciter permenso, omnem terram perpetuo Oceani limbo vndique secus circumseptam, æthereo quadripartiti cæli cardine intellectu Cosmographi dimensi, in tres partes diuiserunt, Asiam, Europam, Africámque reputantes. Quarum EVROPA quamplurimis fluminum alueis interriuata, variisque Prouinciis denominata, termino diremptionis limitatur patriis. Harum quædam spatiosissima multiplici innumerabilium hominum frequentiâ cæterarum copiosissima, nuncupatur C GERMANIA. In qua Hister fluuius de cacumine montis Hatnoen * ortus, in sexaginta amnibus augmentatus profusiùs, & à meridie ad Orientem means procellosus, Germaniam & Scithiam vsque eo, quo ponto recipitur, discriminatus, vocitatur Danubius. In copiosa igitur intercapedine à Danubio ad Scithici vsque ponti confinium, diffusæ commorantur feræ gentes & barbaræ, quæ ex Canza * insula Oceano hinc indè circumsepta, velut examen apum ex canistro, seu gladius è vagina, diuersitate multimoda dicuntur prosiluisse consuetudine barbarica. Est namque ibi tractus quamplurimus ALANIÆ, situsque nimium copiosus DACIÆ, atque meatus multum profusus GETIÆ. Quarum Dacia extat medioxima, in modum coronæ, instarque ciuitatis, præmagnis Alpibus emunita. Quos portentæ anfractus amplitudinis furentes incolunt populi, præmonente Marte bellicosi, scilicet GETÆ, qui & Gothi, Sarmatæ, & Amaxobij, Tragoditæ, & Alani; quamplurimæq; Gentes Meotidibus paludibus excolendo commorantes. Hæ namque Gentes petulanti nimium luxu exardescentes, feminásque quamplurimas singulari turpitudine stuprantes commiscendo, illinc suboles innumeras obscœna inliciti connubij commistione patrando generant. Hi, postquàm adoleuerint, rerum pro possessionibus contra patres, auósque, aut sæpiùs inter se ferociter obiurgati, fuerint D exuberantes, atque terram quam incolunt habitare non sufficientes; collecta sorte multitudine pubescentium, veterrimo ritu in externa regna extruduntur Nationum, vt adquirât sibi præliando regna, quibus viuere possint pace perpetua: quemadmodum fecerunt Getæ, qui & Gothi, totam penè Europam vsque eo, quomodo morantur, depopulati. Ceterùm in expletione suarum expulsionum atque exituum, sacrificabant olim, venerantes THVR Deum suum. Cui non aliquod pecudum, neque pecorum, nec Liberi Patris, nec Cereris litantes donum, sed sanguinem mactabant hominum, holocaustorum omnium putantes pretiosissimum; eò quòd Sacerdote sortilego prædestinante, iuga boum vna vice diriter icebantur in capite, collisóque vnicuique singulari ictu sorte electo cerebro, sternebatur in tellure, perquirebatúrque leuorsum fibra cordis, scilicet vena. Cuius exhausto san-

*Atnoe.

*Scanzia.

A guine ex more sua, suorumque capita linientes, librabant celeriter nauium carbasa ventis: illósque tali negotio putantes placare, velociter nauium insurgebant remis. Sin verò maiori sorte equites egressi essent, Mauortia erigebant vexilla prælij. Sicque suis à finibus elabentes, tenebant intentionem in Gentium mortiferam concussionem. Exulant quippe à patribus, vt arietent viriliter cum Regibus. Dimittuntur à suis inopes, vt mercentur ex extraneis dapes. Priuantur suorum fundis, vt locentur quietè alienis. Pelluntur extorres, vt fœnerentur prælìantes. Truduntur à suis, vt participent cum alienigenis. Segregantur sua natione, vt gratulentur exterorum possessione. Linquuntur à patribus, forsan non videndi à matribus. Erigitur asperitas iuuenum, in demolitionem gentium. Liberatur patria, suis incolis defæcata. Ceteræ condolent Prouinciæ, plurimo hoste nequiter toxicatæ. Sic depopulantur cuncta, quæ sibi sunt obstantia. Nauigant prope maris littora, vt vendicent sibi terrarum spolia. Vno regnò B quæ rapiunt, in aliud deducunt. Petunt sequestra pace portus, causâ mutuandi raptum fœnus. HASTINGVS.

IGITVR DACI nuncupantur à suis Danai, vel Dani, gloriantúrque se ex ANTENORE progenitos; qui, quæ Troiæ fuerunt depopulatis, mediis elapsus Achiuis, Ilìricos fines penetrauit cum suis. Hi namque Daci relato ritu olim à suis expulsi, qua suos tractus FRANCIA protensè exporgit, cum Duce ANSTINNO * ferociter sunt appulsi. *al. Hastingo.

Hic sacer atque ferox nimium, crudelis, & atrox.
Pestifer, infestus, toruus, trux, flagitiosus.
Pestifer, inconstansque, procax, ventosus, & exlex.
Lethifer, immitis, præcautus, vbique rebellis.
Proditor, incentorque mali, duplex simulator.
Impius & tumidus, pellax, deceptor, & audax.
Furcifer, incestus, infrenis, litigiosus.
C *Pestiferique mali augmentum, doli incrementum.*
Non atramento, verùm carbone notandus.
Et tanto scelere ante alios immanior omnes,
Quantus ad astrigerum tendit suspectus Olympum.

Huc illúcque profugas contaminauit gentes, earúmque sibi & suis vendicauit facultates. Galliæ potestatis inuasit dominium, Franciscum vsurpauit sibi regnum. Temerauit Sacerdotium, conculcauit Sanctuarium. Verbis factísque lacessiuit Francorum Regem, ciuitatibus cum suis triste cōmorantem. Fremit circa muros præsidiorum, ceu lupus circa caulas ouium. Flocci pendit Francos, suis præsidiis metu receptos. Persequitur cunctos, ceu leo ceruos. Trucidat inuentos, quos reperit sepositos. Efficitur strages, iugulantur cuspide tristes. Multatur Clerus, crudeli morte punitus. Casulas nefarij induunt, quas altaribus sacris diripiunt. Vestitur Alba, officio Missæ dedicata. Quisquis in illos arma sumit, interimitur crudeliter. Cetera gens armis frigida ducitur captiua. Vxores à pluribus stupratæ ducuntur flebiliter aduenæ. Omnis puellarum sexus ab ipsis turpiter deuirginatur. Cum iuuenibus senes longè latéque trahuntur extorres. Quicquid est animalium redigunt in pretium. Crescit rabies furiosa, multis malis augmentata. Quintini testis meritis D super æthera noti incenditur delubrum Monasticis rebus præbalteatum. Ceteræq. omnes Ecclesiæ in finibus Vermandensium locatæ, Agonothetæ Christi Dionysij Monasterium, Vulgano superante est fauillatum. * Enno Nouiomacensis Episcopus *al. Emmo. cum suis Diaconibus, IIII. Kal. Maij, heu pro dolor! est peremptus. Omnísque gens desolata ad naues ducta est captiua. Confessorum Christi Medardi & Eligij basilicæ ab ipsis nefariis sunt perustæ. Sanctæ Genouefæ Virginis sacræ Ecclesia Parisius locata ab ipsis nefandis est combusta. Ceteræque Ecclesiæ extra munitionem locatæ, per totam Franciam diffusæ, comburuntur penè vniuersæ. Grassante malo desolatur Francia, penitus euacuata. Luget Liberi Cererisque inops, quibus fuerat olim locupletissima. Mœret suis se incolis destitui, agricolísque priuari. Eiulat vomere non exarata, cultróque inculta. Torpescit quiescendo terra, labore boum non exercita. Ignorantur peruia, vestigiis hominū non attrita. Siluarū, fruticūque, atque nemorū genere dēsantur cāpi voluēte tempore. Cōclamata est salus, vitæq; fiducia

HASTINGVS. recessit ab hominibus. Nauigio ipsas Daci petebant aquas, indéque exilientes populabantur finitimas terras. Nocte inuadebant iacentium corpora, lethei soporis quiete sepulta. Omnibus vastatis, quæ fuerunt sibi visa, & non reperientes prælij vsquam certamina in tota Francia, remearunt prædando omnia ad nauium præsidia. A

OMNIBVS igitur accersitis super suo negotio quid agerent consulturis, omnium Alstignus vnus pro omnibus inquit nequissimus. Optatæ nobis crebrescunt auræ, facilésque nobis viam spirant venti secundi. Si vobis non displicet, Romam eamus, eámq; sicuti Franciam nostro dominatui subiugemus. Hoc consilium complacuit omnibus, velísque lectis à prædatoribus, torquent proras Francicis à littoribus. Altis namque longè latéque fluctibus tactis, terrísque eis citráque littora sibi vendicatis, Romam dominam Gentium volentes clam adipisci, Lunxe * vrbem, quæ Luna dicitur, nauigio sunt congressi. Principes igitur ciuitatis formidoloso tantorum impetu exterriti, munierunt vrbem quampluribus armigeris. Decernens Adstignus * blasphemus, ab omnibus non posse ciuitatem capi armis, dolosum reperit consilium nefandissimæ fraudis. Misit itaque nuntium ad Comitem ciuitatis, & ad Episcopum, subsequentia verba illis dicturum. Qui conspectui illorum adsistens, talia coram profudit dicens: Anstingus Dux Dacorum vobis fidele seruitium, & omnes pariter sui, sorte Dacia cum ipso eiecti. Non vobis incognitum, quòd sorte Dacia expulsi, per fluctiuagum pelagus circum omnia maria, turbine mirabilium maris elationum traducti, Francigenæ gentis regnum sumus aduecti. Hoc quoque regnum nobis sorte Deorum concessum inuasimus, multúmque prælijs contra gentes Francigenas obnixè certauimus, totúmque regionis locum illius nostri Senioris imperio prostrauimus. Verùm omnibus nostris ditionibus subiugatis, reuerti volentes ad terram nostræ natiuitatis, priùs Aquilonibus aduersis, postea Zephyro Northóque nobis contrariis obtriti, finibus inuiti vix adnatauimus vestris. Vestram vrbem nec ferro depopulari, nec prædas venimus pagi vestri ad naues deducere. Non nobis ea vis tot periculis fatigatis. Sequestram nobis pacem precamur date, quæ necessaria sunt liceat emere. Noster Senior infirmatus, multísque doloribus plenus, vult à vobis fonte salutifero redimi, Christianúmque sese fieri: & si morte hac in infirmitate præoccupatus fuerit, vestra misericordia vestráque pietate hac ciuitate sepeliri. Hoc audientes Presul & Comes respõderũt internuntio dicentes: Perpetui fœderis pactum vobiscum agimus, vestrúmq; Seniorem Christianum facimus. Quæcumque vultis emere, mutua voluntate nostrorum vestrorúmque concedimus. Internuntius autem quæque fraudulenter illis dixit, & quæcumque ab eis dolosus audiuit, nefandissimo omnium Seniori suo renuntiauit. Data igitur sequestra pace, multisq; competentiis, multísque coemptionibus, atque mutuis conuentionibus coutuntur perfidi pagani vicissim & Christiani. Interim præparatur ab Episcopo balneum, perfido non profuturum. Sanctificantur aquæ putei gurgite exhaustæ. Illuminantur cerei ad sacrum mysterium lauacri. Aduehitur præstigiator Anstignus, dolosi consilij repertor maliuolus. Intrat perfidus fontes, corpus tantum deluentes. Suscepit nefarius baptismum, ad animæ suæ interitum. Suscipitur de sacrosancto baptismate ab Episcopo & Comite. Deducitur quasi infirmus, sacro charismate oleóque delibutus. Non ægrotus, sed æger, negotio perfidiæ miser. Deportatus quasi infirmus ad nauis contubernium, corpore dealbatus totum. Conuocat igitur ilicò omnium nequissimos, super sua fraudulenta dolositate consulturos. Pandit illis secretum exsecrabile, quod conceperat furioso corde: Imminenti nocte me mortuum nuntiate Præsuli & Comiti, & deposcite nimium flentes, vt faciant me neophytum sua vrbe sepeliri. Enses, & armillas, & quidquid est mei iuris, dicite vos daturos illis. Illi autem, vt iussum fuerat, ante dominos ciuitatis venientes, dixerunt eiulantes: Noster Senior, vesterque filiolus pro dolor! est defunctus. Precamur miseri, vt in vestro Monasterio sepeliri eum faciatis; & munera quæ vobis moriens iussit permaxima dari, recipiatis. Illi namque tali sophismate decepti, dandísque & accipiendis muneribus quasi excæcati spoponderunt corpus recipi, & Monasterio decenter humari. Internuntij autem regressi, renuntiauerunt quæ fraudulenter impetrauerant funesti. Tunc contumax pestifer gaudens super responsis eorum, vniuscuiusque tribus mandat accersiri præcipuum.

*al. Lux vrbem.

Alstign

A Congregatis autem omnibus, nequissimorum nequior dixit Anstignus: Mihi modo facite feretrum, & super ponite me quasi mortuum, arma mecum in ipso collocate, & vos in gyrum circa ipsa flebiliter state; vos per plateas vlulate, vestrósque me cogite plangere. Tumultuet vox vestra per cuncta nostra tentoria. Concrepet vox qui præsunt nauibus, cum cæteris cohortibus. Armillas & baltheos ferri ante feretrum facite. Gemmis auróque politos secures ensésque exponite. Fit dicto citiùs quod mandarat funestus. Auditur clamor vlulatuum, tumultúsque lugentium. Resonant montes pro vocibus dolosè mœrentium tinnientes. Conuocat Præsul campanis gentem diffusam per totam ciuitatem. Venit Clerus monasticis vestimentis indutus. Similiter Principes illius vrbis martyrio coronandi. Affuit femineus sexus in exilium deducendus. Pergunt vnanimes contra monstrum feretro impositum. Baiulant Scolastici candelabra & cruces, maioribus præcedentes. Aduehitur à paganis Anstignus, viuus super feretrum positus. Atque in exitu ciuitatis obuiant Christiani paganis. Ab vtróque populo comportatur ad Monasterium, B quo sepulchrum eius erat paratum. Præparat se Episcopus, Missam pro suo filiolo celebraturus. Choro stat & Clerus, officiosissimè cantare suetus. Ignorant trucidandi Christiani dolum mortiferæ fraudis. Decantatur Missa sollemniter celebrata. Participant omnes Christiani mystico sacrificio Iesu Christi. His Missarum sollemniis decenter expletis, paulatímque paganis congregatis, iussit Præsul corpus ad sepulturam deferri. Pagani cum magno clamore petebant feretrum, & dicebant alternatim non eum sepeliendum. Stabant igitur Christiani super responsis eorum stupefacti. Tunc Anstignus feretro desiluit, ensémque fulgentem vagina deripuit. Inuasit funestus Præsulem librum manu tenentem. Iugulat Præsulem, prostrato & Comite, stantémque Clerum in Ecclesia inermem. Obstruxerunt pagani ostia templi, ne posset vllus elabi. Tunc paganorum rabies trucidat Christianos inermes. Traduntur omnes neci, quos furor reperit hostis. Sæuiunt infra delubri septa, vt lupi infra ouium caulas. Corde premunt gemitum mulieres, lacrymásque effundunt inanes. Iuuenes cum virginibus loris concatenantur simul. C Vltima vitæ dies accidit omnibus, breuéque & inrecuperabile vitæ tempus. Prosternunt per mœnia vrbis prælìantes, quoscumque reperiunt robustiores. Atteruntur ciues, sæuiente Marte dolentes. Gens quæ præerat nauibus adest, portis vi patentibus. Stat mucrone corusco acies ferri, strictim parata neci. Iungunt se præliantibus, hinc inde certantes altrinsecus. Crudeliter perimunt omnes, quos reperiunt armis obstantes. Tandem finitur duellum, heheu! perempto cœtu Christianorum. Cetera namque manus flebilis ducitur nauibus. Conquiescit furentis Anstigni rabies, prostratos propter vrbis Principes. Gloriabatur Anstignus cum suis, ratus cepisse Romam caput mundi. Gratatur tenere se Monarchiam totius imperij, per vrbem quam putabat Romam, quæ est gentium dominatrix. Hanc non esse Romam postquam didicit, commotus ira sic inquit: Prædamini omnem Prouinciam, & incendite vrbem istam. Captiuos & spolia conducite ad naues quamplurima. Sentiant coloni istius terræ, nos in finibus illorum versasse. Quod mandat teter, gaudet parare minister. Omnis Prouincia inuaditur, hostéque nequissimo superatur. Strages quamplurima efficitur, captiui ad naues ducuntur. Gladio & incendio deuastant omnia, quæ fuerant illis in præsentia. Onerant naues, his D expletis, captiuis & spoliis. Iam vertunt proras ad Francigenæ gentis regnum ducendas. Permeant mare Mediterraneum, reuertentes ad Franciæ regnum.

HASTINGVS.

FRANCIA *tot gentes superans iam marte superbas,*
Officiis intenta piis profusè, & honestis.
At crines in te populi dominata volentis
Spargere te, & vano conamine contaminare,
Imperio adquisita tuo bis ter trina regna
Fortis, dura, ferox, constans, robustáque cauta.
Legifera, insignis, mitis, lenis, luculenta,
Strenua, fida, comis, belli rebus studiosa,
In cunctis vincénsque, potens sollérsque triumphis,
Pondere sed sceleris tanti nimium cumulato,
Regéque posthabita cuncta purgamine plena,

HASTINGVS.

Mandatis Domini spretis super astra tonantis.
Nunc prostrata iaces, super arma sedens verecunda,
Attonita, & stupefacta nimis, hebes, anxia, tristis.
Conculcata, lacessita, & spreta, increpata,
Infestisque reis, spurcis, toruis, sceleratis,
Pestiferis, tumidis, ventosis, flagitiosis.
Nam recidiua armis citò surge, velociùs insta,
Consilium tibimétque, tuis nunc quare salubre.
Horrendi nefas multis erroribus acti
Pæniteat, pudeat te, tædeat, horreat atque.
Scribe Dei mandata tui, recitando per omne,
*Altera progenies illa Dacia * dimittitur,*
Remigio tumidas valido lapsura per vndas.
Bellabit pugnas in te per tempora multas,
Prælia robustis exercens martia telis.
Effera Francorum contundet millia bellans,
Fœdere complacito tandem iam pace quieta,
Imperiumque tuum, noménque æquabit Olympo,
Gentes & tumidas tibi deseruire negantes
Contundet gladio, mitescet, suppeditabit.
O felix, ô térque quater & millies alma,
Salue tripudians, & aueto in secula regnans.

INTEREA dum quasi solitudo FRANCIA deserta haberetur, dumq; veluti tonitrualis mugitus rugientia arcana, pauidi NORTHMANNORVM aduentus formidarentur, Rexque Francorum vnde audaciæ paganorum hostiliter resisteret non haberet; reperit consilium valde sibi suísque saluberrimum, vt cum Anstigno nequiore nequissimo fœderaretur, paxq; totius regni serenata ingruentium depopulationum tempestate inter vtrumque haberetur. Quapropter Ducibus accersitis, cum Episcopis, Comitibusque, cum satellitum turmis, quod corde disponendo adinuenit, eloquendo memorauit, atque pronuntiando sic retulit: » O Seniores & Domini, imminentis querimoniæ causâ huc prouocati, consilium vos rimando quæritate regni. Tunc verò Franci regia allocutione permoti, dixerunt vnanimes contra illos debellando præliari. At Rex dissuadens, talia exorsus est, dicens: Mihi non videtur consilium contra illos initiari bellum. Si contra illos fortè dimicaturi exieritis, aut vos moriemini, aut illi fuga lapsi repetent naues celerrimi. Vt requiescat terra temporibus nostris, quæratur pax diuturna ab impiis. « Hoc namque consilium ab ore Regis prolatum omnibus est complacitum. Diriguntur legati ad atrocem Anstignum pacifici. Dehinc vectigali pensorum tributorum summa mitigatus, & à Francigenis exacti muneris pondere sensim placatus, pacem quæ postulabatur non abdicat diutiùs, verùm dat vltroneus. Inconuulsa igitur Præsulum pace firmatâ, ducitur ad Regem, pepigítque inextricabili fœdere Olimpiadis cum eo munera pacis. Qui Imperialibus competentiis, mutuáque voluntate vicissim fœderati, concordes vnanimiter sunt effecti. Quieuítque Francia multimodâ antehac depopulatione afflicta, cursuque illius temporis hostili peste priuata, intumescentiúmque paganorum vastatione est liberata. Ne quis lector abhorreat monemus, ob aduersorum ignominiam casuum, qui non ad interitum, sed ad correptionem propter exaggerationem scelerum Francigenis acciderunt. Contrita est námque gens vltore Anstigno Francigena, quæ spurcaminum erat sorde nimium plena. Perfidi periurique merito sunt damnati, increduli, infidelésque iustè puniti. Prolixum est nobis vniuersos illius temporis labores narratione persequi, idcirco nostræ præsumptionis citiùs vertamus stilum ad intentionis propositum. Elucidet itaque breuiter calamus, quamuis iners, quæ nutu Dei gesta sunt, digerátque compendiosè qualiter acciderunt. Exprimátque rei veritatem, spernens sophismatis errorem. Refutet erratus obscœnorum casuum, deprimat venturæ salutis negotium.

A

EPILOGVS.

CICLICA *torua tenens, & lubrica deuia pergens,*
Labilium anfractus nequicquam audiensque viarum;
Cœptum itiner nunc siste, Liber, deposco parumper,
Materia fluitantis opus iam desine fessus.
Si duci valeas vltra iam conspice solers.
Nam via longanimis, scabrosa, petrosa per omne,
Herbida, siluestris, nemorosa, & lubrica, & aspra.
Farréque equos depasce tuos iam tam macilentos,
Velle bonum retinent quoniam, sed posse pusillum.
*Sæpiùs & tersi, lotique habeantur * per omne.*
Illorum pedibus ferrum clauis sue subtus;
B *Firmis & faleris illorum dorsa perorna;*
Malis & frenis consutis stringeque habenis.
Sic poteris forsan peragrare viam luculentam;
Quin erréśque, ruas, offendaris, pereasque;
Ni opitulante Deo, qui iure triumphat ab alto,
Testéque QVINTINO *ni intercedente beato,*
Atque ipso, cui nunc canimus quæ gessit ouante.

LIBER SECVNDVS.

PRÆFATIO HEROICO METRO DECVRSA, cui subiectum Eleiacum.

C PRISCIS *insula creata, vocata ...... extat,*
Pinguis, agri felix, diues opumque, laûm:
Gurgitis immensi limbo præcincta perenni;
Mercis munifica, fœnore multiplicis.
Plures sunt portus hinc indè altrinsecus, atque
Muneris & varij nauibus impliciti.
Quæ genuit Dedalum multas ad laude peritum,
Supra quod satis est artibus atque scium.
Qui fugiens quondam Minoeia mœnia cerâ
Nexuit actu alas mirifico sibimet.
Præpetibus pennis vacuum aëra posse meari
Ipse ratus, tuto consimilis volucri.
D *Asciuit leuitas Comitem temeraria natum,*
Incautúmque leuis fœderis, atque operis.
Inque latus subiit pennis Icarus patris actis
Patrizare volens aliger intrepidus.
Dedalus ad gelidas pater impiger euolat Arctos,
Tellurémque suis attigit hic pedibus.
Calcidicis tandem super astitit arcibus ipse,
Dextrus frigoribus gnarus habere modum.
Nobile delubrum Phœbo statuitque, dicauit;
Exuit hic alas moxque salutiferas.

Dedalea soboles minus integer arce pericli A
Venturi incautus celsior atque means.
Climatis impuri subiit plus ardua iusto,
Cera mox liquida penna soluta manet.
Cognomen pelago dedit obuius Icarus ipse,
Gurgite famosus obrutus vndisono.
Hæc te monstra petunt, & fabula contigit ista
Ludicris sannis ridiculisque tibi.
Prædicis incæpto ROLLONIS grandia facta,
Dacorumque simul pubetenus iuuenum.
Infima terrarum linquit, nimis ardua captans,
Dedalo quoniam ocior, aut Icaro. B
Dum cælo stolidum temet protendere pennas
Contigit immensum ardua materies.
Viribus incrementatis si posse fuisset,
Cordis mente tui, vt tibi velle manet.
Multiplices species si scisses armonicales,
Seruant discrimen quæ tribus in gradibus,
Dulcicano sonitu quiuisses inter olores
Psallere præcipuè cantibus armonicis.
Octomodos quiuis hærentes in tetracordis,
Quos diatessaron & diapente fauet,
Commixtisque tonis quos dissona limate formant
Expensis artis disparibus numeris. C
Sexquioctaua tonum quoniam proportio claudit,
Et diatessaron pax epitrita ligat.
Et diapente melodia rite emiolia sancit,
Seruata lege artis arithmeticæ.
Et diatessaron, diapente, simul diapason
Sancito duplo perficiunt numero.
Triplicis & formæ diapason & diapente,
Bisque diapason quadrupla consolidat.
Icòr nunc nimiis rancoribus atque repungor,
Et stimulor pauitans, concutiórque tremens.
Ha! ne te subigant temeraria ludicra vulgi,
Ha! ne præcipitem fulmina concutiant. D
Erutus insidiis quo possis iure tueri,
Ecce salubre tibi accipe consilium.
Propositum cordis Domino committe tonanti,
Ludicra disperdat, fulgura discutiat.
Munitum sensim pontum te prouehat vltra
Flaminis almifluo alite septiflui.
Atque solo temet sistat pingui & cereali,
Euulso nemore fruticis & silicis.
Rhetoricòque tuum fœcundet nectare sensum
Armorico pariter debriet & modulo.

A *Atquisita aliis plectro cum fidibus ita*
Ymnizante melos psallere voce queas.
Patricio cæcus oculo, clodis, baculóque,
Ecclesiæ decori, pauperibusque cibo.
Orphani & exulis, ast inopis, viduæque vagantis
Summo tutori ordinis atque sacri.
Huc pede arenoso quanquam deuenimus vsque,
Cœno & gressu difficilique viâ.
Vlterius nostrum conamur tendere gressum,
Sed nos dilaniat materiæ nouitas.
B *Non opis ire quidem, nostróque insistere cœpto,*
Nempe fatigatis pondere præuideo.
*Præmagnus est nobis * dimittere fascem,*
Garrulitas erit, & ridiculum nimium.
Formicare valens informia cuncta potenter,
Dondque distribuens nectaris vranici.
Spiritus alme veni, nasci qui verba dedisti,
Sensus accende viuificans hebetes.
Huc precor aspira, fusas spes atque refunde,
Antra mei sensim pectoris irradians.
Tangere quo possim tantæ ante cacumina molis,
Intemptata stilo suggere largifluè.
Prosaico referam breuiter quæcumque relatu,
C *Te collatore, te duce, te artifice.*

Cvm superna Deificæ Trinitatis prouidentia, cuius nutu variata voluẽtium temporum vicissitudine alternantur omnia, cerneret clemẽter Ecclesiam sancto sanguine redemptam, sacríq; baptismatis latice profusiùs emundatam, oleíq; & chrismatis liquore insigniter delibutam, suprascriptis breuiter casibus immaniter afflictam: continuis Christianorum precibus suppliciter pulsata, non desistit illi salutifera præbere suffragia, ex ferocitate sæuæ gentilitatis Dacigena: vt vnde fuerat flebiliter afflicta, indè esset viriliter vegetata; & quibus in præceps lapsa, his cœlo tenus exaltata: quorúmque actu floccipensa, horum munere refecta: quorum frequentiâ conculcata, horum auro gemmísque ornata: quorum prædatu pannosa, horum dono comptè palliata. Concretis igitur humana connubij stuprique copulâ plurimis Dacigenarum pubium turmis, illisque bellorum incendia inter se, & in patres, & auunculos frequenter suggerentibus, omnes Dacigenæ maiores natu & potestate ad Regem conuenientes, dixerunt vnanimes: Respublica hostili inuasione sæuè opprimitur, filiorũque & nepotum nostrorum contritione concutitur. Constitutum namque nostræ antiquitatis ritum abdicauimus, ideo Daciscæ gentis populus quamplurima mala perpessus annullatur. Consule igitur Rex regno ritu veterrimo, quod regere pacifico debes imperio. Pestifera nequissimorum hostium lue expurgetur Dacia, vt residui viuere & requiescere possimus pace perpetua. Quorum consiliis Rex attentiùs acquiescens, suæque præceptionis edictum per terram sui Imperij velociter dirigens, vt describerentur nepotes & filij, quos sors reperiret expulsionis, iussit Satrapas illius terræ adesse sibi præscripti diei tempore. Huiuscemodi fama regalium legationum mox percutit mentes pubescentium. Trepidis anxia sententiis illorum corda nutant, incertisque futuris ignota fluctuant. Hæret illorum stupefactus animus, cernens incognita sensus. Quin illos indiga veri cura fatigat, spésque incerta dubios dilaniat. Incertum erat illis præscire, quæ sententia voluebatur in Regis corde.

Rollo.

D

ROLLO. ILLIS verò in diebus senex quidam erat in partibus Daciæ, omnium rerum affluentiâ locupletissimus, innumerabiliúmque militum frequentiâ vndique secus stipatus: qui numquam colla suæ ceruicis cuipiam Regi subegit, nec cuiuslibet manibus gratiâ seruitij manus suas commendando commisit. Qui Daciæ regnum penè vniuersum possidens, affines Daciæ & Alaniæ terras sibi vendicauit, populósque sibi præliis quamplurimis vi & potestate subiugauit. Erat enim omnium Orientalium præstantiore virtute præpotentissimus, cunctorúmque exaggerato omnium virtutum cumulo præcellentissimus. Defuncto verò illo, superstiterunt duo filij eius, armis strenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animositate robustissimi. Quorum verò maior natu ROLLO, alter verò iunior GVRIM nuncupatur. Quos regali iussione descripti iuuenes ad exterminationem aggredientes, genúque flexo, vultúque summisso, atque humili voce obnixè poscentes, inquiunt vnanimes: A

„ FERTE nobis auxilium, subuenite nobis in adiutorium: sub tutela vestræ pro-
„ tectionis morabimur, vestrúmque seruitium incessanter faciemus. Rex autem noster
„ vult à Dacia nos exterminare, fundísque nostris atque beneficiis nos per omnia pri- B
„ uare. Misereminі precamur, misereminі nobis omni spe & salute destitutis. Tunc
„ duo illi fratres suppliciter precantibus responderunt, dicentes: Auxiliabimur opti-
„ mè vobis, vósque regalium minarum securos morari in Dacia, atque res vestræ pro-
„ prietatis faciemus quietè tenere. Illi autem hæc audientes, Rollonis & Gurim osculo expetiuerunt pedes, atque ilico super dictis Principum remearunt gratulantes. Interea veridicæ opinionis promulgatur fama, Regis Daciæ aures pulsans, quòd Dux præpotentissimus, pater scilicet ROLLONIS & Gurim sorte frueretur suprema. Tunc Rex ante malorum, quæ sibi ille Dux intulit, reminiscens, cunctis sui
„ Imperij accersitis Principibus inquit: Vos non latet patrem Rollonis & Gurim esse
„ defunctum. Aggrediar ergo fines illorum, & capiam vrbes & castra, atque munitissi-
„ ma loca, vlciscarque facta patris in filios, eósque conterendo satiabor super malis il-
„ lorum. Vos vestrósque precor præparate ad talia negotia adimplenda. Denominato igitur termino profectionis, vndecumque venerant repedarunt cum suis. Mox effera Daciæ iuuentus nimio curarum inhians æstui, quæ commoda sunt præparat nullo profectu. Hi leues clypeos, lucidáque spicula, fabrili adulti arte componunt. Hi tela, ensésque, atque secures cote exacuunt. Alij tuta capitum tegmina, scilicet galeas; alij ferro auróque trilices loricas, thoracas scilicet faciunt. Quinetiã patria tela recoquunt fornacibus, renouántque cudibus. Huius rei inopinata fama Rollonis & Gurim aures perlabitur, & talis relationis sermone perturbantur. Qui conuocata copiosa manu congruentíque pubertate florentium, congregatáque multitudine mediæ ætatis, senum atque ad exterminandum descriptorum, elatis dextris mandant silentium. C

TVMVLTVANTIS populi murmure penitus sedato, sedísque decentis sugge-
» stu sublimiter ROLLONE suffecto, infit ore mellifluo: Vos, quibus incalescit iu-
» uenilis ardor, quíque flore præstantioris estis virtutis, alloquor. Sollerti proposito
» reuerendos patres, auósque, & proauos imitaminor. Conualescite viriliter, & con-
» fortaminor, & ne vt equiperis vicibus illis valeatis cõgruenter conuenire dedigna-
» minor. Rex siquidem huius regni molitur nos supergredi, nostræque Monarchiam D
» ditionis inuadere, nósque & vos omnes perdere, & antequam hereditariam nostræ
» dominationis terram mancipet, sui regiminis terram anticipando præoccupemus,
» hostilitérque resistendo aduentui eius. Ilicò omnes his dictis hilares regiam terram conglobatis exercitibus inuaserunt, totámque sæuiente Vulcano depopularunt. Hæc autem Rex audiens, contra Rollonem & fratrem eius peregit ad prælium, diuque dimicando terga vertit fugiens ad præsidia vrbium. Tunc Rollo sui exercitus mortuos sepeliuit, Regis autem inhumatos reliquit. Vnius verò lustri spatio perseuerante inter Regem & Rollonem duellio, misit Rex pacificis verbis ad eum huius
» modi in dolo: Nihil mihi & tibi, nisi gratia propinquitatis. Vt requiescat Respub.
» precor permitte, vt quod mei iuris est, meusq; pater tenuit, liceat patienter me pos-
» sidere: tibi autem quod tui iuris, quodque tuus. Sitque inter me & te pax & con-
» cordia inextricabili fœdere compacta. Tunc Rollo & Gurim, illorúmque milites atque descripti ad exterminandum, pacem conlaudauerunt. Determinato igitur coniurandæ amicitiæ tempore, vterque venit ad placitum: mutuis muneribus ditati fœ-

A derati sunt. Denique perfidus Rex dolositatem conceptæ fraudis infesto corde ruminans, conuocato quodam exercitu suo, noctu pergens contra illos, inuadénsque fines illorum, abscondénsque insidias propè mœnia ciuitatis, oppugnare cœpit. Tūc Rollo & Gurim, & qui cum eo erant, exilientes de ciuitate, persequebantur Regem terga vertentem, fugámque stimulantem. Transgresso igitur locum insidiarum Rollone, pars quædam illarum de latibulis egressa, petit vrbem. Quam armigeris vacuam inueniens, incendit; omniúmque supellectilium spolia sibi detulit. Quædam verò sequebatur Rollonem, Regem hostili immanitate fugantem. Cernens autem Rex incensam vrbem, insidiásque præualere, retrogressus præliabatur contra illum. Cæsis ergo ex parte Rollonis quampluribus, cecidit Gurim frater eius in prælio. Videns autem Rollo se inter vtrumque exercitum, vnum fugam simulantem, alterum latebris egressum, fratrémque mortuum; vix liuoribus plurimis laceratus, cum paucis diuertit ab eis. Tunc Rex obsidens, & capiens vrbes, populum contra se obiurgantem sibi subiugauit. Rollo verò morari non valens in Dacia, propter Regem dif-

B fidens sui, Scanzam insulam cum sex nauibus aggressus est. Tunc Dacia pio Duce, Patritióque atque robustissimo Aduocato priuata, magno eiulatu concussa cœpit nimium flere. ROLLO.

APOSTROPHA.

DACIA *sorte tuos, qua Gallis mittis alumnos,*
Indiga promissi veri, dabitur quod ab astris,
Præsagij & meriti, mercis non gnara futuræ,
Exhilara temet, deprensans corde dolorem.
Casus non animæ est, fortunæ pulsus at acris.
Hæc aduersa vices conuerterit improba semper,
Suggeret omne bonum isti prospera diuite censu,
Illum ditabit locupletans, munificabit;
FRANCIA *déque tuis genitis fœcunda beatis,*
Spermate nobilium concretis Christicolarum,
Dacigenis cum Francigenis tam pacificatis,
C *Gignet producens, expurget, proferet ingens*
Reges, Pontificésque, Duces, Comites, Procerésque:
Sub quibus orbis ouans pollebit Principe Christo,
Et quibus Ecclesiæ fœcundabuntur vbique,
Atque nouo quorum, gaudebunt perpete Christo,
Ter trinæque quibus baptismate purificatis,
Iam Superûm turma decima vice perdita adacta.

CVMQVE diu Scanza insulâ mœstus moraretur, sollicitáque contorquentis animositatis cogitatione æstuans moliretur, vt vindicaret se de inimicis suis; plurimíque, quos fugarat de Dacia regalis immanitas, ad eum reuerterentur, fessos labore artus, sopore oppressos, vox diuina illi sonuit, dicens: Rollo, velociter surge, pontum festinanter nauigio transmeans, ad Anglos perge: vbi audies quòd ad patriam sospes reuertêris, perpetuáque pace in ea sine detrimento fruêris. Hoc somnium cùm cuidam sapienti viro & Christicolæ retulisset, huiusmodi sermone interpretatus est. Tu vergente venturi temporis cursu sacrosancto baptismate purificaberis,

D prædignúsque Christicola efficieris: & ab errore fluctuantis seculi ad Anglos, scilicet Angelos, vsque olim peruenies, pacémque perennis gloriæ cum illis habebis. Ilico vela nauibus aptans, remísque eas exornans, atque frumento, vino, tergísque suum eas onerans, veliuolum mare celeriter permeans, Anglos aggreditur, ibíque morari quietè diu suspicatur. Audientes autem illius territorij pagenses, quòd Rollo Dacus aduenirer, aciem maximam contra illum construxerunt; eúmque ab illis finibus fugare conati sunt. Qui more solito ad prælium indubitanter illis occurrit, plurimósque illorum prostrauit, atque ceterorum fugâ vertentium dorsa hasta fatigauit. Denique pagenses prioribus plures coacervantes, contra Rollonem iterum aciem robustissimam dirigunt, eúmque occidere, aut fuga labi conantur. Ille verò studiis belli edoctus, certaminisque necessitate asperrimus, galeâ auro mirificè compta, trilicique lorica indutus, contra obiurgantium & proficiscentium in se turmas armigeras, velociter atque indubitanter perrexit, milliáque illorum immaniter pro-

Rollo. strauit, victrice manu celerique cursu profugos persequens, multósque Principum A capiens, locum prælij reuertens, occisorum corpora terrâ condit, ceterósque plagis infectos deportauit, captósque nauibus connexuit. Tunc trimodo errore æstuans, si Daciam repeteret, an Franciam pergeret, aut Anglicam terram præliis affligeret, & sibi vindicaret, cœpit anxiari, nimiúmque tristari.

APOSTROPHA AD EVNDEM.

ROLLO, quid horrescis titubans, metuísque vacillans?
Quid torques animum meditatus, peste repletum?
Quid cor comburis curarum sorde refectum?
Quid hiscens animo, quid voluis nunc meditando?
Cur hæres pater obtutu defixus in vno?
Ambiguâ & creperum memorans quid mente retractas?
Quidque stupes casum præsenti sorte malignum?
Ordine fatali post multa pericula belli
Feruentis pelagi, post æquoreósque tumores, B
Perpes Christicola Francisca celsior aulâ,
Patritius meritis florescens iure valebis,
Emeritam & capies condigna merce coronam,
In summóque bono Deitate mereberis vti.

CVM autẽ huiusmodi perturbationibus sollicitus hæreret, hominésque regionis illius ditioni suæ fidelitatis gratia vinculóque sese subiugarent, quadam nocte soporifera lethei molis quiete per membra leniter serpente, videre videbatur præcellentissimis quondam præcelsiore Franciscæ habitationis monte sepositum: eiúsque mõtis in cacumine fontem liquidum & odoriferum, séque in eo ablui, & ab eo expiari contagione lepræ & prurigine contaminatum. Denique illius montis cacumine adhuc superstes circa basim illius hinc indè, & altrinsecus, multa milia auium diuersorum generum, varij coloris, sinistras alas quinetiam rubicundas habentium. Quarum diffusæ longè latéque multitudinis inexhaustam extremitatem perspicaci & angustato obtutu non poterat comprehendere. Ceterùm congruenti incessu atque volatu eas sibi alternis vicibus inuicem cedentes, fontem montis petere, eásque se conuenienti natatione sicuti solent tempore futuræ pluuiæ abluere. Omnibúsque C mira infusione delibutis, congrua eas statione sine discretione generum & specierum, sine vllo contentionis iurgio, mutuo vicissim pastu quasi amicabiliter comedere; eásque deportatis ramusculis festinanti labore nidificare: quinetiam suæ visionis imperio voluntariè succumbere. Mox expergefactus, & visionis quam viderat reminiscens, accersitis maioribus Principum, captísque prælio Principibus simul ascitis, omnem huius visionis seriem inconstanter disseruit, & quid huius visionis mysticum sentirent ab eis inquirit. Tunc cunctis conticentibus, captorum vnus Christianæ religionis fide imbutus, præsagióque diuinæ inspirationis aspersus, mysticum
» illius visionis intellectum explanauit, dicens: Mons Franciæ, quo stare videbaris,
» Ecclesia illius designatur. Fons, qui in summitate montis erat, baptismus regenera-
» tionis interpretatur. Per lepram & pruriginem, qua infectus eras, commissionis tuæ
» scelera & peccata animaduertas. Te in eo ablui, & ab eo lepræ pruriginísque morbo D
» expurgari, te lauacro sacri baptismatis regenerari, & ab omnibus peccatis emunda-
» ri. Per volucres diuersorum generum læuas alas habentes puniceas, quarum infini-
» tissimam extremitatem exhaurire visu non poteras, homines diuersarum Prouin-
» ciarum scutulata brachia habentes, tuíque effecti fideles, quorum innumeram mul-
» titudinem coadunatam videbis, animo deprehendas. Per alites fonte infusas, & in
» eo alternatim ablutas, communíque comestione edentes, populum antiquæ frau-
» dis contagio pollutum, typico baptismate abluendum, sacrosancti corporis & san-
» guinis Christi alimoniâ saginandum. Per nidos, quos circum montem faciebant,
» vastatarum vrbium mœnia reædificanda intelligas. Tibi aues diuersarum specierum
» obtemperabunt, tibi homines diuersorum regnorum seruiendo accubitati obediẽt.

HIS igitur mirabilium interpretationum sermonibus Rollo exhilaratus, visionis suæ interpretem, ceterósque quos bello ceperat vinclis soluit, variisque muneribus & donis diuersis ditatos, ad sua lætos remisit. Eo namque tempore Rex Anglorum Christianissimus nomine ALSTEMVS, omnium bonorum titulis exornatus,

sacrosanctæ

A sacrosanctæ Ecclesiæ prædignus Aduocatus, habenas regni Anglorum moderabat piissimus. Cui continuò Rollo legatos suos misit, & quid dicerent auribus illorum priùs intimauit. Qui venientes ad eum pro vocis affectu, summissis vultibus dixerunt: Omnium præpotentissimus Patritius, Duxq; Dacorum præcellētissimus, Rollo noster Senior & Aduocatus, tibi fidele seruitium, tuísque amicitiæ munus incōuulsum. Magnum, Domine Rex, Daciæ regno infortunium perpessos, & habeo, heu dolor! fraudulenter exterminatos, Eurus obnoxius nobis penitus, intumescentiúmque procellarum elationibus afflictos, vestris finibus appulit, omni spei & salutis præsidio priuatos. Cùm autem conaremur Daciam repetere, & nos de inimicis nostris vindicare, obstitit & interclusit nos glaciaris hiems, gelúque crustantė terram, & affligente flebiles herbarum & arborum comas, densa glacialium mole refrenata crustarum struxerunt nobis murum flumina. Nec præbuit nobis prosperum iter vnda. Audientes quidam milites in confinio nostri aduentus commorantes, præmaximam aciem contra nos struxerunt, nósque lacescentes inuaserunt. Nos verò nec sub glaciem, nec supra nauigare valentes, illorum audaciæ restitimus, multósque illorum prælio exarmatos cepimus. Non autem regnum tuum depopulabimus, nec prædas vsquam raptas ad naues vertemus. Vendendi atque emendi sequestram pacem petimus, quia imminentis veris tempore ad Franciam proficiscemur. Rex autem hilarem vultum submissus, his auditis profatur: Nulla tellus effert viros magis quàm Dacia præcipuos, armísque strenuè edoctos. Parentelam diffusæ generositatis vestri Senioris, casúsque & labores vestros, quinetiam fraudulentam perfidiam Daciæ Regis nobis retulerunt plurimi. Nemo Seniore vestro iustior in factis, nemo maior in armis. Huius negotij curas seducite, armorum securi, præliorum impatientes, atque omnium malorum immunes estote. Liceat vobis vbicumque terrarum nostræ ditionis vendere & emere. Vestrum Seniorem precamur cogite, vt nostræ fidei integritate dignetur ad nos venire, quia eum desidero intueri, superque malis suis solari. Abeuntes autem missi, quæcūq; audierāt renuntiauerūt Rolloni. Extemplo Rollo audacter & incunctāter perrexit ad Regem cōtra se veniētē. Qui mutuo amplexati & oscula libati, cedentibus vtriusque exercitus turmis federunt sepositi.

Tunc Rex Alstemus prior est allocutus,
Prosapia pollens, gestorum lumine fulgens:
Moribus & meritis præcelsior omnibus, atque
Fœdere complacito, fidei nectamur in vno.
Sis peto pars animæ sempérque mea comes, atque
Finibus in nostris temet deposco morari.
Sícque salutifero baptismate sorde piari:
En quid gestis habe nostræ ditionis in orbe.
Sis memor ipse mei fuero ceu semper in omni,
Et si velle alias est nunc proficier horas.
Si gens torua, ferox iam iam feritauerit in me,
Improba, non seruans fidei retinénsque tenorem,
Vt potis es fer opem stabili conamine saluans:
Et tibi succurram simili ratione iuuando;
Te teget atque meum mutuo certamine scutum.

Tunc Rollo super dictis Regis lætus dixisse fertur: Grates tibi omnium Regum præstantissime super voluntariis beneficiis rependo, & quicquid inter me & te agenda retulisti, fac vt opto. Diutissimè in regno tuo non morabor, sed celeriùs quàm potero Franciam adibo. Vbicumque terrarum fuero, tuus amicus insolubili dilectionis coniunctus fœdere permanebo. His dictis admodum inextricabiliter fœderati, alternarum rerum competentiis mirabiliter ditati, rediit quisque ad suam cum suis. Toto namque hiemantis anni tempore, naues sumptúsque, qui necessarij erant itineri, præparare Rollo Dux sollertis curæ fecit, Anglósque florentis iuuentutis milites, qui erant sui effecti, & secum ituri asciuit. Cùm autem primæ æstatis tēpore, rutilātium molliter florū arrideret copia, purpureisq; blattis lactea & odorifera alberent lilia, memor semper visionis monētis ad Franciam proficisci, classibus velis datis nauem conscendit. Cùm verò lenibus ventis congressus nauigij factus esset, vsque ad medium æquoris, nihilque viderent nisi cœlum complexum super

G

Rollo. faciem maris, inuidi spiritus scientes illos baptismate Christi nomine abluendos, gloriámque quam perdiderant adepturos ingemiscentes, occurrerunt excitantes pericula illis venti, quinetiam à sedibus suis ruunt, & hi ante ponto à sedibus imis in præcipicium fluctus nimios & ad sidera tollũt. Cœlum crebrescẽtibus fulguribus intonuit, densarúmque tenebrarum nox atra illis incubuit. Remis confractis, ventorum rabiem vela ferre non possunt. Itaque viribus exhausti, omnia ventis permittunt. Huc illúcque naues quasi per montes & valles fluctuãt, mortéque repentinam omnibus intentant. Tunc Rollo protensis manibus prostratus incubuit naui, humilique voce talia profudit. ORATIO ROLLONIS.

O Deus omnipotens, cælestia lumine complens,
Qui cælum terrámque tenes per secula, cuius
Numen & æterno complectens omnia giro,
Infectum vitiis peccati & fæce repletum,
Qui me Christicolam fieri vis munere visi
Temporis exiguo cursu voluente futuri:
Suscipe vota libens, precibúsque faueto benignus,
Fluctus sedatísque feros compesce ruinis,
Casibus eripiens istis nos atque labore,
Comprime demulcens, mitescens, atque serena
Vndantem nimium violento turbine pontum.

HARVM verò orationum precibus finitis, mox mare quiescit, serenatis procellis, immẽsósque æquoris tractus optato flamine breuiter explicuerunt; nauésque tempestate disruptas littoribus Vvalgrorum vix applicuerunt. Audientes autem Vvalgrenses, quòd gens barbara tempestate maris ferociter quassata, suis littoribus esset aduecta, congregata multitudine pagensium, Rollonem Ducem tempestuoso mari vix ereptum insperatè assalierunt. Qui solito more concitus contra illos debellando perrexit, atque plures illorum nece prostratos Orco transmisit, residuósque illorum aut fugauit aut cepit. Cúmque diutissimè morulans * Vvalgras depopularet, reminiscens Alstemus Rex Anglorum Christianissimus, omnium Regum probitate præcellentissimus, amicitiæ qua se & Rollonem colligarat in fœdera sempiterna, duodecim naues frumento, vino, atque lardo oneratas, quinetiam totidem armato milite repletas, Duci præcelso transmisit in Vvalgras. His Rollo donis lætus, legatos muneribus præmaximis ditatos cum gratiarum actione ad Regem remisit, séque per eos famulaturum Regi mandauit. Æstimantes autem Vvalgrẽses, propter deportati frumenti copiam omni tempore Rollonem Vvalgris moraturum, cõuocauerunt RAGINERVM Longi-colli Hasbacensem & Hainaucensem Ducẽ, & RADEBODVM Frisiæ regionis Principem, & conglobato exercitu aliorum pagorum inuaserunt Rollonem. Qui, sicut sæpius, ad bellum indubitanter perrexit, & multa millia illorum occidit, atque Raginerum Longi-colli & Radebodũ Frisonem ad sua castra fugauit. Deinde totam terram Vvalgrorum deuastauit, atque incendio concremauit. Post hinc huius rei causa indignatus, Frisones celeriter expetiuit, terrámque illorum deuastare cœpit. Tunc Frisones multorum congeriem populorum concitè coaceruantes, sibíque multitudinem plebium in confinio Frisiæ commorãtium accumulantes, fluuio Almeræ commorantem agminibus multis præparatis, accelerata incursione conantur inuadere Rollonem. Rollo verò, & qui cũ eo erant genu flexo, armorúmque ingruente horrore, scutorum tegmine cooperti, strictæque aciei mucronibus choruscis complicati, expectabant initium certaminis. Frisones ergo paruissimam esse putantes multitudinem illorum, inierunt bellum sibi non profuturũ. Daci verò exilientes in illos inruentes vsque ad internecionẽ prostrauerunt, pluresq. Principes ceperunt, innumerabilémq. manum ad naues duxerunt. Frisones igitur residui, diffidentes sui, exhinc tributarij effecti sunt, Rollonis præceptis per omnia obediẽtes. Congesto, & exaggerato, atq; dato Frisiæ tributo, illicò librat in altũ carbasa nauibus data, vertitq; proras ad Raineri Prolixi-iuguli terras, vlcisci se cupiens de ipso, qui affuit Vvalgris cum Fresonibus iam prostratis in prælio. Pererrato ponto, intrat Scaldi alueum, cis citráq; terrã depopulans super Longi-colli Rainerũ, venit ad quandã Abbatiam dictã nomine Condatum. Rainerus verò multa prælia contra eum fecit, sed ex omnibus Rollo victor potens extitit. Deua-

* id est, paruas moras faciens.

A stabatur terra vtriúsque exercitus mala perpessa. Prævalidâ fames exoritur, quia terra aratro non scinditur. Vulgus penuriâ affligitur, fame bellísque atteritur. Diffidunt viuere cuncti, salute victus priuati. Quadam igitur die Rainero loco insidiarum clam commorante, super Dacos cupiente irruere; Daci eum hinc inde congressi vallauerunt, eúmque nimium debellantem manciparunt, vinctúmque ad Rollonem duxerunt. Ipsa námque die Raginerida, Dacorum vt caperent aliquos latebris commorantes, inuaserunt duodecim milites præcipuos Rollonis, & constanti virtute ceperunt. Tunc vxor Ragineri flens, & eiulans super eo, conuocatis Principibus suis misit ad Rollonem, vt pro duodecim Comitibus captis redderet sibi suum Seniorem. Ilicò Rollo suscepta legatione, remisit ad eam dicens: Non reddetur tibi Raginerus, sed decollabitur, nisi reddideris priùs meos Comites « mihi, insuper dederis quidquid auri est & argenti sui Ducaminis, cum iuramento « Christianæ Religionis, quinetiam tributum istius regionis. Mox coniunx Ragineri « B lugubri legatione afflicta, Comites captos Rolloni remisit, aurúmq; & argentũ quod vsquam inuenire potuit. Quinetiã illud quod erat sacris altaribus concessum, paritérque vectigal illius Ducaminis cum iureiurando, quòd plus metalli non haberet, nec exigere posset, supplicibus verbis & deprecatiuis misit ad Rollonem, vt redderet sibi suum virum. Ipse autem motus pietate vocibúsque suppliciter precantium, ad se fecit venire Longi-colli Raginerum, verbísque pacificis affatur eum: Raginere Dux milésque asperrime, Regúmque & Ducum atque Comitum superbo « satus sanguine, quid tibi feceram olim iniuriæ? propter quid præliatus es cum Vvalgris & Frixonibus contra me? Si sæuire modo voles, armorum spicula desunt, & « satellites. Si velis à nobis fuga labi, compedibus intricatus non potes euadere. Talionem sicut Frisonibus tibi reddidi pro malis, quæ mihi sine re intulisti. Vxor tua & « Principes tui quicquid auri & argenti recuperare potuerunt, pro te miserunt mihi. « Demidium exagerati muneris reddã tibi, teq; tuæ remittã vxori. Hinc mansuescens « requiesce, & nullatenus sit discordia, sed sempiterna inter me & te pax & amicitia. « His dictis Ragineri crura soluuntur compedibus. Statimq; Rollo fœderatũ muneribúsq; & donis præmaximis ditatum, quinetiam reddita medietate legatorũ munerum, ad vxorẽ suam lætum remisit Raginerũ. His taliter pace sedatis, Rollo me- C mor visionis, sempérque sperãs affuturum sibi quod viderat in somnis, quid debeat agere sollers inquirit.

APOSTROPHA.

ROLLO, quid en terris morulans verseris in istis,
Cum suprà satis vltus ades cunctos inimicos?
Desine, parce tibi, magis hæc sententia præstat,
Venturo quoniam procliui temporis æuo
Prælia Francisca gentis dirè patièris,
Atque fatigèris nimium bellis Aquitanis.
Hinc fontis liquidi, & sacri rorem subiturus,
Chrismate perfusus, oleique liquore nouatus,
Præmia perpetuæ capies cum munere vitæ.

ANNO igitur octingentesimo septuagesimo sexto ab incarnatione Domini, nobilis ROLLO consultu fidelium suorũ librauit vela ventis nauigeris, fluminis Scaldi D alueum deserens, atq; permenso ponto qua Sequana cæruleo gurgite, perspicuísq; cursibus fluens, odoriferásque excellentium riparum herbas lambens, fluctúq; inflatiore maris sæpe reuerberata secundũ discrimina Lunæ, inundantis maris pelago se immittit, aggrediens nauibus Gimeias venit, vidénsq; S. Petri Monasteriũ monachilis habitationis domibus adornatum, sanctúmq; reputans esse locum, morari illic distulit; sed vltra flumen ad Capellam S. Vedasti naues applicuit, corpúsque cuiusdam virginis nomine HAMELTRVDIS, quod secum asportauerat, super altare S. Vedasti posuit, huícque Capellæ ex nomine virginis nomen sempiternum inhæsit. Dicitúrque ille locus ad sanctam Hameltrudem ab incolis. Audientes igitur pauperes homines, inopésque mercatores Rotomo cõmorantes, illiúsq; regionis habitatores, copiosam multitudinem NORMANNORVM adesse Gimegias, venerunt vnanimes ad FRANCONEM Episcopum Rothomagensem, consulturi quid agerent. Franco verò statim misit ad Rollonem, vt daret sibi pagóque manentibus securitatem. Rollo verò comperiens quòd in vrbe nec in finibus eius moraretur nisi in-

ROLLO. erme vulgus,dedit Episcopo suæ fidei tenore securitatem. Hincque gressum profuturæ sibi nauigationis agitans, Rotomo venit, portæque, cui innexa est Ecclesia S. Martini, naues plurimo milite fœcundas adhæsit. Classe autem descendens, celeriq; gressu lustrans vrbem, vidit disiectas moles eius, auulsaque Templorum saxa, Ecclesias fundaméto emotas, murósque hinc inde disruptos, paruámque manum & inermem; cœpitq; animo hærere, inque vnione intuitu visum defigere, reminiscés visionis quam viderat vltra mare. A

APOSTROPHA.

O Dux ROLLO, *potens, & præstantissime Princeps,*
Hæc vrbs principe te Christo donante vigebit,
Pace serenato regno ædificabitur, olim
Bello consumptis Francis, populóque domato.
En mox Ecclesiæ, quo te gaudere videbas;
En lauacri quo te leprâ purgarier, hic fons,
Aedificanda tuis hac patria fonte renatis. B
Vrbe dabis populis leges & fœdera in ista,
Iuráque districtâ pariter formidine pœnæ.
Tempore mirificum venturo iamque nepotum,
Aspera sepositis nitescent secula bellis,
Et super arma sedens furor impius, impietatis
Viribus explicitis, non quenquam voce lacesset,
Quin lupus asper, ouis, simul pascentur in agro.

INDE ad naues reuersus, conuocatis Principibus quærit sagaci mente cōsilio suorum, quid sibi sit faciendū. Tunc sui quasi futurorum præscij, diuinæq; inspirationis » præsagio imbuti, dixerunt viua voce ROLLONI: Hæc terra copia frugum omnium » fœcunda, arboribus nemorosa, fluminibus pisce repletis discriminata, venatu diuer» sarum ferarum sufficienter copiosa, sed armigeris militibus vacua. Nos hāc potesta» ti nostræ subiiciemus, hancque sorti nostræ vendicabimus. Finitimarū gentium op» pida, vicos, & castra atque vrbes præliis adquiremus, vt requiescere possint turmæ C » post terga nostra sepositæ. Forsan interpretatio tuæ visionis vertetur in finibus istis. Rollo igitur super responsis suorū lætus, à Rotomo diuulsis nauibus subuehitur ad Archas vsque, quæ Asdans dicitur. Ilicò fama quid rerū vsquam agitur cōscia, compita Franciæ aggressa, intimat adesse Normanos, Sequanæ alueo innumerabili multitudine coadunatos. Frāci verò illorum aduentu, veluti repétino tonitrus sono stupefacti, conuocato Anstigno peruasore olim Franciæ, congregato immensæ multitudinis exercitu, venerunt super Othuræ fluminis decursum. Tūc RAGNOLDVS » Princeps totius Franciæ dixit Anstigno incentori totius nequitiæ: Tu ista gente » procreatus da nobis consilium super his rebus. Anstignus respondens Ragnoldo » Comiti mox hæc intulit: Si ante triduū requisisses à me consiliū, cogitatione depre» hensum darem tibi. Tantum mitte Legatos ad illos, quid dicant sciscitaturos. Tunc » Ragnoldus: Perge celeriter precamur, cuius voluntatis sint inquisiturus. Anstignus respondit: Non ibo solus. Miserunt autē duos milites cum eo, Daciscæ linguæ peri» tos. Qui venientes super ripam fluminis, steterunt dicentes: Regiæ potestatis Comi» tes mādant vobis, vt dicatis qui estis, & vnde estis, vel quid quæritis. Ipsi verò respō- D » derunt: Dani sumus, Daciâ aduecti huc. Frāciam expugnare venimus. Illi autē: Quo » nomine vester Senior fungitur? Responderūt: Nullo, quia æqualis potestatis sumus. » Tunc Anstignus scire volens quid de se dicerent, dixit: Cuius famâ huc aduecti ad» uenistis? Si vnquam de quodā Anstigno vestræ patriæ nato, huc cum plurimo mili» te adnauigato, aliquid audistis? Respōderunt: Audiuimus. Ille enim bono omine au» spicatus est, bonóq; initio cœpit; sed malū finem exitúmq. sortitus est. Iterum Ansti» gnus: Vultis KAROLO Franciæ Regi colla submittere, eiúsq. seruitio incumbere, at» que ab eo quāplurima beneficia capere? Respōderunt: Numquam cuilibet subiuga» bimus, nec cuiuspiā seruituti vnquam adhærebimus, neq. beneficia à quoquam ex» cipiemus. Illud beneficium optimè complacuerit nobis, quod armis & labore præ» liorum vendicabimus nobis. Tunc Francigenæ: Quid acturi estis? Hinc Dacigenæ: » Quantociùs abscedite, & amplius nolite stare, quia vestris * ambagibus non cura» mus, nec quid acturi sumus vobis indicabimus. Illi verò abeuntes, quod audierunt expeditè exercitui renuntiarunt. Ragnoldus verò vertens ad Anstignum

A dixit: Quid vobis videtur? bellúmne initiabitur? Vos ex illorum gente estis, vos artem præliandi more Dacorum non ignoratis. Dicite quid sumus facturi. Tunc Anstignus veneniferâ, vulpináque arte suffultus, exercitum affatur: Hæc gens iuuenilis ætatis flore robustissima, armis edocta, præliáque quamplurima experta, si inuadetur; magnum periculum nobis generabitur. Tunc quidam Francisci agminis Signifer nomine ROTLANDVS dixisse fertur: Quid huic consulitis? Numquam lupo lupus, nec vulpis vulpe capietur. His verbis incitatus dixit Anstignus: Amodo à me bellum non blasphemabitur. Interim Rollo, & qui cum eo erant, fecerunt sibi munimen, & obstaculum in modum castri, munientes se per girum auulsæ terræ aggere, locóque portæ relinquentes spatium prolixæ amplitudinis, quod apparet ad tempus vsque istius diei. Franci verò diluculo venerunt ad Ecclesiam S. Germani, ibique Missam audientes participantur corpore & sanguine CHRISTI. Ab hinc equitantes, in ripa fluminis naues, Dacósque in munimine auulsæ terræ videntes, amplum portæ aditum solum inuaserunt. Daci verò intrinsecus hinc & inde per B planitiem castri accubitarunt, atque scutis se cooperuerunt. Rotlandus signifer Ragnoldi, cum acie quam præibat exercituum, violenter per aditum miræ prolixitatis amplum super eos inruit, & debellare eos cœpit. Daci verò exsurgentes Rotlandum in momento interemerunt, & eius sequaces. Ragnoldus & Anstignus, ceteríque Comites illic cunctos mortuos considerantes, terga vertentes, fugam expetiuerunt hilares. Extimplo Rollo conuocatis de hostili fugatione reuersis, dixit: Quid mali egimus contra Francos? cur nos adsallierunt? quamobrem nos occidere maluerunt? Illorum est initium mali, culpa inuadentis, non obstantis: præsumptio occidere volentis, non defendentis. Quicquid mali contra illos hinc egerimus, offensione suorum factorum perpetrabimus. Eia, occupemus castra, & oppida illorum. Reddamus talionem cumulatis nimium malis pro offensis illorum. Hæc exhortante Duce Rollone, dimisso munimine auulsæ terræ, celeri cursu nauigantes, præoccupauerunt METLENDIS habitatores. Quam, interfectis Principibus, citò subuertunt, totámque Prouinciam deuastarunt.

RAGNOLDVS verò Comes congregato maiore exercitu priore, iterũ conatur eos inuadere. Normanni autem se conglobantes strictim accubitauerunt se, vt par- C uissima putaretur summa eorum. Ilicò Ragnoldus init bellum, suæ sorti non profuturũ. Daci verò per aciem Ragnoldi inconuulsè pergentes, prosternebãt duris verberibus plures. Videns autẽ Ragnoldus suos deficere, cœpit celeri cursu fugere. Cui quidã piscator Sequanæ attributus Rolloni, obuiauit ei, telóq. transuerberatũ occidit. Ragnoldidæ suũ Seniorem videntes mortuũ, fugam torquentes nimium, equos expetiuerunt. Tunc Rollo persequens eos, multos occidit, pluresq; captos ad naues deduxit. Conuocatisq. fidelibus suis dixit: Age, nunc nauigemus PARISIVS, ciuesq; qui prælia fugerunt requiramus. Igitur Nortmanni ripa Mellendis naues diuellerunt, Parisiusq; circumdantes obsederũt, & prædam illius Prouinciæ ad obsidionem verterunt. Morante diu Rollone in Parisius obsidione, deficiebat præda longinquis regionibus rapta. Ilicò Nortmanni BAIOCACENCEM pagum expetunt, totámq. prædã rapientes, ciuitatem oppugnare cœperunt. Ciues autẽ ne morerentur hostiliter eis restiterunt, BOTHONEM præcipuũ Northmannorum Comitem ceperũt. Northmanni de Bothone dolentes, miserunt qui dicerent ad Baiocacenses: Si reddideri- D tis nobis Bothonẽ, dabimus vobis vnius anni securitatẽ. Baiocacenses consilio ducti dixerunt ad inuicem: Melius est nobis spatio vnius anni requiescere, quàm pro vno Comite totũ præliis ducere. Data igitur securitate, reddiderũt Bothonẽ asperrimũ militẽ. Transacto verò anno, circumstante Parisius obsidione, Rollo Baiocas petit, eámq; violenter cepit, totáq; funditus subuertit, captiuósq; & prædã totius regionis sibi vendicauit. Quinetiã quandã POPPAM virginẽ, specie decorã, superbo sanguine concretã, præualentis Principis BERENGARII filiã, secum lætus adduxit, eámque sibi cõnubio asciuit, & ex ea filiũ nomine GVILLELMVM genuit. Denique residens circum Parisius, misit EBROICAS exercitum, vt caperetur ciuitas & Episcopus. Qui veniens ciuitatem inuasit, populorúmque plures, & prædam cepit. Sed Episcopus, SEBAR nomine, Deo annuente euasit. Statimque illius pagi prædã capientes, totam terram deuastauerunt, Parisiúsque reuenerunt. Talibus itaque exterritæ plurimæ gentes Franciæ, tributa soluebant Rolloni, plurimæ verò resistebant ei.

Rollo. ANGLI verò audientes, quòd Rollo Parisiacam vrbem obsedisset, rebúsque Franciscis implicitus impediretur, atque æstimantes quòd amico suo Regi Alstemo in adiutorium non subueniret: tenorem fidei respuentes, cœperunt arroganter insolescere, contráque Regem importunis bellis feritantes dimicare. Terra Anglisca exercitu Regis & obstantium sibi deuastabatur, publica res malis afflicta anullabatur. Militésque Regis, & obstantium varij interitus morte præoccupabantur. Igitur Alstemus Rex Christianissimus, cùm non haberet vnde arrogantiæ Anglorum resisteret, misit quendam Comitem ad Rollonem circa muros Parisiacæ vrbis debellantem. Qui ad eum veniens, submisso vultu intulit dicens: „ Rex Anglorum Alstemus carum inextricabilis amicitiæ tibi munus. Quondam, Domine mi, tu & Alstemus Rex Anglorum pacificus, pepigisti mutui adiutorij fœdus, vt qui vestrûm indigeret adiutorio, alterius muniretur suffragio; & quem vestrûm aduersa fortuna protereret, alter illi in adiutorium subueniret. Quapropter inopinato iugo perfidorum Anglorum pressus, excellentem super omnia potentiam tuam precatur, vt succurras ei velociùs: quia Angli te præoccupatum scientes negotio Francisci belli, non putant te subuenturum proprius meo Seniori. Rollo vero Legato Regis quod necesse erat tribuit, eíque triduum iussit expectare. Principibúsque aduocatis, quid acturus sit super hoc negotio, cœpit inquirere. Statímque misit ad Principes ciuitatis, vt aut eam illi redderent, aut obsides darent, aut se ad defensionem præpararent. Ciues autem noluerunt vrbem ei reddere, nec obsides dare; sed festinant se cōtra diei venturi prælia præparare. Diluculò verò Rollo continui conflicti tempore consurgens, certamen diurnum iniit, ciuésque tota die præliis afflixit. Videns autem quòd vrbem non caperet, crepusculo noctis naues velis ornauit, Parisiúsque dereliquit, atque Anglorum terram citiùs quàm potuit, cum legato Regis Alstemi peruenit. Ipsúmque legatum ad Regem misit, séque adesse illi in adiutorium mandauit. Tunc Rex Alstemus dictis legati lætior effectus, copiosæ multitudinis exercitum vocauit, atque contra Rollonem Ducem festinanter perrexit. Qui simul cōgressi, nimiúmque amplexati, atque amicabiliter sunt osculati. Ilicò Rollo gratuita „ voce compellere cœpit Regem: Grates, domine Rex, tibi condignas persoluo, quia XII. naues honestis militibus plenas, totidémque frumento, vino, atque lardo onustas misisti mihi in Vualgras. Tunc Rex præsaga voce dixit: „ Tibi præmaximas debeo gratias, quia tibi à Deo datum regnum propter me dimisisti, mihique in adiutorium festinanter subuenisti. Non ignoras cuius rei causa mihi succurrere tibi mādaui. Regnum, cui præesse & prodesse debeo, deuastatur, decúsque regiminis mei adnihilatur; quia Angli insolentia temeritatis tumidi & peruersi meis nolunt obedire præceptis. Recedentes à me, sibi inuicem conspirauerunt, méque meúmque seruitium abdicantes floccipendunt, quinetiam vsufructus meorum oppidorum sibi diripiunt. Precor igitur, vt adiuues me eos elidere, & dispergere, eorum contumacem virtutem conterere & conculcare; quatinus ad seruitium licet inuiti redigantur, & quod merentur pœnis acriter luant. Medietatem ergo regni mei tibi dabo, dimidiámque facultatem supellectilium meorum tibi sponte concedam. Sícque indissolubili coniunctæ amicitiæ fœdere conligati, teneamus regnum simul, totiúsque honoris eius fungamur bonis. Dedit itaque Rex Alstemus Rolloni regni dimidium, atque medietatem bonorum suorum. Dux Rollo statim Regi respondit: „ Tibi, Domine Rex est imperare, mihi obedire. Quos vis conteram, quos volueris disperdam. Subuertam vrbes eorum, villásque & oppida incendam ipsorum: proteram eos & dispergam, subiiciam eos tibi & occidam. Vxores & semen eorum captiuabo, & armenta eorum deuorabo. His ab inuicem expletis, pergunt vnanimes contra Anglos Regi obstantes. Rollo verò contra Anglos multa prælia exercuit, vrbésque eorum obsedit. Quarum multas igne crematas depopulauit. Videntes autem Angli, quòd non præualerent contra Regem, sed deficientes affligebantur, venerunt ad Rollonem, flexísque genibus dixerunt: „ Dacorum potentissime, nos Regi Alstemo pacifica & concordare, quia inconsulti contra Regem præuaricati sumus, fidelitatis vincula rumpentes, quam ei promisimus. Nos ei obsides conseruandæ fidei dabimus, hincque ei sponte incumbentes fideliter seruiemus. Rollo verò his auditis ad Regem Alstemum iuit, & quod Angli retulerunt Regi intimauit. Tunc „ Rex motus pietate quondam suorum dixit: Ne flagelletur Respublica diutiùs, si

A consulis, ô amice, ad seruiendum nobis eos obsidibus datis recipiam. Tunc Rollo: Tu Domine obsides perseueraturæ tibi fidei recipe. Ego verò aduena, non cognoscens mores Anglorum, permansuræ fidelitatis mihi obsides recipiam. Ilicò Anglorum quisque offensus Comes, onera offensionis & pœnitentiæ deportans; Regi vnum, & Rolloni alterum obsidem dederunt. Sicque flagellati dudum, & pacificati per Rollonem quieuerunt. Rex autem æstimans Rollonem esse moraturum omni cursu temporis in Anglisca terra, denominat eius medietatem regni, scilicet vrbes & castra, villas & oppida, aulas & palatia, & quæ bonorum suorum supellectilia; quinetiam deprecatur, vt sinat se sacro fonte redimi, séque à commissis piari. Rollo autem semper memor visionis, precibus Regis non adquieuit, verùm quæ suæ sortis erant, obsidibus ante Regem conductis, vultúque sereno dixit: Talionem modo, domine Rex, pro bonis quæ mihi Vualgris impendisti, reddidi. Regnum quod mihi vltro dedisti, per hunc mucronem duodecim libras auri capulo habentem, reddo tibi. Quinetiam obsides, qui mei iuris sunt, & qui adstant, iube recipi; præcauens ne B patrum suorum & auorum perfidia te iterum respuendo decipiat. Ego FRANCIAM celeriter repetam, meósque inimicos affligam & conteram, dispergam & conuincam. Tantùm te deprecor, vt qui me sequi maluerint, non prohibeas eis. Rex autem admirans, & gratias super his dictis agens, dixit: Dux præpotentissime, pars animæ meæ, ego tecum ibo. Regem, Duces, & Comites tibi humiliabo. Respondit Rollo: Nequaquam, Domine, regnum dimittas, cui præesse & prodesse iugi iuuamine debes. Extimplo Rollo amicabiliter Rege relicto, congregata inenarrabili multitudine iuuenum, transfretato portu Franciscum aduehitur regnum. Statim comites exercitus sui diuidens, alios alueo Sequanæ, alios Ligeris fluento, alios amne Gerundæ interiacentes Prouincias prædaturos, celeri nauigatione misit. Ipse autem Parisius iterum veniens, cœpit vrbem oppugnare, & terram super inimicos suos deuastare.

KAROLVS autem Rex audiens, quòd Rollo inoportunis bellis attritum subiugasset Regi & sibi transmarinum regnum, consilio Francorum rogat ad se venire FRANCONEM Rotomagensem Episcopum Rolloni iam attributum. Cœtu igitur Francorum congregato super tantis importunitatibus paganorum consulturo, iamque ascito Francone Episcopo, condolens de egestate regni sui, dixit: Regnum, C cui præesse debeo, desolatur. Terra aratro non scinditur. Respublica & captiuatur & occiditur. Obesse Rolloni nequeo, quia quotidie meis priuor. Quapropter paternitatem sanctitatis tuæ rogo, & deprecor, vt adquiras nobis apud Rollonem sequestram pacem trium mensium: & si fortè his diebus Christianum fieri se voluerit, maxima beneficia ei dabimus, magnísque donis eum remunerabimus. Franco verò his auditis, Rotomo reuersus, Rolloni Duci humillimis precibus dixit: Rex Francorum mandat, vt des illis pacem trium mensium, forsitan dabitur salubre consilium inter te & illum. Rollo autem his auditis, consilio suorum dedit Regi pactum trium mensium. Spatio verò huius breuissimi temporis quieuit terra à paganis. Audientes autem BVRGVNDIONES, RICHARDVS scilicet, vel EBALVS Pictauensis Comes, quòd Franci imbelles, armísque frigidi, quasi effeminati petissent securitatem Rollonis, miserunt ad Regem, & ad Comites, dicentes: Terram quam tenetis D cur sinitis vastari à paganis? cur non auxiliamini quibus præesse & prodesse debetis, suisq; finibus exterminatæ cur non resistitis genti? Nos vobis si volueritis auxiliabimur, & si fortè ingruerit contra nos bellum, voluntariè aderimus. Franci verò his contumeliosè sermonibus exasperati, finito termino securitatis cœperunt rebellare paganis. Ilico Rollo putans se propter securitatem quam dedit, à Francis vilem æstimatum, ferociter & crudeliter deuastando Prouincias, cœpit laniare, & affligere, atque delere populum. Sui autem in Burgundiam pergentes, perq; Ionam in Sigonam nauigantes, terrásque * omnibus affines vsque Clarum-montem vndique secus deuastantes, Senonis Prouinciam inuaserunt, atque cuncta depopulantes ad sanctum Benedictum contra Rollonem reuenerunt. Videns autem Rollo Monasterium S. Benedicti, illud contaminare noluit, nec prædari illam Prouinciam propter S. Benedictum permisit. Stampas equidem adiens, totam terram adiacentem perdidit, quamplurimos captiuauit. Inde ad Villemez veniens, finitimas terras prædauit; hincque Parisius remeare accelerauit. Rustici verò videntes Francos robustissimos bellatores, & Burgundiones asperrimos pugnatores penitus adnihilatos,

ROLLO

* amnib.

Rollo. congregantes incomprehensibilem numero multitudinem, desueta arma nequicquam gerentem conantur inuadere Rollonem. Rollo autem respiciens vidit aërem puluerulentum, creberrimóque concursu peditum densiùs obnubilatum, conuocatis Principibus suis dixit: Populus peditũ nescio an equitum nos sequitur. Pedites nostri celeriter viam petant, equites nobiscum remaneant; vt videamus cuius fortitudinis sint qui nos perdere volunt. Expectante autem Rollone cum equitibus, appropinquauerunt rustici, equites cùm peditibus. Illicò Rollo inruit super villanos, crudelíque nece illos vsque ad internecionem prostrauit, & contriuit eos, cædéque maxima peractâ, repedauit ad suos. Postea verò Rollo nimio furoris æstu inhians, & flagrans super suos inimicos, ciuitatem Carnotis hostiliter expetiit, atque Dunensem Comitatum & Carnotensem vastans, cum magno exercitu obsedit. Quidam verò Episcopus GVVALTELMVS vrbi præerat religiosissimus. Is mœrens & eiulans, continuísque orationibus instans, misit ad Burgũdionum Ducem Richardum, & ad Pictauensem Comitem Ebalum, vt subuenirent vrbi morte præoccupatæ pro amore Dei in auxilium.

DE CARNOTIS LIBERATIONE.

MISIT autem & ad Francos huius mœstiferæ legationis nuntios. Qui celeriter Richardo Comiti adhærentes, inuaserunt Rollonem circa muros Carnotis prælianteem. Rollo verò more solito constanter inruit super eos, atque in primo apparatu belli superauit fortiter dimicans illos. Franci verò & Burgundiones vires resumentes, ausúmque iterum capientes, inuadunt Rollonem duriter illis obstantem. Cæsis ergo Christianorum ac paganorum pluribus, stabat vterque in prælio exercitus, mutuans vitam alternis ictibus; cùm subitò Guualtelmus Episcopus quasi Missam celebraturus, infulatus baiulánsque crucem atque tunicã sacrosanctæ MARIÆ Virginis in manibus, prosequente Clero cum ciuibus, ferratísque aciebus constipatus, exiliens de ciuitate, paganorum terga telis verberat & mucronibus. Cernens autem se Rollo inter vtrumque exercitum stare, séque non præualere, suósque decrescere, transiens per medium illorum, cœpit ab eis declinare, ne præoccuparetur morte.

APOSTROPHA.

ROLLO *poténsque valénsque asperrimus armis,*
Ne verecundêris si iam fugitiuus haberis.
Non te Franco fugat, te nec Burgundio cædit,
Concio multimodæ gentísque vtriusque phalangis.
Sed tunica alma Dei genitricis Virginis, atque
Reliquiæque simul, philateria, cruxque verenda.
Quam velut in manibus meritis Præsul reuerendus,
Velle tuum semper tibi posse, velut fuit olim:
Et modo velléque posse tuum legaliter ibunt,
Posséque velle tuum humanum iam iámque renoscent,
Velle tuum modo posse suum spectabit amicum,
*Posséque velle suum sic * præstabitur ipsum.*
Coniunctis pariter his disiunctísque duobus,
Aut facies, aut non, quæcumque negotia rei,
Quis sine perficies nullius summa negotij.
Sæpe adquirit vterque suum violenter amicum.
Sæpe resistit vterque suo rapido obice amico.
Naturâ seruante modum, quàm propter amicum
Conditio humani figmenti tristis habetur.

ITEM APOSTROPHA AD ROLLONEM.

Multimodas perpesse minas, nimiosque labores,
Vnde fatigauit temet fortuna querelis.
Inde tibi meliora dabit iam fruge perenni.
Aspera tot tolerata diu modo læta sequentur.
Gaudia longa metes hinc hinc mœrore subacto.
Te labor artificem belli huc vsque peregit.
Post hos mœrores sat dona quietis habebis.
Námque labore graui concrescunt præmia multa.

A QVÆDAM acies paganorum euadens fortè prælij periculum ad Leugas peruenit,& montis excelsa subiit. Finito igitur tali & tam magno certamine belli, Ebalus vespere aduenit cum suis, Francósque & Burgundiones imprecatur nimis: Me pro nihilo duxistis, quando prælium sine me inchoastis. Blasphemabor à cunctis gentibus, quæ audituræ sunt hos euentus. Pro dolor! mallem mori cum isto populo, quàm abesse prælio. Tunc Franci & Burgundiones dixerunt ad Ebalum sine re querulum. Adhuc expectat te aliquid certaminis, quo potes te tuósque experiri. Considera Northmannos prælio fugatos, cacumen montis causâ præsidij aggressos. Præcipita ergo eos à monte, eorúmque superbiam elide. Vindica sanguinem Francorum, & Burgundionum, hoc campo, heu dolor! iacentium. Sentiant te modo aduenisse, qui gloriantur se periculum mortis euasisse. His igitur dictis Ebalus inuadit Northmannos in monte nimium exterritos. Ebalus autem ascendebat montem cum suis, Daci verò resistebant ei iaculis. Ebalus iaciebat eò missilia, Daci verò violabant eos iaculis. Ebalidæ tentabant ascendere cacumen montis, Rollonidæ præcipitabant eos vsque ad basim montis. Ebalidæ sepes & parietes, quos Daci ad capiendam ciuitatem fecerunt, ad montem deportauerunt. Daci verò eosdem parietes & sepes illis abstulerunt, & se ex illis circumdando munierunt. Populus verò Francorum expectabat finem iurgiorum. Ebalus igitur videns, quòd non proficeret ei initum certamen, venit ad Richardum Ducem in campo prælij castra metantem. Tunc exercitus montem circumsepsit, ne posset vllus elabi. Videntes autem Daci se circumseptos plebe, dixerunt ad inuicem. Si expectetur fortè dies futurus, omnes gladio interimemur. Frisonum quidam de gente natus, qui erat illis accreditus, dixit mortem timentibus: Dabo consilium vobis profuturum. Intempestæ noctis silentio quidam nostrorum de cacumine montis clam descendant, & forinsecus circa tentoria buccinâ clangant. Illi namque audito clangore tubarum, autumantes adesse Rollonem nostrum Ducem, formidolosi, stupidíque, atque pauidi fugitabunt, hac illácque diuisi. Nos verò de monte descendẽtes inruamus super castra Principum, duritérque debellando eos, transeamus per medium illorum, & festinemus aggredi Seniorem C nostrum, & sic euademus mortis periculum. Responderunt: Congruum nobis & salubre secundum quod accidit, das consilium. Melius est nobis ita agere, scilicet aut elabi, aut mori; quàm hîc morari, nósque viuos comprehendi, & pœnis diuersis affligi. Idcirco obscuræ noctis conticinio descenderunt quidam de monte, & per tentoria clam transeuntes, vltráque venientes, cœperunt forinsecus tubis clãgere, terrorémque repentinum eis incutere. Ceteri verò cum magno tumultu, magnóque scutorum fragore elabentes velociter de monte, inuaserunt Richardum tentoriis soporatum. Sicque ferociter præliantes, & per medium exercitum transmeantes, viam quam Rollo tenuit citatis gressibus liberati pergunt; atque super Othuram venientes, loco alto palude circumdato gressum fatigati figunt. Exercitus verò nimium exterritus cœpit hac illácque fluctuare, putans Rollonem adesse. Ebalus verò huius rei terrore domum cuiusdam fullonis experiit, atque diu in ea delituit. Exercitus autem lucescente aurora montem videns hostibus vacuum, eos prosequitur eousque quo morabantur. Northmanni verò innumerabilia animalia, quæ secum adduxerant, statim occiderunt; atque tergora dimidia animalium diripientes & excoriantes, ex cadaueribus ipsis castrum circa se fecerunt; ponentésque vnum super D alium, coria sanguinolenta forinsecus auellerunt, ne equi stupidi equitésque mirantes appropinquarent. Franci verò & Burgundiones prosecuti eos cùm adessent, castellúmque ex corporibus equorum, boum, asinarum, caprarúmque & bidentium conseptum, tergoráque sanguinolenta forinsecus pendentia vidissent, dixerunt ad inuicem: Quis inuadet istos? Qui vult vitam perdere, accedat ad carneum castrum & mirabile. His dictis quique repedarunt sua, Daci verò nauium contubernia. Rollo autem videns milites suos, gratulanter dixit ad illos: O robustissimi, armísque asperrimi! quomodo prælia euasistis? Tunc illi cuncta quæ acciderant retulerunt Rolloni. Rollo verò ira exagitatus, furiis acerrimis bacchatus, cœpit totam terram vastare & delere, atque incendio concremare. Ilico omnis salus conclamatur, fiduciáque viuendi non reperitur, publica res adnihilatur, Ecclesiæque desertæ habentur.

FRANCI verò non valentes paganis resistere, totámque Franciam videntes ad nihilum venire, vnanimiter ad Regem venerunt, atque dixerunt: Cur non auxilia-

Rollo. » ris regno, cui præesse & prodesse debes sceptro? cur non pax consilio adquiritur, A
» quam nec bellis nec vllo defensionis obstaculo adipisci possumus? Honor & pote-
» stas regalis subicitur, paganorum insolentia erigitur. Franciscæ regionis terra quasi
» solitudo habetur, quia eius populus aut fame aut gladio moritur, aut fortè captiua-
» tur. Tuere regnum si non armis, vel consilio. Tunc Rex Karolus his dixit furibun-
» dus: Date mihi consilium, quod regno & nobis sit salubre & congruum. Tunc Fran-
» ci: Dabimus, si nobis credideris, consilium tibi & regno condignum & salutiferum;
» vt requiescat populus nimis penuria afflictus. Detur terra à fluuio Andellæ vsque
» ad mare, paganorum gentibus. Filiam quoque tuam Rolloni connubio iunge. Et ex
» hoc potes multum contra gentes tibi obstantes præualescere; quia Rollo superbo
» Regum Ducúmque sanguine natus, corpore pulcherrimus, armis feruidus, consilio
» prouidus, aspectu decorus, contra suos mansuetus, cui promittit fidus amicus, cui
» aduersatur atrox inimicus; sagaci mente vasallus, constans & lenis vt res expostulat
» in omnibus, sermone instructus, docilis in rebus, actibus beniuolus, eloquio hone- B
» stus, virtute virili repletus, humilis conuersationibus, rebúsque forensibus pruden-
» tissimus: in iudicio iustus, in secretis cautissimus, auro argentóque ditissimus, creber-
» rima militum frequentia assiduè constipatus, quinetiam omni bonitate est exagge-
ratus. Confestim Karolus his consultus, misit Franconem Archiepiscopum Rotho-
magensem ad Rollonem paganorum Ducem. Qui veniens ad eum, blandis sermo-
» nibus cœpit alloqui: Omnium Ducum præstantissime, cunctorúmque præcellentis-
» sime, litigabis vitâ comite semper contra Francos, præliaberis semper contra illos?
» Quid de te si morte præoccupatus fueris? Cuius figmenti es? Deum te esse æstimas?
» Limo plasmatus, nónne homo es? Nónne es esca vermium, cinísque & puluis? Me-
» mento qualis es & eris, & cuius iudicio damnaberis. Herebo, vt reor, fruêris, nec
» quenquam lacesses vltra præliis. Si vis Christianus fieri, præsenti futuráque pace po-
» teris frui, ditissimúsque hac terra morari. Karolus Rex patientissimus, consilio suo-
» rum ductus, hanc terram maritimam ab Anstigno & à te nimium deuastatam vult
» tibi dare. Quinetiam vt pax & concordia, atque amicitia firma, & stabilis atque cō-
» tinua omni tempore inter te & illum permaneat, filiam suam GISLAM nomine
» vxorem in coniugio dabit tibi; quâ copulâ prole lætaberis, regnúmque in perpe-
» tuum tenebis. Quo audito conuocat maiores Dacorum, & quæ Episcopus sibi retu-
lit, narrat in auribus eorum. Daci verò reminiscentes somni interpretationum, di- C
» xerunt Rolloni: Terra hæc penitus desolata, militibus priuata, aratro non exercita,
» arboribus locis referta, fluuiis genere diuersorum piscium plenis diuisa, venatu opu-
» lenta, vineis non ignara, glebis cultro elaboratis fœcunda, mari affluentiam diuersa-
» rum rerum daturo ex vna parte circundata, altera decursibus aquarum deportan-
» tium nauigio cuncta bona, quasi Franciæ regno discriminata, si fuerit frequentiâ
» hominum vsitata, valde erit fertilis & vberrima: nobísque ad habitandum sufficiens
» & congrua. Filia quam tibi spondet, vtriusque progeniei semine regaliter exorta,
» staturæ proceritate congrua, formâ vt audiuimus elegantissima, virgo integerrima,
» consilio prouida, forësium rerum negotio cauta, conuersatione facillima, colloquio
» affabilissima, manuum labore peritissima, quinetiam virginibus cunctis præcellen-
» tissima, decet vt copuletur tibi connubiali amicitia. Et ex hoc videtur salubrius no-
» bis consilium, & in melius profuturum, & ab alicuius rixæ errore inconuulsum;
» quòd filiam Regis habebis in coniugio fœderum. Reminiscere somnij interpreta- D
» tionum, mysticorúmque eius intellectuum. Vt remur, in istis finibus vertetur nobis
» in prosperum. Satis præliati sumus, Francósque debellauimus: consequens videtur
» nobis vt requiescamus, fructibúsque terræ patienter fruamur. Remitte Regi Epi-
» scopum, vt si dederit tibi quod spopondit, te dicat suo seruitio esse promptum. Re-
» manda ei securitatem pacis trium mēsium, & vt sequestræ pacis spatio veniat si vult
» contra te ad placitum, faciátque verborum suorum & promissionum te per omnia
» securum. Statim Rollo supradicta Episcopo intimauit, Regíque vt hæc diceret ad
eum remissit. Qui veniens ad Regem, conuocato Episcoporum, Comitum, atque
» Abbatum cœtu, dixit: Rollo Dux Northmannorum tibi amoris & amicitiæ inextri-
» cabilis, quinetiam seruitij pactum. Si dederis filiam tuam, vt ei dixisti, coniugem,
» terrámque maritimam in sempiternam per progenies progenierum possessionem;
» manus suas se subiugando tibi dabit fidelitatis gratiâ, tuúmque seruitium incessan-

A ter explebit. Poterísque per eum obstantium & turgantium tumores contra te retundere, nimiúmque confortatus conualescere. His ab Episcopo renunciatis, congratulantur Franci, suggerúntque vnanimes Regi, vt det filiam suam terrámque Rolloni. Rex verò Francorum prece coactus, dedit filiam suam vice Rollonis Episcopo per pignus, in vinculo sacramenti & coniurationis. His rerum oportunitatibus factis, determinatis, & confirmatis, tempore locóque denominato, atque sequestra pace data, redierunt quique ad sua. Franco Rotomagensis Archiepiscopus Rollonem adiit, & cuncta quæ fecit ordinatim illi narrando exposuit. Rollo igitur & sui, his renuntiatis, nimium exhilarati, typicum intellectum rememorant visionis. "Rollo.

Rotbertvs autem Dux cùm audisset quòd Rex Karolus filiam suam daret Rolloni, & pacificarentur vicissim, páxque fieret totius orbis, misit verbis pacificis ad Rollonem nuncium subsequentia verba dicturum. Cúmque adesset Rolloni, verbis precatiuis dixit: Rotbertus Dux Francorum tibi fidele seruitium. Audiuit concordiam tui & Regis, & indè lætatur nimis. Congruum esse tibi dicit, te tuósque B requiescere, terrámque datam reædificare, vrbes & mœnia restaurare, téque perpetua pace viuere. Satis exercuisti prælia, satis demõstrasti arma virilia. Satis cuius virtutis esses declarasti, satis plurimis periculis incubuisti, satis vas emeritus, satis toto orbe laudatus. Quinimò Dux idem deprecans, flexis animi genibus mandat tibi, vt testificatum in Christi nomine, & in fonte salutifero baptismate lotum suscipi ab eo te sinas. Hinc eritis, si tibi placuerit, inseparabiliter fidi amici, nullúsque contra vos stare poterit, faciétque incessanter vestrum seruitium, Regémque tibi omni tẽpore beniuolum. His dictis, consilio Franconis Episcopi, suorúmque Comitum dixit: Volo consentire Regi Francísque, vt veniat ad denominatum placitum, méque redimat fonte immersum. Hic mihi sit paterno amore pro patre, ego filiorum dilectione ero illi pro filio. Succurrat mihi, si necesse fuerit, vt pater filio; ego illi, vt filius patri. Gaudeat mea prosperitate, tristetur mea aduersitate. Quæ meæ potestatis sunt, sui iuris sint: & quæ mei iuris, suæ potestatis sint. Internuntius igitur quæ audiuit, Rotberto Duci renuntiauit. Statuto idcirco tempore venerunt ad determinatum C locum, qui dicitur ad S. Clerum. Rollonis autem cis Eptæ fluuium sedit exercitus, Regis verò & Rotberti altrinsecus. Extimplo Rollo misit ad Regem Franconem Archiepiscopum verba dicenda dicturum: Rollo non potest tecum pacificari, quia terra quam illi vis dare inculta est vomere, pecudum & pecorum grege omnino priuata, hominúmque præsentiâ frustrata. Non habetur in ea vnde possit viuere, nisi rapina & prædatione. Da illi aliquod regnum vnde conducat sibi cibum, & vestitum; donec impleatur terra quam illi das opulentiarum congerie, reddátque temporiuos fructus victuum, hominum, & animalium. Quinetiam non conciliabitur tibi, nisi terra, quam daturus es, in sacramento Christianæ religionis iuraueris, tu & Archipræsules & Episcopi, Comites & Abbates totius regni, vt teneat ipse & successores eius ipsam terram ab Eptæ fluuiolo ad mare vsque quasi fundum & alodum in sempiternum. Tunc Rotbertus Dux Francorum, & qui aderant Comites & Episcopi, cum Abbatibus dixerunt Regi: Non habebis Ducem tanti honoris, nisi quod concupiscit feceris. Si non propter seruitium quod repetit à te dederis, saltem da illi propter cultum Christianæ religiositatis; vt adquiratur tantus populus Christo, D qui inretitus est errore diabolico. Et ne culmen totius regni tui, Ecclesiæ, quæ adnihiletur impetu infestantis exercitus, cuius aduocationis patrocinio vice Christi fungens, debes esse Rex & Aduocatus constantissimus. Tunc Flandrensem terram, vt ex ea viueret, voluit Rex ei dare; sed ille noluit præ paludium impeditione recipere. Itaque spondet Rex ei Britanniam dare, quæ erat in confinio promissæ terræ. Ilicò Rotbertus & Franco Episcopus renuntiauerunt omnia Rolloni, & adduxerunt illum integritate Christianæ fidei, obsidibus datis, Karolo Regi. Franci verò intuentes Rollonem totius Franciæ inuasorem, dixerunt ad inuicem. Magnæ potentiæ iste Dux, magnæq; virtutis, atque magni consilij & prudentiæ, quin etiam laboris, qui tanta prælia exercuit contra Comites istius regni. Statim Francorum coactus verbis manus suas misit inter manus Regis, quod nunquam pater eius, & auus, atque proauus cuiquam fecit. Dedit itaque filiam suam Gislam nomine vxorem illi Duci, terrámque determinatam in alodo, & in fundo, à flumine Eptæ vsque ad mare, totámque Britanniam de qua posset viuere. Rolloni pedem Regis nolenti

Rollo. osculari, dixerunt Episcopi: Qui tale donum recipit, osculo debet expetere pedem A Regis. Et ille: Numquam curuabo genua [illegible] alicuius genibus, nec osculabor cuiuspiam pedem. Francorum igitur precibus compulsus, iussit cuidam militi pedem Regis osculari. Qui statim pedem Regis arripiens, deportauit ad os suum, standoq; defixit osculum, Regémque fecit resupinum. Itaque magnus excitatur risus, magnúsque in plebe tumultus. Ceterum Karolus Rex, Duxque Rotbertus, Comitésque & Proceres, Præsules & Abbates, iurauerunt sacramento Catholicæ fidei Patricio Rolloni vitam suam, & membra, & honorem totius regni, insuper terram denominatam, quatinus ipsam teneret & possideret, heredibúsque traderet, & per curricula cunctorum annorum successio nepotum in progenies progenierum haberet & excoleret. His, vt dictum est, expletis, Rex Karolus ad sua remeauit. Rotbertus & Franco cum Rollone remansit.

APOSTROPHA AD ROLLONEM.

ROLLO, tui visus capies en mystica sensa. B
Ecclesiæ stabis præcelso vertice montis.
Fonte salutifero scelerum purgabere lepra.
Nunc homines, volucrúmque loco tibi scuta gerentes,
Se Ecclesiæ montem scandentes fonte piabunt.
Extremum quorum capies nunquam quoque visu.
Immunes scelerum libabunt mystica sacra,
Nidorúmque domos facient montis iuga circa.
Ecclesiásque struent diuerso munere fultas.
Dux bone, Dux pie, Patrici sempérque verende,
Assunt cuncta tibi, quæ somno animus tuus hausit.
Serua baptismo quod iam promiseris almo.
Linque opus infandum satanæ, quin toxica sacra,
Quære Deum verum voto & prece supplice semper,
Obserua mandatorum præcepta suorum,
Da leges populo, doctis sancitáque iura,
Pace fruens populus gaudebit tempore cuncto,
Subque tua ditione morans semper, habitánsque.
Latronúmque furum insidiis frustrabitur omnis. C
Ecclesiæ summus tutor, inopúmque iuuator,
Pacificus regni protector, & auxiliator,
Defensórque, gubernator, moderator, & auctor.
Perpetuo vigeas meritis viuacibus æuo.

912. ANNO à Domini nostri Iesu Christi incarnatione nongentesimo duodecimo, FRANCO Archiepiscopus Catholica fide sacrosanctæ Trinitatis imbutum Rollonem baptizauit, Dúxque Francorum Rotbertus de fonte Saluatoris eum suscepit, noménque suum ei imposuit, magnísque muneribus & donis honorificè ditauit. ROTBERTVS autem, qui & Rollo, Comites suos & milites omnémque manum exercitus sui baptizari fecit, atque Christianæ Religionis fide per prædicationes instrui. Hinc conuocato Francone Episcopo, quæ Ecclesiæ veneratiores in sua terra haberentur, sciscitatur, & quæ potentiores merito & patrocinio Sanctorum dicerentur. Tunc Franco: Rotomagensis, & Bajocacensis, atque Ebroicacensis Ecclesia sacrosanctæ MARIÆ matris Domini nostri IESV-CHRISTI & Virginis in honore est dedicata. D In periculo maris Ecclesia monte posita, Archãgeli Michaelis Paradisi Præpositi nomine prætitulata. In suburbio ciuitatis istius est Monasterium S. Petri Apostolorum Principis nomine consecratum; in quo recubabat istius vrbis venerabilis Archiepiscopus nomine AVDOENVS, signis & virtutibus nimium choruscus. Ob metum tui aduentus ad Franciam est deportatus. Gimegias, quo priùs accessisti, est templum S. Petri, Regnum cælorum clauigeri meritis suffragatum. Plures sunt Ecclesiæ in tua ditione positæ, sed hæ sunt præcipuæ. Tunc Rotbertus: In confinio nostræ potestatis quis Sanctus potentior meritis habetur? Franco: Sanctus DIONYSIVS natione Græcus, per S. Paulum ad fidem Catholicam cõuersus, postea à beato CLEMENTE Petri Apostoli successore Franciæ ad prædicandum transmissus, multa flagella paganorum perpessus, diúque verberatus, ad vltimum pro amore Dei hebetatis

A tis securibus capite plexus. Tunc Rotbertus: Antequam diuidatur terra meis Principibus, Deo & sanctæ Mariæ, Sanctísque denominatis, desidero partem istius terræ dare, vt dignentur mihi in auxilium subuenire. Franco: Consilio diuinitus inspirato vteris, congruúmque est tibi his VII. diebus, quibus albatis chrismatis & olei vestibus es indutus, fieri. Dedit itaque Rotbertus prima die baptisterij Deo & sanctæ Mariæ Rothomagensis Ecclesiæ terram præmaximam Canonicis in perpetuum possidendam. Secundo die, sanctæ Mariæ Baiocacensis Ecclesiæ. Tertio die, Sanctæ Mariæ Ebroicacensis Ecclesiæ. Quarto, Archangeli Michaëlis Ecclesiæ, vicibus inundatione procellarum maris circumseptæ, secundum cursum Lunæ incrementati septenarij numeri dispositione. Quinto, sancti Petri sanctique Audoëni Ecclesiæ. Sexto, sancto Petro sanctoque Aicadro Gemeticensis Ecclesiæ. Septimo, Brenneual cum omnibus appenditiis S. DIONYSIO dedit. Octauo die expiationis eius, vestimētis chrismalibus vel baptismalibus exutus, cœpit metiri terram verbis suis Comitibus, atque largiri fidelibus. Denique præparato magno nuptialium B rerum cultu, Gislam filiam Regis vxorem sibi duxit, pro qua se Francis conciliando pacificauit. Securitatem omnibus gentibus in sua terra manere cupientibus fecit. Illam terram suis fidelibus funiculo diuisit, vniuersámque diu desertam reædificauit, atque de suis militibus aduenísque gentibus refertam restruxit. Iura & leges sempiternas voluntate Principum sancitas & decretas plebi indixit, atque pacifica conuersatione morari simul coëgit. Ecclesias funditus fusas statuit, templa frequētia paganorum destructa restaurauit, muros ciuitatum & propugnacula refecit & augmentauit. Britannos rebelles sibi subiugauit, atque de cibariis Britonum totum regnum sibi concessum sufficienter pauit. Denique in terra suæ ditionis bannum, id est interdictum misit, quod est prohibitio, vt nullus fur vel latro esset, neque assensum malæ voluntatis ei præberet. Deniq; interdixit, vt nullus ferramenta aratri domui deportaret, verùm in campo cum aratro relinqueret, & nullus post equū, asinúmque, atque bouem, ne perderet, custodem mitteret. Huius interdicti pauore quidam agricola manēs in Longa-petētis-villa, aratri vtensilia campo dimisit, atque appropinquante meridie causa edendi domum suam venit. Quem vxor duris C verbis & obstinato corde cœpit increpitare, cur dimisisset aratri necessaria, & adiacentia in suo labore. Diu molesta atque increpans virum, dedit ei manducare. Interim volens suum maritum facere huius rei ne dimitteret amplius, sollicitum, citiùs quàm potuit clam expetiuit campum, & sustulit sibi corrigias iugi vomerémq; & cultrum; atq. ne videret maritus subducendo ea, quasi aliunde veniens repetiuit domum. Maritus eius saturus surgens, suique laboris campum pergens, necessaria aratri non inuenit: inde tristis domum reuertens, querulæ coniugi indicauit. Quæ cœpit eum inuectiuè & irrisoriè increpās dicere: Nullius vtilitatis homo, vade nunc ad Rotbertum Ducem, & ipse faciet citò te aratorem. Ille citus ad Rotbertum cucurrit, atque commoda aratri sibi frustrata, Duci retulit. Ilicò Rotbertus conuocans quendam Præpositum, dixit ad eum: Da quinque solidos isti agricolæ, quibus possit quæ perdidit emere. Tu quantociùs villam pete, atque auctorem furti ignifero iudicio inquire. Villicus verò habitatores villæ cunctos igne examinauit, nullúmque illorum reum furti repperiens, Rolloni Duci renuntiauit. Qui conuocans Franconem Archiepiscopum dixit: Deus Christianorum, in cuius nomine baptiza- D tus sum, si est conscius rerum, mihi mirum cur non innotuit suo nomine igne tentatum nobis furti reum. Franco: Adhuc ignis culpabilem non tetigit. Et Rotbertus ad Præpositum: Vade iterum & ad habitatores affinium villarum, in nomine Christi IESV examina per ignis supplicium. Qui iussa complens, Duci intimauit, neminem se inuenisse culpabilem. Qui aratorem statim vocauit, & ab eo inquirit, cui quòd remansissent vtensilia aratri in campo, dixisset. Agricola respondit: Vxori. Quæ vocata venit, Dúxque ad eam dixit: Quid de vomere cultróque mariti tui fecisti? Illa se non habuisse negauit. Quæ scopis diuerberata fidem furti omnibus fecit. Tunc Rotbertus ad maritum: Sciebas tuam vxorem esse furem? Cui ille: Sciebam. Et Rotbertus: Duobus decretis dignè morieris. vno, quòd caput mulieris es, & eam castigare debuisti. Altero, quòd assensor furti fuisti, & indicare noluisti. Statim vtrumque laqueo fecit suspendi, crudelíque morte finiri. Hoc iudicium exterruit habitatores terræ. Nullúsque ausus est postea furari, vel latrocinari. Atque

Rollo.

Rollo. sic quieuit terra vacua furibus & latronibus, atque siluit priuata cunctis seditionibus. Continua igitur pace, diuturnáque requie lætabantur homines, sub Rotberti ditione securi morantes; locupletésque erant omnibus bonis, non timentes exercitum vllius hostilitatis. Karolus namque Rex quodam tempore misit duos milites Gislæ filiæ suæ, Rotberto Duci connubio vinctæ. Gisla autem cùm vidisset milites patris sui, quadam domo, ne viderentur à Rotberto suo coniuge, seposuit; cunctáq; bona illis largiens, nimis diu morari fecit. Rotbertidæ Comites admirantes quòd milites Karoli Regis Rotomo morarentur, & præsentiâ Rotberti Ducis non fruerentur, venerunt ad eum, & dixerunt: Cur nobis quod Karolidæ tibi dixerunt non innotuisti? Rotbertus: Vbi sunt soceri mei legati? Responderunt: Vxorius es, & effeminatus; quia tuam præsentiam vitantes, coniugi tuæ assunt. Dicebant igitur Rotbertum eam non cognouisse maritali lege. Statímque Dux ira commotus, tyrones suæ domus fecit absconsos comprehendi, & ad forum venalium rerum duci, ibique concurrente plebe iugulari. Audiens autem Rotbertus Dux Francorum, quòd pro nece duorum militum, colligatæ pacis inter Regem & Rotbertum Northmannorum Ducem vincula soluta disruptáque essent; cœpit contra Karolum stare, eúmque adnihilare, & sua depopulari. Misitque Legatum ad Rotbertum Rotomagensem, dicens: Tuo consilio, tuóq. suffultus adiutorio, volo istud regnum super Karolum accipere, eúmq. Franciâ fugare. Tunc Rotbertus Rotomagensis respondit Legato Francorum Ducis. Modò tuus Senior nimis vult equitare, vltráque legem agere. Quæ Regis sunt tantum disperdat, regimen nolo vt accipiat. Erat autem coniunx Gisla filia Regis iam defuncta. Quid accidit inter Karolum & Rotbertum hîc non memorabitur, quia aliàs legitur. Rotbertus Normannorum Patritius grandæua ætate, nimióque labore præliorum consultus, conuocatis Dacorum Britonúmque Principibus, dedit omnem terram suæ ditionis filio suo VVILLELMO Popæ filio, atque inter manus Vvillelmi adolescentis manus suas mittentes Principes, conligauit illi coniurationis sacramento. Postea vno lustro viuens, ætatis suæ defectu, effœtóque viribus corpore, equitare non valens; regnúmque pacificatum solidum & quietum tenens, lugubris damni passus dispendium, ineuitabilisque mortis casum, plenus dierum migrauit ad Christũ, cui est honor & gloria in secula seculorũ, amen.

A

» (marked lines: "rentur, venerunt ad eum..." through "bertum eam non cognouisse maritali lege"; "sem, dicens..." through "iunx Gisla filia Regis iam defuncta")

B

C

EPILOGVS.

NAVTA rudis pelago commissus vela profundo,
Classe vehor parua, rimisque foramine plena,
Puppéque quassata, prorâ tumido æquore fracta,
Confractisque gubernaclis, remísque peremptis,
Omnibus & velis violento turbine scissis,
Naufragus, attonitus, stupidus, hebes, anxius, anceps,
Syrtibus implicitus, pro nescio nunc quid agetur.
Ha! misero mihimet nullus patet exitus vsquam
Fluctibus incluso nimiis, septóque procellis.
Ha! mihimet cælum vndique, & vndique pontus habetur.
Æquor permensus medium huc vix vsque nataui.
Non intrasse salum mallem, quàm hîc periisse.
Puppe sub exigua per confraga murmurat æquor,
Fluctibus infestis pelagi spumante procella,
Æquora iam lambunt inimica pace carinam,
Pestifero amplexu horrendis flabris nocitura.
Viribus iratis teneor maris vna rapina,
Vndáque curuatos sublata sinus quatit acre.
Hæreo nunc tremulis temerarius arbiter vndis.
Sed tu, quem statum mobilem, motum stabilémque
Veridici perhibent, cùm sis motus quoque status,
Fluctiuagæ æquoreos mentis compesce tumores:
Syrtes pestiferas cordis disrumpe vagantis,
Atque procellosi ingenij sustolle carinam,
Vt gubernaculis, remísque, velísque refectis,
ngenij, sensus, intellectúsque pusilli,

D

A *Iámque huius Operis pelago feruente meato,*
Tranquillum possim conscendere nauita portum
Sanguine martyrij fluidum, palmáque decorum,
Profusum & nitidum cunctorum flore bonorum.

LIBER TERTIVS.

PRÆFATIO.

LIM Discipulos omnipotens Deus,
Sacra Virgine matris editus & satus,
Verè nostra fides SARCALOGON quem ait,
B *Puppim scandere præcepit, abiréque*
Vltra veliuolum & fluctiuagum mare.
Plebes innumeras cedere mox iubet,
Et montis subiens alta cacumina,
Numen siderei postulat ad patris.
Noctis cæruleæ mox crepero obuio,
Dirè ferbuerant æquora liuida,
Læuo prætumido flamine gurgitis,
Conclamata salus, spésque, fiducia,
Cunctis Discipulis prætrepidis nimis.
Aëris pestifera mortis imagine.
Quartæ nam stationis tumido situ
C *Christus se pelago fluctiuago intulit*
Sicco vestigio, séque per æquora
Fert fluctu liquido passibilis maris,
Offert discipulis séque trememibus.
Tunc artus tremulos occupat & pauor,
Hærent Discipulûm corda stupentia.
Ignorant quid agant fine sub vltimo.
Terror pectora sat verberat algidus,
Clamor sidera pulsat nimius poli.
Postquàm se innotuit discipulis Deus,
Præsiccis pedibus stans fluido mari.
D *PETRVS mox Domino verba sonantia*
Sumptis viribus & robore prætulit.
O tu CHRISTE potens ætheris & maris,
Si nos sancta adiit nunc pietas tua,
Estque tuta fides omnibus, & proba,
Tecum pergere me præcipe per mare.
Præcepti imperio nunc vegetabilis
Indulgens fauet his, & retulit, Veni.
Fidens in Domino, qui potis est maris,
Petrus móxque ratem deserit ocius,

Et dat vestigium fluctibus æquoris. A
Mentem perculerat res tremulam noua,
Cùm discrimina pontus mouet effera,
Quamdiu non dubitauit.*
Petrum sustulerant æquora turgida,
Diffidénsque sui pœnituit nimis,
Mersus corpore Petrus medio salo
Clamat, deripere fluctibus his, Deus.
Christi dextera mox quem rapuit sacra,
Dixit: Tu modicæ cur fidei modo
Nutando titubas & dubitas freto?
Conscendunt pariter mox Deus & Petrus B
Nauim, discipulis turbine tristibus.
Cedunt continuo noxia flamina.
Dudum nos pelagus prætumidum nimis
Summi numine Christi penetrauimus.
Cursus iam medios contigimus ferè.
Obpansum vndique cœlum vndique cernitur
Hinc hinc, atque minax cæruleus liquor.
Haurit iámque pauor pectora tristius,
Tollunt æquora molem inscitiæ meæ:
Cœpti pœnitet, & tædet, & hoc piget.
Summus Christe Deus*, nunc faciem tuam*
Felix poplitibus pandeamini peto.
Lapsas respice spes fomite numinis. C
Sanctam porrige manum nunc trepido mihi,
Poßim scandere quo gesta micantia,
Summo te duce, sic te duce præuio,
Et quot sunt mihimet torua pericula.
Mentem septifidi nectare Spiritus,
Et cor Rhetorici fomite gurgitis,
Et linguam trimodo proloquio struens,
Asperges salubris fonte scientiæ;
Narratus breuis vt sitque probabilis,
Atque hinc extet apertus homini scio D
Huius Historiæ, quam reserabimus.
Partitus breuitas famine splendeat
In toto niteat quæque solutio:
Nectatur generi sic quoque paucitas
Personæ, exque datis, atque negotio
Sumatur ratio rhetoricabilis
Septem nunc elementis bene cognitis,
Decretisque simultatibus omnibus,
Te donante Deus *Virgine qua satus,*
Cum Patre ingenito, & Flamine cum sacro,
Regnans perpetuus cuncta videns Deus.

A

ORATIO.

DOXA superna,
Omnipotens columen,
Fomes sensificúsque,
Numen sidereum potens,
Lucis origo.
Æthereum specimen,
Rerum principiúmque,
Causarum series cluens,
Prima propago.
B
Ingenitique Patris,
Lumen lumine sacro,
Et verus Deus ex Deo.
O pater almus,
Ingenitúsque Deus,
O Fili genitúsque,
His Flamen Deus exiens.
O Deus vnus,
O Deitásque vigor.
Non sunt námque dij tres.
Vnum te ferimus Deum,
Postulo supplex,
C
Quo faueas precibus
Incæpto tremefactus,
Mæstus inscitia mea.
Martyris almi
Te duce te referam
Vitam nunc luculentam,
Extet sensus hebes licèt
Annuat ipse,
Cuius opus refero,
Possim quo enucleari,
Mundo quæ bona gesserit:
Qualiter atque
Perfidiâ occiditur
ARNVLFI Ducis atri
Testis præcipuus Dei.
Gloria Patri,
Et Soboli pariter,
Sanctóque Spiritui,
Vno simpliciter Deo;
Amodo semper
Tempore perpetuo;
Iunctis continuísque
Seclis secla per omnia.

DESCRIPTIO VITAE VVILLELMI DVCIS.

VONIAM quidem gloriosissimorum Martyrum digerendo luculenta præconia, eorúmque præpollentissima propalando elucidare gesta, illius extant munia, qui illis brauium in præsenti seculo contulit victoriæ, cæléstique in regno emolumentum præbuit immarcessibilis gloriæ: idcircò præpotentissimi Ducis VVILLELMI vitam, actúsque, atque triumphum, non fucis verborum, neque excellentis orationis ornamento sublimiter præbalteatum; verùm simpliciter tenuique naturalis prolationis sermone commentatum, breuiter prælibando texemus: quatinus Historia gestorum eius sæpissimè recitata excitet animos omnium, quinetiam à linea progeniei ipsius descendentium, ad cælestium præmia gaudiorum. Eáque nostræ fidei fundamentū firmiter solidetur, nostræ Religionis cultus sollerter nutriatur, mundi labentis decipientísque contemptus nascatur, desiderium amórque supernorum fruge salutiferi operis profusiùs generetur, incentiuum sanctitatis augmentetur, gradus prouectionis erigatur, ianua supernæ contemplationis salutifero itinere penetretur. WILLELMVS I. D

IGITVR gloriosissimus Dux præpoténsque Comes VVILLELMVS, & æterno Regi athleta dilectissimus, ex prosapia insigni, patre Daco, scilicet Rollone, ma-

WILLELMVS I. tre Francigena, videlicet Poppa, vt præcedenti Libro peroratum est, genitus; Rotomagensi vrbe extitit oriundus. Quem genitor omnium supellectilium vbertate locuples, rerúmque omnium emblemate diues BOTHONI cuidam ditissimo Comiti sacro baptismate perfusum ad educandum commendauit, cúmque ad erudiendum vt decebat tradidit. Denique pulcherrimus puer penes orthodoxos vitæque honestissimæ viros familiariter degens, diuæque memoriæ, bonæque indolis fore incipiens, suæ iuuentutis ætatem opimo quaternæ virtutis commercio propensius pollentem IESV Christo consecrauit, seque diuinis totis nisibus subactum mancipauit. Enimuerò diuina profusiùs gratiâ replebatur, septifluique muneris sapientia locupletiùs ditabatur; cotidiéque meritorum affluentiâ gratiùs augebatur, diuinis dogmatibus affluenter instruebatur, monasticis vbertim sanctionibus vigorabatur, Ecclesiasticæ Religionis dispensatione libenter insignibatur, mellifluæque dulcedinis nectare abundanter infundebatur. Erat quippe effigie conspicuus, statura procerus, mente strenuus, morum probitate grandæuus, vir fieri perfectus, totis nitens viribus. Huius seculi aspernabatur iactantiam, vitabátque mundi viriliter pompam. Lætissimus planè erat facie, serena pacificus mente. Dulcissimus alloquio, mansuetissimus conuersationis negotio. Cupiebat labile linquere seculum, seque Gimegias fieri Monachum. Sæpiùs animo id replicabat, crebrísque cogitationibus mente determinatis hærebat. Explorabat sedulus quid super hoc vellet Christus. Indicium quærebat huius rei, si forte venerit cælitus illi. Quapropter lacrymis sedulò incumbebat, corpúsque ab escis duriter suspendebat. Pernox vigiliis insistebat, cibóque pauperes recreabat. Huius animositatis æstu inflammatus, nouit se fieri Monachum mundum derelicturus.

APOSTROPHA AD VVILELMVM.

O VVILLELME *sacer, iuuenili macte salute,*
Flore iuuentutis redolens primaue adolescens,
Quid celeras votum præsenti voce relatum?
Pergere cur celeri voto Christi vis asylum?
Cur seruat teneros custodia peruigil annos?
Corporeos cur nunc innormat regula mores?
Arctus cur casti comites rubrica reuincit?
Desine vota, necesse tibi nobisque frueris.
Semine namque tuo nascetur Dux luculentus,
Ornandus donis celestibus insuper haustis.
FRANCIA *mirifico cuius sub pollice vultum*
*Ducet, agetque, * mouet, flectétque, citabit ouanter,*
Fretus martyrio postquàm migrabis Olympo.
Arbiter egregias regni moderabit habenas,
Æqua librabit trutinans & lance querelas:
Iudicio tormenta reis impellet & æquo,
Largiflui doni iustis & præmia dedet,
Virtutum quaternarum passim aggere actus,
Distinctum nitidis rutilans diadema berillis
Emerito capitis gestans in vertice Sancti,
Scandet ad Elysium dignus Christo duce campum.

CVM autem præueniente gratiâ diuinitatis secundum vires ætatis polleret titulis istius bonitatis, enitерétque affluenter studiis sanctitatis: Northmannorum Britannorúmque Comites, Principésque vnanimiter in vnum conuenerunt, quidque agerent decreturi adinuicem dixerunt: „Dux noster, scilicet ROLLO, qui & „ROTBERTVS, nimio bellorum labore incessanter attritus, plurimísque æstuan„tis maris periculis fatigatus, ærumnáque crebræ nauigationis afflictus, innume„rísque pernoctationibus defectus, pluriúmque plagarum liuoribus infirmatus, vi„ribus infirmitate euacuatis exhaustus, quinetiam grandiui situs diuturnitate con„sumptus, non valet regno vlteriùs auxiliari & defendere, sibíque & nobis con„fidenter præesse & prodesse. Sciscitemur quem in regno præliis adepto hære„dem sibi elegerit, quémque nobis habilem præposuerit. Est namque ei filius „nobilissima Francorum stirpe ogenitus, qui & corpore vegetabili sospitate vi-

A gorato elegantissimus, sensúque plurimarum studiis rerum informato peritissimus. Fauente patre nobis Ducem, eúmque præferamus nobis Patritium & Comitem. Huius igitur consilij dispensatione reperta, quinimo omnipotentis Dei dispensante clementia, venerunt vnanimes ad Rotbertum, Rothomagensi sede annosæ ætatis senio fessum, leníque sermone, submissóque vultu ad eum dixerunt: Domine Dux præpotentissime, senilis ætatis aggrauaris inoportunitate, tibíque & nobis non potes salubriter subuenire. Exteræ gentes idcircò iam nos affligunt, nostráque penitus sibi diripiunt. Inter nos diuortium atque duellum agitur, consórsque vt sit regnum non stabilitur, ideóque publica res annullata dissipatur. Elige igitur qui præsit & prosit nobis precamur, cuíque diligenter subiciamur; vt & ipse sit nobis aduocationis gradu Dux & Patritius, nósque obsequenter & personaliter ei militemus. Tunc Rollo humillimus suorum verbis coactus, huiusmodi responsionibus est exorsus: Quoniam omnem validitudinem longæua ætate auferri non ignoratis, méque non præualere ampliùs, neque prodesse vobis cernitis, vestro consilio, vestróque iudicio, constituatur Dux vobis, qui præsit studiosè & prosit, vt vsque modo ego vobis. Est namque mihi filius Francigeno nobilissimæ generositatis semine exortus, quem BOTHO Princeps militiæ nostræ vt filium educauit, moribúsque & studiis belli sufficienter instruxit. Illum precor eligite Ducem vobis & Protectorem, Patritium & Comitem. Subueniat vobis sagaciter in consiliis, prositque vobis constanter in præliis. Ab aduersariis vos hostiliter protegat, pacémque inter vos continuam legaliter faciat. Monasticis rebus, vt dictum est mihi, vult se mancipari, theoricísque mutato habitu subnecti. Tunc Comites huius responsionis affamine hilares, responderunt dicentes: Ille nobis erit Dux hereditarius & oportunus, eiúsque dignanter obtemperabimus præcepto, gentísque Franciscæ regnum faciemus ei accliuium. Dux autem suorum militum verbis fauentium suis voluntatibus hilaris, præcepit Bothoni militiæ Principi, vt adduceret spem populi, scilicet VVILLELMVM adolescentem sibi. Botho verò ad patrem celeriter Vvillelmum adduxit, accersitis Principibus totius regni. Tunc carissimum pignus excepit amabiliter benignus pater, vtque fas erat amplexus est dulciter, præsagitque spirituali mente annos pueritiæ illum non mediocriter transcendere.

B

VVILLELMVS I.

Gaudebant ambo, VVILLELMVS *honore paterno,*
Et pater insignis Vvillelmi ex actibus almis.
Cernuus hic senio probitatis prole gaudebat,
Et soboles luculenta ætatis patre vetusta.
Hic citò scansurus cælum de teste futuro.
Hic renaturus mundo genitore beato.
Amplexúsque sacros amplexibus hi replicantes,
Oris mellisflui libabant oscula semper.
Gratantes pariter genitor soboléssque resedit.

C

TVNC Rollo, Principibus conuocatis secretiùs, dixit postulatiuis verbis omnibus: Ecce quem requiritis, ecce heres nostræ possessionis, ecce qui præerit vobis. Isti vobis fauentibus trado regnum, labore certaminum, sudoréque præliorum adeptum. Iste vice mei dominabitur huius gentis, hæréſq; erit prædignus nostræ dominationis. Istius virtutem imitamini, quantúsq; erit præsago spiritu intuemini. Legibus & statutis nostris constanter auxiliabitur, iusq; & decretum nostrum hoc superstite non delebitur. Vos quoque terrâ, quam sorte dedi vobis, non frustrabit, insuper augendo ampliabit. Quapropter manus vestras gratiâ seruandæ fidelitatis manibus huius date, nostræq; fidei sacramento fidem continui insolubilísq; seruitij, & militationis isti precor facite. His dictis BERENGERVS Comes, & ALANNVS pariter, ceteríque Britones, necnon Northmannorum Principes, subdiderunt se volenter VVILLELMO vnanimes, iuramento sacræ fidei illi se colligauerunt, manúsque suas manibus illius vice cordis dederunt. Vouerúntque se militaturos, contráque finitimas gentes debellaturos. Ab hinc namque peracto vnius lustri spatio, Rollone defuncto, & in cælesti solio feliciter vt credimus coronato, Northmanni pariter & Britanni in vnum conuenerunt, tenorémque fidei VVILLELMO præcluentissimo Duci & Patricio, firmamento * nostræ fidei iterum

D

* *f.* suæ.

WILLELMVS I. sanxerunt. Adeptus siquidem culmen tanti honoris, & dignitatis, constipatus dignissimè Comitibus militibúsque condignis, nouit Christo se regnum auxiliaturum, nullique vmquam facturum præiudicium vllum. Erat námque ditatus honoribus sanctimoniæ & magnificentiæ, illustratus commerciis prudentiæ & cautelæ, sancti Spiritus clementiâ præeunte. Terrena huius seculi animo parui pendebat, sicuti in pueritia deuouerat. Legibus paternis populum strenuè regebat, hísque reos suppliciis damnabat. Vitæ innocentis regulam sedulus tenebat, Ecclesiasticæ dispensationis gubernacula laicali ordine sagaciter administrabat. Animi corporísque virtute omnibus præcellebat, rerum forensium prudentiâ omnes exuperabat. Bonæ voluntatis exemplo omnes informabat, doctrina patientiæ & religionis omnes cogebat. Constans defensor erat in aduersis, consiliator sagacissimus in prosperis. Veritas & gloria in domo eius, æquitas & iustitia in operibus eius. Sermone veritatis arguebat delinquentes, correptione seuerissima increpabat desides. Cùm autem talibus supernæ dispensationis muneribus abũdantius polleret, bonæque actionis suæ fama penè per vniuersum orbem largissimè propalata crebresceret, tenorem fidei quam promiserant penitus abdicantes, cœperunt contra Vvillelmum Ducem esse rebelles. Huius namque inæstimatæ opinionis veritas cùm ad notitiam ipsius præpotentissimi Ducis peruenisset, misit legatos suos ad Britones, vt resipiscerent celeriter, & venirent famulari sibi Rotomo festinanter. Illi autem in infidelitatis suæ perseuerantia stultius commorantes, legatos remiserunt ad Ducem Vvillelmum, dicentes: Non militabimus tibi vltra, nec famulabimur; quia sub imperio Franciscæ dominationis semper viximus. Rollo verò tuus genitor, conglobatis barbarorum aduenarúmque turmis Franciam olim inuasit, & terram, quam modo possides, vt pacificus regno esset, tibi Regis dono adquisiuit. Terra verò, quam tenemus, non ei data fuit in heredum suorum possessionem, sed attributa tamdiu vt ex ea viueret, donec reædificaretur terra, quam dono Regis receperat vastatam. Nihil nobis & tibi, nisi amicitia & concordia, paribus voluntatibus æqualique consilio deliberato. Regem vsque modo habuimus, Duce & protectore non caruimus. Nullius terræ nisi Franciæ incubuit Britannia seruitio, nec subiugauit se cuiusquam imperio. Audiens autem Vvillelmus Dux Dacorum huius Britannicæ legationis mandatum, conuocat Principes Northmannorum istius rei causâ ad consulẽdum. Quibus coadunatis, seriem istius mirandæ legationis in auribus eorum retulit. Tunc quidam BERNARDVS secretorum Vvillelmi Ducis conscius, Bothóque Princeps Domus, admirati super his legationibus, dixerunt omnibus: Mirum, & inauditum, atque nobis stupendum huius mandati responsum. Cum patre tuo olim Rollone Dacia exterminati, finésque Anglorum permenso maris pelago vix aggressi, ipsos in nos insurgere volentes resistendo hostiliter deuicimus, eósque vsque ad internecionem seueriter prostrauimus. His Rege Alstemo pacificè sedatis, nobísque vi ventorum terram Vvalgrorum ingressis, ipsi conglobatóque exercitu voluerunt resistere nobis. Quos oportunè inuasimus, eósque nobis præliis subiugauimus. Denique RADEBODVM Frissonem, hincque RAINERVM Hasbacensem penetrauimus: illos nobis tributarios fecimus. His ita se habentibus, Franciam venimus, eámque bellis præoccupauimus, totámque præter munitiones vrbium depopulauimus. Nobis verò morantibus in obsidione circa Parisius, propter amorem Regis Alstemi Anglos iterum repedauimus, iniurios infidelésque eius vi & potestate subjecimus. Anglis verò nostræ ditionis arbitrio Regi Alstemo subactis, cũ maiore priore exercitu Franciam repedauimus, bellísque eam plurimis contriuimus. Videns autem Rex Karolus, quòd non præualeret aduersum nos, pacem & concordiam à nobis requisiuit, filiámque suam Rolloni tuo patri in coniugio dedit. Hancque terram pro pignore pacis in perpetuam heredum nostrorum possessionem nobis voluntariè tradidit, Britonésque ad seruiendum, terrámque ipsorum ad viuendum subiugauit. Patre tuo tibi superstite, tibi sacramento veræ fidei & seruitio se subdiderunt. Post lugubre damnum patris, fidem renouantes tibi vsque modo seruierunt. Nũc & nos quid facimus contra deseruientes rebellésque Britannos, qui tanta & talia prælia peregimus? effeminatos viribúsque exhaustos nos esse recognoscunt, ideò talia remandare ausi sunt. Alimonia huius terræ, qua vegetamur corpore, putant nos inermes esse, viribúsque penitus deficere. Sentiant robur nostrum huius regni conuer-

A sationе non tabidum, vigorémque nostrum experiantur robustissimum. Comprehendantur in consiliis, quibus cogitant, supérque responsis suis, ad interitum & ad correptionem sui nequicquam resipiscant. Disperdamus arrogantiam illorum in virtute nostra, eorúmque supercilium conteramus potentiâ nostra. "WILLELMVS I.

APOSTROPHA.

O Iesu testis Christi VVILLELME *future,*
Ecce valesce, vigesce, sacro conamine sudans.
Expergescitor & confortator violenter,
Et steriles ratione truces compesce BRITONES,
Atque supercilium feriter contunde nefandum.
Quorum consilium effatuans, hebetaque malignum.
Nam laceros bellis, contritos peste, faméque,
Indulgens, miserens, parcens, neglecta remittens,
B *Hos stabili sacramenti conamine flectes,*
Et resipiscentes famulabuntur reuerenter.

HVIVS exhortationis alloquio Vvillelmus atrociter motus & instigatus, congregauit vniuersi regni sui concitè exercitus, iuítque super fluuium Coysnon, Britonum dominaturus. Huius igitur aduentu Britones exterriti, nolentésque Vvillelmo famulari, latuerunt præsidiis vrbium recepti. Tunc Vvillelmus occupauit exercitu suo omnem terram Britannorum, & subuertit plurima loca munitionum: Vvillelmo verò à Britannia regresso Rothomagensem vrbem, Britones subsecuti & deuastantes, pagum inuaserunt Bajocacensem. Igitur Vvillelmus reuocato cuncto exercitu præoccupauit regressum illorum, pugnauítque fortiter contra illos, cæsísque plurimis Principibus Britannorum, obtinuit de inimicis triumphum. Hincq; deuastauit terram illorum, affligens illos fame & penuria, & opprimens cæde præmaxima. Videntes autem Berengerus & Alannus, cæterique Britones, quòd non sufficerent, nec præualerent aduersus Vvillelmum, miserunt ad eum verbis deprecatiuis legatum: Patri tuo obedienter seruiuimus, tibíque incumbentes famulari cupimus. Ne despicias nos quæsumus, neque abhominêris seruitium nostrum vllatenus, sed respice nos, vt seruos offensos pius dominus. Prauorum consiliis obcæcati, neglеximus mandata imperij tui. Auertatur furor tuus à seruis tuis, & concede C nobis omnimodam felicitatem pacis. Inclina benignam aurem tuæ magnificæ pietatis ad nequam seruos scandali & offensionis. Quod enim sacramento Christianæ religionis tibi promissimus, malè operando hactenus contra te mentiti sumus. Pœnitet nos contra te errasse, tuúmque seruitium deseruisse. Huius namque neglectæ militationis & obedientiæ, denominatæque humilitatis legatione Vvillelmus Dux præpotens vsus, consultis Dacorum Principibus super his rebus, Berengerum Ducem Britannorum offensionis, neglectíque seruitij, atque impetrandæ misericordiæ pondere onustum gratuita pietate recepit, eúmque sacramento perseuerandæ fidelitatis & seruitij sibi connexuit. Alannum verò, qui huius rixæ & iurgij auctor & incentor fuit, aspernatus est & abdicauit, eúmque Britannica regione cum suis extrudit. Ipse verò in Britannia, nec in tota Francia vsquam morari ob metum Vvillelmi Ducis nequiuit, sed profugus expetiuit auxilium Alstemi Anglorum Regis. Tunc Vvillelmus vtriusque regni populum strenuè rexit, potentiáque & virtute vigere affluenter cœpit. Propalabatur namque fama bonitatis per climata mundi, promulgabatur D profusiùs abstinentia castitatis, nec incumbebat illecebris gignendæ posteritatis. Cogentibus igitur Comitibus suis, non vrgente sexu humanæ fragilitatis, sed ne deficeret, neque abesset hæres tantæ progeniei, tantíque honoris & ducaminis, connexuit se geniali iure renouandæ successionis cuidam nobilissimæ virgini elegantissimæ formæ, consilio profusiùs prouidæ, forensium rerum negotiis affluentiùs cautissimæ, conuersatione aptiùs congruentissimæ, colloquio prudenter facundissimæ, muliebri exercitio comptè & artificialiter peritissimæ.

APOSTROPHA.

Innocuis flagrans rebus, Martyr clionée,
Præsagio vernans luculento mercis opimæ,
Diuinæ fulgens augmento prosperitatis,
Doxæ resplendens comptè probitate futuræ.

WILLELMVS I.

Diffuſaque cluens bonitatis luce perhenne.
Quin meritis dignè luculentior omnibus, atque
Ne paueas trepidans, formidans & verearis.
Ius liciti quo tu pepigiſti fœdera lecti.
Námque voluptatis huius commixtio ſacræ,
Nec intacta fides, labem non paſſa pudoris,
Nécque libido ſacri meritum cordis temerauit.
Semine námque tuo ſuccedet Dux luculentus,
Munere virtutum mactus, meritiſque coruſcus.
More patris populum forti ditione ſubactum.
Qui reget imperitans, extollet ritè gubernans,
Niſibus & faciens totis incumbere Chriſto,
Multifluam gentem iuſtis moderabit habenis.
Súbque manu cuius pax, pax, concordia, pax, pax.

A

HIS ſuprà ſcriptis, & huiuſcemodi talibus rutilans athleta Chriſti beatiſſimus propalabatur præeunte bonitatis fama, in cunctis terrarum finibus locupletabatur ſufficienter labilium rerum copia, ditabatur profuſiùs diuinæ augmentationis gratia. Amabilis quippe erat cunctis terrigenis, amabilior quinetiam Deo & cælicolis. HVGONIS igitur eo tempore Ducis amicitiæ mutua voluntate & competentia connexuit ſe non permanſuro fœdere. Dehinc atque HERIBERTO Satrapæ cōiunctus eſt pacto labilis amicitiæ. Videns autem quidam RIVLFVS perfidiæ nequitia atrociter repletus, Vvillelmum Ducem, ſcilicet dominum ſuum amicorum præſidio confortari valde & conualeſcere, conuocatis plurimis Principum Northmannorum fraudulenta retulit voce: Noſter Senior Vvillelmus nobiliſſimo Franciſcæ ſtirpis ſemine genitus, Francigenas amicos adquirit ſibi, noſtro conſilio priuatus, noſtræque afflictionis animoſitate inueſtigatus. Nos verò conatur regno penitus extrudere, remanentiúmque colla iugo ſeruitutis duriter opprimere. Terram autem quam poſſidemus parentibus ſuis in heredum ſuorum poſſeſſionem dabit, eóſque muneribus noſtris affluenter ditabit. Contra igitur illius moliminis cogitatum, quæramus ſagaciter ſalubre nobis conſilium, faciamúſque inter nos fœderis ſempiterni pactum, & teneamus illud tenacis voluntatis anchora inconuulſum. Subueniat quiſque noſtrûm, ſi quem ex noſtris viderit oppreſſum, protegátque eum iugi iuuamine vt ſemetipſum. Quinetiam ſi omnes nos vnà voluerit perdere, eius hoſtiliter reſiſtamus audaciæ. Quod molitur ſubdolus vafra calliditate inceſſanter nobis facere, faciamus ei citiùs quàm poterimus inſperatè. Mittamus ad eum quendam internuntium, vt ſi voluerit nos promptos habere ſibi ad ſeruiendum, largiatur nobis terram vſque ad flumen Riſlum. Nos frequentiâ militum, ſi dederit, ditabimur. Ille fruſtratus milite annullabitur, nec vltra vires indignationis ſuæ in nos extendere conabitur. Hincque potentiores eo erimus fortunâ & virtute, ille tãtum nobis nomine. Huius fraudis reperto conſilio, miſerunt ad Vvillelmũ, qui dicerent nefanda adinuẽtionum. Adſtãte ante Vvillelmũ internuntio, expletóq; legationis officio, ipſe obſtupuit ſuper mirandæ præſumptionis verbo. Accerſitis igitur Principibus ſuis, conſulturus ſuper talibus mandatis, remiſit ad Riulfum verbis pacificis Legatum ſubſequentia dicturum: Terram, quam à me requiris, non poſſum largiri vobis, omnem tantùm ſupellectilem quam poſſideo concedam libenter vobis; videlicet armillas, & balteos, loricas, & galeas, atque cambitores, equos, ſecures, enſéſque præcipuos auro mirabiliter ornatos. Gratia mea continua, militiæque palma in domo mea fruemini, ſi incumbentes meo ſeruitio voluntariè fueritis. Conſilium meæ ditionis mittam in ore veſtro, & quicquid volueritis veſtro iuſſu explebo. Quem opprimere volueritis, opprimam acriter; quémque abiicere, penitus abiiciam. Quæ præceperitis exaltare, potenter exaltabo; quémque humiliari, atrociter humiliabo. Veſtro conſilio hæc patria regetur, & dominabitur; & ideò veſtra poteſtas in omni excelletur. Meum viuere, meúmque ſapere, ſit abhinc in veſtra poteſtate. Cúmque nuntius huius humilitatis perueniſſet ad Riulfum totius præſumptionis, narraſſétque ei legationem tantæ humilitatis & manſuetudinis; illectus arrogantiâ ſuæ temeritatis, paruipendénſque mandata humillimæ deprecationis Vvillelmi Ducis, conuocatis Principibus ſequacibus ſuæ præſumptiuæ voluntatis, retulit quæ audie-

B C D

A rat perorante legato, ore fraudulentæ calliditatis. Tunc veneno perfidiæ suffusus, mentéque contumaci turgidus, temerario ore garrit hæc in Principum auribus: Verbo tantæ humilitatis, quam audistis, præsagit nos adquiescere & soporari; sícque prolixitate tantæ dilatationis Francigenam parentelam suæ generositatis coniuratis Principibus & ascitis, super nos nititur coadunari. Animaduertamus igitur, ne decipiamur, néve Franciscis gentibus conteramur. Non nos proterat calliditate suæ argumentationis diutius, verùm occurramus ei conglobato ad Rotomagensem vrbem exercitu citiùs, vt ipse & consiliarij eius Rotomo tradantur. Hincque maiori spe fiduciáque tuebimur, securíque seditionum sine respectu erimus.

APOSTROPHA AD RIVLFVM.

Viribus, ha! nocuis, meditatibus atque nefandis,
Perfidiæ inuidiæque lues quem fœdat acerba:
Crimine iam vicij crassante Riulfe superbe,
Cur nunc baccharis frustra, cur perfide sæuis?
B *Infectus vitiis, mentis curru falerato,*
Viribus exhaustum cur te iactas bonitatis?
Cur tumido fastu nimium pompante superbis?
Cúrque voluntati Domini super astra manentis
Sistere conaris vacuo conamine sudans?
Dic sodes, inimice Dei, quorsum properabis?
Quorsum castra feres, gressum quorsúmque citabis?
Agmen seductum, vafróque sophismate totum
Ire mones quorsum furiis bacchatus acerbis?
Casus innumeros ast infortunia passus,
Iudicióque Dei perculsus pestifer ingens,
Vt reor exitij fluidi, præcépsque Charybdim
Incessu acceleras tumido gressus ruituros.
Nam proprium elatis sese prætollere valde,
Hincque repentino casu nimium cruciari.
Ardua frons teritúrque supercilio vacuato,
C *Ast humilis nitidam gestat redimita coronam.*

HVIVS pestiferæ exhortationis verbo exercitu conglobato, transmeantes clam Sequanæ alueum, iuxta Rotomagẽsem vrbem in quodam prato castra metati sunt. Tunc VVILLELMVS repentinum peruersæ multitudinis metuens impetum, misit ad eos humillimis verbis legatum quæ modo audietis dicturum: Noster Senior Vvillelmus iuuenalis ætatis flore nitidus, vult vobis esse per omnia pacificus & beniuolus. Mandat verò vobis, vt honorem totius patriæ secum communicetis, suóque in Consilio primi, & præmaximi, cunctis præcellatis. Terram autem, quam dari vobis petitis, non solùm vsque ad Rislum, verumetiam vsque ad Sequanam libenter concedet vobis. Confidit enim se tueri vestro adiutorio: vos autem non diffidatis foueri munirique suo patrocinio. Quicquid concupiscitis habeatis, quicquid rerum vultis incunctanter possideatis. Vt ad eum humiliter precatur pacificè veniatis, eiúsque amicabiliter colloquio fruentes, secum habitetis. Tunc Riulfus incentor huius mali nequissimus, fraudísque diabolicæ furiis bacchatus, inquit legato præ D omnibus: Reuertere celeriùs, dic Vvillelmo & suis omnibus, vt exeat à mœnibus ciuitatis huius, petátque Francos suos parentes citiùs. Non enim erit hæres vltra terræ huius, nec nostri ampliùs dominabitur; quia nobis est incongruus, & obnoxius. Terra verò, quam repromittit nobis, dono eius non dabitur, quia dari non potest quod non habetur. Si verò ciuitatem non deserere maluerit, nos semper eam inuademus, eáque capta, Vvillelmum & suos gladio conteremus. Cúmque internuntius quæ audisset Vvillelmo Duci festinanter retulisset, nouitate rei stupens diriguit, conuocatísque Principibus, exercitúque coadunato, vrbe exiit, montísque procliua ciuitati imminentioris subiit: cupiens exercitũ inimicorum suorum intueri, si fortè dimicare posset cum illis. Videns autẽ exercitum inimicorum suorum maiorem suo, & copiosiorem, dixit ad BERNARDVM Dacigenum militem: Ibo ad BERNARDVM Siluanectensem meum auunculum, morabórque tamdiu apud illum, donec præstet nobis aliquod auxilium. Eius consilio & adiutorio hanc reuo-

WILLEL-MVS I. „ cabo terram, omnésque hos exercitus Francorum hostiliter conteram. Delebo hos, horúmque cogitationem penitus à facie terræ, & non remanebit harum progenierum vllus in toto orbe. Tunc Dacigena Bernardus respondisse fertur: Tecum vsque ad Eptæ fluuiolum properabimus, veram Franciam non penetrabimus; quia quondam cum patre tuo eam sæpè bellis repetiuimus, multósque incœpto prælio prostrauimus. Quinetiam superstitum adhuc auos & auunculos, patres & patruos, materteras & amitas, cōsobrinos & cōsanguineos, aut interemimus, aut captiuauimus. Et quomodo quiuerimus tantorum inimicorum faciem subsistere? Aliena mauis quadra vilis, nulliúsque vtilitatis viuere, quàm regnum regere & protegere? Ego & consortes mei te non sequemur, neque quò vis proficiscemur. Nauigio ergo Daciam nostræ natiuitatis terram repetemus, quia Duce & Aduocato caremus. Non vales nobis vltra viribus effeminatus præesse, quia mortem metuis his hostibus imminere. His asperrimis sermocinationibus Vuillelmus instigatus, dixit Bernardo Dacigenæ coram ceteris Principibus: Duris & obscœnis verbis me turpiter lacessisti, cùm me effeminatum, armísque frigidum, quinetiam nihilum vocasti. Ecce præibo signifer festinanter ad prælium, & conteram constanter exercitum inimicorum. Deuorabit gladius meus carnes periurorum, disrumpámque & dissipabo castra eorum. Non diutius segnes & timidi moramini, verùm me festinanter sequimini, & inuadamus eos vt agnos lupi. Cernens autem Bernardus animositatem, constantiámque virilem Vuillelmi Ducis, dixit ad eum verbis humillimis: Domine Dux præpotentissime, noli irasci nostra allocutione, quia consequens est & vtile quod nobis iubes facere. Tantum experiamur quis tecum ibit ad prælium, quíque subuenient tibi in auxilium. Reperti sunt autem Bernardo inquirente trecenti viri, parati cum Vuillelmo præliari & mori. Qui vnanimes ante illum venerunt, iudiciúmque fœderis, fideíque, & adiutorium more Dacorum facientes, tela mutuæ voluntatis pacto vnà concusserunt. Cetera verò gens armis frigida recessit ad præsidium vrbis celeri fuga.

APOSTROPHA.

Moribus & meritis celebris VVILLELME *Patrici,*
Iurgia, dicta, minas, lites, diuortia, rixas,
Bella, supercilium, fraudésque, duellia, telum.
Huius perfidiæ populi spurcamine pleni.
Ne timeas trepidans, formides ne verecundans.
Námque in te feritat dirè gens hæc sine causa,
Torua, ferox, ventosa, procax, incauta, rebellis,
Inconstans, dispárque sibi nouitatis amore:
Prodiga verborum, verùm non prodiga facti,
Praua, superba, maligna, nefaria, flagitiosa,
Letifera, & rea, pestifera, & scelerata, profana,
Toxica viperei diffundens plurima viri,
Tranquillæ pacis stabilem pertæsa tenorem.
Ieroboal Gedeum contriuit concutiendo,
Diuino monitus iussu, nutúque superno,
Ter quater armigeris præclaris quinque viginti
Iudicis etherij iussu sumendo probatis.
Haud secus auxiliante Deo annullabitur istis
Dignè pro meritis te tripudiante trecentis.

TVNC Vuillelmus cum trecentis ferro indutis, irruit repente super inimica castra temerariæ multitudinis, conterens eos, & dilacerans mucronibus & lanceis. Disrupit tentoria Principum, incendítque magalia militum suorum. Prosternit quos gladius reperit, obstantésque sibi Orco transmisit. Obtinente igitur Vuillelmo de inimicis triumphum, Riulfus fugiendo euanuit. Quem sequens pars exercitus comprehendere nequiuit, quia densitate siluæ occuluit. Plurimos autem illorum obsorbuit Sequana, multósque laceratos contegit & silua. Tunc Vuillelmus lustrans campum cadauerum, & non inueniens mortuum vllum suorum, glorificauit cum suis Deum, qui subuenit sperantibus in se in adiutorium. Locus autem, in quo bellum mirabile fuit, dicitur vsq; in præsentem diem ad Pratum-Belli. Reuertenti igitur

A igitur Vuillelmo de prælio, occurrit ei miles quidam ex FISCANNO, nuntians quòd esset ei filius ex coniuge dilectissima natus. Lætior itaque peracto prælio, lætissimúsque filio, misit HEIRICVM Baiocacensis Ecclesiæ Episcopum, omnium quippe Præsulum sanctissimum, & BOTHONVM cunctorum militum præcellentissimũ, sacri baptismatis rore, oleo, & chrismate renasci, & innouari filium. WILLELMVS I.

APOSTROPHA.

Hæres ecce tibi dignus VVILLELME *Patrici,*
Qui strenuus populum iustis moderabit habenis.
Sanguinis vt dabitur merces tibi digna corona.
Occasus nomen dignè laudabile cuius
Agnoscet, probitate promulgata, & Eous,
Et par sis pariter meritis Septentrio, & Auster.

TVNC Vuillelmus tantorũ cæde atq. ruina sublimiter exaltatus, obtinuit vtrumque regnum Britannorũ Northmannorúmq. bellorum securus, nec ausus est cõtra B eum litigare vllus. Franciscæ gentis Principes, Burgundionúmq. Comites famulabantur ei Dacigenæ & Flandrẽses, Angliq. & Hibernenses parebant ei. Cæteræque gentes in affinitate regni sui cõmorantes, obediebant eius imperio vnanimes. Tempore namq. prædignæ venationis, quo serui petulanti luxu vrgente congrediuntur ceruis geniali iure fœtos cõcepturis, scenas spatiosæ amplitudinis in loco qui dicitur LEONS mãdauit sibi præparari. Heribertus hoc audito Comes, Hugóq. totius regni Dux & Princeps, necnon VVILLELMVS Pictauensis Comes, venerunt illuc ad eum festinanter. Quos Vuillelmus, aduentui illorum congratulans, cum magno apparatu reuerenter suscepit, secúmq. diuturno delectabilis venationis tẽpore morari, luxúque regali epulari splendidè fecit. Quadam namq. die Vuillelmus Pictauensis dixit Vuillelmo Rothomagensi: Domine Dux, scísne quare huc venerimus? Respondit, « Ignoro. Et ille: Nolẽs mittere Legatos tibi tam digno Comiti, ipse legationis nego- « tio fungi malui. Et vt des sororẽ tuam vxorem mihi, veni; vtq. connectamur inuicẽ « fœdere insolubilis amicitiæ & dilectionis. Tunc Rothomagensis Vuillelmus respõ- « disse ludẽdo fertur: Pictauenses semper sunt timidi, frigidíq. armis, & auari. Non de- « C cet talem puellã ab eis haberi. Vuillelmo Pictauẽsi verbo exasperationis in vno ob- « tutu hærenti, intulit Vuillelmus Rothomagẽsis: Crastina die, ne turberis, reddã tibi « vtriusq. rei responsum, consultu meorum fideliũ. Sequenti namq. die consilio Hu- « gonis Magni, & Heriberti Comitũ, suorúmq. fidelium, dedit sororẽ suam Vuillelmo Duci Pictauensi. Quam verò nuptialiũ rerum copiâ honorificè redimitã, equísq. femineis faleris onustis, auro electróq. artificialiter prębalteatis subuectã, cum nimia innumerabiliũ vtriusq. sexus mancipiorũ frequentiã, multisq. scriniis, sericis vestib. auro intextis repletis & oneratis, constipatã deduxit reuerenter ad Pictauẽsem aulam. Videns autem Heribertus Vuillelmũ Rothomagensem confortari & conualescere, animiq. virtute & corporis, operibúsq. præmaximis sufficiẽter in Christo enitere, consilio Hugonis Magni Ducis dedit filiam suã illi. Quam Vuillelmus cum mirabilibus fescẽninis, apparatibus, inauditisq. inedicibilis honoris & dignitatis ornatibus comptiùs suffultus, inæstimabiliũq. equitum multitudine vndiq. secus constipatus, cõduxit magnificè Rothomagẽsis vrbis arcibus. Refulgebat in eo sanctitas & prudentia, prænitebat incessanter æquitas & iustitia. Opprimebat superbos & mali- D uolos seueriter, exaltabat humiles & beniuolos reuerenter. Paganos & incredulos muneribus & verbis adducebat ad cultum veræ fidei, credentes vrguebat ad laudẽ Christi. Non solùm Monarchiã, quam tenebat, regebat; verumetiã affinia regna strenuo consilio moderabat. Angli parebãt eius mandatis, Franci & Burgundiones eius dictis. Vbicumq. terrarũ nomẽ eius audiebatur, ab omnibus magnificabiliter laudabatur. Audiens autẽ Alstemus Rex Anglorũ pacificus, quòd præcellebat Vuillelmus virtute & potentiã Franciscæ nationis omnibus, misit ad eum Legatos suos cum donis præmaximis & muneribus, deprecans vt LVDOVICVM nepotẽ suum, KAROLI capti Regis morte iam in captione præoccupati filium, reuocaret ad Franciæ regnũ, illúdq. statueret illi, cum consilio Francorũ sublimando in perpetuũ, atque misericordiã motus pro amore sui reciperet Alannum Britanniã offensionis culpâ eiectũ, suiq. amoris gratiã priuatũ. Ilicò consultu Vuillelmi Ducis Northmannorũ, HVGO Magnus Dux præpotentissimus Francorum, atque Heribertus Satrapa Principum,

WILLELMVS I. ascitis Episcopis cum consilio Metropolitanorum reuocauerunt festinàter Ludouicum, cúmq. vnxerunt sibi Regem populorum Franciâ Burgundiâq. morantium. Alannum verò cum Ludouico regressum, Vuillelmus pro amore Regis Alstemi recepit, & quicquid Britannicæ regionis possidebat reddidit. Ipséq; Alanus postea Vuillelmi mandatis indesinenter inhæsit. Transacto verò post vnctionẽ Regis vnius lustri spatio, cœperunt Franci contra eum litigare, multísque modis eum opprimere, quinetiã conati sunt à regno extrudere. Videns autem Rex se destitui, & pro nihilo à Francigenis duci, misit legatos ad HEINRICVM RegemTransrhenanum, requirẽs eius adiutorium, insuper & amicitiã colligari illũ sibi in perpetuum. Quibus respõsum est, non se fœderari cum Rege Francorũ, nisi per Vuillelmum Ducẽ Northmãnorum. His igitur renuntiatis, Rex Ludouicus multarum tribulationum contumeliis attritus, plurimarúmq. inoportunitatum calamitatibus afflictus, venit ad Balonis montem cõtra Vuillelmum Ducem Northmannorum, deprecãs vt se adiuuaret & defenderet cõtra Francos sibi rebellantes, amicitiáq. Heinrici Regis Trãsrhenani & adiutorium sibi adquireret. Tunc Vuillelmus afflictione Regis pietate motus, conduxit eum Rothomagensis vrbis sedibus, illícq. eum honorificè multotiẽs detinuit cum suis omnibus. Morabatur autẽ Rex in domo Vuillelmi Ducis vt domigena & vernula, eiúsque præstolabatur supplex suffragia. A

B

APOSTROPHA.

Marchio iure potens meritis dignéque refulgens,
Vltrò natio quæque tibi modo subdita cedit,
Diligit incumbens, seruit, famulatur, inhæret.
Quin prece Rex humili supplex pronusque requirit
Suffragia semet virtute tuáque tueri.
Pontificésque, Duces, Comites, Proceres reuerentur,
Et Clerus, vulgusque simul sexus vtriusque,
Vt gerulum pacis, præcursorémque salutis,
Armis & prece te sibi poscunt auxiliari.

CONFESTIM Vuillelmus quendã TETGERVM tyronẽ Domus suæ Principẽ misit ad Heinricũ Transrhenanum Regẽ, vt quod LVDOVICVS Rex ab eo requirebat, per manũ suã facere nõ differret. Erãt enim Heinricus Rex, Duxq. Vuillelmus, indissolubilis amicitiæ pacto cõiũcti, cõpetentiisq. mutuæ voluntatis adinuicẽ olim fœderati. Heinricus verò Rex Tetgerũ honorificè recepit, & diuturni tẽporis spatio secũ morari fecit. Postea verò muneribus variis & donis diuersis ditatũ, remisit illum ad Ducẽ Vuillelmũ, & cũ eo CONONEM Ducẽ secretorum suorũ consciũ. Quem Vuillelmus cũ mirifico inæstimabilis reuerentiæ cultu suscepit, cuiúsq. rei causa tãtæ dignitatis tãtiq. honoris Dux ad se veniret interrogauit. Cui Cono: „ Misisti enim ad „ Heinricũ nostrũ Regẽ, tuæ facultatis prosperitate hilarẽ, vt ipse & Ludouicus Rex „ Franciæ vicissim per cõsilium prudẽtiæ tuæ fœderarẽtur, & quẽ horum necessitas „ vrgueret, alterius solatio muniretur. Decernens autẽ Rex hoc consilium sibi & suis „ salutiferũ, & per manum tuã insuper stabile & firmum, misit me tibi vt cõducas Re- „ gẽ ad placitum, præcepitq. me morari pro obside, quo manis positum, donec reuer- „ taris reducásq. Regẽ ab omni aduersitate securum. Audiẽs autẽ Vuillelmus mirandæ atq. inæstimãdæ legationis mandatũ, misit ad Regẽ Ludouicum, & reddidit talis legationis negotio iocundum. Statutæ profectionis die cõgregata innumerabilium multitudine legionum, dixit Vuillelmus ad Cononẽ Ducẽ Saxonũ, volẽs experiri si „ quid corde eius lateret obscurũ: Præpara te itineri, & instrue te celeriter ocreis, quia „ mittã te vrbi Bajocacensi, donec vt dixisti reuertamur illæsi. Tunc Cono: Mitte me „ quò vis, etiã Dacis tuæ ditioni subditis. Et Vuillelmus: Mecũ ad placitũ ibis, quia nõ „ sum diffidens tui. Et Cono: Si Bajocacẽsem ciuitatem perrexero, tuus fidelis incun- „ ctanter existo. Sin verò, quod non credo, tecum profectus fuero, tuus armiger fidus, „ custósque vitæ tuæ constans contra hostium insidias permansero. His dictis occurrunt vnanimes cum exercitu magno LVDOVICO Regi, Laudunensi pago, cum Hugone Magno Duce & Heriberto Comite eos expectanti. Videntes Hugo Dux, Comésque Heribertus tam immensæ multitudinis legiones Britonum Northmannorúmque militibus præcellentes, stupuerunt ad inuicem dicen- „ tes: Quid nostri exercitui huic? Si forte inter nos & illos iurgium venerit, de- „ uorabunt nos vt agnos lupi. Abhinc Hugo Magnus & Heribertus Comes iusserunt C D

A seorsum equitare, atque interdixerunt exercitui Vuillelmi nullum suorum commiscere. Erat verò cum innumerabilium frequentia exercituum Rex Heinricus in loco super Mosam qui dicitur Veusegus. Appropinquante verò Rege Luthdouico ad prædictum placiti locum, antecessit Vuillelmus cum quingentis militibus suo monitu præcedente Conone Duce, & prænuntiante Regi his verbis aduentum eius: Marchio Dúxque Northmannorum & Britonum Vuillelmus fideles tibi in Christo famulatus. Nolens me retinere pro obside, sacro-sanctæ fidei tuæ tenore venit ad te, cupítque quid agendum sit inter te & Regem Luthdouicum inquirere. Tunc Rex Heinricus: Cuius potestatis, cuiusue dignitatis, vel honoris, atque bonitatis est iste Vuillelmus, qui mihi gratiâ amicitiæ est connexus? Respondit: Magnæ patientiæ & iustitiæ, magnæque potestatis & sufficientiæ, magnique & inauditi honoris & prudentiæ. Nullúsque Rex nisi tu, nullúsque Dux, Comésve tam magnificus, vt Vuillelmus. Principum tyronúmque frequentiâ sedulò constipatus, aureis vasis poculísque splendidè epulatur, vernarúmque nobilium atque seruorum multimoda exaggeratione circumseptus, exercet iura decretáque orthodoxorũ Patrum sedulus. Nemo iustior in factis, nemo sanctior in dictis, nemo potentior in armis. Nullus audet alij in regno suo præiudicium facere, nullus furtum & sacrilegium perpetrare. Viuunt incolæ terræ illius legibus afflicti concordes, decretísque sanctorum Patrum coërciti morantur vnanimes. Cúmque alternis sermocinationibus vicissim loquerentur, aduenit Guillelmus cum quingentis militibus. Cono Dux vt audiuit aduentum eius, citiùs exiliit, ensemque eius fideliter recepit, & ad Heinricum Regem reuerenter conduxit. Heinricus autem Rex citiùs surrexit, & contra Vuillelmum Ducem obuius perrexit, osculóque dato vterque resedit. Tunc Vuillelmus: Internæ dilectionis & amoris Rex Luthdouicus tibi fideliter munus. Misisti Cononem Ducem ad me, vt venirem ad te, quasi pro pignore & obside. Sed non tui diffidens, cum eo ego ecce. Dixisti non te amicitiæ & adiutorij copula, vinculóque Luthdouico Regi coniungi, nisi interessem factor huius negotij. Remanda Regi quid hac re præscitum est tibi. Tunc Rex Heinricus: Rex Luthdouicus te duce veniat crastina die, tuóque strenuo interuentu perficientur omnia quæcúmque sunt præoptata, nostris & vestris fidelibus salubriter decreta. Interim Hlotharienses & Saxones cœperunt inuectiuè & ironicè alloqui Cononem, dicentes: Quàm miræ sufficientiæ & potestatis est Dux Nortmannicæ Britonicæque regionis, qui huc aduenit auro comptus & ornatus cum militibus quingentis. Vuillelmus verò per Daciscam linguam quæ dicebant subsannantes, intelligendo subaudit, parumpérque commotus ira discedit, & quæcúmque Rege narrante audiuit, Regi exposuit. Crastina verò die Regis Luthdouici pergentis ad placitum cum incredibili & innumerabili exercitu, Vuillelmus præoccupauit aduentum. Tyrones verò præcedentes ostia domus, qua Rex Heinricus residebat, cœperunt frangere, parietes disrumpere & diuellere, atque intus vi & potestate residere. Rex verò Heinricus illorum metuens impetum, diuertit se profugus ad aliam domum, dixitque ad Cononem conscium secretorum suorum: Hoc vt reor placitum non nobis efficax, neque congruum; verùm vertetur nobis ad corruptionem & ad interitum, quin etiam ad dedecus inauditum. Vade, dic Vuillelmo omnium ditissimo Duci, vt fide quam inter nos tenemus stomachato resistat exercitui, ne ampliùs disrumpant parietes, conterántque ostia tecti nostri; ne fortè nascatur iurgium inter dispares, varióque linguis, habitúque, & armis. Mox Cono prosiliens obuiauit Duci venienti ad placitum, retulítque ei quæ sui præcedentes fecerunt. Tunc Vuillelmus Duci Cononi: Ite, & vt meo iussu discedant, eis dicite. Illi autem aduenientis Cononis Ducis, & precantis vt discederet, præceptũ non solùm respuerunt, verùm etiam foris qui adstabãt, ceteras domus cum magno impetu & murmure dissipantes inuaserunt. Quapropter Cono statim rapido velocíque cursu iterũ expetiit Ducem Vuillelmũ, cum reliquis legionibus adpropinquanté ad placitum, dixitq;: Vuillelme Dux præpotẽtissime, noluerũt tui meo iussu domos dimittere, verùm festinant cæteras disrũpere. Precor humo tenus flexus, ne sinas talia fieri, ne fortè nascatur cædes inaudita in plebe. Tunc Vuillelmus ensem ex auri sex libris in capulo, bratteolísq; atque bullis artificialiter mirabiliterque sculptum dedit Cononi, vt indicio exeundi deferret eum, & ostẽderet legioni domibus residenti, domósq. adhuc dissipanti. Cùm autem

Marginal letters B, C, D; marginal note: VVILLELMVS I.

WILLELMVS I. Cono iterum festinans illis occurreret, ensémque Vvillelmi Ducis auro gemmisque præfulgidum illis demonstraret, continuò non adquiescunt, verùm summisso vultu, procliui contra ensem domos dimiserunt, seséque nimium in exitu opprimentes, sine murmure ad suum Ducem reuerterunt. Vvillelmus autem veniens ad Regẽ Heinricũ, dixit adesse Regẽ Ludouicum. Mox Rex Heinricus cogente Vvillelmo obuiam incessit, datóque osculo, manibúsque ad inuicem complosis, domum ingressi, vtérque resedit. Multisque competentiis, variisque donis & muneribus vicissim ditati, inextricabili amicitiæ, solatiique, & adiutorij vinculo, per consilium præcellentissimi omnium Ducum Ducis Vvillelmi adinuicem connexi sunt & fœderati; præsente Hugone, sed non coniuratæ dilectionis factore Duce Francorum, & Heriberto nolente interesse Principe Satraparum. Regibus secretiùs colloquentibus, cœpit affari Dacisca lingua Ducẽ Vvillelmũ Saxonum Dux HERIMANNVS. „ Tunc Dux Northmannorum Duci Saxonum Vvillelmus: Quis tibi Daciscæ regionis linguam Saxonibus inexpertem docuit? Respondit: Bellicosum egregiúmque genus tuæ armipotentis progeniei me nolente Daciscam linguam docuit. Vvillelmus: Quomodo nolentem? Herimannus: Quia inuadens sæpissimè plurima castra mei Ducaminis, innumerabilia prælia in me exercuit, méque prælio captum ad sua detruxit, & ideò nolenter eam didici. Interea Dux Cono fatur Saxonibus subsannando: Quid vobis videtur de Duce Northmannorum Britannorúmq. Vvillelmo? Nónne miræ potestatis, & facultatis, innumerabilísque Dux multitudinis? Excepto Rege nostro, quis potẽtior, quis ditior, quis melior illo? Respõderũt Saxones: Ignorabamus rerũ sufficiẽtiam illius, ideóq; illum pridẽ falsæ opinionis verbo indignè vituperabamus. Narrante Conone Duce facta mirabilia, sufficientiásque locupletes Vvillelmi Ducis, cœperũt Saxones cæteríq; adstãtes eum magnificare pariter sermonibus alternis. His ita rationabiliter diffinitis & expletis, Ludouico Regi cũ Vvillelmo Duce cæterisq. Principibus ad Laudunũ reuertẽti, occurrit legatio dignæ exultationis, denũcians esse ei filiũ ex coniuge dilectissima nomine GERBERGA natũ. Quo audito, hilarior effectus dixit Vvillelmo Duci coram memoratis Principibus: „ Me vsq. modo multis contumeliis infectum nequiter, affluenter iuuasti, mihi plurimis inoportunitatibus aggrauato cõuenienter succurristi. Qui etiam largissimè facultatũ tuarum dapibus educando, & à cõuentu malignantiũ protegẽdo fouisti. Idcirco precor vt filiũ meum hesterna die natũ nũcupãdo & testificando nomine LOTHARIVM, sacri baptismatis de fõte suscipias regeneratum; quatinus maioris copulã dilectionis, ampliorisq. nexibus amoris colligati, quod meũ est tuapte, quod tuũ est meapte, mutuis cõpetẽtiis fruamur vnius mẽtis. Dux verò Vvillelmus regiæ sibi cõgruẽti fauẽs petitioni, respõdisse fertur Regi: Nunc verò & quãdiu superstes fuero, quæ iusseris diligenter explebo. Frãciæ regni, cæterorũq. regnorũ, quorũ dominatus est pater tuus, auus, & proauus, etiã attauus, me duce, me iuuãte, me in omnibus præeunte dominaberis, & arrogãtiũ colla subiciemus in te rebelliũ, tibíq; seruire abdicantiũ, me astante exarmaueris. Quos sublimare præoptaueris, extollã; quos detrudere, terratenus proterã. Quinetiã quicquid velle tibi fuerit, à me scito fieri. His ita ab vtróq; peroratis, ira corde, non vultu cõmoti, stupuerũt Principes super hoc Frãciscæ gẽtis. Abhinc nãq; subdolo corde, fraudulẽtáq; intentione, atq; sophistica sermocinatione, cœperũt Vvillelmũ, omẽ pestiferũ, nequiter tractare. Vvillelmus verò, Rege exercitúq; suo Laudunẽsi pago relicto, Laudunũ Clauatũ, qui & BIBRAX dicitur, petiuit citò, antecedẽte Episcoporũ Franciscæ gẽtis choro. Quẽ omnis Clerus Laudunẽsis Sedis, omnísq. populus cũ ingẽti apparatu monastico, cũ Episcopis præpollẽtibus reuerẽter suscepit, puerũq; nuncupatũ nomine Lothariũ, sacrosancto rore, oleóq;, & chrismate innouatũ & purificatũ de fonte extraxit. Hincq. illũ muneribus præmaximis, & donis præcellẽtissimis ditatũ, Lauduno cũ matre Gerberga nomine reliquit. Ipse verò cum suis ad Regem citiùs rediit, & quicquid honestatis ei acciderat Regi retulit. Rex autẽ Vvillelmũ pro omnibus beneficiis honorare decenter voluit, sed ipse nihil horum recepit; verùm cum gratiarum actione Regi omnia remisit.

APOSTROPHA.

Dux, genus egregium præcellens norma tuorum,
Fœdere complacito reges stabilique ligatus,
Tranquillámque satus pacem per compita mundi,

A *Quin & adoptiuam prolem susceptus ab alma,*
Extollénsque salutiferi baptismatis vnda.
Gressus verte tuos, celeres torquéque caballos,
Et glebæ remea citius natalis ad oras,
Qua sacra populus ditione tua moderatur.
Spectat præsidij ingiter solatia digni.
Omnis nam sine te rerum res fortè vacillat.

His ita ritè compositis, rege . . . . . pariter osculatis, nimiáque congratulatione ad inuicem amplexatis, Rege Laudunum petente, Vuillelmus ad regionem suæ ditionis cœpit celeriùs proficisci.

APOSTROPHA.

O Rotome tuus tibi Dux venit en recolendus,
Regnáque Gallorum iustis moderatus habenis,
Semina iustitiæ Northmannis sparget abundè,
B *Callem & iudicij meritis viuacibus ibit,*
Donec martyrij redimitus munere digni,
Scandet ad Helisium donatus stemate campum,
In summóque bono deitate merebitur vti.
Armorum te nunc passim virtute tuetur.
Tunc precibus dignis meritísque tuebitur almis.

CVM autem fama celer habitantium in finibus Northmannicis mentes subito de optato Vuillelmi Ducis reditu percelleret, Ducémque suum tam magnificum adesse præmoneret; commota nimio gaudio tota Rothomagensium ciuitas subito processu contra illum exiliit, diuersáque diuerticula, vt eum videre posset requirit. Femineóque sexu stante muri in propugnaculis, senilis ætatis vulgo in biuiis, iuuenilis mediæque ætatis plebe currente obuiam ei: Clerus præstolatus illum in portâ ciuitatis cum reuerentia Monasticæ institutionis ouanter suscepit. Statímque cœpit exercere leges & iura, paternáque decreta, quæ erant illo absente neglecta. Iurgia & querelas lege diffiniens determinabat, omnésque legibus aut concordiâ pacificabat. C Tunc construxit Gimegias, mirabile dictu, mirique scematis templum, Monachilis Religionis Clero profusiùs suffultum. Erat autem quidam MARTINVS sanctissimus Abbas illius Monasterij custodiēs Monachos sub palæstra præstrictæ regulæ theoricæ contemplationis. Quadā námq; die causa orationis profectus Gimegias, quod gratia primi floris corde conceperat voluens in animo, Martino sanctissimo Abbati dicens sermocinabatur: Cur Christiana Religio tripertito Ordine Ecclesiam frequentat? erúntne vnius mercedis, vniúsque brauij, qui dispares sunt officiis Christianæ Religiositatis? Respondit Abbas: Vnusquísque suam mercedem accipiet secundum suum laborem. Sed tibi nutanti de talibus reserabo hæc enucleatiùs. Christianæ Religionis summa trimodo constat Ordine distincta: munifico laicorum, Canonicorúmque, atque Monachorum labore exercita, Trinitatem in personis, Deum vnum in substantia articulis fidei exsecuta. Quorum seruitus feliciter perfecta, ad cœlum tendit æquis incessibus. Et quanquam tres Ordines sint, ad excolendum cultum veræ fidei bicallis via est ambiuij itineris, certa spe veræ credulitatis. D Quarum vna πρακτικῆς nomine laxius vehit, & Canonica dici meruit: sub cuius ditione laicalis Ordo moratur & viuit. Altera verò nomine θεωρητικῆς, limitibus hinc inde coactis artata nō vehit per plana, sed secessu confixa, secretóque perenni læta, molitur semper ad ardua. Hæc Apostolica est denominata, quā nos peccatores exsequi, & cum ea assiduis internæ intentionis nisibus conamur colluctari. Hæc autem Vuillelmus audiens, retulit Abbati inquiēs: Flore primæuæ ætatis laxiorem viam & latiorem paciscij, finibúsq; præstrictā & coangustatā volui sūmopere imitari: verùm pater meus, Principésque sui constituerunt me nolentē Ducē sibi. Sed quia nunc mei iuris, méæque sum potestatis, palæstrā theorici collis hinc indè striĉtius limitati mundū relinquēdo, mutatóque habitu volo adispici. Audiēs autē Martinus Abbas merito præcellētissimus huius mirādæ intentionis propositū, suspirans subitò dirigit, imóq. vocē trahēs à pectore inquit: Defēsor huius patriæ, cur talia rimatus es facere? Quis fouebit Clerum & populū? Quis cōtra nos ingruentiū paganorum exercitui obstabit? Quis paternis legibus reget strenuè populū? cui gregem cōmittes

WILLELMVS I. & commendabis? cui Ducamen Britanniæ Northmannicæque regionis largieris? A Sollicitudini tuæ diuinæ voluntatis prouidentia non concordabitur, nec quæ moliris agere adimplebis, nec me fauente vllatenus tractabitur. Sed si vi potestatis tuæ professor esse huius Monasterij, & regulæ ΘΗΩΡΙΚΗΣ vitæ, relinquens seculum, incumbere malueris; si me quæsieris, nusquam regionis tuæ inuenire me poteris. Contra istiusmodi excusationis & contradictionis molimina, Dux VVillelmus re-» spondisse fertur talia: RICHARDVS filius meus dilectissimus, pueriles ætatis ig-» norantiâ adhuc inuolutus, Principibus meis libenter fauentibus, Dux erit pro me » potentissimus regionis huius; & quod Deo voui citiùs quàm potero explebitur. Exeunte autem VVillelmo de templi adyto cum Abbate Martino, ad pedes eius proruit Monachorum phalangula, deprecans vt acciperet in caritate Dei diaria, vitæ corporalis scilicet cibaria. Abbatis verò contradictionibus animo motus, renuit illorum petitionibus, nec adquieuit caritati ad esum vllatenus, sed petiuit Rotomagensem vrbem celeriùs. B

APOSTROPHA.

Omne bonum præscit Deus & prædestinat vnus,
Omne malum præscit Deus, ac non destinat vnus.
Felix velle tuum præscit, prædestinat at non.
Qui tria summa manet, trinum specimen, vigor vnus.
Felix velle tuum nam scire Dei anticipante,
Palmam martyrij merito crescente subibis.

EADEM quippe nocte exæstuante rufo felle cum cæteris humoribus, cœpit grauibus nimium torreri doloribus, reputans hoc malum ei accidisse propter neglectam caritatem cibi & potus, quam abnuerat Monachis deprecantibus. Idcirco Northmannorum Brittonúmque Principibus ascitis, adductoque puero nomine Richardo, specie elegantissimo, cum eis pandit secretiùs mirabile arcanum suæ mentis, quod dudum retulerat Martino Abbati. Cúmque nobilissimi Principes Britonicæ Northmannicæque regionis experirentur inauditum, & quasi monstruosum propositum VVillelmi Ducis, in stuporem & in extasim conuersi, dixerunt ni-» mium eiulantes illi: Cur talia mente cordis tui rimando proposuisti? & si cogitando » quod numquam fiet statuisti, quare cui retulisti? Quis nos defensabit ab incursu pe-» stiferæ ferocitatis imminentium paganorum? quisve ab insidiis Franciscæ gentis C » nos tuebitur? Amplius quod numquam adimplebitur, non reputetur. Tunc VVil-» lelmus refragationis & dissuasionis obice commotus, respondisse fertur: Et reputa-» bitur, & Deo fauente adimplebitur. Verùm, quoniam omnipotentis Dei voluntati » non debetis resistere, & meum propositum refutare; precor vos vt consiliis meis fa-» ueatis, & quomodo humanarum rerum sors se fortè habeat, filium meum Richar-» dum Ducem vobis me superstite eligatis, & intentione custodiendæ fidelitatis & » militationis, manus vestras manibus eius detis. Extimplo cum Northmannis Brito-» nes responderunt VVillelmo dicentes: Huic consilio annuimus, & quod rogas fide-» liter faciemus. Igitur continuo Northmanni & Britones commendauerunt se Richardo vnanimes, sacramento veræ fidei illi se connectentes. VVillelmus verò serenatis humoribus, imbecillitatis robore confortatus, cœpit conualescere, & quid boni poterat cotidie sollerti curâ agere. Franciæ autem Principes inuidiæ pondus & odij ferebant aduersus VVillelmum, sed non audebant ostendere maliuolum suæ cogitationis propositum. Attamen hortator & incentor scelerum effudit virus suæ D calliditatis per corda malorum hominum, gaudens in peius abire genus hominum, ne possit repetere hortum delitiarum. Quocirca excitauit odia, commouens iurgiorum incendia, pacísque Ecclesiæ turbauit fœdera, firmamentum eius quatiens formidine impressa. Rabie siquidem cupiditatis, accendit plurimorum corda, ne recordarentur iudiciorum Dei, neque mente cernerent ea. Disseminato itaq; per membra diaboli grauiter hoc veneno, hostilique rabie magis ac magis crudeliter grassante, atque iniquitate prauorum nequiter præualescente, æquitas totius regni profanabatur, debitique honoris gradu plures eiecti ab re priuabantur. Quapropter Princeps quidam nomine ARNVLPHVS, Flandrensis regionis Marchio famosissimus, huius veneni squalore profusiùs infectus, abstulit HERLVINO Comiti castrum Mosterioli qui dicitur. Ille verò tanti honoris priuatus castro, Hugonis Francorum

WILLELMVS I.

A Ducis suffragium expetiit cursu celerrimo, vt subueniret ei in adiutorium, quia erat eius Comes atque miles promptus in omni seruitio. Quem Hugo Dux non reuerenter, vt solitus erat, suscepit; sed in parilitate suorum tyronum neglige̅ter tenuit. Herluinus verò magnæ necessitatis indigentia repletus, prosequebatur quotidie Hugonem Francorum Ducem, vt succurreret sibi deprecans crebris orationibus. Diffidens autem illius solatij, & cernens se destitutum eius adiutorij patrocinio, aggressus est Vvillelmum Northmannorum Britonúmque Ducem, causâ præscripti negotij, & vt adiuuaret se ad pedes eius procidit. Quem Vvillelmus cum honorifico apparatu præcepit hospitari, & quæ necessaria erant, cum magno cultu dari. Seque̅ti die veniens Herluinus ante Ducem Vvillelmum, multimodis petitionibus requirebat suppliciter eius adiutorium. Quem consolans Dux Vvillelmus respondisse fertur: Cur Hugo Dux Francorum Senior tuus te vt se non consolatur? & quare calamitosæ perditionis tuæ non explet necessaria? Ad eum citiùs regredere, & si te vmquam adiuuare voluerit multis precationibus experire; & si quispiam tibi suc-B currerit, si animo ferat ægrè. Confestim Herluinus ad Hugonem Ducem reuersus, inquirebat supplex si se iuuaret, multis prosecutionibus. Cui obnixè petenti Dux Hugo intulit: Ego & Arnulfus coniuratæ amicitiæ intricati copulâ, nolumus concordiæ & dilectionis, atque competentiæ nostræ propter te scindere vincula. Huius desperatæ responsionis verbo, mente mutatus, Hugoni Duci subintulit Herluinus: Quoniam quidem necessitati meæ succurrere, vt decuisset, nullomodo æstuas, decet te, vt si quis mihi auxilietur non molestè feras. Tunc Hugo Dux Francorum autumans eum omnis solaminis tutela esse priuatum, inquit: Quisquis tibi auxilium præbebit, non mihi iniurius erit. Expleto igitur huius desolationis verbo, Herluinus ad Vvillelmum Ducem remeauit, & quicquid huius rei audierat, Vvillelmo diligenter, proruens pedibus eius, intimauit. Illicò Vvillelmus omnem Britanniæ Normanniæque exercitum asciuit, & pro præiudicio Arnulfi Flandrensis Ducis, ad adiuuandum Herluinum festinauit. Cúmque prope castrum Monasterioli adesset, idque superuideret, vocauit vt venirent ad se Constantinenses, quibus ait: Si primi gratiâ mea militiæque palmâ, maioréque honore, & præcellente, in domo mea frui C vultis, palos de vallo Monasterioli castri afferre mihi non differatis, obstantésque nobis, castrúmque tenentes, captos mihi adducatis. Mox huius exhortationis verbo Constantinenses inuaserunt castrum, vt lupi agnos vnanimes; diripiúntque & defecerunt castrum, ante Vvillelmum palos muri deportantes, captósque simul adducentes. Castello verò Monasterioli capto, pestiferæque seditionis murmure sedato, prandium sibi infrà iussit VVILLELMVS præparari, regalibúsque gazis sibi Herluino illatore, honorificè amministrari. Epulans Dux Vvillelmus in castro, dixit dapium illatori Comiti Herluino: Ecce tibi reddo castrum, quod tibi iniustè abstulit Dux Flandrensium. Et Herluinus: Domine, non recipiam hoc castrum, quia nequeo custodire, nec tueri illud contra Ducem Arnulfum. Tunc pietate motus dixit Herluino Dux Vvillelmus: Te auxiliando protegam, te adiuuando & custodiendo defendam. Istud interim reficiendo construam, tibi castrum inexpugnabilium præsidio turrium præmunitum, vallíque firmitudine nec capiendum, nec destruendum, frumenti vinique copia pleno cornu replens; istud farciam, totúmque reædificando tibi muniam. Quoscumque tibi elegeris meorum Principum, mora-D buntur tecum stipati frequentia suorum fidelium. Si Arnulfi ingruerit contra te bellum, ego succurram celeriùs tibi cum multitudine meorum exercituum. Si autem sequestræ pacis inducias petiuerit, nostrorum consilio fidelium dabimus ei. Sin verò interim iudicio & iustitia legéque vsurus venire voluerit contra nos ad placitum, veniemus propter te contra eum iudicaturi censura nostrorum. Si prædia tuæ hæreditatis obstinato corde deuastauerit, vniuersa suæ ditionis conglobato exercitu cremabimus ei. Voluntarius tibi adiutor beniuolus, co̅tra aduersarios tibi defensor, docilis tuarum querimoniarum auditor, attentus calamitatis tuæ solator, quinetiam bonorum tibi congruentium verus largitor. His auditis mox Herluinus procidit cum suis fidelibus celeriùs ad pedes eius. Castro verò firmiter remunito; frumenti, viníque, atque tergorum suum affluentia cumulatiùs repleto, quinetiam militibus præmaximis sufficienter honestato, Vvillelmus celeri equitatu cum suis reuersus ad mœnia vrbis Rothomagensis. Erat autem idem Dux in sermone verus, in

WILLELMVS I. iudicio promptus & iustus, in colloquio mansuetissimus, in conuersatione humillimus. Refulgebat insuper titulis bonorum omnium, résque adornabat strenuè Ecclesiarum. Cùm autem eniteret augmentatis studiis vniuersæ bonitatis, totámque per Franciam, pérque cetera regna crebresceret propalata fama tanti hominis, legésque & decreta diligenter exerceret orthodoxorum auctorum & sui patris: Arnulfus Dux Flandrensium suprà memoratus, veneno viperex calliditatis nequiter repletus, astúque diabolicæ fraudis exitialiter illectus, gentisque Frãcisæ quorumdam Principũ subdolo consilio & malignitate atrociter exhortatus, cœpit meditari & tractare lugubrem mortem eius Vvillelmi. Huius pestiferi veneni inflammatus liuore, misit legatos expeditionis fraudulentissimæ Duci Vvillelmo, qui dicerent in dolo fraudis nefandissimæ, fidelis famulatus caræque amicitiæ si recipere vellet munus. Cúmque adessent ante Vvillelmum, procliuo vultu, submissáque voce suppliciter compellare verbis pacificis cœperunt eum: Noster Senior Arnulfus, fideles tibi in Christo famulatus. Nolens contra te iurgium initiari, petit humillimis precibus spatium pacis sequestræ. Interímque te ad placitum contra se venire, & tuo amore Herluino, quæ offendit contra se vult dimittere, séque si placet colligari tibi insolubilis amicitiæ fœdere. Podagra ceteráque infirmitate nimirum afflictus, non ambit litigare contra quemquam ampliùs. Coërceri lege vel concordia suos desiderat, pacémque quamdiu superstes est, agere festinat. Monarchiæ tuæ ditionis & suæ, quoniam continuo & finitimo limite sunt annexæ, pacem & concordiam inter nos & vestros decet esse; vt talibus Principibus gaudeant vestri incolæ; & vt nemo vestrum vlli nostrorum præiudicium faciat, nullúsque nostri vlli vestrorum aliquod damnum vi & potestate impellat. Sint concordes & vnanimes in lege, qui sunt vicini in telluris affinitate. Dux tantæ bonitatis, tantæque mansuetudinis, non debet abnuere necessariæ & opportunæ petitioni; verùm fauere viribus cunctis, ne res publica annullata tanta prædatione & incendiis, labatur exitialiter peioribus ruinis. Suprà satis mala vrgente lite, concreuerunt amodo in peius plurimæ, & nequitia cogente præualebunt. Iudica quod melius est, aut bonum rimari & patrare, aut hoc quod creatura non est, verùm absentia bonitatis, adhærere obscœnè, & perficere nefandissimo opere. Exsecrabilium huius legatorum dolositatis fraude deceptus Dux præpotens Vvillelmus dixit Herluino Comiti secretiùs: Quid tibi videtur sententia huius propositionis & legationis? Respondit Herluinus: Horret animus ne decipiamur, néve humillimis precibus horum illidamur, quorum perfidia totiens decepti sumus. Et Vvillelmus ascitis cæteris Principibus: Quoniam labanti actiuæ vitæ cursu me irretitum contemplatiuæ vitæ claustro velle coangustari non ignoratis, citiùs quàm potestis vsquam terrarum mecum pacem struatis, quia nullum holocaustum neque sacrificium tam acceptabile apud Deum, quàm pacis incrementum. Ad Herluinum autem dixit: Noli timere, neque turberis, quia numquam mei meorumq; solaminis patrocinio priuaberis. Consultu ergo Vvillelmus Dux suorum fidelium dedit Arnulfo Comiti sequestram pacem trium mensium, séque ad denominatum venire mandauit placitum. Statuto imminentis placiti tempore Vvillelmus Dux præpotentissimus omnium, conuocauit Northmannorum Britonúmque exercitum, & profectus est ad Ambianensem vsque pagum.

APOSTROPHA.

Nominis effusi à Christo, Dux, tutor & auctor,
Auxilij indignus nullius, ni quoque Christi;
Muneris ætherij prædignúsque emolumento.
Amittes mortem lugubrem, pro quo properabis,
Pacis perpetuæ dignam vitam inueniendo,
Palma martyrij diadema ferente trophæi.

ARNVLFVS verò nefariæ dolositatis liuore infectus, venit super Corbeiæ riuulum cum suis omnibus, misitque internuntium ad Ducem Vvillelmum, deprecans contra se venire illum, vsque ad Pinchiniacum, vt fluenta Somenæ essent obstacula inter vtrumque exercitum, ne fortè perpetrato quod decernebar infelix dolo agere, impediretur à Northmannico exercitu superueniente. Tunc verò Dux Vvillelmus peruersæ dolositatis legationi credens, precibúsque fauens fraudulentis, suarúmque legionum exercitum illic ire coëgit. Ast Arnulfus super renunciatis lætus

A & hilaris, super ripam Somenæ fluminis, hic martyrizandus citra, ille dolosus & perfidus vltra vterque resedit. Est namque ibi insula puteulano exæstuantis Somenæ gurgite hinc inde & altrinsecus circumdata, quam petit nauigio Arnulfus cum quatuor perfidis, simulans se cum Vvillelmo Duce sanctissimo concordari. Misítque ad Ducem Vvillelmum in dolo verbis pacificis, vt veniret illuc cum duodecim militibus suis. Transgredienti naue Vvillelmo cum duodecim suis, venit Arnulfus obuius claudicans, & subnixus duobus suis; cœpítque illi dicere simulādo, & decipere eum propositionibus humillimis: Ad te venio supplex, vt meos tuósque concilies, sisque mihi adiutor aduersus meos infideles, quia infirmitate subactus nequeo dominari & opprimere huius terræ rebelles. Totius etenim Galliæ Monarchiæ salubri consilio dominaris, ideóque super me meósque Dux & Marchio desidero vt habearis. Esto mihi defensor & aduocatus contra Ludouicum Regem, Heribertúmque Principem, atque Hugonem præpotentissimum Ducem. Et quamdiu superstes fuero, ero tibi tributarius, meíque seruient tibi, vt domino seruus. Post meæ resolutionis ex-

B cessum, possidebis meæ ditionis regnum. Herluino tuo Comiti quæ contra me offendit voluntariè dimittam, eíque pacificus & beniuolus omni tempore existam. Dux verò Vvillelmus putans quòd corde beniuolo & perfecto, fidéque integra, non perfidia loqueretur, pacificauit Herluinum cum Arnulfo perfido & suis omnibus. Tota die penè ducta morosis ambagibus, pactáque pace ab vtroque Principe, Vvillelmo scilicet fide, atque ab Arnulfo perfido corde cùm à cæteris Principibus, Vvillelmus cum duodecim regreditur, dato osculo Arnulfo, intrátque cum remige classem solus, duodecim comitibus altera antecedentibus. Tunc Eiricus, Balzóque, & Rotbertus, atque Ridulfus perfidi, cœperunt subdola reciprocáque voce dicentes Vvillelmo Duci, dolosè fari: Domine, Domine, melioris consilij obliti, torque parumper precamur nauim, quia volumus te paucis. Noster Senior nequit te ampliùs aggredi, quia podagræ infirmitate scis eum detineri, sed mandat mirabile, cuius oblitus est, tibi. Tunc Vvillelmus fide integerrimus, perfidorum precatibus crebriùs compulsus, torquet nauim celeriùs, venítque ad ripam fluminis armorum securus sine suis, cum eis locuturus. At illi sub pellium tegmine iam absconsis quatuor mucronibus celeriter extractis, rabie immanissimi furoris accensi, diabolicóque spiritu

C exagitati percutiunt, & occidunt, heu dolor! innocentem Vvillelmū videntibus cūctis. Hincque cum Domino omnium nequissimo celeri classe transuecti, suóque exercitui annexi, præpete equitatu potiuntur fuga lapsi. Northmanni verò & Britones morte Vvillelmi sui Senioris nimium lugubres, vlcisci præoptantes, nusquam repererunt vada hac & illac celeriter discurrentes. Sic pretiosus Marchio Vvillelmus, testísque Christi gloriosissimus, felici martyrio consecratur. Talitérq. regnum cœlorum, quod diu concupiuit, adeptus, viuens in Christo feliciter coronatur. Perfusum quippe sui cruoris rore beati viri corpus iacuit exanime. Verùm anima in cœlum ab Angelis deducta, inter choros Angelorū inæstimabiliter est collocata. Quædam ilico phalanx decepti & martyrisati Vvillelmi cucurrit ad eum, & trans ripam fluminis Somenæ altrinsecus cum magno eiulatu naue detulerunt. Inquirentes autem ingentibus cordium suspiriis, magnóque oculorum fletu liuores eius, atque deflendo sanguinolenta reuoluentes vestimenta illius, repererunt paruissimam clauium argenteam dependentem in strophio lumborum eius. Sciscitantibus illis à do-

D migenis quampluribus, cuius rei gratia cinctorio clauis illa dependeretur, respondit quidam Camerarius secretorum eius conscius: Noster Senior Vvillelmus vouit se hoc labile seculum derelicturum, & se fieri post hoc flebile placitum Gimegias Monachum. Et hæc clauis custodit in quodam scrinio, & coartat monachilem habitum, scilicet cucullam & laneum suparum. Statim verò corpus sacrosanctum feretro velociter impositum, & Rotomagensi vrbi cum magno eiulatu delatum in Ecclesiam B. Mariæ genitricis Dei honorificè sepelierunt. Conuenit etiam omnis penè Prouincia lugens ineffabili mœstitia, & ad cælos vsque alta emittens suspiria, quinetiam adducens secum filium eius Richardum nomine luctuosa. Quem, antequam conderetur corpus tumulo, videntes Berengerus & Alannus, ceteríque Britones, necnon Northmannorum Principes, dixerunt nimium eiulantes: Seniorem, pro dolor! perdidimus, Seniorem vnanimes faciamus. Ilico sanctæ recordationis puerum nomine Richardum intronizantes, illiúsque voluntariè effecti fideles, fecerunt ex eo Du-

Willelmus I.

WILLELMVS I. 943. cem sibi vnanimes. Compleuit itaque sacratissimus Dux Vuillelmus & Martyr A
Christi gloriosissimus agonis sui cursum anno ab incarnatione Dom. DCCCCXLIII.
XIII. Kal. Ianuarij, Rege Luthduuico regnum Franciæ tenente, Deo viuo & vero
regnante in Trinitatis plenitudine, & Vnitatis majestate.

APOSTROPHA.

Erutus æquorei crescente tumoris ab æstu,
Sirtibus & nocuis, pariter sorbente Charybde,
Multiplicis cumulo diffuso turbinis, atque
Ventis mixturaque simul voluentis arenæ.
Vasa ferens figulus fragilis, heu! materiei,
Ad portum latus sum tempestate priuatum:
Qua via, vita, salus, meritum culmen, fidei spes,
Quóque corona datur merces sudoris honesta,
Cæli muneribus quod digni munificantur,
Octauæ sortis natalia quóque nouantur. B
Vilis sed quia sunt figmenti vasa lutosa,
Vt reor haut cuiquam dare, nec licitare valebo.
Verùm littoribus ponti contrita iacebunt.
Est alias portus diuerso merce repletus,
Quo vario digni mercantur fœnore sumptus.
Quo datur imperium certaminis emolumentum,
Exanimes artus Christo quo viuificantur,
Hunc pergam plena diuerso merce carina.
Sit iam fortuitu digesta diu, excipientur,
Ne patiar figulus sanam tam ridiculosum,
Atque operis, nostrique laboris detrimentum.

EXHORTATIO AD MVSAS, VT CANANT RICHARDVM.

C

FLorida clarisonæ solitæ sat carmina Musæ,
Tinnitus modulo psallere multifidi.
Clio, Melpomene, Polymnia, Eratho, Thalia,
Terpsichore, Euterpe, Calliope, Eurania.
Præcipuum lyrico munus resonante boatu,
Dulcisoni cantus, vocis & altiuolæ.
Patricio celebri, Comitique, Ducique verendo,
Qui studuit summo rite placere Deo.
Quæque canat vestrum singillatim peto dulce,
Alterni metri syrmate dissimilii.

CLIO I.

Ni nostra en stolida sensa silentium
Torpescens premeret & taciturnitas,
Interpresque foret historiæ sacræ,
Plano digereret qui ordine mystica:
RICHARDVS *Comes & Marchio strenuus,*
Dux & Patricius emeritus probus,
Quæ gessit canere collibitum foret.
Mortales operas distuli quia.
Iuris námque mei credibili ordine,
Rerum historias reddere posteris
Factum nunc typicum carmine dissono
Dedam Doctiloquis quippe sororibus.

II.

Delector Lyrico boare metro,
Is qualis fuerit Comes verendus
Et quanta viguit beatitate. D
Adsit concelebris phalanx sororum,
Mecum eius meritum recenseátque
Turmis Angelicis fatebor atque
Iungi pro meritis beatitatis
Hunc Christi famulum, probum, benignum,
Censor cùm famulos remunerabit,
Perdens suppliciis reos malignis.

III.

Istum iam mediator conciliarièr
Turmis Archipatrum pro meritis suis,
Pro mirabilibus, próque vigentibus
Factis mirificis, proque monasticis,
Dignè quæ rutilant, quæque manent adhuc.
Archos mellifluus corpore sospite.

RICHARDVS I.

A Nam decreta patrum quæ retinent sacra,
Mundo dum viguit, cuncta operatus est.
Dilexit Dominum corde pio Deum,
Digno ast vt quoque se fœdere proximum.

IIII.

Si efficax nostra & caperet voluntas,
Qualiter vixit, viguítque, fecit,
Scriberem sensus licet improbus sit,
Vatibus quod condecet hunc notari
Marchionem, Patriciúmque iustum,
Et Ducem sanctum, Comitem verendum.
Mysticis nam quod retulêre verbis
Corde præsago typicóque vates,
Credidit sollers, recitauit atque
B Mentéque audiuit, meminitque sacra.

V.

Memorans vocer quanquã placet quæ dicere,
Sororibus dicam, licèt iam stultior,
Perenniter fruges salutis nostræ, quibus
Adoleuit orbe isto & fides, spes, & gloria,
Apostolorum cœtibus splendentibus,
Magnum Ducem, sanctum, pium, iustũ, probũ,
Ausim RICARDVM Marchionem iungere,
Numero licet si non, nec vllo compotu,
Merito tamen mirabili, sacer quia
Meritis Petrus non inuidet æquè piis.

VI.

Inueniens similem Comiti,
C Lector amice mihi resera,
Ille quis est modo terrigena,
Vt populo bona qui tulerit,
Totque cruces, probra, tormina quot,
Numine pro fidei stabili.
Ritè coërcuit indomitos,
Restitit acriter atque Dacis,
Martyribus socius meritis
Perpetua fruitur requie.

VII.

Instructus sapientia,
Delectans regionéque
Quanto Pontificum sacras
Ornauit Cathedras vide,
Hic Dux, Patricius, Comes.
Quod sat namque vides adhuc.
D Non fas dicere plurima,
Qui nullo inferior fuit,
Sed præstantior extitit
Confessoribus additus,
Dux & Marchio sanctus.
Quamuis iam pepigisset
Casti fœdera lecti,
Sinceri, licitíque,
Causâ posteritatis,
Serto virgineo quis
Nunc subducere tentet?
Non mens conscia recti,
Labem passa pudoris;
Verùm casta remansit.

VIII.

Adducta, lector, nunc ratione,
Per cunctos animum ordine Sanctos
Propenso sensu porrige sollers:
Si nostro patri conuenientem,
Factis, & meritis, & famulatu,
Diuini obsequij orbe labenti,
Congruo cultu reppereris iam,
Vsquam & Patricium conspice quenquam.
Nostro namque patri congrua cuncta
In cunctis constant actibus ista.
Cúmque cogetur agmine magno,
Censoris rutili mundus ad ora:
Cúmque & Apostolicus ille Senatus
Sederit in sede iudiciali;
RICARDVS rutilo ipse sedili,
Subnixus meritis, moribus, atque
De magno orbe feret iuráque leges.
Cumque Martyribus fortia sacris
Præmia pendentur iudice Christo,
Portabit roseam ille coronam
Pro qua pertulerit calle secundo.
Cúmque sacerdotes merce calenti,
Pro carne edomita, fœnore lucri -
Ordine pro meriti iam penetrale
Intrarint regni iure superni,
Palma victrici ecce ....
Optime, dicetur, excipe, serue,
Maxima pro paruis, euge fidelis.

IX.

Terra ferax trimoda beat almum
Profusè vbertate colonum.
Sic verus docuit sator almi
Verbi mundo semina mittens.
Cùm referent alij rutilantes
Iam nitidos super astra manipulos,
Præmia quisque sui repetendo
Certantes pro parte laboris,
Ricardum cernes radiare
Ternis in sublime coronis.
Ipse in sexagena profectus
A ter denis numine diuo
A leua vestigia duxit
In dextrám hinc semper luculento
Virgineo diademate felix;
Virginibns dabitur comes ille,
Agnum præpulcrúmque sequetur,
Et perget gressum tulerit quo,
Psallet quod natale pudicis
Etherea dulcedine carmen
In quinis resonum tetracordis:
Tantus vt his fieret tua Christe
Extant munia, qui super extas,
Et nil rectum quo sine constat,
Et cum quo sunt omnia recta.

RICHARDVS I.

PRÆFATIO AD PRÆSVLEM ROTBERTVM.

Licet imperita fandi
Habearis, & priueris,
Exsors scientiaque
Maneas, moreris, extes,
Rhetorico sapore,
Et hebes, socors, inersque;
Phaleras, ô Camœna, paruo
Nostro para libello.
Elinguis, atque stulta
Rationis vniuersæ.
Resera Ducis sacri,
Patriciique iusti,
Et Marchionis almi,
Luculenta gesta scripto.
Velut es poténsque scitu,
Bona quæ peregit ipse,
Operatus est superstes,
Memora, calente vero.
Quoniam decet per omne
Comiti sacro RICARDO,
Iusto, pio, modesto,
Iubilos referre summos.
Extet, precemur omnes,
Illi per omne seculum
Requies, salus, decusque
Et gloriæ incrementum.
Deitate Trinitatis
Moderantis omne quicquid
Extat, viget, valétque.

ITEM PRÆFATIO.

Vlla non canit Camœna,
Cui loquendi copia
Blaterans stridet, vel desit
Pusioni, vt adsolet.
Inscius, socors, hebésque,
Omnibusque stultior,
Friuolusque quamuis extem,
Impeditè garriens:
Gesta digessi vides vt
Impolito famine
Inclyti, bonique iusti
Marchionis strenui,
Paruus inter dicta vates.
Nunc feror dicendáque,
Hæc mouent rudem Poëtam, A
Illa cogunt scribere.
Hîc tamen subsiste mecum,
Quò locorum iuero.
Impolitus licèt extes,
I precor salubriter.
Me stupor percellit ecce,
Atque plura territant,
Et noua surgunt figuris
Quæ taceri non fas est.
Mens fugit mirata multum,
Fasce pectus cogitur.
Christianorum peragrans
Circuiui exercitus, B
Reperi nullumque talem,
Omnibus præcognitis,
Vt RICARDO *Marchioni,*
Cui tanta coaffluant.
Hunc feremus ter beatum,
Et quater hunc milies;
Hunc benignum, hunc modestum,
Concrepabit pagina.
Hunc pium, iustumque, sanctum,
Et probatum, & maximum.
Almitatis huius actus
Testis est Northmannia,
Largitatis atque huius
Testis est & Francia:
Fortitudinémque eius
Comprobat Burgundia,
Regna facta, sancta dicta,
Quin stupent & cetera: C
Cogitatu, facto, dicto
Nemo maior splenduit.
In bono summo quies huic
Sempiterna gloria.

ORATIO.

Dacorum olim themate vili
Ardua currenti mihi gesta,
Consurgit moles modo torua,
Pondere quippe suo; quia non est
Nostrum quoquam tempore prisco
Exaudita, rudinéque visa,
Propter hoc non cognita cunctis,
Credita nec, tentatáque paucis.
Spiritus alme veni, peto supplex, D
Nectare septifluo radiando.
Ast id qua virtute dedisti
Iam fieri, da posse profari.

PRÆFATIO AD PRÆSVLEM ROTBERTVM.

Fomitis etherei regimen, terrestris Auerni,
Orbis totius ΝΩΤC, *decus, imperium.*
Sidereum columen, specimen, vigor atque supernus,
Ouranicum numen perpete cuncta tenens.

Causarum

A

RICHARDVS I.

Causarum series, motus per condita rerum,
Compactor hominum gloria diuicolûm.
Quanquam cuncta tibi depromant munia laudis,
Concentu vario, syrmate dissimili:
*Hac oda te cunctorum regem * cantauimus,*
Continuis votis, supplicibus precibus.
Tu fœcunda Trias, simpléxque Monas vocitaris,
ΕΛΛΕΝΑϹΗΑΤΑ * *seu te quoque distribuant.*
ΥΠΟϹΤΑϹΕΙϹ ΟΥϹΙΑΝ *solam* ΜΙΑΝ ΕΙϹ ΤΡΕΙϹ,
Seu sic vt latius orbis in ore tenet.
Veram ΥΠΩϹΤΑϹΙΝ ΜΙΑΝ, ΤΡΙΑ *nempe* ΠΡΟϹΟΠΑ,
Idem semper ades, idem is & ipse manes.

B

Tu pater ingenitus, gignens tu crederis vnus,
Sic natum genitum Sophia plaudit ouans.
Flamen vtrôque fluens verè viuax Paraclite.
In tribus his vnam nos colimus * ΤΗΩΤΗΝ. * θεότητα.
Quæ sic dicta placet, quòd cernens currat in omne,
Et nusquam extra se possit adesse aliquid.
Cùm motus stabilis, status sit mobilis, atque
Catholicum hoc fidei veridici perhibent.
ΩΝ *substantificum, rerum* * ΘΩΠΩϹ, *Idea mundi,* * τόπος.
Per seipsum bonitas permanet atque viget.
Hoc non est, nec hoc est, extat verum ΘΕΟϹ *omne,*
Non hîc, non ibi, sed totus ad omne valet.
ΜΕϹΟϹ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟϹ ΜΙΚΡΟϹ *testatur* ΑΝΑΡΧΟϹ.
ΜΕϹΟϹ, *dum iugiter intima quæque regit.*
ΜΙΚΡΟϹ *dum minimis largitur opem atq; salutem,*
In magnis ΜΕΓΑΛΟϹ *maxima dum vegetat.*
Sic magnis, mediis, paruis præest quoque semper,
Ipse indiuiduus totus vbique manens.

C

ΩΝ ΑΡΧΕ ΜΕϹΟΝ ΩΝ ΤΕΛΟϹ ΩΝ *quoque* ΠΑΝΤΩΝ,
Ex ipso quoniam omnia quæque vigent.
Ipsum ΠΡΟΤΟΤΥΠΟΝ *nihilum proteantur * eundem,*
Vt stupeas, lector, Catholicum hoc memorans.
Incomprehensibilis naturâ quod viget omni,
Exuperans planè ΝΟΕΡΟϹ *atque* ΛΟΓΟϹ.
Qui dum non vllo capitur, nihil ipse vocatur.
Ast quotiens paret, occe * ΘΗΩΦΑΝΙΙϹ.
Ex nihilo in quiddam semper succrescere fertur,
Scribunt hoc nihilo cuncta creata simul.
Hinc est, quòd tenebra vocitatur, dicitur atque:
ΨΑΛΜΙϹΤΕϹ *etenim sic sacer intonuit.*
Sicut sunt eius tenebræ, sic lumen & eius.
Est reprobis tenebræ, lumen & ipse probis.

D

Cùm se sic habeant veri digesta fluenta,
Vltrò concipias ecce necesse subest.
Nullis nos animis, nulloque lepore superbe,
Præfinire Deo iudice quid proprium,
Nec promptum cuiquam, nec dignum pandere, nec fas,
Quis, qualis, quantus ΚΥΡΙΥϹ *is maneat.*
Dignius oratu, meliúsque propinquius, atque
Hunc nectes animo, purus & ipse manens.
Orari verbis deuotis vult, placidisque,
Largiri facilis, cedere promptus adest.
His ergo modulis credendis veridicisque,
Amplector votis, continuis precibus.

RICHARDVS I.

Ingenitum Patrem verè, Sobolem genitámque,
Neupma ab vtróque fluens fomite sensifico.
Omnia cui quæ sunt dignè profitentur ouanter,
Et regit imperio omne quod est proprio.
Ter tria quem cælis conlaudant agmina semper,
Quem recolendo canunt, quem venerando colunt.
Quem Patriarcharum clangendo cœtus in vnum,
Exhilarans odas concinit haut modicas.
Veridici vates cui promunt syrmate laudes,
Alloquiis sacris quæ cecinere vigent.
*Quem duodena phalanx recolens * veneratur,*
Omnia contemnit, atque sequendo colit.
Quem testium innumerosa cohors æternum concinit hymnis.
Ac iubilat gratans, verbera despiciens.
Virginitatis apex , ex quo sumendo decorem
Conspicuè modulat, mirificè reboat.
Quem cælum suprà, tellus quem laudat & infrà.
Quæque elementa seruiunt, hunc venerando colunt.
Quod restat siquidem, quodque instat conditor almus,
Respice propitius, quæso fauens precibus.
Præsentes operas miserans compone precamur,
Et sensus cumules, oráque fructifices.
RICARDO *titulum celsæ componere laudis,*
Vrget materies, atque coartat amor.
Qui tibi mirificus viguit per secula seruus,
Omne malum calcans, omne bonum releuans.

MITABILEM enimuerò meritis excellentium Ducum agoniam, beniuolo sacrosanctæ intētionis proposito multiplici actu pridem exercitatam, eorúmq. insignia bonis intentionibus sedulò insistentium opera præcipuè omnifariam prædigna, cassum est silentiare, quin exarentur prout posse elucidata: quatinus succedentium memoriæ apicibus enucleata, informent & instruant ad melius animos fruge salutifera, & ex his sollerti conamine metiantur vitam honestam, atque huius speculationis exemplo beatitudo adquiratur feliciter æterna. Quocirca benignissimi Ducis RICARDI vitam aggrediamur, hebete licèt stilo, qui in sacrosanctæ Ecclesiæ prato floruit prædignis operibus, emicans vt sidus in cœlo. Donetur nobis etiam eius meritis vitam illius reuerenter propalari; qui summa reuerentia, summúmque decus Ecclesiæ extitit. Vt cuius tutelæ & beneficij salubriter fruebamur patrocinio in terris, eius precibus & meritis protegamur defensabiliter ab importunitatibus cunctis.

IGITVR venerabilis vitæ RICHARDVS Dux, insignis memoriæ præpotentissimus, sanctæq; recordationis Patritius nitidissimus, atq; rememorandæ benignitatis Marchio famosissimus, insignissimo luculentæ & nobilissimæ prosapiæ semine exortus, qua Belgicæ Franciæ extimos exporrigit tractus maris affines Calcensis pagus, Fiscanni castri mœnia, ruráque genitalia sacro natiuitatis suæ exordio beauit oriundus. Cuius matrem pater Dux Vvillelmus, & Martyr gloriosissimus felicissimo pignore grauidam, ac adoptiuo illustratæ sobolis partu expertus fœcundam, transuehi fecit decenti insigniter equitatu ad Fiscannicæ sedis aulam: vt si fortè Riulfus omnium belluarum crudelissimus Northmannicæ regionis Monarchiam cum suis complicibus sibi vendicaret, vt æstimabatur, ne eam raperet, ad Anglos citiùs transfretaretur. Die namque, quo inter Vvillelmum Ducem emeritum, Riulfúmq; multifariam blasphemum & periurum, vt recensitum est, extitit prælium, matrona venerabilis enixa diuæ memoriæ puerum, misit quendā tyronem nomine Fulcardū, vt proderet Duci Vvillelmo præoptatū genitæ prolis negotiū. Vvillelmo verò cū CCC. potito victoria de inimicis, & per prælij pratum tepido cruore infectum equitanti, miliáque milium exanimum prostrata intuēnti, atque Regum Regi grates præmaximas gratanter referenti, Legatus natæ sobolis gaudium denuntians affuit.

A APOSTROPHA. RICHARDVS I.

O semper meritos tali de prole parentes;
Cuius in exortu superos ingentia ciues,
Terrigenas pariter perflarunt gaudia plures.
Cælicus ordo hilaris tanto conciue futuro,
Humanus meritus gratatur iudice sacro.
Orbis sub cuius semper moderamine lætus,
Tranquillæ pacis prædigna dote fruetur.

TVNC Dux merito famosissimus, peracto mirabili trophæo hilaris & lætus, lætiórque nato hærede & successore effectus, misit Heinricum summæ reuerentiæ Baiocacensem Episcopum, & Bothonem Domus suæ militiæ palma Maiorem & præcipuum, vt salutiferæ pacis puerum sacro-sancti olei chrismatísque liquore insigniter innouatum, typici lauacri regenerationísque fonte delutum susciperent, vocitando RICHARDVM. B Qui huius expeditionis mandato hilaris, mœniáque Fiscannia præpete equitatu aggredientes, à Clero populóque suscepti sunt, Monasticis rebus præparatis reuerenter. Sequenti namque die totius Clero Prouinciæ, populóque sexus vtriusque prænati pusionis baptismatis gratulatione vndique secus adueniente, mysticæ ablutionis benedicto fonte ab HEINRICO reuerentissimo Bajocacensi Præsule, cum cæteris Episcopis illius terræ, regeneratum salutifera trinæ immersionis inundatione, sacríque chrismatis insignitum nectare, deificæque Trinitatis nomine, veterrimi hominis dempto squalore, prædictus Præsul cum Bothone Comite suscepit puerum RICHARDVM nomine, de sancti lauacri purificatione. His verò cum magna reuerentia peractis, Cleróque Deum collaudante super Duce nato, regredientibus populorum turmis, Præsul cum Bothone renunciauit de puero quæ gesta sunt Vvillelmo Duci.

APOSTROPHA.

Felix, ô meritum sati
Insigni patre matréque,
Infantis celebre sacri,
RICARDI *quoque nomine.*
Cuius purificatio,
C *Et cuius renouatio*
In patris Domini Dei,
Ast huius sobolis Dei,
Sacri flaminis & Dei:
Vnius tamen & Dei,
Veri nomine perpeti.
Castro facta decentiùs
O Fiscanne tuo, maris
Prope littora quod viget.
Omnes vndique Clericos,
Plebes & populos ciat,
Sacros vt iubilos ferat
Patri, & Verbigenæ Deo,
Partu virgineo edito,
D *. . . Flamine cum sacro.*

TRANSACTA denique duarum herarum intercapedine, mirabilibúsque incrementis augmentato profusiùs Richardo infante, cœpit Dux Vvillelmus de regni commodo salubriter tractare, déque sui ducaminis successore cupiens adimplere quod voluebatur in eius corde. Huius itaque cogitationis diutissimè & acriter sollicitudinibus exagitatus, omníque desiderio intueri diligenter gestiens, cuius valitudinis, cuiúsve sospitatis, quinetiam crescente ætate cuius formæ, vel qualis staturæ exoptatus filius fuerit suus Richardus; misit domigenas secreti sui conscios, vt ad villam quæ dicitur Cheuillei clam deportaretur. Delato igitur infante ad prædictæ villæ locum, assumptisque tribus fidis secretariis suis, BERNARDO, BOTHONE, & ANSLEC, profectus est Dux secretiùs ad eum. Quem ipse diligentiùs intuens, & compage membrorum illius manibus attractata, prout ætatis erat

RICHARDVS I. formosum intelligens, ætatémque infantiæ incrementabiliter transcendere eum animaduertens, amplexatus eum amabiliter, & osculatus dulciter, tribus Comitibus supra memoratis fari cœpit, quod corde diu rimatus est referens: Vestro consilio, inquit, hoc regnum strenuè vsque modo rexi, Britones contra me rebelles hostiliter deuici, paganos nostrorum finium peruasores redargui: Flandrenses, ceterásque gentes in affinitate nostræ potestatis commorantes audacter subegi: quin etiam si quid boni operatus sum, vestra benignissima exhortatione coactus blandè leniterque peregi. Nunc verò ex hoc quod molior agere, assensum præbete mihi; quia omne regnum hereditario carens Domino desolatur, & diuiditur, & seditiones quamplurimæ, rixæq; inauditæ, implacabilis querimoniæ multipliciter generatur. Ideóque iste puerulus hæres mihi successórque in nostri Ducaminis ditione vobis fauentibus constituatur. Volo & obtestor, vt fide nostræ credulitatis sui fideles effecti, securitatem istius regni isti infanti faciatis: quia ignoramus quid futurum pariet tempus erroris. Tunc responderunt illi Seniori tam affabiliter loquenti: Iussis tuis continuo vitæ nostræ cursu paruimus, & quamdiu superstites fuerimus, iste erit nobis congruus Comes, Duxque Patritius hæreditarius, eiúsque præcepto per omnia obtemperabimus. Hoc namque consilium complacebit omnibus sub tuæ protectionis tutela commorantibus. Tunc illi adimplentes iussa Marchionis nobilissimi, regni securitatem Richardo puero elegantissimo facientes, sacramento veræ fidei manibus voluntariè datis, commendauerunt se illi.

APOSTROPHA.

O RICHARDE *potens, & probus, & pius,*
Dux, Martyrque future.
Pollens iste puer matre satus sacra,
Iustæ progeniei
Hæres, non inoportunus erit Deo,
Clero nec populóque.
Verùm congruus & conueniens pater,
Iustus, Patriciúsque.
Sanctus Marchio, constans Comes & bonus,
Dux & Christicolarum.
Fulgens atque propagator erit sacer
Veræ credulitatis
Ac legum. Populo distribuet pius
Iustas rector habenas.
Et plebes soboles vt moderans pater
Iustè pacificabit.
Illi sit puero gloria, pax, decus,
Iesu & gratia Christi.

HVIVS namque consilij peracto negotio, quinimo omnipotentis Dei disponente arbitrio, cœpit pater sagaci mente meditari quo loco quibúsne posset enutriri salubriter & educari. His incumbens rimationibus, infit prænominatis tribus: Quoniam quidem Rotomagensis ciuitas Romana potiùs quàm Dacisca vtitur eloquentia, & Bajocacensis fruitur frequentiùs Dacisca lingua quàm Romana; volo igitur vt ad Bajocacensia deferatur quantociùs mœnia, & ibi volo vt sit, BOTHO, sub tua custodia, & enutriatur & educetur cum magna diligentia, feruens loquacitate Dacisca, tamque discens tenaci memoria, vt queat sermocinari profusiùs olim contra Dacigenas. Tunc Botho adquiescens Senioris voluntariæ petitioni, & suscipiens præcipuum infantem ad curam educandi, vrbi eum detulit concitè Bajocacẽsi, eúmque custodiuit vt pupillam oculi sui. Dux verò Vvillelmus ob amorem dilectissimi filij sui, Pascha ipsius anni Bajocas celebrauit, coadunatis Optimatibus Británicæ Northmannicæq; regionis. Et illic moratus est, donec essent transacti sacræ sollemnitatis Pentecostes dies festiui. Cupiens autẽ infantem Richardum suorum fideliũ sacramẽto & iuramẽto in regno cõfirmari & sublimari, assumpsit septẽ Optimates maioris potẽtiæ, & pãdit illis cũ tribus suprà scriptis secretum volũtatis suæ. Rerum fortuna casibus quia innumeris sẽper rotatur, raróq. est vlli certus causarum

A euentus. Quocirca vobis fauentibus, volo vt me superstite filius meus Richardus hæres meæ ditionis à vobis constituatur, manúsque vestras vice cordis eius concedatis manibus, pactáque fidelitas veræ fidei vestræ iuramine obnixè firmetur, atque vestro consilio vtilissimo ipsa tota patria prudenter regatur. His propositionibus hilares responderunt septem Optimates: Si præirimari & præcogitare, quinimò prædicere quod proposuisti animo non æstuaris, congruum & consequēs summoperè nobis esset, vt nostro precatu, nostráque sollicita exhortatione ammonitus hoc faceres, quia necessarium hoc negotium, & peculiarius nobis est. His dictis Richardo infanti manibus suis datis, super sacro-sanctas reliquias fidem obsequentis famulatus & militationis facientes, spoponderunt & vouerunt illi se per omnia esse fideles. RICHARDUS I.

APOSTROPHA.

Sacri & ordinis, & graduúmque,
Puer inclyte, & indolis alma
B *Patre de nitido sate, matris*
Genere ex rutilo, ingenuoque.
Meritò tibi subditur ista
Patria & regio, editus es qua.
Quia Dux bonus, & Comes almus
Eris indigena morulanti hîc,
Eris & decus Ecclesiarum,
Sacra gloria, spes recolenda.
Vagus, orphanus, exul, inopsque,
Capiens opis auxilium à te
Hilaris saturatus abibit.

His namque sagaci, prudentique & salubri consilio diffinitis, rebúsque pluribus sacræ Ecclesiæ, reíque publicæ salubriter adornatis, rediit quisque ad sua lætus & hilaris. Interea infans bonæ indolis, primíque gratia floris, Richardus scilicet celebris, formabatur capsim ab annis. Gratia autem Spiritus sancti adaugens illius antra pectoris, largifluo munere ardentis studij, sagacísque ingenij, duobus quod est sufficiens aggerabat propensiùs illi. Domum subnixam columnis sapientia fabricabat in statu illius pectoris. Ipse autem secundum vires ætatis, quicquid boni poterat C adimplebat gestis opimis. Vt autem adolebat vegetabiliter humanis incrementis, ita fœcundabatur feliciter vitæ meritis. Quæque boni audiebat memoriter retractans retinebat; mala verò respuens flocci pendebat. Quæcunque legis tegebantur obscura, reserata enucleatiùs soluebat omnia. Patre verò Vvillelmo, vt recensitum est, licet hebete stylo, perfidiæ næuo martyrizato, & in stellifero regno feliciter coronato, antequam humaretur corpus eius sepulcro, adduxerunt Richardū puerum qui residui fuerunt in regno, & qui non ierant ad luctuosum placitum cum eo. Tunc Northmanni & Britones tantæ pulchritudinis & dignitatis puerum videntes, lugubri flebilique voce singultientes, altáque diuersorum vlulatu suspiria emittentes, dixerunt vnanimes: Ecce cui seruire, ecce cui militare, ecce cui patre superstite fidem fecimus. Tunc BERINGERVS Britannicæ regionis Comes præcipuus, infit flebilis & mœstus prior pro omnibus: O Seniores & Domini Arnulfi perfidia dolosè decepti, mœrentes & tristes plorabili nece piissimi Marchionis, priusquam lamentabile corpus tumulo condatur, Seniorem faciamus nobis. Iste puer D vt Dux nobis sit & Patritius, in sede patris est subrogandus. Ne exteræ gentes super nos irruentes, hócque negotio huius traditionis inaudito principari super nos deliberantes, vendicent sibi Northmannicas Britannicásque fines, iste puer constituatur istius regni Princeps. Scutúmque perditum patris scuto reformantes, restaurantésque eius soboli, obstemus repugnando volentibus dominari nobis. His dictis vnanimiter collaudantes hoc consilium, aggrediuntur Comites cum magna frequentia Principum commoto impetu, & murmure vlulantium ingentis reuerentiæ Richardum puerum. Tumultuantium autem populorum murmure sedato, vix adepto silentiô, Berengerius & Alannus, cæterique Northmanniæ, Britanniæque Comites, datis manibus suis Richardo, subdiderunt se libenter illi, vt promiserant olim patri viuenti. Pignoribúsque preciosorum Sanctorum delatis, sanciunt illi tenorem integerrimæ fidelitatis & militationis, more Christianæ coniurationis.

RICHARDVS I. His flebiliter expletis, pluribúsque ad sua reuersis, Richardus puer expectatæ nobilitatis, fortitudinéque celebris, Rotomago remansit cum tyronibus, patrísque domigenis. A

APOSTROPHA.

Rotomage super missa vage littora Sequanæ,
Vrbs fœcunda bonis omnibus, & militibus feris,
Semper fœta leon, diues opum plenáque munerum,
Venatu exhilaris, sufficiens, & locupletior
Multarum specierum, generum, piscéque ditior.
Altis altibúsque, accipitríque ancipiti scio.
Omni quin melior, quin potior, vrbe potentior,
Portus quam vegetat Belgicus, & Celticus, Anglicus.
Gaude tripudians, lætificans, exhilarans, quia
Perfectus Senior, & dominus legifer est tibi,
Defuncto & patre Dux, Patricius, Marchio habebitur,
RICHARDVS celebris, iustus, & almus, pius, innocens. B
Sanctus, religiosúsque, benignus, sacer, & probus,
Sollemnis, celebris promeritis, dignus, amabilis,
Dilectus, recolendus, reuerendus, memorabilis,
Secla iure valens, iure potens, iure per omnia.
Qui te olim moderans proteget, ast auxiliabitur,
Et cuius meritis continuis secla per omnia
Præfulgens locupletaberis, & munificaberis.
Et cuius bonitas, & pietas, & reuerentia,
Campos Elisios scandere te coget ad vltimum.

AVDIENS autem Rex Franciæ LVDOVICVS, quòd Arnulfi Flandrensis Comitis versutia deceptus, pro stabilitate sacrosanctæ Ecclesiæ, sanctæque fidei & pacis, proq; fidelitate sui martyrizatus esset Dux Northmannorum Vvillelmus, multum condoluit, & Optimates regni exceptis mortis eius tractatoribus concitè C Rotomagum properauit cum suis Comitibus, super his quæ nefario Arnulfi Comitis astu acciderant consulturus. Rotomagenses verò aduentu Regis Ludouici hilares susceperunt eum volenter, putantes vt equitaret super Flandrenses; acerbámque & pestiferam vltionem pro inaudito piaculo, quod fecerant, illis reddere vellet. Rex autem Ludouicus ad se venire fecit Richardum tantæ pulchritudinis puerum, lacrymánsque affectu doloso & fraudulento suscepit & osculatus est eum, retinénsque cœpit epulari & recubare secum. Sequenti namque die nutritori tanti honoris puerum volenti deducere ad alteram domum, vt balnearet & custodiret eum, prohibuit Rex, & detinuit secum. Secundo & tertio die itidem altori æstuanti facere, non finit Rex, verùm prohibuit obstinato corde. Animaduertens nutritor captum esse tantæ dulcedinis puerum, ad nullum conatus est postea ducere locum. Huius igitur rei fama tota ciuitas tumultuosa excitatur, murmúrque captionis per totam vrbem diffusum sparsim ventilatur. Tandem verò suburbani cóglobati cum ciuibus, plebeióque more irruentes, ad domum Principum ciuitatis illius, cœperũt blasphemare eos, emittentes ingentes gemitus, & dicentes altis vocibus: » Nostra negligentia Vuillelmum Ducem præcipuum nostrum Aduocatum amisimus: vestro » tamen consilio perfido non hic exul exterminabitur. Nos omnes perjuros & Regem dignè necabimus, & Richardum tantæ ditionis puerum ne exulet liberabimus. D Plurimi autem Principes asperrimis ciuium verbis exagitati, ferróque induti velociter & armis, miscent se armatæ plebi. Plurimi verò rusticorum animositatem metuentes domibus suis remanserunt, ostia obnixè obfirmantes. Ilicò verò plebs cum armatis militibus feruenti animo & citatis gressibus festinãt Regem inuadere cum suis Comitibus. Rex autem vt tumultuarij strepitus murmur audiuit, cœpit inquirere causam illius rei. Dictúmque est ei: » Vrbis istius Principes, quia Richardum tantæ » spei puerum in captione tenes, gestiunt te inuadere festinanter. Vix euades imminens periculum, vix liberaberis à turbis ciuium & armorum. Tunc Rex algido pauore præoccupatus, imminentisque ruinæ casu tremulus & concussus, tandem in semetipsum reuersus, misit ad Bernardum Principem Northmannici exercitus, vt

A succurreret ei pro amore Dei velocius. Qui concitè remisit ad eum hæc verba dicturum: Non me, nec illum liberabo; sed hac seditione oborta, vt autumo, interibo. Tunc iterum Rex misit ad eum, vt quo liberari posset daret ei consilium. Bernardus autem timens ne occideretur ipse & Rex, remandat vt accipiens in vlnis Richardum præcelsi auxilij puerum, veniret supplex ad misericordiam militum & ciuium. Rex autem sui diffidens, suorúmque interitum & internecionem metuens, suscepit in brachiis suis Richardum tantæ liberationis puerum, & detulit ante conspectum armatorum, se & suos, supplici voce poscens misericordiam illorum, occidere volentium. Ecce ego & vester Senior, quicquid de me vultis facite citò, tantum ne me meósque occidatis suppliciter imploro: quia vester Dominus non moratus est penes me vt captus teneretur, sed vt notitiis Regalibus, Palatinísque facundiis instrueretur. At illi recipientes Richardum tantæ virtutis puerum, Regem humillimæ deprecationis plenum, ad aulam suæ habitationis & ad suos redire permiserunt. Rex autem Ludouicus anxius super his importunitatibus, supérque venturis nutans & incertus, salubri suorum Episcoporum & Comitum consultu, misit, vt ad se festinarent Optimates ciuitatis illius, scilicet Rodulfus, & Anslec, atque Bernardus. Quibus accersitis, corámque adductis, Rex Principibus infit tristis: Terrore mortis Domini vestri acriter ammonitus, vosque super quod occidit solaturus, huc accessi; sed acrioris tristitiæ mœrori tristior obuiaui, quia vestri suburbani cum ciuibus, & milites cum rusticorum cœtu, me meósque voluerunt conterere, & dilacerare repentino interitu. Sed pestifero tantæ seditionis hoste, tuo consilio Bernarde liberatus, dic quid sum facturus. Et Bernardus: Nimis ægrè tuus fert animus, quod fecerunt in te rustici cum ciuibus. Oportet igitur saluum te reddi à propalatæ nequitiæ fraude. Denique quia noster Senior Dux Vvillelmus, felix per omnia extitit tuus, decet quo terram hereditario iure Richardo magnæ posteritatis puero possidendam, sacramento sacræ fidei, manibúsque super sacrosancta philacteria positis sanciens auctorizes, téque esse abhinc indennem illi, & deinceps, atque adiutorem & defensorem te esse contra terrigenas omnes. Sic quiueris lætari nostro seruitio & militatione, nos tua tutela & gubernatione. Si quis verò in te rixatus fuerit, conteremus eum, & si quispiam insurrexerit in nos, virtute tuæ potentiæ prosterne humo tenus eum. Tunc Rex in dolo respondit Bernardo: Quodcumque retulisti faciam, meósque volenter aut nolenter facere ad præsens cogam. Ilico Richardo prædignæ innocentiæ puero largitus est terram hereditario aui, patrísque iure possidendam; delatísque Sanctorum reliquiarum philacteriis, manibus super ipsa impositis, Deo nominato imprimis iurauit se cōtra omnes illi auxiliari, suósque Præsules & Comites idem facere coëgit. His taliter sedatis & expletis, Rex fraudulenter Principibus Northmannicis infit: Quoniam pollicitatione iuramenti veracis fidem integerrimi tenoris vestro Seniori vobísque peregi; perseuerantem fiduciam vestri adiutorij obnixè de me habeatis, & nullus vestrum vllatenus nutet auxilio mei solaminis. Verum Seniorem sinite mecum morari, vt facundæ vbertatis colloquio edoctus, discat diffinire, & determinare verba scrupulosæ rei. Plurimarum verò rerum notitiam meliùs discet in Palatio meo, quàm commorans in sua domo. Quocúmque proficiscar, mecum proficiscetur: quocumque morabor, morabitur. Efficaci patris eius amminiculo regimen totius Franciæ & Burgundiæ teneo: ideò adiutor & solator isti, quamdiu superstes fuero, ero. Quia pater istius pro me morte præoccupatus fuit, belluâ crudelior ero, si non auxiliatus fuero isti. His igitur fraudulentis Regis simulantis alloquiis Principes Northmannorum decepti, mancipauerunt RICHARDVM, desideratæ spei puerum, Ludouico Regi ad educandum. Rex verò hinc cum puero ad Ebroicacensis vrbis profectus mœnia, disponebat Reipublicæ iura. Simulabat ore & opere bonæ voluntatis adiutorium, verùm in corde gerebat malæ intentionis propositum. Diu morulans Ebroicas, cogénsque subdolo corde ad fidelitatem pueri ciuium turmas, repetiit Rotomagensis vrbis palatia. Postera die, Principibus ciuitatis accersitis, fraudulenta & dolosa verba retulit: Super damni & doloris nostri auctorem, properandi habeo intentionem. Reuertar ad Laudunum, deducens mecum Richardum fiduciæ vestræ puerum. Hincque Burgundionibus ascitis, Francigenísque conglobatis, obsidebo Attrabatum donec capiam illum. Omnes verò subuertam munitiones Flandrensium, & dissipa-

RICHARDVS I.

RICHARDVS I. » bo hostiliter bona illorum. Quocumque Arnulfũ sciuero, illuc mei exercitus gressum festinanter protelabo. Vltionem quam meretur ei reddam, si fortè illum vsquam inueniam. Vos autem estote præparati, vt vestrum Seniorem mecum vindicetis. Talium sophismatum simulationibus excæcati, siuerunt futuræ opis puerum ab eo deduci. A

APOSTROPHA.

Rotomage tuus modò puer,
Marchio iure potens tibi datus,
Captus adest quia, plange tremulans
Regéque, Francigenísque Satrapis,
Ducitur, heu dolor! aduena velut
Dacigenis stolidis Proceribus.

COMES verò Arnulfus inaudita fraudulenti homicidij lue fœdatus, timénsque futuros vindicaturi si benè egisset Regis aduentus, misit ad eum Legatos, qui subsequentia dicerēt, cum maximis muneribus: Domine Rex piissime, noster Senior plurima subactus infirmitate, mandat tibi fidele seruitium, si placet recipere. Falsa propalatæ famæ opinione audisti, indebitæ Richardi Ducis morti nostrum Seniorem Arnulfum fauisse, qua se contra te vult expiare & emendare, iudicio tuorum, igne. Milites verò, quibus Richardus plurima mala intulit, quique morti illum applicuerunt, ex tunc minabit, si talibus factis gratiam tuam poterit promereri. Quatinus annuendo petitionibus eius beniuolus faueas, mittit tibi libras auri purissimi bis quinas. Quinetiam vniuersæ regionis suæ tributa annuatim dum vixerit tibi vltrò soluet. Seruicium tuum sui per omnia facient, & quocumque perrexeris hostiliter pergent. Ipse accedere ad te nequit, quia podagrâ scis eum irretiri. Foueant preces nostræ indulgentiam tuæ pietatis, tali afflictum infirmitatis vulnere, talique sine re culpatum crimine, miserantis. Miseratio condigna præoccupet furorem tuum, vt non deseras seruum tuum, sine causa à te exosum. Tua est potentia, tuúmque regnum: noli perdere quod tibi est commissum. Faciliùs potes omnes Flandrenses perdere, quàm vasa vitrea malleo conterere. Tunc Regis Consiliarij muneribus excæcati dixerunt ei: Non oportet te vlli præiudicium facere, qui se tibi satagit iustificare. Immunem se à doloso scelere mandat, suósque iustificare aut exterminare deliberat. Pro non recuperando quo indiges, non debes perdere quem tenes, neque te vllatenus illo frustrari. Omnes qui occidentur non tibi est ius vindicare, sed residuos ob mortem rixantes pacificare. Reminiscere malorum & pudoris, quæ in te Northmanni Rotomago exercuerūt, & præcaue ne peiora tibi impertiētes, Northmannicum auferant tibi regnum. Tunc Flandrenses: Præter hæc mandat noster Senior tibi præmaximum consilium huius rei. Tene Richardum filium in sempiternum, & vsus fructus regni in æternum. Opprime diro legis iugo & seruitio terræ illius habitatores, & coge illos seruire tibi obedienter. Cuius praui consilij exhortatione & muneribus Rex deceptus & excæcatus detinuit in custodia Richardum tanti pretij puerum, & dimisit Arnulfo, quæ fraudulenter de Vvillelmo fecerat propter eum. B C

APOSTROPHA. D

O Ludouice,
Si benè corde
Vota teneres,
Quæque sacrasti,
Rex recolende,
Cùm benè regnans
Imperitasti;
Auxiliante,
Præsidiúmque
Dante salubre
Vindice tanto,
Patre Richardi,
Religioso,
Innocuóque
Martyre Christi,
Simplicitate,
Et probitate
Munificato.
Belgica qua nunc,
Celtica nécne,
Ast Aquitana
Gallia porgit
Multiplicatos
Vndique tractus.
Cur abicis quod
Iam sacramento
Religionis
Christicolarum

A

Iure tulisti?
Cur resolutus
Lege ferina,
Atque nefanda,
Muneribúsque
Proditus astu,
Linquis honestum
Iamque reuulsa
Pace tenorem
Credulitatis?
Cur sobolémque
Illius almi,
** Lore ligatam*
Impietatis,
Fomite prauo,
Heu! vegetandam,
Atra cupido
Sorte cupita
Detinet exlex?
Desine prauum,
Sperne tenere
Quaque nefanda.
Mitte Richardum
Postulo ephebum,
Quo sua iura
Impleat alma.
Quo capis illum,
Tu capieris,
Et vice digna
Regredieris.

B

ERAT autem quidam tyro nomine HOSMVNDVS, Richardi summæ celebritatis pueri educator, & altor sagacissimus. Qui quadam die absente Rege immeritæ captionis puerum equitare fecit ad aucipium, vt disceret alites capere suo accipitre. Cùm verò Rex reuerteretur, & Reginæ verbis GERBERGÆ sciret, quòd puerilis delectationis studio memorialis scientiæ puer Richardus extra Laudunum proficisceretur, rogauit ad se venire Hosmundum magistrum eius. Illo coram astanti furiis bacchatus acerbis, demonstrans obtectum diu nefariæ captionis secretum infit: Nequior omnibus, quorsum deduxisti Seniorem tuum nudius tertius? Senioris tui poplitibus coctis, priuabo te oculis, si forsan eum quoquam amplius duxeris. Tunc aliis tyronibus pariter cum eo commendauit puerum, vt custodirent diligenter, & ne posset fuga elabi præuiderent eum. Hosmundus autem animaduertens captum esse Richardum tantæ dulcedinis puerum, misit ad Rotomagenses qui nũtiaret blasphemum tantæ deceptionis negotium. Rotomagenses verò mutatum malefidi Regis stupentes propositum, à Deo requirunt suppliciter tanti consilij auxilium. Mittunt ergo ad omnem Ecclesiam Northmannicæ Britonicæque regionis, vt Missas concelebrent deuotè pro eo Presbyteri, Clerus psalmodiis vacet, populúsque nudis pedibus, saccóque indutus ieiunet. Northmannici verò Britonicíque Præsules huius tristis legationis famam audientes, triduanum ieiunium in vno quoque mense populo indicentes, deprecantur Dominum Deum fusis precibus, eleemosynisq; datis pauperibus suppliciter, vt reddat eis Richardum tãti desiderij puerum. Monachorum, Canonicorúmque Clerus pro eo Psalmos supplex concinit, populúsque lustrans deuotus Ecclesias, deprecatiuos gemitus emittit. Interea Richardus tanti decoris puer, insignis prosapiæ honestate celeber, instruebatur omnibus in captura notitiis sufficienter. Ducebat solidam illius ætatis partem robore cumulato, erátque commodus & vtilis omnibus quasi maturus æuo. Arguebat secundum vires ætatis quicquid erat illicitum. Floccipendebat quicquid erat animæ incentiuum. Viuaci lepore affluenter armabat linguam, facundæq; vbertatis colloquio insignibat eam. Peragrabat studio, & retractabat quæ ignorabat, nec abdebantur ei quæ sunt obscura. Pueritiæ suæ ætatulam Iesu Christo consecrabat, séque totum diuinis præceptis, teneræ adhuc licet ætatis esset, mancipabat. Diuina namque permissione hoc factum est, vt puer conspicuæ formæ præ cæteris nitidus, nonnisi in Palatio Regis nutriretur. Multimodis illum sermonibus libenter insignibant, & mellifluo Palatinæ sermocinationis dulcamine erudiebant. Processu verò temporis Northmannorum & Britonum precibus continuis, ieiuniisque singulis mensibus deuotissimè exercitatis placatus Regum Rex Dominus, eripuit Richardum inæstimabilis incrementationis puerum taliter de Regis manibus. Prædictus namque tyro Hosmundus prouisor illius honestissimus, videns detineri suum Seniorem diutiùs, & vallari vicissim die noctúque ne posset subtrahi tyronibus, cœpit meditari quomodo eriperet eum de tantis custodibus. Quadam igitur die cœgit huius rei gratia simulata imbecillitate recumbere tantæ custodiæ puerum, & quasi dissimulatæ corporis sospitate, emisso frequentiùs planctu aggrauari eum. Cuius falsæ opinionis rumore ciuitas impletur, & hæc simultas pro veritate fama nunciante propa-

RICHARDVS I. latur. Custodes verò tertia die æstimantes morte præoccupari tantæ diligentiæ puerum, huc illúcque necessitate sua euntes discesserunt. Hosmundus igitur cœnante Rege & ciuibus, nudísque plateis ab hominibus, byrro & tantæ liberationis puer indutus, citatis equis, Lauduno exiuit citius, rapidóque cursu castrum appulit Codiciacum. Illic affluentis probitatis commisit Castellanis puerum, & profectus est in ipsa nocte ad Comitem Bernardum eius auunculum, qui morabatur mœniis Siluanectensium. A

APOSTROPHA.

Northmanniæ nunc Præsules,
Bellóque in omni principes
Regni triumphales simul,
Et Clerus omnis Ordinis,
Populus simul plorabilis:
Pueri, senes, & virgines,
Iuuenésque, cuncta femina, B
Vulgusque in vicum concitus,
Fletus lugubres mittite
Mæstis modis, & parcite.
Nam gaudium vobis datum,
Vinclis solutus regiis,
Elapsus & custodibus
RICHARDVS almus, innocens,
Prudens puer sanctissimus,
Pulchrè decorus, splendidus,
Liber tenaci compede,
Vobis erit Dux præpotens.
Grates Deo nunc reddite
Pro liberato pignore.

BERNARDVS autem in obscuræ noctis silentio videns Hosmundum, admirans » dixit ad eum. Quid tibi Hosmunde? nihil boni de meo nepote? At ille: Domine, si C » eruam eum de manu Regis atrocis, quid facies de eo? Et Bernardus: Te multis ho- » noribus ditatum sublimabo, te beneficiis locupletatum nimis exaltabo. Nepotem » verò meum in regno patris sui hereditario restituam, Northmannorum Britonúm- » que Principes illi seruire cogam. Ad hæc Hosmundus: Serò Lauduno tuum nepo- » tem clam subtraxi, & Codiciacensibus Castellanis eum vt custodirent commenda- ui. Mox Bernardus solito lætior citiùs surrexit, & ad Hugonem Magnum Ducem Parisius præpete equitatu festinanter properauit. Hugo Magnus videns eum dixit: » Quid ad nos tam repentinus & matutinus accelerasti? At ille: Rex quia Ludouicus » meum nepotem strictiùs & præuidentiùs custodit, venio ad te vt des super eum ali- » quod consilium mihi. Et si fortè aliquis eum de manibus Regis eruerit, quale adiu- » torium ei tua clementia impertietur. Tunc Hugo Magnus: Mirum est omnibus » quod agit Rex Ludouicus. Pater pueri illius pro fidelitate Regis deceptus est & in- » teremptus, & ipse tenet captum filium eius. Vtinam de vinculis Regis eum eruerit » aliquis, & mihi adduxerit! Et Bernardus: Domine, quid facies si quod retulisti ad- » impletum fuerit? Et Hugo Magnus: Ego quidem Northmannos & Britones subiu- D » gans ei, possidere faciam illum quæcumque pater tenuit. Contra Regem illi auxi- » liabor, contráque Arnulfum, omnésque insidiatores viriliter iuuabo. Tunc Comes » Bernardus precibus accumulans preces, ad pedes suppliciter corruens dixit: Domi- » ne Dux præpotentissime, ne irascaris si repetam quod volò à te. Vt credulus tuarum » promissionum confidenter existam, pollicitationis verborum tuorum fac mihi tua » petitione fidem integerrimam. Habeo enim Codiciaco tanti amoris puerum, ca- » ptione Regis perfidi ab Hosmundo liberatum. Dux verò Magnus gratulās de pue- » ro eruto, dixit Comiti Bernardo: Vt propositionis meæ proposito fiducialiter secu- » rior sis, faciam tibi & illi quæ supplex requiris. Allatis verò reliquiis, manibúsque suprà positis, sacramento veræ fidei, spopondit se puero contra omnes auxiliari.

APOSTROHA.

Mellisflua bonitatis ope,

A *Hugo poténsque, valénsque, vigens;*
Magnus, & inclytus, ac meritus,
Magnanimus, bonus, almificus;
Mirificus, probus, egregius.
Auxilij ecce memento tui,
Et reminiscere quàm peragis
Eximiæ probitatis opus.
Emeritumque iuua puerum,
Protege, saluifica, refoue.
Quod pater vt tenuit teneat,
Gaudeat & recidiuus eo,
Possideat, habeat, faciens
B *Quod facere assiduè ambierit.*

His & huiuscemodi peractis, Comes Bernardus rapido equitatu Codiciacum expetiit, & osculatus tantæ diligentiæ puerum, amplexibus fruens optatis, eúm cum magno exercitu ad Siluanectensem vrbem perduxit. Rex verò Ludouicus duplicis tristitiæ, scilicet eo quòd ceperat puerum, & quòd ipse elapsus erat, expertus errorem, misit Legatum ad Ducem Magnum Hugonem, vt reddere puerum cogeret Bernardum Comitem. Hugo quidem Magnus remandat Regi verba subsequentis orationis: Siluanectensem, & Codiciacum, Torotense non auferam Bernardo, & Cretheltense castrum, nequeo vrguere vllis conaminibus illum, vt reddat Richardum dilectissimum nepotem suum. Interea Bernardus Comes Siluanectensis misit ad Bernardum Rotomagensem, ceterósque Northmannos, qui nuntiaret concitè euentus optatos. Northmanni quidem & Britones desiderati pueri ereptione nimium hilares, persoluunt Deo omnipotenti pro eo vota & grates. Huius rei gratia Siluanectensis Comes Bernardus profectus est contra Bernardum Rotomagensem & Dacigenam, quid ageret de puero consulturus. Cúmque mutuis alternatim sermonibus, nimiúmque secretis fruerentur, & de restitutione pueri in regno diu tra-C ctarent, Bernardo Dacigenæ dixit Comes Bernardus: Ne forte Rex Ludouicus animaduertat nostræ intentionis propositum, non veniam ab hinc contra te ampliùs ad placitum. Verùm crede quod mandauero tibi signo inter me & te facto ostenso per legatum, & rimare ingenioso conamine Regem Ludouicum ire fatuare, quia vult nos & vos omnes crudeliter perdere. Ilico pluribus rerum cautè replicatis, quisque sua celeriùs reuisit. Interea Rex Ludouicus de dignæ ereptionis pueri absolutione anxius, & de remandato diffidentiæ ab Hugone nimium tristis & mœstus, misit ad Flandrensis gentis Comitem Arnulfum, qui eius rei negotio auxiliabitur nimium; quatinus venire contra se accelerarет ad placitum. Qui festinanter occurrentes sibi in pagò Vermandensi, in villa quæ dicitur Restibulis, quid agerent cœperunt meditari. Arnulfus verò digni interitus sui formidans vltionem, vafro stomachatus astu, dixit ad Ludouicum Regem: Ingentis formidinis pauore exterreor, & vsque ad intimum medullarum super venturis concutior, ne forte Northmanni & Britones Hugoni Duci contra te rixanti vehementer nostræ confusionis interi-D tu cohærentes, militari manu ascita insurgant in nos vnanimes. Verùm super hoc dabo tibi consilium, ne incurramus venturi damni periculum. Excæca igitur oculos Hugonis muneribus & beneficiis, ne possit quæ feceris iure refragari. Concede illi Northmanniam à Sequana vsque ad mare, vt valeas quæ citra sunt quietè tenete. Northmanni verò taliter diuisi desolabuntur, & non contra nos ad certamina vltra excitabuntur. Sic minues & exarmaueris potentiam illorum, non vno soli Domino militantium.

APOSTROPHA.

Inuentor sceleris, consilij & mali,
Prorsus quod vetitum est, fraudis & impiæ,
Cur præscire Dei consilio tuo
Gestis conterere, & sistere perfido?
Heu! heu! occubuit perfidia tua,
Huius iam sobolis præmeritus pater,
Prouisu Domini, purior vt foret,
Fultus martyrio, testis & emicat.

RICHARDVS I.

Hanc non contaminans improbitas tua
Torquebit simili & dilanians modo,
Hic verè sederit Dux luculentior,
Prudens, pacificus, promeritus Comes,
Sanctus, religiosus, bonus, & pius,
Summus Patricius, Marchio prouidus,
Defensor patriæ, ast indigus opis,
Solator miseris, quin viduæ, & orphani.
Cunctis omne bonum, lucráque prospera.
Effectus populum regimine congruo,
Conducet moderans, legéque corrigens,
Campi siderei ad pascua cælica. A

REX verò Ludouicus prauo astutæ dolositatis ingenio vsus, misit ingentis reuerentiæ Præsules ad Hugonem velociùs, vt ea fide qua concatenantur Senior & miles venire festinaret ad se promptiùs. Hugo igitur Magnus creberrimis Episcoporum petitionibus suppliciter coactus, profectus est contra Regem ad villam in vico » iuxta Compendium, quæ dicitur Crux, dixitque ad Regem: Cuius rei negotio huc » me accelerare fide & legatis præcipuis compulisti? Rex autem: Vt reddas mihi Ri- » chardum, quem furatus est Hosmundus, & perduxit ad Comitem Bernardum. Re- » spondit magnus Hugo: Nisi castra quibus præest Bernardus illi vi abstulero, nequeo » fauere vllatenus precibus tuis & voto. Tunc Rex: Vt meæ necessitati non iniurius, » sed solator existas, concedam tibi Ebroicacensem & Bajocacensem Comitatum, » quinetiam à Sequana ad mare vsque vt possideas. Ego verò quæ citra Sequanam » sunt tenebo, & quæ meæ voluntatis sunt ex his explebo. Simus concordes in omni » negotio & vnanimes, vt decet Regem & Ducem perpetualiter. Ego cis Sequanam » pergens, Rotomagum obsedebo, tu verò militari manu Bajocas vallans expugnato. » Sic atteramus Northmannos aduenas & superbos, nostræq; ditioni subiciamus illos. » Taliter autem mitescent & subiugabuntur, aut exterminati Daciam celeres repe- » dabunt. Hugo verò Dux Magnus, fidei, quam fecerat Bernardo pro Richardi iuuamine, oblitus; quinetiam beneficiis ac ciuitatibus exorbatus, pepigit cum Rege huius conuentionis fœdus. Quo, vt hæc facerent, determinato tempore, regreditur ad sua quisque. Bernardus igitur Comes huius conuentionis gnarus adiit Hugonem Ducem celeriùs, veniénsque ante conspectum eius, dixit corde vultúque turbatus: » Dux magne & fidissime, præcellis vsque nunc omnibus meritis, & fidei tenore, sed » mirum mihi cur innocenti puero mentitus es, quod vltroneus Christianæ coniura- » tionis fide promisisti. Oporteret te quam promisisti seruare fidem illæsam, & nullo- » rum donorum munere & beneficio exsecrari eam. Northmanni & Britones norunt » quæ spopondisti puero, Franciæque Principes lætificarunt se super hoc consilio. » Quid turpius hac infamia? talíque blasphemia quid obnoxius? Tantæ perfidiæ ru- » mor, tantíque malefidi Ducis nequitia promulgatur per tota penè Franciæ ciuita- » tum mœnia, omnes susurrant de tanto Duce & Aduocato, quo modo deceptus est » & mentitus muneribus & beneficio. Contra istius inuectionis molimina Hugo ma- » gnus respondit ab imo cordis emittens suspiria. Veris purisque sermonibus quæ ex- » ecutus es retulisti, quia oblitus sacramenti, quo me defensorem & adiutorem pueri » vltroneus promissi, terram à Sequana vsque ad mare hereditario iure ab eo possi- » dendam, dono Regis recepi, eíque integerrimæ fidei stabilitatem feci, méque adiu- » torem illius ex ea terra, quæ citra Sequanam est, periurans repromissi, si eam quam » mihi dedit numquam contradixerit. Verùm quia mirabilis ingenij, ingentísque in- » dustriæ & calliditatis Comes es, & astutus in omnibus negotiis, precor vt eruas me » aliquo sophismate à blasphemia huius rumoris. Decurso abhinc die sedecies, festi- » nabimus adire Northmanniam ego & Rex. Ipse autem Rotomagensem vrbem, ego » verò obsidebo vt iuratum est Bajocacensem. Affligemus igitur Northmannos tali- » ter & Britones, & redigemus vt seruiant humiles. Quisquis verò contra nos contu- » max fuerit & rebellis, exterminabitur; quisquis verò armis præsumpserit, occidetur. » Si quid prudentiæ & ingenij habes, precor te vt ab huius periurij noxa soluens me » liberes. Cernens autem Bernardus, quòd aperuisset Hugo Magnus cor suum, dixit » ad eum: Iccirco quòd tu Senior benignissimus, vel quia ille nepos meus dilectissimus,

RICHARDVS I.

A mus, meliùs quàm potero argumētabor, si fortè vestrum cogitasse turbare quiuero. Ilico Comes Bernardus consilia Regis & Senioris sui, denominatæq. congressionis super Northmannos tempus expertus, recordatæq. voluntatis sui Senioris beneuolentia lætior, Siluanectis regressus, misit ad Bernardū Rotomagensem & Dacigenā velociùs, & quæ audiuit ab Hugone Duce Magno, etiam voluntatē eius mandauit secretiùs. Quinetiā ne Regi obnoxius ciuitatem defenderet, verùm Choro Canonicorū Monachorúmq. præparato, eum quasi eius aduentui congratulans hilariter reciperet, & vt Hugoni Magno Duci terram, quam illi dedit, Regem cōtradicere multarū argumentationū prosecutionibus cogeret. Bernardus verò Rotomagensis lætior legatione huius cōsilij, quæ legato disserēte secreta audiuit, Northmānis principibus ascitis intimauit. Northmanni autē non quenquā illorum decipere scientes vmquā Bernardum, quinetiā quòd Hugonis Magni Ducis sciret secretū, eius conlaudauerunt pariter consiliū. Statuto verò tempore coniuratæ progressionis, ascita B Francigena vndecumq. potuit manu militari, venit Rex in pagū qui dicitur Calcis, cœpitq. infestare gentes & prædia incendiis. Hugo autem Dux Magnus huiuscemodi coniuratione illectus, profectus est ad Baiocacensem Comitatū cum magno exercitu. Bernardus igitur Rotomagensis nō immemor Bernardi Siluanectēsis Comitis consilij, misit ad Regem Ludouicū in dolo verbis pacificis, quatinus properaret ad ciuitatem Rotomagēsem cum Episcopis, Principibúsque suis, & ne amplius deuastaret quæ sua erant ferocitate tantæ gentis. Rex verò huius legationis mādato lætus, regiminísq. sui & honoris profectum congratulans adaugere, subacta vrbe & Principibus, venit Rotomagēsem ciuitatē cum Francigenis Optimatibus, prohibēs reliquos exercitus ne depopularentur terram suæ ditionis amplius. Bernardus verò, ceterique Principes, atque Clerus totius vrbis, occurrerunt contra portam Beluacensium, & receperunt animosæ calliditatis ingenio eum. Crastinæ verò diei diluculo venit Bernardus ante conspectum Regis Ludouici, & cœpit in dolo compellare eum verbis humillimis: Domine Rex inuictissime, ab olim vsque nunc integer stabilisque extitisti fide, & conlaudabilis in omni tuo opere. Nos Ducem & Aduocatum perfidiā Arnulfi amisimus, sed gratiā Dei te Regem Aduocatum nobis recuperauimus. Non curamus de prole, quam tibi Hosmundus furatus est & abstulit: nec vmquam eius seruitio incumbentes militabimus ei, quia melioris consilij C est nos esse Regales & Palatinos, quàm talis Comitis satellites esse & seruos. Verùm, nobis mirum quid audiuimus, & vltra credibile, supráque satis admirati sumus, quorum relatu didicimus, quòd Hugoni Duci semper contra te rixanti contumaciùs concessisti spatiosam terram à Sequana maris fine tenus, & adhuc expugnat Baiocacensem tellurem, & præoccupat cum magno exercitu. Parui pretij, Rex dulcissime, paruæque militationis atque seruitij, quod tibi reseruasti. Viginti milibus armatorum augmentatus es inimicum tuum. Quis Constantinensibus & Baiocacensibus vidit fortiores in bello, prudentiores in consilio? Si militarem manum, vt VVillelmus, tenuisses; omnium quippe gentium horum consilio & armis dominari quiuisses. Nónne VVillelmus huius exercitus medietate fretus, comitante Hugone & Herberto seorsum conduxit te ad Regem Heinricum securus? Quis tuebitur, & defensabit, proderit & præerit huic quam retinuisti ciuitati? Baiocacenses, Constantinensésque hanc custodiebant vrbem Francisco Anglicóque in portu eminentem. Omnium bonorum illius terræ affluentia aderat nobis, & eraD mus locupletes opibus illius telluris. Recipe ergo ciuitatē, quia non habemus sumptus, quibus in ea viuere possimus, dáque Hugoni eam quò queat rebellare contra te securius. Nos Daciam cum omni genere nostro præpete nauigationis cursu repedabimus, & hanc maiore collecta multitudine militari, vt Rollo quondam, deuastabimus; nec tua, nec Hugonis erit posteriùs. Rex verò deceptricibus querimoniis instigatus, precatus est Bernardum, vt daret sibi consilium super his rebus. Tunc Bernardus: Mitte legatum ad Hugonē Ducem Magnū, qui Bajocacensia rura illi contradicat, & non possidere plus quā tribus noctibus, & dicat nō tenere se ea ampliùs, quia malo es consilio vsus. Rex verò ilico misit ad Hugonem, qui diceret huius rei sermonem. Cúmque legatus coram Hugone Duce adstaret, huiúsque rei verba illi intimaret, obstupuit, in vnóque obtutu defixus inquit: Calliditas duorū Principum coëgit Regem mandare tale propositū. Huius igitur contradictionis verbo Parisius

RICHARDVS I. » Hugo Dux regrediens, misit ad Regem Ludouicum dicens: Cur quod mihi sponta- A
» neus dedisti, ablatũ est? Respondit Rex: Tellus Northmãniæ nonnisi vnius Senioris
» vnquam tuebitur aduocatione. Nec debet esse diuisum, quod decet esse continuũ.
» Rollo enim Daciæ finibus exterminatus, hanc sibi integrè vendicauit, & non dis-
» pertita ab vllo postea extitit. Gẽs Dacigena nescit famulari nisi vni soli Seniori. Legatus autem quæ Rege narrante audiuit, Hugoni Duci diligenter retulit. Interea Bernardus Siluanectẽsis audiens inopinatũ citissimúmq. regressum Hugonis Ducis
» sui Senioris, venit ad eum citatis equis. Dixitq. Dux perseuerantis fiduciæ; Quoniã
» noxialis sacramenti solutus es cõpede, memor sis sacramẽti, quo te RICHARDI pueri
» adiutorẽ spopõdisti. Et Hugo: Nequibo illi auxiliari, quia omnis Northmãnica gens
» subdita est Regi. Contra Bernardus: Præstolare attentiùs euentũ rei, & quid futuri
» parient dies illi.

APOSTROPHA.

O Rex, cur memor haud tui
Istiúsque patris, qui tibi profuit,
Cuius præsidio continuo regna tenes modo, B
Et qui multa operatus est
Pro te, & qui occubuit hostia victima
*Regis siderei, quæque latent * scij.*
Et quod iam genitor suus,
Pollens veridica perpete famine,
Armis exuperans, & quod auus continuit sacris
Nunc præiudicium facis.
Ex hoc innocuo adhuc probo puero
Richardo celebri prosapiâ nobiliter sato.
Huius flagitij lue
Casus innumeri præpedient, ob hoc
Olim te capient, te periment fine sub vltimo.

INTERIM Rex Ludouicus morulans Rothomagẽsis vrbis mœnibus, disponẽnsque Northmannicarũ rerum negotia vt dominus, fraudulenta falsæ opinionis intentione, putans se esse Regem Northmannorum, & Aduocatum, labile deducebat illic otio tempus. Quadam namq. die quidam tiro Franciscæ gentis, sufficientẽ omnium rerum opulentiam Dacigenæ Bernardi, quinetiã vxorem præpulchræ speciei vt concederet sibi, Regem rogauit. Ceteri namq. tirones huius petitionis famã secretiùs audientes venerunt ad Regẽ dicẽtes: Domine Rex, tibi incessanter semper C
» seruimus, & nullius rei sufficientiâ, nisi cibi potúsq. ditamur. Hos aduenas North-
» mannos expelle abhinc, & extermina, precamur, & largire nobis illorum beneficia
» concessis vxoribus. Nos verò hanc vrbem regemus seruitio tuæ fidelitatis, nec de
» cuiuslibet nostrorum infidelitate nutare quiueris. Cõsilium huius rei nefandũ enucleatur Bernardo & Dacigenis; verũtamen vicissim consulti, cõmisserunt illud taciturnitati. Rege vero Ludouico Laudunũ regresso, nouercalisq. odij zelo à Northmannis nimium pertæso, turpis tironum petitionis ambitione admodum tristes, meditabantur interitum Regis retractando vnanimes. Vt autem Regem decipere aliquo subdolo conamine quiuissent, Northmannorum Optimates miserunt ad HAIGROLDVM Regem Daciæ nobilioris & ditioris potentiæ milites, vt Richardo Vuilelmi magni Ducis filio consanguineo succurrere festinaret; quia Rex Franciscæ gentis totius Northmanniæ Monarchiam vendicabat sibi, auferens omnem honorem puero Richardo eruto eius auunculis. Haigroldus verò Rex Daciæ magnanimus ob amorẽ Richardi sui propinqui, Legatos Northmannorũ honorificè suscepit; constructísq. nauibus, hísq; cibariis & militibus repletis, ad littora salinæ Corbonis, qua Diua rapido meatu procelloso mari se infũdit, cũ incredibili tyronũ multitudine, citiùs quã quiuit venit. Cõstãtinenses autẽ & Bajocacẽses audientes aduentum Regis Haigroldi propter amorem Richardi pueri, venerunt seruire illi. Fama ilicò per Frãciæ climata celeriter penetrauit, denũtians inæstimabilis multitudinis paganos adesse littoribus Northmannicis. Bernardus igitur, ceteríque Rothomagenses, fidelitatem Regis Ludouici verbis simulantes, miserunt ad eum in dolo, dicentes: D
» Quoniam innumerabilis copiosæque multitudinis pagani primæuæ iuuentutis flo-
» re nitidi, nostris finibus sunt aduecti; precamur quatinus ascita manu militari, sub-

A uenias velociùs nobis, si Northmannicæ regionis Principatu gaudere mauis. Rex autem legato: Fama nuntiante audiui, verum esse quod dicis. Quapropter Rex Ludouicus huius pestiferæ legationis relatu ammonitus, concitato Francigenæ gentis exercitu, venit ad Rotomagum repentinus, adducens secum HERLVINVM Comitem, & LANTBERTVM fratrem eius. Rex autem Haigroldus Regis Franciæ audiens aduentum, fraudulento consilio Northmannorum mandauit venire illum contra se ad placitum. Regē autem Ludouico confidenti in multitudine exercituū, & ire disponenti suæ damnationis ad placitum, dixit Bernardus Rothomagensis se fidelem simulans Francorum: Gens contra quam proficisceris ad conciliandum, internæ dilectionis amore recolens, dilexit nostrum Comitem Vuillelmum, & pro quo martyrizatus est intimo cordis affectu odit nimium. Lite enim Herluini Comitis, Northmanni tali Duce priuati, congredientur intentione mortis in eum, si forte eum viderint. Quapropter eum noli ducere tecum, ne forte eo cognito, nascatur vtriúsque exercitus iurgium. Tunc quidam ex tironibus Bernardo respondisse fertur: Num propter te ceterósque aduenas talis Comes, vt est Herluinus, vllis latebris repositus abscondetur? Bernardus autem tacitè quæ agebantur considerabat, illiúsque inuectionis dolorem in corde pressabat. Ludouicus autem Rex Francigenum mouens exercitum, Herluinum Comitem conduxit secum, castráque metatus est citra Diuæ decursum. Constantinenses atque Bajocacenses cum Rege Haigroldo vltra Diuæ fluenta fixêre tentoria. Bernardus primo mane consurgens, venit ad Regem Ludouicum, dicens: Domine Rex velociùs surge, & quid agendum sit, secretiùs cum tuis rimare. Alterius moris est gens hæc quàm Fracigena, argumētosæ calliditatis nimis plena. Tunc quidā recubans intrinsecus, respōdit Bernardo, rege adnuēte, stāti forinsecus: Pete dormitum citiùs, quia non curamus de talibus. Bernardus verò huiuscemodi verbis exasperatus, repetiit castra Rotomagēsia velociùs. Æstuante verò Sole hora diei tertia, cœperunt Diuæ alueū Constantinensium Bajocacensiúmq; trāsire agmina. Bernardus autem hoc intuēs, Regē iterum expetiit, dicens: Supra satis Rex dormitare adhuc stude, quia gens Dacigena transgressa Diuæ flumen stat equestris in littore, nescio cuius animositatis intētione. Rex verò minacibus verbis excitatus, surrexit otiùs, Comitūq; & militum frequētia constipatus festinabat ire ad sui colloquiū interitus. Conuocánsq. Bernardū dixit ad eum: Nescio quid meus mihi præsagit animus, placida non mihi est quiete cōtētus. Aut pugnam, aut aliquid nouū exagitat mihi inuadere sollicitus. Ad hæc Bernardus: Nónne prohibui multis prosecutionibus, ne Comes Herluinus huc cōduceretur? His dictis venit ad locū, quo placitū erat dispositum. Stabat autem illic cū Constantinensibus & Bajocacēsibus Rex Haigroldus, Rege Ludouico propiùs stāte cum Francigenis altrinsecus. Stabat autem & illic Dacorum delecta iuuentus, adnixa hastis, tenénsque scuta in manibus, quærebant occasionem, qua possent Frācos occidere & Regē. Mutuæ igitur voluntatis colloquio, Rege Ludouico, & Daciæ Rege Haigroldo, * contentibus Francigenísque & Dacigenis, necnon Constantigenis, & Bajocagenis vndique secus armatis, circūstantibus; cuidam militi noto quondam sibi dixit Comes Herluinus: Cuius sospitatis, cuiúsque prosperitatis, vel cuius facultatis, tu & origo tui generis? Respondit ille: Salubris sum incolomitatis, locupletisq. felicitatis, atque sufficientis vbertatis. Constantinenses verò & Bajocacenses cœperunt ab interrogato inquirere, quisnam esset, qui de commodis suæ prosperitatis tam familiariter sciscitaretur. Respondit ille inquirentibus: Herluinus Monasterioli castri Comes præcipuus. Constantinenses autem dixerunt Bajocacensibus: Nónne hic, cuius iurgio, vel pro quo deceptus est, & martyrizatus noster Senior Vuillelmus, Marchio Duxque honestissimus? Euetúrne hic infestus nostris manibus? His dictis, commoto murmure incompescibili torquent arma omnes Dacigenæ, furiis stomachati, tantíque Domini morte felle æstuante bacchati; occasione capta, inuadunt Herluinum Comitem, & perimunt imperterriti. Francigenæ autem cupientes Comitem Herluinum vlcisci séque armis tueri, insurgunt super eos intrepidi. Cuius occasionis dolo, prælij certamine atrociter inito, Franci telis lanceísque pugnando confractis, obluctabātur fortiter mucronibus extractis. Tādē multifluo pestiferóq. Cōstātinēsium & Bajocacēsium, necnō paganorū cœtu hinc inde vallati, iugulabātur dilacerati sicut bidentes à lupis. Sic mortifero per prælium impulsu congressi, bis nouē

RICHARDVS I.

RICHARDUS I. Comites nobilissimi præoccupantur morte, sæuiente Marte dilapsi, ex parte Regis Ludouici, nec erat vlla spes vitæ vel fugæ residuis. Rex verò Ludouicus præsidio Francorum cernens se desolatum, expertúsque prælij periculum, fugæ tardantis expetebat auxilium. Rex quippe Haigroldus prospiciens abesse Regem Ludouicum, volucri sonipede agmen secans medium, citato cursu persequebatur eum. Rex autem Ludouicus hac illácque fugitabat, quia freni à capite equi delapsi habenas manibus solummodo tenebat. Haigroldus autem Rex Ludouicum taliter impeditum mox expetiit, & per capulum fulgentem ensem tenens, vagina caua à latere diripit, militibúsque suis ne elaberetur, néve occideretur, eum commendauit. Ipse verò capto Rege congratulans, ad prælij campum concitus remeauit, & adhuc armis Francos se tuentes ad internecionem vsque prostrauit, atque Franciscæ gentis laceros plagis Orco detrusit. Northmanni verò victoria, armisque & spoliis potiti, præliiq; campum lustrantes securi, ad humandum detulerunt exanimes suæ gentis. A

APOSTROPHA.

Dignè pro meritis Ducis futuri,
RICARDI *celebris, bonique iusti,*
Fulgentis pueri, indolisque sacræ:
Vestra próque fidelitate, qua nunc
Bellando patriam tenetis istam. B
Northmanni ô Pracores satis potentes
In certamine prælij & triumpho,
Cauti & consilio probique cuncto,
Seruantes stabili tenore pacem,
Et sacræ fidei petitionem.
Nunc saluete, valete, auete semper.
Et vos, & soboles, sacri & nepotes,
Omnis progenies sacrata stirpis,
Septenæque locum quietis aptum.
Post artus lugubrem solutionem,
In summóque bono noui refecti
Sortis prospera, bis dualis, octauæ ac bis,
Cum Sanctis capiatis aggregati, C
Regnum qui patriæ tenetis huius,
Vis virtute, potentis & tenacis,
Richardi pueri in fidelitate.

INTEREA Rex Ludouicus custodum spoliorum cupiditate deceptorum manibus euasit, & hac illácque fugitans alipedis equi cursu errabat inanis. Quem quidam Rotomagensis miles inermem huc illúcque fluctuantem conspiciens aggreditur; & eum proprio nomine compellans asperis verbis affatur: „Quorsum Rex Ludouice tendis? quóve tenes desolatus iter? Non nostris elaberis finibus, quos iniustè inuadens te stulte irrepsisti. His dictis torquens campitorem equum, & irruens super Regem Ludouicum per habenas freni cepit eum, atque vi compellebat equitare secum. Rex autem omnibus armis priuatus, nec erui potens à tenentis manibus, dixit ad illum mœstissimus: „Quis es, vel quò me iturum esse contorques? Respondit Rotomagensis. „Et illuc te ducam, nec tuæ potestatis vllatenus deinceps eris. Rex autem diffidens sui, mœstúsque necessitate imminentis periculi, dixit ad violentum captorem sui: „Miserere precor, miserere mei, & erue me per tuam pietatem de manibus quærentium animam meam, & insidiatorum mihi. Restitue me monti Lauduno, vt queam gloriari & gaudere Fräcisco imperio. Nulla gloria quæretur sine te mihi; omnísque facultas & honor, qui meus fuerit, tibi erit. Regem te super me si volueris constituam; si non, dimidium regni concedam. Rerũ verborũmq. fiat maxima fides inter me & te, sacramento colligationis Christianæ. Hæc repetens Rex crebriùs, & exorans cum lacrymis, proruit de equo ad pedes se ducentis. Tunc miles percussus lugubri gemitu Regis, coactúsque petitionibus multimodis, lacrymis ita fatur obortis: „Promissionũ tuarum fac mihi fidẽ, ego conducã te Lauduno saluũ & incolumem. Volũtariè verò pacta factáque fide, cœpit miles Regem conducere, relicto recti itineris calle. Interea Rotomagensis Bernardus ereptione Regis D

A mœstissimus, misit concitè Legatos, ne transiret Rex Ludouicus ad omnes Sequanæ portus. Ipse verò citiùs quàm potuit, tardum Regem anteuolans præcessit, & Rotomagum præpetibus equis cum suis militibus accelerauit, & qui Regem perquirerent fidissimos exploratores misit. Miles verò, qui Regem liberare conabatur, domi ne fortè inueniretur retinere illum noluit, sed noctu in Sequanæ insula reposuit, cupiens conducere eum ad Laudunum, exploratoribus fatigatis & reuersis. Exploratores igitur scientes quòd ab illo milite haberetur Rex Ludouicus, venerunt ad domum eius; & accipientes vxorem, filiósque & filias, equos & equas, oues & boues, omnémque supellectilem eius deduxerunt ad Rotomagum Bernardo citiùs. Miles autem sciens nullatenus posse abscondi amplius Regem, venit quantociùs ad Bernardum Rotomagensem, & prouolutus ad pedes eius, deprecabatur vt recipiens Regem redderet suam sibi vxorē. Bernardus verò solito lætior, recipiens B mœstum captúmq. Regem, reddidit ei suam vxorē. Misit igitur ad Siluanectensem Bernardū, & mandauit ei optatum Regis euentum. Bernardus verò Comes hilaris & lætus, consurgens ilicò noctu, ad Hugonem venit Ducem magnum Parisius, qui dixit ei: Audisti Domine ventilante fama alicuius rei nouitatem? Respondit; Nullius. Et ille: Pro certo comperias Haigroldum Regem Dacorum propter Richardum nepotem meum, suúmque propinquum, bellasse contra Regem Ludouicum, & in ipso certamine quater quaternos Comites peremptos, & Monasterioli castri Comitem Herluinum, & fratrem eius Lambertum; quinetiam prostratis cæde asperrima Francigenis, Regem ipsorum fugatum, & captum, & adhuc Rotomagensi vrbe sub custodia Dacigenæ Bernardi mancipatum. Hugo autem Dux magnus super quod dicebatur stupens, dixit: Modo Regi quod meretur accidit, atque Comiti Herluino quod dignè decuit, cæterísque Consiliariis quod oportebat pati. Vvillelmus namque Dux Northmannorum pro Regis fidelitate, & Francorum, próque quod Herluino pridem ablatum reddidit Monasterioli castrum, martyrizatus occubuit: & Rex, quem decuisset execrabile scelus & inauditū vlcisci, consilio Herluini & Arnulfi perfidi filium eius sub custodia tenuit, & terram hæreditariam illi sibi iniustè vendicauit. Superni Regis arbitrio condignam talionē patitur Rex Lu- C douicus pro Vvillelmi Ducis filio nepote tuo, quem captum tenuit, próque terra quam sibi vsurpauit. Maioris namq. consilij quàm cæteræ gentes sunt Northmanni, qui Regem Ludouicum subegerunt astu tam peruicaci. Tunc Bernardus: Domine memento quæ mihi meóq. nepoti spopondisti; & vt decet te iuua, & succurre illi. Dux verò respondit: Antequam liber à custodiæ impedimento reddatur, regnóq. Francisci imperij sublimetur Rex Ludouicus, terra Northmannicæ regionis quieta & solida, & ab Episcopis Comitibúsque & Abbatibus sacramento veræ fidei Richardo tuo nepoti sancita, & inconuulsè auctorizata tenebitur. Interim luctuosa fama ad aures GERBERGÆ Reginæ perlabitur, & quòd captus esset Rex, bísque nouem Comites interempti, ceteríque fugati, enucleatur. Regina verò lugubres Regis sui cōiugis, suorúmq. incessanter casus deflens; animúmq. suum tanti infortunij anxietate atrociter contorquens, nullúmque salubre sibi consiliū inde in tota Francia reperiens, misit ad patrem suum trans-Rhenanum Regem HEINRICVM, & ad OTTONEM fratrem suum, flore pubertatis nitidum, mandans plorabile sui detrimenti negotium, vt adscito militaris manus exercitu obsideret Rotomagum; re- D dempturus vi & potestate suum Seniorem Regem Ludouicum. HEINRICVS autem Rex Gerbergæ Reginæ filiæ suæ non se venturum remandat ob obsidionē ad Rotomagum, quia meritò & dignè atque vltione Dei Rex Ludouicus adquisitum præiudicio patiebatur hunc casum; quia filium Vvillelmi Ducis, qui pro fidelitate sua Arnulfi perfidiâ occubuit, captum in custodia tenuit; totámq. regionē Northmannicam, quam suus auus præliis adquisiuit, sibi iniustè vendicauit. Interea Rex Haigroldus Northmannos pagensésq. omnes ad fidelitatē Richardi pueri vicissim consolidabat; iura, legésque, & statuta Rollonis Ducis tenere per omnia cogebat. Vrbes & castella munire firmiter satagebat, ne fortè fortuna vices suas aduersa verteret.

RICHARDVS I.

APOSTROPHA.

O pius, prudens, bonus, & modestus;
Fortis, & constans, sapiénsque, iustus,
Diues, insignis, locuplésque, sollers,

RICHARDVS I.

Rex HAYGROLDE.

Quamuis haut sis chrismate delibutus,
Et sacro baptismate non renatus:
En vale, saluéque, & aueto semper,
In deitate.
Qui Richardum percelebrem tuendo,
Rege capto, Francigenísque stratis,
Prælio certaminis & peracto
Vindice dextra.
Regni habenas nunc moderas potenter,
Et ligas cunctos fidei tenore;
Seruientes vt famulentur omnes,
Ecce Richardi.
Innocenti prope te pusioni,
Nobili prosapiáque creto,
Atque florenti meritis, & auo
Vbere, & almo.

A B

GERBERGA verò Regina paterno fraternóque patrocinio penitus desolata, tantæque anxietatis detrimentum perpessa, nullíusque solaminis spe subnixa, quinetiam timens perdere regna, Antistitum consilio petiit Hugonis Magni Ducis suffragia. Quam Hugo Dux Magnus, & Episcopos cum illa comitatos reuerenter suscepit, & quæ necessaria erant honorificè distribuens, secum diebus multis detinuit. Interim autem misit Siluanectensem Comitem Bernardum ad Rotomagensem militem Bernardum, vt conuocatis Optimatibus Northmannici consilij properaret contra se ad sanctum Clerum. Qui iussa citiùs dicto adimplentes, venerunt contra Hugonem Magnum Ducem, præeunte Bernardo, ad prædictum locum festinanter. Tunc Dux Magnus & Episcopi dixerunt Northmannis: „ Reddite nostrum nobis Seniorem Ludouicum Regem. At illi, „ Non reddetur, verùm tenebitur. Tunc Magnus Hugo: „ Vobis autem dabimus filium eius & duos Episcopos, tironésque domus suæ quos, quotque volueritis pro eo, vt Francigenæ Præsules Comitésque, & Principes atque Abbates veniant contra vos ad præfiniti temporis placitum; vt sacramento integræ veræque fidei terram Northmannicæ regionis auctorizent, & corroborent atque sanciant omnes Richardo & posteris suis in perpetuum. C Hoc namque consilium Northmannorum Principes collaudantes, & in Hugonis Magni Ducis fide spem totius fiduciæ habentes, reddiderunt Regem, filium eius, duósque Episcopos HILDIERVM Beluacensem, & GVIDONEM Suessionensem, & quàm plurimos milites pro eo recipientes. Hugo verò Magnus deduxit Regem ad sua, vt congratularetur cum suis & vxore sua. Statuto verò diffiniti termini tempore, ascita militari manu, cum Præsulibus Franciæ, venit Rex super fluuium Eptæ contra Northmannos, cum Magno Duce Hugone. Licétque filius suus, quem pro se dederat, esset Rotomagensi vrbe mortuus, manibus supra philacteria reliquiarum positis, propriis verbis fecit securitatem regni, quod suus auus Rollo vi ac potestate, armis & præliis sibi adquisiuit. Ipse & omnes Episcopi, Comites & Abbates reuerendi, Principésque Franciæ regni Richardo puero innocenti, vt teneat & possideat, & nullis nisi Deo seruitium ipse & successio eius reddat; D & si quis peruersæ inuasionis rixatione contra eum congredi, vel alicuius rixationis congressione inuadere regnum maluerit; fidissimus adiutor in omni aduersæ inoportunitatis necessitate per omnia extiterit. His taliter legitimæ diffinitionis facundia determinatis, Rege Ludouico astante, Hugonéque Magno Duce & suis, Proceres Britonum & Optimates Northmanni Richardo puero ineffabilis probitatis vice cordis manibus libentissimè datis, sacramento fidissimæ Christianæ securitatis fecerunt iterum fidem militationis, auxiliíque & seruitij. Tunc Northmanni & Britones Richardum tanti honoris, tantæque dignitatis; tantæque speciei puerum adduxerunt nimium gaudentes Rotomagum. Cùm autem vtriusque sexus senes, iuuenésque, pueri, & infantes, vrbe territorióque ipsius pagi commorantes, comperissent quòd Richardus desideratæ visionis puer acceleraret, frendente vulgo passim præ gaudio, irruentéque profusiùs super plebem plebe, pro recuperatæ salutis solatio, comprimente feriter,

A turbis innumerabilibus exaggeratis, populum populo, festinabant currere; licet non valeret mutuæ coaceruatæq; oppressionis præpediti obstaculo, obuiam ire almifluæ mellifluæque innocentiæ puero. Clerus totius regionis, rebus Monasticis præparatis, vix propter impetum tumultuosæ multitudinis extra suburbana Rotomagensis vrbis exiliit, collaudánsque Deum pro recidiuæ tripudio prolis, ferénsque corpora Sanctorum in feretris, deduxit eum ad altare vsque sanctæ Dei Genitricis. RICHARDVS I.

APOSTROPHA.

Vrbs luculenta, micans milite sacro,
Cunctorúmque bonorum vbere plena,
Tranquilla residens effera portu,
O Rotomage, cape perpete læta
Diuino reducem nectare plenum,
Patriciúmque Ducem iure potentem.
B *Mirificus quoniam hic almificúsque,*
Mellifluus pariter Dux, Comes, atque
Patricius tibi erit, Marchio constans.
Et cuius famam olim redolentem
Augere propenso sat probitatum.
Quatuor agnoscent climata cosmi,
Sanctior extiterit nemo quòd ipso,
In facto, dicto, quin meditatu.
Extat nam in tribus his summa negoci.

ILICO satellitibus constipatus prudentissimis & præclaris, cœpit prædignis bonæ operationis coruscare diuinitus factis. Emula virtutum proponebat largifluè præmia cunctis, Monachósque & Clericos, atque laïcos cogebat incumbere famulatibus diuinis. Moribus autem & meritis splendidè fulgebat opimis, istísque Clerum ac populum strenuè moderabat habenis. Vindex autem erat seuerus scelerum, largifluúsque dispensator bonorum. Siluestres namque dapes ingens diuersarum ferarum copia ministrabat illi, quia post legitimam iudicij iustitiæque discussionem, tradebat se venatui. Meritis mactus successibus crescebat adolescens, pullulantium virtutum exaggeratione vitia abolens. Tendebat sollers sequáxque perfectionis ad C summum bonitatis, vt quiret gratulari futuræ requiei tempore cum Sãctis. Eo namque tempore erat quidam RODVLFVS, cuius agnomen TORTA vocabatur, qui totius Northmanniæ honorem post mortem VVillelmi altiùs ceteris comparibus sibi vendicabat, & res dominici iuris indecenter sibi vsurpabat. Distribuebat vno quoque die Richardo decenti puero cum suis tironibus diaria propensa denariis bis ter tribus. Affligebantúrque eius domigenæ penuria constricti nequiter & fame. Quapropter Richardus industris scientiæ ephebus, ascitis regionis Northmanniæ Principibus, quid de inopia modicæ distributionis ageret, ab eis sciscitatur. Principes verò, quia illi sacramento veræ fidei colligati, & aliquanti beneficiis eius munificati, nuntiauerunt Rodulfo agnomine Tortæ animositatem irascentis Senioris. Ille autem commilitones suos remisit ad Richardum sagacissimæ probitatis puerum, deprecans vt liceret venire se ante illum, & expiare se his, quibus offenderat eum. Tunc memorialis puer, expensis illorum petitionibus, respondisse fertur: Scitis meum auum hanc vrbem præliis vendicasse sibi. Responderunt: Scimus. Et ille: D Meúsne pater sorte hereditaria hanc vrbem tenuit? Nónne post aui patrísque necem possidere hanc iure hereditario debeo? Videte si pater eius, aut auus, aut proauus, hãc vrbem vt tenet tenuit; & rimamini cuius est præiudicium, meum an suum. Illis autem super talibus dictis stupentibus, subintulisse cautè dicitur: Si nostram gratiam vult promereri vllatenus, exeat à ciuitate quantociùs ipse & omnis familia eius; & moretur in villa vno milliario ab vrbe segregatus, donec Legatos suos mihi mittat, & quid illi remandauero audiat. Quòd si flocci penderit nostræ præceptionis consilium, nos abdicabimus omnimodis eum; & mittemus ad Francigenas, vt super hoc negotio dent nobis salubre consilium. Illi verò quæ audierant Rodulfo Tortæ renuntiauerunt. Ille verò egressione sua suorúmque putans placari Seniorem suum; quinetiam formidans superuenturum Franciscæ gentis exercitum, digrediens cum omni familia à ciuitate, moratus est in pratis rusticorum. Interim Ri-

RICHARDVS I. chardus tantæ industriæ puer confirmat sibi sacramento veræ fidei deuios milites, sanciens vinculo fidelitatis etiam totius vrbis conciues. Insecuta namque die, Rodulfus Torta plures commilitonum ad tantæ misit modestiæ puerum, vt permitteret se ad iudicandum & ad iustificandum venire ante illum, recipiendo pignus offensionis debitum. Tunc puer præcautus argutæ mentis animositate commotus: „ Scitis, inquit, quia inauditum præiudicium mihi olim fecit? Responderunt: Scimus. „ Nónne temeritate suæ audaciæ adhuc facit? Prata rusticorum meorum falcibus tōdit, equis depascit, calcibus conterit, vaccas & arietes, tauros & porcos occidit & comedit. Si non discesserit à nostris finibus exterminatus, incurret debitum periculum velociùs. Quod suasistis vsque modo, illi & adhuc suadetis: sed nequaquam illi proderit. Illi autem super talibus dictis admirantes, ceciderunt in faciem suam dicentes: Domine, precamur ne irascatur, néve desæuiat in nos furor tuus; quia tui per omnia fideles sumus, nec illi vnquam adhærebimus. Illi autem discedentes, quæ audierunt Rodulfo Tortæ renuntiauerunt. Ille verò diffidens sui, prata celeriter deseruit, & cum omni familia concitè Parisius venit. Videns autem filius eius, qui erat Parisiacæ vrbis Episcopus, repentinum aduentum eius, diriguit; imóque trahens à pectore suspiria, dixit: Cur pater cum omni vtriusque sexus familia huc accelerasti? Ille verò detrimenti sui Episcopo casum, atque calamitosum infortunij sui retulit periculum. Episcopus & pater eius misit & remisit legatos ad tantæ fortitudinis puerum sed non profuit illis in prosperum. Videntes autem Seniores Northmanniæ, quòd tam prudenter exterminasset Principem militiæ, timuerunt illum valde. Cùm autem insignibus tantisque refulgeret indiciis præsentis futuræque bonæ operationis, Galliáque commorantium mentes tanti tamq; sagacis percelleret fama adolescentis; atque rutilans copiosis quaternarum virtutum profusiùs incrementis, regnum Northmanniæ nulli subactus nisi Deo disponens vt Rex, moderaret iudicio iusti regiminis; Hugo Dux Magnus cernens eum vigoratum & præcellentem in omnibus factis, mandauit ad se venire Comitem Bernardum commorantem vrbe Siluanectensi, ascito pariter Bernardo Rotomagensi. Quibus ait: Plurimorum insidiatorum Richardi adolescentis Comitis legatos habui, qui retractant & conantur terram Northmannicæ regionis inuadere congressione hostili. Richardus nec Regi nec Duci militat, nec vlli, nisi Deo obsequi præstat. Tenet sicuti Rex Monarchiam Northmannicæ regionis, & non habet amicos sibi connexos inextricabili fœdere adiutorij & societatis. Arnulfi Comitis perfidiâ pater illius occubuit, videte ne perfido eiusdem calliditatis liuore decipiatur. Rex autem non immemor ante malorum, animositatem sui detrimenti & captionis adhuc ruminat, & quærēs interitum vestræ perditionis, illius rei dolo plurimos sibi associat. Quærite ergo salubre vobis consilium, vt securi insidiarum & deceptionum, ne timeatis fatalem mundanæ varietatis euentum. Hoc autem Dux Hugo Magnus propinabat proposito cautæ intentionis, cupiens & desiderans filiam suam coniungere Richardo Duci copulâ fœderis connubialis. Tunc vterque Bernardus: Nescimus, Domine, super hoc rimari consilium, sed tua pietate da prosperum huius inuectionis solatium. Huc vsque tuo consilio prospero, recti itineris callem tenentes gradimur, abhinc obliqui itineris ambages penitus abdicantes; te duce aduocato, quinetiam consiliario, salua fide quam Richardo Comiti fecimus, gradiemur. Hugo verò secreti sui beniuolum cœpit pandere propositum. Requisistis adhuc Richardo Duci Northmannorum vxorem voluptuosæ humanitati & dignitati eius congruam & habilem? Responderunt: Nequaquam. At ille: Quorsum intentionem vestri consilij vertitis, vel cuiuslibet filiam illi vendicando subiugabitis? Bernardus verò Siluanectensis affectuosa talium propositionum inductione, animaduertens intentionem sui Senioris, respondit proloquio argumentosæ mentis: Domine, ignoramus cuius, nisi tuam. Hugo verò magnus intelligens animaduertisse vtrumque affectum voluntatis suæ, aperta cordis sui intentione dicitur respondisse: Non est quippe mos Franciæ, vt quislibet Princeps Duxve constipatus abundantius tanto milite perseueret cunctis diebus taliter in dominio ditionis suæ, vt non aut famulatu voluntatis suæ, aut coactus vi & potestate, incumbat accliuius Imperatori, vel Regi, Ducíve: & si fortè perseuerauerit in temeritate audaciæ suæ, vt non famularetur alicui volenter præcopiosa vbertate sufficientiæ suæ; solent ei rixæ dissentionésque atque casus innume-

A rabilis detrimenti sæpissimè accidere. Quapropter si placuisset Richardo Duci tuo nepoti seipsum flectere vt militaret mihi, vestro saluberrimo consilio sponte filiam meam connubio illi iungerem;& terræ, quam hereditario iure possidet, continuus defensor & adiutor contra omnes adessem. Tunc Comes Siluanectensis Bernardus dixisse fertur: Quoniam quidem Richardum adolescentem Ducem, meum nepotem, captum pridem tenuit, omnésque Northmannos per fidem Rex Ludouicus perdere voluit; meliùs opto si filiam tuam dederis vxorem illi; vt militet tibi, quàm doloso Regi. Dedit itaque Hugo Dux Magnus Richardo nobilissimo adolescenti filiam suam firmamento sacramenti; non tamen statuta lege fescenninæ coëmptionis, verùm denominato iuratóque termino connexionis connubialis. Cùm autem huius veridicæ relationis fama Regis Ludouici aures cordis percelleret, Comitémque Arnulfum futuræ vltionis interitum penitus formidantem perturbaret; quòd Richardus Northmannorum Dux filiæ Hugonis Magni Ducis maritali connubio, gratiâ posteritatis & successionis se copularet, seruitióque eius pro ea; próque vniB uersi solatij adiutorio incumbens, militánsque coniunctæ amicitiæ competentiâ, fœderísque insolubilis nexu se illi colligaret: nimij tremoris timore perterriti, ne tantorum duorum Ducum militum frequentia contriuerentur subacti, Vermandensi pago, decursa renuntiatáque vtrorúmque legatione occurrentes inuicem sibi, quid agerent super pestifero coniuratæ conspirationis duorum Ducum consortio, cœperunt rimari. Dixit autem Ludouico Regi Comes Arnulfus, desiderans adnihilare ac perdere primæuæ floris adolescentem Richardum Ducem totis viribus: Hugonis Magni Ducis pater ROTBERTVS super patrem tuum KAROLVM, fauente Rollone auo Richardi Ducis, sceptra huius regiminis iniustè suscepit, & penè totam Franciam sibi prauè subiugauit. Cùm autem tale seueræ altercationis diuortium immensum succresceret, Franciáque pestifero duorum Regum conflictu desolata, exsecrabile casualis detrimenti iurgium flebilis perpessa esset; Karolus pater tuus Francisci solatij spe omninò priuatus, opísque auxiliatricis sui per omnia indigus, HEINRICVM trans-Rhenanum Regem expetiit velociùs, & vt contra Rotbertum Regem super se exsecrabili Francorum temeritate constitutum feritaC ret; exercitúque conglobato secum Franciam veniens contra eum audacter debellaret, Lothariense regnum se illi daturum spopondit vltroneus. Vt autem illius temporis cursu se habuit res illius certaminis, non expertum est nostrum vlli. Rotbertus dignè prælio interiit, Karolúsque Rex pater tuus habenas regni iustè obtinuit. Hugo autem filius eius eiusdem præsumptiuæ temeritatis veneno infectus, sceptra istius regni conatur super te inuadere, téque atque me tuum fidelem, vtrumque penitus perdere, conciliato sibi Richardo Northmannorum Duce. Rimari igitur condecet, Rex præpotentissime, qualiter possis regnum Franciæ tueri & regere. Principes namque huius terræ adhærent obedienter Hugoni, & famulantur libenter ei. Aduersus huiusmodi verba, respondit Rex Arnulfo Comiti talia: Da mihi consilium, quo Hugonis contumacis arrogantiæ queam resistere, me meúmque regnum tueri & protegere. Arnulfus verò Comes dolosus cupiens Richardum Ducem perdere, & adnihilare cum suis omnibus, ne quiret immeritam necem patris sui vlcisci venturis diebus, cœpit Regem confortari verbis fraudulentibus: Consilium dabo tibi salubre & prosperum, quo quibis conterere & prosternere Hugonem & RiD chardum. Da Otthoni vxoris tuæ fratri quod pater tuus patri suo spopondit Regi trans-Rhenano Lothariense regnum, vt deuastans terram Hugonis tibi resistentis Parisius vsque, & obsedeat, & capiat tibi Rotomagum. Sufficientia igitur illius terræ profusiùs locupletatus, frequentiáque Optimatum propensiùs constipatus, atque præsidiis tantarum vrbium mirabiliter adultus, quiueris contra Ducem Hugonem præliari securus. Est namque tellus Normannica omnium rerum sufficientia præ cæteris abundantiùs plena, aprorum ceruorúmque, vrsorum atque capreolorum venatu affluenter repleta, omniúmque volucrum siluestrium & altilium multimodis pullis incrementata; pisciúmque diuersarum specierum genere fœcunda, quinetiam omnium bonorum largitrix, quibus indiget illius incola. Talium vbertatum tellurem oportet te possidere, quia aui, & proaui, ceterique antecessores eam propter ea tenuere. Memor sis malorum & iniuriæ, quæ tibi Northmanni fraudulenter intulere, facile poteris eorum multitudinem ab illa terra delere; quia sunt formido-

RICHARDVS I.

RICHARDVS I. losi,& aduenæ,soléntque latrocinia in mari exercere. Maioris pretij, valentiæq;, & A affluentiæ extat tellus Northmannica, quàm Lothariensis terra. Rex igitur Ludo-
» uicus his & huiuscemodi persuasus,respondisse Comiti Arnulfo fertur: Tantæ no-
» bilitatis Comes,tantæque astutiæ & prudentiæ Princeps, oportet vt expleat fideli-
» ter quod suo Seniori suggerit consilians sagaciter. Igitur quoniam omnibus meis
» notior & credibilior,valentiórque es;precor vt quod dispofuisti relatu honesti con-
» silij,gratia expeditionis Otthoni Regi subministres:vt strenuo interuentu tuo asci-
» ta vniuersa bellicosa manu suæ ditionis veniat depopulans quæ sunt Hugonis ad
» mœnia Parisiacæ vrbis.Resipiscere eum pestiferæ subuersionis interitu cogat, mul-
» tísque deprædationibus & incendiis eum dilanians penitus conterat. Pro regno
» Lothariensi,Northmanniam nobis adquirat,incolásque illius nobis rebelles forin-
» secus detrudat.Saxonicũ robur experiatur Northmannica tellus;& si forte quiue-
» rit contra colluctari,probet suis viribus.Rotomagum nobis obsideat & capiat; Ri-
» chardúmque tantæ superbiæ adolescentem capiens, flocci pendat. Arnulfus verò Comes præoptans penitus perdere diuæ memoriæ Richardum, ne vindicet patris sui sanguinem innocuum, festinat citiùs ad Otthonem Regem trans-Rhenanum, B
» veniénsque ante illius conspectum verbis humillimis dixit ad eum:Rex Francorum
» Ludouicus,caræ inextricabilísque amicitiæ tibi munus. Pestiferam insolentiæ &
» temeritatis Hugonis Ducis,& Richardi Northmannorum Comitis,non valens fer-
» re contentionem,mittit me tibi,vt aliquod illi gratia tuæ pietatis præstes solamen.
» Hugo filiam suam Richardo adolescenti maritali fœdere connubióque iungit. Ille
» verò suus miles effectus,gratia illius amoris vt Domino per omnia obedit.Illius ani-
» matus militari exercitu,ambit Franciæ regnum inuadere, eiúsque habenas & sce-
» ptra,vt eius pater pridem accelerat possidere.Retunde illorum,precamur, præsum-
» ptuosæ voluntatis arrogantiam in virtute tua, & destrue illorum peruersæ elationis
» iactantiam potentiâ tua.Si nostræ deprecationis expleueris votum, síque obsidens
» Rotomagum, Normannicum adquisiueris nobis regnum, dabimus tibi in perpe-
» tuum Lothariense regnum,quod patri tuo fuit repromissum propter prælium Sues-
» sonico campo mirabiliter peractum. Ottho verò præoptatæ legationis sermone gauisus,ascitáque & coadunata Orientalium profusiùs manu, conuentione de regno facta,venit velociter,deuastans omnia Parisius,occurrente illi Ludouico Rege cum exercitu.Omnibus quæ erant Hugonis consumptis & deuastatis, dixit Comes Ar- C
» nulfus Otthoni Regi:Hæc vrbs perenni Sequanæ limbo vndique secus præcincta,
» viget inexpugnabilis ab omni gente superuentura. Precamur itaque, verte tanta-
» rum legionum exercitum ad Rotomagensis vrbis pagum, quia antequam North-
» mannici ruris fines attingas, deportabuntur tibi illius ciuitatis claues.

APOSTROPHA AD ARNVLFVM.

Posse sistere cur Dei	*Testis alma flaus Dei.*
Omnium quoque præscij,	*Vota non tua friuola*
Velle cuius opus manet,	*Velle prospicient tuum.*
Et calor petit omnia,	*Ecce sed Comes almior,*
Regibus cupis asperis,	*Marchio locupletior,*
Contumacibus, improbis,	*Duxque sanctior omnibus:*
Arrogantibus, & malis.	*Nobilis, celebris, pius,*
Quamuis emeritum Ducem	*Iustus, almificus, probus,* D
Heu! patrem tetigit, tuus,	*Sanctus, innocuus, bonus,*
Istius pueri sacri,	*Omne iam statuet bonum,*
Mucro, sanctior vt foret	*Omne conteret & malum.*

MVLTIMODARVM namque petitionum persuasionibus Rex Ottho compulsus,mouit tantæ multitudinis exercitum,profectúsque est cum Rege Ludouico super Eptæ riuolum,qui termino direptionis limitat Franciæ Northmanniæque regnum.Tunc vocat Ottho Arnulfum incentorem totius mali,& requirit claues Rotomagensis vrbis, vt sibi promiserat, deportari. Arnulfus verò intentione argutæ
» mentis cœpit Regem Otthonem affari: Domine Rex, nemo Rotomagensium au-
» det te aggredi,quia abhinc Rotomagum vsque extat tellus siluestris,commorantúr-
» que latrocinia exercentes in eis siluis & lucis. Est alius decursus aquarum in proxi-
» mo,quæ vocatur ANDELLA,pratis omnibúsque rerum affluentiis propensiùs refer-

A ta. Ibi cras, petimus, figes tentoria, veniéntque illuc Optimates Rotomagensium, ferentes tibi claues vrbis, & preciosi honoris munera. Rex verò Ottho deprecatiuis coactus verbis, abhinc secedens, in Andellæ fluuioli resedit pratis. Diluculò verò subdolæ calliditatis Comes stetit ante Otthonem Regem, Episcoporum cœtu ductúque, & Procerum frequentia constipatum & refulgentem. Cupiens autem Richardi præfulgidæ adolescentiæ multare pubem, Regésque conducere ad Rotomagensem vrbem, dixit ad Otthonem: Rubore futuræ subsannationis Rotomagenses confusi verecundantur claues mittere tibi, nisi oppressi fuerint immanitate hostili. Duorum igitur Regum, tantorúmque Ducum & Procerum exercitu vallati, non different ciuitatem reddere tibi. Quapropter precatur te obnixè meus Senior Rex Ludouicus, vt proficiscaris ad vrbem Rotomagensem matutinus. Mitte ante conspectum tuæ maiestatis robustissimam legionem, quæ inuadens hostiliter præoccupet ciuitatem; vt si quos forinsecus stantes certaminis gratiâ inuenerit, ad B ciuitatem ferociter retrudat, hincque tentoria tua illorum securus ad portam Beluacensem figat. Cùm autem appropiaueris, tuus meique Senioris exercitus, eos sollicitos reddat; sicque in primo certaminis apparatu, eóque prælij conflictu contemplari quiuerimus, cuius valentiæ & fortitudinis hæc vrbs exstat. Tunc quidam nepos Regis Otthonis dixit verbo elationis: Domine Rex, si libet tibi, antecedens ibo, castráque tua metabor: si fortè ingruerint contra me bella, ego conteram gladio eorum milia. Experiar cuius habitudinis, cuiúsve valentiæ vel fortitudinis sunt in prælio; cuiúsve cautelæ prouisionísque & prudentiæ in bello. Contra Dacos & Alanos, Gothósque & Hungros sæpè dimicaui; verùm contra Northmannos numquam certamen inij. Aciebus præparatis lacescens eos expugnabo ciuitatem, & dissipabo dispergens aduenæ gentis plebem. Hoc autem referebat iactantiâ iuuenili, ignorãs varium casualémque euentum prælij. Extimplo Ottho humillimis regalium petitionum monitis coactus, citato exercitu progreditur, mittens ante se peruersæ elationis nepotem adornatis legionibus.

RICHARDVS I.

APOSTROPHA.

Otho Rex magnus, recolendus atque,
C *Cur RICHARDVM percelebrem sacrumque,*
Nobilem, iustúmque, probum, modestum
Marchionem, Patriciúmque sanctum,
Et Ducem nunc magnanimúmque fortem
Ambis infesto laniare cœtu,
Et maligno contaminare nisu,
Et honorem tollere Principatus,
Quin potenti sistere cogitatu
Nutui Regis superique summi?
Posse nullus nam supero resistet,
Velle nec iam sidereum reflectet.
Hic Comes, Dux, Patriciúsque summus,
Marchio sanctus, celebris, modestus,
Legibus plebem moderabit almis.
Torquet astutus laceros, reósque,
D *Atque iustis præmia digna dedet.*
Moribus sanctis, meritísque fulgens
Sic poli splendentia scandet astra.
Tu potens Rex, atque vigens, valénsque,
Contereris numine sempiterno,
Incubabis ridiculaque sanna:
Sicque Northmannis reprobatus ibis,
Ad tua sedis verecundus aulam.

CVM autem nepos Regis Otthonis appropinquaret portam ciuitatis, quæ nuncupatur Beluacensis, corusco equitatu feruentis elationis, hostilique bellicosi certaminis congressione feritaret in Northmannos aciebus adornatis; ipsi verò Northmanni talium colluctationum gnari, simulantes fugam, quasi hostibus conuicti repetebant celeriùs præsidium vrbis. Saxones verò fictæ fugæ simultate hilares, ta-

RICHARDVS I. liúmque casuum euentu eos adamantes, persequebantur eos hostiliter. Tandem vero nepos Regis congressus super pontem portæ Beluacensis putabat expugnare mœnia vrbis. Northmanni verò hinc indè armati congredientes, & super eos vt leones super pecudes exilientes, cœperunt eos lacerare prosternentes, & occidere telis mucronibúsque coruscis, atque discerpere securibus videntes vt lupi. Multis verò Saxonibus interfectis, pluribúsque attritis & vulneratis, defungitur super pontem mucronibus & lanceis nepos Regis. Tandem Northmanni victoriâ potiti capiunt multos Principum in conflictu mortiferi certaminis. Reliqui verò Saxones nepotem Regis mortuum super pontem iacere cernentes, eúmque cum magno impetu duróque conflictu rapientes, ducentibus Northmannis plurimos illorum captos ad mœnia vrbis, deportabant ad cæteras phalanges. Iurgio duri prolixíque prælij taliter seiuncto, stabant hinc Saxones & Franci, & altrinsecus Northmanni; nec ambiebat gens trans-Rhenana ampliùs se commiscere ipsis. Interea mortiferæ relationis fama Regem Otthonem, crudelem nepotis mortem denuntians, perculit; totúmque exercitum rumor tanti detrimenti conturbauit. Ilicò communis ratione consilij hostiliter inuaserunt ciuitatem, cupientes tantæ reuerentiæ iuuenis vindicare sanguinem. Saxones verò & Franci nihil circa vrbem proficientes, sed pro plurimis suorum exercituum occisis nimium eiulantes, reuertebantur ad castra, defunctorum cadauera deportantes. Nepotis verò morte, hisque inoportunitatibus Rex Ottho mœstus, vidénsque venire pagenses illius terræ ad vrbem altrinsecus, dixit suis Principibus: Potéstne hæc vrbs vallari nostro exercitu, vt qui transuehuntur nauigio, non transgrediantur? Responderunt: Nequaquam, quia Sequana simplex, & singularis procellis suis quatit muros ciuitatis: quinetiam incrementata & repugnata fluctibus maris determinato cursu Lunæ crescentis, & deficientis, incremento septenarij numeri, æstuante fluctu, præoccupat portas & mœnia vrbis. Tunc Rex Ottho misit ad Richardum, vt liceret ei oratu petere sanctum AVDOENVM. Data verò orandi licentia Rex cum Episcopis & Ducibus, depositis armis, venit ad Monasterium quod est in suburbio ciuitatis, in honore cultúque sancti Petri sanctíque Audoëni dedicatum. Multa verò donaria ibi largitus est ipse & sui, residénsque in eo, accersitis Optimatibus dixit: Quid nobis agendum sit, animo decernite, & quid huius negotij sibi videtur rectum, intimet quisque. Precatu Regis Ludouici, Comitísque Arnulfi subdolo sophisinate decepti huc venimus, quo non honorem recuperantes, sed damnum, verecundiámque, atque confusionem nostri honoris turpiter patimur: Nihil aduersus Northmannos vllo hostili conamine præualere quiuerimus; quia per Sequanæ alueum cuncta prospera illis subministrantur. Intolerabili itaque crucior tristitia, atque animositate pungor prænimia. Incertum namque est mihi præscire quid agendum sit in tam pestifera tristium euentuum casuúmque cōtrictione. Vos qui natu sensúque maiores estis, quorúmque consilio quæ exequenda sunt delibero cunctis, sagaci internæ meditationis cogitatu rimamini, quid oporteat laudabiliter exsequi. Maleficum, si vobis placet, sophistam capiam Arnulfum, vinctúmque catenis Richardo Comiti mittam eum, vt vindicet de eo patrem suum, quia fraudulenter coëgit nos huc properare, & Regem Ludouicum; cupiens occidere Ducem Richardum, vt olim patrem suum. Tunc Præsules & Optimates responderunt Regi Otthoni, dicentes: Exsecrabile cunctis, atque vituperabile omnibus erit si capietur, síque Richardo ad puniendum mittetur. Verecundiam dedecúsque obscœnæ confusionis & damni, quæ condignæ mercedis retributione pateris, non delebitur; quia tuus exercitus Richardum & suos indigna obsidione opprimens, hîc iniustè moratur. Sed de nostræ regressionis profectione salubri consilio stude; & ne deteriùs turpiúsque tibi contingat, cum omni intentione animaduerte. Nepotem, tuósque Comites, satellitésque, & quamplurimos milites huius obsidionis iurgio iniustè perdidisti, quia ciuitatem hanc iniustè inuadens obsedisti. Inconsultus etenim suggestione vafri Arnulfi huc accelerasti, præcaue ne inconsultus regrediaris. A mari ad Sequanam vsque conglobantur omnes incolæ, postq; biennium gestiunt te aciebus præparatis inuadere. Non est nostræ valitudinis nostríque consilij & opis diuturno temporis interuallo hîc morari. Regem Ludouicum pœnitet nimiū huc venisse, quia in huius obsidionis dilatatione norit se nihil proficere.

Arnulfus verò plurimis sophismatum ambagibus intricatus, promulgato sui mendacij

RICHARDVS I.

A dacij ingenio, hîc & hîc latitando, non ambit sermocinari tecum amplius: & ideò internæ meditationis cogitatu retractans perpende, quid nobis trans-Rhenanis agendum sit in ista obsidione. Vrbs non capietur, obsides non dabuntur: verùm ineluctabile nobis damnum accrescet velociùs. Vtinam tuæ iussionis præcepto esset quisque nostrum, quo terram petiit exordio natiuitatis suæ! Sed quia nobis adhuc minimè sufficiunt vota, precamur, torque prosperæ regressionis vestigia, terram nostræ natiuitatis repetitura. Huius igitur sermonis collocutionibus Rex Ottho submonitus, formidánsq; pestiferos futuri periculi casus, quasi infra statum suæ mentis receptus, diutiùs meditans infit Principibus: Ne peiora prioribus infortunia fortuitu patiamur, néve nostri inimici nostri detrimenti successibus exultent ampliùs, iter nostræ regressionis, si vobis libet, cras repetamus. Hoc namq; consilium trans-Rhenani collaudantes per omnia, oratione fusa in sancti Petri Audoënique basilica, repetunt hilares tentoria. Arnulfus verò Comes relatu quorumdam, vt B præuideret ne caperetur, edoctus, obscuræ noctis conticinio expergefacto suo exercitu, castris tentoriisque complicatis secretiùs, atque supellectili oneratis equis, & plaustris; noctu silenter, cautéque ac clanculum profectus, repetebat rura Flandrensia velocissimus.

APOSTROPHA.

OTTHO, *surge velociùs, & fuge nunc citus,*
Natalem pete glebam.
Vindex nam superus tua territat agmina.
Surgens nunc citò cede.
Ductor subdolus euanuit tuus, en fuga
Te nunc erue præpes.
Contra velle Dei quid adhuc recubas? fuge.
Nunc i, nunc fuge, nunc, nunc.
Cùm Northmannica præpedient tibi & agmina,
He! heu! turpiùs ibis.
C *Gressum nunc pete, nunc fuge, nunc iter arripe.*
Fidos cedere coge.
Rex nunc ne pereas fuge, cede, liquescéque.
Septus labere cœtu.
Richardus iuuenis probus, & pius, & bonus,
Agmen iam citat ingens.
Summus Marchio, Dux quoque, Patricius, Comes
Et te cedere gestit.
Huius rector humi, locuples, bonus, & sagax:
At non, aut velis, extat.
Legum & distribuet populo moderaminum,
Iudex iustus habenas.
Damni pôstque lugubria debita flebilis,
Dignè scandet Olympum.

APOSTROPHA AD LVDOVICVM.

Quem regale decus, sceptrum passímque choruscum,
D *Iactitat eximium,*
Stemmate regali, quem exporgit sexu ab vtroque
Regia progenies.
Quem decet attolli summo conamine quæ sunt,
Regia si peragis.
Et cuius proaui bis ter tria regna feruntur
Conciliare sibi.
Cur vicibus tantis Richardum sternere gestis,
Percelebrem iuuenem?
Perfidiæ deditus casso conabere cuncta,
Namque supra satis hæc.
Nunc fugias potiùs, magis hæc sententia præstat,
Præpete equo & volucri.

RICHARDVS I.

A

*Contra Northmannos olim * cupisti,*
Quid memor attigit es.
Nam captus belli certamine succubuisti
Casibus innumeris.
Nunc fuge, cede, recede, itiner cape praepeti gressu,
Viuere si cupias.
Iurgia nec repetas contra quem dextera sanxit
Iudicis aetherei.
Quem censura Dei praedestinat omnipotentis
Moribus & meritis.
Ecclesias altis extollens culminibus, quo
Aedificet, statuat.
Protegat & populum caelestis pneumatis auctus
Nectare septifido.
Muniat, exaltet, defendens adiuuet, atque
Hostibus eripiat;
Ordinis atq; gradusq. monastica suppleat, ornet
Stringat, & amplificet:
Legéque normali compellens viuere cogat
Seruitio altithroni.
Sicque corollarij superi commercia lucrans,
Viuet in arce poli.

B

APOSTROPHA AD RICHARDVM.

Richarde, bonus, recolendus,
Digne venerandus, amandus,
Et Marchio, Dux, Comes almus.
Nam pratimidos faciendo,
Super hos timor irruit ecce
Regis Domini omnipotentis.
Ne sollicitus timeas nunc,
Iaculoque Dei celeres iam
Perculsi animo fugiendo.
Plures manibus capientur,
Gladio plures morientur.
Sic vix patriam repedabunt.
Tu legibus & populorum
Iudex animos redomabis.
Ast Ecclesias statuendo,
Famulatu sollicitare
Practico theoricoque,
Triforme hoc ordinis agmen.
Deitate sacrae Trinitatis
Coges, vrgebis, & anges.

APOSTROPHA.

Insidiis rimisque hiantibus,
Cunctis malisque traditus,
Exosus nimium, vt putridum pecus,
Clades perosa, odibilis,
Pestifer, & nocuus, quia perfidus, C
Iniurius cunctis lues,
Et dicto, & facto, meditamine,
Obnoxius cunctis, reus.
Amplius aut renoues iam iurgia.
Nullos citabis litibus.
Desine Richardum iuuenem, probum,
Praedestinatum iam Deo.
Marchio, Patricius, Dux, & Comes,
Electus, almus, praepotens:
Egregius, iustus, pius, & probus,
Sanctus, modestusque, innocens,
Religionis apéxque sacrae cluens,
Et forma normae praecluis,
Idea summa boni huius lucidi, D
Plebem fouet Northmannicam.

IGITVR plebeio huius nocturnalis murmuris tumultu, sonipedúmque strepitu Reges exterriti, nimiaeque formidinis tremore perculsi, in caligine obscurae noctis, putabant gratiâ certaminis Richardum adesse cum suis. Repente conclamata est omnium salus, vitaeque fiducia, spésque viuendi recessit ab omnibus. Ignorabant enim quid agerent, fluctuantes quò se fugâ verterent. Mens siquidem illorum trepidis rebus nutabat, córque trepidum, indignúmque veritatis huc illuc vacillabat. Alius enses amplexatus vt amens fugitabat, alius scuta reuellens insano spiritu quasi per latebras errabat. Alij vero tentoria castráque terra tenus prosternebant, alij autem equos phaleris exornabant. Hic hac illácque quò nesciebat cursitabat: hic stupefactus & tremulus, vnóque obtutu defixus haerebat. Hic inter fluctiuagam tremulámque plebem quaeritabat suum Se-

A niorem: hic inter commixtum gregem inermis palpabat clamitans suum militem. Hic pede celeri gressu fugam petebat: hi equis calcaribus citatis inermes fugitabant. Hi trilices loricas, galeásque auro comptas furtim abscondebant; hi ornamenta regalia, ceteráq. sibi vendicabant. Pauidorum exercituum murmur * multus altè resonabat, vocisque inarticulatæ tumultus, clamórque vlulatuum confusè tinnibat. Quapropter tumultuario plebeióque huius confusæ altiuolæque vociferationis tinnitu Rotomagenses excitati, formidantes ne præoccuparentur repente futuræ crepusculo die, munierunt vrbem custodibus armatis, ipsique peruigiles præstolabantur tristes euentus præoptati prælij. Cùm autem aurora tenebrosæ noctis caliginem puniceo amictu emicans desiccaret, rebúsq; color, notionísque imaginatio rediret, cœperunt trans-Rhenani magalia succendere, itérque desideratæ regressionis repetere, viarúmque ignari hac illácque pauidi fluctuare. Richardus verò Dux magnanimus, florida congruæ pubertatis lanugine decorus, huius rei euentu hilaris & lætus, voluit illos aggredi cum suis omnibus præparatis aciebus. Rotomagenses verò præcupidæ congressionis propositum à Duce tanto amouere conantes, dixerunt blandè vnanimes: Domine Dux præpotentissime, tenera viges adhuc ætate, ésque spes nostræ salutis & fiduciæ, formidamus si iueris, ne præoccuperis morte. Hac simultate decipi, vt remur, nos autumant, nobis sic vrbe prosilientibus, capere eam præiudicant. Non est nostri consilij te nobiscum ad huius certaminis prælium congredi, verùm qualicunque modo huius rei sors se habeat, viriliter cum pluribus vrbem custodi. Nos verò eos cautè prosequemur, & armis eos lacessere conabimur. Huius blanditij syrmate vix euictus Richardus iuuenis præcluis nobilitatis, vrbe cum pluribus remansit, ceteríque satellitum & tironum agmina regalia prosequentes, prosternebant plurimos occidentes. Tandem quædam phalanx Rotomagensium commisit ad siluam, quæ dicitur Maliforaminis, cum eis prælium, atque opitulante Deo deuictis hostibus obtinuit triumphum. Altera verò concio similiter Rotomagensium, præstolans ad exitus siluarum duorum regum exercitum, prosternit & occidit plurimos hostium, fugátque cæteros vsque ad Ambianensem pagum. Rotomagenses autem potiti de inimicis victoriam, vrbis remeantes ad præsidia, quæ acciderunt retulerunt Richardo omnia. Tunc Richardus recolendæ memoriæ Marchio, Dúxque & Patritius præcellentissimus, grates præmaximas Regi seculorum cum omni Clero & populo reddidit mansuetissimus, multáque beneficia & donaria sacro-sanctæ Ecclesiæ distribuit lætissimus. His ita diuino nutu expletis, cœpit præcipuus in omni terra Northmannorum, Britonúmque, Francorum, & Burgundionum haberi. Nitebat enim pro generum nobilitate, florebat bonitatum agalmate. Moribus erat illustris, sublimiórque merito astris. Effigie rutilabat, nullíque pietate secundus erat. Statum rei publicæ Archos mellifluus adornabat, omnísque probitatis fama super æthera notus erat. Monstrabat sollers iugibus factis, studiis, exemplis, & documentis, omnia commoda imitandæ bonitatis. Vultu clarus erat, omnique actu clarior cunctis extiterat, dulcis emicabat eloquio, habitu & incessu omnibus suauior. Nitidus ore mellifluo, serenus semper corde iocundissimo. Feruebat namque fide, spe, & charitate, duplicique Dei & proximi dilectione. Prudenti simplicitate renidebat, simplicíque prudentia coruscabat, iurgia litésque & rixas strenuè sedabat, populúmque vt pater filios, amicabiliter regebat. Exuberabat bonitatum commodis, informabat plurimos probitatum exemplis. In domo quippe eius veritas & gloria, in operibus illius æquitas splēdebat & iustitia Optimatum namque Francorum & Burgundionum gesta dirigebantur eius prouidentia, reíque publicæ tractabantur vtilia illius prudentia. Eius namque sanctitatis, dignitatis, & affluentiæ, longè latéque diffundebatur experta opinio. Flandrenses & Orientales obtemperabant eius imperio. Verùm quoniam minimè valet lucerna cælitus candelabro imposita latitare sub modij vmbra, cœpit præmaximus inter suos haberi, quem indiciis mirabilibus Christus Dominus disposuit manifestari. Magnificabilis Clerus & populus, qui tanti Ducis parebant iussionibus. Omnipotentis namque Dei auxiliante clementiâ, & sui Ducis Richardi procurante sollertia, illis in diebus pulchra Christi Ecclesia, & nimium decora. Moribus quippè sacris eius monitu componebatur, ac insignibus virtutum illustrabatur, non habens per crimen maculam, nec per dupli-

RICHARDVS I. citatem rugam. Radiabat namque in sublimitate Prælatorum solari venustate, atque in humilitate subiectorum lunari claritudine. Ipse verò vitæ innocentis statum benignissima mente retinebat, gubernaculúmque Ecclesiasticæ dispensationis, corde serenissimo, licet laïcali ordine adornabat: facto, dicto, & cogitatu prospero omnibus excellebat meritorum lumine, moribúsque coruscabat. Enimuero Spiritus sancti gratia locupletiùs ditabatur, septifidique charismatis sapientiâ propensiùs replebatur. Quotidie meritorum, omniúmque bonorum affluentia digniùs augebatur, diligenti subtilique indagatione perscrutabatur omnia, quæ laïcali intellectu discere poterat. Erat namque ditatus honoribus sanctimoniæ, illustratus commerciis magnificentiæ, Spiritus sancti gratiâ præeunte. Cælestibus inhiabat, vitia parui pendebat; incolásque Northmannicæ telluris lege augebat. Erat autem iuuenis mansuetus, omni probitate repletus, morum bonitate grandæuus, & à Christo in humilitatis gradibus fundatus. Monstrabat verbo & opere, qua mentis intentione introductus erat ad salutem regiminis totius patriæ. Erat namque melliflua dulcedo fortium, fortitudo debilium, defensor orphanorum, solator miserorum, baculus orborum, reparator Ecclesiarum, lux sincera cæcorum, apex Clericorum, salus egentium, culmen generum, decus præsulum, salus viduarum, cacumen sacerdotum, amator fœderum, cultor virtutum, maxima spes omnium: pietas mœstorum, memorabile pignus amicitiarum, palma desperantium, tutela Presbyterorum, sedes legum, rector populorum, pastor pauperum, forma proborum, arma militum, iudicium accusantium & accusatorum, libra quæstionum, mitigator rixarum, pater exulum, receptor profugorum, distributor bonorum, dulcis amor vernularum, exemplum cunctorum: pœna furum, detrimentum latronum, emendator confessorum, opus pietatum, murus regionum, lumen cunctorum, specimen sanctitatum, dulce caput Consulum, auxiliator Regum, protector omnium populorum. A B

APOSTROPHA AD RICHARDVM.

Censor ab Occasu quem laus exporgit Eoo,
Fama recensita laudis, Septémque trioni, C
Patrici Richarde, Comes, Dux, Marchio, Princeps,
Religione calens, probitatum agalmate florens,
Alloquio mitis, bonitatum merce celebris,
Callem iudicij seruans moderamine legis.
Grandia causidicum superant tua facta pusillum,
Compressum nimium rerum aggere multimodarum.
Nec valet exequier quod gestit scribere semper,
Actus impetus eximij nam vicit inertem,
Quamlibet immeritus poterit quod scribere certet.
Heus! athleta Dei vigeas in culmine diui.
Gaudia cum Sanctis habeas per pascua pacis.

CVM autem Richardus Marchio celebris videlicet columba Christi, sine felle amaritudinis, eniteret omnium bonorum titulis, quietúmque & solidum ab inimicis teneret regnum Northmannicæ Britonicæque regionis, nulláque gens auderet feritare cum Richardidis; Hugo Dux magnus & mirabilis coactus imbecillitate sui corporis, coadunatis pariter militibus suis, antequam defungeretur, in extremis positus, dixit: » Richardo Northmannorum Duci præpotentissimo filiam meam, licet » teneræ ætatis sit, futuri * nuptiis connubio, sacramento vestro consilio tradidi; » quam, cùm congrua habilísque viro fuerit, largiri illi nullatenus differatis. Ipse verò » vxoris meæ, filiíque mei, dum in id ætatis erit, aduocatus sit, vósque consiliis eius » saluberrimis, & mandatis vltronei inhæreatis. Defuncto verò Hugone Francorum Duce, omnes vnanimes ad Richardum tantæ potestatis Marchionem conuenêre, séque commiserunt sub patrocinio consilij eius & tutelæ. Incumbebant autem omnes voluntariè eius seruitio, & famulabanturlibenter vt Domino ipsi. Ipse autem muneribus præmaximis, mirabilibúsque donis eos ditabat, beneficiísque largissimis eos augmentabat. Ipsi autem toto mentis affectu diligebant eum, summóque reuerentiæ cultu recolebant eum. Parebant humiliter eius iussionibus & dictis, & obtemperabant obedienter eius præceptis. Ipse regebat eos blandè, D

A vt pater familias seruos, & alebat eos dulciter fomite benignissimo vt pater filios. Eius consilio tractabantur commoda secretioris Ordinis sub palæstra theoricæ vitæ desudantis, eiúsque cultu adornabantur vtilia Ordinis ampliorem vitam ducentis, scilicet sub practicæ vitæ agone colluctantis Rempublicam strenuè, blandéque & leniter Prælatos regere cogebat; & ne alicui vllum præiudicium facerent, minabatur & postulabat. Richardo verò Duce sagaci iustóque legum moderamine terram penè totius Galliæ salubriter regente, exultabant cœlorum ciues, immensas præconiorum laudes indiuiduæ Trinitati referentes. Gaudebat omnis terra, iubilans Domino in lætitia. Plaudebant omnes in excelsis, & referebant grates omnipotenti, qui illis Patricium & Ducem tantorum bonorum incrementis largitus est cluentem. Northmanni verò tanto Censore, tantóque Aduocato gratantes, illóque præsente non tantùm frui volentes, verumetiam de posteritate cogitantes, vt B gloria prolis viro non deesset, vtque viri germine non destituantur per progenierum successiones, venerunt ad eum dicentes: Res cuiusque negotij, quæ sacramento veræ fidei determinantur ab orthodoxis, operæ pretium est quo expleantur indeterminato spatio præfiniti temporis. Quocirca filiam Hugonis Magni Francorum Ducis, quam illo superstite sacramento connectendam tibi connubio sanxisti, antequam præfiniatur terminus statuti temporis; si congrua, habilísque & nubilis fuerit, lege maritali prædignum est tibi copulari. Illa verò, vt audiuimus, virgo elegantissimæ speciei & formæ, apta genialis connubij commistioni, congruentíque delectabilis concubitus amplexioni, masculini seminis viribus minimè differt succumbere. Richardus verò virilis vbertatis potestate, dicitur suis respondisse: Quod sancitum est fide peractum iri, consequens est exsecuturum iri. Ilicò præparantur nuptialis sumptus cõmoda, adornabantúrque mirificæ compositionis sponsalia. Northmannicæ igitur, Britonicæque regionis Optimatum manu ascita, præparatísque omnibus fescennino cultui quæ erant necessaria, cum incomputabili Principum congressione eam decenter & honorificè deduxit ad Rotomagensis vrbis palatia.

RICHARDVS I.

APOSTROPHA.

C *Prolis optatæ prosperitatis,*
O semper cupidi, indigníque,
Northmanni Proceres, belligeríque,
Viuacis mentis igne calentes:
Non hac quæ vehitur, virgine proles
Nascetur, populúmque reget hæres.
Verùm diuino numine nutus
Cælestis virgo prodet olim
Stirpe Dacigenâ, nobilis, alma,
Pulcra, percelebris, & reuerenda,
Digna, prælecta, & recolenda,
Cauta consilio, prouida, prudens:
Quam Dux Richardus, Marchio iustus,
Pluribus sibimet eliget vnam,
Iungens connubio, fœdere, pacto,
D *Quáque vergente tempore dignus*
Nascetur hæres germinis almi.

CVM autem tantæ nobilitatis coniugis decenti gratularetur consortio, Britonicæque atque Northmãnicæ patriæ populos serenaret iure salutifero, atque per totam pene Franciam Burgundiamque salubri consilio, repentinas insurgentium malorum commotiones compesceret dignæ potestatis dominio; quidam Satrapa nomine TETBOLDVS, diues opum, militúmque sufficientissimus, nouercalibus furiis, zelóque & odio succensus, cœpit insidiari ei multis subsannationibus, rixaríque contra eum, & oppugnare in cassum terram eius. Decernens autem se nil contra eum proficere, profectus est ad Gerbergam Reginam, filiúmq. eius Francorum Regem Lotharium cõmorantes Lauduno monte. Qui multis prosecutionibus cœpit eos vrguere, vt decipiendo deponerent eum tanto honore. Venenóque liuoris infectus, dicebat Regi & matri eius: Mirum mihi & omnibus, cur tantæ

RICHARDUS I. arrogantiæ Comes Richardus Northmannicum, Britonúmque tenens regnum quietus, super Francos præsumptuosa temeritate elatus, principatur » contumax præ omnibus. Nec Deo, nec vlli militat, famulatur & seruit; verùm in suæ præsumptionis iactantia, inreuerenti animo cordéque infrunito confidit. Nostrorum quemque parui pendit, Francorúmque vt Rex ditione superba dominatur & regit. Huius consilio tractantur cuncta, quæ Francigenis sunt incommoda. Non est tui, nec nostri honoris, vt talis Comes dominetur nostri. Dedecus quippe est tui imperij, quia Burgundionibus imperat, Aquitanos arguit, & increpat Britones, & Northmannos regit & gubernat, Flandrenses minatur, & deuastat Dacos & Lotharienses, quinetiam Saxones sibi connectit & conciliat. Angli quoque ei obedienter subduntur, Scoti & Hibernenses eius patrocinio reguntur. Omnium quippe regnorum omnes gentes ei famulantur & obediũt; nec est nisi tu, qui queat resistere superbienti temeritati eius, militúmque suorum. Magis ac magis, supráque satis ingruenter confortatur & præualescit, nec multiflua militum congerie confidens resipiscit. Vide ne regnum tibi hereditarium conetur super te inuadere, téque ab illo exterminare & extrudere. Si quod iniustè tenet teneres, omnia regna tibi vendicare quires. Harum quippe fallacium ambagum alloquio audito, subintulit Tetboldo Regina tristis & commota: Tu nostri secreti cõscius, secretiorísque consilij fidus secretarius & consiliarius; da nobis consilium super his rebus. Nullius iuuaminis virtute suffulti, nisi Dei, precamur vt motus pietate in hoc negotio, clementer succurras nobis. Auersamur vndique secus, & comprimimur, & nusquam tuta fides reperitur. Tetboldus verò Comes cupiens perdere dolo penitus Richardum tantæ probitatis Patritium, subintulit Reginæ hoc consilium. A B

APOSTROPHA.

Heus! quid adhuc furis ardescens, ô Arnulphe, odio perfidiáque,
Inuidiæ nimium afflictus tædis & laniatus?
Desine moliri contra Superûm velléque posse.
Peruacuus nimium labor est, quem nunc corde retractas.
Non capitur quem dextra Dei sancit, protegit atque.
Nam iustus, probus, innocuus, sanctus, percelebrísque
Marchio, Patriciúsque, Comes, Dux Richardus & almus, C
Aggere quadrifidæ mactus virtutis rutilanti,
Plebem commissam sibimet pater vt corriget augens,
Proteget, auxiliabitur, & saluabit, refouebit.

» SI vniuersæ Franciæ & Burgundiæ militari manu ascita, profectus fuerit Rex LOTHARIVS tuus filius ad eius vrbes munitissimas, ille si maluerit resistens dimicabit contra eum. Si non, componet se in firmissimis munitionibus tutissimarum ciuitatum. Denique conglobato Christicolarum paganorúmque exercitu, depopulans cuncta, aggredietur vrbes suas, & si fortè ceperit eas, Francorum Burgundionúmque tenebit securus regna. Prudentius congruentiúsque est cum dolo aliquatenus eum capere, quàm Monarchiam eius deuastare, vrbésque obsidere: quia nihil proficiemus in hac expeditione. Animaduertet enim propositum voluntatis nostræ, sícque cautius tuebitur se. Verùm, mitte Legatum ad BRVNONEM Colonensem Archiepiscopum fratrem tuum, Lothariensem scilicet Ducem præcipuum, vt veniat ad te propter huius erroris negotium, decipiátque alicuius calliditatis sophismate Richardum tantæ elationis virum. Ilicò Regina mittit ad Brunonem, & omnem huius deceptionis mandauit seriem. Bruno verò petiit Frãciam ilicò, veniénsque Vermandensem pagum, misit quendam Episcopum qui diceret Richardo in » dolo: Bruno Colonensis Archipræsul, licèt indignus, tibi fidelium orationum munus. Quoniam quidem noster Senior benè norit, quòd Euangelicus sermo referendo dicit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Idcirco obnixè precatur, vt venias contra eum Ambianensi pago velociùs. Audiuit enim errores insurgentium in te rixarum, vultque ardenti animo ob amorem tuum sedare tumores earum. Te & Regem nepotem suum inextricabili conciliabit fœdere, te & Tetboldum, cæterósque maliuolos pacificabit dempta pestifera voluntate. Omnia regna nepotis ditionis rectæ ambit lege coërcere, & serenare, omnéque iurgium discerpere & conculcare. Desiderat enim omnes connectere fidelitati sui nepotis; sícque sedatis rixarum tur- D

A binibus, pactáque ab omnibus pace, ad sua regredi. Tunc Richardus Marchio benignissimus his dolosis affatibus deceptus, cœpit ire contra Brunonem cum suis fidelibus. Cúmque adesset pago Beluacensi, Brunóque Ambianensi, die qua denominatum erat eos simul colloqui, venerunt ad eum duo Tetboldidæ, dicentes diuino nutu inspirati: Tibi, Dux, secretiùs fari volumus. Richardo secedenti, intulerunt " illi: Mauísne fore Dux Northmannorum, quàm extra regionem tuam pastor ouium " & caprarum? Richardo verò Comite in vno obtutu defixo, & mirabiliter hærente, " nulliúsque responsionis verbum illis dante, illi admodum stupuere. Illata verò propositio quid significaret scrutatus, infráque semetipsum quasi receptus, dixit illis duobus: Vnde, vel cuius fideles estis? Responderunt, Quid tibi cuius? Nónne tui? " Richardus animaduertens eos suos fideles esse, eósque propalari cuius essent nolle, grates agens, & vale dicens, honorauit secretiùs illos præcipuè. Vni verò ensem ex auro quatuor librarum in capulo fulgidum, alteri verò dedit armillam totidem libris purissimi auri fabricatam. Illis namque recedentibus, quæ retulerunt intimauit B suis Optimatibus. Tunc illi retractata & interpretata propositione tantæ inuectionis & comparationis, coëgerunt illum redire mœnia Rotomagensis vrbis, legatúmque mittere ad Brunonem, qui se non venturum ad placitum nuntiaret illi. Legato verò Brunoni Archiepiscopo nuntiante, Richardum ad placitum non venturum esse, stupuit, autumátque tantæ deceptionis consilium illum animaduertisse; dixítque Legato: Vade citiùs, dicq; Richardo magno Duci, vt saltim veniat super Eptæ " fluuiolum, si requiem pacísque incrementum cupit habere suorum inimicorum; & " ego pro eius amore proficiscar illuc solaturus eum. Tunc Legatus: Nō propter me, " nec propter quenquam tuorum ad præsens venerit contra te ad placitum. Huius " igitur responsionis obstaculo, tantæque traditionis dolo penitus detecto, reuertitur ad sua verecundus Bruno.

RICHARDVS I.

APOSTROPHA.

Moliuntur ecce plures,
O Richarde benigne,
Dúxque, Patriciusq. magnus,
Cunctis & Comes almus,
Subiugare te potenter
Vafra calliditate, C
Et retractat quisque dolo,
Quo te perdat iniquè.
Propter hoc stude valenter
Certa, spéque, fidéque
Enitere vi micante,
Meritis mercéque iusta,
Quo queas vigere semper
Sollerti probitate,
Callis & iusti tenere
Libram, rectum itinérque.
Frueris sorte tali,
Quo numquam capieris:
Sed vigebis seculorum
Iam per secula cuncta.

TVNC per totam quippe Franciam, Burgundiámque & cetera regna, rumor tãtæ traditionis, tantique doli propalatur, & ab vniuersis Bruno & Tetboldus, cæteríque factores talis consilij & calliditatis vituperantur. Richardus verò Dux sanctissimus, tantæ deceptionis & calliditatis insidiis erutus, referebat quotidie grates Regi Regum deuotiùs, qui eruit eum de periculo mortis & captiuitatis propitius. Erat itaque Christo Domino semper in omnibus operibus subiectus, deuotione & mansuetudine omnibus viribus armatus. Moribus & meritis præcipuus, sacrosanctæ Ecclesiæ Northmannicæ aduocatione dignus, fide plenissimus, spe robustissimus, caritate largissimus. Obediens Dei præceptis, credulus in diuinis promissis. Affluentiâ D rerum bonitatúmque locuples, diuino cultu mundialíque sollers. Docilis in opere, longanimis in spe. Sapiens in colloquio, prudens in consilio. In corrigendo cōstans & vehemens, in dilectione Dei & proximi ardens. Patiens in aduersis, fortis in periculis. In diuinis secularibúsque disciplinis mansuetus, in eleemosynis largissimus. Assiduus in studiis bonæ operationis, sollicitus metu mortis. Eximius in timore Dei, magnificus ordine, habitúque laicali. In exequiis cunctorum deuotissimus, in misericordia & pietate gloriosus. Præcellenti ingenio prædictus, in omni opere strenuus. Iudicio iustitiáque insignis, in reos seueritate terribilis, in probos lenitate mitis. Ad gratiam meritorum promptus, ad ignoscendum offensorum * paratus. Humilitatis gradibus summus, in omni hospitalitatis famulatu præcipuus. Altor Monachorum, Canonicorumque; atque gregum piissimus Aduocatus suorum prouidus. Dispensator commissi talenti fidelis, moderator rixarum insignis. Delictum proprium ca-

RICHARDVS I. nens, alterius seueriter puniens. Plebem vt pater filios fouens, Christi præcepta fideliter adimplens. Propter vos interdum armis, interdum patientiâ vincens; paganos iugo Christi leui & suauissimo subdens. Defensor patriæ robustissimus, solatórque viduarum sanctissimus. Prudens, magnanimus, bonus, & modestus, augebat populos statutis legibus. Præcellens pater exulis & egentis, incomparabilisque solator orphani & pupilli, largum pauperibus cibum ministrabat; Ecclesiarúmque assiduus reparator renitebat. Sacros Ordines graduum Ecclesiarum mirificè præ omnibus honorabat, atque Monastica quæque adornabat. Adtentus, beniuolus, & docilis in omni opere existebat, accusantiúmque & accusatorum æquali lance querelas discutiens trutinabat. Non personas pauperum vel potentium in iudicio vllo cultu reuerentiæ respiciebat: verùm expugnātium impugnantiúmque querimonias, dempta scrupulosæ rei ambiguitate, recensens, diiudicabat. Meritis & factis præcellebat in omni negotio cunctis, erátque omnibus mirabilis respectus bonitatis & honoris. Flocci pendebat arrogantes & improbos; puniebat contumaces & reos. Exaltabat humiles & beniuolos, conculcabat raptores & iniustos. Tirones suæ domus præmiis & muneribus ad seruiendum incitabat, maiores natu beneficiis affluenter ditabat. Vix nemo audebat in regno suo præiudicium facere, nullúsque cuique quicquam subripere. Degebant omnes in eius ditione securi malorum, & laborabant festinanter accelerata exhibitione omnium operum. A B

APOSTROPHA.

Profusis precibus lector supplex tibi dico,
Artis septiflua gnare, capáxque bene.
Deficit eloquium, non hunc sustollere possum
Quantum oporteret laudibus innumeris.
Nec stringi numeris, nec possum cedere verbis,
Quæ mala sedauit, quæ bona distribuit.
Custos defensórque suæ patriæ luculentus,
Dux, Comes iste bonus, Marchio, Patricius.
*Archidictus * rector verùm si quislibet esset,*
Posset veridica scribere quæ cuperet. C
Ast ego stultus, hebes, cuncta rationis & expers,
Scribere non valeo dicere quæ cupio.
Istius nota scriptaque libro bonitates
Eius stellifero qui sedet in solio.

HIS & aliis quampluribus probitatibus huc illucque sparsim diffusis, copiosisque diuersarum rerum affluentiis propensiùs diffamatis, Tetboldus Comes incendebatur excruciatus inuidia & furiis, liuoris & perfidiæ suffusus veneno, suggerebat cotidie Regi Lothario, vt deciperet Richardum tantæ dignitatis virum dolo, teneretque Northmanniam sub suæ ditionis iugo. Tandem verò Rex Lotharius ipsius Comitis sophisticis suggestionibus excæcatus, misit ad Richardum qui diceret ei dolosis affatibus: » Vsquequò præstolabor pœnitentiæ recordationísque tuæ re- » spectum, vt friuolum cuiúsque gentis me totiens parui pendis? Nónne subnixus » tuorum aminiculo inimicorum, possum obsidere & capere, exceptis amicis tuis, vr- » bes munitionum tuarum? Non vmquam cuiquam te subiugabis? Norisne me esse » Regem Francorum? Nónne tibi iniurius esse potero, si quæ mei iuris est, ascita ma- » nu, ad te obnixiùs properauero? Si tuis inuidis credidero, túque verò meis periuris » & infidelibus faueris mente & corde tuo, numquam pacificabimur fœdere com- » placito. Desine talia rimari, & libeat tibi mecum gaudere & congratulari. Conne- » ctamur igitur adinuicem taliter competentiis mutuæ voluntatis, vt nemo nostro- » rum suapte quicquam possideat facultatis. Si quispiam in te, vel in me rixatus exer- » cuerit iurgium: ego tuum, tu verò meum contere & dissipa aduersarium. Simus » vnius cordis, vniusque mentis & voluntatis; & conteramus & dispergamus, atque » subiiciamus Tetboldum cum suis. Flandrenses verò ceterásque gentes in nos re- » belles, diræ legis iugo affligamus, eásque nobis seruire & potestate vrgueamus. » Quapropter accelera venire contra me velociùs ad placitum, vt colligati indissolu- » bili competentia amicitiarum, gaudeamus vnanimes securi hostium & aduersario- » rum. D

A APOSTROPHA. RICHARDVS I.

Lothari, Rex clemens, pius, iustus, sanctus,
Probus, modestus, nobilis, lux alma orbis:
Cur decipi moliris, infectus spurco liuore,
Richardum Ducem sanctum, iustum?
Iam iam pudebit cogitasse hoc peruersum
Ingloriúsque hoc, heu! velle.
Prauum tuum sed velle posse haut continget.

IGITVR Richardus Dux Comésque præcellentissimus, falsidicis harum blanditionum minarúmque legationibus deceptus, profectus est contra Lotharium Regem ad placitum, ascita militari manu. Rex verò coadunatis eius inimicis in dolo, Carnotensi scilicet Tetboldo, Andegauensi GOIZFRIDO, atque Flandrensi Comite BALDVINO; qui etiam exercitu plurimorum eius inimicorum clam conglobato, morabatur super Helnæ fluuiolum fraudulenti animo. Die verò indicti placiti, qua dolosè statutum erat eos fœderari, misit Dux magnus Richardus exploratores, vt quæ gerebantur apud Regem renuntiarent sibi, inquireréntque qui essent cum Rege, & si quid deceptionis latitaret in exsequendi negotiis placiti. Illi autem illuc profecti, Tetboldum ceterósque inimicos Ducis Richardi ante Regem repererunt. Hinc quoque super mandatis Regis hærentes, nimium stupuerũt. Illis autem ante Regem morantibus paululum, ecce venerunt Tetboldi, Goisfroidi, atque Balduini Comitum, loricati & galeati exercitus, insurgentes hinc indè celeri equitatu, cupientes vt iussum erat aggredi Richardum, & suos hostili congressu. Videntes autem hoc illi, innuebat quisque sibi, vt renuntiarent celeriùs quæ viderant Richardo Comiti. Tunc vnus illorum præpetis equi dorso residens, veloci cursu repetiit Richardum prædignum Comitem, omnia agmina transiliens, vociferánsque cum nimio gemitu, & dicens: "Domine, Domine Dux præpotentissime, erue te ne intereas hostili immanitate: quia omnes inimici tui congressi cum Rege, gestiunt te tuósque aut capere, aut interimere. His auditis Richardus Dux imperterritus surrexit, suísque fidelibus ascitis dixit: "Prandium ecce paratum nobis, antequam deuertamus, prælibemus illud in nomine Domini. Sícque sacrosanctæ crucis vexillo præmuniti, præstolemur hostium cuneos intrepidi. Nequitia etenim illorum & perfidia atteret dignè illos; probitas verò puræ fidei & spei eruet nos. Impetus peruersæ multitudinis illorum non vos exterreat, verùm præcessorum vestrorum in omni aduersitate robustorum monimentum fortes faciat. Cùm autem ad prandium residens, hæc & alia quamplurima suadendo proferret, suíque quamplurimi abessent fideles, venit alius nuntius referens adesse hostium acies. Richardo verò sanctissimo Duci percunctanti quot milia hominum essent Regis, síque ipse esset Rex in congressione hostili, tertius affuit citatis calcaribus equis. Qui dixit ei: "Domine Dux, ecce Rex & eius exercitus festinat ferro indutus congredi tibi præparatis aciebus. Hæc eo tremula voce narrante, apparuerunt acies hinc inde armati exilientes. Tunc ineffabilis Dux Comésque Richardus intuens propiùs imminens periculum, surrexit ociùs deserens prandium, diuertitque ab eis, & secessit trãs Depæ alueum, suíque adiutorij illuc præstolabatur exercitum. Sed Regis exercitus vada Depæ præoccupauit, ne veniret ad eum. Quidam autem inimicorum persequentes Ducem Richardum, in medio vadi Depæ armis inuaserunt. Illis verò simul præliando illic colluctantibus, recognoscens quendam venatorem suum nomine VVALTERVM, Dux Richardus cucurrit cum Domigenis illuc intrepidus, & eripuit illum cæteris fugatis & occisis hostibus: restititque omni exercitui Regis ad fluuioli Depæ exitus. Confluente verò vndique secus Regis & inimicorum exercitu, dixerunt Ducem ad Richardum maiores natu defendentem seueriter vadi aditus: "Domine Dux magnanime, fraus huius perfidiæ, dolúsque deceptionis nefandæ detectus est Deo annuente. Ne igitur præoccuperis morte, aut capiaris, precamur diuerte; vrbémque Rotomagensem celeri equitatu pete, ne forte inimici tui præoccupent nos velociori cursu, eámque vendicent sibi, reperientes vacuam militibus. Dux autem Richardus illorum respuens consilia, cupiebat cum tironibus suis venientium inuadere agmina. Tunc maiores natu videntes eum in suæ mentis proposito perseuerare, salubrísque consilij verbis non adquiescere, aggrediuntur eum; &

RICHARDVS I. perfreni habenas arripientes, precabantur eũ secedere. Tandem verò maioris ætatis A
militum precatibus vix coactus secessit, & petit Rotomum festinanter ne caperetur. Ilico propalante fama execrabile coniuratæ deceptionis placitum, omnis populus regionis illius confluit celeriter ad Ducem magnum Richardum, crebris multimodísque monitis incessanter vrgens eum, vt Regi & Tetboldo Comiti redderet retractatæ deceptionis talionem, inuadens eorum regnum. Ipse verò grates referebat cotidie deuotè Regi Regum, qui de interitu mortis aut captionis eripuit eum. Ecclesias palliis monasticísque rebus ideò plenius honorabat, pauperibúsque cibum & potum largiflua manu abundantiùs ministrabat, diuinæque seruitutis officio incumbens, operam dabat. Iudicia iusti examinis libramine rectiùs trutinabat; rixas, litésque, atque discordias compescens, plebem moderatiùs regebat. Cuncta bona opera sagaciùs perficiebat, in omnibus operibus Deo subditus perfectior erat. Orphanos, pupillósque & exules, vt pater filios, leniùs sustentabat, viduásque & profugos suauiùs refouebat. Monachos, Canonicósque atque laïcos, famulari Deo strictiùs vrguebat; paganos, sceleratósque refutans, populum suæ aduocationis fomento securitatis prudentiùs nutriebat. B

APOSTROPHA AD VRBEM.

O ciuitas fœcundior quampluribus,
Fertilitate boni, militibúsque sacris!
Tuus ecce Dux prudens, pius, sanctus, bonus,
Tantorum Procerum erutus insidiis,
Peragit Dei quæ sunt, tibíque congrua
Recti per cuncta tramite iudicij.
Sed quòd colonus non fui quondam tuus,
Nescio digerere quæ studuit facere.
Vtinam Poëtas possideres garrulos,
Queîs bona quæ studuit elucubrata forent.
Quod vatibus culpa est, cares rectoribus.
Instrue nunc pueros artibus innumeros.
Successio quicquid peraget magni patris,
Carmine multicano elugubrare sciant. C

INTEREA longè latéque per totam Europam profusiùs promulgata tanti patroni tantíque Ducis bonitate, Tetboldus venefico perfidiæ infectus liuore, iterum
» petit Regem Lotharium, dixítque illi doloso corde: Pateríſne conuictus contuma-
» cis Richardi iurgio præiudicium suæ arrogantiæ in tuo regno persistere? tene-
» bítque regnum Northmannicum sine tuæ voluntatis largitione? Quomodo iure
» Rex nuncupaberis, si regere regnum Francorum non quiueris? Ceterùm fortassis
» ascita Dacigena gentilitate, vt auus suus Rollo olim super auum tuum Karolum,
» regnum ditionis tuæ supercilio iactantiæ suæ deliberat inuadere. Contra istius præ-
» sumptiuæ calliditatis molimina, dabo tibi prosperi saluberrimíque adiutorij consi-
» lia. Inuade & obside, atque cape mihi Ebroicam ciuitatem, ego vendicabo tibi to-
» tam Northmannicam regionem. Rex verò his promissis hilaris & lætus, misit ad omnes suos fideles, quatinus venirent ad se hostili congressu. Conglobatis igitur totius Franciæ & Burgundiæ repente Principibus, occurrit, & obsedit, atque cepit Ebroicas repentino conflictu, dedítque eam Tetboldo gratiâ prædictæ conuentionis vltroneus. D

APOSTROPHA.

Celebris, dignè nobilis, atque
Marchio summus, Duxque verendus,
Tutor Cleri, plebis & auctor,
Rector populi, iustus & almus,
Orphani & exulis inreuocandus,
Viduæ solatórque benignus.
Fortuitis nunc casibus istis
Velle modestum non minuetur.
Néve fatigeris dubitando,
Sibimet dum infortunia crescunt,

RICHARDVS I.

A *Iamque quem colit hunc lacerat acre,*
*Pyrrius *, æternus, refouendo,*
Pater vt sobolem recreans dulce.
Quæ peragis nunc perage semper,
Quæ operaris modo hæc operare.
Vrbs ablata tibi quoque furtim,
Tibi reddetur, iudice summo.

RICHARDVS igitur Dux præpotentissimus, subitaneo horum euentuum casu tristis & mœstus, conuocauit robustissimas legiones Northmannici exercitus, iuitque super Tetboldum, fretus innumerabili militari manu, depopulans & incendens Carnotensem Dunensémque regionem remeauit imperterritus. Dispersis reuersisque ad sua Richardi magni Ducis exercitibus, Tetboldus Comes conglobato suo clam exercitu, inrepsit Northmannicis finibus. Cùm autem relatu quorumdã B Richardus Dux magnus didicisset, quòd Tetboldus Northmãnicos fines aggrediens adueniret, misit quendam Richardum, qui cuius multitudinis exercitus esset, velociter renuntiaret. Ille verò celeri equitatu, quo Tetboldus morabatur, aggressus, quosdam illorum ab exercitu sequestratos reperiens, interemit, Tetboldúmque Comitem adesse Richardo Duci occisorum infectus cruore renuntiauit. Videns autem eum sanguinolentum, eiúsque arma cruore perfusa, Dux magnus Richardus dixit adstantibus: Iste namque cum suis interfuit certamini, dixitque illi: Quot eius exercituum milia? quáve parte Sequanæ, aggreditur nostra confinia? Respondit: Tria, leuáque parte Sequanæ, quæ est Ebroicacensis, occurrit hostiliter nobis. Cui Dux magnus: Si prælium contra nos, aut obsidionem vrbis Rotomi agere ambiret? Altrinsecus qua eminet vrbs, feritate cõtra nos acceleraret. Verùm, quia altũ Sequanæ pelagus nobis & illis obstaculum extat, nauésq. absunt illi, quibus trãseat, nullatenus nos bello lacessere temptat, sed patriam nostræ ditionis depopulare, atque cremare nostri ruboris confusione atrociter deliberat. Nos verò, quibus adsunt naues, ascitis Principibus nostris ad illos transeamus, quodque Deo placuerit inter nos experiamur. His dictis, sacrosanctæ genitricis Dei petens aulam, superque altare eius pretiosi muneris ponens pallium, ad profuturum efficacis orationis confugit auxilium. Sed Deus, qui superbis resistit, humilésque sublimat & erigit, humillimum C deuotæ eius precis votum exaudiuit. Tetboldus verò Comes maliuolæ intentionis proposito malignabatur feriter in tellure Northmannico: profectúsque est constipatus ferrata acie vsque ad casas Hermentrudis villæ, in portu fluminis Sequanæ altrinsecus contra Rotomum positæ. Richardus verò Marchio robustissimus alterius portus nauigium expetiit, totáque nocte Sequanæ transmeans alueum, super Tetboldum diluculo irruens, bellum contra eum cum paucis iniit. In primo quidem congressu certaminis, præliabantur decurtatis telis & lanceis: secundò verò mucronibus coruscis. Tunc robusta manus Northmannorum, coniunctis complicatísque ad inuicem clipeis, acie corusca mucronum aggrediens, inuadit armatos obstantésque Francorum, & ante dextra & læua lacerans, prosternénsque, atque disrumpens cuneos hostium secuit, equitans super cadauera occisorum, condensum agmen obstantium, reflectitque prælium in cuneos hinc inde remanentium. Hinc hinc Francigenarum strages efficitur, multigenáque manus multatur & interimitur. Northmannorum namque gens belligera & effera discurrens, permeat D prælij discrimina, velut lupi per bidentium ouilia, occidens & prosternens hostium seueriter agmina. Richardidis siquidem vnanimiter vociferantibus, quòd Richardi magni Ducis erat prælij campus, fiduciã præliandi recessit à Tetboldidis omnibus, vitæque conclamata est salus. Quisque se liberando quò diuertat ignorat, quóque se latitans abscondat. Alij lucis concretione fruticum condensis, alij paludibus alnis populísque densiùs conradicatis reponunt se, ne occiderentur à Northmannis.

APOSTROPHA.

Feruere crede nouas syluas, camposque patentes,
Corpora functorum pariter, lacerosque iacere,
Rustica gens quos induuiis fera dispoliabat,
Atque rubere sacro spumantes sanguine riuos:
Fingere quemque sibi varij discrimina lethi,

RICHARDVS I.

Atque super gramen tepidum fumare cruorem,
Richardumque Ducem gratari strage peracta,
Militibus lætis, esses si fortè, videres. A

TANDEM verò Comes Tetboldus, fugatis, prostratisque, atque occisis fidelibus suis priuatus, fugæ expetiit auxilium cū paucis velociùs, nec diuertit ad Ebroicam, quam sui tenebant, vrbem, citatis equis calcaribus. Merito namque beati Marchionis Richardi quadripartiti detrimento illo die infortunium persensit; videlicet fideles suos prælio prostratos conspexit: ipse fugatus & laceratus extitit, quidam filius eius morte præoccupatus occubuit: vrbs Carnotensis & præsidium eius igne concremata funditus ruit. Richardus verò Marchio bonitate famosissimus, certamine prolixàque prosecutione hostium fatigatus, Rotomum repetiit vespertinus. Diluculò autem consurgens, campum prælij aggrediens, sexcentos quadraginta mortuos reperiens, funere tantorum pietate condoluit, sepeliri eos iussit, viuos adhuc feretro leniter ad Rotomum deportari & sanari fecit. Præterea lucos paludésque exquirere fecit, multósque mortuos & plagatos reperit, quibus eadem pietate obsequium præstitit. B

APOSTROPHA.

Gurgite cæruleo Sequanæ meat æstuantis amnis,
Et mouet ingentes pelagos vaga cursitantis æstus,
Lambit odoriferas & gramine floridante ripas,
Molliter herbarumq; comas lauat vnda præpes amplè,
*Ipsam cum refluum torquet mare detrimenti * aluno,*
Detrusam retrorsum fluctibus æquoris minantis,
*Eptadus * officio mutantia vel crementa passim.*
Vmbroso & vestiti palmite pranitente colles.
Deliciosus ager vinetáque continet honesta,
Cursibus vndarum irriguis satis, emicántque prata.
Vrbs qua percelebris nunc Rotome pranites decora,
Labentis iocundis vsibus affluenter amnis, C
Merce quibus varij componere fœnoris queat se.
Sed munita nimis rutilas magis inclyti Patricij
Richardi meritis & moribus vndecumque iustis,
Qui virtutis inexpugnabilis almitate plenus,
Protegit, exaltat, temet regit, & fouens tuetur.
Auro plus constans hostes fugat, obstat, arguitque,
Marchio, Duxque, Comes mirabilis, & stupendus actis.
Prædignúsque, probus, sanctus, pius, & benus, modestus.

HIS & huiuscemodi triumphaliter peractis, Dux magnus Richardus præcipuos suæ domus legatos ad Daciam celeriter misit, vt gens robustissima Dacorum accelerato iuuamine succurreret illi. Daci verò his legationibus hilares, aptatis oneratísque nauibus celeriter, aggrediuntur Rotomum festinanter. Dux verò constantissimus, tantæ multitudinis Principes conspiciens, suæque indignationis, animositatísque maliuolentiam vendicare ambiens, petere Giuoldi fossam iussit, & deuastare quæ erant Tetboldi, & Regis. Daci verò hinc abeuntes, supérque Regem & Tetboldum congredientes, depopulabantur quæ repericbant indifferenter. Villis rusticorum omnibus deuastatis, suburbana incendebant, atque castella plurima humo tenus prosternebant. Obstantes sibi crudeliter occidebant, ceterámque manum flebiliter ad naues vexabant. Desolatur Regis & Tetboldi Comitis omnis terra talibus hostibus nequiter afflicta. Fames oboritur, quia terra aratro nusquam scinditur. Peruia, viæque & semitæ ignorantur, quia à nemine calcibus atteruntur. Salus, spésque, & fiducia à residuis conclamatur; quia vniuersæ pestilentiæ ignominia affliguntur. Richardi verò magni Ducis terra solida erat, & quieta; nec vllius calamitatis peste afflicta, sed liberi arbitrij labore ab omnibus exercitata. Quisque colonus quod ambiebat liberè agebat, possibilitate suæ voluntatis percepta. Tantæ altercationis, tantæque cladis Northmannicæ & rapinæ nocte diéque innumeris casibus vno lustro penè afflicta, nequibat ampliùs tanti infortunij ferre discrimina. Tota igitur fere Francia Tetboldi regimini subiecta ab incolis dereliquitur, Ecclesiæ his D

casibus

A casibus destitutæ nullo Christicola frequentantur. Præsules igitur totius Franciæ Northmannorum paganorum sæuitiam perpessi conuocauerunt sanctã Synodum, quid agerent scrutaturi, quia casibus innumeris, quampluribúsque incendiis, rapinísque, & deprædationibus permaximis vexati, agitabantur Christicolæ subiecti periculis. Tetboldus verò dolo fraudulẽtæ intentionis, suggerebat falsò Pontificibus & Palatinis, quòd pro statu Reipublicæ, & fidelitate Regis agitans iurgiâ, rixabatur cum Richardo & paganis. Episcopi autem cognita, & audita bonitate sanctissimi Ducis Richardi, mirabantur super dictis Tetboldi Comitis. Huius igitur rei gratia consulti, deprecantur Carnotensem Præsulẽ, cuius voluntatis esset Dux magnus Richardus sciscitari super pestiferæ penuriæ ignominia & calamitatis. Coactus autem monitis Coëpiscoporum, misit quendam Monachum ad Ducem Richardũ, qui dixit ei huius legationis mandatum: Carnotensis Episcopus tibi fidele orationũ munus. Ambit námque te aggredi, mutuísque affatibus tibi sermocinari; ideò po- " RICHARDVS I.
B stulat Ducem & Aduocatum itineris sui, viatorémque sibi dari, ne fortè deuorent " manducéntque se tui diaboli & lupi. His auditis Richardus Dux serenissimus subri- " dens, misit qui conduceret ad se Episcopũ saluum & incolumem. Aduenieus námque ille infit Duci magno Richardo: Metropolitani cum Coëpiscopis Franciscæ " gẽtis tibi indeficientis munera orationis. Miramur námque stupidi, cùm cultor DEI, " Christicoláq. præcipuus in toto orbe nomineris, cur paganos insanire in Christianos " sceuiter permittis? Transeunte me tutela tuæ aduocationis formidolosam tyrannidem " hostilitatis, colonos huius telluris securos hostium repperi; nec formidabant " repentinũ casum vllius aduersitatis delubra, Ecclesiásq. ab incolis veneranter perlu- " stratus, mysteriúmq. diuini officij sollemniter conspexi celebrari. Quidquid verò ad " cultum veræ fidei adtinet incessanter exequi, Christiani nominis fidem augmenta- " ri. Nos atterimur rapinis & incendiis, quinetiam repentinis nocturnalibúsque ca- " sibus mortis: & ignoramus cuius intentionis proposito hoc scelus detestabile pera- " gitur nobis. Quocirca precamur obnixè, flexis corporis animíque popilitibus, vt cu- " ius rei causa hoc execrabile detrimentum Franciscæ gentis peragitur, nobis te ob " hoc aggressis sermone veritatis enucleetur. Tunc Dux Richardus verax & iustus: " Memorésne reminiscimini ante malorum meorum peractorum & retractatorum? " Nonne fraudulenta Tetboldi Comitis suggestione conatus est Bruno Dux Lotha- "
C rianensis me decipere? Numquid non dolosis falsidicísque eiusdem Comitis ambagibus Rex Lotharius deceptus molitus est me comprehendere, aut occidere, " quem Deus eruit sua larga miseratione? Nónne idem Comes Lothario Regi " spopondit Northmannicam regionem, si illi daret Ebroicam, quam modo te- " net, ciuitatem? Cæterum, nónne deuastans & incendens lacessiuit me ad por- " tum Rotomi, conglobata immani hostilitate? Tunc Præsul: Non ei talionem " debetis de blasphematione illius prouocationis. Sed ille Comes iactat se repu- " gnare & reluctari contra te ob statum sacro-sanctæ Ecclesiæ, Reique publicæ. " Qualicúmque modo rex scelesti negotij se habeat, precamur impetrare pacis " incrementa, vt gloriari valeas cum Episcopis & Rege Lothario; ipsique & ip- " se de te tali Duce & Patrono Christianissimo. Richardus autem præpotentissi- " mus recognoscens nullum tam Deo acceptabile holocaustum & sacrificium; quàm pacis incrementum, diligénsque vt viuere, pacificare Franciscum & Northmannicum regnum, verùm, nolens demonstrare propter Tetboldum mentis
D affectum, dixit Præsuli internuntio Coëpiscoporum: Si paganis huc propter " me aggressis, pacis felicitatem impetrare quiuero ignoro, huius rei causa nutans " titubo. Quapropter assumptis tecum aliquibus Coëpiscoporum & Palatinorum, " aggredi me cùm Sol mediauerit mensem Maium, interimq. conabor compescere " blandiens contumaciam ferocem arrogantium paganorum. Eo autem quid audiuit " à Richardo magno Duce, Regi & Coëpiscopis renuntiante; statim animaduertit, comperitque sine suo consilio Tetboldus Comes pacem requisitam esse. Extimplo misit quendam Monachum ad Ducem magnum Richardum, subsequentia verba dicturum: Comes Tetboldus tibi fideles famulatus. Quorundam etenim Francorum prauo consilio deceptum, iurgatum esse contra te sine re, & rixatum pœnitet se, & fecisse quod fecit malum; & profitetur se quicquã mali amplius

RICHARDVS I. non facturum. Ambit si libet tibi secretiùs vt seruus Domino fari, redditque A tibi Ebroicas, quam Rex tibi abstulit, ob gratiam amoris tui. Terra suæ ditionis subiecta tyrannicæ hostilitati, depopulatur rapinis & incendiis, nec valet resistere sæuitiæ tantæ multitudinis, neque placare eam congesto pretio totius regni, nisi per te qui imperator es huius rei. Precatur flexis genibus corporis & animi, vt indulgeas sacrosanctæ Ecclesiæ, & desolatæ plebi, & habeas se fidelem famulum tibi, compescens pestiferos incursus Dacigenæ ferocitatis. Richardus verò Dux his auditis, tacito affectu mentis Deo grates egit, Monacho quoque subintulit: Si quæ loqueris veráne esse possunt? Respondit: Vera, & non gestit aliud beneficium promereri, reddens Ebroicacensem vrbem tibi, nisi perseuerans propositum tuæ internæ dilectionis; vt pax & concordia indissolubilis fœderis maneat vobiscum cunctis diebus quibus vixeritis. Venietque noctu cum secretariis suis, quando tibi placuerit, causa huius negotij, ad mœnia Rotomagensis vrbis, firmaturus sacramento veræ fidei quæ tibi suggessi. Tunc Richardus: Dei fide qua viuimus, & vegetamur, tenacique nostri tenoris firmamento conlaudamus, vt veniat ad nos, si libitum fuerit, his tribus transactis diebus; & conectamur fœdera nullo casu solubilia; sed perpetuis & inextricabilibus legibus conseruanda. Monachus namque quæ audiuit Tetboldo Comiti renuntiauit. Ipse autem lætus & hilaris super huiuscemodi renuntiatis, diebus ter duobus transactis, venit Rotomum noctu cum suis secretariis. Vterque horum vt alterum conspexit, obuius quisque cucurrit, amplexantésque se inuicem oscula libarunt, sessum petiuerunt. Tunc Prior Tetboldus: Ad tuam ineffabilem pietatem supplex venio, quia tua miseratione & Dei propitiatione omnium indigeo. Vstulata sunt vbicumque terrarum quæ possideo, habetúrque tellus mei iuris veluti quædam solitudo. Iccirco quæ tibi suggessit Monachus exsequi libenter sum paratus. Præiudicium omne mei consilij & facti tibi emendabo; huiúsque rei gratia quasi pro beneficio tibi seruiens militabo. Ebroicacense castrum tibi voluntariè reddo, veniámque & indulgentiam tuæ miserationis promereri supplex postulo, quòd contra te illud tenui. Huius humilitatis C deuotione Richardus Dux magnus misericorditer mente subactus, respondit Tetboldo Comiti humillimus. Sine obside & sacramento fidei mei huc nihil titubans accessisti, quæcumque requiris impetrabis. Continuæ pacis felicitatem habebis, nemo meorum tibi & tuis vltra iniurius & nocuus erit. Ego verò abhinc tuus, sicut tu meus, mutuóque communis auxilij interuentu, fiducialiter vicissim solemur. Fiat pax opulenta, requies iocunda, serenitas tranquilla, concordia inter nos stabilis & perfecta, per decreta inextricabilia. Allatis igitur Sanctorum pignoribus fœderati sunt. Similiter vtriusque Comitis Consiliarij hæc eadem veræ fidei sacramento auctorizarunt. Tunc Richardus Marchio largissimus, muneribus & donis præmaximis eum affluenter honorauit. Ipse autem optato osculo & amplexu desiderato fruens discessit, eadémque nocte secretiùs Carnotum repetiit. Ipso namque die Tetboldidæ ab vrbe Ebroicacensi cum omni supellectili vt iussum erat egredientes, miserunt ad Ducem Richardum vt eam reciperet. Ipse autem eam recipiens, abundantiùs militibus præmuniuit, omniúmque bonorum affluentia honestans fœcundauit. D

APOSTROPHA.

*Rusticus inscia * quamquam nostræ stilus ornet*
Diuersi variis generis metris opus istud,
Prauacuum nimis, indignúmque opis, artis inobsque,
Rhetoricisque faui redolentis nectaris exsors,
Heroico potius metro pollere deceret;
Hoc lugubrata vigent quia fortia facta virorum.
Hic nam vir fortis, constans, robustus in armis.
Pacificus, bonus, atque probus, pius, ipse modestus.
Magnificus, meritus, præcelsus, nobilis, almus.
Inclytus, egregius, mirabilis, atque decorus.
Maximus, eximius, præcellens, magnanimúsque.

* *pro*, inscitiæ.

RICHARDVS I.

A *Præcipuus, iustus, sanctus, humilisque, venustus.*
Propicius, lenis, mansuetus, mitis, acerbus.
Longanimis, celebris, sollemnis, amabilis, atque
Clemens, indulgens, miserens, scelerum puniensque.
Protector, censor, tutor, largitor honorum.
Prudens & sapiens, industris, gnarus, enormis,
Linguarum, diuersarúmque sciens regionum.
Adtentus, docilis, cupidus, sitiénsque bonorum.
Mirificus, stabilis, suauis, fidúsque, fidelis.
Tranquillus, placidus, letus, sine nube, serenus.
Iocundus, dulcis, blandúsque, affabilis omni.
Facetus, felix, frugalis, iuridicúsque.
B *Formosus, diues, locuples, & munificator.*
Dulce caput populi, spes & fiducia plebi.
Procerus, pulchérque, elegans, formâ speciosus.
Pes claudo, ast oculus cæco, baculúsque labanti.
Omni sufficiens potus largè sitienti.
Esca prælarga & variæ cibus esurienti.
Pauperis, exulis, ast inopis susceptor enormis.
Protector viduæ, coniunx velut atque maritus.
Solator Regúmque, Ducum, Procerum, Comitúmque.
Dum mundo viguit, sic omnibus omnia factus,
Offecit nullis, certauit profore cunctis.

HIS ita secretè cautéque expletis, Marchio Dúxque celebris scenam Richardus miræ amplitudinis atque longitudinis super ripam Giuoldi fossæ iussit fieri, in aduentu Palatinorum Pontificúmque Franciscæ gentis. Determinato igitur tempore Iduati Maij, inflammatis scilicet ab æstuante Sole Geminis, venerunt gratiâ impetrandæ pacis ad Richardum Ducem magnum illuc Palatini cum Episcopis, eósque decenter & veneranter recipi, scenísque iuxta mirabilem scenam fa-
C ctis, iussit hospitari. Crastina namque die venientes ante Ducem Richardum, intulerunt ei ex parte Francorum munia fidelium famulatuum & orationum, &
dixerunt: Dux inauditæ potestatis, sufficientiæque & virtutis, Optimates to- «
tius Franciæ regni precantur vnanimiter flexis humotenus genibus cordis, vt in- «
dulgeatis sacro-sanctæ Ecclesiæ & annullatæ genti. Rex autem, nósque, cæterí- «
que Francorum residui, omnísque Clerus totius regni, omne bonum præsens & «
futurum optant tibi, si sæuitiam paganorum compescueris, eorúmque pestifera «
incursione Franciam erueris. Fraudulentæ suggestionis Tetboldi Comitis hor- «
tamine, quæcúmque Rex contra te operatus est, fecit; bonorúmque quæ pater «
tuus patri suo intulit reminiscens tædet se facti. Quemadmodum igitur Rex Ludo- «
uicus pater suus, opitulante patre tuo in regno subrogatus viguit, ita regna tene- «
re, superborúmque dominari, magno tuæ potestatis iuuamine concupiscit. Si- «
tis communibus mutuæ competentiæ precatibus concordes, altérque vestrûm «
alterius iuuamine confidentes perseueretis vnanimes. Ipse autem Rex, Opti- «
matésque totius Franciæ regnum Northmannicum tibi, tuísque heredibus iu- «
D rando propriis manibus sancient in perpetuum: postea nemo illorum vllatenus «
tractabit tibi alicuius aduersitatis damnum. Huius legationis præcepta persol- «
uentibus respondit Marchio Dúxque præcellentissimus: O Præsules reueren- «
di omnium virtutum affluentiâ profusius opimi, nec non Proceres cunctorum «
bonorum, forensiúmque rerum vbertate propensiùs fœcundati, propositum «
meæ continuæ intentionis & voluntatis non differam fiducialiter confiteri vo- «
bis. Quapropter, confidenter experiamini, velle me summopere meliùs felici- «
tate pacis stabilire & exequi, quàm vllius prosperitatis & honoris opus adgredi. «
Hoc mihi summum & peculiare semper extitit. Verum, pro vestrorum inoportuni- «
tatibus & rixis tenere illud, ne confunderer, nequiui. Quia nihil est in aliquo su- «
spectu aliquid grauius quod crucier, quàm quémque aut non videre quod cupiat, «
aut videre quod perdat: cùm in vtróque animus pondere sollicitudinis præma- «
ximo pressus titubat, vt & quod diuturnè sollicitus spectat habeat, & vt habere «

RICHARDVS I.

cœperit ne amittat. Recogitate igitur & reminiſcimini inſidiarum & malorum, A
quæ ab eo paſſus ſum; & animaduertite & intuemini, cui noſtrorum veſtrorúm-
» que extiterit præiudicium. Vos non ignoratis ſuggeſtione Tetboldi Comitis,
» Brunonem Archipræſulem Colonenſem, & Ducem pariter Lotharienſem me
» voluiſſe decipere. Vos non ignoratis eiuſdem falſidica prouocatum verſutiâ Lo-
» tharium Regem veſtrum Seniorem voluiſſe me capere aut occidere. Quid refer-
» tis de Ebroicacenſi, quam reddidit mihi, vrbe, Deus? His & talibus huiuſce-
» modi, pluribúſque inoportunitatibus, quas tædet recenſeri, motus; miſi ad Da-
» cos, quatinus mihi ſuccurrerent velociùs. Quibus me feſtinanter aggredientibus,
» imperaui in vos exercere tyrannidem cladis huius; quia niſi res ponderaretur, mi-
» nimè reſipiſceret ſtultus. Si quod igitur retuliſti mihi extat verum, ſtabilite ne-
» ceſſariæ pacis oportunitatem mecum. Tunc Richardus Marchio famoſiſſimus, aſ-
citis communiter Northmannis omnibus cœpit blandiri, & ſerenare eos manſue-
» tiſſimis allocutionibus: O ſummæ reuerentiæ Patres, grandæuo, mediocríque,
» atque iuuenili ſitu mirificè redolentes, gratias debeo referre vobis inceſſanter, B
» quinetiam munera largiri vobis ſufficienter; quia tellurem veſtræ natiuitatis, pro
» præiudicio mihi ſine re illato, deſerentes, iurgati rixatíque eſtis ob amorem meum
» vſque modo contra exteras gentes. Ipſarum autem gentium Rex, Duces, & Co-
» mites afflicti veſtris depopulationibus inceſſanter & hoſtiliter, requirunt ſeque-
» ſtræ pacis ſpatium dari ſibi ſuppliciter. Si libet vobis, conſequens eſt dari; ſi non,
» oportet abdicari. Decernite requiſitæ rei negotium communi conſilio & ſuper
» hoc reſpondere rimaminor. Tunc Northmanni, qui & Daci, vnanimes intule-
» runt Richardo Duci, dicentes: Nequaquam pax continua, neque intercapedine
» temporum diſcreta concedetur; verùm omnis Francia, exterminatis aut occiſis
» Principibus, vi & poteſtate tibi adquiretur. Heu! heu! quid facient, vel quid
» dicent ceteri Dacigenæ & Northguegigenæ, qui præparatis & oneratis naui-
» bus, huius rei iuuamine aggredientur nobiſcum immani hoſtilitate? Quid de
» Hirenſibus, quid de Alanis, quid de cæteris quamplurimis gentibus? Propoſi-
» tum veſtræ voluntatis, quam nobis aperuiſtis, non adimplebitur viuentibus no-
» bis. Cæterùm, ſi libitum eſt, quam inuaſimus Franciam, vendicabimus tibi.
» Sin verò diſplicet, ſortietur ea nobis. Quocirca elige è duobus quod mauis, aut C
» tibi, aut nobis. His auditis, Dux præpotens Richardus vrguebat eos multarum
proſecutionum interpellationibus, & bis duobus bis diebus octo obnixè eos de-
precabatur, vt pacta pace cum Francigenis fœderarentur. Præſules igitur & O-
ptimates Franciſcæ gentis ſtabant quotidie illic ſtupefacti, & intuebantur con-
flictum huius pacificationis. Tandem verò Dux magnus Richardus non valens
ſerenare tantorum ſæuitiam vllorum precatuum conaminibus, dixit aſcitis ſeor-
» ſum ſuis fidis Principibus: Hæc gens aſpera & fortis, dum ſimul interpellata
» fuerit, non adquieſcet precibus noſtris. Conuocentur maiores natu & potentio-
» res ſecretiùs, futuræ noctis conticinio, & excæcemus eos muneribus præma-
» ximis, & copioſo beneficio, ſi forte fauerint precibus noſtris & voto. Hoc nam-
que conſilium Principes Francigenarum referebant ſalubre & proſperum, & au-
tummabant ſibimetipſis profuturum. Inſecutæ igitur noctis crepuſculo, conuo-
catis clam maioris potentiæ ſenibus ex genere Northmannico, pandit corde
» quod voluebatur ore mellifluo, & dixit: O reuerendi merito patres, pro tem- D
» poralibus nimium beneficiis agonizantes, pro quibus carebitis vita æterna, Phle-
» getonte dignè perfruentes; animaduertite mei ſermonis proloquium obedien-
» ter. Quanquam genus hominum omnium à Domino exordio fineque carente
» ſit procreatum, quo reſarciretur ruina Angelorum, vario & diuerſo itineris
» calle deuius error illud abducit, ne reuertatur ad Creatorem ſuum. Vos ani-
» mas veſtras putatis cum corporibus interire, ideò non abhorretis omne ma-
» lum facere. Eſt quippe præter iſtam altera vita quam ignoratis, & quicquid
» in hac feceritis, in illa pro certo repræſentetur vobis. Tunc illi: Refer, pre-
» camur, nobis huius propoſitionis arcanum, & enuclea quantociùs nobis no-
» ſtræ conditionis figmentum. Tunc Comes prudentiſſimus demulcens eos blan-
» dis affatibus: Ratiocinatio noſtræ conditionis hæc vera dinoſcitur eſſe ab or-
» thodoxis. Bis quino namque Cælicolarum ordine creato, decimóque lapſo,

A contumaci arrogantiæ iactantiæque suæ iurgio cursúque totius mundanæ mo- RICHARDVS I.
lis, eiusdémque mirifico ornatu perfecto, duo connectens elementa, viuum sci-
licet & moribundum, in vnum effigiauit Deus hominem ita immortalem ex limo,
vt gloria & honore eum coronaret, supérque opera manuum suarum constitueret,
& ad cœlestem Angelorum gloriam, quam arrogans perdiderat, quandóque sine
carnis morte transiret. Sic verò immortalem, vt si se ad Conditoris sui obedientiam
vinculis caritatis coartaret, legibus mortis non incubuisset. Verùm, heu dolor! per-
fido hostis antiqui astu fraudulenter intricatus, cupiditatúmque illecebris illectus,
præceptáque plasmatoris negligenter spernens, indéque neci obnixus, atque ab
amœnitatibus Paradisi pulsus, mundialibus ærumnis est deputatus. Nec tamen sen-
tentiam damnationis ipse solus excepit, sed totam secum humani generis propagi-
nem in facinus exsecrabile, & mortis acerbitatem inuexit. Hinc hostis antiquus
B super omnes homines Principatum fraudulenter tenuit, eósque sibi nequiter sub-
didit. Verùm, quia plasmationis & casus Protaplasti executus sum breuiter seriem,
cui corde & mente adhæremus, euangelizare vobis nostræ credulitatis gestio fidem.
Deum námque vnum in substantia colimus, Trinitatem in personis veneramur: &
licet sit Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, vnus tamen solummodo
creditur Deus. Patrem genitorem vocamus, Filium genitum confitemur, Spiri-
tum sanctum ex vtróque manare credimus: & in tribus his personis, scilicet Geni-
toris, & Vnigeniti, atque ex vtroque Procedentis, diuinitatem vnam, æqualémque
gloriam atque maiestatem profitemur. Hic namque Deus cælum subtilitate suspē-
dit, terram mole fundauit, maria calculis alligauit, & in his omnia quæcúmque
voluit verbo fecit, & Spiritu suo ea firmauit. Hic námque solus habet immortalita-
tem, & lucem habitat inaccessibilem. Apud quem non est transmutatio, nec vicis-
situdinis obumbratio. Cuius semper est esse, æternum & incommutabilem perma-
nere. Solus quippe est veraciter, quia solus permanet incommutabiliter. Qui sine
mutatione sui habet mutabilia disponere, sine diuersitate sui diuersa agere, sine co-
gitationum vicissitudine dissimilia formare. Qui & vbique est, & absque loco totus,
quia & omnium creaturarum ipse est superior, ipse inferior, ipse interior, ipse exte-
C rior Deus. Superior est regendo, inferior portando, interior replendo, exterior
circundando. Intra cuius iudicij omnipotentiam cuncta coartantur, eiusque po-
tentia ab vlla creaturæ natura non transcenditur; quia celsitudo eius diuinitatis,
nec cœpit esse, nec desinit, & nec per initium nascitur, nec termino coangustatur.
Hic námque Deus Verbum quod erat in principio apud eum, & quod sine tempore
genuit, ob nostram redemptionem incarnari disposuit. Ex sacro-sanctæ Virginis
carne, Angelo nuntiante processit in carnem, humiliatus vsque ad humani exor-
dij pudorem, & pannorum illuuiem, & præsepij vilitatem: quam quidem natiuita-
tem possumus mirari, sed eam minimè valemus intueri. Quis etenim dignè loqui
potest, quomodo de æterno natus est coæternus? & quomodo ante secula exi-
stens æqualem sibi genuit? & quo modo natus gignente posterior non est? quod
est pater hoc genuit: Deus Deum, lux lucem, immensus immensum, incompre-
hensibilis incomprehensibilem, omnipotens omnipotentem, vnum secum, & coæ-
ternum, sibi coæqualem. Qui natus ex patre sine tempore, ex matre nasci dignatus
est in tempore, & ad electri similitudinem, vnus in vtraque, & ex vtráque naturá;
D & Deus permansit cum patre, & ad redemptionem nostram factus est homo mor-
talis de matre, vt erueret humanum genus suæ similitudinis & imaginis figmen-
tum sua larga miseratione ab hostili lapsorum Angelorum immanitate. Tempo-
rúmque labentium cursus humaniter exsequens, diuersáque miracula mirabiliter
peragens, scilicet gressum claudis, auditum surdis, visum cæcis, pristinam sanitatem
paralyticis; mundam, gratámque, & deliciosam cutem & carnem leprosis largiens;
marísque tumores sibi & Petro calcabiles præbens, ipsiq; mari & ventis præcipiens:
mortuos, quinetiam Lazarum in monumento quatriduanum, suscitauit, & omnia
quæcunque voluit in cælo, & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis fecit. Deni-
que ad spontaneæ mortis spectaculū peruenit, quam & cruci affixus sustinens, dum
suo de latere aquam cruorémque produxit, virginem immaculatámque Ecclesiam
sibi exhibuit, sanguine redemptam, latice emundatam; ne aut maculam habe-
ret per crimen, aut rugam per duplicitatem. Mortis namque celebrato mysterio,

N iij

RICHARDUS I. infernóque exspoliato die surrexit tertio, suísque fidelibus se manifestum exhibēs, A
„ cum eis conuersando, quadragesimo suæ resurrectionis die carnem, quam de Virgi-
„ ne sumpsit, Apostolis videntibus sustulit cœlo. Hanc namque mortem, quam hostis
„ antiquus Protoplasto genericque eius intulit, abolere famulis suis parauit, itérque
„ inuiolabile, quo ascenderent vnde lapsi sunt, demonstrauit, dum carnem nostram
„ secum ad astra vexit. Quocirca copula duorum elementorum, scilicet homo, si dum
„ vixerit Deo famulatus fuerit, eiúsque præceptis totis virium conaminibus obedi-
„ uerit, pars viua & potentior, quæ germen ab æthere traxit, hospita viscera sui corpo-
„ ris, recusatis contagij hostis, ad æthera secum reportabit. Si forte terrestris voluntas
„ luteum sapuerit, & graue nefarium captauerit, animæque virtutes, coaceruatis ni-
„ mium vitiis, abdicatísque promissionibus, quas in baptismo spoponderit, pondere
„ peccatorum oppresserit, animam secum trahens ad inferna torquebit. Propterea se-
„ pulchris impenditur à Christicolis maxima cura, illisque creduntur corpora non pe-
nitus mortua, sed summo * data: quia venient olim secula, in quibus socius animæ B
calor visitabit ossa, viuóque sanguine animata gestabit pristina habitacula, videli-
„ cet cadauera tumulis putrefacta, volucrésque rapientur in auras priores quas ha-
„ buerunt animas comitata, quia interitus huius mortis reparatio est vitæ melioris.
„ Nam si cariosa vetustas totum corpus dissoluerit, vt in mensura minimi pugilli eius
„ ciuisculus sit, illúmque cinerem vaga flamina & auræ per vacuum inane tulerint,
„ hominem perisse non licebit: verùm aut cum quo virtutes anima exercuerit, cum
„ ipso remunerabitur; aut cum quo peccauerit, cum ipso punietur: & ita iudice Chri-
„ sto Dei filio ibunt impij in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam. Hæc est
„ fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, saluus esse non
„ poterit. Hoc firmamentum salutiferæ nostræ credulitatis, hoc symbolum profuturæ
„ fidei & salutis. Quæ audientes Daci obstupuerunt, imóque trahentes vocem ex pe-
„ ctore dixerunt: Heu nobis omnium bonorum ignaris, scripturásque nescientibus,
„ neque virtutem Dei, quia nihil differimus belluis, neque auibus cœli! Illæ quo ad
„ præsens viuant quæritant, nihilque adquisitionis sibi conseruant. Nos verò quo si-
„ militer viuamus, rapinando incessanter quærimus, sed in eo ab illis distamus; quia
„ quod cibo potuíque exuberat, in posterum thezaurizando reseruamus. Da nobis C
„ salubre consilium petimus, quatinus ad præsens & in æternum viuere valeamus.
„ Tunc Dux: Si velle est vobis inhærere nostris consiliis, ego faciam vos primitus ba-
„ ptizari in nómine Patris, & Filij & Spiritus sancti; ampliorique deinde integerrimæ
„ fidei prædicatione ab Episcopis profusiùs erudiri, postea muneribus largissimis, be-
„ neficiisque amplissimis ditari, quibus viuere quiueritis, & in æternum non peribi-
„ tis. Sed vitæ præsentis solatio, futuræ remunerationis brauio sine fine fruemini, si
„ integerrimæ pacis, quam requiro, felicitatem non abnueritis. At illi: Et securitatem
„ pacis, & tenorem sacrosanctæ fidei spondemus tibi, & numquam deuius error tuo
„ consilio deuiare nos perurgebit. Pacta quippe noctu fide, & iurata pacis quiete, di-
„ xit Richardus demulcens eos melliflua allocutione: Reuertimini mearum virium,
„ animæque meæ partes furtiuo gressu ad vestras naues, ne videamini; neque sciat
„ quisque huc vos venisse præcauentes. Diluculò verò reuocabo vos, paritérque tu-
„ multuantem diræ ceruicis plebem, & depostulabo multimodis precatibus vestram
„ & illorum pietatem, pacis dari incrementa, & quietis affinitatem. Abdicate & resi-
„ stite obiurgando cum illis verbis meis, tandémque prolixa simultate vix finita votis D
„ adquiescite meis. His ita clanculum peroratis, ad sua quisque vestigia torsit. Primo
itaque mane Dux magnus festinanter consurgit, innumerabilibúsque Dacorum
„ legionibus ascitis fiducialiter dixit; Maliuolas prauæ intentionis ambages vsque
„ modo præstolatus, iterum iterúmque repetam vestri obstinati cordis excessum. Ab-
„ negatam multotiens oportunitatem pacis date precamur nobis. Tunc Northman-
„ ni voluntate dispares, intulerunt Richardo vnà dicentes: Frustra laborat, qui supra
„ petram semina iactat. Verborum tuorum laborem vnanimiter fundis, ociosa dum
„ superuacuè loqueris. Pax & concordia, cui nos adquiescere superfluè satagis, inter
„ nos & Francos nusquam & numquam erit. Exterminabuntur autem, perimentur,
& omnis natio illorum penitus delebitur. Si quis indignus fuerit inuentus, nostræ
ditioni * subiacebis. Nonne auus tuus terram, cui præes, depopulato Franciæ re-
„ gno, vendicauit sibi armis? Tunc à minimo vsque ad maximum reciproca voce cun-

* al. somno.

* al. conditioni.

RICHARDVS I.

A cti dixerunt: Aut moriemur, aut vendicabitur. Richardus verò Dux magnus preces precibus iungebat, eósque dare pacem obnixè postulabat. Sed mens illorum precibus eius minimè adquiescebat. Tunc illi, qui noctu pacem spoponderant, cæteris intulerunt: Pro cuius adiutorio & defensione huc accessimus, consequens est vt precibus eius pareamus. Oportunum est fieri, quod ambiens concupiscit, satisfactionémque concedere libenter eius votis. Cuius consilio adhærebimus, nisi istius? & cuius precatibus adquiescemus, nisi cuius beneficio cotidie fruimur parciùs? His auditis, qui nocturnum ignorabant consilium, vehementer turbati, cœperunt vehementiùs obortis contradictionum vociferationibus rixari, & dixerunt: Vt remur, fautores, quin adulatores huius consilij estis, ideò talia nefaria nobis impenditis. Non erit secundum vestri propositi libitum, nec pax quæ requiritur dabitur ab vllo nostrum. Consentaneam vestræ voluntati intentionem hiulcè nobis aperuistis, quæ refragabitur audacter superstitibus nobis. Quod mandat precatúrque Dux, minimè B intercessoribus vobis parebimus, verùm Francia vsque ad internecionem armis ferociùs depopulabitur. Tunc nocturnalis consilij conuentione iam lucrati, dixerunt acerrimis bachati furiis: Non intercessoribus nobis pax dabitur, sed eam volentibus nolentibúsve vobis Duci magno largiemur. Quid nobis vobísque? Nónne vobis natu maiores, prosapia nobiliores, armis robustiores? Non intercessores, sed largitores pacis nominari debuissemus. Quo audito, Dux Richardus, hinc secedens ait ascitis suis Principibus: Sinite illos adinuicem feriter rixari, & videamus qui illorum potentiores & fortiores extiterint. Ter tribus igitur diebus huius conflicti litigatione ductis, admirantibúsque Francigenis cum Richardidis, dixerunt refutatores pacis Satrapis prudenti consilio noctu adquisitis: Natu, prosapiáque, atque armis potentiores estis, ideóque volenter nolentérque assentiemur vobis. Si Richardus Dux magnæ potestatis largissimos nostri itineris sumptus nobis concesserit, nosque conducere, quò viuere regnúmque expugnare valeamus, fecerit; Franciæ regnum parcemus vt petitis. Alioquin se agente, Franciam, quam inuasimus, contritam bellis incendióque & rapinis applicabimus seueriùs nobis. Tunc Optimates paganorum his responsis læti, quæ audierunt retulerunt Richardo Duci. Expleta namque legatione, infit Dux præpotens lætus futura pace: Et victus amplissimos, & viatores quàplurimos & præcautos, insuper & honores conferam largissimos, atque conducere C ad tellurem opimam faciam illos. Renuntiato largissimæ promissionis negotio, sedentéque cum suis, Francigenis adstantibus, Duce Richardo; venerunt vnanimiter, pepigerúntque pacis fidem illi vultu submisso. Richardus verò legatos Regis ditatos muneribus præmaximis, ad Regem Lotharium remisit. Denominato itaque die & loco pacifici placiti, datísque optatæ pacis induciis, paganos ne Franci contra se recalcitrarent secum detinuit. Decurso igitur tempore desiderati placiti, venit Rex Lotharius super Eptæ fluuiolum cum Francigenis, pepigítque Duci Richardo fidem inextricabilis pacis; iurauítque ipse & Optimates regni, Northmannicum regnum ipsi, ciúsque posteris. Quatinus ipse, & nemo se hortante, damnum illius regiminis minimè faceret illi. Finito namque impetratæ pacis placito, fœderatísque Rege & Duce Richardo, muneribúsque alternis vtroque largifluè ditato, regreditur ad sua quisque equitatu prospero. Reuersus Dux magnificæ pietatis ad vrbem largifluæ vbertatis, Northmannos immanissimæ ferocitatis sibi adesse coëgit. Quibus ait: Ne pollicitationis meæ de confidentia titubetis, quod olim vobis spopondi D ecce paratus sum exsequi. Vos beneficia largiés regenerari sacro fonte faciam*, vos oneratis farre tergísque suum nauibus, viatica nauigationis concedam. Ex præparato igitur sacrosanctæ regenerationis fonte hos suscepit Marchio magnus, delibutos oleo & chrismate; tribuens beneficia amplissima, quibus morarentur in pace. Illos verò, qui oberrare cupiebant paganis ritibus, conduci fecit ad Hispaniam, Constantinensibus viatoribus. In progressione namque illius profectionis bis nouem ciuitates deuicerunt, & quæ in eis repererunt sibi vendicarunt. Hac illácque rapinantes, Hispaniam hostiliter adgredientes, cœperunt incendio & rapinis affligere eam seueriter. Tandem verò Hispani, rusticanis gentibus digladiatis, conglobato exercitu congrediuntur Northmannis. Sæuiente namque Marte Hispani exteris terga vertêre, facta præmagna internecione. Tertio namque die campum prælij Northmanni repetentes, mortuósque vt induuiis eos priuarent vertentes, repererunt partes

RICHARDVS I. corporum nigellorum Æthiopúmque terræ finitimas atque incumbentes, niue A candidiores; reliquum verò corpus pristinum colorem seruans intuiti sunt. Sed mirum mihi quid super hoc characterizabunt Dialectici, qui cùm accidens Æthiopíque categorizant inseparabile esse, hîc mutatum vident. Quod ampliùs propalare non curamus, sed ad nostræ intentionis propositum nostræ præsumptionis stilum vertamus. Elucidabit enim libenter quæ quiuerit, sed quæ relatui necessaria sunt, digerere non valebit. Illi namque sunt istius bonorum opera cognita, qui quæ peraguntur nouit vniuersa.

APOSTROPHA.

Hactenus æquorei per magna negocia fati,
Dispositum variósque vicissim turbine factum,
Fortunæque vices bifidas felicis & acris,
Vndisona vectus fluctu, surgente procella
Sub tua cecini nostra stridente cicuta.*
Profectus portum stabilem, ventísque quietum, B
Sulcaui profunda nimis paruo æquora remo.
Sunt octona sacra passim felicia vitæ,
Summum corde bonum sincero emitur quibus in quo.
Sed mea mens tenui meditans conatur auenas,
Si poterit munus quoddam captare bonorum,
Exiguæ modico mercis de fœnore sumptum.

A PESTIFERÆ namque hostilitatis veneno Francia, vt recensitum est, defæcata, abdicatisque ingruentium malorum querimoniis, & detrimentis, atque ad ornato & statuto Reipublicæ vbicumque Franciæ commodo, præeunte triumpho desideratæ pacis, fama beatissimi Ducis Richardi propalatis illustrata meritis, in immensum rutilans crescebat, diuulgabatúrque per cætera regna meritum profusius beatitudinis eius. Illius verò temporis cursu, vxor eius filia scilicet Hugonis Magni Ducis defungitur, & huius desolationis mœstus detrimento, misit ad HVGONEM fratrem defunctæ vxoris suæ, vt quosdam vernulas domus suæ mitteret sibi, qui quæ C possederat soror sua iure femineo, erogarent sacrosanctæ Ecclesiæ & pauperibus. Hugo verò Dux remisit ad Richardum Ducem & Patritium, vt quicquid suppeditaret sibi voluntas faceret liberè ex omnibus. Tunc Richardus affluentis largitatis Dux præpotentissimus, tanti thesauri munera per vniuersas totius Frãciæ & Northmanniæ Ecclesias dispertiuit: quinetiam plurima quæ sui iuris erant, pro eius anima erogauit affluenter pauperibus. Denique subscalpenti voluptuosæ humanitatis fragilitati subactus, genuit duos filios, totidem & filias, ex concubinis: quorum vnus GODEFREDVS, alter verò nuncupatur VVILLELMVS. Denique luculentæ maiestatis virgini ex famosissima nobilium Dacorum prosapia exortæ, omniúmque speciosissimæ Northmannicarum virginum, permutantibúsque ciuilium forésiúmque rerum euentibus cautissimæ, femineíque artificij edoctæ ingenio, facundæque vbertatis eloquio modestè pollenti, capacísque memoriæ & recordationis thesauro profusius locupletatæ, atque omnium bonorum præmunitæ affluentiâ se conexuit; eámque prohibitæ copulationis fœdere sortitus est sibi amicabiliter. Northmannorum verò Optimates, nobilissimo diffamatæ stirpis eam nocentes exortam D semine, & de successore, déque herede atque de posteritate salutifera plebi nimium cogitantes, submissa voce, vultúque procliuio, RICHARDO Duci præpotentissimo subintulerunt: Cùm sis, Domine Dux præpotentissime, omnium Francigenarum, Northmannorúmque, & Burgundionum, omniúmque regnorum sagacis meditationis scrutinio prudentissimus: miramur admodum quid comminisceris, quis post flebilem debitúmque excessum tuæ præsentiæ reget populum tuæ ditioni potentissimæ modo subiectum. Fortuitam namque futuri detrimenti ruinam pertimescentes, formidamus, ne post lugubre depositionis tuæ damnum exteræ gentes nos Aduocato & herede carentes conculcent. Tunc Richardus: Reipublicæ vestro saluberrimo consilio vsque modo præfui, & vt quiui profui. Numquid rei gratia corde statuistis mihi enucleate. At illi: Prouidentia summæ diuinitatis, vt remur, hanc tibi Dacigenam quam modo refoues conexuit: vt patre, matréque Dacigena hæres huius terræ nascatur, qui defensor & Aduocatus robustissimus extet huius

A Est namque superba stirpe progenita, specie decora, & formosa; consilio cauta & prouida, mente deuota, corde subacta, alloquio modesta, conuersatione mansueta, in omni re industris & sagax. Hanc tibi inextricabili maritalis fœderis priuilegio protinus conecte, vt salutifera sobole eius tellus tui ducaminis, imminente extremæ sortis tuæ obitu, salubriter & constanter regatur. Huic igitur consilio libenter Dux sanctissimus Richardus fauens, asscitis Episcopis cum Clero; Satrapísque cum populo, eam lege maritali desponsauit, & ex ea processu temporis quinque masculinæ prolis pignora, femineæque genuit tria. Per vias igitur operum rectas gradiebatur, iustísque legum habenis plebem strenuè regebat. Northmannicæ regionis Ecclesias sumptu reædificans proprio, Monasticis rebus adornauit, plurimáque Franciscæ telluris templa mirificè construxit proprij muneris thesauro. Rotomagensi namque vrbe in honore Genitricis Dei ampliauit mirabile Monasterium, longitudinis, latitudinísque, atque altitudinis honorificæ exspatiatum incremento.

RICHARDVS I.

B In monte namque maritimo, refluæ lunari dispositione inundationis gurgite vndique secus circumdato, delubrum miræ amplitudinis, spatiosáque Monachilis habitationis mœnia construxit: ibique Monachos sub ærumnosa theoricæ vitæ palæstra, normalibus celebris itineris decretis astrictos, Christo coëgit famulari. Cùm autem innumerabilibus exuberantium bonitatum polleret incrementis, quadam die Fiscanninæ Sedis aggressus mœnia, stánsque in introitus domus suæ suggestu, atque ipsam domum altiorem capaciorémque Basilicâ in honore deificæ Trinitatis dedicata conspiciens; ascito petrarum fabro architectoria arte perito, inquit: Domum Dei & orationis superlatiuo specialis pulchritudinis, decoræque altitudinis culmine, supereminentiorem vniuersis mœnibus ciuitatis decet & oportet esse, quia Plasmator Redemptórque generis humani gratuita hanc sibi delegit clementiâ, miræque regenerationis mater typicæ ablutionis lauacro extat, atque in hac diuinæ eruditionis audire verba, nostráque deflere debemus peccata. Hæc namque aula porta cœli nuncupatur & est, quam incolunt, cuíque præsunt Cœlicolæ. Hæc domus náque, vt Psalmographus ait, mons Dei, mon pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. Hic namque mons est, in quo meus auus se stantem, séque ablui monte salutifero diuinæ visionis oraculo cõspexit, & à lepra vitiorum, quâ infectum se somnio cernebat expiari. Quapropter

C quia altiore amplioris culminis scemate, domum Dei domui nostræ habitationis præcellere condecet; experire si forte imminentium montium procliuis & collibus alicuius petræ materiem reperire quiueris, qua templum Dei nostræ conuersationis domo altiùs fabricare valeas. At ille accepto ilicò ligone montium priùs procliua adiit, eorúmque crepidinem diuellit sarculis, atque nullam petræ materiem vsui maceriæ reperiens congruam, petiit deuexa montium inter duos fluuiolos prope Fiscannum iacẽtia, ibique massam gypsi inuenit, & vnum lapidem gypseum in modum cubi excidit, & ante Richardum Ducem detulit. Tunc Dux magnus Richardus: Satísne de talibus reperire poteris? Respondit: Satis Domine. At ille: Tuto hanc petram repone loco, & mitte quamplurimos operarios ad excidendos lapides, multásque calcis viuæ fornacis compone: quia omnibus quæ necessaria sunt præparatis, istam in initio fundamenti in titulo erectionis domus Dei primam locabo. Denique Marchio famosissimus, præparata calce, petrísque excisis & coaceruatis, atque lateribus artificialiter compositis, dictu visúque mirabile, miri scematis formâ con-

D struxit in honore sanctæ Trinitatis delubrum, turribus hinc inde & altrinsecus præbalteatum, dupliciterque arcuatum mirabiliter, & de concatenatis artificiosè lateribus coopertum. Hinc forinsecus dealbauit illud, intrinsecus autem depinxit historialiter, auróque & gemmis magno munere adquisitis altaria decorauit, crucésque miræ magnitudinis ex auro mundissimo fabricauit, calicésque magni ponderis auri & precij annexuit, aureaque candelabra humanam naturam superexcellentia ante Sanctuarium statuit: turibuláque inauditæ amplitudinis & precij auro confecta delegauit, atque indumenta phrygio pectine polita, nec semel in Tyrios rubores decocta; quinetiam crassiore auro smaragdinísque superinsutas apposuit, bissósque niueas purpureásque auro intextas, plumeóque mirabilis artificij holoserica commisit; atque Clerum numerosæ multitudinis propensa diaria cotidie recipientem, subque practicæ vitæ palæstra desudantem Christo deseruire coëgit. Illo namque

RICHARDVS I. templo Monasticarum facultatum vbertatis affluentia repleto, eóque benedictione A Episcopali officiosissimè dedicato, Northmannica Franciscáque tellure sitas, proprio sumptu reficiebat omnes disruptas Ecclesias. Mirabilibus coruscabat factis, iustis & bonis; famáque probitatis eius longinquis regionibus profusiùs diffundebatur. Species eius redimita decore admirandæ pulcritudinis, fundebat iubar ab ore, quasi solaris claritudinis. Erat ei summus honor, quo nomen eius audiebatur, totáque Gallia admirabatur super largiflua bonitate eius. Amore pietatis cultor iustitiæ strenuus renitebat, cunctorúmque causas intra sua pectora sollicitus recondebat, atque pro populi requie pia iura tenebat. Specie pulcherrimus, canis præcandidis repletus, superciliis aciéque oculorum coruscus, naribus malísque splendidus, barba canifera, & prolixa honoratus, statura procerus, lingua eruditus, virtute animi & corporis plenus, bonitate diffusus, mente sagacissimus, gratia Dei munitus, omnibúsque erat vna salus. Amicos namque erigens, tumidos calcabat hostes, subiectósque fouens, conterebat feros & rebelles, tempestas iræ vel discordiæ nullo dissentionis tumultu penetrabat corda eius; quia in salutifera stabilitate iustitiæ & iudicij, caritatísque, spei, & fidei anchora sagacissimæ mentis fixa aderat illi. Constantem eius animum aura illius aduersitatis tumultu non ventilabat, nec de multifluæ B copiosæque prosperitatis vbertate animum subtollebát. Cùm autem in regno suo variato murmure pullulabant aliquæ seditionis causæ, sedabat eas decretis legum & salutifera potestate. Illius namque fides tam valida veritatis radice tenebatur, vt antea mons deficeret aut migraret, quàm sua verba caderent. Res ab eo promissæ nullo mulctandæ actu, veræ perseuerabant; atque pollicitatæ semel, perpetuatæ manebant.

APOSTROPHA.

Huius Patricij cumulum bonitatis enormem
Præsul amande vides.
Symbola qui meritò crescit bonitatis in octo
Præsul amande vides.
Bis duo bis scribit quæ Euangelista beatis C
Præsul amande vides.
Quæque tuus genitor factis impleuit opimis
Præsul amande vides.
In dicto melior quoniam nemo extitit ipso
Præsul amande vides.
In facto certè nullúsque potentior ipso
Præsul amande vides.
Vllus nec hominum extat sanctior in meditatu,
Præsul amande vides.
Huc hebeti & vili scripto deuenimus vsque
Præsul amande vides.
Pulcra nimis ratio verborum, materiésque,
Præsul amande vides.
Thematis editio extat friuola, rustica, vilis,
Præsul amande vides.
Ditatu vili nunc nunc cape dulcia facta, D
Præsul amande vale.

MERITO igitur, iustéque, atque probabiliter Richardum Northmannicæ regionis Ducem beatum sanctúmque, recensitis breuiter operibus eius, dicimus; cui omnia Euangelicarum beatitudinum dona reperiuntur propensius attributa. Quarum prima, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quæ in hoc Confessore clariùs luce apparet fuisse, qui Northmannicæ regionis Monarchiam, non causa huius prælabentis honoris; sed ne sacrosanctæ Ecclesiæ status paganis irruentibus periclitaretur, retinens, se ad imitabilem Christi paupertatem totis cordis nisibus, totóque mentis affectu conferebat. Quæ mundialis hominum conditio continet pretiosa, hîc mente periculosa. Quæ magna, hîc corde fugitiua. Quæ delectabilia, hîc non perpetua. Hæc veraciter mente deserens, & integriter corde spernens, cœlorum regnum, quod diu concupiuit, largiente Christo adeptus est. Quo-

A niam ex pauperibus spiritu delegit esse, regnum cœlorum credimus ei attributum. Sequentia Euangelij depromit quod sequitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quàm suauis, quàm mitis, quàm beniuolus, quámque benignissimus fuerit; qui compendiosam vitæ eius seriem legerit, aliquid suauitatis eius pernoscere quiuerit. Hic Tetboldum Comitem aliquando deuotione, aliquando armis compescuit. Hic Lotharium Regem humilitate deuicit. Hic Dacos suauitate verborum & donis coercuit. Hic Francos, cæterásque gentes humillimis verbis & muneribus sibi prouocans asciuit. Hic incolas Northmannicæ regionis summa deuotione protexit. Hic domigenas, vt pater familias deuotus, fouit. Beniuolus in omni negotio extitit, suauia in omni re verba & opere sonuit. Terram namque viuentium possidere meruit, qui corporis sui terram mansueta benignitate custodiuit. Sequitur tertia beatitudo, quâ dicitur: *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Quoniam quidem diues opum, B munerúmque, & militum, atque familiarum extiterat; ideò se implicatum & irretitum secularibus negotiis lugebat. Lugebat namque prauitates Monachorum, quos deuius error, relicto stricto calle, abducebat deceptricibus fallentis mundi rebus in exsecrabile præcipitium. Lugebat errores Canonicorum à Monasticis præceptionibus decidentium. Lugebat ignorantiam iuuentutis suæ, & delicta; atque fletu oculorum nimio terram prostratus humectabat. Sequitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Hanc verò esuriem & sitim nemo habuisse Richardum Ducem dubitat, qui pacificos actus eius subtiliter pensat. Quia instantia iustitiæ renitebat, callem iudicij incessanter petebat. Opprimebat diro legis iugo neglegentes iustitiam, corrigebat verbo seueritatis abdicantes eam. Eo namque superstite, misericordia & veritas in regno eius, vt Psalmista refert, sibi obuiauerunt; iustitia & pax osculatæ sunt. Esuriebat, sitiens se suósque lucrari Christo, vt possit participari in die iudicij perenniter Deo. Hoc instantissimum iugéque desiderium eius, hæc esuries perseueranda eius, atque sitis indeficiens eius erat, vt omnes lucri faceret. Sequitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cor tanti Ducis Patritiique & Confessoris, quis fuisse sanctuarium Domini, & aulam Regis æterni dubitat? Mundicia cordis illius longè latéque emicabat, puritatémque mentis serenissimus C vultus eius clariùs indicabat. Præcepta diuinæ legis corde mundo, vt laïcus, gerebat: diuites, mediocrésque, & pauperes beniuola mente alebat. Cuius cordis, mentísque, & voluntatis fuit, apparet in Ecclesiis Northmannicæ regionis, rebus Monasticis mirificè adornatis. Sequitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Pacificorum autem merces est, vt filij Dei vocentur, & sint. Sint quidem, perfecta caritate; vocentur dignitate. Huius beneficij munere iste Dux viguit, quia omnes vt potuit pacificauit. Diebus namque Dominicis, Sanctorúmque festiuitatibus hoc plenius exercebat; rebelles verò & discordes blandè leniterque conciliabat. Flandrensis Comes Arnulfus nomine spreuit Lothario Regi eo tempore militare & seruire. Lotharius igitur Rex huius rei animositate, ascita hostili Francigenarum Burgundionúmque manu Atrabatum obsedit & cepit, ceterásque munitiones ad Leise vsque fluuium sibi subiugauit. Huius infortunij dolore mœstus Comes Arnulfus petiit Richardum Ducem supplex & deuotus, vt pacificaret se cum Rege & Francigenis Principibus. Richardus verò beniuolo consuetæ pacificationis habitu pollēs, huiusque damni negotio contra Regem ad placitum pergens, pacificauit cum Re- D ge Comitem Arnulfum, coëgitque reddi illi nimiæ precationis affectu Atrabatum. Nec illud prætereundum, quòd Lothario Rege defuncto HVGO Dux intronizatus in regno voluit super Albertum Comitem equitare, hostili exercitu conglobato. Albertus igitur metuens venturum furibundi Regis aduentum, misit quendam Clericum preciosi Martyris Christi Quintini Canonicum nomine DVDONEM, dictum ad Richardum summæ patientiæ Patritium; vt ne hostili immanitate deuastaretur pagus Viromandensium, interuentu suo strenuo intercederet pro se apud Regem pestifera animositate plenum. Dux verò Richardus cum summo reuerentiæ cultu suscepit Clericum, & profectus est contra Regem volentem equitare asscito hostili exercitu super Albertum, & multimodarum prosecutionibus petitionum compescens Regem animosum, datis obsidibus pacificauit cum Rege Albertum. Huius igitur beatitudinis prærogatiua iste Dux profusiùs floruit, quia quos audiebat discordes, aut per se aut per legatos pacificabat. Pacificabat enim Francige-

RICHARDVS I. nas & Lotharienses, Burgundiones & Flandrenses, Anglos & Hibernenses, Northmannos & Britones. Sciebat enim nullum sacrificium & holocaustum tam acceptabile Deo, quàm pacis incrementum. Venerabiliter ergo iste Dux inter eos numeratur, qui fide & imitatione filij Dei vocantur, quia totis fidei nisibus impleuit, quod tantæ dignitati congruere præsensit, sciens non prohibere Deum quamplurimos fieri deos participatione deitatis. Videamus igitur Euangelij sequentiam, quâ dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Si quæritur causa persecutionis huius Ducis, non alia proculdubio reperitur quàm iustitiæ, Christi videlicet, quem toto corde, tota anima, totis viribus amabat: quem integra fide, summa deuotione colebat, & adorabat: pro quo Monachis & Canonicis Ecclesias construebat, & quæ necessaria erant distribuebat. Cultum Religionis tenere cogebat, paganos in Christum credere vrguebat, & illorum impetum ne Franciam deuastarent, tolerabat. More malefactorum persecutus à Lothario Rege, Terboldo Comite, Monasticis rebus inhians non cessauit à Christi laude. Multipliciter enim persecutus, cœlorum regnum, quod quæsiuit, vt credimus intrauit. Confortatus Saluatoris nostri sententia, qua dicitur: *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Quas & quantas iste Dux passus est maledictiones & blasphemias pro regni cælestis adeptione, nullus nostrorum valet enumerare. Sustinuit namque maledictiones pro fide Catholica, pro regni tutela, pro paganorum attritione seuerissima, pro Monachorum negligentium regulam contritione sanctissima, pro Canonicorum inter se diffidentium concordia, pro laïcorum pace intermissa. Erat enim istius Ducis Christus in causa, ideo malefactorum aduersus eum non præualuit mina. Gaudebat namque cælesti mercede promissa, & exultabat, inimicorum inuidorúmque omnium prostrata nequitia.

APOSTROPHA.

Cùm permirificos magnificósque,
Cunctis Christicolis percelebrésque
RICHARDI *Comitis Patriciíque,*
Insignisque Ducis, & recolendi,
Soluor thematibus vilibus actus:
Pars rerum melior tecta videtur,
Et torpet series nunc luculenta,
Quæ iam perniciem conferet acrem,
Stulto, ha! mihimet non reserata
Permagni nimium munere fructus,
Tu fraudatus eris, optime lector,
Quod summum haut tetigit Musa laborem.
Heu! heu! funereos perlugubrésque,
Mens præsaga necis, atque doloris,
Diffinire modos expaues horrens,
Res mæstifera, digna taceri.
O res mœstifera, plena doloris!
Quanquam dicere sit triste mináxque
Cunctis & querulum, & prodigiosum
Quanquam flebile sit scribere, scribam.
Scribam quod doleo, quod fleo mærens,
Ad vitam subiit qualiter iste
Dux, & Patricius, & Marchio summus.
Morti limina per debita carni,
Coniunctus Domino perpete Christo,
Et plus vt stupeas munificatus
Vsus inque Deum estque ΘΕΩCIC·

CVM autem tantarum beatitudinum, vt compendiosè hebete stylo elucubratum est, redolens flagraret lampade, iussit sibi excidi sarcofagum silice, & infra Ecclesiam Fiscanno nomine deificæ Trinitati consecratam ante locum stationis suæ locare, & vno quoque die sextæ feriæ, quantum frumenti capax erat, & quinque solidos

RICHARDVS.

A lidos pauperibus erogare. Denique multimodis innumerabilium casuum aduersitatibus, multiplicibúsque æquanimiter laboribus pro Dei amore toleratis; administrationibus temporalis vitæ benè transactis, largifluæ multiplicísque misericordiæ operibus datis, ducibus imitabilibúsque vitæ exemplis concessis, innumerabilium captiuorum agminibus redemptis, Monachorum Canonicorúmque Cœnobiis refectis, immensa variæ supellectilis mole distributa profusè egenis, cœpit anxiari & ægrotare, viribúsque deficere, & à Bajocacensi pago ad Aulam Fiscanninæ Sedis secedere; ne eo defuncto fastidium translationis esset in plebe. Cùm autem Fiscanni Palatio adesset, dicit Comes RODVLFVS, scilicet frater eius, ad eum coram ceteris fidelibus humiliter: Domine Dux piissime, mœremus dolentes te aggrauari infirmitate: sed dic precamur nobis, quis filiorum tuorum hæres erit in regno ditionis tuæ? Tunc ille: Qui fungitur meo nomine, vestri consilij auctoritate, Dux, & Comes, hærésque erit hæreditatis meæ. Tunc Comes Rodulfus: Quid de ceteris Domine? Respondit: Illis mei filij RICHARDI sacramento veræ fidei fidelibus effectis, manibus illorum eius manibus vice cordis datis, largietur terram quam demonstrauero tibi, qua viuere honorificè possint. Hinc namque morbo crudescente, cœperunt Northmannicæ vrbes metu trepidare; incompescibilique luctu cœlum pulsare, diráque trepidatio per ancipites Northmannorum, si fortè occumberet, mentes currere: petebántque nimio vlulatu & eiulatu flentes Aulam Sedis Fiscannæ. Dux verò magnus Richardus infirmitatis aggrauatus inoportunitate, cilicio indutus, nudo pede, petiit delubrum Trinitatis deificæ, diuersáque dona, variáque munera & preciosa mittens super altare, perfusus faciem lacrimarum imbre, supplex & deuotus flebilísque, excepit typicum salutiferi viatici stipem, adiumenta scilicet viæ. Tunc Comes Rodulfus dixit ad eum secretiùs: Domine, quo loco templi præparabitur sepulcrum tuæ requiei? Respondit: Cadauer tanti sceleris non requiescet infra aditum huius templi, sed ad istud ostium in stillicidio Monasterij. Sequente namque nocte carpuntur sanctissima eius membra facili dolore, inuaditque acriùs tenues medullas penetrabilis mortiferáque flamma. Iamque pedes, iamque mollia crura torpent, & oculi moribundo corpore languent, labant cuncta membra; sed mens Deum cernit, cupítque secula æterna. Genæ cunctorum & C facies complebantur lacrymis, vocémque omnium occupabat singultus intolerabilis: hærentes linguæ quatiebantur visceribus commotis, víxque sermo interrumpebatur quatientibus gemitibus immensis. Ille verò supplicibus oculis ad cœlum cum manibus eleuatis, tacitúsque votis & precibus suppliciter fusis, vix in vocem prorumpens ait: In manus tuas Christe commendo spiritum meum. Ilicò inter huiuscemodi votum efflauit sanctissimum spiritum. Sancta namque eius anima erepta carnis sarcinâ, terrenísque pressuris liberata, lætáque ad suum Auctorem migrata, luctus famulorum in cœlo resonabat. Ilicò tantus huius lugubris damni rumor per vrbes Northmannicæ regionis excreuit, omnísque ætas vtriusque sexus ad huius funeris obsequium vlulans & deflens cucurrit. Ex more namque corpore composito, & ad Ecclesiam quam fundauerat delato, omnis vulgus vicissim excubias peragit, Clerus in psalmodiis, populus in lamentatis noctem peruigilem deducit. O quàm immensus fletus, quantúsque luctus Northmannorum, quanta lamenta perstrepebant per plateas omnium! Chorus namque singultibus lacrymísque concussus Psalmos decantabat, agménque plebeium lugubres in aëre voces resonabat, Fiscanninæ Sedis oppidum immensus populorum gemitus quatiebat, plangórque vlulatuum culmen Olympi tangebat. Antiphonarum namque concentus commixtis luctibus concrepabat in Choro, planctúsque Northmannorum resonabat in cœlo. Funereos cantus Clerus fundebat per tramites, vlulatúsque intolerabilis erat per cunctas ædes. Northmannicæ regionis stabat in biuiis eiulans populositas, vagásque flebilibus vocibus implebat auras. Tali namque constipatus caterua, talique vallatus pōpa, corpus ferebatur ad sepulcrum, choriq; præcedebant psallentium. Eiulatum continuabat agmen plebium, cōfusæ atque inarticulatæ resonabāt voces populorū. Nemóq. poterat discernere quid Clerus, quídue vulgus concrepabat pro vocibus vlulatuū. Quis verò tam ferreū, stolidúmq. vel saxeum pectus haberet, qui non in fletu prorumperet; cum feretrum à populo tenebatur impulsu doloris, arcebatur desiderio ardoris, retrahebatur retrorsum affectu amoris? Comites flē-

O

RICHARDVS. do manibus plaudebant, Præsides mœstiferos eiulando Psalmos concinnabant. A Virgines, viduæque, & vxores, plorãdo crines disrumpebant. Domigenæ vtriusque sexus mœrendo pectus pugnis tundebant. Milites militum plangendo seipsos dilaniabant. Clerus lamenta nimij fletus cum Psalmis fundebant. Turba pagensium & rusticorum dentibus terram mordebat. Concio pauperum tanti solatij adiutorio viduata ægro vlulabant: populúsque populum dirè opprimens diuersos doloris modos emittebat. Diuersus & varius tantorum vociferatus, quas cœlum vrebat, vix tandem populo ab Episcopis disrupto, scisso, & prærepto, feretróque super sepulchrum cum corpore posito, odore incensi cum aqua benedicta superfuso, nimiis gemitibus fusis manciparunt illud sarcofago, festinantérque operuerunt saxo, seruantes illud honore sub magno. Insecuta die veniens Comes Rodulfus cum Episcopis ad tumulum, reuellens sarcofagi coopertorium, exindè manauit odor suauior fragrantiâ terebentinæ & balsami, afflans illorum olfactum. Denique super tumbam construxerunt miræ pulcritudinis capellam, Basilicæ protensæ amplitudinis mirabiliter innexam. Illícque colitur, vallatus columnis mirificè, & tumba; cum B Christo resurrecturus in gloria. Complens namque cursum huius fragilis vitæ Dux magnus RICHARDVS obiit anno ab Incarnatione Domini nostri IESV-CHRISTI millesimo secundo.

O Fiscanne sacris semper fœcunde fauillis,
Sanctorum cineres meritorum flore micantes
In gremio terræ conseruans iamque sacrata,
Trino resplendes profuso dote salutis.
Olim virgineo micuisti stemate sacro,
Cùm Leodegarium seruasti luce priuatum.
Elinguémque sacrum, multoque & verbere cæsum
A Duce Ebroino scelerum liuore repleto.
Hinc mactum Christo vbertate fauente loquelæ,
Sacratæ plebi iugiter Christo famulanti
*Lust * Gildeberta sacræ cedente rubricæ,* C
Stemate virgineo vario discrimine dempto,
In te succreuit virilis practicus ordo
Desudans Iesu longinquo tempore Christo,
Nunc rutilas merito præcelsa & nomine vitâ,
Strictis limitibus, quæ arcta est, hinc inde coactis,
Nec per plana vehit, molitur ad ardua semper
Hæc & Apostolica est eadémque ΘΕΩΡΙΚΑ *tantum,*
Secessu gaudens secreto læta perenni.
His tribus ordinibus dignè suffulta beatis,
Soma sacrosanctum RICHARDI *Præducis almi,*
Cuius tu precibus lue purificaberis omni,
Et cuius meritis migrabis ad æthera dignis,
Ecce decussa tenes: cuius nutu viguisti,
Et cuius patrocinio suffulta fuisti,
Munere largifluo & cuius suffulta vigebis. D

APOSTROPHA.

O qui finitimo disponis regmine cuncta,
Iure elementa ligans fœdere complacito.
Quatinus algori crepitans calor associatus,
Lege sub alterna cedit aquis & aër.
Grates & meritos tibi nunc sacramus honores,
Patri, cum Genito, Spiritui pariter.
Qui propriis cedis poliformia munera seruis,
Fœnore sub mercis quisque talenta ferat.
Iste talentorum retinens commercia quinque,
Grauiter exercet quæ data sunt sibimet.

A Hic duo lucratus actiuis fœnora causis,
Se geminum gaudet iam retulisse quidem.
Debitor vnius censebitur ille talenti,
Illud qui condit in luteis specubus.
Te quoque cunctorum discrimina discutiente,
Hic referet macti præmia iam pretij.
Quem furti & fraudis defossa pecunia damnat.
Hic luet, heu! Stygios trusus in ima rogos.
Deplorans meritis neglecta porismata pœnis,
Aula detrusus à mœnibus placidæ.
Hoc metuens ne me condemnet pœna gehennæ,
Anxius harebam quid facerem titubans.
Vrguet consubito mœnia * Northmannica tellus
Scribere Christe tui militis agoniam.
B Talibus harentem terrebant plurima contra,
Materiæ grauitas, & species operis.
Cor stolidum, siccæ nimium ieiunia linguæ,
Vilis persona artis & opis iners.
Quodque Dei laus est labiis incompta scelestis,
Et quòd non possem edere quæ cuperem.
Et quòd carminibus hic inlaudatus abiret,
Qui mihimet stolido contulit omne bonum.
Sed tua Christe mihi venit fiducia præsens.
Quo posses facile os vegetare meum.
Inque opus hoc stolidum mémet connixus adegi,
Te collatore, te duce, te artifice.
Corde, voce igitur te Rex nunc supplico supplex,
Viribus annexis supplice mente simul.
Vt dare quod placuit placeat captare libenter,
C Illabens votis criminibus refluis.
Multimoda scelerum variorum mole repressum
Affectum naui sordibus astolidi.
Inuitam miseram me quina decennia versant,
Et formido premit supplicij Stygij.
Me quoniam memini gessisse haut quid bonitatis,
Et tanti spatio temporis vtile nil.
Hæc me non stimulant, & mentis ad ima remordent,
Affligunt, cruciant, dilaniant, lacerant.
Sed tu cunctipotens nostra spes vera salutis,
Ordo cluens rerum quæque vigéntque latent.
Me lapsum releua, vitij me sordéque purga,
Præsenti macula & exue præterita.
D Immunem culpæ Regum Rex redde futuræ,
Vt mundus valeam te resonare Deum.
Quem tua conexis iubilat plasmatio lumbis,
Quæque vehit tellus, quæ polus atque tulit.
Quæ fouit æquoreus diuersos gurges invsus,
Ast aër volitans * * plumigera.
Cúmque tui fueris iudex in numine patris,
Supplicium reprobis, præmia dansque probis.
Et me olidis vinctum cùm spexeris eminus ædis,
Hic mihi nam spondent heu monimenta mei.
Candidulos memet quamprimùm transfert in agnos
Coagnus dexter eam velleris almiflui,
QVINTINI meritis merito super æthera noti,
Cuius inutilis sum seruulus & famulus.

A

* * * * * *

Viuas FISCANNIS *ſemper felicibus annis,*
Fiſcannis gaude quia tu digniſſima laude.
Vos Fiſcannenſes virtutum cingitis enſes,
Eccleſiæ poſtes nebuloſos ſternitis hoſtes.
Felix Fiſcannis ſtellâ rutilante Ioannis,
Qui vigili cura mereris regna futura.
Seminat in luctus, metet in ſua gaudia fructus.
Grex ſuus eſt tutus, Domini mandata ſecutus.
Nam ſibi prodeſſe cupiens dat vtrumque neceſſe,
Expedit vt duret, & vt Eccleſiaſtica curet,
Sub quo Bernardus Chriſti dulciſſima nardus
Hoſtis ad angorem qui ſanctum ſpirat odorem.

B

FINIS.

C

D

EMMÆ
ANGLORVM REGINAE RICHARDI I. DVCIS NORMANNORVM FILIÆ
ENCOMIVM.

Incerto Authore, sed coætaneo.

ITEM,

GESTA GVILLELMI II. DVCIS NORMANNORVM, REGIS ANGLORVM I.

A Guillelmo Pictauensi Lexouiorum Archidiacono contemporaneo scripta.

Ex Bibliotheca Nobilissimi viri ROBERTI COTTONI, Equitis Aurati, & Baronetti, nunc primùm edita.



EMMÆ
ANGLORVM REGINAE RICHARDI I. DVCIS NORMANNORVM FILIÆ,
ENCOMIVM.

Incerto Authore, sed coætaneo.

PROLOGVS.

A SALVS *tibi sit à Domino* IESV CHRISTO, *ô Regina, quæ omnibus in hoc sexu positis præstas morum elegantiâ. Ego seruus tuus nobilitati tuæ digna factis meis exhibere nequeo, quóque pacto verbis saltem illi placere nescio. Quod enim cuiuslibet periti eloquentis de* * *te virtus tua præminet omnibus, à quibus cognosceris, ipso solis iubare clariùs lucet. Te igitur erga me adeò bene meritam magnifacio, vt morti intrepidus occumberem, si in rem tibi prouenire crederem. Qua ex re mihi etiam, vt præcipis, memoriam rerum gestarum, rerum, inquam, tuo, tuorúmque honori attinentium litteris posteritati mandare gestio: sed ad hoc faciendum me mihi sufficere posse dubito. Hoc enim in Historia proprium exigitur, vt nullo erroris diuerticulo à recto veritatis tramite declinetur: quoniam cùm quis alicuius gesta scribens, veritati falsa* B *quædam seu errando, siue (vt sæpe fit) ornatus gratiâ interserit; profectò vnius tantùm comperta admixtione mendacij auditor facta velut infecta ducit. Vnde Historicis magnoperè cauendum esse censeo, ne veritati quibusdam falsò interpositis contraeundo, nomen etiam perdat, quod videtur habere ex officio. Res enim veritati, veritas quoq. fidem facit rei. Hæc mecum, aliáque huiusmodi reputante, rubor animum vehementer excruciat; cùm pariter considero quàm pessimè in talibus sese humana consuetudo habeat. Videns enim aliquis quempiam, pro exprimenda rei veritate verbis indulgentem, vanæ loquacitatis eum mordaciter redarguit, alium verò quem dixi blasphemium fugientem, & æquo modestiorem in narratione, cùm operta denudare debeat, aperta occuluisse dicit. Tali itaque angustia circumseptus, ab inuidentibus loquax dici timeo, si neglecta venustate dictaminis, Historiam scripturus multiplici narratione vsus fuero. Quoniam verò, quin scripturus sim euadere me non posse video, vnum horum quæ proponam eligendum esse autumo, scilicet aut variis iudiciis*

hominum subiacere, aut de his quæ mihi à te, domina Regina, præcepta sunt, præripientem negligendo conticescere. Malo itaque à quibusdam de loquacitate redargui, quàm veritatem maximè memorabilis rei per me omnibus occultari. Quocirca iubentem dominam magni pendens, hanc mihi elegi viam, excusabiles deinceps occasiones posthabens, hinc narrationis contextionem faciam. A

ARGVMENTVM.

FORTASSE, ô Lector, ambiges, méq; Scriptorem erroris aut inscitiæ redargues, cur in huius Libelli capite actus laudésque SVEINI serenissimi Regis promulgauerim, cùm in suprascripta Epistola ipsum Codicellũ laudi huius dominæ me sponderim facturum. Quod ita esse ipse fatebere, méq; ab eius laudibus nusquam accipies deuiare, si prima mediis, atque si extima sagaci more conferas primis. Atque vt ad hoc intuendum nulla erroris impediaris nebulâ, à similibus atque à penitus veris hoc tibi habeas theorema. Æneïda conscriptam à Virgilio, quis poterit inficiari, vbique laudibus respondere Octauiani; cùm penè nihil, aut planè parùm eius mentio videatur nominatim interseri? Animaduerte igitur laudem suo generi asscriptam ipsius decori claritudinis, claritatísque in omnibus nobilitare gloriam. Quis autem hîc neget laudibus Reginæ hunc per omnia respondere Codicem, cùm non modò ad eius gloriam scribatur, verumetiam eius maximam videatur obtinere partem? Id tibi si probabile non videtur, euidenti alterius rei indicio approbetur. Nosti, quoniam vbicúmq. giraueris circulum, primo omnium proculdubio principium facies esse punctum, sicque rotato continuatim orbe reducetur circulus: quo reductu ad suum principium eius figuræ continuatur ambitus. Simili igitur continuatione laus Reginæ claret in primis, in mediis viget, in vltimis inuenitur, omnémque prorsus Codicis summam cõplectitur. Quod esse mecum sentiens sic collige. SVEINVS Rex Danorum, virtute armísque pollens, & consilio, Anglicum regnum vi suo subiugauit imperio, moriénsque eiusdem regni CNVTONEM filium successorem esse constituit. Hic postmodum eisdem Anglis contra se sentientibus, atque acriter vim instruenti vi quoque repugnantibus, multa confecit bella: & fortasse vix aut numquam bellandi adesset finis, nisi tandẽ huius nobilissimæ Reginæ iugali copula potiretur, fauẽte gratiâ Saluatoris. Viuens adhuc de hac eadẽ Regina suscepto filio, HARDECNVT scilicet, quidquid suæ parebat ditioni tradidit. Qui defuncto patre, Anglicis absens erat. Regnum siquidem Danorũ procuraturus ierat. Quæ absentia imperij sui fines inuadendi iniusto peruasori locum dedit. Qui accepto regno, fratrem Regis nefandissima proditione interemit. Sed diuina vltio subsecuta, impiúmque percutiens, regnum cui debebatur restituit. Hardecnut itaque recepto regno, maternis per omnia parens consiliis, diuitias ampliando regnum imperialiter obtinuit. Vsus quinetiam egregia liberalitate, fratri, vt pote decebat, secum regni decus atque diuitias impertiuit. His enim animaduersis, ô lector, vigilíque, imò etiam perspicaci oculo mentis perscrutato textu, intellige huius Libelli seriem per omnia Reginæ EMMÆ laudibus respondere. B C

D

LIBER PRIMVS.

SVEINVS DAN. REX.

REGEM Danorum SVEINVM, inquam, veridica comperi relatione omnium sui temporis Regum fermè fortunatissimum extitisse; adeò vt (quod raro contingi * solet) principiis felicibus secundum Deum & seculum, multò felicior responderet exitus. Hic denique à nobilissimis, quod primum est inter homines, duxit originem, magnúmq. sibi decus secundum seculũ peperit imperij, quod administrabat, regimen. Tantam deinde illi gratiã diuina concessit virtus, vt etiã puerulus intimo affectu diligeretur ab omnib': tantũ patri proprio inuisus, nulla hoc promerẽte puerili culpa, sed sola turbante inuidia. Qui factus iuuenis, in amore quotidie crescebat populi, vnde magis magísq. inuidia augebatur patri: adeò vt eum à patria non iam clanculũ, sed palã vellet expellere, iureiurandóq. asserens, eum post se regnaturũ non esse. Vnde dolens exercitus,

* contingere.

A relicto patre, hærebat filio, & eũ defensabat sedulò. Huius rei gratiâ congrediuntur in prælio, in quo vulneratus fugatúsque pater ad Sclauos fugit, & non multò post ibi obiit, & SVEIN eius soliũ quietè tenuit. Quàm strenuè verò prudentérque interim secularia disposuerit negotia, paucis libet ad memoriam reducere: quatinus his interpositis faciliùs sit gradatim per hæc ad subsequentia descendere. Denique cùm nullo hostium incursu trepidus pacem in securitate ageret, periculi semper ac velut instantis metuens in castris viuebat, quòd hostibus si adessent nullatenus fortasse resisteret, nihílque suis quæ bello necessaria forent præparando patiebatur remitti, scilicet ne per otium vt assolet viriles emollirentur animi. Nullum tamen adeò difficile inuenire poterat negotium, ad quod inuitos impulisset milites, quos multa liberali munificentia sibi fecerat obnoxios & fideles. Atque vt scias quantus suorum fuerit in præcordiis affectus, pro certo affirmare valeã, quòd nullus formidine mortis periculum refugeret, eiúsque pro fidelitate hostibus innumeris solus, armatis etiam, manibus nudis imperterritus occurreret, si euntibus tantùm regale præmonstraretur signum. At ne me credat aliquis hæc falsa fingendo alicuius amoris gratiâ compilare, rectè animaduertenti in subsequentibus patebit, vtrùm vera dixerim, an minimè. Omnibus enim liquet proculdubio, quoniam humanitatis ita sese habeat consuetudo, vt plerumque ex rebus prosperè redeuntibus, mentes quorundam plus æquo exagitet cogitationum æstus: atque ex nimia in otio licentia aggrediuntur aliqui, quod vix cogitare, nedum facere audent in aduersitate positi. Ita etiam prælibati Regis militibus, cùm incompositæ pacis diuturnitate cuncta cessissent prosperè, firma sui pro benefactis domini fretis stabilitate, eadem ipsi agitanti placuit suadere, terram Anglicam inuadendo sorte bellica Imperij sui finibus adiicere. Turchil, inquiunt, Princeps militiæ tuæ, domine Rex, licentiâ à te accepta abiit, vt fratrem suum inibi interfectum vlcisceretur; & magnam partem exercitus tui abducens, vicisse se gaudet: & nunc meridianam partem prouinciæ victor obtinet, ac mauult ibi exul degens, amicúsque factus Anglorum, quos tua manu vicit, gloriari; quàm exercitum reducens tibi subdi, tibíque victoriam ascribi. Et nunc fraudamur sociis, & quadraginta puppibus, quas secum duxit onustas de Danorum bellatoribus primis. Non tam graue dominus noster patiatur dispendium, sed abiens cupientem ducat exercitum, & illi Turchil contumacem acquiremus cum suis satellitibus, eis quoque fœderatos Anglos cum omnibus eorũ possessionibus. Scimus enim diu eos non posse resistere, quia nostrates viri ad nos transibunt facilè. Quod si eos velle contigerit, Rex Duci suo, Danisque parcens, eos honoribus ampliabit. Si autem noluerit, quem despexere sentient. Hac illáque patriâ priuati inter primos hostes Regis pœnas luent.

SVEINVS DAN. REX.

B

C

HVIVS rei adhortationem Rex vbi audiit, primum secum mirari non mediocriter cœpit, quia quod ipso diu dissimulanti celantíque in mentem venerat, itidem militibus cogitationem eius ignorantibus animo sederat. Accersito itaque CNVTONE filio suo maiore, quid sibi super hoc negotij videretur, orsus est inquirere. Inquisitus autem ille à patre, metuens ne redargueretur, si placito contrairet tecnæ socordiæ, non tantùm terram adeundam esse approbat, verumetiam instigat, hortatúrque, ne mora vlla incœptum detineat. Ergo Rex consultu Optimatum firmatus, militúmque beneuolentiâ fisus, classem numerosam iussit parari, & vniuersam militiam Danorum vndique moneri, vt statuto die armata adesset, & Regis sententiam audiens, quæque imperarentur deuotissimè expleret. Cursores mox prouinciæ ex iussu domini sui cunctam pergirant regionem, quietam quoque commonefaciunt gentem: ne quis ex tanto exercitu deesset, quin omnis bellator terræ aut iram Regis incurreret, aut iussioni eius aduolaret. Quid ergo? Absque contradictione adunantur, instructíque armis bellicis gregatim Regi suo præsentantur; ostentantes se paratos ad periculum & ad mortem, si tantùm domini sui queant perficere voluntatem. Rex autem videns populum innumerabilem, voce præconaria iussit suam patefieri voluntatem; se velle scilicet classem aduersum Anglos armare, ditioníque suæ omnem hanc patriam ferro dolisve subiicere. Quod vbi omnibus visum esset laudabile, elegit primùm qui regnum suum deberent custodire; ne dum alienum incautè appeteret, illud quod securus tenebat amitteret, & intẽtus in vtroque neutri imperaret. Habebat enim filios duos bonæ indolis, ex quibus primogenitum suo

D

SVEINVS DAN. REX. iunxit comitatui, natu verò minorem præfecit vniuersi regni dominatui, adiuncta ei A copia militari, paucísque Primatum qui puerulum sagaciter instituerent, & qui huic consiliis armísque pro muro essent.

OMNIBVS ergò ritè dispositis, recensuit comites expeditionis, relictóque minore filio suo in sede, adiit nauigium vallatus armato milite. Nec mora concurritur vndique ad littora, circumfertur passim armorum seges multigena. Aggregati tandem turritas ascendunt puppes, æratis rostris Duces singulos videntibus discriminantes. Hinc enim erat cernere leones auro fusiles in puppibus, hinc autem volucres in summis malis venientes austros suis signantes versibus, aut dracones varios minantes incendia de naribus. Illinc homines de solido auro, argentóve rutilos, viuis quodammodo non impares; atque illinc tauros erectis sursum collis, protensísque cruribus, mugitus, cursúsque viuentium simulantes. Videres quoque delphinos electro fusos, veterémque rememorantes fabulam de eodem metallo centauros. Eiusdem præterea cælaturæ multa tibi dicerem insignia, si non monstrorum, quæ sculpta inerant, me laterent nomina. Sed quid nunc tibi latera carinarum memorem, non modò ornatitiis depicta coloribus, verùetiam aureis argenteísque aspera signis? B Regia quoque puppis tanto pulchritudine sui cæteris præstabat, quanto Rex suæ dignitatis honore milites antecedebat. De qua melius est vt sileam, quàm pro magnitudine sui pauca dicam. Tali itaque freti classe, dato signo repentè gaudentes abeunt, atque vt iussi erant, pars ante, pars retro, æquatis tamen rostris, Regiæ puppi se circumferunt. Hîc videres crebris tonsis verberata latè spumare cærula, metallíque repercussum fulgore solem duplices radios extendere in aëra. Quid plura? Tandem quò intendebant animi appropiabant finibus; cùm finitimos mari patrienses eius rei sinister commouit nûcius. Nec mora, quo Regia classis anchoras fixit, incolæ eius loci concurrunt ad portû, potentiori se frustra parati defendere intrandi aditum. Denique relictis nauibus regij milites ad terram exeunt, & pedestri pugnæ intrepidi sese accingunt. Hostes primò duriter contra resistentes dimicant, postea verò periculi formidine versi in fugam, sauciandi occidendíque copiam persequentibus præstant. C Ita Rex ex affectu primo prælio vsus, adiacentem regionem inuadit, fusis fugatísque hostibus. Tunc tali successu factus audentior, ad naues redit, & reliquos portus, qui plures eam terram cingunt, eadem ratione inuadit. Postremo vniuersam patriam tanto labore perdomuit, vt si quis omnem historiam eius ad plenum percurrere velit, non modicum auditores fatigabit, & sibimet iniurius erit, dum vt voluit omnia perstringere minimè valebit. At ego hæc alteri narranda relinquens, tangendo transire percupio; & ad alia festinando, stilum applicabo ad SVEINI obitum, vt festiui Regis CNVTONIS regni elucidare queam exordium. Nàmque vbi iam sæpedictus Rex tota Anglorum patria est intronizatus, & vbi iam penè illi nemo restitit, pauco superuixit tempore, sed tamen illud tantillum gloriosè. Præsciens igitur dissolutionem sui corporis imminere, filium suum CNVTONEM, quem secum habuit, aduocat; sese viam vniuersæ carnis ingrediendum indicat. Cui dum multa de regni gubernaculo, multáque hortaretur de Christianitatis studio, Deo gratias, illi virorum dignissimo sceptrum commisit regale. Huius rei facto maximè Dani, quibus legitimè præesse debuit, fauent; eúmque patre adhuc viuente Regem super se constitui gaudent. Hoc ita facto, pater orat filium, vt si D quando natiuitatis suæ rediret ad terram, corpus paternum reportaret secum; néve pateretur se alienigenam in externis tumulari terris. Nouerat enim, quia pro inuasione regni illis exosus erat populis. Nec multo post postrema naturæ persoluit debita, animam remittendo cœlestibus, terræ autem reddendo membra.

LIBER SECVNDVS.

CNVTO ANGL. REX.

MORTVO patre, CNVTO regni parat retinere sceptrum. Sed ad hoc minimè sufficere potuit, deficiente copiâ fidelium. Angli siquidem memores, quòd pater eius iniustè suos inuasisset fines; ad expellendum eum, vtpote qui iuuenis erat, omnis regni pariter collegerunt vires. Quo comperto, Rex clam per fideles amicos reperto honoris sui con-

A filio, classim sibi præparari iubet; non quòd asperos euentus belli metuendo fugeret, sed vt fratrem suum HAROLDVM, Regem scilicet Danorum, super tali negotio consuleret. Paterna itáque classe repetita, instauratóque remige, ventis marísque regalia commisit carbasa: sed tamen non omnem militiam secùm reduxit; quæ cum patre suo secúmque patriam introiuit. Nam THVRKIL, quem Principem Militiæ prædiximus, terra quòd esset optima inspecta, maluit conuersari vitam fertili patriâ, cum patriensibus pace confecta, quàm velut expulsus demum redire ad propria. Et, vt quidam aiunt, hoc non fecit despiciendo dominum; sed vti cum resumptis viribus fratrísque auxilio repedaret ad debellandum regnum: aut Optimates regni consilio suo ad deditionem flecteret, aut si id parum processisset, dimicantes contra dominum suum hostes incautos à tergo cæderet. Cuius rei patet veritas ex eo, quòd secum maximam partem militum retinuit, quódque Rex non ampliùs quàm sexaginta naues secum abire permisit. CNVTO ANG. REX.

B PROSPERO itaque cursu Rex natales ad fines *, cùm mirarentur omnes solitarium reditum eius, quantum ad Regem, patri antea fideles. HARALDI Regis subitò compleuit volitans fama palatia, fratrem eius maiorem, CNVTONEM scilicet, sua aduenisse littora. Miratur Rex, omnísque pariter exercitus; atque adhuc nescij duros ipsius præsagibant casus. Igitur à latere Regis milites diriguntur delecti, paratíque in occursum transmittuntur equi. Fraternus siquidem amor fratris eũ mouebat inseruire decori. Cúmque tandem honorificè, vt pote Regem decet, fraterna subintraret limina; frater ipse in primo aditu occurrit, mutuóque brachiorum connexione pressis corporibus sibi inuicem pia quàm sæpè defigunt oscula. Collum vtriúsque partim pro amore, partímque pro patris morte fusæ madefecêre lacrymæ: quibus vix extinctis multo refocillantur affamine. Vbi dum quísque fortunam fratris inquireret, propriam quoque patefaceret; CNVTO, qui natu maior fuerat, sic HARALDVM fratrem alloquitur: Adueni, frater, partim causâ tui amoris, partim verò vt declinarem improuisam temeritatem barbarici furoris: non tamen metuens bellorum, quæ meæ repetam gloriæ, sed vt tuo consultu edoctus,
C præsidióque suffultus, redeam certus victoriæ. Est autem primum, quod mihi facies, si non gloriæ meæ inuides, vt diuidas mecum regnum Danorum, meam scilicet hereditatem, quam solus tenes: deinde regnum Anglorum, si communi operâ poterimus nostræ hereditati adiicere. Vnum horum quodcúmque elegeris feliciter teneto, & ego aliud similiter tenebo. Huius rei gratiâ tecum hiemabo, vt tempus tuo sufficiat consilio, & vt expedit reparentur naues & exercitus, ne deficiant necessaria, dum pugnæ ingruerit tempus. THVRKIL noster, nos relinquendo, vt patrem, in terra resedit, & magnam partem nauium nostrarum retinuit; & vt reor, nobis aduersarius erit, sed tamen non præualebit.

HARALDVS Rex, audito quod noluit, his fratrem verbis excepit: Gaudeo, frater, de tuo aduentu, habeóque gratias tibi, quòd me visitasti: sed est graue auditu quod loqueris de diuisione regni. Hereditatem, quam mihi pater, te laudante, tradidit, guberno: tu verò hac maiorem si amisisti, doleo, téque iuuare paratus regnum meum partiri non sustinebo. Hoc CNVTO audiens, fratremque rectè locutum tacitè perpendens: Hoc tempore de hoc sileamus, inquit. Deus enim rectiùs fortasse
D hoc solus ordinabit. Talibus, aliísque diuersis sermonibus colloquentes, conuiuiísque regalibus conuiuantes, aliquanto tempore simul manserunt; & naues meliorantes exercitum restaurauerunt. Pariter verò Sclauoniam adierunt, & matrem suam, quæ illic morabatur, reduxerunt.

INTEREA quædam matronarum Anglicarum nauim sibi fecit parari, & assumpto corpore SVEINI Regis sua in patria sepulti, illóque aromatibus condito, palliísque velato, mare adiit, & prospero cursu appulsa ad portus Danorum peruenit. Mittens ergo vtrísque fratribus nuncium, mandat corpus adesse paternum, vt hoc maturent suscipere, tumulóque quod sibi præparauerat locare. Illi hilares adsunt, honorificè corpus suscipiunt, honorificentiúsque illud in Monasterio in honore sanctæ Trinitatis ab eodem Rege constructo, in sepulcro quod sibi parauerat recondunt. Quo perfecto, iamque appropiante sole æstiuo accelerat CNVTO, redintegrato exercitu, redire, suásque iniurias vindicare. At illi circa littora deambulanti subitò apparescunt carbasa non multa in medio mari. Nam THVRKIL memor

CNVTO ANG. REX. quod SVEINO fecerat, & quòd tunc in terra Anglica absque licentia domini sui A CNVTONIS inconsultè remanserat; cum nouem nauibus earúmque exercitu dominum suum requisiuit, vt ei patefaceret, quia non contra eius salutem se recedente remanserit. Qui veniens, non præsumpsit littora iniussus subire, sed eiectis anchoris, præmisisque nunciis, poscit se portus subintrare licere. Quod vbi concessum est, ascendit, misericordiamque domini sui quæsiuit: & illi multo labore cōciliatus, dat fidei sacramentum se illi deinceps fideliter seruiturum. Cum quo mense plus integro moratur, & vt ad Anglos redeat hortatur; dicens eum leuiter illos posse superare, quorum fines longè latéque notificarentur vtrísque. Præsertim aiebat, se triginta naues in Anglorum patria cum exercitu fidisimo reliquisse, qui venientes susciperent honorificè, ducerentque per fines totius patriæ. Tunc Rex valedicens matri & fratri, curui littoris repetiit confinia, qua iam adunauerat ducentarum nauium speciosa spectacula. Nam hîc erat tanta armorum copia, vt vna earum nauium, si omnibus reliquis defecissent, sufficeret abundantisimè tela. Erant B autem ibi scutorum tanta genera, vt crederes adesse omnium populorum agmina. Tantus quoque decor inerat puppibus, vt intuentium hebetatis luminibus, flammeæ magis quàm igneæ viderentur à longè aspicientibus. Si quando enim sol illis iubar immiscuit radiorum, hinc resplenduit fulgor armorum, illinc verò flamma dependentium clypeorum. Ardebat aurum in rostris, fulgebat quoque argentum in variis nauium figuris. Tantus siquidem classis erat apparatus, vt si quam gentem eius vellet expugnare Dominus, naues tantùm aduersarios terrerent, priusquàm earum bellatores pugnam vllam capescerent. Nam quis contrariorum leones auri fulgore terribiles, quis metallinos homines aureo fronte minaces, quis dracones obrizo ardentes, quis tauros radiantibus auro cornibus necem intentantes in puppibus aspiceret; & nullo metu Regem tantæ copiæ formidaret? Præterea, in tanta expeditione nullus inueniebatur seruus, nullus ex seruo libertus, nullus ignobilis, nullus senili ætate debilis. Omnes enim erant nobiles, omnes plenæ ætatis robore valētes, omnes cuiuis pugnæ satis habiles, omnes tantæ velocitatis, vt despectui eis essent equitantium pernicitates.

TALIS itaque milities fastuosis scansis ratibus intrat pelagus, solutis à littore anchoris & funibus, talique verrit impetu fluctus, vt alatis puppibus hanc superuolare vndas putares, vix tanto mari rudentibus. Regalis autē nauis reliquis erat honor C & intentio, quia nulla aliis inerat optio, nisi tantùm vt Regis sui fasces ampliarent toto studio. Expectabili itaque ordine, flatu secundo, Sanduich, qui est omnium Anglorum portuum famosissimus, sunt appulsi; eiectisque anchoris, baculis exploratores se dedunt littori, & citissimè finitima tellure explorata, ad nota recurrunt nauigia, Regique edicunt adesse resistentium parata milia. Patrienses enim Regi Danisque feruentissimè rebellare ardentes, quas sibi ad luctam sufficere credebant adunauerant phalanges, conglobatique in vnum conspirati aduolitabant, dextris nobilium morituri. Tunc Thurkil tempus intuens instare, quo fidelitatem suā domino suo valebat patefacere: Ego, inquit, hoc certamen domino meo accurabo „ cum meis euincere, nec Regem meum ad bellandum, vt pote iuuenem feruentissi- „ mum, huic misceri patiar pugnæ. Nam si victor fuero, Regi ipsi triumphabo: si autē „ cecidero, siue tergum dedero, non Anglis gloriæ erit adeò, quia Rex supererit, qui „ & prælium restaurabit, & fortasse victor meas iniurias vindicabit. Hoc dictum cùm D sanæ mentis esse videretur omnibus, annuente Rege ascendit cum suis è nauibus, dirigens aciem contra Anglorum impetū, qui tunc in loco SCORASTAN dicto fuerat congregatus. Quadraginta denique nauium, & eò ampliùs, Danorum exercitus ascenderat: sed adhuc hic numerus medietati hostium minimè par fuerat. At Dux eorum magis fisus virtute quàm multitudine, omnes rumpens morulas, classica insonuit, gradiens in prima fronte, & mente semper Dei auxilium exorans, quæque obuia metebat mucronis acie. Angli verò imprimis fortiores dira cæde Danos obtruncarunt, intantum vt penè victoriam adepti, aduersarios fugere cogerent; si non Ducis alloquio retenti, memoresque virtutis, fugā erubescerēt. Namque memorabat ille abesse diffugium, in terra scilicet hostes, & à littore longè remotas puppes: ideóque si non vincerent, quòd pariter occumbere deberēt. Vnde illi animosiores effecti, in prælio ilicò manifestāt, quàm periculosa sit desperatio.

A tio. Enimuerò de refugio fugæ desperati, tanta in hostes debacchati sunt insaniâ, vt non tantùm mortuorum aspiceres corpora cadentia, verumetiam viuorum ictus declinantia. Tandem ergo potiti optata victoria, suorum quæ reperire poterant tumulabant membra. Ab aduersariis quoque diripientes spolia, reuertuntur; & ad iacentem regionem inuadendam accinguntur. Hoc primum decus Turkil armis CNVTONIS auxit, & magnam partem patriæ pro hoc postmodum promeruit. CNVTO.

AT tunc ad dominum regressus, ei & sociis suos indicat euentus, facitque eos spoliis quæ attulit ardentiores ad pugnam, manubiis lætus, & palmæ successibus. Quo exemplo ERIC quidam Dux, & Princeps prouinciæ, quæ Nordvvega dicitur, incitatus (nam & is Cnutonis Regis interêrat officialibus, iamdiu illi subditus, vir armis strenuus, omni honorificentiâ dignus) acceptâ licentiâ cum suis est egressus; & partem terræ aggressus spolia diripuit, vicos inuadendo destruxit, occurrentes sibi hostes domuit, & multos ex eis captiuauit, tandémque victoriosus ad socios cum spoliis redit. Quo reuerso, Rex parcens patriæ, prohibuit vltra eam prædari: B sed iussit ciuitatem LONDONIAM metropolim terræ obsidione teneri, quia in ea cōfugerant Optimates, & pars exercitus, & maximum (vt est populosissima) vulgus. Et quia hoc pedites equitésque nequibant explere (vndique enim mari quodammodo nō pari vallantur flumine) turritis puppibus eam coangustare fecit, & firmissima vallatione tenuit. Deus itaque, qui omnes homines vult magis saluare quàm perdere, intuens has gentes tanto periculo laborare; eum Principem, qui interiùs ciuitati præsidebat, educens è corpore, iunxit quieti sempiternæ: vt eo defuncto, liber Cnutoni ingressus pateret, & vtrique populo confecta pace paulisper respirare copia esset. Quod & factum est. Nam ciues suo honorificè sepulto Principe, initóque salubri consilio, elegerunt internuncios mittere, & Regi placita mandare: videlicet vt dexteram illis daret, & ciuitatem pacificè susciperet. Hoc vbi Cnutoni satis videretur probabile facto, fœdus firmatum est, ingressui eius die constituto. At pars interioris exercitus spreuere statutum ciuium: latentérque nocte illa, cuius sequenti die ingresus est Rex, cum filio defuncti Principis egressi sunt ciuitatem: vt experirentur rursus collecta innumerabili manu, si fortè à finibus suis valerent C arcere ingressum Regem. Nec quieuerunt, quoúsque omnes penè Anglos sibi magis adhuc accliues quam Cnutoni conglobarent. Cnuto autem ciuitatē intrauit, & in solio regni resedit: sed tamē Lōdonienses nō sibi adhuc esse fideles credidit. Vnde & nauium stipendia illa æstate restaurare fecit: ne, si fortè exercitus aduersariorum ciuitatem oppugnaret, ipse ab interioribus hostibus exterioribus traditus interiret. Quod cauens, rursus ad tempus vt prudens cessit: & ascensis ratibus, ac ciuitate relicta, insulam SCEPEI dictam cum suis petiit, ibíque hiemans pacificè euentum rei expectauit.

ÆDMVND itáque (sic enim iuuenis, qui exercitum colligerat, dictus est) recedente Cnutone, cum populo non mediocri, sed innumerabili veniens, ciuitatem pompaticè ingreditur, & mox eum vniuersi sequuntur, obtemperant & fauent, & virum fortem fieri suadent, dicentes quòd eum magis quàm Danorum Principem eligerent. Erat quóque eius partis Comes primus EDRICVS, consiliis pollens, sed tamen dolositate versipellis, quem sibi ad aurem posuerat ÆDMVND in omnibus negotiis. Fertur autem ipse iuuenis illo tempore domino CNVTONI re-D cedenti singularem pugnam obtulisse; sed Rex sapiens dicitur sic respondisse: Ego " tempus luctæ præstolabor congruè, dum non casum suspectus, certus fuero victo- " riæ. Tu verò, qui aues duellum in hieme, caue ne deficias etiam aptiori tempore. "
Sic Rex, vt dictum est, in Scepei, quod est dictum Latinè Insula ouium, vt poterat hiemauit. Ædmundus autē in Londonia, dimisso exercitu, vltimā hiemem duxit.

RECEDENTI verò brumali tempore, tota Quadragesimâ rursus militiam adunauit, & mox post Paschales dies Regem & Danos à finibus Anglorum deturbare parauit: & veniens cum innumerabili multitudine, eos subitò cogitauit inuadere. At sermo non latuit Danos, qui puppibus posthabitis petunt arida, aptantes se excipere quæque obuia. Erat námque eis vexillum miri portenti, quod licet credam posse esse incredibile; lectori tamē, quia verum est, veræ inseram lectioni. Enimuerò, dum esset simplicissimo, candidissimóq. intextum serico, nullius figuræ in eo inserta esset imago; tēpore belli semper in eo videbatur coruus, ac si intextus,

CNVTO. in victoria suorum quasi hians ore, excutiénsque alas, instabilisque pedibus, & suis A deuictis quietissimus, totoque corpore demissus. Quod requirens THVRKIL auctor primi prælij; Pugnemus, inquit, viriliter, socij, nihil enim nobis erit periculi. Hoc denique testatur instabilis coruus præsagientis vexilli. Quo audito, equi audentiores effecti, ferratísque induuiis indurati, occurrunt Anglis in ÆSCENEDVNO loco, quod nos Latini Montem fraxinorum possimus interpretari. Ibique nondum congressione facta, EDRIC, quem primum Comitum EDMVNDI diximus, hæc suis intulit affamina: Fugiamus, ô socij, vitámque subtrahamus morti imminenti. alioquin occumbemus ilico. Danorum enim duritiam nosco. Et velato vexillo, quod dextrâ gestabat, dans tergum hostibus, magnam partem militum bello fraudabat. Et, vt quidam aiunt, hoc non causâ egit timoris, sed dolositatis, vt postea claruit: quia hoc eum clam Danis promisisse nescio quo pro beneficio, assertio multorum dicit. Tunc EDMVNDVS hoc intuitus, & vndique angustiatus; O Angli, inquit, aut hodie bellabitis, aut omnis vnà in deditionem ibitis. Pugnate igitur pro libertate & patria, viri cordati. Hi quippe, qui fugiunt, vt pote formidolosi, si non abirent B essent impedimento exercitui. Et hæc dicens, in medios ingreditur hostes, circumquáque cædens Danos; nobiles hoc exemplo suos reddens ad bellandum proniores. Commissum est ergo prælium pedestre grauissimum, dum Dani, licèt pauciores, nescij cedere, magis eligerent internecionem quàm fugæ periculum. Resistunt itaque viriliter, & prælium hora diei nona cœptum ducunt in vesperam, se gladiis haud sponte opponentes: sed gladiorum aculeis valuntarius * alios vrgentes. Cadunt vtriusque partis armati, plus tamen eius quæ erat numero eminentiori. At vbi iam aduesperante noctis adessent tempora, vincit amor victoriæ tenebrarum incommoda, quia neque horrebant tenebras, instante cura maiore, neque etiam nocti dignabantur cedere, in hostem tantùm dum ardebant præualere. Et nisi luna clarescens ipsum monstraret hostem, cæderet quisque suum commilitonem, vt inimicum resistentem; nullúsque vtriusque partis superuiueret, nisi quem fuga saluasset. Intereà, cœperunt Angli fatigari, paulatímque fugam meditari, dum intuentur C Danos in hoc conspiratos, quatinus aut vincerēt aut vsque ad vnum omnes vnà perirent. Videbantur enim iis tunc numerosiores, & in tam diutina conflictatione fortiores. Fortiores namq. eos æstimabant vera suspicione, quia iam stimulis ferri cōmoniti, casúque suorum turbati, magis videbantur sæuire quàm bellare. Vnde Angli terga vertentes, hac & illac fugitant absque mora, semper ante aduersarium cadentes: addúntque decus CNVTONIS & victoriæ, decorato ÆDMVNDO fugiente Principe. Qui licèt deuictus valentioribus cedens recederet; tamen adhuc non penitus desperans, tutis se commisit locis; vt demum fortiori multitudine collectâ, iterùm experiretur, si quid fortè sibi boni succedere posset. At Dani fugientes non longè sunt persecuti, quia incogniti locorum noctis obscuritate sunt retenti. Angli verò loci non inscij, citò à manibus hostium sunt elapsi: eos relinquentes ad spolia, seséque dantes ad inhonesta refugia.

* f. valentiùs.

TVNC victores sua læti victoriâ, transacta iam nocte plus media, pernoctant quod supererat inter mortuorum cadauera. Non autem in nocte spolia dirimunt, sed interim suos requirunt, seséque adunantes vt securiores esse possent, simul omnes vno in loco perstiterunt. Illucescente verò iam mane, suorum agnoscunt mul- D tos in prælio cecidisse, quorum cadauera vt poterant tumulauere. Ab aduersariorum quoque membris abradunt spolia, bestiis & auibus eorum relinquentes morticina: & ad naues redeuntes, Londoniámque repetentes, saniora sibi quærunt consilia. Similiter & Angli suo cum Principe sibi consulunt, & super hoc negotij Dei auxilium quærunt: vt qui totiens armis sunt deuicti, saltem aliquo consilio valerent remanere suffulti. Iam etiam EDRIC, qui antea à bello recessit profugus, ad dominum suum, & ad socios rediit; & susceptus est, quia vir boni consilij fuit. Is surgens in medio agmine, omnes tali allocutus est sermone. Licèt omnibus penè vobis sim inuisus, quia bello cessi: tamen si vestris sederet animis dictis parere mei consilij, victoriosiores effici meo consultu possetis, quàm si totius terræ his viris resisteretis armis. Satis enim Danorum victorias expertus, frustrà nos reniti omnino scio; & ob hoc me subtraxi à prælio, vt vobis postmodum prodessem consilio; non, vt vos æstimatis, perculsus timore aliquo. Dum enim scirem necesse esse me fugere,

A quid satius fuit, aut vulneratum, aut sanum recedere? Est proculdubio certa victoria interdum ab fortiori hoste elabi fugâ, cui nequit resisti per arma. Omnes enim, qui adsumus, proh dolor! fugimus. Sed ne hic casus vobis eueniat vlteriùs, dextras Danis demus; vt ipsos fœderatos habentes, fugam periculúmque bellorum sic saltem declinemus. Attamen hoc aliter nequit fieri, nisi diuisione regni nostri. Et melius esse iudico, vt medietatem regni Rex noster cum pace habeat, quàm totum pariter inuitus amittat. Placuit sermo Optimatibus, & licet inuitus, hoc tamen annuit ÆDMVNDVS: electísque internunciis, præmittit ad naues CNVTONIS, qui dextras Danis dent & accipiant ab eis. Quos vbi primùm Dani venientes intuentur, exploratores eos esse suspicantur: sed postquàm propiùs eos vident accedere, accersitis eis quidnam quæsierunt orsi sunt rogitare. Discentes verò ab eis prò conficienda pace eos venire, lætantes eos sistunt conspectibus Regis. Erant enim obnixè optantes prospera pacis, iam lassi bellorum, & continuatione nauigationis. Tunc missi, Rege pacificè salutato: Miserunt nos, inquiunt, ad te, ô Rex, CNVTO

B Princeps noster, & Procerum nostrorum multitudo, vt consentias eis de pace; & datis nobis dextris & obsidibus, à nobis itidem recipias cum regni medietate. Dominare in Boreali parte cum quiete: è regione autem sit noster ÆDMVNDVS in finibus Meridianæ plagæ. Huius rei gratiâ ad te sumus legati: tu verò benè faciens, placito consenti. Alioquin licèt simus semel & iterum à vobis bello deturbati, adhuc tamen maiori violentiâ roborabimur vobiscum bellaturi. Quibus Rex non temerè respondit, sed ipsis amotis consilium à suis quæsiuit, & sic eis postmodum pacificè consensit. Audierat enim à suis, quòd multi suorum defecissent: nec erat qui locum morientium suppleret, cùm longe remoti à propria patria essent: Anglorum quoque quanquam perplurimi interficerentur, numerus eorum non adeò minuebatur, quia in propriis positis semper qui morientis locum restauraret inueniebatur. Reuocatis itaque internunciis; Vestris, inquit Rex, ô iuuenes, legationibus consentio, & vti dixistis media mihi liberè erit regio. Sed tamen vectigal etiam suæ partis vester Rex, quicúmque ille fuerit, exercitui dabit meo. Hoc enim illi debeo, ideóque aliter pa-

C ctum non laudo.

FOEDERE itaque firmato, obsides dantur ab vtráque parte; & sic exercitus solutus bellorum importunitate, optata lætus potitur pace. Verumtamen Deus memor suæ antiquæ doctrinæ, scilicet omne regnum in seipsum diuisum diù permanere non posse, non longo post tempore ÆDMVNDVM eduxit è corpore, Anglorum misertus imperij; ne fortè si vterque superuiueret, neuter regnaret securè, & regnum diatim adnihilaretur renouata contentione. Defunctus autem regius iuuenis regio tumulatur sepulcro, defletus diu multúmque à patriensi populo, cui Deus omne gaudium tribuat in cælesti solio. Cuius rei gratiâ cum Deus iusserit obire, mox deinde patuit, quia vniuersa regio ilicò CNVTONEM sibi Regem elegit: & cui ante omni conamine restitit, tunc sponte sua se illi & omnia sua subdidit.

ERGO miseratione diuina monarchiam regni CNVTO vir strenuus suscepit, & nobiliter Duces & Comites suos disposuit, & fine tenus deinceps regnum

D Anglorum pacificè tenuit. Erat autem adhuc primæua ætate florens, sed tamen indicibili prudentiâ pollens. Vnde contigit vt eos, quos antea ÆDMVNDO sine dolo fideliter militare audierat, diligeret; & eos, quos subdolos sciebat, atque tempore belli in vtraque parte fraudulenta tergiuersatione pendentes, odio haberet: adeò vt multos Principum quadam die occidere pro huiusmodi dolo iuberet. Inter quos EDRICVS, qui à bello fugerat, cùm præmia pro hoc ipso à Rege postularet, ac si hoc pro eius victoria fecisset: Rex subtristis, Qui dominum, inquit, tuum decepisti fraude, mihíne poteris fidelis esse? Rependam tibi condigna præmia, sed ea ne deinceps tibi placeat falacia. Et ERICO Duce suo vocato, Huic, ait, quod debemus persoluito; videlicet, ne nos decipiat, occidito. Ille verò nil moratus, bipennem extulit, eique ictu valido caput amputauit; vt hoc exemplo discant milites Regibus suis esse fideles, non infideles.

CNVTO. OMNIBVS itaque ritè dispositis, nil Regi defuit absque nobilissima coniuge, A quam vbique sibi iussit inquirere: vt iuuentam hanc legaliter adquireret, & adeptam imperij sui consortem faceret. Igitur per regna & per vrbes discurritur, & regalis sponsa perquiritur: sed longè latéque quæsita, vix tandem digna reperitur. Inuenta est verò hæc imperialis sponsa in confinitate Galliæ, & præcipuè in Normandensi regione, stirpe & opibus ditissima: sed tamen pulcritudinis & prudentiæ delectamine omnium eius temporum mulierum præstantissima, vt pote Regina famosa. Propter huiuscemodi insignia multum appetebatur à Rege, & pro hoc præcipuè quòd erat oriunda ex victrici gente, quæ sibi partem Galliæ vendicauerat, inuitis Francigenis, & eorum Principe. Quid multis immoror? mittuntur proci ad dominam, mittuntur dona regalia, mittuntur etiam verba precatoria. Sed abnegat illa se vnquam Cnutonis sponsam fieri, nisi illi iusiurando affirmaret, quòd numquam alterius coniugis filium post se regnare faceret, nisi eius: si fortè illi Deus ex eò filium dedisset. Dicebatur enim ab alia quadam Rex filios habuisse. Vndè illa suis prudenter prouidens, sciuit ipsis sagaci animo profutura præordinare. B Placuit ergo Regi verbum virginis, & iusiurando facto virgini placuit voluntas Regis. Et sic, Deo gratias, domina EMMA mulierum nobilissima fit coniux Regis fortissimi CNVTONIS. Lætatur Gallia, lætatur etiam Anglorum patria, dum tantum decus transuehitur per æquora. Lætatur, inquam, Gallia, tantam tanto Regi dignam se enixam. Anglorum verò lætatur patria, talem se recepisse in oppida. O res millenis milies parata votis, vixque tandem effecta auspicante gratiâ Saluatoris. Hoc erat, quod vtrobique vehementer iamdudum desiderauerat exercitus, scilicet vt tanta tanto digna etiam digno maritali conuinculata iugo, bellicos sedaret motus. Quid enim maius ac desiderabilius esse posset in votis, quàm damnosos ingratósque labores belli placida finiri tranquillitate pacis, cùm pares paribus vi corporis, virtutéque animi concurrerent? cúmque nunc hi, nunc verò illi, alternante casu belli, non sine magno detrimento sui, vincerent?

VERVM, vbi diuina dispensatione, multisque alterutrum diu habitis internunciis, maritali se tandem copula placuit confœderari: difficile creditu est quanta repentè in vtrisque alteri de altero exorta sit magnitudo gaudij. Gaudebat enim Rex C nobilissimis insperato se vsum thalamis: hæc autem hinc præstantissima virtute coniugis, hinc etiam spe gratulabunda accendebatur futuræ prolis. Inæstimabiliter quoque vtérque gaudebat exercitus, opes suas communibus sperans augendas viribus, vt rei postmodum probauit exitus. Quamplures enim populi domiti bello, gẽtésque complures longè distantes vita, moribus, etiam & lingua, æternaliter Regi regiæque posteritati annua compulsi sunt soluere vectigalia. Sed quid mirum, si tãtus talísque Rex repugnantes sibi dimicando deuinceret? cùm quamplurimos partim liberali largitione, partim patrocinandi gratiâ imperio suo vltraneos submitteret? Profectò non mirum. Quoniam illic diuina aspirat gratia, vbi iustitiæ, probitatísque æqua libratur trutina.

SED quid multis immoror? Gaudium magnum in coniugatione tantorum dixi fuisse: multò autem ampliùs dico, suscepta masculæ prolis opportunitate. Non multò post siquidem, Saluatoris annuente gratia, filium peperit nobilissima Regina. Cuius cùm vtérque parens intima, atque, vt ita dicam, singulari gauderet dilectione: D alios verò liberales filios educandos direxerunt Normanniæ, istum hîc retinentes, sibi vt pote futurum heredem regni. Itaque dilectissimum pignus, vti mos est Catholicis, sacro abluunt fonte baptismatis, imponúntque ei vocabulum quodammodo obtinens indicium futuræ virtutis. Vocatur siquidem HARDECNVTO, nomen patris referens cum additamento. Cuius si etymologia Teutonicè perquiratur, profectò quis quantúsve fuerit dinoscitur. HARDE quidem, velox vel fortis, quod vtrúmque, multóque maius his in eo vno cognosci potuit. quippe qui omnes sui temporis viros omnium virtutum præstantia anteiuit. Omnes igitur eius virtutes enumerare nequeo. Quapropter ne longiùs à proposito exorbitem, supra repetam, historiæque sequar ordinem.

ADVLTO denique puero, de quo sermo agitur, pater adhuc in omni felicitate degens, omne regnum suæ ditioni subiectum sacramento deuinxit: cúmque postmodum ad obtinendam Monarchiam regni Danorum cum delectis militibus

A misit. Cùm autem Rex CNVTO solum imprimis Danorum obtineret regimen, quinque regnorum, scilicet Danomarchiæ, Angliæ, Britanniæ, Scotiæ, Nordvvegæ, vendicato dominio, Imperator extitit. Amicus verò & familiaris factus est viris Ecclesiasticis, adeò vt Episcopis videretur Coëpiscopus pro exhibitione totius religionis, Monachis quoque non secularis, sed Cœnobialis pro continentia humillimæ deuotionis. Defensabat sedulò pupillos & viduas, sustentabat orphanos & aduenas: leges oppressit iniquas, earúmque sequaces: iustitiam & æquitatem extulit, & coluit: Ecclesias extruxit & honorauit: sacerdotes & clerum dignitatibus ampliauit: pacem & vnanimitatem omnibus suis indixit: vt de eo illud Maronicum dici posset, nisi extra Catholicam fidem hoc fuisset. CNVTO.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane.
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Deo omnibus modis placita studuit, ideóque quicquid boni agendum esse didicerat, non negligentiæ, sed operationi committebat. Quæ enim Ecclesia adhuc eius B non lætatur bonis? Sed vt sileam, quæ in suo regno positis egerit, huius animam quotidie benedicit Italia, bonis perfrui deposcit Gallia, & magis omnibus hanc in cœlo cum Christo gaudere orat Flandria. Has enim Prouincias transiens Romam petiit, & vt multis liquet, tanta hoc in itinere misericordiarum opera exhibuit; vt si quis hæc describere omnia voluerit, licet innumerabilia ex his fecerit volumina, tandem deficiens fatebitur se vix etiam cucurrisse per minima. Nam quid singulis in locis fecerit sileo. Verumtamẽ, vt credibiliora fiant quæ assero, quid in vna vrbe S. Audomari fecerit dicã pro exemplo, quod etiam oculis meis me vidisse recordor.

INGRESSVS Monasteria, & susceptus cũ magna honorificentia, humiliter incedebat, & mira cum reuerentia in terram defixus lumina, & vbertim fundens lacrymarum, vt ita dicam, flumina, tota intentione Sanctorum expetiit suffragia. At vbi ad hoc peruentum est, vt oblationibus regiis sacra vellet cumulare altaria: ohe! quotiens primùm pauimento lacrymosa infixit oscula! quotiens illud pectus venerabile propria puniebant verbera! qualia dabat suspiria! quotiens precabatur, vt sibi non indignaretur superna clementia! Tandem à suis ei imminenti * sua porrige- * immerenti C batur oblatio non mediocris, nec quæ aliquo clauderetur in marsupio, sed ingens allata est palleali extento in gremio, quam ipse Rex suis manibus altari imposuit, largitor hilaris monitu Apostolico. Altari autem cur dico? cùm vidisse me meminerim eum omnes angulos Monasteriorum circuisse, nullúmque altare, licèt exiguum, præterisse, cui non munera daret, & dulcia oscula infigeret? Deinde adsunt pauperes, munerantur etiam ipsi protinus singulatim omnes. Hæc & alia his mirificentiora à domino CNVTONE gesta vidi ego vester vernula, sancte Audomare, sancte Bertine, cùm fierent vestris in Cænobiis. Pro quibus bonis tantum Regem impetrate viuere in cælestibus habitaculis; vt vestri famuli Canonici & Monachi sint orantes orationibus cotidianis.

DISCANT igitur Reges & Principes huius Domini imitari actiones, qui vt valeret scandere sublimia, sese humiliauit in infima; & vt posset adipisci cælestia, hilariter largitus est terrestria. Non enim fuerat oblitus propriæ conditionis, quòd moriturus erat in mundo, & relicturus quæque possunt concupisci in seculo. Et ob has diuitias, quas secum nequiuit moriens auferre, viuens Deo & sanctis eius locis D partitus est honorificè: ne fortè si auaritiæ studeret, omnibus inuisus viueret, nullúsque esset qui eius animæ aliquid boni oraret, & alius ei succederet, qui in eius regno largiùs viueret, & de eius parcitate indignaretur. Verùm hoc ne fieret satis cauit, & suis posteris bonũ exemplum largitatis, totiúsque bonitatis reliquit: quod & ipsi adhuc, Deo gratias, seruant, optimè pollentes in regni moderamine, & in virtutum decore.

TANTVS itáque Rex postquam Româ est reuersus, & in proprio aliquantisper demoratus, omnibus benè dispositis transiit ad Dominum, coronandus in parte dextera ab ipso Domino auctore omniũ. Turbabantur itáque eius obitu omnes qui audierant, maximéque eius solio deseruierant: quorum maxima pars cuperet ei commori, si hoc displiceret diuinæ dispositioni. Lugebat domina EMMA eius Regina cum parentibus, vlulabant pauperes cum potentibus: flebant Episcopi & Clerici cum Monachis & Sanctimonialibus. Sed quantum lugebatur

CNVTO. in mundo, tantùm lætetur in cæli palatio. Isti flebant hoc quod perdiderant: illi gratulentur de eius anima, quam suscipiant. Isti sepelierunt corpus exanime, illi spiritum deducant in sublime, lætandum in æterna requie. Pro eius transitu soli flebant terreni, sed pro eius spiritu interueniant cum terrenis etiam ciues cælici. Vt eius gloria crescat cotidie, oremus Deum intentè. Et quia hoc promeruit sua bonitate, cotidie clamemus, ANIMA CNVTONIS REQVIESCAT IN PACE, AMEN. A

MORTVO Cnutone Rege, honorificéque sepulto in Monasterio in honore sancti Petri constructo, domina Regina EMMA sola remansit in regno, dolens de domini sui morte amara, & sollicita pro filiorum absentia. Namque vnus eorum, HARDECNVTO scilicet, quem pater Regem Danorum constituit, suo morabatur in regno: duo verò alij in Normanniæ finibus ad nutriendum traditi, cum propinquo suo degebant ROBERTO. Vnde factum est, vt quidam Anglorum pietatem Regis sui iam defuncti obliti, mallent regnum suum dedecorare, quàm ornare; relinquentes nobiles filios insignis Reginæ Emmæ, & eligentes sibi in Regem quendam HARALDVM, qui esse filium falsa æstimatione asseritur cuiusdam eiusdem Regis Cnutonis concubinæ. Plurimorum verò assertio eundem Haraldum perhibet furtim fuisse subreptum parturienti ancillæ, impositum autem cameræ languentis concubinæ. Quod veraciùs credi potest. Qui electus, metuénsque futuri, aduocat mox Archiepiscopum ÆLNOTVM, virum omni virtute & sapientiâ præditum: imperátque & orat se benedici in Regem, sibique tradi cum corona regale suæ custodiæ commissum sceptrum, & se duci ab eodem, quia ab alio non fas fuerat, in sublime regni solium. Abnegat Archiepiscopus, sub iureiurando asserens, se neminem alium in Regem (filiis EMMÆ Reginæ viuentibus) laudare vel benedicere. B HARALDVS.

„ Hos meæ fidei CNVTO commisit, his fidem debeo, & his fidelitatem seruabo. Sceptrum & coronam sacro altari impono, & hoc tibi nec denego, nec trado: sed Episcopis omnibus, ne quis eorũ ea tollat, tibiue tradat, téue benedicat, Apostolica auctoritate interdico. Tu verò si præsumis, quod Deo mensæque eius commisi, inuadito. Quid miser ageret, quo se verteret, ignorabat. Intentabat minas, & nihil profecit. Expendebat munera, & nil lucratus; doluit, quoniam vir Apostolicus nec valebat minis deiici, nec muneribus flecti. Tandem desperatus abscessit, & Episcopalem benedictionem adeò spreuit, vt non solùm ipsam odiret benedictionem, verumetiam vniuersam fugeret Christianitatis Religionem. Namque dum alij Ecclesiam Christiano more Missam audire subintrarent; ipse aut saltus canibus ad venandum cinxit, aut quibuslibet aliis vilissimis rebus sese occupauit, vt tantùm declinare posset quod odiuit. Quod Angli videntes dolebant, sed quia hunc sibi Regem elegerant, hunc erubuerunt deiicere, ideóque disposuerunt hunc sibi Regem finetenus esse. Domina autem Regina EMMA tacitè exitum rei expectabat, & aliquantisper sollicita auxilium Dei cotidie exorabat. At ille clam, quia nondum palam audebat, Reginæ insidias moliebatur; sed vt illi noceret à nemine permittebatur. Vnde ille cum suis iniquo excogitato consilio, natos dominæ suæ volebat interficere; vt sic securus deinceps in peccatis viuens posset regnare. Verumtamen nullum in hoc omnimodis effectum acciperet, nisi fraudulentorum dolo adiutus, hoc quod narrabimus adinueniret. Namque dolo reperto, fecit Epistolam in persona Reginæ ad filios eiusdem, qui in Nordmannia morabantur, componere; cuius etiam exemplar non piget nobis subnectere. C D

EMMA tantùm nomine Regina, filiis ÆDVVARDO & ALFRIDO materna impertit salutamina. Dum domini nostri Regis obitum separatim plangimus, filij carissimi, dúmque diatim magis magísque regno hereditatis vestræ priuamini; miror quid capitetis consilij, dum sciatis intermissionis vestræ dilatione, inuasoris vestri imperij fieri cotidie soliditatem. Is enim incessanter vicos & vrbes circuit, & sibi amicos Principes muneribus, minis, & precibus facit. Sed vnum è vobis super se mallent regnare, quàm istius, qui non eis imperat, teneri ditione. Vnde, rogo, vnus vestrum ad me velociter & priuatè veniat; vt salubre à me consilium accipiat, & sciat quo pacto hoc negocium quod volo fieri debeat. Per præsentem quoque internuncium quid super his facturi estis remandate. Valete, cordis mei viscera.

HAC fraude iussu HARALDI Tyranni composita, regiis adulescentulis est directa per pellaces cursores, eísque ex parte matris ignaræ oblata, & honorificè ab eis, vt munus genitricis suscepta. Legunt dolos eiunescij, &, proh dolor! nimis fal-

A fitati creduli, inconsultè remandant genitrici, vnum eorum ad eam esse venturum, HARAL-
constituúntque ei diem, & tempus, & locum. Regressi itaque legatarij intimant DVS.
Dei inimicis, quæ sibi responsa reddita sint à iuuenibus nobilissimis. Hinc illi præ-
stolabantur eius aduentum, & quid de eo facerent ad suum inuenerunt detrimen-
tum. Statuto igitur die, ALFRIDVS minor natu, laudante fratre, elegit sibi com-
militones; & arripiens iter, Flandriæ venit in fines. Quo paululum cum Marchione
BALDVINO moratus, & ab eo rogatus vt aliquam partem suæ militiæ secum du-
ceret propter insidias hostium. Sed tantùm Bononiensium paucos assumpsit, & as-
censis puppibus mare transfretauit. At vbi littori venit contiguus, mox ab aduersa-
riis est agnitus. Qui occurrentes volebant eum aggredi, sed statim ille agnoscens
iussit naues à littore illo repelli. Alia autem ascendens in statione, matrem parabat
adire; æstimans se omnem insidiarum pestem euasisse. Verùm vbi iam erat proxi-
mus, illi Comes GODVINVS est obuius factus, & eum in sua suscepit fide, eiúsque
fit mox miles cum sacramenti affirmatione. Et deuians eum à Londonia, induxit
eum in villa GILDEFORDIA nuncupata; inibíque milites eius vicenos & duo-
B denos, decenósque singula duxit per hospitia, paucis relictis cum iuuene, qui eius
seruitio deberent insistere. Et largitus est eis abundanter cibaria & pocula: & ipse
ad sua recessit hospitia, manè rediturus, vt domino suo seruiret cum debita honori-
ficentia. Sed postquàm manducauerant & biberant, & lectos, vt pote fessi, libenter
ascenderant; ecce complices HARALDI infandissimi tyranni adsunt, & singula
hospitia inuadunt, arma innocentum virorum furtiui tollunt, & eos manicis ferreis
& compedibus arctant, & vt crucientur in crastinum seruant. Mane autem facto
adducuntur insontes in medio, & non auditi damnantur scelerosè. Nam omnium
exarmatis vinctísque post tergum manibus, atrocissimis traditi sunt carnificibus:
quibus etiam iussum est, vt nemini parcerent, nisi quem sors decima offerret. Tunc
tortores vinctos ordinatim sedere fecerunt, & satis supráque eis insultantes, illius
interfectoris Thebeæ legionis exemplo vsi sunt, qui decimauit primùm innocen-
tes multò his mitiùs. Ille enim Rex paganissimus, Christianorum nouem pepercit,
occiso decimo. At hi profanissimi, falsissimíque Christiani bonorum Christiano-
C rum nouem perimerunt, decimo dimisso. Ille licèt paganus Christianos trucidaret,
patulo tamen in campo eos nexibus non inretitos decollari iussit, vt gloriosos mili-
tes. At isti licèt nomine Christiani, actu tamen paganissimi, lanceolarum suarum
ictibus non merentes Heroas catenatos mactabant vt sues. Vnde huiuscemodi
tortores canibus deteriores dignè omnia dicunt secula, qui non militiæ violentiâ,
sed fraudium suarum insidiis tot militum honesta damnauerunt corpora. Quos-
dam, vt dictum est, perimebant, quosdam verò suæ seruituti mancipabant. Alios cæ-
ca cupidine capti vendebant, nonnullos autem arctatos vinculis maiori irrisioni re-
seruabant. Sed diuina miseratio non defuit innocentibus in tanto discrimine con-
sistentibus: quia multos ipsi vidimus, quos ex illa derisione eripuit cælitus, sine ad-
miniculo hominis ruptis manicarum compedúmque obicibus.

ERGO quia militum agones succinctim transcurrimus, superest vt & eorum
Principis, gloriosi scilicet ALFRIDI, martyrium narrando seriem locutionis adbre-
D uiemus: ne fortè si singulatim omnia, quæ ei acta sunt, perstringere voluerimus,
multis vbíque præcipuè dominæ Reginæ dolorem multiplicemus. Qua in re, rogo
te, domina, ne requiras ampliùs quàm hoc, quod tibi parcendo breuiter dicturi su-
mus. Possent enim multa dici, si non tuo parceremus dolori. Est quippe nullus do-
lor maior matri, quàm videre vel audire mortem dilectissimi filij. Captus est igitur
regius iuuenis clam suo in hospitio, eductúsque in insula HELI dicta, à milite pri-
mùm irrisus est iniquissimo: deinde contemptibiliores eliguntur, vt horum ab insa-
nia flendus iuuenis diiudicetur. Qui iudices constituti, decreuerunt illi debere ocu-
li * vtrique ad contemptum primùm erui. Quod postquam parant perficere, duo * l. oculos
illi super brachia ponuntur, qui interim tenerent illa, & vnus super pectus, vnusque vtrosque.
super crura, vt sic faciliùs illi inferretur pœna. Quid hoc in dolore detineor? Mihi
ipsi scribenti tremit calamus, dum horreo quæ iuuenis passus est beatissimus. Eua-
dam ergo breuiùs tantæ calamitatis miseriam, finémque huius martyrij finetenus
perstringam. Namque est ab impiis tentus, effossis etiam luminibus impiissimè est oc-
cisus. Qua nece perfecta, relinquunt corpus exanime, quod fideles Christi, Mo-

HARALDVS. nachi scilicet eiusdem insulæ Heli rapientes, sepelierunt honorificè. In loco A autem sepulcri eius multa fiunt miracula, vt quidam aiunt, qui etiam se hæc vidisse sæpissimè dicunt. Et meritò. Innocenter enim fuit martyrizatus, ideóque dignum est vt per eum innocentium exerceatur virtus. Gaudeat igitur Emma Regina de tanto intercessore, quia quem quondam in terris habuit filium, nunc habet in cælis patronum.

At Regina tanti sceleris nouitate perculsa, quid facto opus sit mente considerat tacita. Animus igitur eius diuersus huc illúcque rapitur, & se ampliùs tantæ perfidiæ credere cunctatur: quippe quæ perempti filij inconsolabiliter confundebatur mœrore, verùm multò ampliùs ex eiusdem consolabatur certa requie. Hinc duplici, vt diximus, angebatur causa, necis videlicet filij miserabili mœstitiâ, tum verò reliquæ suæ vitæ dignitatisque diffidentiâ. Sed fortassis hîc mihi quilibet clamabit, quem liuor huiusce dominæ liuidum onerosúmque reddit. Cur eadem nece mori refutabat, quæ sub hac proditione necatum filium æterna requie frui nullatenus dubitabat? Ad quod destruendum, tali responsione censeo vtendum: quoniam si persecutor Christianæ religionis fideique adesset, non vitæ discrimen subire fugeret. B Ceterum, nefarium & execrabile cunctis orthodoxis videretur, si ambitione terreni imperij talis famæ matrona vitâ priuaretur: neque profectò emori, fortunis tantæ dominæ honestus exitus haberetur. Hæc & his similia ante oculos ponens, & illud autenticum Dominicæ exhortationis præceptum suis fortunis conducibile censens, quo videlicet electis insinuat, *Quoniam si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in alia:* pro suo casu spes satis honestas reliquæ dignitatis conseruandæ exequitur, & tandem gratiâ superni respectus consilio solerti vtitur. Exteras nationes petere sibi vtile credit, quod sagaci ratione fine tenùs perducit. Tamen quas petit non externas sibi experta est fore, quîs * immorans haud secus ac suis colitur decentissimè. (* quibus) Igitur pro re atque tempore, quamplurimos potest sibi fidos Optimates congregat; his præsentibus secreta cordis sui enucleat. A quibus etiam inito dominæ probato consilio, commeatus classium eorum apparatur exilio. Itaque prosperis vsi flatibus transfretant, & cuidam stationi haud longè à castello Bruggensi distanti sese applicant. Hoc castellum Flandrensibus colonis incolitur, quod tum frequentia ne- C gotiatorum, tum affluentia omnium, quæ prima mortales ducunt, famosissimum habetur. Hîc equidem à Marchione eiusdem Prouinciæ BALDVINO magni & inuictissimi Principis filio, eiúsque coniuge ATHALA, quæ interpretatur nobilissima, Francorum Regis RODBERTI & Reginæ CONSTANTIÆ filia honorificè, vti se dignum erat, recipitur. A quibus etiam in prædicto oppido domus regali sumptui apta eidem Reginæ tribuitur: ceterùm obsonium benignè offertur. Quæ partim illa cum gratiarum actione suscipit, partimque sese non indigere quodammodo ostendit.

IN tanta igitur posita securitate, legatos suo filio mittit EDVARDO postulatum, ne versus se pigritaretur venire. Quibus ille obaudiens equum conscendit, & ad matrem vsque peruenit. Sed vbi eis copia data est mutuo loquendi, filius se matris fortunas edocet miserari; sed nullo modo posse auxiliari, cùm Anglici Optimates nullum ei fecerint iusiurandum. quæ res indicabat à fratre auxilium expetendum. His ita gestis, EDVARDVS Normanniam reuehitur, & mens Reginæ quid sibi foret agendum, etiam nunc cunctatur. Post cuius reditū, nuncios HARDECNVTONI D filio suo legat, qui tunc temporis regimen Danorum obtinebat, per quos sui doloris nouitatem aperit, & vt ad se venire quantociùs maturet petit. Cuius aures vt tanti sceleris horror incussit, primò omnium mens eius intolerabili obtusa dolore in consulendo fatiscit. Ardebat enim animo, fratris iniurias vltum ire, imò etiam matris legationi parere. Hinc vtrique rei præuidens, quam maximas potest nauium militúmque parat, quorum ampliorem numerum quodam maris in anfractu collocat: qui si inter eundum sibi copia pugnandi, seu etiam necessitas repugnandi accideret, præsidio aduentaret. Ceterùm, non ampliùs decem nauibus se comitantibus ad matrem proficiscitur, quæ non minima doloris anxietate fatigabatur. Dum igitur prospero cursui intenti non modò certatim spumas salis ære ruebant, verumetiam suppara velorum secundis flatibus attollebant, vt maris facies non vnquam certa, sed semper mobilitate flatuum dubitāda habetur, & infida; repetè fœda tem-

A pestas ventorum nubiúmque à tergo glomeratur, & ponti superficies iam superuenientibus austris turbatur. Itaque quod in tam atroci negocio solet fieri, anchoræ de proris iactæ arenis affiguntur fundi. Quæ res tametsi tum illis fuerit importuna, tamen non absque Dei nutu cuncta disponentis esse creditur acta, vt postmodum rei probauit euentus, membris omnium placidæ quieti somni cedentibus. Nam postera nocte, eodem HARDECNVTONE in stratu quiescente, diuinitus quædam ostenditur visio, quæ eum confortans & consolans, forti iubet esse animo. Hortatur præterea, ne ab incœpto desisteret, quia paucarum dierum interuallo iniustus regni inuasor, HARALDVS scilicet, occideret; & regnum patriis viribus domitum sibi iusto heredi iustissima successione incolume rediret. Euigilans igitur somniator talibus indiciis certior fit, & Deo omnipotenti tantæ consolationis causâ gratias reddidit: simúlque futura nullatenus dubitat, quæ sibi memorata visio prædixerat. Denique maris ira pacata, omníque tempestate sedata, prosperis flatibus sinus pandit velorum: sícque secundo vsus cursu, ad Brugensem sese applicuit portum. Hîc anchoris rudibúsque nauibus affixis, & nautis qui eas seruarent expeditis, recta se B via cum delectis ad hospitium dirigit matris. Qualis ergo mœror, qualísque lætitia in eius aduentu fuerit exorta, nulla tibi vnquam explicabit pagina. Dolor haud modicus habebatur, dum in vultu eius faciem perempti fratris mater quadam imaginatione contemplaretur. Item gaudio magno gaudebat, dum superstitem saluum adesse sibi videbat. Vnde viscera diuinæ misericordiæ se sciebat respicere, cùm nondum tali frustraretur solamine. Nec longo post filio cum matre morante, & memoratæ visionis promissa expectante, nuncij læta ferentes nuncia aduentant, qui videlicet HARALDVM mortuum nunciant: qui etiam referunt Anglicos ei Principes nolle aduersari, sed multimodis iubilationibus sibi conlætari. Vnde regnum hereditario iure sibi debitum non dedignetur repetere, & suæ dignitati, eorúmque saluti iuxta in medium consulere.

HIS Hardecnuto materque animati repetere statuunt oras auiti regni. Cuius rei fama vt populares impulit aures, mox cuncta dolore & luctu compleri cerneres. Dolebant enim diuites eius recessione, cuius semper amabili fruebantur collocutione. Dolebant pauperes eius recessione, cuius diutinis largitionibus ab egestatis C defensabantur onere. Dolebant viduæ cum orphanis, quos illa extractos sacro fonte baptismatis non modicis ditauerat. Quibus igitur hanc laudibus efferam nescio, quæ ibidem numquam abfuit renascentibus in Christo. Hîc eius fides patet laudanda, hîc bonitas omnimodis celebranda. Quòd si pro singulis eius benefactis partem disserere, priùs me tempus quàm rem credo deserere. Vnde ad seriem nostræ locutionis propero redire.

DVM Reginæ filiique eius reditus apparatur, omne litus planctu gemitúque confunditur, omnes dextræ cælo attollebantur infensæ. Flebant igitur à se discedere illam, quam toto exilij tempore vt ciuem vidêre suam. Nulli diuitum grauis hospita, nulli pauperum in quolibet onerosa. Omnes igitur natale solum mutare putares, cunctas secum exteras petere velle diceres regiones. Sic toto plangebatur litore, sic ab omni plorabatur populo astante. Licèt ei quodammodo congauderent pristinum gradum repetere dignitatis, non tamen eam matronæ siccis dimittere poterant oculis. Tandem vincit amor patriæ, & omnibus viritim osculatis, & flebili eis dicto vale, cum filio suísque altum petit mare, non absque magna lacrymarum vtrimque fusa vbertate. Igitur Principes Anglici parum præuenisse fidentes D legatione, antequam ab illis transfretaretur obuij sunt facti, optimum factu rati, vt & Regi Reginæque satisfacerent, & se deuotos eorum dominationi subderent. His Hardecnuto cum matre certus factus, & transmarini littoris tandem portum nactus, à cunctis incolis eiusdem terræ gloriosissimè recipitur; sícque diuini muneris gratiâ regnum sibi debitum redditur. His ita peractis, & omnibus suis in pacis tranquillitate compositis, fraterno correptus amore nuncios mittit ad EDVARDVM, rogans, vt veniens secum obtineret regnum. Qui fratris iussioni obediens, Anglicas partes aduehitur, & mater ambóque filij regni paratis commodis nulla lite intercedente vtuntur. Hîc fides habetur regni sociis, hîc inuiolabile viget fœdus materni fraterníque amoris. Hæc illis omnia præstitit, qui vnanimes in domo habitare facit, IESVS CHRISTVS, Dominus omnium: cui in Trinitate manenti immarcessibile floret imperium, Amen.

HARALDVS.

EDVARDVS.

Ex Chronicis Th. Rudburni, de EMMA Regina.

Duxit ETHELREDVS *hanc, & postea* KNVTVS.
EDVARDVM *sanctum parit hæc &* HARDICANVTVM.
Quatuor hos Reges hæc vidit sceptra gerentes.
Anglorum Regum fuit hæc sic mater & vxor.

GESTA GVILLELMI DVCIS NORMANNORVM, ET REGIS ANGLORVM.

B

A Guillelmo Pictauensi Lexouiorum Archidiacono contemporaneo scripta.

Initium desideratur. *** cum vita regnum Anglicum amisit, quod paternæ ac suæ violẽtiæ, nõ aliis debuit. Coronam eandem cum throno HERALDVS obtinuit filius eius, partim ab eo Tyrannidis in amore degener. Exules adhuc manebant in curia propinqui sui GVILIEMI Principis EDVVARDVS ac ALVERADVS, qui olim pueri ne iugularentur ad auunculos in Normaniam effugerant. Genitrix eorum fuit EMMA filia RICARDI primi, genitor ÆDELREDVS Rex Anglorũ. Verùm de genealogia horum germanorum, & quòd hæreditatem eorum Dani inuasione occupauerint, satis alij scripsere. Vt ergo decessum CHVNVTI audierant, primò Edvvardus mari decurso naues quadraginta milite instructissimas Hantonæ appulit, vbi multitudinem Anglorum offendit maximam se ad internecionem sui operientem. Nam Heraldum Angli deserere nolebant, vel quod est credibilius non audebant, metuentes affore Danos ad protectionem siue citatam vltionem eius, extinctos fuisse truculentia Danica suæ gentis nobilissimos minimè obliti sunt. Cõgressus illico magna cæde superauit. Considerans autem aduersantis terræ vires ingentes, quas traduxit modicas esse, regiratis proris cum opima præda Normanniam repetit. Hunc sibi larem tutum sciebat, largum, & beneuolum. Non multò post deinde intersticio temporis Doroberniam venit Alueradus transuectus ex portu Icio, accuratiùs quàm frater antea aduersus vim præparatus. Sceptrum & ipse paternum requirebat. Quem adeuntẽ interiora GODVVINVS Comes nefario dolo suscipiens factione iniquissima tradidit. Etenim vltro occurrit ei veluti ad honorem, officium suum benignè promisit, oscula dans ad fidem ac dextram. Mensam præterea cum eo familiariter communicauit atque consilia. Noctis autem insecutæ medio manus inermis ex somno languidi post tergum restrinxit. Tali expugnatum suauitate Londoniam regi transmisit Heraldo, & de comitatu aliquot similiter vinctos: reliquos partim in ergastula deputauit separatos ab inuicem distractione miseranda, partim diro fine necauit horribiliter euisceratos. Gauisus Heraldus in vinculis conspecto Aluerado, satellites eius quàm optimos corã eo iussit decapitari, ipsum orbari luminibus, dein equestrem nuditate turpatum ad mare deduci sub equo pedibus colligatis, vt in Elga * insula exilio cruciaretur & egestate. Delectabat ipsum vita inimici grauior morte. Simul Edvvardum omnino absterrere intendebat germani calamitatibus. Ita deperiit formosissimus iuuenis, laudatissimus bonitate, Regis proles & Regum nepos, nec superuiuere potuit diu: cui dum oculi effoderẽtur, cultro cerebrum violauit mucro. Ideo breui exclamatione hac te nos alloquemur Godvvine cuius mortui nomen infame superest atque odiosum. Nam a flagitio, quod ma-

C

D

* Elye

A litiosissimè patrauisti, deterrere te, si fieri possit, vellemus. Quàm execranda furia agitaris? quo corde contra ius atque fas abominandum facinus machinaris? cur in exitium tui tuorúmque perfidissimam proditionem admittis crudelissime homicida? Moliris, confecisse gratularis quod remotissimarum à Christianismo nationum ritus ac leges detestantur. Alueradi indignissimæ ærumnæ tibi improbissimo gaudium, honestis pariunt lacrymas. Dictu equidem talia sunt lugubria. Guilelmus verò gloriosissimus Dux, cuius acta venturam ætatem diuina opitulatione freti docebimus, vindice gladio feriet iugulum Heraldi tuæ sobolis crudelitate perfidiáque consimillimæ. Fundis traditione tua immeritum sanguinem Normannorum, fundetur sanguis tuorum pari vice ferro Normannorum. Libuit inhumanum scelus hoc perpetuo silentio sepelire, sed in historiarum serie res quoque minus pulchras, cùm necessario incidunt, non à charta semouendas putamus, vt ab imitatione facti semouendæ sunt.

HERALDVS non multo post decessit, cui frater HARDECHVNVTVS ex Emma Edvvardi matre natus, reuersus à Danimarchia successit. Hic generi materno B similior, non qua pater aut frater crudelitate regnabat, neque interitum Edvvardi, sed prouectum volebat. Ob morbos etiam, quos frequenter patiebatur, plus Deum in oculis habebat, & vitæ humanæ breuitatem. Cæterum de regno eius aut vita scribere aliis relinquamus, ne longiùs à materia proposita digrediamur.

ILLVXIT tandem gaudium festiuissimum summè cunctis, qui pacem & iustitiam desiderabant expectatum. Dux noster plus intelligentia rerum honestarum, & vi corporis, quàm ætate adultus arma militaria sumit: qui rumor metum Franciæ detulit omni. Alium non habebat Gallia, qui talis prædicaretur eques & armatus. Spectaculum erat delectabile simul ac terribile, eum cernere fræna moderantem, ense decorum, clypeo fulgentem, & galea telóque minitantem. Nam vti pulchritudine præstabat cùm indumenta Principis gestaret aut pacis, ita ornatus qui contra hostem sumitur eum singulariter decebat. Hinc virilis in eo animus & virtus enitescebat egregia claritudine. Hinc namque summo studio cœpit Ecclesiis Dei patrocinari, causas impotentium tutari, iura imponere C quæ non grauarent, iudicia facere quæ nequaquam ab æquitate vel temperantia deuiarent. Imprimis prohibere cædes, incendia, rapinas. Rebus enim illicitis nimia vbique, vt suprà docuimus, licentia fuit. Denique cœpit omnino à familiaritate sua remouere quos imperitos aut prauos dinoscebat. Sapientissimorum verò optimorúmque consiliis vti, externis inimicis fortiter resistere, obsequia debita à suis potenter exigere.

CVM hæc initia suum splendorem Normanniæ & antiqui status tranquillitatem iam redderent, & meliora promitterent, bonis obsequenter iuuantibus rectore cõsueta libertate perfrui, malebant quidã pro libitu sua retinere, aliena diripere. Huius vesaniæ signifer prosiluit VVIDO filius Burgundionũ Comitis RAGINALDI, qui validissima castra BRIONIVM & VERNONIVM Ducis dono tenebat, à puerilibus annis cũ ipso familiariter nutritus. Sed aut Principatũ, aut maximam portionem Normãniæ ambiebat. Secũ itaque in pessimas conspirationes vniuit NIGELLVM Præsidem Constantini pagi, RANVLPHVM Baiocensem Vicecomitem, & HAIMONEM agnomine D Dentatum, & alios potentes. Non cohibuit iniqui hominis contumaciam generis propinquitas, non tantorum beneficiorum impensa liberalitas, non denique Ducis in eum syncera dilectio summáque beniuolentia. Insontes multos necauere, quos nequicquam tentauerunt ad transuertendum, vel quos maiori obstaculo sibi esse peruiderant. Fas quidem negligebant omne, nefas nullum deuitare curabant, dummodo potentiam consequerentur ampliorem. Est nonnunquam hæc ambitionis cæcitas. Paulatim ergo id periuræ societatis inceptum eousque conualuit, vt directissima belli fronte VALESDVNIS in Dominum suum congregati longè per circuitum omnia tumultu concuterent. Sequebatur impietatis vexillum pars Normanniæ maior. Verùm tot gladios minimè exhorruit partis vindicantis ductor Guilelmus. Irruens enim strage pauorem iniecit, quo fere corda aduersariis erepta sunt, brachia debilitata. Sola mens, quæ in fugam præcipitaret, relinquebatur. Insectabatur ille per miliaria aliquot duriter castigans. Auia plerósque aut viæ difficiles in mortem subuerterunt. Nonnullis in planitie

trita celeritas ad ruinam, constipatio ad lethiferam collisionem fuit. Absorbuit A non paucos fluuius OLNA equites cum equis. Interfuit huic prælio Franciæ Rex HENRICVS victrici causæ auxilians. Fructuosissima sanè atque notificanda seculis vnius diei pugna, quæ cùm exemplum tremendum sanciret, & ceruices nimiùm elatas ferro contudit, & propugnacula facinorum plurima castella victoriæ manu impellendo disiecit, & bella domestica apud nos in longum sopiuit. Turpissimè elapsus Guido BRIONIVM cum magno equitatu contendit. Oppidum hoc tùm loci natura, tùm opere inexpugnabile videbatur. Nam præter alia firmamenta, quæ moliri consueuit belli necessitudo, aulam habet lapideam arcis vsum pugnantibus præbentem, quam fluuius RISELA nullo quidem tractu vadi impatiens circumfluit. Victor maturè insecutus artam locauit obsidionem, castella vtrinque ad ripas fluminis bipartiti opponens. Deinde oppugnatione diurna territans, egrediendi facultatem penitus interclusit. Postremò penuria etiam victualium obsessus Burgundio, interuentores pro clementia missitabat. Motus Dux consanguinitate, supplicitate, miseria victi, non acerbiùs vendicauit. B Recepto castro, in curia sua commanere eum concessit. Supplicia item consociis, quæ capitalia ex æquo irrogarentur, condonare maluit ob rationabiles caussas. Nigellum alio tempore, quoniam improbè offensabat, exilio punitum fuisse comperio. Guido in Burgundiam sponte rediit propter molestiam probri. Ferre apud Normannos pigebat vilem se cunctis, odiosum esse multis. Et Burgundia tolerabat eum inuita. Equidem si valuisset ille quantum contendebat, germanum suum ipsius prouinciæ Comitem GVILIELMVM potentatu priuasset & vita. Annos decem in armis & amplius consumebat, venans præliis tam cognatum sanguinem. Quid laborem, vt euidentius nequitiæ testimonium adducam? Normanni superati semel vniuersi colla subdidere Domino suo, atque obsides dedere plurimi. Dein ad iussum eius festinanter ac funditus destruxere munitiones nouarum rerum studio constructas. Insolentiam humo tenus posuere Metropolitæ Rotomagenses, quam contra tenellum Comitem vsurpauerant. Gaudebant dehinc Ecclesiæ, quia diuinum in tranquillitate celebrare mysterium licebat, exultabat negotiator tutò quò vellet iturus: gratulabatur agricola quòd securum erat C noualia scindere, spem frugum spargere, nec latitare milite viso. Cuiúsque conditionis, cuiúsque ordinis homo Ducem laudibus ad sydera tollebat, longitudinem ei vitæ atque sanitatem votis omnibus optabat.

VICISSITVDINEM post hæc ipse Regi fide studiosissima reddidit, rogatus ab eo auxilium contra quosdam inimicissimos ei atque potentissimos ad officiendum. Rex etenim Henricus contumeliosis GAVFREDI MARTELLI verbis irritatus, exercitum contra eum duxit, & castrum eius, quod MOLENDINVM HERLÆ vocabatur, in pago Andegauensi, cum manu valida obsedit & expugnauit. Cernebant Francigenæ quòd inuidia non cerni vellet, exercitum deductum è Normannia sola regio maiorem, omníque collegio, quantum adduxerant vel miserant Comites plurimi. Celeberrimè in AQVITANIA, dum PICTAVIS exularem, eadem, quam nostrates contestantur, Normanni Comitis diuulgabatur claritudo, parta in illa expeditione. Hunc inter cunctos aiebant excelluisse ingenio, industria, manu. Rex ei quàm libenter proponebat consultanda, & maxima quæque ad eius gerebat sententiam; anteponens in perspicientia consulti melioris eum om- D nibus. Vnicum id redarguebat, quod nimiū periculis obiectabat se, ac plerumq; pugnam quæritabat, decurrens palam cum denis aut paucioribus. Normannos etiam primates obsecrabat, ne committi prælium vel leuissimum ante municipiū aliquod paterentur; metuens videlicet occasurum virtutem ostētando, in quo regni sui præsidium firmissimum & ornamentum splendidissimum reponebat. Cæterū quæ velut immoderatam fortitudinis ostentationem multopere dissuadebat Rex atque castigabat, ea nos feruidæ atque animosæ ætati aut officio ascribimus. Secessione tali interdum explorando reperiuntur, quæ non modicè expediunt. Aliquando malefici excipiuntur, qui multitudines agminum cauent, modo efficitur aliud vtilissimum.

EN ipsius factum quem excusamus, & cuius mirabile tyrocinium attentiùs meminisse lepidiùs delectat. Suis familiaribus volens quasi elabi, secesserat ab exercitu,

A citu,equites ducens aliquantisper trecentos. His dein, cum solis quatuor subtrahit se, atque palatur. Ecce obueniunt ex parte hostili XV. superbientes in equis & armis. Continuò incurrens lanceam proiicit, audacissimum cauens perfodere: Coxa autem dirupta est alliso terræ. Cæteros ad quartum milliarium persequitur. Tres interea centuriæ,quas reliquerat,subsequentes inuestigando,(timebant enim eius fidentiæ) repentè Comitem TEDBALDVM perspiciunt cum equitibus quingentis. Fit opinio tristissima. Hostes arbitrantur eos, atque dominum suum in eorum potestate comprehensum teneri. Inuicem igitur cohortati, propè in dubium casum,vt illum eripiant, sese obiiciunt. Sed vbi recognitum est agmen sociorum, in vlteriora perquirentes,inueniunt recubantem quem fractura coxæ alligabat ex quindecim vnum. Paululum hinc progressis alacer obuiat eorum dominus,adducens quos ceperat milites septem. GVILLELMVS II.

DICTITABAT ex ea tempestate,vti opinabatur GAVFREDVS MARTELLVS, parem Comiti Normannorum equitem siue militem sub cœlo nullum degere. De Vasconia & Aruernia potentes ei transmittebant vel adducebant B equos,qui nominibus propriis vulgò sunt nobilitati. Item Reges Hispaniæ his donis inter alia eius amicitiam captabant. Et erat expetenda optimis & potentissimis amicitia hæc,atque colenda.Perfectissimè namque inerat causa in ipso,cur à domesticis,à finitimis,à longinquè sepositis diligeretur.Ad hoc ipse vt esset decori amicis vel adiumento,tantum satagebat quantum esse valebat;& procurabat semper vt sibi quamplurimum amici deberent.Tunc florescebat in adolescentia principans vni Prouinciæ, nec regnis dominatur,annos natus circiter quadraginta quinque.Cùm ab illa ad ætatem hanc,vel si maius à pueritia pernoueris eius actus, tute, sicuti verè potes,affirmabis per eum nunquam societatis ius aut amicitiæ fuisse violatum. Fixè enim perstabat in dictis atque conuentis, tanquam edocens actu suo quod enuntiant Philosophi,iustitiæ fundamentum esse fidem. Si cuius ab amicitia disiungi rationibus grauissimis cogebatur,sensim hanc diluere, quàm repente præcidere malebat.Consentaneum id videmus sapientum censuræ. Iniquè se alienauit iniquus, diram inimicitiam suscepit Rex Henricus,transuersus hominum pessimorum suadela. C Qui dum iniuriis Normanniam lacesseret admodum intolerabilibus, contraibat ad quem Normanniæ propugnatio pertinebat Guillelmus: multum tamen veteri amicitiæ tribuens, & regiæ dignitati. Confligere cum eius exercitu eò præsente studio,quantum necessitudo sinebat, extrema cauebat. Et Normannos cohibebat sæpenumerò, nec iussu modo quasi oratu, quammaximè concupientes prælij contumelia decus regium fœdare.Alias horum aliqua patentiùs intelligentur, simul qua ipse magnanimitate Francorum aspernaretur enses, atque vniuersorum, qui contra se Regis edicto fuerant euocati.

IPSIVS quoque viribus & consilio EDVVARDVS Hardechunuti vita finita tandem in paterno solio coronatus resedit, tam sapientia & eximia morum probitate,quàm antiqua prosapia eâ dignus gloria. Disceptantes etenim Angli deliberatione suis rationibus vtilissima consenserunt, legationibus iusta petentibus acquiescere,quàm Normannorum vim experiri. Reducem cum non maximo præsidio militis Normannici cupidè sibi eum præstituerunt,ne manu validiore si Comes Normannicus adueniret subigerentur. Qui quid bello valeret, rumore satis noue- D rant. Edvvardus autem dum grato reputaret affectu, quàm sumptuosam liberalitatem,quàm singularem honorem,quàm familiarem dilectionem in Normannia sibi impenderit Princeps Guillelmus,tam beneficus quàm linea consanguinitatis longe sibi coniunctior:quinetiam quàm studioso eius auxilio in regnum ab exilio sit restitutus, potissimum aliquid atque gratissimum recompensare desiderans more honestorum;coronæ,quam per eum adeptus est,cum rata donatione hæredem statuere decreuit. Optimatum igitur suorum assensu per RODBERTVM Cantuariensem Archipræsulem huius delegationis mediatorem obsides potentissimæ parentelæ GODVINI Comitis filium ac nepotem ei direxit.

EST iam permutata in serenum turbulentia apud nos domestica omnis. Emulus autem è vicino nondum omnis conquieuit. Brachium leuabat in nos, quo non leuiter sese vulnerabat GAVFREDVS MARTELLVS. Huic enim calliditate bellandi egregiè instructo,vnde triumphum non pollicitarentur Andegaui, Turo-

GVILLELMVS II. ni, Pictones, Burdegala, multæ regiones, ciuitates plurimæ, quæ signis eius parebant. A Is namque dominum suum Comitem Pictonum & Burdegalæ vi bellica cepit, neque ante postliminio concessit reuerti mancipatum indignissimæ custodiæ, quàm argenti & auri pondus grauissimum, atque prædia ditissima extorsit cum sacramento de pactis. Porro ipsius defuncti post redemptionem die quarto & nouercam præcipuæ nobilitatis thoro suo sociauit, & fratres in tutelam suam accepit, & thesauros cum tota honorum ac potentiæ amplitudine quasi ditioni suæ vindicauit. Finibus quidem Andegauensis Comitatus claudi potestatem suam, inopem atque pudendam angustiam æstimabat. Latè in aliena eum captiuum raptabat immanis cupiditas. Dilatatus ergo adquisitis, multa insigniter consummauit, nec minus varia astucia quàm opibus agens. Inter quæ Turonorum quoque ingentem & opulentiam & virtutem expugnauit, contrita prius fortitudine Comitis TEDBALDI. Nam cùm subuenire maturaret TEDBALDVS percaræ vrbi suæ, quam sub duris ictibus MARTELLI obsidentis ingemere ac prope deficere ipsa denuntiante didicerat, promptissimè occurrens Martellus vicit. Denique comprehensum boijs arctauit ipsum cum suis præcipuis: neque pacto eos leuiore quàm GVILLELMVM antea PICTAVENSEM eiecit. Ciuitatem ex hinc Turonicam possidebat, Vexauit idem Franciam vniuersam Regi rebellans. Tumidus itaque præliorum successu Normanniæ castrum inuasione occupauit, & summopere custodiebat ALENTIVM. Inhabitatores ad se pronos repererat. Incrementum pulcherrimum deputabat suo nomini, patrauisse quod Normanniæ dominum minuerit. Guillelmus tueri sufficiens ius paternum & auitum, quinetiam diffusius protendere, adibat cum exercitu terram Andegauensem; vt reddens talionem primo abalienaret Gaufredo DANFRONTVM, post reciperet Alentium. Ceterùm, sui militis vnius fraudulentia ferè interiit, qui non extimescebat latam Prouinciam inimici. Nam vbi approximabatur Danfronto, cum equitibus diuertit quinquaginta, acceptum quæ stipendium augerent. Prædæ autem index Castellanis prodidit ipsum quidam ex Normannis maioribus, intimans quò, aut cur ierit, & quàm paucis comitatus, atque hunc esse qui mortem fugæ præferret. Emissi quantociùs equites trecenti, pedites septingenti inopinantem à tergo inuadunt. Pectus verò intrepidè ille obuertens, deiecit humo quem audacia maxima primum sibi impegerat. Cæteri statim amisso impetu ad munitionem refugiunt. Cursum promouet notum compendium tramitis. Ille autem non priùs ab insecutione desistit, quàm portæ munitionis fugatos eripiunt. Captum suis vnum manibus retinuit. His magis ad obsidendum accensus, castella circumponit quatuor. Celerem irruptionem situs oppidi denegabat omni robori siue peritiæ; cùm scopulorum asperitas pedites etiam deturbaret, præter qui angustis itineribus duobus atque arduis accederent. Incolis adiumento viros imposuerat GAVFREDVS delectissimos. Oppugnatione tamen instabant eis Normanni creberrima feruentissimáque. Dux ipse primus ac præcipuè terribilis imminebat. Aliquando perdius & pernox equitans vel in abditis occultus explorat, si qui offendantur aut commeatum aduectantes, aut in legatione directi, aut pabulatoribus suis insidiantes. Sanè, vt intelligas quàm securè in terra hostili agitaret, interdum venatur. Est regio illa siluis abundans, D ferarum feracissimis. Sæpè falconum, sæpissimè accipitrum volatu oblectatur. Non loci difficultas, aut sæuitia hiemis, nec aduersitas alia rigidam virtutem ab obsidione quiuit dimouere. Auxiliaturum expectant, & nuntio aduocant MARTELLVM inclusi. Deferre haud quaquam volebant dominum, sub quo licenter quæstum latrociniis contraherent, quali causa fuerant seducti inhabitantes Alentium. Non ignorabant quàm in Normannia esset inuisus latro aut prædo, quàm recto vsu vterque supplicio addiceretur, & quòd neuter paruo absolueretur. Suis maleficiis eundem legis metuebant vsum. Educit Gaufredus copias ingentissimas equestres ac pedestres ad subueniendum. Guillelmus vbi resciuit id, properat ex aduerso continuatione obsidionis militibus probatis credita. Speculatum præmittuntur ROGERIVS DE MONTE-GOMERICO, & GVILLELMVS FILIVS OSBERNI;

A ambo iuuenes ac strenui, qui mentem quoq. hostis arrogantissimam perdiscunt ex colloquio ipsius. Indicit per eos GAVFREDVS classico suo Guillelmi apud DANFRONTVM excubias excitatum iri sub auroram lucis crastinam. Præsignat qualem in prælio equum sit habiturus, quale scutum, qualem vestitum. Illi contra opus non esse respondent instituto eum itinere longiùs fatigari. Nam continuo propter quem vadit affore. Equum vicissim Domini sui præsignant, vestitum, & arma. Renuntiata hæc non parùm alacritati Normannorum addunt. At omnium acerrimus ipse Dux inurget accelerantes. Tyrannum fortasse absumi desiderabat adolescens piissimus. Quod ex omnibus præclaris factis pulcherrimum iudicauit Senatus Latinus & Atheniensis. Verùm subitaneo terrore consternatus GAVFREDVS, aduersa acie necdum conspecta profugio salutem suam cum agmine toto committit. En Duci Normannico liber progressus patet ad deuastandam hostis opulentiam, ad delendum æmuli nomen ignominia sempiterna. Sed nouit esse prudentium victoriæ temperare, atque non satis potentem esse qui semet in potestate vlciscendi continere non possit. Placet ergo fortunatum iter conuertere. Festinus inde ecce Alenconio superuenit, arduam rem pugna fere nulla conficit. Oppidũ enim natura, opere, atque armatura munitissimum adeo currente prouentu in eius manum venit, vt gloriari his verbis liceret, VENI, VIDI, VICI. Perculit citissimè hic rumor Danfrontinos. Diffidentes itaque alius clypeo se liberandos, post fugam famosissimi bellatoris Gaufredi Martelli, similiter deditione se liberant properatissima, quando reuersum ad oppugnandum vident Normannorum Principem. Perhibent homines antiquioris memoriæ, castra hæc ambo Comitis RICHARDI concessu esse fundata, vnum intra alterum, proximè fines Normanniæ, atque tam succedentium ei Comitum quàm ipsius iussis obtemperare solita. Victor postea domum reuersus, patriam cunctam recenti decore ac tripudio illustrabat, simul amorem atque terrorem sui auctius in externa diffundebat. GVILLELMVS II.

B

ALIA sub tempus idem Annalium voluminibus apta gessit Princeps isdem, quæ sicuti plurima cæteris temporibus ab eo gesta prætermittimus, aut ne quem grauet spaciosus Codex, aut quia rem non admodum sufficientem scriptori cognouimus. C Præterea quantulũ in dicendo facultatis habemus, ad dicendum præstãtissima omnium id reseruamus. Parturire suo pectore bella quæ calamo ederentur Poëtis licebat, atque amplificare vtcumque cognita per campos figmentorum diuagando. Nos Ducem siue Regem, cui nunquam impurè quid fuit pulchrum, purè laudabimus; nusquam à veritatis limite passu vno delirantes.

COEPERE post hæc Normanni Summates ferè cuncti incredibili eum amplecti veneratione: vt obluctari dudum, sic modo serenam ei fidelitatem quisque suam probare nitentes. Adeo vt eius & sobolem, quam sola tum spe fouebant, dominum sibi concordi votorum electione creare certarent. Quod ipse vniuersa, quæ erga se vel à se fideliter acta, humili prudentia muneri diuino vt reputanda fuere reputauit, iuuentutis in primordio moderatissimum virum agens. Consiliis itaque de matrimonio disceptatur, vt solent in diuersum suadere ingenia disparium atque sententiæ: præsertim cùm in frequẽti curia ponderosa de re consultatur. Reges de longinquo suas vnicè charas filias huic marito voluntariè locarent, ac affines habere quos D confines potissimum placuit, multæ rationis grauitate id persuadente.

VIGEBAT eo tempore TEVTONIBVS collimitans ac Francis, eminénsque potentiâ præcipuus eorum Flandrensis Marchio BALDVVINVS, nobilitate item prisco ex germine tradita illustrissimus. Nam vti à Satrapis MORINORVM, quos moderni FLANDROS appellant; sic à Regibus Galliæ atque Germaniæ natales deducebat, nobilitatis etiam CONSTANTINOPOLITANÆ lineam attingentes. Stupuerunt mirantes eum Comites, Marchiones, Duces, tum Archipræsulum alta dignitas, si quando præsentiam eius rari hospitis imperatoria cura promeruit. Ipsius velut amici & socij prudentiam in deliberatione maximorum negotiorum consulturi, beneuolentiam donis & multa honoris impensa comparaturi. Nomine siquidem Romani imperij miles fuit, re decus & gloria summa consiliorum in summa necessitudine. Reges quoque magnitudinem eius & venerati sunt & veriti. Est enim & nationibus procul remotis notissimum, quàm frequentibus, quámque grauibus bellis Imperatorum immanitatem fatigauerit, pace demum

GVILLELMVS II. ad conditiones ipsius arbitratu dictatas composita. cùm Regum dominos terræ ipsorum nonnulla parte mulctauerit violenter extorta. Sua quæque vel inexpugnata vel indefessa potiùs manu tutans. Monarchia post Franciæ cum puero Monarcha ipsius consiliosissimi viri tutelæ, dictaturæ, atque administrationi cessit. Marchio hic fascibus ac titulis longè amplior quàm strictim sit explicabile, natam suam nobis acceptissimam dominam in Pontiuo ipse præsentauit, soceris generóque dignè adductam. Enutrierat autem prudens & sancta mater in filia quod muneribus paternis multuplo præponderaret. Requirens genus maternum, matris patrem sciat Regem Galliæ RODBERTVM, qui filius & nepos Regum progenuit Reges, cuius laudabilitatem in religione diuina, & regni gubernatione mundi lingua non tacebit. Introductioni huius sponsæ ciuitas Rotomagensis vacabat iocundans. A

COMPELLAMVR istic ore quodam gesti peruulgati, nec ARCENSEM COMITEM GVILLELMVM properantis ad altiora stili celeritate præterire, & ipsum quidem patriæ lacrymis vltra terminum æqui & boni quantum in ipsius conatibus fuit potentem. Ignauam propaginem atque perfidam præclaræ stirpis GVIDONEM * nec humanæ nec diuinæ legis frena retinuere. Hunc neque hæc, neque GVIDONIS ruina, præterea neque magni victoris à nullo victi admiranda & virtus & felicitas, partumque iis inclytum nomen. Quod in præstantes animos & laudanda quæque facinora erigere debuit, id in immoderatam confidentiam ac nimis altam extollendo præcipitauit vtrumque, ortus videlicet sui nimia notitia. Ambo enim sinistre nouerunt in progenie se computari DVCVM NORMANNIÆ. Burgundio se nepotem Richardorum è filia secundi: Arcensis fratrem se tertij, secundi filium, primi nepotem. Is ab ineunte pueri principatu infidus ei & aduersus, quanquam fidelitatem iuratus & obsequium, hostilia agitabat, modo temeritate non latente resistens, clandestinis interdum dolis. Improba quidem animi elatio facillimè hominem in res iniustas detrudit. Motus dissensionum aliorúmque superiùs commemoratione aliquanta digestorum malorum, nonnullos ipse caput principale concitauit, plerósque exemplo, consilio, fauore, & auxilio incitauit, auxit, confirmauit. Multa & inquieta, longíque temporis eius molimina fuere, pro sua & contra domini sui magnitudinem, cuius accessum non modò ab Arsensi castro, verumetiam ab ei propinqua Normanniæ parte, quæ citra flumen Sequanam sita est, arcere sæpenumero surrexit. Postremò in supradicti Danfronti oppugnatione quasi desertoris furtiuo more discessit, nequaquam petita missione: satellitij debitum, cuius antea nomine hostilitatem vtcúnque velabat, iam omne detrectans. Ob hæc & alia tot eius & tanta ausa, Dux, vti res monuit, suspiciens plura & maiora ausurum; receptaculi, quo plurimum confidebat, editius firmamentum occupauit, custodiam immittens, in nullo amplius tamen ius eius imminuens. Nempe eas latebras id munimentum initæ elationis atque dementiæ ipse primus fundauit, & quàm operosissimè extruxit in prælati montis ARCARVM cacumine. Ceterùm malefidi custodes non multò post castri potestatem conditori reddunt, munerum pollicitatione, & impensius imminente varia sollicitatione fatigati subactique. B C

* l. Guillelmum.

SOLITO mox acriores intromissum furiæ incendunt, vltionem quoque sui velut per iniurias diminuti exacturum. Oritur toto ambitu pagi vicini multa miseria. Tumultus, prædæ, rapinæ sæuiunt, vastitatem minantes. Armis, viris, comeatu, & quibuscúnque tali negotio idoneis castrum exornatur, munimenta priùs firma firmiora fiunt. Paci & otio locus nullus relinquitur. Denique sæuissima rebellio instruitur. Quæ postquam Duci comperta sunt Guillelmo, è CONSTANTINO PAGO, vbi certiorem nuntium accepit, ea properabat celeritate, vt equi comitantium, præter sex, omnes priusquam peruentum sit ARCAS lassitudine defecerint. Nam festinantem, vt contrairet iniuriæ suæ amplius incitauerunt audita mala Prouinciæ suæ. Ecclesiarum bona, aggrestium labores, negotiatorum lucra, militum prædam iniustè fieri dolebat. Miserando planctu imbellis vulgi, qui multus tempore belli aut seditionum oriri solet, aduocari se cogitabat. Ceterùm, in itinere haud procul ab ipso castro obuios habuit quosdam suæ militiæ Principes, fidos acceptósque sibi. Hi repentino rumore in vrbe ROTHOMAGO D

A quæ Comes ARCENSIS agitabat audierant, & cum equitibus trecentis quantotius ARCAS accesserant, si conuectationem frumenti & aliarum rerum contra obsidionem necessariarum prohibere valerent. Verum vbi cognouerunt maximas copias militum inibi congregatas esse, simul quia metuebant, ipsos etiam qui secum venerant transituros fore ad societatem GVILLELMI, ante posteri diei ortum (sic eis amicorum opinio secretò prædixerat) diffisi quam ocissimè redibant. Hæc referunt, atque ipsi vt exercitũ præstoletur cõsiliũ dant. Etenim eius partem plus quàm fama diuulgauerit deseri, viciniam penè omnem in aduersarij fauorem concedere, vlteriùs pergere cum paucis rimis periculosum esse. At constantia illius minimè his ad pauorem est mota, vel ad diffidentiam. Nam eos confirmans hoc responso, nihil quidem rebelles in se cùm præsentem conspexerint ausuros: mox quantum calcaria equum cogere poterant accelerans perrexit. Egit eum propria fortitudo, felicitatem ei promisit iusta causa. Et ecce, vt seditionis principem in prælto monte cum acie multarum legionum prospexit, enisus in arduo cunctos intra munitionem B terga dare impigerrimè compulit. Ac ni obstitissent citiùs obseratæ fores, insecutus, vti animus iratus fortísque tulit, malè ominatos ex magna parte obtruncauisset. GVILLELMVS II.

REM verè gestam, & quid prope gestum erat memoramus, sed quæ posteritas difficile sit creditura. Dein potiri volens munitione, iussu properè contracto exercitu circumsedit. Fuit difficillimum, quos ea natura loci maximè defensabat expugnare. Sanè more suo illo optimo, rem optans absque cruore confectum iri: efferatos & contumaces obice castelli ad montis pedem extructi clausit, præsidióque imposito aliis postea negotiis inuitantibus ipse recessit: vt dum ferro parceret, fame vinceret.

MONET equidem digna ratio & hoc memoriæ prodere, quàm pia continentia cædem semper vitauerit, nisi bellica vi aut alia graui necessitudine vrgente. Exilio, carcere, item alia animaduersione, quæ vitam non adimeret, vlcisci malebat: quos iuxta ritum siue legum instituta cæteri Principes gladio absumunt belli captos, vel domi criminum capitalium manifestos. Salubriter pensans qui arbiter, quàm tremendus terrenæ potestatis acta desuper prospiciat, moderatæ clementiæ vt immo- C deratæ sæuitiæ, omníque meritorum qualitati sua cuique decernens.

AVDIENS verò Rex HENRICVS inclusum esse, cuius vesaniæ fautor erat atque consultor, auxilium ferre festinat, manum adducens armatorum non modicam: ad hoc quibus indigent obsessi complura. Adducti in spem memorandi facinoris quidam ex eo numero, qui in præsidio Ducis relicti custodiunt, Francorum aduentantium itinera explorata insidunt. Et ecce numerosa pars minus cauti excipiuntur. INGELRANNVS PONTIVI COMES, nobilitate notus ac fortitudine, & cum eo quamplures viri nominati interimũtur. HVGO BARDVLPHVS ipse item vir magnus capitur. Perueniens tamen quò ire intenderat Rex, exacerbatissimis animis sũma vi præsidium attentauit; GVILLELMVM ab ærumnis vti eriperet, pariter decrementum sui stragem suorum vindicaret. Sed vbi negotium difficile animaduertit, (quippè inimicos impetus facilè tolerauerunt castelli munimenta, & militum virtus æquè valida) ne cruenta morte & pudenda fuga pelleretur, abire maturauit, decus D nullum adeptus: nisi forte decorum fuerit quorum aduenit causa inopiam stipendio minuisse, militibus numerum auxisse. Reuerso dein ad obsidionem Duce, & qualiter otiũ aliquod iocundũ celebrari solet, in procinctu aliquandiu morato, famis acrimonia sæuiùs & arctiùs quàm armis vrgẽs propè iã expugnauit. Rex denuo accitus multo & miserè supplici nuntio, venire abnuit: superiorẽ casum reputans, magis aspera magísque ignominiosa metuens. Cernit tandem angustiarum oculo papiæ * partus rapiendi contra dominum suum principatus cupidinem malesuadam esse, sacramentũ aut fidẽ violare vt iniquũ, sic plerúmque perniciosum: pacis nomen blandũ & dulce, rem ipsam profectò iucũdam & salutarem. Damnat ipse præ cunctis nimium audax incœptum, dementissimum consilium, ruinosum factum. Dolet armatum se in arctis arctari. Impetrant supplicantes deditionem accipi, præter vitam nihil aliud neque honestum neque vtile pacti. En spectaculum triste, letum miserabile. Properant vltra quàm vires inualidæ sufficiant famosi paulo ante equites cum Normannis euadere Franci, non minus dedecore quàm inedia ceruicibus

GVILELLMVS II. contusis, pars in iumentis famelicis, quæ pedum cornu modicè vel sonarent, vel pulA uerem excitarent, pendentes: pars ocreis & calcaribus ornati insolito comitatu incedentes, & eorum plerique sellam equestrem incuruo languidóque dorso, nonnulli solum se nutabūdi vix eportantes. Erat item cernere calamitatem leuis armaturæ egredientis fœdam ac variam. Miserans infortunia huius quoque, vt pridem Guidonis, celebranda Ducis clementia. Noluit extorrem & inopem casu magis pudendo cruciari, sed cum gratia & possessionibus quibusdam amplis, atque multorum redituum, patriam ei concessit; æstimans rectum potius in eo patruum reminisci, quàm aduersarium insectari.

In ipsa mora obsidionali Normānorum aliquanti potentiores ab Duce ad Regem defecerunt, quos iam antea conspirationis rebellantium occultique fuisse adiutores opinabile erat. Maliuolentiam, qua olim contra infantem fuerant inflati, nondum euomuere totam. Eorum è consortio GVIMVNDVS præsidens munitioni, quam MOLENDINAS appellant, in manus Regis eam dedit. Imposita est Regia cohors. GVIDO frater COMITIS PICTAVENSIS GVILIELMI, atque ROMANÆ IMPERATRICIS, & cum eo viri militares atque illustres. Verùm & ij, & quiqui alias relicti sunt à Francis, B cùm deditas esse comperissent ARCHARVM latebras, sese nostris fuga furati sunt. Normanni autem puniendi lege transfugarum, leui pœna aut nulla domino suo reconciliati sunt: rati nullas iam opes vel astutias contra eum fore efficaces.

VEHEMENTIVS post hæc in æmulationē exardere, nouóque moueri tumultu Francia cœpit. Principes vniuersi, cum Rege, Normanno Principi ex inimicis iam inimicissimi. Anxiè tumebat in eorum maliuolis mentibus vulnus præcipuè inuidum, quod recenter sauciauit, mors INGELRANNI COMITIS, & in eodem conflictu interemptorum. Acerbè inflāmabat eos memoria euentus Andegauorū Comitis Gaufredi, depulsi dudum Guillelmi clypeo, qualiter memorauimus, aliorúmque non modici numeri detrimentorum, atque dedecorum inflictorū eis virtute Normannica. Inimicitiæ causas veraciter explanamus, ac pleniter Rex egerrimè ferebat, & velut contumeliam suam diffiniebat quam maximè vlciscendam, cùm IMPERATOREM ROMANVM, quo maius potentiæ siue dignitatis nomen in orbe terrarum aliud non est, amicum & socium haberet, prouinciis multis præsideret potentibus, quarum domini aut rectores militiæ suæ essent administri. Comitem GVILLELMVM suum nec amicum nec militem, sed hostem esse. Normanniam, quæ sub Regibus Francorum egit ex antiquo, prope in regnum euectam. Superiorum eius Comitum quanquam ardua valuerint nullum in hæc ausa illatum. Condolentes in eadem TEDBALDVS, PICTAVORVM COMES, GAVFREDVS, item reliqui Summates quadam insuper indignatione priuata intolerandum ducebant sese Regis, quocunque præuia vocarent, signis parere: GVILLELMVM Normannorum nequaquam pro Rege, sed confidenter atque indesinenter ad eius magnitudinem, quam aliquantum attriuit, vlteriùs atterendam, vel si qua via valeat conterendam in armis agitare. Præterea concupiebant Normanniam aut eius partem quidam Regis proximi. Hi quasi faces flagrantissimæ Regem incendebant & Principes.

EAS ob res post consultationem infausto omine communicatam, edicto Regio bellum iubente, innumerosissimæ copiæ in Normanniam expeditæ sunt. BVRGVNDIAM, ARVERNIAM, atque VVASCONIAM properare videres horribiles ferro: imò vires tanti regni quantum in climata mundi quatuor patent cunctas, FRANCIAM tamen & BRITANNIAM quanto nobis viciniores, tantò ardentius infestas. IVLIVM CÆSAREM, vel bellandi peritiorem aliquem, si fuerit peritior, exercitus Romani Ducem, ex mille nationibus coacti olim, dum Roma florentissima mille prouinciis imperitasset; huius agminis immanitate terreri potuisse affirmaris. Nimirum concipit pauorem aliquantum terra nostra. Ecclesiæ metuūt inquietanda fore otia sanctæ religionis, stipendia sua ex libidine armatorum diripienda, quamuis orationum præsidio certantes confidant. Plebs vrbana & agrestis, necnon quicunque imbellis & minus firmus, solliciti sunt ac trepidi: timent sibi, vxoribus, liberis, rebus suis, cùm adeo grauem hostem timoris modo ampliorem quam sit metiuntur. At cùm reminiscuntur quem habeant propugnatorem, quàm luctuosas patriæ calamitates adhuc adolescens, vel puer potiùs, magno consilio, ma-

A ximáque virtute sustulerit, spe timorem leniunt, afflictionem fiducia consolantur. GVILIEL-
Verùm admirandæ constantiæ Dux Guillelmus nulla perculsus formidine, Regi, MVS II.
qui robur immanius ipse ducit, iam in ROTOMAGENSEM ex EBROICENSI PAGO sensim procedenti, magno animo sese festinus opponit. Transaduersam ripam Sequanæ partem suarum copiarum, vt hostem distributum prænouit, contra dirigens. Sic enim dispositum est industria, quæ multùm profutura sperabatur: vt quantus miles inter SEQVANAM & GARONNAM fluuios colligeretur, quas gentes multas vno nomine CELTIGALLOS appellant, ij nos hac Rege ipso duce inuaderent, illac verò Ducibus, fratre Regis ODONE, & RAINALDO familiarissimo, inter flumen RHENVM & SEQVANAM collecti, quæ GALLIA BELGICA nuncupatur. Regem insuper comitabatur AQVITANIA, pars Galliæ tertia & latitudine regionum, & multitudine hominum à plerisque æstimata. Nec mirum, si fortè Francorum temeritati atque superbiæ sic munitæ spes erat aliquanta, Ducem nostrum aut opprimendum esse ea mole, aut ignominiosa fuga elapsurum: milites aut occidendos, aut capiendos, oppida excidenda, vicos exurendos,
B hæc ferienda gladio, illa in prædam diripienda: postremò terram totam vsque in fœdam solitudinem redigendam.

SED longe alium res euentum habuit. Nam inauspicato congressi ODO & RAINALDVS, cùm suam aciem quàm terribili atrocitate vastari animaduerterent, ducatu & ensis ope simul omissis, equorum velocitate saluti consulunt. Vrgebat namque ceruices eorum non meritas leniora mucro ROBERTI AVCENSIS COMITIS, vt natalibus ita virtute magni, vnà HVGONIS GORNACENSIS, HVGONIS MONTISFORTIS, GVALTERII GIFFARDI, GVILLELMI CRISPINI, aliorúmque nostræ partis fortissimorum virorum. GVIDO PONTIVI COMES ad vindicandum fratrem INGELRANNVM nimis auidus captus est, & cum eo complures genere & opibus clari, plurimi ceciderunt, reliquos fuga eripuit cum antesignanis. Cognito citiùs hoc successu propugnator noster DVX GVILLELMVS nocte intempesta cautè instructum quendam direxit, qui tristem Regi victoriam propiùs castra ipsius ab alto arboris per singula inclamauit. Rex attonitus inopinato nuntio, procul omni cunctatione signo antelucano suos in fu-
C gam excitauit; summè necessarium ratus quàmmaxima celeritate Normanniæ finibus discedere. Multa dehinc hostilia vtrinque acta sunt, qualia præter belli conflictum inter tantos hostes fieri solent. Francis tandem grauissimarum sibi dissentionum finem cupientissimè volentibus, pax conuenit. Ea pactione inter Ducem & Regem media, vt capti apud MARE-MORTVVM Regi redderentur, eius verò assensu & quasi dono quodam Dux iure perpetuo retineret quod GAVFRIDO ANDEGAVORVM COMITI abstulerat, quodque valeret auferre. Confestim in ipso conuentu principes militiæ suæ iussu commonuit Dux intra terminos Martelli Andegauensis ad AMBRERAS construendas maturè adesse paratos. Et quem huius incœpti diem eis ipse, eundem Martello per legatos præfiniuit. O validum, ô confidentem & nobilem huius viri animum! ô admirandam, nec facilè competenti præconio extollendam virtutem! Non petit imbellis cuiuslibet terram debellandam, sed Tyranni ferocissimi & in re militari, vt superiora docuere, plurimum strenui, quem vti fulmen terribile Comites atque Duces potentissimi tremerent; cuius vires & versutias colimitantum ei quisquam vix euaderet. Por-
D ro, vt magis admirere, ipsum hostem incautum vel imparatum non aggreditur; sed prius ei diebus xl. vbi, quando, cuius rei gratia sit aduenturus, denuntiat. Huius famæ terrore perculsus GAVFREDVS MEDVANENSIS, Gaufredum Dominum suum festinus adit, dolens & miserans conqueritur; constructis Ambreris opibus Normannorum, terram eius ad libitum inimici inuadendam, destruendam, desolandam. Cui tyrannus Martellus, vt erat elatus animo, grandia præsumere & loqui solitus: Meum, inquit, sicut vilis & pudendi Domini omnino abnuas "
dominiū: si patiente me patrari videas quod metuis. Die præfinito, COENOMAN- "
NICVM solum ingressus Normannorum rector, dum castrum quod minatus est erigit, fama referente, quæ tam falsi quàm veri nuncia volat, Gaufredum Martellum breui aduenturum audit. Quapropter opere administrato hostis aduentum magna constantia & alacritate præstolatur. Quem vbi ampliùs opinione morari vi-

GVILLELMVS II. det,& iam de cibariorum penuria plebeij pariter ac proceres conqueruntur; ne milite minus prompto in futurum vtatur modo dimittere statuit, castro viris & alimoniis munito, iubens tamen, vt cùm nuncium eius acceperint, quantociùs eodem redeant cuncti. Exercitus nostri mox diuulgato discessu, MARTELLVS in auxilium suum adiunctis GVILLELMO PICTAVORVM COMITE domino suo, & EVDONE BRITANNORVM COMITE, necnon vndequáque copiis collectis, Ambreras contendit. Dein præsidij situ & munimentis perspectis, ad oppugnādum accingitur. Parant vallum rescindere, Castellani resistunt. Exardent, audent, aggrediuntur propiùs & acriùs: certatur vtrinque magna vi. Missilia, saxa, libriles sudes, item lanceæ desuper feriunt. Iis plerique interempti cadunt, alij repelluntur. Sic audaci molimine cassato aliud incipiunt. Tentant murum ariete, qui percussus in virga * Castellanorum frangitur. A

* ariete.

INTEREA cognito labore suorum munitionis fundator Guillelmus, omnis moræ impatiens euocat exercitum, subuentum ire quàm maximè properat. Quem postquam inimici tres adeo nominati Comites adequitare percipiunt, mira celeritate, ne dicam trepida fuga cum immanibus exercitibus dilabuntur. Victor Gaufredum Meduanensem è vestigio bello adortus, qui domini furorem præcipuè incēdit querela præfata, intra exiguum tempus eousque compulit, vt in remotissimis Normanniæ partibus sibi manus perdomitas daret, fidelitatem quam satelles domino debet iurans. B

RVRSVM pace soluta, Rex ignominiæ suæ magis quàm detrimenti requirēs vltionem, renouata expeditione Normanniam aggreditur, exercitu coacto copioso quidē, & minus quàm antea immani. Regni siquidem eius pars amplior funera siue indecoram fugam suorum lugens aut timens, ad redeundum super nos minùs prona erat, quanquam vindictæ in nos longe cupidissima. MARTELLVS ANDEGAVENSIS nondum tot sinistris casibus fractus minimè defuit, quantum vllatenus virium colligere potuit adducens. Vix enim huius inimici odium & rabiem Normanniæ tellus penitus contusa vel excisa satiaret. Famam tamen sui motus quantum potuere occultantes, ne confestim in ipso ingressu obuio propugnatore, quem experti sunt, repellerentur: citis itineribus per OXIMENSEM COMITATVM ad fluuium Diuam peruenere, hostili immanitate per transitum populati. Neque illic aut conuerti placuit, aut consistere fiducia fuit. Etenim si permitteretur vlteriùs progredi, quali eò peruentum est cursu, & sic in Franciam dein euadere incolumes: præclaræ famæ occasionē sibi promisere, quod GVILLELMI NORMANNI terram ad litus vsque marinum ferro ignéque vastauerint, nemine obsistente, nemine insequente. Verùm ea spes, vt illa quondam, fefellit. Nam dum ad vadum DIVÆ morarentur, superuenit ipse alacer cum exigua manu virorum felici hora. Pars exercitus iam flumen cum Rege transierat. Et ecce fortissimus vindex in residuos insiluit, cæcidit populatores, parcere flagitium credens, cùm patriæ sauciatæ adeo necessaria causa ageretur, infestissimo hoste in medio sinu eius deprehenso. Citra aquam intercepti, in oculis Regiis ferè cuncti ferro ceciderunt, præter qui sese ingurgitare maluerunt pauore impellente. Ne verò iure sæuiens gladius in aduersam ripam insequeretur, reuma maris obstabat, alueum DIVÆ insuperabili mole occupantis. Interitum suorum miserans ac metuens Rex, cum Andegauense tyranno quàm celerrimè Normannicos fines exiuit; decernens animo consternato vir strenuus & nominatus in rebus bellicis, dementiæ reputandum Normanniam vltra attentare. C D

NON multo post vniuersæ carnis viā demigrauit, nūquā gloriatus triūpho, quem de Guillelmo Normanno Comite retulerit: imò nec multæ in eum vindictæ compos. PHILIPPVS filius ei successit infans, inter quem & Principem nostrum firma pax composita est, ac serena amicitia; tota Francia cupiente & annuente.

SVB idem tempus obiit & GAVFREDVS MARTELLVS ad vota multorum, vel quos oppresserat, vel qui metuerant eum. Sic terrenæ potestati & humanæ superbiæ finem natura ponit ineuitabilem. Serò pœnituit miserandum hominem nimiæ fortitudinis, ruinosæ tyrannidis, perniciosæ cupiditatis. Equidem sua eum extrema docuere, quod antea pensare neglexit: etiam quæ iustè in mundo possidentur, necessariò amittenda fore. Sororis filium hæredem reliquit, qui nomine proprio

A idem probitate absimilis ei, cælestem Regem timere, & pro comparando externo honore bona actitare cœpit. GVILLELMVS II.

QVOD humanæ linguæ ad maleuolentiam quàm ad beneuolentiam laudandam sint promptiores, nouimus; ob inuidiam plerumque, interdum ob aliam prauitatem. Nam & pulcherrima facinora in contrariam partem iniqua deprauatione traducere solent. Vnde nonnunquam fieri constat, quatinus decora Regum, siue Ducum, siue cuiuscunque optimi, cùm non verè traduntur apud ætatem posteram, censura bonorum damnentur, vt nequaquam imitanda mala ad inuasionem, vel aliud iniquum facinus placeant exemplo. Quapropter nos operæpretium arbitramur quàm verissimè tradere; quatinus GVILLELMVS hic, quem scripto propagamus, quem tam futuris quàm præsentibus, in nullo displicere, imò cunctis placere optamus; CENOMANICO PRINCIPATV quemadmodum REGNO ANGLICO non solùm forti manu potitus fuerit, sed & iustitiæ legibus potiri debuerit.

COMITVM Andegauensium dominatio CENOMANORVM COMITIBVS pridem grauis ac penè intolerabilis extiterat. Vt enim alia plurima omittam, B nouissimè nostra memoria FVLCO ANDEGAVENSIS HERBERTVM CENOMANICVM maiorem SANTONAS illexit, sponsione vrbis ipsius. Ibi vinctum in medio colloquio ad pactiones, quas auarè concupierat, carcere ac tormentis coëgit.

TEMPORE verò HVGONIS, GAVFREDVS MARTELLVS vrbem Cenomanicam sæpè igne iniecto cremauit, sæpe militibus suis eam in prædam distribuit, plerumque vineas circa eius ambitum extirpauit, aliquando expulso qui iustè præsedit, soli dominio suo eam vindicauit. HVGO hæreditatem suam HEREBERTO reliquit filio, & inimicitias easdem. Hic Gaufredi tyrannide metuens omninò deleri, Normanniæ Ducem Guillelmum, sub quo tutus foret, supplex adiit, manibus ei sese dedit, cuncta sua ab eo vt miles à domino recepit, cunctorum singulariter eum statuens hæredem si non gigneret alium. Præterea, vt coniunctius attingeret tantum virum ipse & posteritas ipsius, Ducis ei filia petita atque pacta est. Quæ priusquam nubiles peruenisset ad annos, morbo ipse interiit: suos in ipso fine obte-C stans & obsecrans, ne quærerent alium præter quem ipse dominum eis, hæredem sibi relinqueret. Cui si volentes pareant, leue seruitium toleraturos fore: si vi subacti, forsitan graue. Potentiam illius, prudentiam, fortitudinem, gloriam, necnon genus antiquum ipsos optimè nosse. Sub eo præside agentes formidini fore quibusque confinibus.

AT homines malefidi GALTERIVM MEDANTINVM COMITEM, cui soror HVGONIS nupserat, receperunt inuasorem desertores. Indignans ergo repulsam Guillelmus iure multiplici successurus Hereberto, arma expediuit, quibus requireret sic prærepta. Nam & olim egit sub Normannorum Ducum ditione regio Cenomanica. Incendium confestim iniicere, aut vrbem totam excindere, ausos iniqua trucidare, quantum ingenio abundauit & viribus, potuisset. Sed hominum sanguini quanquam nocentissimo parcere maluit solita illa temperantia, & validissimam vrbem relinquere incolume caput, atque munimentum terræ quam in ma-D nu habebat. Hæc itaque expugnandi via placuit. Crebris expeditionibus & diuturnis in ipso territorio mansionibus metum incutere, vineas, agros, villas, vastari: loca munita circumquaque capere, præsidia vbi res postulauit imponere, denique plurima turba ærumnarum incessanter affligere. Cùm ea geri viderent CENOMANICI, quàm anxij trepidíque fuerint, quàm cupierint onus molestissimum à ceruicibus depellere, coniectare quàm referre facilius est. Accito sæpiùs Gaufredo, quem præses eorum GALTERIVS dominum sibi ac tutorem præfecit, prælio decernere minati sunt nonnunquam, sed ausi nunquam. Perdomitis tandem castellis iam per totum Comitatum subactis, reddunt ciuitatem præualenti. Et quem longa detinuerunt rebellione, supplici & ingenti suscipiunt honore. Studium est summis, mediis, infimis placare infensum. Occurrunt, clamant dominum suum, procidunt & inclinantur eius dignitati: fingunt hilares vultus, lætas voces, plausus congratulantis. Fiunt obuiam fauentes laïcorum studio, omnium quotquot ibidem sunt Ecclesiarum ordines religiosi. Templa summopere quemadmodum processiones adornata effulgent, redolet thymiamata, resonant sacra cantica. Victori sufficiens pœ-

GVILLELMVS II. na fuit perdomitos in potestatem suam venisse, & vrbis firmamentum sua in reliquum custodia occupari. Voluntariè GVALTERVS deditioni consensit, ne inuasa protegens hæreditaria amitteret. Clades à Normannis illata vicinitati MEDANTI & CALVIMONTIS metum ei faciebat de maiori. A

VOLVIT in omne seculum & progeniei suæ optimè consultum fuisse prudens victor, pius parens. Iccirco germanam HERIBERTO ex partibus Teutonum suæ munificentiæ maximis impensis adductam nato suo coniugare decreuit, vt per eam ipse & progeniti ex ipso, iure quod nulla controuersia conuelli posset vel infirmari, Heriberti hæreditatem possiderent sororius & nepotes. Et quoniam pueri ætas nõdum fuit matura coniugio, in locis tutis illam prope nubilem magno cum honore custodiri fecit, nobilium atque sapientium virorum ac matronarum curæ commissam. Hæc generosa virgo nomine MARGARITA insigni specie decentior fuit omni margarita. Sed ipsam non longè ante diem quo mortali sponso iungeretur hominibus abstulit Virginis filius, virginum sponsus, cælicus Imperator: cuius igne salutifero pia puella flagrabat, pro cuius desiderio orationibus, abstinentiæ, misericordiæ, humilitati, denique plurimæ bonitati studebat: vehementer exoptans præter ipsius connubium aliud perpetuò ignorare. Sepeliuit eam FISCANNENSE COENOBIVM, quod cum aliis Ecclesiis quantum licebat religioni nimirum doluit raptam properato obitu, cuius longæuitatem effectuosissimè concupiuit. Illius etenim anima prudenter euigilans cum lucerna ardente Christi aduentum expectans, Ecclesias colere cœpit cum reuerentia. Cilicium quoque, quo latentiùs carnem domare proposuerat, postea quàm transmigrauit proditum, mentem æternis intentam prodidit. B

QVAM longinquus à fauore Ducis Guillelmi animo fuerit versutus homo GAVFREDVS MEDVANENSIS, certissimè cùm vrbs Cenomanica dederetur patefactum est. Ne enim hanc eius gloriosam felicitatem præsens conspiceret, deseruit ante non minus inuido dolore quàm inconstanti perfidia abactus. Noluit meminisse impudens audacia, quomodo pridem clementiam orauerit perdomitus. Nõ est verita impudens iniquitas iurisiurandi violare promissum. At perpetuum nomen quantò maiores illius quanquam potentes, nunquam sunt gloriati. Parere sibi videbatur, si virtutem inuictam triumphis magnificatã quamplurimis lacessere auderet. Per legatos iterum iterumque monitus ad obsequendum mentem obstinatam non omisit. Fuga, astutia, validæque munitiones non modicum fiduciæ ministrauerunt. Statuit ergo prudentia repudiati Domini latibulum charissimum abalienare ei castrum MEDVANVM. Æstimans multo satius ac dignius hac pœna ferire, quàm fugitantem persequi, & victoriam leuem ex eo capto insignibus titulis addere. Huius castri latus alterum, quod alluitur scopuloso rapidóque flumine (nam supra Meduanæ ripam in prærupta montis rupe situm est) id nulla vi, nullo ingenio vel arte humana attentari potest. Alteri verò munimenta lapidea, paritérque difficillimus aditus propugnant. Disponitur tamen obsidio, exercitu nostro admoto quantum natura repellens patitur, cunctis mirantibus Ducem rem hanc nimis arduam confidentissimè aggressurum. Equitum ac peditum copias tantas incassum fatigari cuncti ferè opinantur, multi conqueruntur, nulla spe animos eorum erigente: nisi fortè mora annua vel ampliore fames expugnet. Etenim gladiis, lanceis, missilibus, nihil geritur, nihil gerendum speratur. Item neque ariete, neque tormento, cæterísve instrumentis bellicis. Siquidem locus omninò machinamentis importunus erat. Verùm magnanimus ductor Guillelmus vrget incœptum, præcipit, hortatur, confirmat diffidentes, lætum exitum pollicetur. Nec multo temporis interuallo dubij sedent. En solerti consilio ipsius iniecti ignes castrum corripiũt. Citissimè diffunduntur more suo, sæuiùs omni ferro quæque obuia vastantes. Custodes atque propugnatores attoniti subita clade portas murúmque deserunt, discurrunt trepidi laribus & rebus incensis primò succurrere. Dein propriæ saluti quo refugio valent consulere festinant, victores gladios vehementiùs quàm incendium metuentes. Normanni alacerrimè concurrunt, exultantes animos & gratulantem clamorem pariter tollentes, certatim irrumpunt, potenter munitione potiuntur. Opima præda inuenitur, nobiles equi, arma militaria, omnísque generis supellex. Quæ sicut alibi captà plerumque grandia, militum potius quàm sua esse voluit con- C D

A tinentissimus ac liberalissimus Princeps. Castellani, qui in arcem confugerant, die postero dediderunt se, contra Guillelmi ingenium ac fortitudinem nulli firmamẽto confidentes. Restauratis ille quæ flamma corruperat, præsidióque prouidenter disposito, insolitum triumphum quasi de natura superata domum reuexit cum immenso gaudio exercitus. Et confines Gaufredi non triste acceperunt hoc eum fuisse detrimento mulctatum; asseuerantes gloriam solius Guillelmi Comitis vltionem multorum esse de periuro ac prædone.

PER idem ferè tempus EDVVARDVS REX ANGLORVM suo iam statuto hæredi Guillelmo, quem loco germani aut prolis adamabat, grauiore quàm fuerat cautum pignere cauit. Placuit obitus necessitatem præuenire, cuius horam homo sancta vita ad cælestia tendens, proximam affore meditabatur. Fidem sacramento confirmaturum HERALDVM ei destinauit, cunctorum sub dominatione sua diuersis, honore, atque potentia eminentissimum: cuius antea frater & fratruelis obsides fuerant accepti de successione eadem. Et eum quidem prudentissimè, vt ipsius opes & auctoritas totius Anglicæ gentis dissensum coërcerent, si rem nouare mallent B perfida mobilitate, quanta sese agunt. HERALDVS dum ob id negotium venire contenderet, itineris marini periculo euaso litus arripuit PONTIVI, vbi in manus Comitis GVIDONIS incidit. Capti in custodiam traduntur ipse & comitatus eius, quod infortunium vir adeò magnus naufragio mutaret. Docuit enim auaritiæ calliditas Galliarum quasdam nationes execrandam consuetudinem, barbaram, & longissimè ab omni æquitate Christiana alienam. Illaqueant potentes, aut locupletes trusos in ergastula afficiunt contumeliis, tormentis. Sic varia miseria prope ad necem vsque contritos eiiciunt sæpissimè vẽditos magno. Directi ad se DVX GVILLELMVS euentu cognito, properè missis legatis, precatu simul ac minis extortum obuius honorificè suscepit eum. GVIDONI benemerito, qui nec pretio, nec violentia compulsus, virum, quem torquere, necare, vendere potuisset pro libitu; ipse adducens apud Aucense castrum sibi præsentauit, grates retulit condignas, terras tradidit amplas, ac multum opimas, addidit insuper in pecuniis maxima dona. HERALDVM verò sufficientissimè cum honore in vrbem sui Principatus caput ROTHOMAGVM introduxit, vbi multiplex hospitalitatis officiositas viæ laborem C perpessos iucundissimè recrearet. Nimirum gratulabatur tanto super hospite sibi omnium charissimi propinqui & amici legato: quem inter se & Anglos, quibus à Rege secundus erat, mediatorem sperabat fidissimum. Coadunato ad BONAMVILLAM consilio, illic Heraldus ei fidelitatem sancto ritu Christianorum iurauit. Et sicut veracissimi, multáque honestate præclarissimi homines recitauere, qui tũc affuere testes, in serie summa sacramenti libens ipse hæc distinxit; se in curia domini sui EDVVARDI Regis, quandiu superesset, Ducis Guillelmi vicarium fore: enisurum quanto consilio valeret, aut opibus, vt Anglica Monarchia post Edvvardi decessum in eius manu confirmaretur: traditurum interim ipsius militum custodiæ castrum DOVERAM, studio atque sumptu suo communitum: item per diuersa loca illius terræ alia castra, vbi voluntas Ducis ea firmari iuberet: abundè quoque alimonias daturum custodibus. Dux ei iam satelliti suo accepto per manus ante iusiurandum terras eius cunctúmque potentatum dedit petenti. Non enim in longum sperabatur Edvvardi ægrotantis vita.

D DEINDE quia ferocem & noui nominis cupidum nouit ipsum, & qui venerant cum ipso, armis militaribus & equis delectissimis instructos secum in bellum BRITANNICVM duxit: hospitem atque legatum quasi contubernalem habens, vt eo quoque honore quodam sibi magis fidum & obnoxium faceret. BRITANNIA namque præsidenter aduersus Normanniam fuit omnis armata. Huius audaciæ Princeps erat CONANVS ALANNI filius. Is in virum ferocissimum adultus, à tutela diu tolerata liber, capto EVDONE patruo suo, atque vinculis ergastularibus mancipato, Prouinciæ quam dono paterno accepit magna cum truculentia dominari cœpit. Paternæ dehinc rebellionis renouator, Normanniæ hostis non milles esse voluit. Dominus autem eius antiquo iure, sicuti Normãnorum GVILLELMVS, castellum quod SANCTI IACOBI appellatum est interim opposuit in confinio, ne famelici prædones Ecclesiis inermibus aut vltimo terræ suæ vulgo excursionibus latrocinantibus nocerent. Emit namque Rex Francorum Karolus pacem

GVILLELMVS II. atque amicitiam à Rollone primo Duce Normannorum, ac posteriorum parente, A natam suam GISLAM in matrimonium, & BRITANNIAM in seruitium perpetuum ei tradens. Exorauerant id fœdus Franci non valentes amplius resistere Gallico ense Danicæ securi. Annalium paginæ attestantur. Exinde COMITES BRITANNICI è iugo Normannicæ dominationis ceruicem omninò soluere nunquam valuerunt, etsi multotiens id conati tota vi obluctando. ALANVS & CONANVS, quanto Normanniæ Rectores consanguinitate propiùs attingebant, tantò gloriantibus animis contra eos elatiores existebant. Conani in tantùm iam temeritas creuit, vt quo die terminos Normanniæ aggrederetur, denuntiare non formidaret. Homini acrioris naturæ, feruidæ ætatis ministrauit plurimum fiduciæ regio longè latéque diffusa, milite magis quàm credibile sit referta. Partibus equidem in illis miles vnus quinquaginta generat, sortitus more barbaro denas aut amplius vxores. quod de MAVRIS veteribus refertur, legis diuinæ atque pudici ritus ignaris. Ad B hoc populositas ipsa armis & equis maximè, aruorum culturæ aut morum minimè student. Vberrimo lacte, parcissimo pane sese transigunt. Pinguia pabula gignunt pecoribus loca vasta & fermè nescia segetum. Cùm vacant à bello, rapinis, latrociniis, cædibus domesticis aluntur, siue exercentur. Prælia cum ardenti alacritate ineunt, dum præliantur, furibundi sæuiunt. Pellere soliti, difficile cedunt. Victoria & laude pugnando parta nimium lætantur atque extolluntur: interemptorum spolia diripere vt opus decorum voluptuosúmque amant. Nihil pendens terribilitatem hanc Dux Guillelmus, in quem diem aduentum Conani meminit denuntiatum, eo ipse intra fines eius occurrit. Ille quasi fulminis ictum proximè imminentem extimens, in loca propugnatura citissimam fugam instituit, castri terræ suæ DOLI oppugnatione omissa. Id enim rebelli aduersum, iustæ causæ fidum stabat. Sistere tentat Conanum castri præses RVALLVS, reuocat illudens, morari biduum precatur, sufficiens huic moræ stipendium ab ipso sumpturum. Homo miserè exterritus pauorem potiùs audiens, cursu instituto longiùs profugit. Ductor terribilis, qui depulit, instaret fugitanti, ni manifestum periculum animaduerteret agere militem numerosum per regiones vastas, famelicas, ignotas. Si quid residuum erat inopi terræ ex his, quæ nata fuerant anno superiore, id in tutis locis incolæ cum pecoribus ab- C diderant. Stabant in aristis fruges immaturæ. Igitur ne sacrilega prædâ diriperent si qua reperirent Ecclesiarum bona, menstrua penuria fatigatum exercitum reducebat: magno animo præsumens Conanum pro venia delicti & gratia propediem deprecaturum. At excedenti iam Britanniæ limitem repentè indicatur Gaufredum Andegauensem cum ingentibus copiis Conano fuisse coniunctum, & ambos postero die præliatum affuturos. Itaque aperitur conflictus eò cupidior, quòd gloriosiùs intelligebat, triumphum de hoste bino, vtroque immani, vno consequi certamine. Ad hoc fore multiplicem eiusdem triumphi fructum. Ruallus autem, cuius in territorio tentoria figebantur, affatur querela. Haberi quidem gratum, quòd ab inimica vi per eum fuerit ereptus, si proficuum non deleat incommodo. Nam si præstolaturus consideat, regionem modicè fœcundam nimis attenuatam funditus deuastari. Nec penes agricolas interesse, Normannico an Britannico exercitu consumptæ anni laborem amiserint. Sibi modo ad famam valuisse, non ad conseruationem rerum Conani depulsionem. Considerandum esse Dux respondens, ne discessio properantior opinionem pariat minus honoram, detrimenti recompendium in auro D plenissimum promittit. Statim Rualli segetes militibus interdicit ac pecora. Obtemperatum est præcepto ea continentiâ, vt frumenti manipulus vnicus ad recompensandum omne damnum superabundaret. Certamen nequicquam fuit expectatum, aduersario magis in vlteriora profugiente. receptus in sua per charum hospitem HERALDVM apud se post moratum aliquandiu donis onustum omisit; dignè vtroque, & cuius iussu, & pro cuius honore ampliando venerat. Quin etiam fratruelis eius alter obses cum ipso redux propter ipsum redditus est. Paucis igitur te affabimur Heralde. Qua mente post hæc Guillelmo hæreditatem auferre, bellum inferre ausus es, cui te gentémque tuam sacrosancto iureiurando subiecisti tuâ & linguâ & manu? Coërcere debuisti, & perniciosissimè concitasti. Infeliciter secundi flatus, qui nigerrimis velis tuis aspirauerunt redeuntibus: impiè clemens pontus, qui vehentem te hominem teterrimum ad litus prouehi passus est: sinistrè placida

A cida statio fuit, quæ recepit te naufragium miserrimum patriæ afferentem.

INTER occupationes tamen rerum bellicarum siue domesticarum, quas mundanas appellant, studia optimi Principis in diuinis egregia extitêre: quæ per singula ac pro magnitudine sua recitare non sufficimus. Nouerat enim non solùm principatus in mundo florentes breui occasu terminari, verumetiam ipsius mundi figuram præterire. Vnicum autem regnum immobiliter stare, huic præsidere Imperatorem ineffabilé dominatu æterno, rerum vniuersalitaté quam condidit coæterna sibi prouidentiâ gubernantem, terrenorum dulcedini nimium deditos tyrannos momento conterere potentem, diademata atque palatia inæstimabili perpetim fulgentia decore satellitum suorum perseuerantiæ disponentem, in illa gloriosissima ciuitate veri summíque boni patria. Genitorem suum inclytum Ducem RODBERTVM post memoranda merita, quibus domi claruit, fasces dignitatum sepósuisse, peregrinum iter ac periculis plenum arripuisse, desiderio Imperatoris illius in superna Syon conspiciendi. Ipsius crucem in fronte, dilectionem in mente, reuerentiam in actu,
B Richardos ac superiores auos potentiâ sublimes, famâ præclaros humiliter gestauisse. Pensauerat vt prudentis animæ homo, quàm sit miserum atque indecorum spoliatos honore caduco in exilium caliginosum damnari, vbi flamma inextinguibili ardebunt, non consumentur; plangent in miseriis absque clementia, errata lamentabuntur absque venia. Econtra felix atque pulcrum esse post Consulatus terræ, stolâ immortalitatis redimitos Angelorum ciues ordinari; vbi voluptate omni delectabuntur, Deum sicuti est contemplabuntur, in eius laude pepetua iocundabuntur.

VIR itaque dignus pio parente, & piis maioribus, neque dum armatus actitabat, oculum interiorem à timore sempiternæ Maiestatis deiiciebat. Armis namque proterendo bella externa, arcendo seditiones, rapinas, prædas, patriæ consulebat Christum colenti: vt quo pace plus frueretur, minus violaret sacra instituta. Nec verè dictum vnquam erit suscepisse eum bellum quod iustitia vacaret. Ita Christicolæ Reges gentium Romanarum & Græcarum tutantur sua, propulsant iniurias, iustè ad palmam contendunt. Quis autem dicat esse boni principis pati seditiosos aut raptores? Eius animaduersione & legibus è Normannia sunt exterminati latrones,
C homicidæ, malefici. Sanctissimè in Normannia obseruabatur sacramentum pacis, quam TREVIAM vocant, quod effrenis regionum aliarum iniquitas frequenter temerat. Causam viduæ, inopis, pupilli ipse humiliter audiebat, misericorditer agebat, rectissimè definiebat. Eius æquitate reprimente iniquam cupiditatem vicini minus valentis, aut limitem agri mouere, aut rem vllam vsurpare, nec potens audebat quisquam nec familiaris. Villæ, castra, vrbes iura per eum habebant stabilia & bona. Ipsum lætis plausibus, dulcibus cantilenis vulgò efferebant. Accipere solitus est auido auditu suauíque gustu sacræ paginæ sermones, iis vt animæ epulum sumeret delectari desiderans, castigari, atque edoceri. Sumebat & honorabat condecenti reuerentia hostiam salutarem, Dominicum sanguinem: syncera fide tenens quod vera doctrina præceperat, panem & vinum, quæ altari superponuntur, consecrata sacerdotis lingua & manu sancto Canone, Redemptoris veram esse carnem & verum esse sanguinem. Vtique non ignotum est quanto zelo fuerit insectatus, atque exterminare fategerit è ter-
D ra sua aliter sentientem prauitatem. Colebat deuotus à tenera ætate sacra solemnia, concelebrans ea sæpissimè cum frequentia religiosi Conuentus, Cleri, siue Cœnobitarum. Senibus ille iuuenis grande exemplum inclaruit, sedulitate quotidiana frequentando sacra mysteria. Item eius liberi pietatem Christianam infantes didicêre diligenti prouisione ipsius. Fulgent plangendi quidam in culminibus potestatis terrenæ, sese in interitum animæ ab eis ipsi præcipitantes, quorum auara malignitas optimorum largæ voluntati obsistens, Basilicas intra dominationem suam construi difficilè aut nullatenus permittit, constructas donari vetat, nec veretur spoliare, sacrilegio cumulans diuitias peculiares. In pluribus verò Ecclesiis Dominum collaudat patria nostra sui Principis GVILIELMI benigno fauore extructis, prompta largitate adauctis. Qui volenti conferre libens cuique liberam authoritatem concedebat, Sanctos nulla vnquam iniuria lædens, dicatum eis quippiam abalienando. Æmulabatur eius tempore beatam Ægyptum Normannia regularium Cœnobiorum collegiis, quæ præci-

GVILLELMVS II. puum consulē habebant ipsum fideli patrocinio, instanti magisterio. Cunctis quidē amorē, honorem, curā exhibebat: impensiùs tamen illis, quos maior existimatio studiosæ religionis cōmendauit. O recolendam, ô imitandā, ô in omne æuū propagādam diligentiam! Abbates atque Pontifices persona principans & laica pro disciplina Ecclesiastica subtiliter monebat, constanter exhortabatur, seuerè castigabat. Quotiens eius edicto & hortatu conuenere Præsules, Metropolitanus cum suffraganeis, de statu Religionis, Clericorum, Monachorum atque laicorū acturi: Synodis his arbitrum se deesse nolebat, cùm vt præsentia sua studiosis adderet studium, cautionem cautis: tùm ne alieno testimonio discere indigeret qualiter fuisset acta, quæ cuncta rationabiliter, ordinatè, & sanctè acta fuisse desiderabat. Delato fortè suas ad aures immani alicuius crimine, quod Episcopus aut Archidiaconus iusto demētiùs vindicauerit, reum maiestatis æternæ teneri iussit incarceratum, quousque causa Domini æquitate districta decerneretur, EPISCOPVM aut Archidiaconum veluti aduersarios diuinæ partis criminans in iudicium deuocandos, feriendos graui sententia. Clerici, siue Monachi, cuius à professione vitam non discrepare testimonio probabili comperit, charam habebat collocutionem, precatui totam voluntatem inclinabat. E diuerso neque amici oculi respectu dignabatur infamem ob enormitatem vitæ.

LANFRANCVM quendam, de quo venit in litem, plus ne sit meritus reuerentiam atque gloriam secularium ac diuinarum literarum singulari peritiā, an ordinis Monachici singulari obseruantiā, intima familiaritate colebat: vt patrem venerans, verens vt præceptorem, diligens vt germanum aut prolem. Illi consulta animæ suæ, illi speculam quandam, vnde Ordinibus Ecclesiasticis per omnem Normanniam prospiceretur, commisit. Potuit nāque viri talis vigilans cura, cùm maximā auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogatiua comparauit, securitatem non paruam optimæ sollicitudini promittere. Ipsum pia quadam violentia Monasterij CADOMENSIS Abbatem statuit, non minus reluctantem subiectionis amore, quàm altioris gradus timore. Multis deinde possessionibus, item argento, auro, diuersísque ornamentis Monasterium idem locupletauit, suo largo sumptu à fundamento astructum ingenti & magnitudine & decore, dignè beatissimo protomartyre STEPHANO, cuius reliquiis magnificandum, honore dedicādum erat. Maioris pendere nemo poterit officia precum, quæ in cælestia mittuntur. Crebro famulorum Christi orationes flagitabat & emebat maximo maiore, cùm bellum aut alia res ardua imminebat.

CVM hæc retracto, dulcis recordatio obuenit THEODOSII AVGVSTI, quem in pugnam contra tyrannos processurum animabant prius oracula atque responsa IOANNIS MONACHI in vltima THEBAIDE commorantis. Acceptabat ex omnibus Monachis ille Ioannem obediendo adeptum prophetiæ gratiam, iste Lanfrancum sermone & actu spiritum Dei redolentem.

BONI plerique transuersi affectu carnali sanguinis propinquitate coniunctorum criminibus parcunt, in excelso dignitatum indignè præsidentes non descendere volunt. Eos clementissimè tanquam cæcati amore indicant, alios perspicaciter atque districtè. Cæterum GVILLELMVS, cuius integerrimam bonitatem inscribimus, animo intentiùs volutare libet ac mirari, cùm patris deiectionem diuinæ nequaquam esse præferendam nouerit, negotium Dei prudenter simul & iustè contra patruū suum peregit MALGERIVM Archipræsulem. Is RICHARDI secundi filius sacra dignitate abutebatur, veluti natalium iure, sua. Pallio tamen numquam est insignitus, quod principale ac mysticum Archipræsulatus insigne, manus Romani Pontificis mittere solita ei denegauit vt minus idoneo. Scripturarum arcana intelligentiæ literalis oculo colligere non indoctus fuit: sed quo præcipiunt moderamine, neque subiectorum neque propriam vitam gubernare studuit. Quam pietas plurimorum ornando ditauit, ille spoliando attenuauit Ecclesiam: non sponsus eius vel pater dicendus, sed grauissimus dominus vel rapacissimus prædo. Mensas equidē nimium sufficientes, nimium nitidas præbere, largiendo laudē emere amabat, specie liberalitatis prodigus. Sæpenumero monitus atq; castigatus priuatim atq; publicè domini sui iuuenis & laici sapiente diligentiā, pergere malebat eadem prauitatis via. Nec enim modum posuit largitioni, donec sedes Metropolitana omni ferè or-

A namento caruit & thesauro. Sequuntur multotiens largitionem rapinæ. Præterea GVILLELMVS II. molestus infamiæ eius odor diffundebatur ob alia crimina. Sed à ratione alienum ducimus in vitiis publicandis immorari, quorum nec decens videtur commemoratio, nec notitia vtilis. Læsit insuper iniuriâ non leui Ecclesiam vniuersalem, cuius vnicum Primatem summum in orbe terrarum Antistitem non qua decuit obedientia veneratus est. Nam Apostolici mandato sæpius ad Romanum concilium accitus, renuit ire. Sanè pigebat ROTOMAGVM, pigebat cunctam Normanniam Archipræsulis, qui cum honestatis forma eminentes quosque antecedere deberet, infimarum personarum testimonio accusante confutabatur, vniuersorum despectu degradandus censebatur.

PRINCEPS igitur animaduertens iam non monitis agi oportere in causa præcipuæ grauitatis, ne vltra patiendo superni iudicis iram irritaret in se, deposuit patruum in publico sanctæ Synodi, Apostolici Vicario, cunctisque Normanniæ Episcopis iuxta Canonum authoritatem sententiam dantibus vnanimi cōsensu. MAVRILIVM verò cathedræ liberatæ prouidit, ex Italia, vbi suprà cæteros Abbates B emicuit eximius, reductum: dignissimum summo omnium Archipræsulatu merito generis, personæ, virtutum, doctrinæ.

HVIVS parem quendam & in Anachoretici rigoris commilitio sedulum contubernalem GERBERTVM, cunctæ sanctitatis conscientia & fama iuxtà beatum, aliquot post annos Cœnobio sancti Guandregisili præfecit, Ordinem dilapsum restituere intendens per Abbatem spiritualem. Ambo hi in ætate florentissima diuinitatem, & quam diuinitas largitur beatitudinem speculari, alio multóque perspicatiori mentis acumine quàm Plato, nuda professione impedimenta rerum temporalium euasere, despicantes mundanæ philosophiæ vehementi applicatione à se amata Gymnasia, patrij soli dulcem arrisum, opibus ac generositate claram parentelam, spem sublimium prouectuum. Sic animo victore expediti nunc sub iugo Cœnobiorum, nunc in eremi lucta æmulis Machabæorum decertabant sudoribus; pro interminabili & liberalitate & quiete, omnem extremitatem, nullam prælationem in exilio mundi prætereuntis ambientes.

SVBLIMAVIT idem Princeps quamplures Ecclesias, prouidè trutinata ordinaC tione Præsulum atque Abbatum: sed præcipuè Lexouiensem, Baiocensem, Abrincensem. Statuit enim summè idoneos pōtifices, HVGONEM LEXOVII, propriũ fratrem ODONEM BAIOCARVM, IOANNEM ABRINCARVM. Quorum in electione penes iudicium eius probitas ipsorum valuit, non altitudo natalium proximorum ipsi. IOANNES RADVLPHI COMITIS filius iampridem laicus ordine, eruditus literis; Clero, imò rectoribus Cleri admirandus innotuerat vitâ religiosa. Non illius desideria specie sacerdotalis gradus honorem, sed illum vota Præsulum ambierunt collegam sibi consecrandum. ODONEM ab annis puerilibus optimorum numero consona præconia optimorum inseruerunt. Fertur hic in longinquas regiones celeberrima fama, sed ipsius liberalissimi atque humillimi multa & industria & bonitas amplius meretur.

HVGONEM, quem propiore familiaritate conspectauimus, dictatu longiusculo aliis indicare neutiquã grauamur; quoniã eius cognitionẽ aliis non dubitamus profuturã. Is RICHARDI I. nepos è filio Guillelmo AVCENSI COMITE non minùs bono D quã generoso, iuuenis à Principe Pōtificatus in apicẽ prouectus, spirituali mox canitie senibus maturior enitebat. Nequaquã ille ob antiquũ stemma notabatur fastuosus, nec ob altiorẽ gradũ siue florentẽ ætatem animo aut elatus, at per lubricas voluptates vagus. Librabat equidẽ strenua sollicitudine graue munus, cautè gestandũ onus. Propriæ conuersationis directioni attentè vigilabat, iugi cura speculabatur pascendo gregi: sic manifestans quàm acutè prospiceret interno lumine, quòd sacrũ ministerium acceperit, regimen Ecclesiasticum, non dominatum vel honorem. Terris, thesauro, pretiosorũ ornamẽtorũ decore sanctã sponsam ditauit. Conuenustauit eam ædiũ quoq; eius tãto cultu, vt ambigeret inspector, melius ne noua cõsurgerẽt aut vetusta repararẽtur. Verũ in semetipso dicauit ei dotẽ auro & electro cariorẽ omnique lapide siue gẽma splendidiorẽ. Venerãtur ac diligunt reuerẽtissimum Præsulem Monasteria, Synodi, Curiæ; vt prudentem, ita eloquentem; vt iustum, ita discretum. Qui nec pecuniæ vnquam faueat aut gratiæ, siue in iudicio, siue in con-

GVILLELMVS II. silio sententiam dicens. Ipse profectò, cùm deponeretur Archipræsul Malgerius, A vox iustitiæ sonora fuit, constanter permanens in parte Dei, propter Deum damnans filium patrui. Exhibet se blandum ac seuerum decentissima in alterutrum permutatione; nullius hominis, omnis vitij clemens persecutor, pius inimicus. Subiectis fidelissimè consulit, comparandus prudenter diligentibus patribus, qui iuuenũ filiorum non tam vota cogitant quàm commoda. Fauet congratulans, & auxiliatur cælici Regis quolibet in ordine militibus: in veneratione militum & amore Regem ipsum colens. Sic semper humanus viuit, sic abstemius, vt indesinenter afferat homini cuique, sæpius tamen non redituro prandia sua, Deo ieiunia sua. Hilarem se & cõmunione gratum, minimè vilescentem, mensæ abundanti & lautæ non denegat: gustat imperio naturæ, non epulatur. Pascunt eum delitiæ, quibus animæ esurientes æterna pasci desiderãt, quas PARACLITVS cælestis dulcore infundit suauissimo: excubiæ orationibus vacantes, diuinorum officiorum studiosa concelebratio, sacræ bibliothecæ cultus perfamiliaris, denique sancti cuiúsque operis indefessus amor. His, inquam, præcipuè delectatur, his auidè pascitur optimus dominici ouilis pastor HVGO. In aduersis euentibus constantia, in secundis modestia parilem laudẽ B consequitur, nullius cupidus. Linguas amantes alienam famam lædere adeò sensit abominãdas, vt aurẽ suam prauitatis earum nunquã testẽ adhibere velit. Altitudinẽ suã admirandæ humilitatis priuilegio sublimat, continentiam & virtutes reliquas, item quascunque pias operationes ea tutissima atque saluberrima custode muniens. Mysticum namque illud rationale pectoris AARON ornamentũ spiritualiter eius adornat interiora: patrũ sanctitatem, quorum ei nomina inscribi præcipiuntur, iugiter cõmonens. Ne verò supra modi limitẽ digrediamur, dum per honestissimæ vitæ tẽpla iucunda raptamur cõsideratione, ad principis GVILLELMI gesta reuerti placet.

HISPANIÆ Reges duo germani audita eius magnitudine natã eius in matrimoniũ cupientissimè petierunt, suum & regnũ & posteritatẽ hac magnificaturi affinitate. Nam & lis valdè inimica inter ipsos propter eam orta est minimè degenerẽ, sed omninò dignam tali parente, sic moribus ornatam, sic in amore Christi studiosam, vt Reginis ac sanctimonialibus exẽplo esse posset puella nonvelata. Admirabatur, laudabat, ac venerabatur eum supra nomina Regum Imperij Romani maiestas, cuius C olim gloriosissimus moderator HENRICVS CONRADI Imperatoris Augusti filius cũ ipso etiam tum puero veluti cum nominatissimo Rege amicitiam iunxit ac societatem. Eius enim adhuc pueri nomen clarissimum per gẽtes ferebatur. Sed de magnitudine viri disseram. Optabat hunc vicinum & amicum nobilis & ampla multísque regibus dominans CONSTANTINOPOLIS; quo propugnatore sperneret grauem potentiam BABYLONIS. Iam in Normanniam nemo cõfinium quicquam audebat. Vt seditionum, sic externi belli procella omnis defremuit. Franciæ, Burgundiæ, item vlteriùs remotarum prouinciarum Præsules atque Comites Normanniæ Domini Curiam frequentabant: alij vt consilia, alij vt beneficia acciperent, plerique sola gratia gloriaturi. Portus & refugium aptè nominabatur eius benignitas, admittens & releuans plurimos. Homines aduenæ cernentes apud nos equites hac illac pergere inermes, & quódque iter cuique vianti tutum patere, huiuscemodi beatitudinẽ, quotiens exoptauere suis regionibus! hanc pacem, hãc dignitatem GVILLELMI virtus patriæ peperit. Iustè itaque patria pro ipso inualitudine dubia aliquando decumbente lacrymas profudit atque preces, quales defuncto vitam valerent impe- D trare: orans tardissimè moriturum, cuius in obitu præmaturo turbinem, quo priùs vexabatur, denuò timebat oriturum. Nec enim prolem tum relinqueret, ad gubernandum ætate idoneam. Creditur, & dignissimè quidem, piæ deuotionis arbitrum supernum strenuo maiestatis suæ clienti sospitatem præstitisse, & quietissimum otium, omni hoste protrito: vt meritus ad altiora euehi, regno prærepto mox faciliùs potiretur, securus de statu principatus.

VERVS namque rumor insperatò venit, Anglicam terrã Rege EDVVARDO orbatã esse, & eius corona HERALDVM ornatum. Nec sustinuit vesanus Anglus, quid electio publica statueret consulere; sed in die lugubri, quo optimus ille humatus est, cùm gens vniuersa plangeret, periurus regium solium cum plausu occupauit, quibusdam iniquis fauentibus. Ordinatus est non sancta consecratione STIGANDI, iusto zelo APOSTOLICI & anathemate ministerio sacerdotum

A priuati. DVX GVILLELMVS habita cum suis consultatione, armis iniuriam vlcisci, armis hæreditatem reposcere decreuit: tametsi complures maiorum id ingeniosè dissuaderent, vt rem nimis arduam, Normanniæ viribus longe maiorem. Habuit in consiliis ea tempestate Normannia, præter Episcopos & Abbates laici ordinis præstantissimos viros, quorum in collegio splendidiora quædam eius lumina atque ornamenta emicuere: RODBERTVS Moritoliensis Comes, RODBERTVS Aucensis Comes, Lexouiensis Episcopi HVGONIS, de cuius vita supra scripsimus, frater, Ebroicensis Comes RICHARDVS Rodberti Archiepiscopi filius, ROGERVS DE BELLOMONTE, ROGERVS DE MONTEGOMERICI, GVILLELMVS FILIVS OSBERNI, HVGO VICECOMES. Horum ingeniis atque industria conseruari posset incolumis: nec adeo senatoribus ducentis indigeret freta his Romana Respub. si quanta apud veteres nunc polleret. In omni tamen deliberatione prudentiæ Principis à cunctis concessum fuisse comperimus, ac si mente diuina quid agendum foret, aut vitādum prænosceret. Piè agentibus Deus dedit sapientiam, ait quidam peritus diuinorū. Ille autem ab infantia piè operabatur. Quantum B verò iubere libuit, tantum nisi necessitas obsisteret paruêre cuncti. Quam igitur prudenti ipsius dispositione naues fierent, armis, viris, commeatu, aliísque rebus, quæ bello sunt vsui, instruerentur; qualiter totius Normanniæ studia feruerent, prolixum est per singula enarrare. Neque minùs prouidè disposuit, qui Normanniam se absente gubernarent ac tutarentur. Conuenit etiam externus miles in auxilium copiosus, quos ex parte notissima Ducis liberalitas, verùm omnes iustæ causæ fiducia contraxit. Rapina omni interdicta, stipendio ipsius millia militum quinquaginta alebantur, dum ventorum incommoditas ad PORTVM DIVÆ detinebat mora menstrua. Ea illius temperantia fuit ac prudentia. Militibus & hospitibus abundè sumptus ministrabatur, nemini rapere quippiam concedebatur. Prouincialium tuto armenta vel greges pascebantur seu per campestria, seu per tesqua. Segetes falcem cultoris intactæ expectabant, quas nec attriuit superba equitum effusio, nec demessuit pabulator. Homo imbecillis, aut inermis, equo cantans qua libuit vectabatur; turmas militum cernens, non exhorrescens.

TEMPORE eodem sedebat in cathedra sancti Petri Romæ Papa ALEXANDER, C dignissimus cui obediret, quémque consuleret Ecclesia vniuersa. Responsa etenim edebat iusta salutariáque. Is Præsul LVCIENSIS, cùm altiorē gradum nullatenus appeteret, violento plurimorū consensu, quorum apud Romanos tunc præcellebat authoritas, ingenti concilio assentiente in eo locatus est primatu, quo Præsulum orbis terræ caput existeret atque magister. Allectionem hanc sanctitate meruerat atque doctrina. Per eadem post ad ortum Solis & occasum effulgebat. Neque sui cursus limitem Sol immutabilius naturâ, quàm per veritatis ille directum tendebat vitâ: quodquod vbiquaque per mundum potuit, iniquum corrigens, nulli concedēs. Huius Apostolici fauorem petens Dux, intimato negotio quod agitabat, vexillum accepit eius benignitate, velut suffragium sancti Petri: quo primò confidentiùs ac tutiùs inuaderet aduersarium.

ET Romanorum Imperatori HENRICO, HENRICI Imperatoris filio, nepoti Imperatoris CHOVNRADI nouiter iunctus fuit in amicitia, cuius edicto in quemlibet hostem Germania ei si postularet veniret adiutrix. Rex quoq. Danorum SVENVS fidem legationibus ei spopondit, sed inimicis eius amicum exhibebat se fidelem, sicut in sequentibus legendo ipsius detrimenta spectabis.

D HERALDVS interea promptus ad decernendū prælio siue terrestri, siue nauali, plerumq. cum immani exercitu ad litus marinū operiens, callidè subornatos transmisit exploratores. Quorum deprehenso vni, causámq. sui aduentus qua præceptū est specie obtegere conato, Dux animi sui magnitudinē prodidit his verbis. Non indiget, inquit, HERALDVS auri sui vel argenti iactura tuam aliorúmq. fidē atq; solertiā emere, qui subdolè speculatū nos veniatis. Quid consulatur, quid apparetur apud nos certior eum quā velit, & opinione eius citior index, quippe mea præsētia docebit. Hoc ex me refer illi mandatū, nec vllam aduersitatē ex nobis ei suscipiendā esse, quominus reliquam ætatē securus agat; nisi intra annuum spatium, vbi tutiorē locum suis pedibus sperat, me conspexerit. Stupētes verò grande promissum primores Normannorū, multi diffidentiā suā non reticēt. Amplificāt oratione, quā desperatio

GVILLELMVS II.

GVILLELMVS II. dictauit, opes HERALDI, suas diminuunt. Thesauris illum abūdare, quibus partis A suæ Duces & Reges præpotentes conducantur: classem habere plurimā, homines in ministeriis nauticis peritissimos, qui sæpius pericula & prælia maritima sint experti. Terra illius vti diuitiis, ita militis copia hanc multipliciter superari. Quis enim iuxta præstitutum naues perfici, aut perfectis remiges inueniri annuo spatio posse speraret? Quis noua hac expeditione pulcherrimum statum patriæ in omnem redigi miseriam non timeret? Quis Romani Imperatoris opes ea vinci difficultate non affirmaret?

" EREXIT autem diffidentes Dux hac elocutione. Innotuit nobis, ait, Heraldi " sapientia: terrorem nobis ingerit, sed spem auget. Sua quidem inutiliter expendet, " aurum dissipans, non consolidans honorem. Non eo animi viget robore, quo vel " minimum quid meorum polliceri audeat. At arbitrio meo pariter quæ mea sunt, " quæque dicuntur illius, promittentur atque dabuntur. Hostem haud dubiè superabit, " qui non minus quæ hostis possidet quàm propria largiri valet. Nauigio, quo " sufficiente citiùs gaudebimus, non præpediemur. Sint illi experti, quæ nos cum B " felicitate maiore experiamur. Virtute meliùs quàm numero militum bella geruntur. " Præterea, ne rapinam amittat ille pugnabit, nos quæ dono accepimus, benefi" ciis comparauimus, requirimus. Quæ partis nostræ prima fiducia periculum omne " depellens, lætissimum triumphum nobis, summum decus, præclarissimum nomen dabit. Etenim constabat viro catholico ac sapienti, quòd omnipotentia Dei nihil volens iniquum iustam causam cadere non fineret. Præsertim consideranti sese, qui non tantum ditionem suam & gloriam augere, quantum ritus Christianos partibus in illis corrigere intendit. Iam tota classis prouidentissimè exornata ab ostio DIVÆ vicinisque portubus, vbi Nothum, quo transmitterent, diutiùs expectauere, Zephyri flatu in stationem sancti Gualerici delata est. Ibi quoque precibus, donis, votis, cælesti suffragio se commisit optimè confidens. Princeps, quem neque mora siue contrarietas venti, neque terribilia naufragia, neque pauida fuga multorum, qui fidem spoponderant, frangere præualent. Quin & consilio aduersitatibus obuiùs, submersorum interitus quantum poterat occultauit, latentiùs tumulando; commeatum indies augendo, inopiam leniuit. Ad hoc hortamine diuerso retraxit exterritos, animauit pauentes. Sacris supplicationibus adeò decertauit, vt corpus etiam ac- C ceptissimi Deo Confessoris GVALERICI contra præpedientem & pro secundo vento extra Basilicam deferret: concurrente in eadem humilitatis arma concione profecturorum cum ipso.

SPIRANTE dein aura expectata, voces cum manibus in cælum gratificantes, ac simul tumultus inuicem incitans tollitur; terra quàm properantissimè deseritur, dubium iter quàm cupientissimè initur. Eo namque celeritatis motu impelluntur, vt cùm armigerum hic, socium inclamet ille, plerique immemores clientum, aut sociorum, aut rerum necessariarum, id solum ne relinquantur cogitant, ac festinant. Increpat tamen atque vrget in puppes ardens vehementia Ducis, si quos vllatenus moram nectere notat. Verùm ne priùs luce litus, quò intendunt, attingentes, iniqua & minus nota statione periclitentur; dat præconis voce edictum, vt cùm in altum sint deductæ, paululum noctis conquiescant non longè à sua rates cunctæ in anchoris fluitantes, donec in eius mali summo lampade conspecta, ex- D templo buccinæ clangorem cursus accipiant signum. Memorat antiqua Græcia Atridem Agamemnona fraternos thalamos vltum iuisse mille nauibus: protestamur nos Guillelmum diadema regium requisisse pluribus. Xerxem fabulatur illa Seston & ABIDON ponto disiunctas vrbes nauium ponte coniunxisse: Guillelmum nos reuera propagamus, vno clauo suæ potestatis NORMANNICI soli & ANGLICI amplitudinem copulauisse. Guillelmum, qui à nullo vnquam superatus patriam inclytis ornauit trophæis, clarissimis locupletauit triumphis, superiore hostis manu deuicto Xerxi, & sine classe æquandum, ac fortitudine anteponendum censemus.

SOLVTIS noctu post quietem nauibus, vehens Ducem retrò ceteras agillimè reliquit ardentiùs ad victoriam properantis; imperio suæ velocitatis parilitate quasi obtemperans. Iussus mane remex mali ab alto num quæ veniant consequæ speculari, præter pelagus & aëra prospectui suo aliud nihil comparere indicat. Confestim

A anchora iacta, ne metus atque mœror comitem turbam confunderet; abundans prandium nec Baccho pigmentato carens animosissimus Dux, acsi in cœnaculo domestico memorabili cum hilaritate accepit; cunctos actutum affore promittens, Deo, cuius eos tutelæ credidit, adducente. Non indignum duceret Mantuanus Poëtarum Princeps laudibus Æneæ Troiani, qui priscæ Romæ vt parens gloria fuit, securitatem atque intentionem huius mensæ inserere. Inquisitus denuò speculator, naues quatuor aduenire, tertiò tantas exclamat, vt arborum veliferarum vberrima densitas nemoris præstet similitudinem. Quo proinde spes Ducis gaudio sit mutata, quàm ex intimo corde diuinam glorificauerit pietatem, coniiciendum cuiuis relinquimus. PENEVESELLVM prospero flatu prouectus, liberè nauibus egreditur, pugna nulla obstante. Equidem HERALDVS in EBORACENSEM PAGVM recesserat, cum fratre suo TOSTILLO, & HERALDO NORICORVM REGE dimicaturus. Nec mirère quòd germanus permotus iniuriis, inuasi honoris æmulus, arma externa adduxit in Heraldum, quem germana quoque illi moribus absimillima cùm armis non valeret, votis impugnabat & consilio, B luxuriâ fœdum, truculentum homicidam, diuite rapina superbum, aduersarium æqui & boni. Voluit autem virilis prudentiæ femina, intelligens honesta quælibet, ac vitâ colens, GVILLELMVM Anglis dominari, quem EDVVARDI REGIS mariti sui adoptio filij loco sibi succedere statuit; sapientem, iustum, fortem.

GVILLELMVS II.

BELLVM INTER GVILLELMVM DVCEM, & Heraldum Regem Anglorum.

GAVDENTES arrepto litore Normanni prima munitione PENEVESELLVM, altera HASTINGAS occupauere; quæ sibi receptaculo, nauibus propugnaculo forent. Marius, aut Magnus Pompeius, vterque eximius, calliditate atque industriâ meritus triumphum; hæc adducto Romam in vinculis IVGVRTHA, ille coacto Mithridate ad venenum, sic in hostium fines delatus formidaret agens militem vniuersum, se in C periculum seorsim ab agmine cum legione segniter daret. Fuit illorum, & est Ducum consuetudinis, dirigere, non ire exploratores; magis ad vitam sibi, quàm vt exercitui prouidentiam suam conseruarent. GVILLELMVS verò cùm viginti quinque non amplius militum comitatu promptus ipse loca & incolas explorauit. Inde reuertens ob asperitatem tramitis pedes, re non absque risu gesta, quanquam lector fortè rideat, seriæ laudi materiam dedit; gestans in humero sociatam suæ loricam satellitis, dum nominatissimum vi corporis vt animi OSBERNI FILIVM GVILLELMVM ferreo fasce leuauit.

DIVES quidam finium illorum inquilinus, natione Normannus, ROTBERTVS filius GVIMARÆ nobilis mulieris, HASTINGAS DVCI domino suo atque consanguineo nuntium destinauit, his verbis: « Præliatus cum fratre proprio D Rex HERALDVS, & cum Rege Noricorum, quo fortiorem sub cælo nullum viuere opinio fuit, pugna vna ambos occidit, ingentes eorum exercitus deleuit. Animatus eo successu festinus redit in te, numerosissimum populum ducens ac robustissimum: aduersus quem non amplius tuos quàm totidem despectabiles canes æstimo valere. Prudens vir computaris, domi militiæque cuncta hactenus prudenter egisti. Nunc tibi consule, prouide, labora, ne per temeritatem in discrimen vnde non euadas temet ipse præcipites. Suadeo intra munitiones mane, manu ad præsens confligere noli. »

DVX contra nuntio; « Pro mandato, inquit, quo mihi dominus tuus vult esse cautum, quanquam sine contumelia suadere decuerit, gratias ipsi, & hæc refer. Non me tutarer valli aut mœnium latebris, sed confligerem quamprimum cum Heraldo; nec diffiderem fortitudine meorum cum suis eum contritum iri, voluntate diuina non resistente: tametsi decem sola millia virorum haberem, quales ad sexaginta millia adduxi. »

QVADAM verò die, dum custodiam nauium viseret Dux, indicatum est fortè «

GVILLELMVS II. ſpacianti prope naualia, Monachum HERALDI legatum adeſſe. Ipſe protinus illum conuenit ingenioſa hac elocutione: Proximus, infit, ego ſum GVILLELMI » COMITIS NORMANNORVM, ac Dapifer. Eum alloquendi niſi per me copiam » habere non poteris, quod affers mihi narra. Libens ille cognoſcet idem per me, quia » neminem ſuorum cariorem habet me. Poſt opportunè vti voles mea opera, coram » loquutum venies. Legatione percepta, patefaciente monacho, ſine cunctatione Dux legatum hoſpitio recipi, & officioſa humanitate curari præcepit. Ipſe interim ſecum & cum ſuis quid mandatis reſponderet deliberabat. A

IN craſtino diſcumbens in medio Primatum ſuorum, cucullato aduocato dixit: » Ego ſum GVILLELMVS Dei gratia Normannorum Princeps. Quæ mihi he- » ſterno die retuliſti, in horum nunc præſentia refer. Legatus ita elocutus eſt: Hæc ti- » bi mandat Rex HERALDVS. Terram eius ingreſſus es, qua fiduciâ, qua temerita- » te neſcit. Meminit quidem quod Rex EDVVARDVS te Anglici regni hæredem » fore pridem decreuerit, & quòd ipſe in Normannia de hac ſucceſſione ſecuritatem » tibi firmauerit. Nouit autem iure ſuum eſſe regnum idem eiuſdem Regis domini B » ſui dono in extremis illius ſibi conceſſum. Etenim ab eo tempore, quo beatus Au- » guſtinus in hanc venit regionem, communem gentis huius fuiſſe conſuetudinem, » donationem quam in vltimo fine ſuo quis fecerit, eam ratam haberi. Quapropter de » terra iuſtè ſua cum tuis te regredi poſtulat. Alioquin amicitiam, & cuncta pacta per » ipſum in Normannia tibi firmata ſoluet, penes te omninò relinquens ea.

AVDITIS Heraldi mandatis, Dux Monachum inquiſiuit, num legatum ſuum ad Heraldum cum ſalute perducere vellet. Ille ſalutis eius vt propriæ curam ſe habiturum ſpopondit. Dux illicò verbis his Monachum Fiſcannenſem quendam in- „ ſtruxit, quæ citius Heraldo deferret. Non temerè, neque iniuſtè, ſed conſultò & æ- „ quitatis ductu in hanc terram tranſuectus ſum; cuius me hæredem, vt HERAL- „ DVS ipſe fatetur, ſtatuit dominus meus & conſanguineus REX EDVVARDVS, „ ob maximos honores & plurima beneficia quæ illi atque fratri ſuo, necnon homini- „ bus eorum ego & maiores mei impendimus: & quoniam omnium, qui genus ſuum „ attingerent, me credebat excellentiſſimum, qui optimè valerem vel ei quamdiu vi- „ ueret ſubuenire, vel poſteaquàm decederet regnum gubernare. Sanè neque id abſ- C „ que ſuorum Optimatum conſenſu, verùm conſilio STIGANDI Archiepiſcopi, „ GODVVINI Comitis, LEVRICI Comitis, SIGARDI Comitis, qui etiam iu- „ reiurando ſuis manibus confirmauerunt, quòd poſt Edvvardi deceſſum me recipe- „ rent dominum, nec vllatenus peterent in vita illius patriam hanc vllo impedimen- „ to contra me occupari. Obſides mihi dedit Godvvini filium ac nepotem. Poſtremo „ Heraldum ipſum in Normanniam tranſmiſit, vt quod pater eius atque cæteri ſupra- „ nominati hîc mihi iurauere abſenti: is ibi præſens iuraret præſenti. Qui dum per- „ geret ad me, in periculum captionis incidit, vnde mea eum prudentia ac fortitudi- „ ne eripui. Se mihi per manus ſuas dedit, ſua manu ſecuritatem mihi de regno An- „ glico firmauit. Præſto ego ſum ad agendum cauſam contra illum in iudicio, ſiue pla- „ cet illi iuxta ius Normannorum, ſiue potius Anglorum. Si ſecundum æquitatis ve- „ ritatem decreuerint Normanni aut Angli, quòd ille regnum hoc iure debeat poſſi- „ dere, cum pace poſſideat. Si verò mihi iuſtitiæ debito reddẽdum eſſe conſenſerint, „ mihi dimittat. At ſi conditionem hanc repudiauerit, non duco iuſtum vt homines D „ mei vel ſui concidant præliando, quorum in lite noſtra culpa nulla eſt. Ecce para- „ tus ego ſum capite meo contra caput illius aſſerere, quòd mihi potius quàm illi iure „ cedat regnum Anglicum.

HANC verborum Ducis diligenter compertam ſententiam magis quàm dictatum noſtrum in oculos plurimorum venire volumus, quia plurimorum perpetuo fauore eum deſideramus laudari. Pulchrè colligetur & ex ea, quòd verè prudens, iuſtus, pius, ac fortis extiterit. Rationum namque copia, ſicut liquet attento, quas infirmare nec valeret eloquentiæ Romanæ maximus author Tullius, Heraldi rationem deſtruxit. Denique iudicium, quod iura gentium definirent, accipere præſto fuit. Anglos inimicos mori ob litem ſuam noluit, ſingulari certamine proprio capite cauſam determinare voluit. Vt ergo mandata eadem HERALDO appropinquanti per Monachum ſunt relata, ſtupore expalluit, atque diu vt elinguis obticuit. » Rogitanti autem reſponſum legato ſemel & iterum, primò reſpondit: Pergimus

A continenter; secundò, pergimus ad pretium. Instabat legatus vt aliud responderetur, repetens non interitum exercituum, sed singulare certamen Normanno Duci placere. Nam vir strenuus & bonus iustum aliquid ac lætum renũtiare, nec multos occumbere volebat. Heraldi caput, pro quo minor fortitudo, æquitas nulla staret, casurum confidens. Tum leuato Heraldus in cælum vultu, ait: Dominus inter me & Guillelmum hodie quod iustum est decernat. Regnandi siquidem cupidine cæcatus, simul ob trepidationem oblitus iniuriæ, conscientiam in ruinam sui rectum iudicem optauit.

INTEREÀ exploratum directi Ducis iussu probatissimi equites, hostem adesse citi nuntiant. Accelerabat enim eo magis Rex furibundus, quòd propinqua castris Normannorum vastari audierat. Nocturno etiam incursu aut repentino minus cautos opprimere cogitabat. Et ne perfugio abirent, classe armata ad septingentas naues in mari opposuerat insidias. Dux properè quotquot in castris inuenti sunt, (pleraque enim sociorum pars eo die pabulatum ierat) omnes iubet armari. Ipse my-
B sterio Missæ quàm maxima cum deuotione assistens, corporis ac sanguinis Dominici communicatione suum & corpus & animam muniuit. Appendit etiam humili collo suo reliquias, quarum fauorem HERALDVS abalienauerat sibi, violata fide quam super eas iurando sanxerat. Aderant comitati è Normannia duo Pontifices, ODO BAIOCENSIS, & GOISFREDVS CONSTANTINVS; vnà multus Clerus, & Monachi nonnulli. Id Collegium precibus pugnare disponitur. Terreret alium loricæ, dum vestiretur, sinistra conuersio. Hanc conuersionem risit ille vt casum, non vt mali prodigium expauit.

EXHORTATIONEM, qua pro tempore breuiter militum virtuti plurimum alacritatis addidit, egregiam fuisse non dubitamus; & si nobis non ex tota dignitate sua relatam. Commonuit Normannos, quòd in multis atque magnis periculis victores tamen se duce semper extiterint. Commonuit omnes patriæ suæ, nobilium gestorum, magnique nominis. Nunc probandum esse manu, qua virtute polleant, quem gerant animum. Iam non id agi, quis regnans viuat, sed quis periculum imminens cum vita euadat. Si more virorum pugnent, victoriam, decus, diuitias ha-
C bituros. Alioquin aut otiùs trucidari, aut captos ludibrio fore hostibus crudelissimis. Ad hoc ignominia sempiterna infamatum iri. Ad effugium nullam viam patere, cùm hinc arma, & inimica ignotáque regio obsistant: illinc pontus & arma. Non decere viros multitudine terreri. Sæpenumerò ANGLOS hostili ferro deiectos cecidisse, plerumque superatos in hostis venisse deditionem, nunquam gloria militiæ laudatos. Imperitos bellandi strenua virtute paucorum facilè posse conteri. Præsertim cùm iustæ causæ præsidium cæleste non desit. Audeant modo, nequaquam cedant, triumpho citiùs gauisuros fore.

HAC autem commodissima ordinatione progreditur, vexillo præuio quod APOSTOLICVS transmiserat. Pedites in fronte locauit, sagittis armatos & balistis, item pedites in ordine secundo firmiores & loricatos; vltimo turmas equitũ, quorũ ipse fuit in medio cum firmissimo robore, vnde in omnem partem consuleret manu & voce. Scribens HERALDI agmen illud veterum aliquis, in eius transitu flumina epotata, siluas in planum redactas fuisse memoraret. Maximæ enim ex omnibus vn-
D dique regionibus copiæ Anglorum conuenerant. Studium pars HERALDO, cuncti patriæ præstabant, quam contra extraneos, tametsi non iustè, defensare volebãt. Copiosa quoque auxilia miserat eis cognata terra Danorum. Non tamen audentes cum Guillelmo ex æquo confligere, plus eum quàm REGEM NORICORVM extimentes, locum editiorẽ præoccupauere, montem siluæ per quam aduenere vicinum. Protinus equorum ope relicta, cuncti pedites constitere densiùs conglobati. Dux cum suis neque loci territus asperitate, ardua cliui sensim ascendit. Terribilis clangor lituorum pugnæ signa cecinit, vtrinque Normannorum alacris audacia pugnæ principium dedit. Taliter cùm oratores in iudicio litem agunt de rapina, prior ferit dictione qui crimen intendit. Pedites itaque Normanni propiùs accedentes prouocant Anglos, missilibus in eos vulnera dirigunt atque necem. Illi contra fortiter quo quisque valet ingenio resistunt. Iactant cuspides ac diuersorum generum tela, sæuissimas quasque secures, & lignis imposita saxa. Iis veluti mole letifera statim nostros obrui putares. Subueniunt equites, & qui posteriores fuere fiunt

GVILLELMVS II. primi. Pudet eminus pugnare, gladiis rem gerere audent. Altissimus clamor hinc A Normannicus, illinc barbaricus armorum sonitu & gemitu morientium superatur. Sic aliquandiu summa vi certatur ab vtrisque. Angli nimium adiuuantur superioris loci opportunitate, quem sine procursu tenent, & maximè conferti: ingenti quoque numerositate sua atque validissima corpulentia: præterea pugnæ instrumentis, quæ facile per scuta vel alia tegmina viam inueniunt. Fortissimè itaque sustinent vel propellunt ausos in se districtum ensibus impetum facere. Vulnerant & eos, qui eminus in se iacula coniiciunt. Ecce igitur hac sæuitia perterriti auertuntur pedites pariter atque equites Britanni, & quotquot auxiliares erant in sinistro cornu: cedit fere cuncta Ducis acies, quod cum pace dictum sit Normannorum inuictissimæ nationis. Romanæ maiestatis exercitus copias regum continens, vincere solitus terra marique fugit aliquando, cùm ducem suum sciret aut crederet occisum. Credidere Normanni Ducem ac Dominum suum cecidisse. Non ergo nimis pudenda fugâ cessere; minimè verò dolenda, cùm plurimum iuuerit.

PRINCEPS namque prospiciens multam partem aduersæ stationis prosiluisse, & insequi terga suorum; fugientibus occurrit & obstitit, verberans aut minans hasta. Nudato insuper capite detractáque galea exclamans; Me, inquit, circumspicite. B
» Viuo, & vincam, opitulante Deo. Quæ vobis dementia fugam suadet? quæ via patebit ad effugiendum? Quos vt pecora mactare potestis, depellunt vos & occidunt.
» Victoriam deseritis, ac perpetuum honorem: in exitium curritis, ac perpetuum opprobrium. Abeundo, mortem nullus vestrum euadet. His dictis, receperunt animos. Primus ipse procurrit fulminans ense, strauit aduersam gentem, quæ sibi regi suo rebellans commeruit mortem. Exardentes Normanni, & circumuenientes aliquot millia insecuta se, momento deleuerunt ea, vt ne quidem vnus superesset. Ita confirmati vehementiùs, immanitatem exercitus inuaserunt: qui maximum detrimentum passus non videbatur minor. Angli confidenter totis viribus oppugnabant, id maximè laborantes, ne quem aditum irrumpere volentibus aperirent. Ob nimiam densitatem eorum labi vix potuerunt interemi *. Patuerunt tamen in eos viæ incisæ per diuersas partes fortissimorum militum ferro. Institerunt eis Cenomanici, Francigenæ, Britanni, Aquitani, sed cum præcipua virtute Normanni. C

TYRO quidam Normannus RODBERTVS, ROGERII DE BELLOMONTE filius, HVGONIS DE MELLENTO Comitis ex ADELINA sorore nepos & hæres, prælium illo die primùm experiens egit quod æternandum esset laude: cum legione, quam in dextro cornu duxit irruens, ac sternens magna cum audacia. Non est nostræ facultatis, nec permittit intentio nostra, singulorum fortia facta pro merito narrare. Copia dicendi valentissimus, qui bellum illud suis oculis didicerit, difficillimè singula quæque persequeretur. At hoc nos illò properamus, vt finita Guillelmi Comitis laude, GVILLELMI REGIS gloriam scribamus.

ANIMADVERTENTES Normanni, sociáque turba, non absque nimio sui incommodo hostem tantum simul resistentem superari posse: terga dederunt, fugam ex industria simulantes. Meminerunt quàm optatæ rei paulò antè fuga dederit occasionem. Barbaris cum spe victoriæ ingens lætitia exorta est. Sese cohortantes exultante clamore nostros maledictis increpabant, & minabantur cunctos illicò ruituros esse. Ausa sunt vt superiùs aliquot milia quasi volante cursu quos fugere putabant vrgere. Normanni repentè regiratis equis interceptos & inclusos vndique mactauerunt, nullum relinquentes. Bis eo dolo simili euentu vsi, reliquos maiori cum alacritate aggressi sunt: aciem adhuc horrendam, & quam difficillimum erat circumuenire. Fit deinde insoliti generis pugna, quam altera pars incursibus & diuersis motibus agit, altera velut humo affixa tolerat. Languent Angli, & quasi reatum ipso defectu confitentes, vindictam patiuntur. Sagittant, feriunt, perfodiunt Normanni: mortui plus, dum cadunt, quàm viui, moueri videntur. Leuiter sauciatos non permittit euadere, sed comprimendo necat sociorum densitas. Ita felicitas pro Guillelmo triumpho maturando cucurrit. D

INTERFVERVNT huic prælio EVSTACHIVS Boloniæ Comes, GVILLELMVS Richardi Ebroicensis Comitis filius, GOISFREDVS Rotronis Moritoniæ Comitis filius, GVILLELMVS Osberni filius, HAIMERIVS Toarcensis Præses, Gualterus Giffardus, Hugo de Monteforti, Rodolphus de Toneia, Hugo

GVILLELMVS II.

A de Grentmaisnil, Guillelmus de Guarenna, aliique quamplures militaris præstantiæ fama celebratissimi, & quorum nomina historiarum voluminibus inter bellicosissimos commendari deceat. GVILLELMVS verò Dux eorum adeò præstabat eis fortitudine, quemadmodum prudentia, vt antiquis ducibus Græcorum siue Romanorum, qui maximè scriptis laudantur, aliis meritò sit præferendus, aliis comparandus. Nobiliter duxit ille cohibens fugam, dans animos, periculi socius; sæpius clamans vt venirent, quàm iubens ire. Vnde liquidò intelligitur, virtutem illi præuiam pariter fecisse militibus iter & audaciam. Cor amisit absque vulnere pars hostium non modica, prospiciens hunc admirandum ac terribilem equitem. Equi tres ceciderunt sub eo confossi. Ter ille desiluit intrepidus, nec diu mors vectoris inulta remansit. Hic velocitas eius, hic robur eius videri potuit corporis & animi. Scuta, galeas, loricas, irato mucrone & moram dedignante penetrauit; clypeo suo nonnullos collisit. Mirantes eum peditem sui milites, plerique confecti vulneribus, corde sunt redintegrati. Et nonnulli, quos iam sanguis ac vires deficiunt, scutis innixi viriliter depugnant, aliqui voce & nutibus, cùm aliud non valent, socios instigant; ne timidè Ducem sequantur, ne victoriam è manibus dimittant. Auxilio ipse multis atque saluti fuit. B

CVM Heraldo tali, qualem Poëmata dicunt Hectorem vel Turnum, non minus auderet Guillelmus congredi singulari certamine, quàm Achilles cum Hectore, vel Æneas cum Turno. Tydeus aduersum insidiatos quinquaginta rupis petiuit opem, Guillelmus par, haud inferior loco, solus non extimuit mille. Scriptor Thebaidos vel Æneidos, qui libris in ipsis Poëtica lege de magnis maiora canunt, ex actibus huius viri æquè magnum, plus dignum considerent * opus vera canendo. Profectò, si quantum dignitas materiæ suppeditaret carminibus ediscererent condecentibus, inter diuos ipsorum stili venustate transferrent eum. Nostra verò tenuis prosa titulatura ipsius humillimè regnantibus pietatem in cultu veri Dei, qui solus ab æterno in finem seculorum & vltra Deus est; præliũ, quo tam fortiter quàm iustè vicit, veraci termino breuique concludat.

* f. confiderent.

IAM inclinato die haud dubiè intellexit exercitus Anglorum, se stare contra Normannos diutiùs non valere. Nouerunt se diminutos interitu multarum legionum, Regem ipsum & fratres eius, regnique Primates nonnullos occubuisse: quotquot reliqui sunt propè viribus exhaustos: subsidium, quod expectent, nullum relictum. Viderunt Normannos non multum decreuisse peremptorum casu, & quasi virium incrementa pugnando sumerent, acriùs quàm in principio imminere. Ducis eam sæuitiam, quæ nulli contra stanti parceret; eam fortitudinem, quæ nisi victrix non quiesceret. In fugam itaque conuersi quantotius abierunt, alij raptis equis, nonnulli pedites; pars per vias, plerique per auia. Iacuerunt in sanguine qui niterentur, aut surgerent non valentes profugere. Valentes fecit aliquos salutem valdè cupiens animus. Multi siluestribus in abditis remanserunt cadauera, plures obstruebant sequentibus per itinera collapsi. Normãni licèt ignari regionis auidè insequebantur, cædentes rea terga, imponentes manum vltimam secundo negotio. A mortuis etiam equorum vngulæ supplicia sumpsere, dum cursus fieret super iacentes. Rediit tamen fugientibus confidentia, nactis ad renouandum certamen maximam opportunitatem, prærupti vallis & frequentium fossarum. Gens equidem illa natura semper in ferrum prompta fuit, descendens ab antiqua SAXONVM origine ferocissimorum hominum. Propulsi non fuissent, nisi fortissima vi vrgente. Regem Noricorum magno exercitu fretum & bellicoso quàm facilè nuper vicerunt. C D

CERNENS autem felicium signorum ductor cohortes inopinatò collectas, quamuis nouiter aduenire subsidium putaret, non flexit iter neque substitit, terribilior cum parte hastæ quàm grandia spicula vibrantes, EVSTACHIVM Comitem cum militibus quinquaginta auersum, & receptui signa canere volentem, ne abiret virili voce compellauit. Ille contra familiariter in aurem Ducis reditum suasit, proximam ei si pergeret mortem prædicens. Hæc inter verba percussus Eustachius inter scapulas ictu sonoro, cuius grauitatem statim sanguis demonstrabat naribus & ore, quasi moribundus euasit ope comitum. Dux formidinem omninò dedignans aut dedecus, inuadens protriuit aduersarios. In eo congressu Normannorum aliqui nobiliores ceciderunt, aduersitate loci virtute eorum impedita. Sic vi-

Gvillelmvs II. *sal. iusto bello.

ctoria consummata, ad aream belli regressus, reperit stragem, quam non absque miseratione conspexit, tametsi factam in impios; tametsi tyrannum occidere * sit pulchrum, famâ gloriosum, beneficio gratum. Latè solum operuit sordidatus in cruore flos Anglicæ nobilitatis atque iuuentutis. Propius Regem fratres eius duo reperti sunt. Ipse carens omni decore quibusdã signis, nequaquã facie, recognitus est, & in castra Ducis delatus, qui tumulandum eum Gvillelmo agnomine Maletto concessit, non matri pro corpore dilectæ prolis auri par pondus offerenti. Sciuit enim nõ decere tali commercio aurum accipi. Æstimauit indignum fore ad matris libitum sepeliri, cuius ob nimiam cupiditatem insepulti remanerent innumerabiles. Dictum est illudendo, oportere situm esse custodem litoris & pelagi, quæ cum armis ante vesanus insedit. Nos tibi, Heralde, non insultamus, sed cum pio victore tuam ruinam lachymato miseramur & plangimus te. Vicisti digno te prouentu, ad meritum tuum & in cruore iacuisti, & in littoreo tumulo iaces, & posthumæ generationi tam Anglorum quàm Normannorum abominabilis eris. Corruere solent qui summam in mundo potestatem summam beatitudinem putant: & vt maximè beati sint rapiunt eam, raptam vi bellica retinere nituntur. Atqui tu fraterno sanguine maduisti, ne fratris magnitudo te faceret minus potentem. Ruisti dein furiosus in alterum conflictum, vt adiutus patriæ parricidio regale decus non amitteres. Traxit igitur te clades contracta per te. Ecce non fulges in corona, quam perfidè inuasisti; non resides in solio, quod superbè ascendisti. Arguunt extrema tua, quàm rectè sublimatus fueris Edvvardi dono in ipsius fine. Regum terror Cometa, post initium altitudinis tuæ coruscans, exitium tibi vaticinatus fuit. A B

Verum omissa nænia, felicitatem quam eadem stella portendit differamus. Argiuorum Rex Agamemnon habens in auxilio multos Duces atque Reges, vnicam vrbem Priami dolo vix euertit obsidionis anno decimo. Quæ fuerint eius militum ingenia, quæ virtus, carmina testantur. Item Roma sic adulta opibus, vt orbi terrarum vellet præsidere, vrbes aliquot deuicit singulas pluribus annis. Subegit autem vrbes Anglorum cunctas Dux Guillelmus copiis Normanniæ vno die ab hora tertia in vesperum, non multo extrinsecus adiutorio. Si tuerẽtur eas mœnia Troiana, breui talis viri manus & consilium excinderent Pergama. Posset ilicò victor sedem Regiam adire, imponere sibi diadema, terræ diuitias in prædam suis militibus tribuere, quósque potentes alios iugulare, alios in exilium eiicere. Sed moderatiùs ire placuit, atque clementiùs dominari. Consueuit namque pridem adolescẽs temperantia decorare triumphos. Par fuisset, Anglorum qui sese per iniuriam tantam pessundederunt in mortem, carnes gula vulturis lupíque deuorari, ossibus insepultis campos fore sepultos. Ceterùm, illi crudele visum est tale supplicium. Volentibus ad humandum eos colligere liberam concessit potestatem. Humatis autem suis, dispositáque custodiâ Hastingas cum strenuo Præfecto, Romanærium accedens, quam placuit pœnam exegit pro clade suorum, quos illuc errore appulsos fera gens adorta prælio cum vtriusque partis maximo detrimento fuderat. C

Hinc Doveram contendit, vbi populum innnumerabilem congregatum acceperat; quòd locus ille inexpugnabilis videbatur. At eius propinquitate Angli perculsi, neque naturæ vel operis munimento, neque multitudini virorum confidunt. Situm est id castellum in rupe mari contigua, quæ naturaliter acuta vndique ad hoc ferramentis elaboratè incisa, in speciem muri directissima altitudine quantum sagittæ iactus permetiri potest consurgit, quo in latere vnda marina alluitur. Cùm tamen Castellani supplices deditionem pararent, armigeri exercitus nostri prædæ cupidine ignem iniecerunt. Flamma leuitate sua volitans pleráque corripuit. Dux nolens incommoda eorum, qui secum deditionaliter agere cœperant: pretium dedit restituendarum ædium, aliáque amissa recompensauit. Seueriùs animaduerti præcepisset in auctores incendij, ni vilitas & numerositas ipsorum occultauisset eos. Recepto castro, quæ minus erant per dies octo addidit firmamenta. Milites illic recentibus carnibus & aquâ vtentes, multi profluuio ventris extincti sunt, plurimi in extremum vitæ debilitati discrimen. Aduersa tamen & hæc fortitudinem Ducis non fregerunt. Custodiam inibi quoque relinquens, & dyssenteria languentes; ad perdomãdum quos deuicit proficiscitur. Occurrunt vltro Cantvarii haud procul à Douera, iurant fidelitatem, dant obsides. Contremuit etiam potens D

tens

A tens Metropolis metu, & ne funditùs caderet vllatenus resistendo, maturauit impetrare statum obediendo. Veniens postero die ad FRACTAM TVRRIM castra metatus est, quo in loco grauissima sui corporis valetudine animos familiarium pari conturbauit ægritudine. Volens autem publicum bonum, ne exercitus egestate rerum necessariarum laboraret, noluit indulgere sibi moras ibi agendo. Quanquam fuerit commune proficuum, ac valde optandum, optimum Ducem ad sanitatem conualere. GVILLELMVS II.

INTEREA STIGANDVS Cantuariensis Archipræsul, qui sicut excellebat opibus atque dignitate, ita consultis plurimum apud Anglos poterat, cum filiis ALGARDI aliisque præpotentibus prælium minatur. Regem statuerant EDGARVM ADELINVM, ex Eduuardi Regis nobilitate annis puerum. Erat videlicet eorum voti summa, non habere dominum quem non habuere compatriotam. Verùm, qui dominari debuit eis, intrepidè appropetans, vbi frequentiorem audiuit eorum conuentum, non longè à Lundonia consedit. Præterluit eam vrbem fluuius Tamesis, peregrinas è portu marino diuitias aduc-B ctans. Cùm solos ciues habeat, copioso ac præstantia militari famoso incolatu abundat. Tum verò confluxerat ad ipsam hospes turba propugnatorum, quam, licet ambitu nimis ampla, non facilè capiebat. Præmissi illò equites Normanni quingenti, egressam contra se aciem refugere intra mœnia impigrè compellunt, terga cedentes. Multæ stragi addunt incendium, cremantes quicquid ædificiorum citra flumen inuenere, vt malo duplici superba ferocia contundatur. Dux progrediens dein quoquouersum placuit, transmeato flumine Tamesi, vado simul atque ponte ad oppidum GVARENGEFORT * peruenit. * Walengford.

ADVENIENS eodem Stigandus Pontifex METROPOLITANVS, manibus ei sese dedit, fidem sacramento confirmauit, abrogans ADELINVM quem leuiter elegerat. Hinc procedenti, statim vt LVNDONIA conspectui patebat, obuiam exeunt Principes ciuitatis; sese cunctámque ciuitatem in obsequium illius, quemadmodum ante CANTVARII tradunt, obsides quos & quot imperat adducunt. Orant post hæc, vt coronam sumat, vnà Pontifices, atque cæteri Summates. Se quidem solitos esse Regi seruire, C Regem dominum habere velle. Consulens ille comitatos è Normannia, quorum non minus prudentiam quàm fidem spectatam habebat, patefecit eis quid maximè sibi dissuaderet quod Angli orabant. Res adhuc turbidas esse, rebellare nonnullos, se potius regni quietem quàm coronam cupere. Præterea si Deus ipsi hunc concedit honorem, secum velle coniugem suam coronari. Denique non oportere nimium properari, dum in altum culmen ascenditur. Profectò non illi dominabatur regnandi libido, sanctum esse intellexerat, sanctéque diligebat coniugij pignus. Familiares contra suasere, vt totius exercitus vnanimi desiderio optari sciebant. Quanquam rationes eius apprimè laudabiles dignoscerent, ex arcano vberrimæ sapientiæ manantes.

ADERAT huic consilio HAIMERIVS Aquitanus Præses Toarcensis lingua non ignobilior quàm dextra. Is demirans, & vrbanè extollens modestiam inquirentem animos militum, num vellent dominum suum Regem fieri: Ad disceptatio- « nem, inquit, huiusmodi milites nunquam aut rarò acciti sunt. Non est diu tra- « D hendum nostra deliberatione, quod desideramus fieri quàm ocissimè. At pru- « dentissimi & optimi viri nequaquam ita cuperent in alto huius Monarchiæ illum locari, nisi præcipuè idoneum peruiderent, licet ipsorum commoda & honores per exaltationem eius augeri volentes. Ipse iterum omnia secum perpendens, adquieuit tot petentibus tótque suadentibus. Præsertim sperans, vbi regnare cœperit, rebellem quémque minus ausurum in se, faciliùs conterendum à se. Præmisit ergo Lundoniam, qui munitionem in ipsa construerent vrbe, & pleráque competentia regiæ magnificentiæ præpararent: moraturus interim per vicina. Aduersitas omnis procul fuit, adeò vt venatui & auium ludo si fortè libuit securè vacaret.

DIE ordinationi decreto elocutus ad Anglos condecenti sermone Eboracensis Archiepiscopus, æquitatem valde amans, æuo maturus, sapiens, bonus, eloquens; an consentirent eum sibi Dominum coronari, inquisiuit. Protestati

GVILLELMVS II. sunt hilarem consensum vniuersi minimè hæsitantes, ac si cælitus vna mente data vnaque voce. Anglorum voluntati quàm facillimè Normanni consonuerunt: sermocinato ad eos ac sententiam percunctato Constantini Præsule. Ceterùm, qui circa monasterium in armis & equis præsidio dispositi fuerunt, ignotæ nimio strepitu acceptorem sinistram arbitrati propè ciuitati imprudentia flammam iniecerunt. Sic electum consecrauit idem Archiepiscopus æquè sancta vitâ carus & inuiolata fama, imposuit ei regium diadema, ipsumque Regio solio, fauente multorum præsentia Præsulum & Abbatum, in Basilica sancti Petri Apostoli, quæ Regis Edvvardi sepulchro gaudebat, in sacrosancta solemnitate Dominici Natalis milesimo sexagesimo sexto Incarnationis Dominicæ anno. Repudiauit enim consecrari à Stigando Cantuariensi, quem per Apostolici iustum zelum anathemate reprobatum didicerat. Nec minus insignia Regum decuerunt personam eius, quàm ad regimen idoneæ extiterunt virtutes eius. Cuius liberi atque nepotes iusta successione præsidebunt Anglicæ terræ, quam & hereditaria delegatione sacramentis Anglorum firmata, & iure belli ipse possedit: coronatus tali eorundem consensu, vel potius appetitu eiusdem gentis Primatum. Et si ratio sanguinis poscitur, pernotum est quàm proxima consanguinitate Regem Edvvardum attigerit filius Ducis RODBERTI, cuius amita RICHARDI SECVNDI soror, filia PRIMI, EMMA, genitrix fuit EDVVARDI.

1066. (margin, beside "cta solemnitate Dominici Natalis")

POST celebratam ordinationem, non vt solitum est, post honorum augmenta, fieri, remissius laudabilia gerere cœpit, sed nouo admirandóque ardore ad honestos & ingentes actus accenditur dignissimus Rex: quod nomen posito Ducis nomine libens acceptat stilus noster. Secularibus namque ac diuinis operam impendebat strenuam vtrisque, ad seruitium tamen Regis omnium Regum cor propensius habebat. Quippe cui suos prouectus reputabat, contra quem potentia aut vita neminem mortalium potiri diu posse sciebat: à quo gloriam interminabilem vbi temporalem finiret expectabat. In huius ergo Imperatoris quasi tributum large erogauit, quod Heraldi Regis ærarium auarè inclusit. Terræ illi sua fertilitate opimæ vberiorem opulentiam comportare soliti sunt negotiatores gaza aduectitia. Maximi numero, genere, artificio thesauri compositi fuerant, aut custodiendi ad vanum gaudium auaritiæ, aut luxu Anglico turpiter consumendi. Quorum partem ad ministros confecti belli magnificè erogauit, plurima ac pretiosissima egenis & Monasteriis diuersarum prouinciarum distribuit. Id munificentiæ studium adiuuit non modicus census, quem vndique ciuitates & locupletes quique obtulerant nouitio Domino. Romanæ Ecclesiæ sancti Petri pecuniam in auro atque argento ampliorem quàm dictu credibile sit, & ornamenta quæ BIZANTIVM perchara haberet, in manum ALEXANDRI Papæ transinisit. Memorabile quoque vexillum HERALDI, hominis armati imaginem intextam habens ex auro purissimo: quo spolio pro munere eiusdem Apostolici benignitate sibi misso par redderet: simul & triumphum de tyranno Romæ vlteriúsque optatum pulchrè indicaret. Quanti famulorum Christi cætus tũ læti gratiarum hymnos canebant pro victore, antea fautores, illius precum armatura, summatim recitamus. Mille Ecclesiis Franciæ, Aquitaniæ, Burgundiæ, nec non ARVERNIÆ, aliarumque regionum perpetuò celebre erit GVILLELMI Regis memoriale. Beneficij magnitudo semper viuens mori benefactoris memoriam non patietur. Aliæ Cruces aureas admodum grandes insigniter gemmatas, pleræque libras auri vel ex eodem metallo vasa, nonnullæ pallia vel pretiosum aliud quid accepêre. Splendidè adornaret Metropolitanam Basilicam, quod minimum in his donis Cœnobiolum aliquod lætificauit. Ducibus atque Regibus hæc, & scripta in hoc Libello complura innotescere velim, ad exemplum, aut incitamentum. Munera quidem gratissima Normanniæ aduenerunt à suo dulci nato, pio patre festinante affectu missa, cùm sæuitia temporis atque maris intrante Ianuario esset acerrima. Nuntium verò euentus, cuius expectatione intenta fuit & anxia, milies cariorem accepit. Nec enim adeò gratum acciperet quicquid Arabia pulchrum aut suaue donare posset. Nullus vnquam illuxit ei dies lætior, quàm cùm certò resciuit Principem suum, auctorem sui quieti status Regem esse. Vrbes, ca-

A stella, villæ, Monasteria, multum pro victore, maximè congratulabantur pro regnante. Lux quædam insolitæ serenitatis toti prouinciæ subito exorta videbatur. Quæ licet destitutam se putaret communi patre, dum eius præsentia careret, sic tamen abesse volebat eum, magis vt summa potentia ipse vteretur, quàm vt sibi præsidio foret aut decori amplius potens. Tantum namque cupiebat Normannia illius maiestatem, quàm ille Normanniæ commoda siue honorem. Profectò dubium erat illum patria, an patriam ille plus diligeret, qualiter est olim dubitatum de Cæsare Augusto & Populo Romano. GVILLELMVS II.

DILIGERES, ac maximi haberes eum & tu ANGLICA TERRA, totamque te eius pedibus læta prosterneres, si abesset imprudentia atque iniquitas tua, quo meliore consilio diiudicare posses in qualis viri potestatem deueneris. Præiudicare noli, dignitatem eius diligentiùs cognosce, & quotquot exegisti Dominos parui habebis cum eo comparatos. Eius honestatis pulchritudo optimo te colore decorabit. Didicit per legatum suum valentissimus vir Rex Pyrrhus, tales ferè, qualis erat ipse, Romam habere cunctos. Illa ciuitas parens Regum orbis, terræ caput & Domina, hunc qui tibi dominaturus est progenuisse, & ipsius manu defensari, sapientia gubernari, imperio parere, gauderet. Huius milites Normanni possident APVLIAM, deuicere SICILIAM, propugnant CONSTANTINOPOLIM, ingerunt metum BABYLONI. Nobilissimos tuorum filiorum iuuenes ac senes CHVNVTVS Danus trucidauit nimia crudelitate, vt sibi ac liberis suis te subigeret. Hic ne Heraldum vellet occubuisse. Imò voluit patris GODVINI potentiam illi ampliare, & natam suam Imperatoris thalamo dignissimam in matrimonium, vti fuerat pollicitus, tradere. At si hæc tibi mecum non conueniunt, profectò sustulit à ceruice tua superbum crudelémque dominatum HERALDI; abominandum tyrannum, qui te seruitute calamitosa simul & ignominiosa premeret, interemit. quod meritum in omni gente gratum habetur atque præclarum. Benefacta verò saluberrimæ dominationis, qua eris exaltata, in sequentibus aliqua contra tuam inuidiam testabuntur. Viuet, viuet in longum Rex GVILLELMVS, & in paginis nostris, quas tenui orationis figura scribere placet, vt res pulcherrimas dilucidè plures intelligant. Præsertim cùm præcipui oratores, quibus dicendi grauiter copia magna fuit, humili sermone, dum historias scribunt, vsi reperiantur.

MVLTA Lundoniæ, posteaquàm coronatus est, prudenter, iustè, clementérque disposuit, quædam ad ipsius ciuitatis commoda siue dignitatem, alia quæ genti proficerent vniuersæ, nonnulla quibus Ecclesiis terræ consuleretur. Iura quæcunque dictauit, optimis rationibus dictauit. Iudicium rectum nulla persona ab eo nequicquam postulauit. Specie vindicandi reatus auaritiam plerumque velat regnans iniquitas, supplicio addicit innocentem, vt possessionem addicti rapiat. Ille neminem damnauit, nisi quem non damnare iniquum foret. Nam vti aduersus libidines alias, ita aduersus auaritiam inuictum animum gerebat. Intellexerat esse regiæ maiestatis, illustri munificentia præstare, nihil vbi æquitas contradicit accipere. Suis quoque primatibus digna se & grauitate præcepit, & diligentia suasit æquitatem. Esse iugiter in oculis habendum, cuius vicerint præsidio, æternum Imperatorem. Nimium opprimi victos nequaquam oportere, victoribus professione Christiana pares, ne quos iustè subegerint iniuriis ad rebellandum cogerent. Ad hoc decere, ne quid turpiter in externis agitando, terræ vbi natus vel altus est dedecus infligeret. Milites verò mediæ nobilitatis, atque gregarios, aptissimis edictis coërcuit. Tutæ erant à vi mulieres, quam sæpè amatores inferunt. Etiam illa delicta, quæ fierent consensu impudicarum, infamiæ prohibendæ gratia vetabantur. Potare militem in tabernis non multum concessit, quoniam ebrietas litem, lis homicidium solet generare. Seditiones interdixit, cædem & omnem rapinam, frenans vt populos armis, ita legibus arma. Iudices, qui vulgo militum essent timori, constituti sunt, simul acerbæ pœnæ in eos qui delinquerent decretæ sunt: neque

GVILLEL-MVS II. liberiùs Normanni quàm Britãni vel Aquitani agere permittebantur. Scipionem, A aliósque priscos Duces proponunt imitandos, qui de disciplina militari scriptis docent. Prorsus æquè aut plus laudanda exempla ab exercitu Guillelmi Regis in promptu est accipere. Sed festinando dicamus alia, ne diu suspendamur à memorando reditu, quem Normannia intenta expectabat. Tributis & cunctis rebus ad regium fiscum reddendis, modum qui non grauaret posuit: latrociniis, inuasionibus, maleficiis locum omnem intra suos terminos denegauit. Portus & quælibet itinera negotiatoribus patêre, & nullam iniuriam fieri iussit. Pontificium Stigandi, quod nouerat non canonicum, minimè probabat: sed Apostolici sententiam expectare melius, quàm properantiùs deponere existimabat. Suadebant & aliæ rationes, vt ad tempus pateretur, atque honorificè haberet illum, cuius inter Anglos auctoritas erat summa.

IN sede Metropolitana meditabatur sanctum vitâ, famâ charum, eloquentiâ diuini verbi potentem, qui Suffraganeis Episcopis congruam formam præbere, & ouili Dominico præesse sciret, cunctísque prodesse cuperet studio vigilanti. Item B de ordinationibus aliarum Ecclesiarum præcogitabat. Omnino proba eius in regnando initia fuere.

EGRESSVS è Lundonia, dies aliquot in propinquo loco morabatur BERCINGIS, dum firmamenta quædam in vrbe contra mobilitatem ingentis ac feri populi perficerentur. Vidit enim in primis necessarium magnopere Lundonienses coërceri. Ibi veniunt ad obsequium eius EDVINVS & MORCARDVS maximi ferè omnium Anglorum genere ac potentiâ, ALGARDI illius nominatissimi filij, deprecantur veniam si qua in re contra eum senserant, tradunt se cunctáque sua eius clementiæ: item alij complures nobiles & opibus ampli.

IN his erat COMES COXO, quem singulari & fortitudine & probitate Regi, post & optimo cuique Normanno placuisse audiuimus. Rex eorum sacramenta vt postulauerunt, libens accepit, liberaliter eis donauit gratiam suam, reddidit eis cuncta quæ possederant, habebat eos magno honore. Inde progrediens diuersas partes regni accessit, ordinando vbique vtilia sibi & incolis terræ. Quaqua pergebat, in armis nemo manebat. Iter nullum obstruitur, occurrunt passim obsequentes, aut explicantes. Omnes ille clementibus oculis respexit, clementissimis plebem. Sæpe vultu miserantem animum prodidit, iussit multotiens misericordiam, cùm supplices conspiceret aut egenos, matres animaduerteret voce & gestibus precari cum liberis. C

ADELINVM, quem post Heraldi ruinam Angli Regem statuere conati fuerant, amplis terris ditauit, atque in charissimis habuit eum: quia Regis Edvvardi genus contigerat. Ad hoc ne puerilis ætas nimium doleret non habere honorem, ad quem electus fuerat; eiusdem liberalitatis dono acceperunt Angli complures, quod à parentibus vel prioribus dominis non acceperant. Custodes in castellis strenuos viros collocauit, ex Galliis traductos, quorum fidei pariter ac virtuti credebat, cum multitudine peditum & equitum. Ipsis opulenta beneficia distribuit, pro quibus labores ac pericula libentibus animis tolerarent. Nulli tamen Gallo datum est quod Anglo cuiquam iniustè fuerit ablatum.

GVENTA vrbs est nobilis atque valens. Ciues ac finitimos habet diuites, infidos, & audaces. DANOS in auxilium citiùs recipere potest. A mari, quod Anglos à Danis separat, millia passuum quatuordecim distat. Huius quoque vrbis intra mœnia munitionê construxit. Ibidem GVILLELMVM reliquit OSBERNI FILIVM, præcipuum in exercitu suo, vt in vice sua interim toti regno Aquilonem versus præesset. Hunc ex omnibus Normannis paterno more sibi fidissimum domi bellique perspexerat, simul fortitudine egregium, & consilio siue rei domesticæ, siue militaris: necnon Domino cælesti multo affectu deuotum. Hunc Normannis charissimum, Anglis maximo terrore esse sciebat. Hunc præ cæteris familiaribus à pueritia vtriusque dilexerat, & exaltauerat in Normannia. D

CASTRVM verò DOVERAM ODONI fratri suo commisit, cum adiacente ora australi, quæ nomine vetusto CANTIVM dicta, Galliam propiùs spectat, vnde & à minus feris hominibus incolitur. Consueuerant enim merces cum Belgis mu-

GVILIELMVS II.

A tare. Perhibetur etiam attestante pagina vetustatis, maritimam hanc regionem à Gallis olim fuisse possessam, quibus eò transuectis prædæ ac belli inferendi causa agri fertiles placuere. Odo ille Baiocarum Præsul cognitus fuerat talis, qui optimè negotia sustinere valeret Ecclesiastica & secularia. Bonitatem eius & prudentiam primò testatur Ecclesia Baiocensis, quam ipse multo studio egregiè ordinauit atque ornauit, iuuenis adhuc ætate, animi canicie senibus præferendus. Dein omni Normanniæ vtilis fuit ac decori. In Synodis, vbi de Christi cultura, in disceptationibus, vbi de seculi rebus agebatur, intelligentia pariter atque facundia enituit. Liberalitate parem non habuit Gallia, ita opinio publica consensit. Nec minus æquitatis amore meruit laudem. Arma neque mouit vnquam, neque voluit moueri: valde tamen timendus armatis. Bellum namque vtilissimo consilio, cùm necessitas postularet, iuuabat, quantum potuit religione salua. Regi, cuius frater erat vterinus, quem tanto amplectebatur amore, vt nec inter arma vellet ab illo separari, à quo magnos acceperat, atque sperabat honores, vnicè constantissiméque fidelis fuit. Libentes eidem obsequebantur, vt acceptissimo domino, Normanni atque Britanni. Nec B Angli adeo barbari fuerunt, quin facilè intelligerent hunc Præsulem, hunc Prefectum meritò timendum esse, venerandum quoque, ac diligendum.

Rex ita commissa regni cura PENEVESELLVM se recepit, quem locum in nominandis ponendum censemus, quoniam ipso portu primo litus illud attigit. Stabant naues ad transmittendum paratissimæ, quas verè decuerat albis velis more veterum adornatas esse. Erant enim reuecturæ gloriosissimum triumphum, nunciaturæ maximè optatum gaudium. Conuenit eodem multus Anglorum equitatus. Ex his abducere secum decreuerat, quorum præcipuè fidem suspiciebat ac potentiam Archipræsulem STIGANDVM, Adelinum propinquum Regis Edvvardi,; tres Comites, EDVVINVM, MORCARDVM, & GVALLEVVM; simul alios complures altæ nobilitatis: vt ipsis auctoribus nihil sub decessum suum nouaretur, gens verò tota minus ad rebellionem valeret spoliata Principibus. Denique eos potissimum veluti obsides in potestate sua tali cautela tenendos existimabat, quorum auctoritas vel C salus propinquis & compatriotis maximi esset. Sic autem fuere subacti, vt obsequentissimè facerent imperata. Nam & si petere quid malebat, præcepti vice audierunt. Præsertim cùm non traherentur vt captiui, sed dominum suum Regem proximi comitarentur, ampliorem ex hoc gratiam atque honorem habituri. Hanc enim eius animaduertebant humanitatem, vnde optima quæque expectanda forent, nihil metuendum crudele vel iniurium. At milites repatriantes, quorum in tantis negotiis fideli opera vsus fuerat, larga manu ad eundem portum donauit, vt opimum fructum victoriæ secum omnes percepisse gauderent. Ita solutis nauibus omnium animis lætissimis, in altricem terram prouehitur secundo & vento & æstu. Transmissio hæc mare diu pacauit, pirata omni procul fugato. Felicitatem actorum, quæ qui nouerit meritò admiratur, multo magis admirandam celeritas fecit. Siquidem Octobris circiter Calendas, die, quo memoriam Archangeli Michaëlis Ecclesia concelebrat, terram ad hostilem dubius quem consequeretur euentum abiit: mense Martio in sinum patriæ D redditus est, meliùs quàm scripta nostra exponant rebus gestis.

IVLIVS Cæsar bis transuectus in ipsam BRITANNIAM nauibus mille, (nam Anglis nomen antiquius est BRITANNIÆ) non æquè magna peregit prima vice, nec à litore longiùs progredi, nec in litore, tametsi patria consuetudine castra munierit, diutiùs morari ausus est. Transiit in extremo æstatis, rediit ante æquinoctium quod propè instabat. Perturbatæ sunt legiones eius magno metu, cùm naues partim fractæ æstu maritimo aut fluctibus, partim inutiles ad nauigandum essent armamentis amissis. Aliquæ ciuitates quoniam in otio agitare quàm populum Romanum, cuius tremenda erat per mundum opinio, hostem tolerare mallebant, obsides ei dederunt. Ceterùm, quos in continentem obsides adducere imperauit, præter duas cunctæ neglexerunt. Quanquam in Belgio cum immani exercitu hibernare eum nouerint. Secundò pedites Romanos & equites ad millia fere centum transportauit, vna ex ciuitatibus Galliæ primos quamplures cum eorum equitatu. Quid igitur huius viri, quem scri-

GVILLELMVS II. bimus, conferendum laudibus hac vice patrauit. Equitatus Britannorum & Essedarij cladem illi non paruam intulerunt, æquo loco audacissimè cum eo confligentes. Angli verò Guillelmum pauidi in monte operiebantur. Cæsarem prælio sepiùs adorti sunt Britanni. Anglos adeo Guillelmus die vno protriuit, vt post secum dimicandi fiduciam nullatenus reciperent. Cùm idem Imperator ad flumen Tamisim peruenisset, in fines Cassiuellauni, qui contra se bellum administrabat, exercitum ducens, in aduersa ripa hostes instructi obstabant. Ægerrimè milites Romani vada transierunt, ex aqua capite solo extantes. At cùm in eandem regionem Dux Normannorum aduentaret, obuiam ei clementiam deprecando processerunt ciuitates & municipia. Militibus eius traiectum vltra flumen ponte, si id collibuisset imperare, sine mora parauissent. Cæsar vt agros vastaret, igne ac præda equitatum suum effudit, quos latiùs vagari Cassiuellaunus prohibebat, ex Essedis pugnare peritos immittendo. Guillelmus autem pacifica iubens incolis, terram quam citiùs euertere posset, incolas cum terra sibi conseruauit. Defendit Cæsar ab iniuria Cassiuellauni MAVDRVBATIVM, & ciuitatem, cuius imperium reddidit Maudrubatio. Liberauit in perpetuo Guillelmus gentem omnem à tyrannide Heraldi, atque solium obtinuit ipse; vnde regionibus, quæ sub multis regibus quondam egerant, vnus imperitaret. Romani solùm ex Britanniæ maioribus Cingetorigem ceperunt. Mille ex ipsa natione illustres in vincula si placuisset coniecissent Normanni. Quanta partibus in ipsis Romani gesserunt tempore æstiuo, quanta Normanni hiberno! Hyemem ad res bello gerendas minus quàm æstatem opportunam esse pernotum est. Cæsari satis fuerat ad laudem vel vtilitatem, prælia cum Britannis, vti cum Gallis, imperando facere. Equidem sua manu raro pugnauit. Hæc multa ducum antiquorum consuetudo fuit. Attestantur Commentarij eloquentia ipsius dictati. At dedecus visum est Guillelmo, ac parũ vtile, in eo cõflictu, quo contriuit Anglos, officia præstare Imperatoris, nisi præstaret officia quoq; militis, vti bellis aliis consueuerat. In omni enim certamine, vbi præsens aderat, primus aut in primis gladio suo pugnare solitus erat. Si Romani illius, & nostri Principis acta attentiùs perspexeris, illum temerarium atque fortunæ nimis confidentem: hunc omninò prouidum hominem, qui magis optimo consilio quàm casu res benè gesserit, rectè dices. Postremò Cæsar ciuitatibus aliquot in deditione & obsidibus à Cassiuellauno acceptis, nec non aliquanto vectigali, quod in annos singulos Britannia populo ROMANO penderet, constituto, exercitũ difficilè duobus commeatibus in Belgũi reportauit. Nauibus quippe refectis, & minoris quàm adduxerit numeri, ob incommodum, quod ex tempestate acciderat. Tali minimè Guillelmus difficultate angebatur. Pareret ei gens eadem imperanti nauigia noua ad numerum & modum quem vellet, insuper metallo precioso decorata, velis purpureis adornata, peritis remigibus, delectis gubernatoribus instructa. En quàm gloriosè reuectus est, non trahens, vt Romani, vulgus captiuum; sed habens in comitatu & obsequio suo totius Britanniæ Episcoporum Primatem, atque magnos in transmarinis Cœnobiis Abbates, & filios Anglorum tam stematis quàm opum dignitate Reges appellandos. Attulit non aliquantulum vectigal, non rapinas, sed quantum ex ditione trium Galliarum vix colligeretur argentum atque aurum, quod rectissimo iure acceperat; quod vbi honestissimæ rationes postularent, expendere cogitabat. Chari metalli abundantia multipliciter Gallias terra illa vincit. Vt enim horreum Cereris dicenda videtur frumenti copia, sic ærarium Arabiæ auri copia. Mentionem super Iulio Cæsare, quæ fortè notetur quasi derogans, omittamus. Fuit itaque eximius Dux lectione doctus Græcorum præcepta militaria, militia Romana cum laude ab adolescentia vsus, virtute consecutus vrbis Consulatum. Bella multa cum bellicosis gẽtibus feliciter atque celeriter confecit, nouissimè Romam Africæ & Europæ atque Asiæ præsidentem regnum suum bellando effecit.

VESPASIANI filio Tito, qui dum recta vehementer amaret, ORBIS AMOR dici meruit, nunquam Italia lætior, quàm Normannia occurrit Guillelmo Regi Principi suo. Dies erant hiberni, & qui pœnitentiæ quadragesimalis rigori vacant. Ceterum, vbique agebantur tanquam summæ festiui temporis feriæ: sol æstiua serenitate lucidus videbatur, gratia dierum solita longè maior. Minorum siue remotiorum locorum incolæ in vrbes, aut aliò, vbi facultas conspiciendi Regem dare-

A tur, confluebant. Cùm in Metropolim suam ROTHOMAGVM introiret, senes, GVILLELMVS II.
pueri, matronæ, cunctique ciues spectatum processerant: conclamabant salutantes reducem, adeò vt ciuitas illa vniuersa applaudere putaretur, sicuti Roma quondam Pompeio suo applaudens tripudiauit. Monasteria certabant Monachorum atque Cleri, quodnam in aduentu sui charissimi tutoris ampliorem officiositatem impenderent. Nihil relinquebatur, quod in studio talis honorificentiæ agi solitum est: Præterea, si quid nouum adinuenire potuit, addebatur. Quam pietatem ipse confestim lucro multiplici recompensauit, donans pallia, libras auri, aliáque magna altaribus ac famulis Christi. Nullius vnquam Regis aut Imperatoris largitatem in oblationibus maiorem comperimus. Item, quas Ecclesias non præsentia sua, muneribus visitauit iterum. CADOMENSI BASILICÆ modo speciéque admirabili suis impendiis ad titulum beati Stephani Protomartyris à fundamento, vt ante est memoratum, extructæ, tum diuersa donaria aduexit, materia artificióque preciocissima; quæ ad seculi terminum honora permanere valeant. Singula descriptionibus aut nominibus designare spatiosum foret. Voluptuosum est ea perspectare hospitibus
B maximis, & qui sæpe nobilium Ecclesiarum thesauros viderant. Transiret illac hospes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eadem. Anglicæ nationis feminæ multum acu & auri textura, egregiè viri in omni valent artificio. Ad hoc incolere apud eos Germani solebant talium artium scientissimi. Inferunt & negotiatores, qui longinquas regiones nauibus adeunt, doctarum manuum opera.

POTENTES nonnulli sanctis iniquè largiuntur, plerumque in iisdem donationibus laudem suam in mundo, delicta sua coram Deo adaugentes. Spoliant Ecclesias, & rapinis ipsis alias ditant. Rex verò Guillelmus numquam, nisi bonitate, sinceram famam sibi comparauit, donans verè sua; mente ad spem interminæ mercedis, non ad gloriam, quæ deperibit, intentus. Abundantes Ecclesiæ transmarinæ aliqua ei libentes, quæ in Galliam transferret, dederunt: quoniam ea multuplo redemit rebus aliis. Patriam non minus regno caram sibi præcipuè causa probæ gẽtis, quàm principibus terrenis fidam, culturæ Christi valde deditam nouerat, in statu quem volebat inuenit.

OPTIME quidem egerat in gubernaculo domina nostra MATILDIS, iã nomine diuulgato Regina, etsi nondum coronata. Illius prudentiam viri adiuuere
C consilio vtilissimi, in quibus locum dignitatis primum tenebat ROGERVS de BELLOMONTE, Humfridi hominis generosissimi filius, ob maturitatem æui liberior ad negotia quæ domi geruntur. Filio adolescenti, super cuius fortitudine in prælio contra HERALDVM paucis diximus, officio militari tradito. Verùm quod finitimi incursionem nullam ausi fuerant, cùm terram ferè militibus exhaustam scirent, regi ipsius, cuius reuersionem verebantur, primò ascribendum arbitramur.

AD Cœnobium sanctæ Trinitatis Fiscanni Pascha celebrauit dominicum, Redemptorem resurrectionis suæ festo reuerendissimè honorans, cum frequentia venerabilium & Præsulum & Abbatum. Humiliter adstans ille choris Ordinum religiosorum, ludicra intermittere, concurrere ad diuina militũ plebísque turbas coëgit. Regis Francorum vitricus intererat huic curiæ RODVLPHVS præpotens Comes, multáque nobilitas Franciæ. Curiosè hi cum Normannis cernebant crinigeros alumnos plagæ Aquilonalis: quorum pulchritudini Galliæ Comatæ formosissimi iuuenes inuiderent. Nec enim puellari venustati cedebant. Regis autem regiorúmque satellitum indumenta spectantes intexta atque crustata auro, quæque an-
D tea viderant, vilia æstimauere. Item vasa argentea siue aurea admirabantur, quorum de numero vel decore verè narrari possint incredibilia. His tantùm ex populis cœnaculum ingens bibebat, aut cornibus bubalinis metallo decoratis eodem circa extremitates vtrásque. Denique plurima huiuscemodi competentia regali munificentiæ notabant, quæ reuersi domum ob nouitatem prædicarent. Ceterùm, talibus longè insigniorem, atque plus memorandam ipsius Regis cognouere honestatem. Æstiua illa, & Autumnum, partémque hiemis citra mare transegit, tempus hoc patriæ amori omne donans. Quæ neque hac mora, neque superioris anni expeditione suas opes attenuatas fuisse dolebat. Ea illius temperantia fuit, ac prudentia. Militibus & hospitibus abundè sumptus ministrabatur, nemini rapere quippiam concedebatur. Prouincialium tutò armenta vel greges pascebantur, seu per campe-

GVILLELMVS II. stria, seu per tesqua: segetes falcem cultoris intactæ expectabant, quas nec attriuit A superba equitum effusio, nec demessuit pabulator. Homo imbecillus aut inermis equo cantans qua libuit vectabatur, turmas militum cernens, non exhorrens.

INTEREA Baiocensis Præsul Odo, & Guillelmus Osberni filius, præfecturas in regno vterque suam laudabiliter administrabant: interdum simul agitantes, modo diuersi. Si quando necessitudo postulabat, festinam alter alteri ferebat opem. Per amicam, qua syncerè, voluntatem, concordabant, amplius valuit prudens eorum vigilantia. Mutuo sese, Regem æqualiter diligebant: affectu ardebant pari ad continendum in pace gentem Christianam, consilio alter alterius æquanimiter assentiebantur. Æquitate vtebantur maxima, vti Rex præmonuerat, qua homines efferi & inimici corrigerētur, & beneuoli fierent. Item præfecti minores, vbi quisque in munitionibus locatus fuerat, strenuè curabant. Verùm Angli, neque beneficio, neque formidine satis coërceri poterant, vt quietem serenam quàm res nouas ac turbidas B mallent. Consurgere palam in arma non confidunt, sed regionatim de prauis conspirationibus tractant, si quibus forte dolis præualeant ad nocendum. Ad Danos, vel aliò, vnde auxilium aliquod speratur, legatos missitant. Vltro in exilium aliqui profugiunt, quo extorres vel à potestate Normannorum sint liberi, vel aucti opibus alienis contra eos reuertantur.

REGI ea tempestate EVSTACHIVS Comes Boloniæ aduersabatur, qui filium de fide ante bellum in Normannia obsidem dederat. Ei persuadent hi maximè qui Cantium inhabitant, vti castrum Doueram inuadat, ipsis vtens adiutoribus. Equidem fore, si firmissimo loco hoc sit potitus cum portu marino, vt potentia eius latiùs distendatur: sicque potentiam Normannorum diminutam iri. Nam quia Normannos odêre, cùm Eustachio pridem sibi inimicissimo concordauere. Eum bellandi peritum, atque in prælio felicem experimentis cognouerant. Si erat seruiendum non compatriotæ, noto seruire atque vicino satius putabant. Accidit, vt occasio temporis euentum rei quam affectabant promitteret. Abierant vltra flumen Tamisim primi munitionis custodes, Præsul Baiocensis, atque Hugo de Monteforti, militum parte maiori secum ducta. Eustachius itaque accepto nuncio Anglorum, cum suis ad eos noctis conticinio transiuit, vt incautè opprimeret Castellanos. C Classem duxit militibus delectis oneratam, relictis equis præter admodum paucos. Vicinia omnis adfuit armata, auctior numerus ex vlterioribus accederet, si mora biduana obsidio traheretur. Ceterùm custodiam inuenerunt minus opinione remissam, plus metu ad defensandum validam. Eripiunt velocitas equi, notitia tramitis, nauisque paratior. Nobilissimus autem tiro nepos eius comprehensus est. Angli per diuerticula plura eò faciliùs euaserunt, quò minus commodum erat paucitati Castellanorum insequi per diuersa. Iure id Eustachio dedecus atque detrimentum contigit. Equidem si rationes, quæ eius liti controuersantur, depromerem, Regis eum gratiam, atque Regis dono accepta beneficia ex æquo & bono amisisse planè conuincerem. Neque sententia errauit dicta consensu Anglorum & Gallorum, qua de reatu multo conuictus est. Sed parcendum sentimus personæ multifariam illustri, Comiti nominato, qui reconciliatus nunc in proximis Regis honoratur.

EODEM fere tempore COXO Comes, quem placuisse Normannis diximus, morte occidit immerita, & quam deceat propagari. Vt igitur viuat laus eius, atque per exemplum oriatur in posthumis innocentia defuncti, literis efficere iuuat. Prosapia ac potentatu Anglus hic iuxta præcelsus, magis animi singularitate prudentis D & omninò honesti excelluit. Hic Regis causam & ipsum fauore multo probabat. Sui verò satellites ab ipso dissidebant, factionum deterrimi fautores ac socij. Proinde eum ab officio transuertere tentabant, sæpè monentes quasi per amicitiam de priuato honore, vt libertatem à proauis traditam defenderet; nunc obsecrantes atque obtestantes tanquam gratia rerum publicarum, vt extraneos deserens, optimorum hominum suæ nationis & consanguinitatis voluntatem sequeretur. Sanè diutina variàque calliditate hæc suggerebant, & huiusmodi alia. Sed vbi mentem firmiter in tenore boni fixam taliter dimouere nequeunt, comprouinciales ad inuidiam concitauere, quam necessariò placaret ab Rege deficiendo. Postremò augescente in dies maleuolentia ipsorum, cùm ille popularium odia, omnémque iniuriam perpeti, quàm integritatem fidei temerare mallet, per insidias oppressum in-

A terfecere. Ita eximius vir suo casu, quòd maiestas Domini sui stare deberet asseruit. GVILLELMVS II.

SANE Pontifices quidam obsequio Regio studebant, maximè ADELRED Primas Eboracensis, * * *. *Reliqua desunt in MS. Codice.*

GENEALOGIA DVCVM NORTHMANNORVM.

Ex veteri Codice MS.

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXCVI. regnante Francorum Rege Karolo, qui Simplex appellatus est, Pyratæ Danorum ex insula Scanzia, quæ Northuega dicitur, egressi; cùm in Francia multa gessissent prælia, regnúmque deuastassent: Karolus prædictus acceptis obsidibus, eis Neustriam tradidit, quam ab ipso tempore vocauerunt Northmanniam, eò quòd ab ipsis, qui ex Northuega venerant, possessa erat. Robertus igitur Rollo dictus eorũ primus erat Dux, Comésque Northmanniæ. Robertus iste genuit Vvillelmum, qui Longa-spata cognominatus est, quem Franci dolo occiderunt. Vvillelmus autem Longa-spata genuit Richardum senem. Hic genuit filiam nomine Emmam, de qua natus est Eduardus Rex Anglorum. Richardus autem senex genuit Richardum. Richardus verò secundus genuit Richardum tertiũ, & Rodbertum. Richardus autem genuit Nicolaum S. Audoëni Abbatem. Robertus verò genuit Vvillelmum Nothum, qui post mortem Eduardi transfretauit in Angliã anno Domini MLXVI. regnúmque obtinuit iure hereditario. Quia eius attauus Richardus senex fuerat, cuius Emma filia Eduardum Regem genuerat. Vvillelmus iste Nothus tres filios habuit, Rodbertum videlicet, & Vvillelmum Rufum, atque Henricum, ex Mathilda filia Balduini Comitis Flandriæ, qui sepultus est apud Insulanum oppidum. Vvillelmo Notho defuncto, Vvillelmus Rufus eius filius Rex creatus est, & Rodbertus Comes Northmanniæ. Vvillelmus ergo Rufus cùm esset in sylua venandi causa, quidam eius miles dum sagitta ceruum appetiit, pro ceruo ipsum Regem occidit. Quo interfecto Rodbertus Regis frater, qui successor eius esse debuit, tunc erat Ierosolymis, & Henricus frater eius & homo iniustè regnum eius inuasit. Rodberto autem vrbe Ierusalem capta regresso, Henricus mare transmeato fratrem in Northmannia expugnauit, & dolo cœpit, captúmque transmisit in Angliam, & Northmanniã cum Anglia obtinuit. Hic accepit filiam Malcolumni Regis Scotorum, nomine Mathildam, quam sancta Margareta peperit neptis Eduardi Regis Anglorum, qui fuit Rex ante Vvillelmũ Nothum. De qua videlicet Mathilda prædictus Rex Henricus Vvillelmum & Mathildam genuit, quam Imperatori Henrico iuniori dedit, Anno Domini MCX. Anno verò MCXX. dum Vvillelmus à Northmannia in Angliam transire vellet, patrem secutus cum Comitibus & nobilium Anglorum filiis submersus periit VIII. Kal. Decembris.

896. 1066. 1120.

VVILLELMI
CALCVLI GEMMETICENSIS MONACHI,
HISTORIÆ NORMANNORVM
LIBRI VIII.

Ad veteres Codices MSS. seriò et accuratè emendati.



VVILLELMI CALCVLI GEMMETICENSIS MONACHI, HISTORIÆ NORMANNORVM LIBRI VIII.

EPISTOLA AD VVILLELMVM ORTHODOXVM Anglorum Regem, de Normannorum Ducum gestis.

Pio, victorioso, atque orthodoxo summi Regis nutu Anglorum Regi VVILLELMO, Gemmeticensis Cœnobita omnium Cœnobitarum indignissimus VVILLELMVS, ad conterendos hostes Samsonis fortitudinem, & ad discernendum iudicium Salomonis abyssum.

A *OPVS hoc, prudentissime Rex, & serenissime, in* NORMANNORVM *D*VCVM GESTIS, *de diuersis excerptum Codicibus, iuxta mea exiguitatem industriæ contexui; vestraque dicans idem Celsitudini, ob recolenda priscorum patrum inter præcipuas laicarum dignitatum administrationes, piissimorum actuum exempla Chronicorum Bibliothecæ delegandum decreui. Quod non Rhetorum venusta exornatum grauitate, non politi sermonis venali lepore, seu nitore; sed inelimato stilo, tenui oratione per plana deductum cuilibet lectori ad liquidum elaboraui. Vestræ quidem Maiestatis latera ambiunt præclari viri, literarum peritiâ admodum eruditi; qui strictis gladiis ciuitatem circumeuntes, eliminatis prauorum insidiis, tectum Salomonis diuinæ legis peruigili munimine satagunt tueri.* B *Subtilissimi quoque ingenij vigorem cælici dispensatoris prærogatiua vobis collati, qualiter in armorum regimine, sic in cunctis, quibus intendere, quæ perpendere proponitis, mira valere efficacia, multi multimodè probauerunt. Munusculum igitur tantilli nostri laboris placida manu sumite, nobilissima gesta celebri memoria dignissima, vestra & antiqua per has paginas recolite. Principium namque narrationis vsque ad* RICHARDVM II. *è* DVDONIS *periti viri Historia collegi, qui quod posteris propagandum chartæ commendauit, à* RVDOLPHO *Comite, primi* RICHARDI *fratre diligenter exquisiuit. Reliqua verò, quæ partim relatu plurimorum ad corroborandum fidem æquè idoneorum annis & rerum experimentis, partim certissimo iudice proprio visu didici; priuatim mea dono. Verùm, qui sacris mancipatum scholis fortè præsumptionis, aut alia qualibet culpa tali pro studio notauerit, hanc huius Opusculi nouerit causam, quam non superuacaneam arbitror; vt virtutes optimorum*

virorum tum in secularibus, tum in diuinis excellentissima, quæ feliciter in oculis Dei viuunt, vtiliter & in hominum notitia viuant. Non enim populari aura leni, sed pernicioso arrisu blandiente delectari, atque illecebra mundo implicari condecet, quem angustiæ maceriarum, pro superna Hierusalem amplitudine deuotissimo corde amplectendæ, includunt; quem tam habitus reuerentia, quàm vitæ professio à mundo secludunt. En habetis vestram, sapientissime regnorum domitor, & pacem, & bella simul, piissimi genitoris vestri gloriosissimi Ducis ROBERTI, *superiorúmque parentum; qui terrenæ militiæ nominatissimi Principes, sincerissima tamen fide, alacerrima spe, feruentissima caritate ad cælestia tendentes, Christi maximè strenui milites ac studiosissimi cultores extiterunt. Imperator æterno præsidens imperio, in quo confidens plurima sæuissimorum periculorum obstacula admirandis prouentibus ouantissimè triumphando protriuistis: ipse potentissimus tutor in cunctis gerendis vos tuetur; prudentiæ vestræ, quam contulit, gubernando patrocinetur: quoadusque felicissimo cursu sub mundano diademate consummato, in aulam veræ summæque beatitudinis patriam assumamini, perennis gloriæ annulo ac stolâ adornatus, pie Rex, victoriose, atque orthodoxe.*

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER PRIMVS.

QVOMODO HASTINGVS OPPRESSIT NEVSTRIAM ANTE ADVENTVM ROLLONIS.

CAPVT I.

Quomodo fortitudo Francorum, quæ diu viguerat, imminuta sit, vnde & ipsi feritati Paganorum minùs resistere valuerunt.

HASTINGVS.

EX QVO FRANCORVM gens resumptis viribus Romanæ feritatis iugum à ceruice propria depulit, ferináque colla sub Regum dominio flexit, CHRISTI Ecclesia vehementer adulta odoriferos fructus ferens, ad vsque occiduos limites floruit. Quia denique tempestate ipsi Reges rebus bellicis strenui, ac Christianæ fidei vigore fulti, circumquáque de inimicis validissimos semper reportabant triũphos. Sub quorum moderamine Christi vinea succrescens innumeros fidelium protulit ramos. Ex hac quippe quamplurima Monachorum proruperunt ouilia, quæ velut apes ex suis aluearíis multimodis, ex diuersis mundi violis in cælestibus sedibus intulerunt fauos. De his etenim perennis Hierusalem fabrica erecta, coram Regis æterni obtutibus vt stellæ lucidæ fulgent in perpetuas æternitates. Quæ videlicet Ecclesia multis Francorum temporibus sub diuersis Regibus valida virtute pollens viguit, donec à pace quatuor Ludouici Imperatoris filiis dissidentibus ex magna gloria regnum Francorum quati cœpit: in tantùm, vt collectis vndequaque viribus, in territorio Autisiodorensi apud Fontaneticum vicum duo aduersus duos diabolo instigante confligentes, cruentissima Christianorum inter se cæde infelicissimo satisfacerent odio. Qui patriam penè omni munimine militum frequentiâ præliorum destituentes, inualidam, & barbarorum, seu cuiuslibet hostis inuasioni opportunam eam reliquerunt. Quo tempore Pagani cum LOTHROCI Regis filio, nomine BIER, costæ quidem ferreæ, procurante eius expeditionem HASTINGO omnium Paganorum nequissimo, à Noricis seu Danicis finibus eructuantes, maritima litora incolentes continuis

A tinuis cladibus vexauerunt, ciuitates diruentes, atque Abbatias concremantes. Quis verò iste Lothrocus, vel ex cuius stirpe oriundus extiterit, infra dicemus. Sed modò priùs de situ Daciæ pauca dicamus. HASTINGVS.

CAPVT II.

De tribus partibus orbis terræ, & in qua earum sit Dacia, & de situ ipsius.

TOTIVS namque molis orbe descripto, ambitúque & superficie terræ sagaciter permenso, omnem terram perpetuo Oceani limbo vndique secus circumseptã, æthereo quadripartiti cæli cardine intellectu Cosmographi dimensi in tres partes diuiserunt, ASIAM, EVROPAM, AFRICAMque reputantes. Sed quia hîc mentionem de partibus terræ fecimus, non inutile videtur, si breuiter cõmemoremus quid de illis beatus Augustinus in XVI. Libro de Ciuitate Dei dicat. *Asia*, inquit, *à Meridie per Orientem vsque ad Septentrionem peruenit. Europa verò à Septentrione vsque ad* B *Occidentem. Atque inde Africa ab Occidente vsque ad Meridiem. Vnde videntur orbem dimidium duæ tenere, Europa & Africa, aliud verò dimidium sola Asia. Sed ideò illæ duæ partes factæ sunt, quia inter vtramque intrat ab Oceano quicquid aquarum terras interluit, & hoc mare magnum nobis facit. Quapropter si in duas partes orbem diuidas, Orientis & Occidentis, Asia erit in vna, in altera verò Europa & Africa.* His succinctè intimatis, ad propositum redeamus. EVROPA quamplurimis fluminum alueis interriuata, variisque Prouinciis denominata, termino diremptionis limitatur patriis. Harum quædam spatiosissima multiplici innumerabilium hominum frequentiâ, ceterarum copiosissima, nuncupatur GERMANIA. In qua HISTER fluuius de cacumine montis Athnoe ortus, in sexaginta amnibus augmentatus profusiùs, & à Meridie ad Orientem means procellosus; Germaniam & Scythiam vsque eo, quo ponto Scythico recipitur discriminatus, vocitatur DANVBIVS. In copiosa igitur intercapedine à Danubio ad Scythici ponti vsque confinium diffusæ commorantur feræ gentes & barbaræ, quæ ex SCANZA insula Oceano hinc inde circumsepta, veC lut examen apum ex canistro, ceu gladius è vagina, diuersitate multimodâ dicuntur prosiluisse consuetudine barbarica. Est namq; ibi tractus quamplurimus ALANIÆ, situsque nimium copiosus DACIÆ, atque meatus multum protensus GETIÆ. Quarum Dacia extat medioxima, in modum coronæ, instárque ciuitatis præmagnis Alpibus emunita. Quos protentæ anfractus amplitudinis furêtes incolunt populi, præmonente marte bellicosi; scilicet GETÆ, qui & Gothi, Sarmatæ, & Amacsobij, Tragoditæ & Alani, quamplurimæque gentes Meotidibus paludibus excolendo commorantes.

CAPVT III.

De origine GOTHORVM, *& vbi primùm habitauerunt.*

TRES etenim Noë filios habuisse, sacræ ad liquidum testantur paginæ. Quorum D iunior nomine IAPHED filiũ genuit, quem proprio vocabulo MAGOG nominauit. Cuius Gothica soboles de similitudine vltimæ syllabæ paterni nominis vocabulum trahens adeò pullulauit, vt per diuersa terrarum interstitia multimodè se dilataret, prædictámque insulam Scanzam intra maris fretum sibi vindicaret. In qua per succedentia temporum curricula admodum multiplicata, duos ex se in armis robustissimos produxit Gothorum populos. Ex quibus vnus cum Rege suo THANAVSE de vagina sua egressus, vlteriorem Scythiam inuasit, sibíq; vsurpauit: multùm post aduersum VESOSEM Ægyptiorum Regem contra se bella attentantem, diutissimè se armis & præliis extendens. Quorum vxores postmodum vocatæ AMAZONES, diuturnam eorum moram molestè ferentes, repudiata virorum copula arma capessunt: duas Reginas, LAMPETO scilicet, atq; MARPESSAM ceteris audaciores principatui subrogantes. Quæ dextris mamillis ob telorum iactus adustis, totam Asiam aggressæ, per centum ferè annorum volumina grauissimæ dominationis iugo eam domuerunt. Sed de his hucusque. Qui verò scire cuncta desiderat, Gothorum gesta percurrat, & noster stylus vertatur ad proposita.

T

HASTINGVS. A

CAPVT IV.

Quòd DANI de Gothorum progenie descendant, & quare dicantur Dani vel Northmanni, & cur eadem gens sic multiplicetur.

IGITVR alter Gothorum cuneus ex Scâza insula, quæ erat quasi officina gentiū, aut velut vagina nationum, cum Rege suo nomine BERIG egressus, mox vt è nauibus exeuntes terras attigerunt, nomen loco dederunt, SCANZAMque ob illius memoriam, de quo eruperant, illum vocauerunt. Indè denique prolixiùs tendentes intra Germanicos sinus, Meotidas occupauerunt paludes, plurimas regiones diffusè metantes. Quarum in secunda sede DACIA, quæ & DANAMARCHA, sistens, Reges habuit multos, miræ Philosophiæ eruditione vehementer imbutos, Zeutan scilicet, atque Dicineum, necnon Zalmoxem, aliósque plures. Vndè & penè omnibus barbaris Gothi semper extiterunt sapientiores, Græcísque fermè consimiles. Nam Martem Deum apud se autumant fuisse exortum, quem humani B placabant effusione sanguinis. Iactant enim Troianos ex sua stirpe processisse, Antenorémque ab vrbis exterminio, cum duobus millibus militum, & quingentis viris ob proditionem illius ab eo perpetratam, euasisse; ac per multimodos ponti anfractus Germaniam appulisse, atque postmodum in Dacia regnasse, eámque à quodam DANAO suæ stirpis Rege Danamarcam nuncupasse. Hac igitur de causa Daci nuncupantur à suis Danai vel Dani. NORTHMANNI autem dicuntur, quia lingua eorum Boreas NORTH vocatur, homo verò MAN: inde Northmanni, id est homines boreales, per denominationem nuncupantur. Sed siue hoc, siue illud extiterit, originem tamen à Gothis noscuntur ducere Dani. Qui tantis post hoc adoleuerunt incrementis, vt dum repletæ essent hominibus insulæ, quamplures sancita à Regibus lege cogerentur de propriis sedibus migrare. Quæ gens iccirco sic multiplicabatur, quoniam nimio dedita luxui mulieribus iungebatur multis. Nam pater adultos filios cunctos à se pellebat, præter vnum, quem hæredem sui iuris relinquebat. C

CAPVT V.

Quomodo BIER filius LOTHROCI Regis Daciæ expulsus est de patria more solito, cum HASTINGO pædagogo suo.

QVÆ denique lex per multorum tempora Regum inconuulsa mãsit, quoadusq; Lothrocus Rex, de quo suprà prælibauimus, patri in regno successit. Is etiam Rex patrum legibus excitus, cum ingenti iuuenum agmine sorte cogente filium, nomine BIER Costæ ferreæ, à suo abdicat regno, cum eius pædagogo HASTINGO per omnia fraudulentissimo; vt peregrina regna petens, exteras sibi armis adquireret sedes. Qui ideo Costa ferrea vocabatur, quia non ei clypeus obiceretur, sed inermis in acie stans, armorum vim quamcumque sperneret illæsus; vehementissimis matris eius venenis infectus. Hastingus verò à patria cum suo adolescente exul proscriptus, missa legatione milites de finitimis Prouinciis animo leues, bellíque cupidos, ad hanc expeditionem inuitans, innumerabilem pugnantium tyronum congregauit exercitum. Quid plura? fabricantur naues, innouantur scuta, D resarciuntur thoraces, poliuntur loricæ & galeæ, acuuntur enses & lanceæ, omníque telorum apparatu accuratè munitur exercitus. Inde verò statuto die pelago impelluntur naues, ad eas properè festinant milites, eleuantur vexilla, libant ventis carbasa; vehuntur lupi pernices ad lacerandas Dominicas oues, Deo suo THVR humanum sanguinem libantes.

CAPVT VI.

Quomodo venerunt in regnum Francorum, & Vermandensem pagum priùs depopulati sunt.

851. CVIVS cruore libaminis vnanimiter potati, vento flante secundo, Vermandensem aggrediuntur portum, anno ab incarnatione Domini DCCCLI. Exilien-

A tésque è nauibus, totum illico Vulcano tradũt Comitatum. Sancti quoque QVINTINI Monasterium ferali rabie comburunt, de Christiano populo nefarium exercentes ludibrium. Nouiomensis quoque EMMO Episcopus cum suis Diaconibus eorum gladio obtruncatur; fitque cædes in plebe proprio orbata pastore. Dehinc Sequanica ora aggrediuntur, & apud GEMMETICVM classica statione obsidionem componunt. Qui locus iure Gemeticus vocatur, quia pro suis offensis illuc gemunt, qui in flammis vltricibus gemituri non erunt. Quidam verò à gemma illum vocatum arbitrantur, quia vt gemma in annulo rutilat situ & vbertate fructuum. Hic nempe CLODOVEI Francorum Regis tempore, à beato PHILIBERTO, opitulante Regina BALTILDE constructus, in tanto incremento adoleuit, vt in nongentorum Monachorum numero eius quantitas suppleretur. In quo quamplurima multitudo Episcoporum, seu Clericorum, vel nobilium laïcorum, B spretis secularibus pompis, collecta, Christo Regi militatura, propria colla saluberrimo iugo subegit. Cuius loci Monachi, siue incolæ, Paganorum aduentum comperientes, fugâ lapsi quædam suarum rerum sub terra occulentes, quædam secum asportantes, Deo iuuante euaserunt. Pagani locum vacuum reperientes, Monasterium sanctæ Mariæ sanctíque Petri, & cuncta ædificia igne iniecto adurunt, in solitudinem omnia redigentes. Hac itaque patrata euersione, locus, qui tanto honoris splendore diu viguerat, exturbatis omnibus ac subuersis domibus, cœpit esse cubile ferarum & volucrum: maceriis in sua soliditate in sublime porrectis, arbustísque densissimis, & arborum virgultis per triginta fermè annorum curricula vbique è terra productis. HASTINGVS.

CAPVT VII.

De excidio NEVSTRIÆ, quæ ab Aurelianensi vrbe per transuersum Lutetiam vsque Parisiorum pertingit.

C ABHINC denique Sequanæ sulcantes alueum, ROTOMAGVM adeunt, ignéque comburunt; horrendum de Christiano populo exercentes ludibrium. Enimuerò Franciæ interiora petentes, prolixiùs omnem ferè NEVSTRIAM, quæ à Genabensi vrbe per transuersum Lutetiam vsque Parisiorum pertingit, Normannica feritate inuadunt. Irruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primò quidem pedites, eò quòd equitandi peritia deesset: deinde equis vecti more nostratum per omnia vagantur. Interea stationem nauium suarum, ac si asylum omnium periculorum, in insula quadam Cœnobio sancti Florentij supposita componentes, magalia instar exædificauere burgi, quo captiuorum greges catenis astrictos asseruarent, ipsíque pro tempore corpora à labore reficerent expeditioni illico seruitura. Ex qua inopinatos discursus agitantes, modo nauibus, modo equis delati, totam circumcirca deleuere Prouinciam. Et primo quidem aduentu vrbem NANNETICAM incendio cremauêre. Dein ANDEGAVENSEM percurrentes regionem, ipsam quidem ciuitatem concremant. PICTAVORVM verò castella atque vicos, omnémque patriam à mari vsque ad eandem Pictauensem vrbem populantur, vastant, cædibus replentes omnia. Sequenti namque tempore, D nauigio TVRONVM adeunt ciuitatem, eámque de more stragibus opplentes, ad postremum ignibus tradunt, populata omni circumquáque regione. Haud longo post, superiora Ligeris amnis nauibus expetentes, Aurelianis perueniunt, captámque vrbem auro distrahunt: sicque ad tempus recedentes, secundo aduentu eandem combustione dissipant. Quid denique solius Neustriæ clades memorando, stylum protraham? aut solæ quinque suprà memoratæ vrbes excidij damna sensere?

HASTINGVS.

CAPVT VIII. A

Quomodo destructa sit vrbs Parisius, & Beluacus, necnon Pictauis, & aliæ contiguæ vrbes ab ipso Oceani litore, Orientem versus, vsque Aruernum.

QVID Lutetia PARISIORVM nobile caput, resplendens quondã gloriâ, abundans opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam non immeritò emporium dixero populorum? Nónne magis ambustos cineres, quàm vrbem nobilem potis es cernere? Porrò, quid BELVAGVS, quid NOVIOMAGVM, & ipsæ quondam Galliarum præstantissimæ vrbes? Num & ipsæ eorumdem barbarorum irruptionibus atque hostili gladio concidêre? Piget referre nobilissimorum Cœnobiorum, tam virorum quàm feminarum Deo deuotè seruientium excidia, stragésq; non ignobilium plebium, captiuitates matronarum, virginum ludibria, ac cuncta, quæ victis victores inferre valent, infanda tormentorum genera. Quid AQVITANICÆ gentis ingentem referam afflictionem, quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præferebat dextram? Etenim ipsa optimos quósque genitalis soli in sese elidens, tunc patuit præda gentibus alienis. Ab ipso quippe, vt ita loquar, Oceani litore versus Orientem vsque ARVERNVM clarissimam veteri tempore Aquitaniç vrbem, nullam libertatem retinere valuit regio, non oppidum aut vicus, non denique ciuitas, quæ non strage ferali conciderit horum Paganorum. Testatur id PICTAVIS fœcundissima vrbs Aquitaniæ, hoc SANCTONVM, hoc ENGOLISMA, hoc PETRAGORICVM, hoc LEMOVICAS, hoc certè Aruernus, ipsúmque AVARICVM caput regni Aquitanici. B

CAPVT IX.

Quòd postquàm Francia Paganorum oppressione afflicta est, ferè xxx. annis; HASTINGVS nauigans Romam, vt eam subderet BIER domino suo, tempestate compulsus appulit LVNIS vrbem Italiæ.

HIs atque huiuscemodi calamitatum malis, vt prælibauimus, Galliis non absq; piaculo quorumlibet per xxx. ferè annorum spatiũ lugubrè detritis, Hastingus dominum suum ad altiora cupiens prouehere, de Imperiali diademate cum agmine complicum cœpit attentiùs tractare. Postremò, inito consilio vehiculũ permeantes mare, ROMAM deliberant clandestina irruptione obtinere. Sed nimia exorta tẽpestate, ad vrbem LVNIS deuoluuntur, vento impellente, quæ pro sui decôre hoc vocabatur nomine. Porrò ciues tanta attoniti classe, ciuitatis repagula portis inducũt, propugnacula & iaculis muniunt, atque semetipsos hortantur ad resistẽdum. Quorũ audaciam Hastingus vt comperit, ratus hanc Romam fore, omni conatu cœpit attentare, quo pacto possit eã dolo inuadere. Denique Episcopo & Comiti suæ perfidiæ ministros dirigit, mandans non sua sponte illuc appulisse, sed suã repetere patriam voluisse: pacificos se esse, pacem deinceps quærere, & se letali pressum languore, ab eis Christianum fieri supplici prece deposcere. His Episcopus & Comes auditis, gaudio exhilarati, pacem cum nefandissimo pacis inimico firmant, fitque communis vtrique populo vrbis ingressus. C D

CAPVT X.

Quomodo Hastingus reputans Lunis esse Romam, quia vi non poterat, dolo cepit eam, & destruxit.

TANDEM scelestus ad Ecclesiã fertur Hastingus, sacro baptismo mergitur homo versutus, & exit rapacissimus lupus. Quẽ ad sui perniciẽ à fonte excipiũt Episcopus & Comes, hincq; baiulorũ manibus refertur ad nauim, crismate delibutus. Post hoc, intempesto noctis medio, loricatus locatur in feretro: innuens ceteris, vt suas induerent loricas sub tunicis. Proinde fit intolerabilis luctus per exercitum, Hastingũ obisse neophitũ. Resonat maris litus tanti ducis excessu. Dehinc naui effertur, ad Ecclesiã baiulatur. Sacra vestitur Antistes indumẽta, sacrosãctã pro defuncto mactaturus hostiã. Fit cõmendatio animæ, vt corpus scelerũ & perditionis in baratro iã sepultũ tradatur sepulturæ. Sed ecce prosilit de feretro, Episcopũq; & Comitẽ obtruncat

A gladio. Dehinc lupina rabie cum suis grassatur in plebe. His à funesto perpetratis, theatrum efficitur Dei domus, iugulantur iuuenes, trucidantur senes, depopulatur ciuitas, diruuntur à fundamentis mœnia. HASTINGVS.

CAPVT XI.

Quòd Pagani comperientes illam vrbem non esse Romam, diuisi sunt, & Bier volens redire Danamarcam apud Frisiam obiit: Hastingus verò pacificatus cum KAROLO *Rege, accepit ab eo loco stipendij vrbem* CARTIS, *in qua & habitauit.*

HVIVS itaque peracta vrbis subuersione, comperientes Pagani se Romam nullatenus cepisse, veriti ne vlteriùs quicquam proficerent, (quippe cùm Romanas aures fama volante eorum profana opera iam occupassent) inito consilio de regressu disponunt. Nam Bier totius excidij signifer, exercituúmque Rex, dum natiuum solum repeteret, naufragium passus, vix apud Anglos portū obtinuit, quamB pluribus de suis nauibus submersis. Indéque Frisiam repetens, ibidem obiit mortem. Hastingus verò KAROLVM Francorum Regem adiens, pacem petiit, quam adipiscens, vrbem CARNOTENSEM stipendij munere ab ipso accepit. Et sic Frācia à tumultuum fragoribus aliquandiu respirauit: sententiâ vltionis ob enormitatem scelerum debitæ suspensa, propiciata piissimi CHRISTI clementiâ, cum Patre & Spiritu sancto mundum ineffabiliter regentis per secula.

HISTORIÆ NORMANNORVM
LIBER SECVNDVS,

Continens gesta ROLLONIS primi Ducis Normanniæ.

CAPVT I.

C *De nobilitate & virtute patris* ROLLONIS, *& quomodo iuuenes Daciæ, qui descripti erant iussu Regis vt expellerentur, venerunt ad Rollonem &* GVRIM *fratrem suum, vt ferrent illis auxilium contra Regem.*

POST emensis plurimorum annorum interstitiis, FRANCIA ab his tumultuum fragoribus paulisper sopita, iterum DANAMARCHA flammiuomos exterminij iure titiones spargens, plurimos tyrones à se iuuenili flore vernantes, priscorum patrum lege, à genitali solo eliminandos decernit. Illis verò in diebus senex quidam erat in partibus Daciæ, omnium rerum affluentiâ locupletissimus, innumerabiliúmque militum frequentia vndíque secus constipatus, qui nunquam colla suæ ceruicis cuipiam Regi subiecit *, nec cuiuslibet manibus gratiâ seruitij manus suas commendando commisit. Qui Daciæ regnum penè vniuersum possidens, affines Daciæ & Alaniæ terras sibi vindicauit, populósque sibi præliis quamplurimis vi & potestate subiugaD uit. Erat enim omnium Orientalium præstantiore virtute præstantissimus, cunctorúmq; exaggerato omnium virtutū cumulo præcellentissimus. Defuncto verò illo, superstiterūt duo filij eius armis strenui, bellis edocti, corpore pulcherrimi, animositate robustissimi. Quorum maior natu ROLLO, alter verò iunior GVRIM nuncupabatur. Quos regali iussione descripti iuuenes ad exterminationem aggredientes, genúque flexo, vultúq; submisso, atq. humili voce obnixè poscentes, inquiunt vnanimes: Ferte nobis auxiliū, subuenite nobis in adiutoriū. Sub tutela vestræ prote-« ctionis morabimur, vestrūque seruitiū incessāter faciemus. Rex autē noster vult nos « à Dacia exterminare, fūdisq. nostris atq. beneficiis nos per omnia priuare. Tūc duo « illi fratres suppliciter precātibus respōderūt, dicentes: Auxiliabimur optimè vobis, «

ROLLO.

* subegit.

ROLLO. vósque regalium minarum securos morari in Dacia, atque res vestræ proprietatis faciemus quietè tenere. Illi autem hæc audientes, Rollonis & Gurim osculo expetiuerunt pedes, atque ilicò super dictis Principum remearunt gratulantes. Interea veridicæ opinionis promulgatur fama, Regis Daciæ aures pulsans, quòd Dux præpotentissimus, pater scilicet Rollonis & Gurim, sorte frueretur suprema. Tunc Rex ante malorum, quæ sibi ille Dux intulit, reminiscens, cunctis sui imperij accersitis Principibus inquit: „Vos non latet patrem Rollonis & Gurim esse defunctum. Aggrediar ergo fines illorum, & capiam vrbes & castra, atque munitissima loca, vlciscárque facta patris in filios, eósque conterendo satiabor super malis illorum. Vos vestrósque, precor, præparate ad talia negotia adimplenda. Denominatiuo igitur termino profectionis, vndecumque venerant repedarunt cum suis. Mox effera Daciæ iuuentus nimio curarum inhians æstui, quæ commoda sunt præparat in illo profectu. Hi leues clypeos, lucidáque spicula, fabrili adiuti arte, componunt. Hi tela, ensésque, atque secures cote exacuunt. Huius rei inopinata fama Rollonis & Gurim aures perlabitur, & talis relationis sermone perturbantur. Qui conuocata copiosa manu, congruentíque pubertate florentium, congregatáque multitudine mediæ ætatis, senum, atque ad exterminandum descriptorum, elatis dextris mandant silentium.

CAPVT II.

Quomodo Rollone rebellante contra Regem per quinquennium, Rex ab eo pacem expetit dolosè.

TVMVLTVANTES populi, murmure penitus sedato, sedísque decentis suggestu sublimiter Rollone suffecto, infit ore mellifluo: „Vos, quibus incalescit iuuenilis ardor, quíque flore præstantiores estis virtutis, alloquor. Solerti proposito reuerendos patres, auósque, & proauos imitaminor. Conualescite viriliter, & conformaminor: & ne æquiperis vicibus illis valeatis congruenter conuenire dedignaminor. Rex siquidem huius regni molitur nos supergredi, nostræque Monarchiam ditionis inuadere, nósque & vos omnes perdere; & antequam hereditariam nostræ dominationis terram mancipet, sui regiminis terram anticipando præoccupemus, hostiliter resistendo aduentui eius. Ilicò omnes his dictis exhilarati regiam terram conglobatis exercitibus inuaserunt, totámque sæuiente Vulcano depopularunt. Hæc autem Rex audiens, contra Rollonem & fratrem eius Gurim pergit ad prælium, diúque dimicando terga vertit, fugiens ad præsidia vrbium. Tunc Rollo sui exercitus mortuos sepeliuit, Regis autem inhumatos reliquit. Vnius verò lustri spatio perseuerante inter Regem & Rollonem duello, misit Rex pacificis verbis ad eum huiusmodi in dolo. „Nihil mihi & tibi, nisi gratiâ propinquitatis. Vt requiescat Respublica precor permitte, vt quod mei iuris est, meúsque pater tenuit, liceat me patienter possidere; tibi autem quod tui iuris est, quódque tuus. Sitque inter me & te pax & concordia inextricabili fœdere compacta *. Tunc Rollo & Gurim, illorúmque milites, atque descripti ad exterminandum, pacem collaudauerunt. Determinato igitur coniurandæ amicitiæ tempore, vterque venit ad placitum, mutuísque muneribus ditati fœderati sunt.

* al. pacificata.

CAPVT III.

Quomodo Rex aggressus est noctu ciuitates Rollonis, & de morte Gurim fratris eius, & de aduentu Rollonis in SCANZAM insulam cum sex nauibus.

DENIQVE perfidus Rex dolositatem conceptæ fraudis infesto corde ruminans, conuocato quodam exercitu suo, & nocte pergens contra illos, inuadénsque fines illorum, abscondēs insidias propè mœnia ciuitatis, oppugnare cœpit. Tunc Rollo & Gurim frater eius, & qui cum eo erant, exilientes de ciuitate, persequebantur Regem terga vertentem, fugámque simulantem. Transgresso igitur locum insidiarum Rollone, pars quædam illarum de latibulis egressa petit vrbem.

A Quam armigeris vacuam inueniens, incendit, omniúmque supellectilium spolia sibi detulit. Quædam verò sequebatur Rollonem, Regem hostili immanitate fugantem. Cernens autem Rex incensam vrbem, insidiásque prævalere, retrogressus præliabatur contra illum. Cæsis verò ex parte Rollonis quampluribus, cecidit Gurim frater eius in prælio. Videns autem Rollo se inter vtrumque exercitum, vnum fugam simulantem, alterum latebris egressum, fratrémque mortuum, vix liuoribus plurimis laceratus, cum paucis diuertit ab eis. Tunc Rex obsidens & capiens vrbes, populum contra se obiurgantem sibi subiugauit. Rollo verò morari non valens in Dacia propter Regem, diffidens sui SCANZAM insulam cum sex nauibus aggressus est. Tunc Dacia pio Duce, Patricióque, atque robustissimo Aduocato priuata, magno eiulatu concussa cœpit nimium flere. ROLLO.

B

CAPVT IV.

De admonitione facta in somnis Rolloni, vt ANGLIAM peteret, & de victoria eius de Anglis.

CVM QVE diu Scanza insula mœstus moraretur, sollicitáque contorquentis animositatis cogitatione æstuans, moliretur vt vindicaret se de inimicis suis: plurimique, quos fugarat de Dacia regalis immanitas, ad eum reuerterentur, fessis labore artubus, sopore oppressus, vox diuina illi sonuit, dicens: Rollo velociter surge, pontum festinanter nauigio transmeans ad ANGLOS perge: ibi audies quòd ad patriam sospes reuerteris, perpetuáque pace in ea sine detrimento frueris. Hoc somnium cùm cuidam sapienti viro & Christicolæ retulisset, huiusmodi sermone interpretatus est: Tu vergente venturi temporis cursu, sacrosancto baptismate purificaberis, prædignúsque Christicola efficiêris, & ab errore fluctuantis seculi ad Anglos, Angelos scilicet, vsque olim peruenies, pacémque perennis gloriæ cum illis habebis. Ilicò vela nauibus aptans, remísque eas exornans, atque frumento, vino, tergísque suum eas onerans, veliuolum mare celeriter permeans, Anglos aggreditur, ibíque morari quietè diu suspicatur. C Audientes autem illius territorij pagenses quòd Rollo Dacus aduenirer, aciem magnam contra illum construxerunt, eúmque ab illis finibus fugare conati sunt. Qui more solito indubitanter pergens ad prælium, illis occurrit, plurimósque illorum prostrauit, atque ceterorum fugâ vertentium dorsa hasta fatigauit. Denique pagenses prioribus plures coaceruantes, contra Rollonem iterum aciem dirigunt, eúmque occidere, aut fugâ labi conantur. Ille verò studiis belli edoctus, certaminísque necessitate asperrimus, galeâ auro mirificè compta, triplicíque * lorica indutus, contra obiurgantium, & proficiscentium in se turmas armigeras velociter atque indubitanter perrexit, milliáque illorum immaniter prostrauit, victrice manu, celeríque cursu profugos persequens, multósque Principum capiens. Inde ad locum prælij reuertens, occisorum corpora terrâ condit, cæterósque plagis infectos deportauit, captósque nauibus connexuit. Tunc trimodo errore æstuans, si Daciam repeteret, an Franciam pergeret, aut Anglicam terram præliis affligeret, & sibi vendicaret; cœpit anxiari, nimiúmque tristari.

* f. trilici

D

CAPVT V.

De somnio eius, & de expositione ipsius somnij à quodam Christiano facta.

CVM autem huiuscemodi perturbationibus sollicitus hæreret, hominésque regionis illius ditioni suæ fidelitatis gratia vinculóque sese subiugarent, quadam nocte soporifera, letheæ molis quiete per membra leuiter serpente, videre videbatur præcellentissimus, quodam præcelsiore FRANCIÆ habitationis monte se positum, eiúsque montis in cacumine fontem liquidum & odoriferum, séque in eo ablui, & ab eo expiari contagione lepræ & prurigine contaminatum. Denique illius montis cacumine adhuc superstes, cir-

Rollo. ca basim illius hinc inde & altrinsecus multa milia auium diuersorum generum varij coloris, sinistras alas quinetiam rubicundas habentium, quarum diffusæ longè A lateque multitudinis inexhaustam extremitatem perspicaci & angustato obtutu non poterat comprehendere. Ceterùm, congruenti incessu atque volatu eas sibi alternis vicibus inuicem cedentes fontem montis petere, easque se conuenienti natatione, sicuti solent tempore futuræ pluuiæ, abluere. Omnibúsque mira infusione delibutis, congruâ eas statione sine discretione generum & specierum, sine vllo contentionis iurgio, mutuo vicissim pastu quasi amicabiliter comedere, easque deportatis ramusculis festinanti labore nidificare; quinetiam suæ iussionis imperio voluntariè subcumbere. Mox expergefactus, & visionis quam viderat reminiscens, accersitis maioribus Principum, captisque prælio Principibus simul ascitis, omnem huius visionis seriem incunctanter disseruit, & quid huius visionis mysticum sentirent ab eis inquirit. Tunc cunctis conticentibus, captorum vnus Christianæ religiositatis fide imbutus, præsagio diuinæ inspirationis aspersus, mysticum illius visionis
» intellectum explanauit, dicens: Mons FRANCIÆ, quo stare videbaris, Ecclesia il-
» lius designatur. Fons, qui in summitate montis erat, baptismus regenerationis inter- B
» pretatur. Per lepram & pruriginem, quo infectus eras, commissionis tuæ scelera &
» peccata animaduertes. Te in eo ablui, & ab eo lepræ pruriginísque morbo expur-
» gari, te lauacro sacri baptismatis regenerari, & ab omnibus peccatis emundari. Per
» volucres diuersorum generum læuas alas habentes puniceas, & quarum infinitissi-
» mam extremitatem exhaurire visu non poteras, homines diuersarum Prouincia-
» rum scutulata brachia habentes, tuique effecti fideles, quorum innumeram multi-
» tudinem coadunatam videbis, animo deprehendas. Per alites fonte infusas, & in eo
» alternatim ablutas, communique comestione edentes, populum antiquæ fraudis
» contagio pollutum, typico baptismate abluendum, sacrosancti corporis & sanguinis
» CHRISTI alimoniâ saginandum. Per nidos, quos circa fontem faciebant, vasta-
» tarum vrbium mœnia reædificanda intellige. Tibi aues diuersarum specierum ob-
» temperabunt, tibi homines diuersorum regnorum seruiendo accubitati obedient.
His igitur mirabilium interpretationum sermonibus Rollo exhilaratus, visionis suæ interpretem, ceterósque, quos bello ceperat, vinculis soluit, variis muneribus & donis diuersis ditatos ad sua lætos remisit.

C

CAPVT VI.

De ALSTEMO *Rege Anglorum Christianissimo, cum quo iniit Rollo fœdus indissolubilis amicitiæ.*

EO namque tempore, Rex Anglorum Christianissimus nomine ALSTEMVS, omnium bonorũ titulis exornatus, sacrosanctæ Ecclesiæ prædignus Aduocatus, habenas regni Anglorum moderabat piissimus. Cui continuò Rollo legatos suos misit, & quid dicerent auribus illorum intimauit. Qui venientes ad eum, pio vocis
„ affectu submissis vultibus dixerunt: Omnium præpotentissimus Patricius, Dúxque
„ Dacorum præcellentissimus Rollo, noster Senior & Aduocatus, tibi fidele serui-
„ tium, tuísque amicitiæ munus inconuulsum. Magnum, domine Rex, Daciæ regno
„ infortunium perpessos, & ab eo, heu dolor! fraudulenter exterminatos, Eurus ob-
„ noxius nobis penitus, intumescentiúmque procellarum elationibus afflictos vestris D
„ finibus appulit, omni spei & salutis præsidio priuatos. Cùm autem conaremur Da-
„ ciam repetere, & nos de inimicis nostris vindicare, obstitit & interclusit nos glacia-
„ lis hiems, gelúque crustante terram, & affligente flexiles herbarum & arborum co-
„ mas, densa glacialium mole refrenata crustarum, struxerunt nobis murum flumina,
„ nec præbuit nobis prosperum iter vnda. Audientes quidam milites in confinio no-
„ stri aduentus commorantes, præmaximam aciem contra nos struxerunt, nósque la-
„ cessentes inuaserunt. Nos verò nec sub glacie, nec supra nauigare valentes, illorum
„ audaciæ restitimus, multósque illorum prælio exarmatos cepimus. Non autem re-
„ gnum tuum depopulabimus, nec prædas vsquam raptas ad naues vertemus. Ven-
„ dendi atque emendi sequestram pacem petimus, quia imminentis veris tempore ad
„ FRANCIAM proficiscemur. Rex autem hilarem vultum summissus his auditis,

A profatur: Nulla tellus effert viros magis quàm Dacia præcipuos, armísque strenuè edoctos Parentelam diffusæ generositatis vestri Senioris, casúsque & labores vestros, quinetiam fraudulentam perfidiam Daciæ Regis nobis retulerunt plurimi. Nemo Seniore in factis iustior vestro, nemo maior in armis. Huius negotij curas secludite, armorum securi, præliorum impatientes, atque omnium malorum immunes estote. Liceat vobis vbicumque terrarum nostræ ditionis vendere & emere. Vestrum Seniorem, precamur, cogite, vt nostræ fidei integritate dignetur ad nos venire: quia eum desidero intueri, supérque malis suis solari. Abeuntes autem Missi, quæcumque audierant renunciauerunt Rolloni. Extemplo Rollo audaciter & incunctanter perrexit ad Regem contra se venientem. Qui mutuò amplexati, & oscula libati, cedentibus vtriusque exercitus turmis sederunt sepositi. Tunc Rex Alstemus prior est allocutus. ROLLO.

Prosapiâ pollens, gestorum lumine fulgens,
Moribus & meritis præcelsior omnibus, atque
Fœdere complacito fidei nectamur in vno.
B *Sis, peto, pars animæ semperque meæ comes, atque*
Finibus in nostris temet deposco morari,
Sicque salutifero baptismate sorde piari.
En quid gestis habe nostræ ditionis in orbe.
Sis memor ipse mei, fuero ceu semper in omni.
Et si velle alias est nunc proficiscier oras,
Si gens torua, ferox, iam iam feritauerit in me,
Improba non seruans fidei retinensque tenorem:
Vt potis es fer opem stabili conamine saluans.
Et tibi succurram simili ratione iuuando.
Te teget atque meum mutuo certamine scutum.

CAPVT VII.

C *De tempestate, quam passus est Rollo, cùm in regnum Francorum de Anglia nauigaret, & quomodo litoribus Vualgrorum appulit.*

TVNC Rollo super dictis Regis lætus, dixisse fertur: Grates tibi, omnium Regum præstantissime, super voluntariis beneficiis rependo, & quicquid inter me & te agenda retulisti, fac vt opto. Diutissimè in regno tuo non morabor, sed celeriùs quàm potero Franciam adibo. Vbicumque terrarum fuero, tuus amicus indissolubili dilectionis coniunctus fœdere permanebo. His dictis, admodum inextricabiliter fœderati, alternarúmque rerum competentiis mirabiliter ditati, rediit quisque cum suis ad sua. Toto namque hiemantis anni tempore, naues, sumptúsque, qui necessarij erant itineri, præparare Rollo Dux sollertis curæ fecit, Anglósque florentis iuuentutis milites, qui erant sui effecti, & secum ituri erant, asciuit. Cùm autem primæ æstatis tempore rutilantium molliter florum arrideret copia, purpureísque blattis lactea & odorifera alberent lilia, memor semper visionis monentis D ad Franciam proficisci, classibus velis datis nauium conscendit. Cùm verò lenibus ventis congressus nauigij factus esset vsque ad medium æquoris, nihilque viderent nisi cœlum complexum super faciem maris, inuidi spiritus scientes illos baptismate Christi nomine abluendos, gloriámque quam perdiderunt adepturos, ingemiscentes occurrerunt excitantes pericula illis. Venti quinetiam à sedibus suis ruunt, & hiante ponto à sedibus imis in præcipitium fluctus nimios & ad sidera tollunt. Cœlum crebrescentibus fulguribus intonuit, densarúmque tenebrarum nox atra illis incubuit. Remis confractis, ventorum rabiem vela ferre non possunt. Itaque viribus exhausti, omnia ventis permittunt. Huc illúcque naues quasi per montes & valles fluctuant, mortémque repentinam omnibus intentant. Tunc Rollo protensis manibus prostratus incubuit naui, humilíque voce talia profudit.

O Deus omnipotens, cœlestia lumine complens,
Qui cœlum terrámque tenes, per secula cuius
Numen, & æterno complectens omnia gyro,

Rollo.

Infectum viciis, peccati & fæce repletum,
Qui me Christicolam fieri vis munere visi
Temporis exiguo cursu voluente futuri,
Suscipe vota libens, precibúsque faueto benignus,
Sedatísque feros fluctus compesce ruinis,
Casibus eripiens istis nos atque labore,
Comprime demulcens, mitescens, atque serena
Vndantem nimium violento turbine pontum. A

Harum verò orationum precibus finitis, mox mare quiescit serenatis procellis: immēsósque æquoris tractus optato flamine breuiter explicuerunt, nauésque tempestate diruptas littoribus Vualgrorum applicuerunt.

Capvt VIII.

Quomodo Rollo deuicit Vualgrenses rebellantes, & Rainerivm *Hainaucensem Ducem, &* Radeboldvm *Principem Frisiæ; & de* xii. *nauibus onustis victu, & totidem armato milite plenis, quas* Alstemvs *Rex Anglorum sibi misit, dum inibi moraretur.* B

Avdientes autem Vualgrenses, quòd gens barbara tempestate maris ferociter quassata suis littoribus esset aduecta, congregata multitudine pagensium, Rollonem Ducem tempestuoso mari vix ereptum assilierunt. Qui solito more concitus, contra illos debellando perrexit, atque plures illorum nece prostratos Orco transmisit: residuósque illorum aut fugauit, aut cepit. Cúmque diutissimè morulans Vvalgras * depopularet, reminiscens Alstemvs Rex Anglorum Christianissimus, omnium Regum probitate præcellentissimus, amicitiæ, qua se & Rollonem colligarat in fœdera sempiterna, xii. naues frumento, vino, atque lardo oneratas, quinetiam totidem armato milite repletas, Duci præcelso transmisit in Vvalgras. His Rollo donis lætus, legatos muneribus præmaximis ditatos cū gratiarum actione ad Regem remisit, séque per eos famulaturum Regi mandauit. Æstimantes autem Vualgrenses propter deportati frumenti copiam omni tempore Rollonem Vualgris moraturum, conuocarunt Rainerivm Longi-colli, Hasbacensem & Hainaucensem Ducem, & Radebodvm Frisiæ regionis Principem; & conglobato exercitu aliorum pagorum, inuaserunt Rollonem. Qui sic sæpiùs ad bellum indubitanter perrexit, & multa millia illorum occidit, atque Rainerium Longi-colli, & Radebodum Frisonem ad sua castra fugauit. Deinde totam terram Vualgrorum deuastauit, atque incendio concremauit. Posthinc, huius rei causâ indignatus, Frisones celeriter expetiuit, terrámque illorum deuastare cœpit. Tunc Frisones multorum congeriem populorum concitè coaceruantes, sibique multitudinem plebium in confinio Frisiæ commorantium accumulantes; fluuio Almeræ commorantem, agminibus multis præparatis, accelerata incursione conantur inuadere Rollonem. Rollo verò, & qui cum eo erant, genu flexo, armorúmque ingruente horrore, scutorum tegmine cooperti, strictæq; aciei mucronibus coruscis complicati, expectabant initium certaminis. Frisones ergo paruissimam esse putantes multitudinem illorum, inierunt bellum sibi non profuturum. Daci verò exilientes, & in illos irruentes, vsque ad internecionem prostrauerunt, pluresq. Principes ceperunt, innumerabileq. manum ad naues duxerunt. Frisones igitur residui diffidentes sui, exhinc tributarij effecti sunt, Rollonis præceptis per omnia obedientes. Congesto, & exaggerato, atq. dato Frisiæ tributo, ilicò librat in altum carbasa nauibus data, vertítque proras ad Raineri Prolixi-juguli terras; vlcisci se cupiens de ipso, qui affuit Vualgris cum Frisonibus iam prostratis in prælio. Pererrato ponto, intrat Scaldi alueum, & cis citráq. terram depopulans super Longi-colli Rainerium, venit ad quandam Abbatiam dictam nomine Condatvm. Rainerius verò multa prælia cōtra eum fecit, sed ex omnibus Rollo victor potens exstitit. Deuastabatur terra, vtriusque exercitus mala perpessa. Præualida fames exoritur, quia terra aratro non scinditur. Vulgus penuriâ affligitur, fame bellísque attereritur. Diffidunt vi- C D

* *fortè Vvalcherē, inter Zelādia insulas, in qua Flushinga.*

A uere cuncti, salute victus priuati. Quadam igitur die Rainerio loco insidiarum commorante, clam super Dacos cupiente irruere, Daci eum hinc indè congesti vallauerunt, eúmque nimium debellantem manciparunt, vinctúmque ad Rollonem duxerunt. Ipsa namque die RAINERIDÆ, Dacorum vt caperent aliquos, latebris cōmorantes, inuaserunt XII. milites præcipuos Rollonis, & constanti virtute ceperunt. Tunc vxor Raineri flens & eiulans super eo, conuocatis Principibus suis misit ad Rollonem, vt pro XII. Comitibus captis redderet sibi suum Seniorem. Ilicò Rollo, suscepta legatione, remisit ad eam dicens: Non reddetur Rainerius tibi, sed decollabitur, nisi reddideris priùs meos Comites, mihi insuper dederis quicquid auri est & argenti sui Ducaminis, cum iuramento Christianæ religionis, quinetiam tributum istius regionis. Mox coniunx Rainerij lugubri legatione afflicta, Comites captos Rolloni remisit, aurúmque & argentum quod vsquam inuenire potuit. Quinetiam illud, quod erat sacris altaribus concessum, paritérque vectigal illius Ducaminis, cum iureiurando, quòd plus metalli non haberet, nec exigere posset, supplicibus verbis & deprecatiuis misit ad Rollonem, vt redderet B sibi suum virum. Ipse autem motus pietate, vocibúsque suppliciter petentium, ad se fecit venire Longi-colli Rainerium, verbísque pacificis affatur eum: Rainere Dux, milésque asperrime, Regúmque & Ducum atque Comitum superbo satus sanguine; quid tibi feceram olim iniuriæ, propter quod præliatus es cum Vvalgris & Frisonibus contra me? Si sæuire modo voles, armorum spicula desunt, & satellites. Si velis à nobis fugâ labi, compedibus intricatus nunc captus non potes euadere. Talionem sicut Frisonibus tibi reddidi pro malis, quæ mihi sine re intulisti. Vxor tua, & Principes tui, quicquid auri & argenti recuperare potuerunt, pro te miserunt mihi. Dimidium exaggerati muneris reddam tibi, téque tuæ vxori remittam. Hinc mansuescens requiesce, & nullatenus sit discordia: sed sempiterna inter me & te pax & amicitia. His dictis, Rainerij crura soluuntur compedibus. Statímque Rollo sibi fœderatum, muneribúsque & donis præmaximis ditatum, quinetiam reddita medietate legatorum munerum, ad vxorem suam remisit Rainerium.

Rollo.

CAPVT IX.

C *Quomodo anno incarnati Verbi* DCCCLXXVI. *Gemetias venit, deinde Rothomagum: & de pace, quam* FRANCO *Archiepiscopus petiuit ab eo, & accepit.*

HIs ita sedatis, Dani cum suo Duce ROLLONE vela ventis librant, Scaldi al- 876.
ueum deserentes, atque permenso ponto, octingentesimo septuagesimo sexto ab incarnatione Domini anno, Sequanica penetrantes ora, flante ad votum vento, GEMMETICVM veniunt, corpus sacræ virginis AMELTRVDÆ, quod à Britannia asportauerant, in Capella sancti Vedasti, quæ trans flumen est, super altare ponentes. Quæ Capella hactenus illius virginis nomen retinet. Quorum aduentum FRANCO Rothomagensis Archiepiscopus agnoscens, & vrbis muros solo tenus hostica immanitate dirutos perspiciens, ac de iuuamine ad resistendum omninò diffidens, adiudicauit salubrius ab iis pacem quærere, quàm in aliquo illos ad sui D perniciem prouocare. Qui festinus illos adiens, pacem petit, & consequitur optatam, pacto inter se fœdere firmo. Post hoc verò Daci festinantes, ad vrbis mœnia quantociùs propellunt naues, portæque, cui innexa est Ecclesia sancti Martini, plurimo milite plenas adiungunt. Cuius vrbis præsidium sagaci mente terrâ marique considerantes, compendiorum lucris munitum, totius Comitatus caput illud fore concorditer deputant.

A

Capvt X.

Quomodo Rollo cum suis per alueum Sequanæ veniens Archas, *quæ Hasdans dicitur, ibi composuit quoddam castrum, vbi pugnauit contra Francos: & plurimis occisis,* Rainaldvm *Ducem illorum in fugam vertit; & de subuersione Mellenti castri.*

Rollo igitur Rothomo potitus, de Parisiaca emersione corde versuto cum suis tractans, Christianorum sanguinem paganico instinctu lupino more sitiebat. Qui classem soluentes, Sequanæ fluuium sulcant, stationémque nauium apud Hasdans, quæ Archas dicitur, componunt. Tunc Rainaldvs totius Franciæ Dux, agnito paganorum repentino aduentu, cum valida exercituum virtute super Avthvræ fluuium eis obuius processit; Hastingvm, qui adhuc in Carnotena vrbe morabatur, ob peritiam linguæ cum aliis legatis præmittens. Veniens itaque Hastingus iuxta aquæ decursum, talibus illos adorsus est verbis: Heus, inquit, robustissimi milites, quibus ab oris huc aduecti estis, vel quid in hac regione quæritis, aut quo vester Senior censetur nomine, edicite nobis. Francorum sanè Regis sumus Legati vobis directi. Cui interroganti sic Rollo: Dani, ait, sumus, æquali dominio fungimur. Terræ huius colonos exturbare venimus, nostræ ditioni patriam subdere cupientes. Tu verò quis es, qui tam facetè nobis loqueris? Ad hæc ille: Audistis, inquit, aliquando de quodam Hastingo, qui à vestris partibus exul cum multitudine nauium huc aduenicns, hoc Francorum regnum magna ex parte pessundedit, & in solitudinem redegit? Cui Rollo: Audiuimus, inquit. Hastingus enim bono omine cœpit, & cuncta malo fine compleuit. Hastingus ad hæc: Vultis, inquit, Karolo Regi subdi? Nequaquam, ait Rollo, alicui subiiciemur: sed quæcumque armis adquiremus, nostro iuri vendicabimus. Regi, cuius te legatum gloriaris, audita si vis renuncia. Hæc Hastingus cuncta expeditè suo refert Duci. Interim Rollo, & qui cum eo erant, fecerunt sibi munimen & obstaculum in modum castri, munientes se per girum auulsæ terræ aggere, locóque portæ relinquentes spacium prolixæ amplitudinis, quod apparet ad tempus vsque istius diei. Franci verò diluculo venerunt ad Ecclesiam sancti Germani, ibique Missam audientes, participantur corpore & sanguine Christi. Abhinc equitantes, in ripa fluminis naues Dacósque in munimine auulsæ terræ videntes, amplum portæ aditum solum inuaserunt. Daci verò intrinsecus hinc & indè per planiciem castri accubitarunt, atque scutis se cooperuerunt, vt paruissima putaretur summa eorum. Rotlandvs signifer Rainaldi, cum acie, quæ præibat exercitum, violenter per aditum miræ prolixitatis amplum super eos irruit, & debellare eos cœpit. Daci verò exurgentes, Rotlandum in momento interemerunt, & eius sequaces. Rainaldus & Hastingus, cæteríque Comites, illic cunctos mortuos considerantes, terga vertentes fugam expetiuerunt hilares. Quibus peractis, Rollo nauibus festinè Mellenti municipium occupat. Quo subuerso, omnes incolas gladio necat.

B

C

Capvt XI.

D

Qua fallacia Tetboldvs *Comes Carnotenam vrbem ab Hastingo emit, & quomodo ipse Hastingus omnibus distractis peregrè profectus disparuit.*

Considerans ergo Tetboldvs Comes se reperisse tempus opportunum ad decipiendum Hastingum, talibus verbis falsò appetit illum: Cur, inquit, insignissime vir, ignauiâ torpes? Ignoras Regem Karolum te velle morte oppetere, ob Christianorum sanguinem à te olim fusum iniustè? Reminiscitur enim malorum, quæ illi tunc improbè intorsisti; & ideò de terra te exterminare decernit. Manus etiam tua, vt ipse ait, cum Rollone pagano ad delendos Francos sentit. Qua de re in proximo pessimè deleberis ab eis. Consule autem tibi, ne inconsultus puniaris. Quibus verbis Hastingus territus, confestim Carnotenam vrbem Tetboldo vendidit, & distractis omnibus peregrè profectus disparuit.

A

Caput XII.

Bellum iterum Ragenoldi Principis Franciæ cum Rollone, & de morte ipsius, & de annua obsidione vrbis Parisius, & de destructione vrbis Baiocas, in qua cepit quandam virginem nomine Popam, *ex qua genuit* Vuillelmvm & Gerloc *sororem eius; & quomodo exercitus eius trucidauit ciues Ebroicæ ciuitatis, ipso tamen cum quibusdam Parisius obsidente.*

Rainaldvs ergo fugæ dedecus non ferens, iterum congregato exercitu maiore Rollonem aggreditur repente. Cuius conatus ipse præueniens, quosdam suorum gladiis obtruncat, alios indecenter fugientes fugat. Ipsum autem Rainaldum quidam piscator Sequanæ Rolloni attributus, iaculo transfixum mortuum sternit. Dehinc Rollo anchoris subductis, celeri remigio Parisivm petit, obsidionéque cingit, prædâ vndequaque illicò adducta. Quo illic moranti exploratores B superueniunt, nunciantes Baiocasensem vrbem à defensoribus vacuam esse, & absque detrimento cuiuslibet victoris facillimè capi. Ilicò auulsis ab obsidione nauibus, Baiocasium veliuolo venit cursu. Quam captam aliquatenus subuertit, habitatoribus eius interfectis. In qua quandam nobilissimam puellam nomine Popam, filiam scilicet Berengarii illustris viri, capiens, non multo post more Danico sibi copulauit; ex qua Vvillelmvm genuit, filiámque nomine Gerloc valde decoram. Ea sic vrbe demolita, Rollo concitè Lutetiam regreditur. Cúmque in expugnatione eius arietibus & balistis intenderet, misit exercitum militum ad Ebroicam ciuitatem, vt eam exterminarent, Episcopúmque nomine Sibor cum suo populo trucidarent. Quò cùm venissent, Episcopum fugâ lapsum non reperientes, omnes ciues perimunt, & cum maxima præda Ducem suum repetunt. Talibus itaque exterritæ plurimæ gentes Franciæ, tributa soluebant Rolloni, plurimæ verò resistebant ei.

Caput XIII.

C

De Elstanno * *Rege Anglorum, qui per legatos petiit auxilium eius contra rebelles, & accepit. Et quòd Rollo indè rediens, subiugatis Anglis ad votum Regis, maximis ditatus donis & auxiliis, diuidens Comites exercitus sui, alios alueo Sequanæ, alios Ligeris, alios Gerundæ, interiacentes Prouincias prædaturos, celeri nauigatione direxit.*

* f. Alstemo.

Dvm hæc geruntur, Regis Anglorum Elstanni legati aduenìunt, deprecatoria verba Rolloni deferentes, vt illi quantociùs auxilium ferat. Conspirauerant enim aduersus eum quidam rebelles, arma mouentes. Cuius anxietati compatiens, de vrbis Parisiacæ expugnatione diffidens, ob videlicet aditus difficultatem, & nimiam alimoniæ intra eam copiam, dimissa obsidione Anglos aggreditur. Quò D cùm venisset, rebelles expugnans, cum austeritate coërcuit, acceptísque obsidibus Regi suo pronos effecit. Exhinc iteratò electa iuuenum multitudine, cum magnis muneribus à Rege sibi collatis, in Franciam remeat, statim Comites exercitus sui diuidens, alios alueo Sequanæ, alios Ligeris fluento, alios amne Gerundæ interiacentes Prouincias prædaturos, celeri nauigatione misit. Ipse autem Parisius iterum veniens, cœpit vrbem oppugnare, & terram super inimicos suos deuastare.

Caput XIV.

Quod Karolus audiens reditum Rollonis, pacem ab eo trium mensium petens, accepit: quo termino finito, Rollo suos vsque Burgundiam prædaturos circumquaque misit.

Avdiens autem Karolvs Rex ab Anglorum partibus rebus prosperè gestis Rollonem rediisse, misit ad eum Franconem Rotomagensem Archiepiscopũ,

V

ROLLO. mandans vt à vexatione Francorum cederet, & ei inducias trium mensium daret. A
Quibus impetratis, paulisper quieuit terra à Paganorum rapinis. Expletis autẽ tribus mensibus, illicò Rollo putans se propter securitatem, quam dedit, à Francis se vilem æstimatum; ferociter & crudeliter deuastando Prouincias, cœpit laniare, & affligere, atque delere populum. Sui autem inBungundiam pergentes, pérque YONAM in SIGONAM nauigantes, terrásque amnibus affines vsque CLARVMMONTEM vndique secus deuastantes, SENONIS prouinciam inuaserunt, atque cuncta depopulantes, ad sanctum Benedictum contra Rollonẽ reuenerunt. Videns autem Rollo Monasterium sancti Benedicti, illud contaminare noluit, nec prædari illam prouinciam propter sanctum Benedictum permisit. STAMPAS equidem adiens, totam terram adiacentem perdidit, quamplurimos captiuauit. Inde ad VILEMELT veniens, finitimas terras prædauit, hincque Parisius remeare accelerauit.

CAPVT XV.

Quomodo dum obsideret vrbem Cartis, RICHARDVS Dux Burgundionum cum suo & Francorum exercitu in eum irruit: quo fortiter resistente, ANTELMVS Episcopus ex vrbe cum armatis inopinatè prosiliens, sancta Dei genitricis tunicam ferens, eum à tergo inuasit. Cessit itaque Rollo non Burgundionibus, sed diuinæ virtuti. B

898. POSTREMO, Carnotenam vrbem obsidione circumdat, quam cùm machinis & tormentis impugnaret, RICHARDVS Burgundionum Dux cum suo Francorúmque exercitu adueniens, super eum irruit. Cum quo congressus, cum suis atrociter resistebat, quousque ANTELMVS Episcopus ex ciuitate cum armis inopinato prosiliens, sanctæque Dei genitricis MARIAE supparum præferens, à tergo eum inuasit cædendo. Hìc tandem videns Rollo se suósque in extremo mortis, decreuit ad horam hostibus cedere, quàm cum suorum detrimento pugnare: & prouido consilio, non tamen ignauiâ, declinauit à certamine.

CAPVT XVI. C

De parte exercitus, quæ in quendam montem subiit; & de EBVLO Pictauensi Comite, qualiter in domo fullonis latuit propter Normannos.

QVAEDAM autem exercitus sui pars Francis persequentibus recedens, LEVGAS venit, ac in cuiusdam montis subiit cacumen. EBVLVS verò Pictauensis Comes tardè ad prælium veniens, comperit Paganos montis excelsa occupasse. Quos illicò persequens, eius ardua militibus, ne effugerent, cinxit. Sed noctis medio Normanni per Francorum castra violenter erumpentes, vitæ dispendium euaserunt. Enimuero Ebulus Rollonem super eos irruisse suspicatus, domum cuiusdam fullonis subintrauit, ibique tota nocte tremebundus delituit. Porrò Franci, facto diluculo, Paganos euasisse agnoscentes, citatis equis calcaribus, eos insequi cœperunt. Quos repertos expugnare non audentes, eo quòd animalium cadaueribus sanguine cruentatis in modum castri se muniissent, nullâ re prosperè acta citiùs refugerunt: Normannis ita se liberantibus, Ducémque suum gaudenter repetentibus. D

CAPVT XVII.

*Quòd Rollone furiis succenso, & acriori oppressione Franciam demoliente, Karolus Rex filiam suam dedit ei, & maritimam terram ab Eptæ flumine vsque ad Britannicos limites, & ipsam Britanniam vnde viueret, quia * prædata terra erat & deserta: ea tamen conditione, vt Christianus fieret, & quòd Rex & Rodbertus Dux Franciæ, & ceteri Proceres & Episcopi iurauerunt eandem terram Rolloni & heredibus eius in perpetuum possidendam: & quod Rollo nolens osculari pedem Regis, iussit cuidam militi suo vt eum oscularetur.*

* al. prædicta terra erat deserta,

HIs itaque Rollo infortuniis, militúmq; suorum morte furibundè succensus, ad Francorũ infestationẽ reliquos exaggerat, & ad demoliendã siue exterminãdã

A patriam ob sociorum perniciem eos totis conatibus incitat. Quid plura? Vt lupi vespertini vehuntur pagani ad caulas Christi, succenduntur Ecclesiæ, mulieres ducuntur captiuæ, trucidatur populus, fit omnibus in commune luctus. His denique Franci calamitatibus oppressi, querulis clamoribus Karolum Regem appetunt, vnanimiter conclamantes, Christianum populum ob eius inertiam Paganorum incursibus deperire. Quorum querimoniis Rex vehementer permotus, ascitũ FRANCONEM Archiepiscopum Rolloni festinanter dirigit; mandans, si Christianus efficeretur, terram maritimam ab Eptæ flumine vsque ad Britannicos limites, cum sua filia nomine GISLA, se ei daturum fore. Qua legatione Franco suscepta, peracto itinere, pagano Duci cuncta per ordinem pandit. Cuius verba consulto suorum gratanter suscipiens, à vastatione paganica inducias trium mensium Regi indulget: vt in hoc dierum spacium pax inter eos stabiliretur fœdere firmo. Statuto sane tempore veniunt ad denominatiuum locum, qui dicitur ad sanctum Clerum, Rex cum RODBERTO Francorum Duce trans Eptæ fluuiũ: Rollo verò citra, vallatus cuneis militum. Discurrentibus alternatim nunciis, pax fauente Christo stabilitur inter eos, Rollone Regi fidelitatem sacramentis iurante, & Rege illi filiam cum terra prætitulata donante; superaddita etiam ad sumptuum supplementa tota Britannia, ipsius Prouinciæ Principibus, BERENGERIO, atque ALANNO, sacramenta iurantibus Rolloni. Nam terra maritima, quæ nunc vocatur NORMANNICA, ob diuturnos Paganorum excursus, siluis vndique adultis, à cultro & vomere torpebat inculta. FLANDRENSEM verò Prouinciam, vt ex ea viueret, voluit Rex ei primùm dare, sed ille noluit præ paludum impeditione recipere. Rolloni autem pedem Regis, cùm ab eo Ducatum Normanniæ susciperet, nolenti osculari, dixerunt Episcopi: Qui tale donum recipit, osculo debet expetere pedem Regis. Et ille: « Numquam curuabo genua mea alicuius genibus, nec osculabor cuiuspiam pedem. « Francorum igitur precibus compulsus, iussit cuidam militi pedem Regis osculari. Qui statim pedem Regis arripiens, deportauit ad os suum, standóque defixit osculum, Regémque fecit supinum. Itaque magnus excitatur risus, magnúsque in plebe tumultus. Ceterùm, Karolus Rex, Dúxque Francorum Rodbertus, Comitesq; C & Proceres, Præsules & Abbates, iurauerunt sacramento Catholicæ fidei Patricio Rolloni vitam suam & membra, & honorem totius regni: super terram denominatam, quatenus ipsam teneret & possideret, heredibúsque traderet, & per curricula cunctorum annorum successio nepotum haberet & excoleret in progenies progenierum. Quibus nobiliter expletis, Rex lætus ad sua regreditur, & Rollo cum Rodberto Duce ad Rothomagensis vrbis mœnia proficiscitur.

ROLLO. (margin)

CAPVT XVIII.

Quòd anno incarnati Verbi DCCCCXII. *baptizatus est Rollo, & exercitus eius, & quòd venerabilioribus Ecclesiis suæ Prouinciæ dedit partem terræ, antequam suis eam diuideret Satrapis; & de Brenneual, quam dedit sancto Dionysio Areopagitæ.*

D ANNO igitur Incarnationis Dominicæ DCCCCXII. benedicto fonte nomine sanctæ Trinitatis, Rollo à Francone Archiepiscopo baptizatur: quem RODBERTVS Dux à fonte accipiens, ei suum nomen imposuit. Rollo autem postquam baptizatus est, per septem dies, quibus in albis mansit, Deum & sanctam Ecclesiam deuotè datis muneribus honorauit. Nam primo die dedit terram præmaximam sanctæ Mariæ Rothomagensi Ecclesiæ: secundo, sanctæ Mariæ Baiocensi Ecclesiæ: tertio, sanctæ Mariæ Ebroicensi Ecclesiæ: quarto, sancti Michaëlis Archangeli Ecclesiæ in periculo maris supra montem positæ: quinto, sancti Petri & sancti Audoëni in suburbio Rothomagensi Ecclesiæ: sexto, sancti Petri & sancti Aichadri Gemmeticensi Ecclesiæ: septimo, BRENNEVAL cum omnibus appendiciis sancto Dionysio dedit. 912.

ROLLO. A

CAPVT XIX.

Quomodo diuisit terram suis hominibus, & Ecclesias destructas, & muros ciuitatum readificauit; & de Britonibus, quos sibi rebellantes subiugauit.

OCTAVO die expiationis eius, vestimentis chrismalibus exutus, verbis cœpit adquisitam terram metiri, Comitibúsque suis, & ceteris fidelibus suis largiri. Videntes autem Pagani Ducem suum Christianum esse, relictis idolis Christi nomen suscipiunt, ac vnanimes ad baptismum cōuolant. Dehinc RODBERTVS Francorum Dux, rebus, pro quibus venerat, competenter gestis, Franciam repetit hilaris. Porro RODBERTVS Normannorum Dux, præparato nuptialium rerum magno apparatu, suprà nominatam tanti Regis filiam in consortium sui thori Christiano more duxit. Securitatem omnibus gentibus in sua terra manere cupientibus fecit. Illam terram suis fidelibus funiculo diuisit, vniuersámque diu desertā reædificauit: atque de suis militibus aduenísque gentibus refertam restruxit. Iura & leges B sempiternas voluntate Principum sancitas & decretas plebi indixit, atque pacifica conuersatione morari coëgit simul. Ecclesias funditus fusas statuit, templa frequētia Paganorum destructa restaurauit. Muros ciuitatum & propugnacula refecit, & augmentauit. Britannos rebelles sibi subiugauit, atque de cibariis Britonum totum regnum sibi concessum sufficienter pauit.

CAPVT XX.

De lege quam statuit, vt nullus assensum praberet furi: & de rustico & vxore eius, quos affigi patibulo propter cultrum & vomerem furatum pracepit.

POST hæc intra Normannicos limites legem statuit, vt nullus assensum furi præberet. Quòd si deprehenderetur, ambo patibulis appenderentur. Contigit autē non multò pòst in LONGAPETENTIS VILLA, quendam agricolā reficiendi causâ, labore suspenso, domum redire, dimissis loris in campo cū cultro & vomere. Quæ tā C infelix quàm vesana vxor ipsius clam cūcta sustulit, experiri volens edictum Ducis. Rusticus verò ad campum regressus, rebus non inuentis, vxorem, an eas haberet, inquirit. Qua negante, Ducē aggreditur, petens vt sua sibi vtensilia reddātur. Qui motus illicò pietate, damnum viri datis quinque solidis releuare, & populū per circuitū ad examen calibis cunctū iussit compellere. Quo Deo iudicāte liberato, vxor rustici à ministris arctatur. quæ coacta verberibus reatum profitetur. Dux autē rustico ait:
„ Noueras antea, hanc furem esse? Et rusticus ait: Noueram. Ad hæc Dux intulit: Tuū
„ os te condemnat, serue nequam. Et continuo ambos iubet suspendi patibulo. Dicuntur etiam alia multa digna relatu vulgò de illo, quorum vnum breuiter hîc intimabo. Dum post venationem in syluā, quæ imminet alueo Sequanæ iuxta Rothomagū, stipatus obsequentiū turbis comederet, sedens super lacū, quē vsu quotidiano loquēdi MARAM vocamus, armillas aureas in quercu pependit. quæ per tres annos ob timorē ipsius intactæ ibidem fuerunt. Et quia iuxta Marā illud factū memorabile fecit, ideò ipsa sylua vsque in hodiernū diē Rollonis Mara vocatur. His & huiusmodi Rollo Dux terroribus populum frenans, tum ob amorem iustitiæ, quem diuinis D debuit legibus, tū pro subditorū concordi & quieta vita, tū pro sui honoris trāquillo statū, Ducatū sibi à Deo attributum tempore longæuo pacificè gubernabat.

CAPVT XXI.

De duobus militibus Karoli Regis, quos fecit puniri.

KAROLVS Simplex, filius LVDOVICI cognomento NIHIL-FECIT, qui erat socer Rollonis, quodam tempore misit duos milites GILLÆ filiæ suæ. quos illa apud se occultè diu morari fecit, nolens eos manifestare Rolloni. Quod cùm ille cognouisset, iratus, & reputans eos exploratores, iussit illos educi, & eductos in foro rerum venalium iugulari. Audiens autem RODBERTVS DVX Francorum patrinus Rollonis, quòd pro nece duorum militum, colligatæ pacis inter Regem & Rodber-

A tum Ducem Normannorum, vincula soluta diruptáque essent, contra eum rebellauit: & regnum Franciæ inuadens, in Regem III. Kalendas Iulij vnctus est. Karolus verò antequam annus compleretur, contra regni inuasorem SVESSIONIS pugnauit, ipsúmque Deo adiuuante vincens peremit. Sed ei, dum à bello victor reuerteretur, nequissimus Comes HERBERTVS occurrit, & sub fictæ pacis simulatione ad PARRONAM castrum hospitandi gratiâ diuertere compulit, & ibi eum dolo captum vsque ad mortem retinuit. Rodbertus enim Dux sororem Herberti in coniugio habuit, ex qua HVGONEM MAGNVM genuit. Karolus autem vbi captus est, RODVLPHVM filium nobilem RICHARDI Burgundionũ Ducis, quem de sacro fonte susceperat, consilio procerum Francorum in regnum sublimauit. OGIVA verò coniux Karoli filia ELSTANI Regis Anglorum, infortuniis mariti sui territa, ad patrem suum cum LVDOVICO filio suo in Angliam fugit, animositatem Herberti & Hugonis Magni nimium metuens. ROLLO.

CAPVT XXII.

B *Quòd mortua vxore eius absque liberis, iterum POPAM, quam ante baptismum habuerat, sibi copulauit: & de fidelitate, quam fecit Normannos & Britones iurare VVILLELMO filio suo, & de morte eius.*

ROLLO autem Dux, qui & Rodbertus, postquam vxor eius morte præuenta absque liberis mortua est, repudiatam POPAM, ex qua filium nomine VVILLELMVM iam adultum genuerat, iterum repetens sibi copulauit. Verùm fractus iam viribus, laboribus & præliis, in quibus omne iuuentutis robur cõsumpserat, de Ducatus sui dispositione apud se toto conamine, cui vel qualiter illum relinqueret, deliberabat. Conuocatísque totius Normanniæ Proceribus, cum ALANNO & BERENGERIO Britonibus, Vuillelmum filium suum pulcherrimæ iuuentutis flore vernantem illis exponit: iubens, vt eum sibi dominum eligerent, suæque militiæ Principem præficerent. Meum est, inquit, mihi illum subrogare, vestrum est illi fi- « C dem seruare. De cetero cunctos suasibilibus demulcens verbis, sub sacramento fi- « dei filio illos subegit. Post hæc vno viuens lustro, consumptus senio hominem exuit in Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER TERTIVS,

De secundo Duce VVILLELMO, filio ROLLONIS.

CAPVT I.

De honestate morum VVILLELMI Ducis, & quòd Franci inuidebant ei, quòd in D *circuitu dilataret terminos Ducatus sui; & quomodo BERENGERIVM & ALANNVM Britonum Comites sibi rebellantes deuicit.*

IGITVR Duce Rodberto carnis ab onere iam liberato, VVILLELMVS filius eius totius Monarchiã Normãnici Ducatus sagaci moderamine regẽs, incõuulsã CHRISTO Regi fidẽ seruare corde vltroneo satagebat. Erat quippè staturâ procerus, vultu decorus, micantibus oculis, mansuetus beniuolis, quasi leo inimicis terribilis, & vt gigas fortis in præliis, terminos sui Ducatus per circuitũ dilatare nõ desistẽs. Quæ res inuasionis & audaciæ, Frãcorum Proceribus odij & inuidiæ fomitẽ ministrauit. Sub eadẽ sanè tẽpestate, BERENGERIVS & ALANNVS Britones à tenore fidei, quã cum eo pepigerant, diffidentes, ab eius dominio præsumptiuo ausu conati sunt recedere, Regi Francorũ vlteriùs disponentes militare. Quorum temeritatẽ Dux festinato impetu cõprimẽs, GVILLELMVS I.

GVILLELMVS I. Britanniam tamdiu hostili expeditione vastauit, plurimáque eorum municipia subuertit, quoad vsque Alannum totius nequitiæ incentorem à regno exturbaret, & Anglos adire compelleret, Berengerio sibi clementer reconciliato. A

CAPVT II.

Quomodo quidam Normannorum duce RIVLFO quodam perfido, volentes eum funditus à regno extrudere, dum obsiderent suburbana Rothomagensis vrbis, ab eo cum parua manu militum sunt deuicti in loco, qui hactenus dicitur PRATVM BELLI: & quòd dum à bello victor rediret, cognouit sibi ex SPROTA nobilissima puella filium natum apud Fiscannum, quem RICHARDVM iussit in baptismate vocari.

HIs ita deuictis, diabolo agitante iniquorum quamplures, iterum intestina aduersus eum insurgunt molimina. Nam quidam RIVLFVS perfidiæ succensus furiis, plurimis veneno discordiæ infectis, arma arripiens, à regno adorsus est eum funditus extrudere: adeout vndequaque collecta virorum multitudine, circa Rotomagensis ciuitatis suburbana transmeato Sequanæ alueo obsidionem componeret, quatenus Ducem ab ea propelleret, aut captum nequiter perimeret, Normannia sibi vendicata. Videns itaque Dux, se à suis sic obsessum, multimodè meditari cœpit, qua viâ suæ consuleret saluti atque honori, & milites suos à tam audaci conspirationis metu cohiberet. Ad extremum, à quodam BOTHONE procuratore suo indecenter lacessitus conuiciis, arma sumit; & cum trecentis loricatis militibus temeraria castra irrumpens, maximam eorum multitúdinem gladiis prostratam Orco transmisit, aliósque per diuersa syluarum lustra se occultantes in fugam vertit. Riulfus autem commilitonum fiduciâ destitutus, inter profugos delitescens, fugæ subsidio euasit. Dux ergo, profligatis inimicis, suorum recensens numerum, reperit ex eis interiisse nullum. Locus, in quo fuit hic cõflictus, hactenus PRATVM-BELLI nuncupatur. Regresso eo igitur de prælio, à præfecto FISCANNENSIS CASTRI legatus dirigitur, deferens ex quadam nobilissima puella Danico more sibi iuncta, nomine SPROTA, filium esse natum. Qui lætus valde effectus, sub festinatione BAIOCAS illum Episcopo HENRICO mandauit dirigere, vt per ipsius manus sacro lotum fonte, proprio nomine vocaret eum RICHARDVM. Cuius iussa Præsul gratanter complens, puerum chrismate delibutum Fiscannum remittit nutriendum. B C

CAPVT III.

Quòd multi Comites & Duces exterarum regionum exciti famâ bonitatis & virtutis eius, frequentabant Curiam eius: & maximè Hugo magnus Dux Francorum, & VVILLELMVS Comes Pictauorum, & HERBERTVS Viromandorum: quorum Vuillelmus sororem eius GELLOC sibi coniugem petiit, & accepit, Herbertus verò filiam suam hortatu Hugonis Magni ipsi per coniugium sociauit. D

TRIVMPHO de rebellibus potitus Dux conspicuo, atque viribus conualescẽs, per exteras nationes multimodè cœpit præclaram suarum virtutum spargere famam; in tantum, vt ex diuersis mundi partibus Comites & Proceres regnorum illius Curiam frequentantes, multis munerati donis, sedes suas ouanter repeterent. Quibus summæ ingenuitatis rumoribus HVGO Dux Francorum, & VVILLELMVS Comes PICTAVENSIS, ac HERBERTVS excitati, cùm apud LEONIS syluam petulantium ceruorum in venatu exercitiorum ludis insudaret, ad eum veniunt eius commodis congratulantes. Quos ille cum magno sumptuum apparatu suscipiens, de compluribus secularium rerum dispositionibus frequenter cum eis

A disputabat. Inter quos secretorum tractatus, Vuillelmus Pictauensis Comes sororem eius nomine GERLOC petiit, quatinus maritalis lege illius connubio iungeretur. Cuius perorantis gratanter fauens votis, consultu Hugonis Magni descriptis sponsalibus, & celebratis nuptiis, cum multis xeniis gaudentem illum ad propria remisit. Oblectatus denique Herbertus super hac nuptiarum festina & magnifica hilaritate, cupiens & ipse magni ac liberalis viri affinitate suum & nomen & posteritatem propagare, adhortante Hugone Magno, filiam suam ei donauit. Quam à paterna domo sublatam, cum innumera militum manu idem Normannorum Dux Rothomagensibus intulit arcibus. GVILLELMVS I.

CAPVT IV.

Quomodo rogatu ELPSTANNI *Regis Anglorum restituit paterno regno* LVDOVICVM, *eique fauente Hugone Magno cum Episcopis & ceteris Francorum primoribus, sancto inunctum oleo diademate regio insigniuit: & quòd Franci post quinquennium iterum in ipsum conspirantes, moliti sunt eum à regno expellere.*

B AVDIENS autem ELPSTANNVS Rex Anglorum tam magnificam inclyti Ducis famam, cum donariis multis legatos illi mittit; orans vt LVDOVICVM, suum videlicet nepotem, KAROLI Regis filium, paterno restituere regno satageret, atque ALANNO Britoni sibi infenso commissa pro suo amore ignosceret. Cuius precibus Dux libenti animo annuens, Alanno debita indulsit, atque ad sua redire iussu concessit: & Ludouicum transmarinis partibus reuocatum, Hugone Magno fauente, cum Episcopis, ceterisque Francorum Primoribus sancto inunctum oleo regno sublimauit. Quod cùm lustro vno sub quiete disponeret, iterum Franci aduersus eum conspirant, molientes à regno illum pellere.

CAPVT V.

C *Quomodo* LVDOVICVS *necessitate compulsus, volens inire fœdus amicitiæ cum* HENRICO *Transrhenano Rege, noluit eidem Rex adquiescere, nisi mediante* VVILLELMO *Normannorum Marchione. Vnde Ludouicus Ducem suppliciter expetens, per ipsum quod quærebat fœdus & auxilium apud Henricum Regem obtinuit.*

QVI coactus eorum improbitate, HENRICO Transrhenano Regi nuncios mittit, mandans in colloquio cum eo quædam conferre velle, pactúmque amicitiarum stabile firmare. Quibus Rex respondit, se nullo modo ad hoc fœdus incūdum acquiescere, nisi VVILLELMI Ducis astipulatione. His Ludouicus per internuntios auditis, illicò Ducem aggreditur, aduersum Francorum conatus auxilium petiturus. Quem Dux honorificè, vt Regem decet, excipiens, spopondit se per omnia iuuamen ei præbiturum fore. Insuper, in regalibus epulis aliquandiu iocundum tempus pariter exegerunt. Præmisso quoque TEDGERIO milite ad Regem Henricum, illi ambo cum magno exercitu euestigiò expeditè post eum proficiscuntur ad colloquium, additis etiam pro eodem negotio Hugone Magno D & Herberto Principibus Francorum. Itaque accelerato itinere super Mosæ fluuium, in loco, qui VEVSEDVS vocatur, ambo Reges conuenerunt: Henrici ex vna fluminis parte, Ludouici verò ex altera è regione exercitu tabernacula figente. Inter quos Vuillelmus tam fidelissimus quàm prudentissimus, consilia & vtilia & honesta dictans, amicitiarum tenorem prout disposuit, ambo Reges inter se sacramentis confirmarunt. Abhinc Ludouicus cum suis iter conuertens Franciam repetit, & maximas de rebus strenuè gestis Duci gratias egit.

GVILLELMVS I.

CAPVT VI.

A

Quomodo Dux Vuillelmus, dum à colloquio Regum rediret, rogatu Ludouici filium eius ex sacro fonte apud LAVDVNVM *suscepit, cui nomen impositum est* LOTHARIVS.

REGREDIENTI igitur à colloquio Regi legatus superuenit, & ex GERBERGA coniuge illi natum esse filium nunciauit. Qui nimio exhilaratus gaudio, Vuillelmum Ducem exorat continuò, vt ex sacro fonte suscipiens illum proprio nomine vocaret LOTHARIVM. Quibus verbis Dux congratulanter affectu obtemperans, LAVDVNVM proficiscitur, postulata factis expleturus. Quibus regaliter patratis, festinato regressu cum suis Normannicos limites appetit. Cuius aduentum cunctus prænoscens Clerus Rothomagensis, ad portas vrbis cum laudibus processit obuiam illi, ciuibus vtriusque sexus acclamantibus in propugnaculis, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic inter consonas Clericorum seu populorum voces, intra Dei genitricis Mariæ Ecclesiam à cunctis inducitur, fusisque Deo precibus ad domum propriam epulaturus properat, multo comitatu stipatus. B

CAPVT VII.

Qua occasione Dux Vuillelmus restaurauit Cœnobium Gemmeticense, à Paganis antea destructum.

SVB eodem tempore duos à CAMBERACENSI territorio ex villa, quæ HESPERA vocatur, Monachos, Balduinum videlicet atque Gunduinum contigit Gemmeticum repetere. Qui vastam loci heremum ingressi, cum maximo labore terram, prout posse erat, extirpatis arboribus, cœperunt complanare, ac suarum laboribus manuum inibi insudare. Dux verò Vuillelmus, dum venatus gratiâ superueniens illic eos reperisset, percunctari cœpit ab eis, quibus ab oris illuc aduenissent, vel quæ tam præcipua ædificia forent. Mox serui Dei seriem rei per ordinem ei detexerunt, & charitatem panis ordeacei & aquæ obtulerunt. Quam cùm pro vilitate panis & aquæ sumere contempsisset, saltum ingressus, immanem aprum reperit, quem festinè insequi cœpit. Porrò aper molossis post eum admissis cursum retorquens, hasta venabuli fracta præpeti impetu in Ducem irruit, cúmque prostratum vehementer attriuit. Qui post paululum sensu recepto, ac sana mente Monachos repetiit, & charitatem, quam incautè spreuerat, ab eis recepit, & locum se restauraturum spopondit. Immissis ergo auctionariis, eum à ramis & sentibus purgauit: sanctíque Petri, quod aliquantisper deciderat, Monasterium resarciens, competenter texit. Claustrum verò, & omnia receptacula muniuit, ac à sui magnitudine breuiata habitabilia reddidit. C

CAPVT VIII.

De duodecim Monachis cum suo Abbate Martino à Cœnobio sancti Cypriani sumptis, quos Comitissa Pictauensis soror ipsius Ducis ei misit secundùm petitionem suam, vt eos supradicto loco subrogaret: & quomodo ibidem Dux Monachus fieri volens, prohibitus est ab ipso Abbate: & de fidelitate, quam fecit iurare Normannos & Britones RICHARDO *filio suo.* D

INTEREA legatos Pictauis sorori suæ, quam Vuillelmus Comes sibi in matrimonio iunxerat, dirigit; mandans, vt Monachos illi mitteret, quos præfato loco subrogaret. Soror autem eius petitioni gratanti animo fauens, itineris sumptus ordinauit, & XII. Monachos cum Abbate suo, nomine MARTINO, à sancti Cypriani Cœnobio sublatos, fratri destinauit. Dux verò aduentu eorum nimis exhilaratus, eos Rothomagi cùm maximo gaudio recepit, & cum omni honore, militum cuneis septus, GEMMETICVM duxit, Abbatíque locum cum tota villa tradidit, quam

GVILLELMVS I.

ab Alodariis auro redemit, & se inibi Monachum fieri voto obligauit. Votis quo-
A que satisfecisset, nisi isdem Abbas eius animositati obstitisset, eò quòd filius eius RICHARDVS adhuc puerulus esset, verens ne propter illius imbecillitatē, quorundam iniquorum molimine patria turbaretur. Verumtamen cucullam & staminneam ab eo extorquens, secum asportauit, quæ in scrinio reposuit, & clauim eius argenteam cingulo suo appendit. Inde denique digressus, Rothomagum repetit, Abbatis prohibitum molestè ferens. Cunctos quoque Normannicos & Britannicos Principes asciuit, animíque sui consultum enucleatim pandit. Cuius verbis vehementer stupefacti, hærebant quid responderent, præ nimio stupore elingues effecti. Nam spiritu vix tandem resumpto, in hanc vocem queruli prorumpunt: Cur nos, serenissime Domine, tam repentè dimittis? vel cui dominium Ducatus tui cōmittis? Quibus Dux ait: Est mihi filius nomine RICHARDVS. Vos autem rogo, vt si quando amoris affectum erga me habuistis, mihi nunc æquo animo ostendatis, quatenus illum vice mei vobis præficiatis: quia quod Deo voui ineuitabiliter à me complebitur factis. Cuius voluntati obsistere non valentes, ei quamuis mœsti assensum præbuerunt, in his concordes. Missis quoque nunciis, puerum Richardum à Fiscanno reductum illis exponit. Cui fidelitatem sacramentis prono animo cun-
B ctis firmantibus, Dux totius Normannici seu Britannici Ducatus est prælatus. quē confestim pater BAIOCAS mittens, BOTHONI Militiæ suæ Principi nutriendum tradidit: vt ibi linguâ eruditus Danica, suis exterísque hominibus sciret apertè dare responsa. Hæc de Gemmeticensis loci prætitulauimus relatu; ostendere volentes, quantam deuotionem, quàm pium animi propositum Dux Vuillelmus habuerit circa eum.

CAPVT IX.

*Quomodo HEROLDVS * Rex Danorum à filio suo SVENO de regno pulsus; cum LX. nauibus Normanniam petens, à Duce Vuillelmo cum honore congruo susceptus est; CONSTANTIENSI Comitatu ad præsidium ei ab ipso Duce concesso.*

* Aigroldus.

INTEREA tanti Principis fortitudinem & pietatem famâ promulgante, AIGROLDVS Rex Danorum à filio suo nomine SVENO de regno pulsus, cum LX.
C nauibus armato milite plenis Normanniam supplex adiit. quem potens & liberalis Dux cū honore congruo recipiens, CONSTANTIENSEM Comitatum ei ad præsidium concessit, donec fabricatis nauibus exercitum multiplicaret, & amissum cum validiore militum manu repeteret regnum.

CAPVT X.

Quomodo Dux Vuillelmus compassus calamitati HERLVINI Comitis, castrum Monasterioli ab ARNVLFO Flandrensi sibi ablatum obsidione cingens cepit, illúdque Herluino reddidit.

EA tempestate ARNVLFVS Flandrensis Comes, homo versutus, intra sui iuris terminos cupiditate illectus non se valens cohibere, plurimos in vicino positos fastu dominandi studuit cōturbare. Vnde inter cetera suæ nequitiæ molimina, cui-
D dam Comiti nomine HERLVINO grauissimum inferens detrimentum, castrū, quod MONASTERIOLVM vocatur, fraude abstulit. Qui ab Hugone Magno, suo videlicet domino, subuentu penitus destitutus, petendi auxilij causâ Normanniæ dominum lugubris aggreditur. Cuius calamitati Princeps tam bonitate quàm amplitudine præditus, beniuolo animo compassus, congregato exercitu ad expugnandum municipium festinato proficiscitur. Quod mox obsidione occupauit, & concitatis militibus per vim cepit; iterúmque alimoniarum sumptibus vallatum Herluino reddidit. A quo regressus, Rotomagum rebus strenuè gestis ouans redit. Quo tempore FRANCO Rotomagensis Archiepiscopus moritur, cui domnus GVNARDVS * successit.

* al. Gismardus.

GVILLELMVS I.

CAPVT XI.

A

Quomodo Arnulphus de ablato municipio tristis, mandauit verbis pacificis in dolo Vvillelmo Duci, vt PINCHINIACVM veniret, cum ipso de fœdere amicitiæ tractaturus.

INTEREA Arnulphus Flandrensis dirum perfido sub pectore virus efflans, & de ablato municipio efferatis animis condolens, cum multis Francorum Principibus de Ducis morte corde tenùs cœpit tractare. Qui inhumani hominis, & nefandi homicidæ cauillatione subdola infecti, vnanimiter cõspirant in mortem optimi Principis, tantum ad nefas sacramento sese constringentes. Porro Arnulfus quod fraudulento animo conceperat, opere explere cupiens, missis legatis Duci Vvillelmo mandat, se amicitiam cum eo velle habere, pacémque indelebilem firmare, & HERLVINO Comiti pro eius amore infensa indulgere; & nisi podagrico ciragricóque detineretur languore, ob hoc ad eius Curiam desideranter ire. Denique toto B annisu rogat, vt locum denominare satagat, quo ei occurrere ad mutuum colloquium valeat. Cupiens quoque Dux suum Ducatum reddere pacatum, eò quòd Monasticum toto conatu sitiret habitum, determinato loco apud PINCHINIACVM cum innumera manu electissimorum militum super SOMNÆ fluuium tanti ob negocij spem proficiscitur, vbi ARNVLPHI ex vna parte fluminis, VVILLELMI verò ex altera è regione sedit exercitus.

CAPVT XII.

Quomodo quatuor traditores, scilicet Henricus, Balzo, Robertus, & Riulfus, in quadam insula Somnæ fluuij ipsum Ducem iussu Arnulfi interemerunt: & de claue argentea inuenta in strophio eius, sub qua seruabat in scrinio cucullam & stamineam Monachilem: & quomodo corpus eius relatum est Rothomagum.

ERAT quippe insula in medio aluei, in qua libatis osculis ambo Duces consederunt, de rebus, pro quibus venerant, tractaturi. Arnulpho etenim proditoris Iudæ morem imitato, næniis & ambagibus diutius telam araneæ texente, nouissimè C post iurata amicitiarum sacramenta, & plurima pacis oscula, sole ruente ad occasum ab inuicem dirimuntur. Sed ecce, meante Vvillelmo fluuium, HENRICVS, necnon BALZO, ROBERTVS quoque, atque RIDVLPHVS *, quatuor diaboli filij, clamoribus illum reuocantes, referunt dominum suum melioris consilij omisisse secretum. Quem nauim ad ripam retorquentem, mox vt terram tetigit, extractis gladiis, proh dolor! interimunt innocentem, nullum iuuamen de suis habere valentem, ob decurrentis aquæ profunditatem. Inde protinus petentes subsidium fugæ, corpus piissimi viri reliquerunt exanime. BERENGERIVS, atque ALANNVS, Britones, necnon Normannorum Principes, dominum suum cernentes perimi, clamore & vlulatu litora implentes, nullo iuuamine valuerunt illi subuenire. Cuius corpus post paululum ad se relatum cùm deuestirent, argenteam clauim in eius strophio reperiunt dependentem, satis ditissimum thesaurum sub se habentem, stamineam scilicet, & cucullam Monachilem. Quæ, si comes ei vita fuisset, ab hoc conuentu rediens, apud Gemmeticum factus Monachus proculdubio sumpsisset. Imponentes autem D illum feretro, quantociùs cum multiplici luctu retulerunt Rotomagum. Cui obuiam procedens Clerus, & populus vtriusque sexus ad portam vrbis, cum mœstis singultibus intulerunt eum in Ecclesiam sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis. Mittentes itaque ad Baiocasinam vrbem, puerum RICHARDVM asciscunt ad patris tumulationem. Ibique ei iteratò renouantes vnanimiter tenorem fidei, tradiderunt illum sub tutela Bernardi Dani, vt sub eius tam prouida quàm fideli curâ tutiùs custodiretur intra muros ciuitatis. Compleuit autem sacratissimus Dux VVILLELMVS vitæ suæ cursum XVI. Kal. Ianuarij, Rege LVDOVICO regnum Francorum tenente, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLIII. regnante eodem Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

* f. Riulphus.

943.

A

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER QVARTVS,

De primo RICHARDO, filio VVILLELMI Ducis.

CAPVT I.

Quòd Richardus adhuc puer VVILLELMO patri suo successit.

PIISSIMO, atque beatissimo Duce VVILLELMO inter electos Dei, vt credimus, translato; filius eius RICHARDVS summæ ingenuitatis titulo, velut surculus ex dulciflua abscissus arbore, in primæuo flore radicem figens, cœpit odoriferos gratissimæ pueritiæ flosculos emittere, & liberales sub pædagogi disciplinis animos innormare. Ab illicitis verò teneri pectoris motus nobili reprimens continentiâ, spretis imbecillis ætatulæ discursibus, sapientum tractatibus vltroneo corde inhærebat. Si quid probitatis vel prudentiæ aure captabat, prout tempus dictabat, sagaci memoriæ protinus committebat. Audientes quoque Francorum Optimates tam nefariam Flandrensis Arnulphi proditionem, & lugubrem Vvillelmi Ducis necem, plurimi condoluerunt. RICHARDVS I. B

CAPVT II.

Quòd LVDOVICVS Rex Francorum Rothomagum veniens, & RICHARDVM puerum secum fraudulenter in Franciam ducens, Ducatum Normanniæ iuri proprio, quasi tutor pueri, subdidit.

C

ALIQVANTI tamen complices ipsius homicidæ, qui se amicissimos ficte antea fatebantur, detectis arcanorum intimis, virus diu absconsum in propatulo denudarunt. LVDOVICVS etenim Rex æstimans sibi magni honoris ianuam patuisse, immemor beneficiorum & fidei à Duce semper illi impensæ, quasi consulturus apud Normannos super illius morte, accelerato itinere Rothomagum venit concitè. Quem RODVLPHVS & BERNARDVS, atque ANSLECH totius Normannici Ducatus tutores, cum regali honore suscipientes, vt tanto Regi congruit, eius se subegerunt famulatui; pro fidelitate scilicet sui tantilli domini. Videns autem Rex terræ vbertatem, & aquarum salubritatem, ac siluarum plenitudinem, cupiditate irretitus, fraudulenter cœpit eis promittere, quod aliter disponebat sibi retorquere. Mittens enim, RICHARDVM puerum suis iussit aspectibus præsentari: quem egregiâ forma perspiciens decoratum, cum coætaneis pueris in suo palatio decreuit educandum. Interea durus rumor totam vrbem concussit, Richardum suæ spei depositum sub captura Regis indecenter detineri. Qua de re ciues mixti D cum militaribus turmis, strictis gladiis per ciuitatem discurrentes, Curiam Regis irrumpunt, ferinis conatibus illum interimere festinantes. Quorum tumultus vt comperit, vehementer territus, consilio Bernardi Dacigenæ puerum in vlnis arripuit, eúmque furentium conspectibus exhibuit, & sic efferos eorum motus compressit. Volens ergo Rex tumultuantes Normannorum animos omninò sedare, consultu suorum puero Richardo paternam hereditatem, pacta sibi indè fidelitate, concessit. Quem in sua fide suscipiens, spopondit se eis, licèt subdolè, eum redditurum, Palatinis disciplinis decenter imbutum.

RICHARDVS I.

CAPVT III.

Quòd Ludouicus muneribus Arnulphi cæcatus, RICHARDO puero Duci Normannorum adurere poplites minatus est.

A

HIs ita sedatis, Rex dedecus, quod à Normannis perceperat, sub occulto pectoris irâ feruente ægrè ferens, cum RICHARDO puero, quasi patris eius mortem de ARNVLPHO Flandrensi hostiliter vlturus, Franciam repetit. Arnulphus itaque metuens, ne Rex Ludouicus cum hostica manu super eum irrueret, & à crimine traditoris se expiare cupiens, missis legatis cum decē libris auri, à VVILLELMI nece se coram Rege fatetur immunem esse. Peremptores verò illius, si iubeat, proculdubio à patria se exterminaturum pollicetur. Attamen reminisci debere contumeliarum & opprobriorum, quæ tam longæuo tempore à Normannis ipse & pater eius perpessi fuissent. Et ne diuturna ægrimonia langueret, optimum fore consilium, vt Richardum puerum adustis poplitibus graui custodia arctaret, & gentem Normannicam grauissimis vectigalibus tam diu affligeret, quoadusque Danamarcham, ex qua eruperat, coacta repeteret. Rex igitur muneribus, versutísque proditoris decipulis cæcatus, ipsum suspendio dignum à scelere absoluit, & iram in innocentem puerum reflexit: exemplum Pilati imitatus, qui virum homicidam dimisit, & Christum crucis supplicio damnauit. Vnde cùm apud LAVDVNVM CLAVATVM moraretur, puerum ab aucupio regredientem, acerbissimis confutatus conuiciis, meretricis filium vltrò virum alienum rapientis eum vocauit; & nisi à talibus resipisceret, cauteriatis genibus omni illum honore priuari minatus est. Deputatis autem aliis custodibus, ne elabatur, sub magna cautela seruari iubetur. B

CAPVT IV.

Qua cautela OSMVNDVS procurator ipsius pueri eum ab arcta custodia liberauit, & à Lauduno Clauato exemptum, Siluanectis vsque ad Bernardum Comitem auunculum ipsius perduxit. C

AVDIENS denique OSMVNDVS procurator eius seuerissimam Regis sententiam, & intelligens futuros rei casus, animo consternatus Normannis legatum mittit, mandans dominum suum RICHARDVM sub lugubri captiuitatis iugo à Rege mancipari. Quibus compertis, confestim per totam patriam Normannorum indicitur triduanum ieiunium, & fit continua oratio ab Ecclesia pro eo ad Dominum. Enimuerò Osmundus inito consilio cum YVONE patre VVILLELMI DE BELISMO, puerum hortabatur, vt simulata ægritudine lecto decumberet, & ita ægrè, vt ab omnibus desperaretur. Cuius monitis puer haud segniter obtemperans, quasi in extremo mortis positus, continuo stratu prosternitur. Quod custodes videntes, neglecta eius custodia, de suis procurandis rebus huc illúcque diuertuntur. Fortè in area domus iacebat herbæ fasciculus, in quo Osmundus puerum colligatum humeris imponens, velut pabulum equo laturus; cœnante Rege, nudatísque plateis à ciuibus, mœnia vrbis transgreditur. Veniens autem in domum sui hospitis, super equum festinus insilit, & arrepto puero, fugiens quantociùs CODICIACVM appulit. In quo Castellanis puerum commendauit, & ipse nocte equitās, D diluculò SILVANECTIS venit. BERNARDVS vero Comes eum intuens, tam maturè venisse stupet, & qualiter erga nepotem suum Richardum se res habeant, diligenter inquirit. Cui cùm rei ordinem detexisset, & solitò lætiorem eum fecisset, HVGONEM MAGNVM statim celeri equitatu petunt. A quo, detecto causæ consilio, sacræ fidei ad iuuandum puerum sumentes sacramentum, cum maximo exercitu festinanter veniunt Codiciacum; eúmque indè sublatum ad Siluanectensem vrbem gaudentes deducunt.

CAPVT V.

RICHARDVS I.

A

CAPVT V.

Quomodo Bernardus Danus consilium Hugonis Magni, quod Ludonico contra Normannos dederat, sapienter adnihilauit.

CONSIDERANS autem Ludouicus Rex votum suum irritum fore, ab HVGONE MAGNO per legatos suos tenore fidei cœpit eum exigere. Cui cùm renunciassent, nequaquam sub manu, quam suspicatus est, eum teneri, sed sub BERNARDI Siluanectensis Comitis præsidio: de redditione eius diffidens, misit ad ARNVLPHVM Flandrensem, mandans, quòd sibi occurreret festinus, de his consulturus apud vicum, qui dicitur RESTIBVLVS. Vbi dum ambo pariter diuersè disceptarent super huius rei casu, nouissimè subintulit Arnulphus: Nouimus, ait, Hugonem Magnum cum Normannis diu sentire, & ideò expedit tibi B muneribus illum excæcare. Concede ergo ei à Sequana vsque ad mare Normannicum Ducatum, tibi reseruans vrbem Rotomagensem: quatinus eius priuata iuuamine, penitus cogatur hæc gens perfida à patria exire. Quibus verbis Rex persuasus, continuò per suum legatum conuocat Hugonem Magnum ad colloquium, ad villam, quæ dicitur CRVX, iuxta COMPENDIVM. Quò cùm venisset, & de vrbium, seu Comitatuum distributione audisset Regem disputare, maluit periurus honore ampliari, cæcatus cupiditate, quàm suo amico RICHARDO fidem inconuulsam conseruare. Quapropter à loco recedentes, iurata aduersum Normannos expeditione, & ab vtrisque partibus congregatis exercitibus, Rex CALCINA, Hugo BAIOCASINA, cœperunt rapinis & incendiis oppugnare territoria. Quæ cùm Bernardus Danus didicisset, Bernardi Siluanectensis vsus consilio, confestim legatos dirigit Regi Ludouico, huiusmodi verbis eruditus: Quare, inquiunt, præpotentissime Rex, tuam demoliris patriam; præsertim cùm sit tibi nullo obsistente pacifica, & quieta? Desiste ergo à tuorum rapinis, & vtere Normannorum militum militiis. Cur enim eos vexaris incendiis, cùm tibi patula sit C vrbs Rothomagensis? Suscipe igitur beneuolo animo eorum seruitia, vt queas illorum subsidio vitare inimicorum molimina.

CAPVT VI.

Quòd Ludouicus Rothomagum veniens, susceptus est à Bernardo Dano, & ceteris ciuibus: & quòd eius iussione Hugo Magnus cessauit à deuastatione Normanniæ.

HAc itaque legatione oppidò exhilaratus, prohibitis à præda militibus, festinat ire ad vrbem quantociùs. Cui venienti cum multimodis laudibus cunctus ciuitatis Clerus ad portam processit obuius; clamans cum populorum turmis: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Inde Rex ad regales accedens dapes, cœpit epulari splendidè, Bernardo Dano ministrante. Cui inter prandendum vino iam æstuanti sic Bernardus ait: Hodie, serenissime Rex, lætissimus illuxit nobis dies, quoniam cœpimus esse regales. Hactenus militauimus Duci, vlteriùs D seruiemus inuictissimo Regi. Teneat sibi Bernardus Siluanectensis Richardum suum nepotem: nos vtinam tempore longo habeamus te dominum & Regem! Reuerà exitiabile tibi consilium dedit, qui totius Normannici exercitus robur amittere suasit. Quem verò inimicorum non valuisses terrere, robustissima illorum virtute? Sunt enim, vt nos, tuo dominio subiecti, tibi militare cupientes corde volenti. Quare ergo viginti millibus bellatorum in nos armasti Hugonem tuum inimicum? Nónne tibi semper ipse infensus extitit, & contra te assiduè rixatur? His & huiusmodi Rex placatus verbis, cum festinatione Hugoni Magno legatos mittit, qui eum compellant exire à Normannorum terminis, ei dirigens & hæc: Stolidum quidem fore tanta in alius potestatem donare, quibus ad sui supplementum quieto iure nullo aduersante posse potiri. Quo relato, Hugo Magnus valdè exacerbatus celerrimè

RICHARDVS I. recessit, omissa expeditione, milites cohibens à Normannica vastatione. Rex etenim aliquandiu apud Rotomagum morans, Præfectum Comitatui præfecit RODVLPHVM agnomento TORTAM, qui vectigalia annuatim à subditis exigeret, & tota hac in Prouincia iura ac quælibet negocia decerneret. Qui paganis deterior, cuncta Monasteria ab ipsis exusta, quæ circa Sequanæ littora erant, diruens à fundamentis, ad reparandam Rotomagensem ciuitatem petram asportauit. Ad Gemmeticum verò cùm accessisset, sanctæ Mariæ Monasterium inuasit, illúdque euertit. Quod à fundamentis funditus diruisset, nisi quidam Clericus nomine CLEMENS ab operariis duas turres precio redemisset; quæ vsque ad tempus ROBERTI Archiepiscopi, qui illam restaurauit Ecclesiam, permanserunt stabiles. Igitur Rex ad libitum expletis rebus, gaudens regreditur Laudunum. A

CAPVT VII.

Quomodo industriâ Bernardi Dani, agente HAIGROLDO Rege Danorum, Ludouicus Rex Francorum captus Rothomagensi vrbe sub arcta custodia retentus est. B

INTEREA Bernardus Danus metuens, ne in regressu Ludouicus Rex cum Hugone Duce Normannos pressuris grauioribus opprimeret, HAIGROLDO Danorum Regi adhuc apud CHIERISBVRCH degenti legatos mittit clam: mandans, vt sociatis sibi Constantiniensibus atque Baiocasinis militibus expeditione terrestri, ipse cum hostica classe direptionibus Normanniam concuteret à partibus marinis: quatinus huius rei gratiâ Ludouico Rege ad colloquium contra eum veniente, de inimicis satageret VVILLELMI amici sui sanguinem vindicare. Cuius monitis Rex celerrimè fauens, propulsis ad mare nauibus, subductísque in altum velis, Circio flante CORBONIS salinæ litora appulit, qua rapido meatu se
945. procelloso mari DIVA infundit. Enimuerò fama solito more volans Francorum aures illicò percelluit, Paganos maritima litora occupasse cum nauium multitudine graui. Bernardus etiam Danus, & Rodulphus Torta Regi Ludouico legatum miserunt, & huius infortunij euentum intimarunt. Qui validum congregans exercitum, quantociùs venit Rotomagum. Hinc Haigroldo Regi Danorum mandat, vt apud Vadum, qui HERLVINI vocatur, sibi occurrat; insinuaturus scire cupienti, cur infestet terminos regni sui. Quæ res Regi Haigroldo vehementer complacuit, mortem Ducis decernenti toto annisu vlcisci. Vbi cùm ambo Reges præfinito die conuenissent, & de VVillelmi Ducis iniusta nece diutiùs inter se disceptarent, quidam Danus HERLVINVM Monasterioli castri Comitem, pro quo idem Dux occubuerat, inter alios prospiciens, zelo amici succensus, confestim illum lanceâ perfodit, mortúumque sub momento sternit. Cuius mortem LAMBERTVS frater eius, ceteríque Franci, amarè ferentes, concitatis animis ad dimicandum super Danos repentino impetu proruunt. Quos Pagani viriliter excipientes, sæuiente Marte, Satrapas decem & octo, cum innumeris aliis, gladiis truncatos, igniuomo transmittunt Orco. Alij verò se occulere festinantes, per diuersa latibula hac illácque nutabundi vitæ quærebant suffugia. Rex quoque Ludouicus pernicis equi cursu à Regis Haigroldi captione lapsus, in cuiusdam militis incidit manus. Cui cùm multa promitteret, ne eius proditione hosti traderetur, tandem miles victus Regis lacrymis, in quandam Sequanæ insulam clanculum eum subduxit. Quod vt Bernardus Danus à relatoribus agnouit, exactoribus directis militem statim in vincula coniecit. Qui coactus suimet necessitate, inuitus coram protulit, quem disponebat eruere pro obuentu muneris. Rex verò ab insula sublatus, Bernardi iussu apud Rotomagum sub vehementi custodia artatur. C D

A

CAPVT VIII.

Quòd GERBERGA Regina auxilium petens ab HENRICO patre suo Transrhenano Rege contra Normannos, non impetrauit: quapropter filium suum, & duos Episcopos obsides pro Ludouico Rege coniuge suo dedit.

GERBERGA denique Regina virum suum à Normannis audiens esse captum, diriguit, & consternata animo HENRICVM Transrhenanum Regem, suum equidem patrem, celeriter aggreditur: orans, vt plurimo ordinato exercitu, Rotomagum obsideret, virúmque suum violenter indè abstraheret. Cuius infortunium cùm Rex Henricus audisset, iustè illi hoc contigisse respondit: quia fidem, quam Vvillelmo Duci olim iurauerat, filium eius capiendo, nefariè corruperat. Per tuos, " inquit, ô filia, stude illum iuuare, quoniam de propriis oportet me ad præsens tra- " ctare. His Regina à patre auditis, concitè reuertitur ad Franciam, rebus nequa- " B quam prosperè actis. Dehinc supplex appetens Hugonem Magnum, postulat vt à Normannis extorqueret dominum suum. Hugo verò Dux, misso Bernardo Siluanectensi, Normannos conuocat ad colloquium festinatò ad sanctum Clerum. Cúmque illuc congregati fuissent, & de Regis exhibitione diutiùs altercarentur, Hugo Magnus nouissimè subintulit: Reddite nobis Regem nostrum, & pro eo reciprocè " suscipite eius filium, eo tenore, vt opportuno huc reuertentes tempore, firmemus " pacem inter nos stabili fœdere. Hoc cùm Normannis placuisset, pro eo susceperunt obsides, eius siquidem filium, & duos Præsules, HILDIERIVM Beluacensem, atque VVIDONEM Suessionensem. His itaque strenuè peractis, Rex de euasione sua lætus, regreditur Laudunum, & Normanni repetunt Rotomagum.

CAPVT IX.

Quomodo Normanni reduxerunt dominum suum Richardum de Francia, & quòd obsides redditi sunt: & de reditu Haigroldi in Danamarcham.

C

POST hoc autem Normanni mittentes ad Siluanectensem Bernardum, reuocauerunt indè cùm exercitu magno RICHARDVM seniorem suum. Tempore verò præfinito, ascita militari manu, cum Præsulibus Franciæ venit Rex super fluuium Eptæ cum Magno Hugone; Normannis occurrentibus in altera parte fluminis cum puero Richardo. Discurrentibus autem ab vtraque parte internunciis, Christo fauente pax inter eos stabilitur fœderibus firmis, iuratísque sacramentis obsides redduntur; mortuo filio Regis apud Rotomagum. His autem ritè expletis, Rex Ludouicus regreditur Laudunum, & puer Richardus Rotomagum. Quem Rodulphus Torta vrbis Præfectus malè ilicò cœpit tractare, & domesticos eius penuriâ famis affligere; nolens ad quotidianum victum illis præter XII. nummos præbere. Quamobrem Dux vehementer furore succensus, ab vrbe illum festinanter pepulit, Parisiúmque ad filium suum ciuitatis Præsulem ire coëgit. Quibus ita peractis, Nor- D mannica tellus siluit à facie Ducis. Haigroldus verò Rex non multo post regreditur in Danamarcham, & Sueno filio suo reconciliatur.

CAPVT X.

Quòd Hugo Magnus filiam suam EMMAM Richardo Duci desponsdit, vnde Ludouicus Rex, & Arnulphus Comes Flandrensis perterriti, auxilium Othonis Regis petiêrunt contra Hugonem Magnum & Richardum Ducem; & quòd Otho, depopulata terra Hugonis Magni, Rothomagum aggressus est expugnare.

POST hæc Hugo Dux considerans puerum RICHARDVM viribus conualescere consensu BERNARDI Siluanectensis, sacramentis ab vtraque parte iuratis, filiam suam nomine EMMAM illi despondit, vt pubescens flore iuuentutis iungeret eam sibi lege coniugali. Quæ res Ludouicum Regem, plurimósque

RICHARDVS I. Francorum Proceres valde perterruit, sed maximè Arnulphum Flandrensem totius fraudis incentorem. Ludouicus siquidem vt hos magnarum virium Duces amoris vinculo connexos esse didicit, timens ne eorum conatu deponeretur à culmine regni, misit Arnulphum Flandrensem consultu eiusdem ad OTHONEM Transrhenanum Regem: mandans, quoniam si Hugonem Magnum omninò contereret, & Normannicam terram suo dominio subigeret, proculdubio LOTHARIENSE regnum illi contraderet, quod patri suo Henrico Regi videlicet Transrhenano fuerat promissum, propter prælium SVESSICO * campo ipsius adiutorio à Karolo patre ipsius Ludouici contra ROBERTVM prosperè gestum. Qui gauisus, audito quod diu optauerat, præparatis omnibus, quæ tantum ad negocium congrua erant ac necessaria, velut tempestas valida à regno suo egressus, adiunctis sibi Ludouici Regis & Arnulphi Flandrensis exercitibus, cum legionibus militum multis super Hugonem Magnum irruit. Consumptísque omnibus, quæ illius erant, extra oppida, omne robur belli super Normannos à patria exturbandos immisit: præmittens cum milite multo quendam suum nepotem ad terrendam Rothomagensem vrbem. Quam cùm aggressus fuisset, Normannos intra muros reperiens delitescentes, suspicatus est omnes fore imbelles. Itaque militibus concitatis vehementer portas expugnare cœpit. Normanni verò portis repentino impetu patefactis, proruentes animis efferatis, tanto aduersarios turbine depopulati sunt, vt prostrato super pontem nepote Regis, vix elaberentur ex certamine perpauci.

* al. Suessonio.

CAPVT XI.

Quàm turpiter Otho Imperator, & Ludouicus Rex, & Arnulphus Flandrensis ab obsidione Rothomagi fugerunt; & de morte ipsius Ludouici, cui successit Lotharius filius eius.

PORRO Rex Otho cum Rege Ludouico atque Flandrensi Arnulpho lento gradu subsecutus, dispositis militum legionibus, cùm accessisset ad obsidendam vrbem, eámque perspexisset inexpugnabilem, audita morte sui nepotis, de distrahendo Arnulpho Normannis, cum suis clam cœpit consultare intra Ecclesiam sancti Petri almíque Audoëni, quæ in suburbio sita est ciuitatis. De regressu quoque in crastino pauido inibi disponit consilio. Verùm Arnulphus eo traditionis laqueo deprehenso, papilionibus tentoriísque complicitis, & sagmariis oneratis, in conticinio noctis cum suo exercitu festinus aufugit, in maximo tremore persistentibus aliis, equorum strepitu abeuntium territis. Otho verò atque Ludouicus diluculò consurgentes, vt didicerunt Arnulphum fugisse, ilicò quo venerant itinere gressus retorquent, dimissa obsidione. Quos maturiùs discedentes, Normanni adeò sunt persecuti, gladiis perimentes, vt per diuersa itinera reperirentur prostrati quasi bidentes. Plurimi autem illorum, dum per deuia siluarum diuortia oberrarent capti, per Normannorum patriam sunt distracti. Hic extitit euentus Othonis Germanorum siue Romanorum Imperatoris. Hic Ludouici Regis finis, non multò pòst hominem, post multos mœrores exeuntis. Quo tempore, defuncto GVNARDO Rotomagensi Archiepiscopo, successit HVGO.

CAPVT XII.

Quòd Hugo Magnus ad extrema veniens, filium suum Hugonem patrocinio Ducis Richardi commendauit; & quòd idem Dux filiam prædicti Hugonis, Emmam post mortem patris vxorem accepit.

HVGO denique Dux senio fessus, cùm nouissimum sui exitus diē cerneret imminere, ascitis Principibus sui Ducatus, eorum consulto flore iuuentutis vernanti Richardo Duci filium suum nomine HVGONEM commendare studuit: vt eius patrocinio tutus, inimicorum fraudibus non caperetur. Post cuius obitum,
960. filiam eius nomine EMMAM à paterna domo sublatā, idem Dux, vt olim despōderat,

A cum maximo tripudio & honore Rotomagensibus intulit mœnibus; sibi eam iungens iure coniugali. RICHARDVS I.

CAPVT XIII.

Quòd consilium THEBALDVS Comes Carnotensis dedit Gerbergæ Reginæ contra Richardum Ducem, & quomodo eadem fraus à duobus militibus ipsius Thebaldi Duci detecta est.

INTEREA TEDBALDVS Carnotensis Comes, quibusdam simultatibus exortis, Duci Richardo cœpit aduersari; eius terras demoliendo rapinis. Cuius temerarios ausus vt comperit, fortitudine tanto digna viro strenuè compressit. Tedbaldus autem suum incœptum spe minus valere considerans, Gerbergæ Reginæ de Richardo Duce maliuola verba cœpit suggerere, suadens eo viuente LOTHARIVM B Regem, filium equidem suum, Francorum regnum numquam pacatum tenere. Qua de re summè necessarium fore toto annisu eam satagere, qualiter tantum hostem de terra exterminet. Quibus verbis Regina credula, confestim BRVNONI Archipræsuli Coloniensi & Duci, suo videlicet fratri, legatum mittit: mandans, quatinus nepoti suo subueniat, Richardum infestissimum regni eius aduersarium capere, si qua via succedat, annitens. Continuo à Brunone quidam Episcopus Duci destinatur, qui ei suadeat, quòd apud Ambianẽsem pagum sibi ad colloquium occurrat, Regem reconciliare illi; Francorúmque regnum suæ ditioni subdere cupienti. Quibus verbis Dux subdolè deceptus, quò lætissima spes vocauit, iter instituit festinus. Cui eunti obuij fuerunt duo milites Tedbaldi. Quorum vnus ait: Quorsum, illustrissime virorum, gressum tendis? Visne esse Dux Normannorum, an extra tuam patriam custos ouium? His dictis, conticuit. Cui Dux ait: Cuius milites estis? Ad hæc alter infit: Quid tibi, cuius? nónne tui? Animaduertens illicò Dux verba delatorum sibi ad consulendum, ac necessariò prouidendum, dirigi: illis quidem honorificè vale dixit, & vni ensem ex auro quatuor C librarum in capulo fulgidum dedit, alterum verò armillâ totidem librarum purissimi auri remunerauit. Deindè suum celerrimè gressum retorsit, saluúsque Rothomagum venit. Hoc modo Bruno delusus regressus est, detectis nequitiæ suæ fraudibus.

CAPVT XIV.

Quomodo Rex Lotharius congregatis inimicis Richardi Ducis, videlicet Balduino Comite Flandrensi, Gaufrido Andegauensi, Thebaldo Carnotensi, illum voluit decipere, sed non potuit.

EXINANITO itaque tanto dolo, Lotharius Rex ad aliud palliatæ proditionis argumentum hortante Tedbaldo iteratò deuoluitur; Ducique legatum huiusmodi verbis instructum destinat: Quousque, inquit, Dux, seruitij debitum mihi detrectas exhibere? An ignoras me Francorum Regem esse, cui te mili-D tiam oportet impendere: cuius edictis atque consultis te nequaquam oportet contraire? Nónne de nostra dissensione mei tuique gratulantur inimici? Resipisce ergo iam iamque ab his obstinati animi altercationibus, & accelerato itinere festina mihi occurrere, vt indissolubilibus pacis fœderati vinculis, deinceps per mutuam concordiam fruamur competentibus commodis. Gaudeátque Rex de tanto suo Duce, & Dux de suo carissimo Rege. Quibus simulatæ legationis ambagibus Dux illectus, illico Regi mandat, se vltroneo libitu affuturum. Super his vehementer Rex gauisus, ascitis Ducis inimicis, BALDVINO scilicet Flandrensi, atque GOIFFREDO Andegauensi, necnon TEDBALDO Carnotensi, super Helnæ fluuium ad detestandum placitum concitus venit. E contra quoque Dux ex altera aquæ parte sedit cum militari manu. Cupiens autem scire, quæ apud Regem gererentur, misit de suis renunciaturos, qui agerent cum eo de eius contubernalibus amicis. Legati prænominatis illic repertis Comitibus, super

RICHARDVS I. Ducem irruere disponentibus, confestim pernici cursu regressi Ducem hortantur, A vt à loco recedat: ne dum regia præoccupatur proditione, inimici eius aduersum se congredientes, gaudeant de illius morte. Continuò Dux, compellentibus suis, fluuium Deppæ transiens aliquandiu substitit, & à vado aquæ insequentes hostes prohibuit, donec regiam vim declinans, Rotomagum repeteret celeriter cum suis. Sic detecta in propatulo fraude Regis, animositatem eius circa se agnouit.

CAPVT XV.

Quòd Rex Lotharius vrbem Ebroicam capiens Thebaldo tradidit: & quomodo Dux Richardus Carnotensem Comitatum, & Dunensem vastauerit: & quòd Thebaldus ad Ermentrudis villam cum exercitu veniens, ignominiosè indè, agente Duce, cum magno damno aufugit.

PERSPICIENS ergo Rex propositum sui voti flocci pensum fore, Laudunum B regreditur furibundus; non multò post Tedbaldo suggerente Normanniam hostiliter petiturus. Vix enim ad consilium contrahendum respirans, congregatis Burgundionum Francorúmque militum copiis, ciuitatem Ebroicam aggressus, ciuibus incautis eam obsidione cingit, dolísque Gisleberti agnomento Machel capit, ac ad expugnandam patriam Tedbaldo Comiti statim tradit. Rege verò ab vrbe recedente, Richardus Dux euestigiò eum prosequitur, & cunctum Dunensem seu Carnotensem Comitatum præliis & incendiis depopulatur. Consumptis omnibus, quæ Tedbaldi erant, cum innumera præda reuertitur ad propria. Haud mora Tedbaldus reciproca vicissitudine clam exercituum agmen collegit, ac ad dedecus Ducis apud Hermentrudis villam papiliones & magalia fixit, stationémque infestissimorum hostium composuit. Verùm, prouidissimus ac fortissimus Dux intempestæ noctis silentio alueum Sequanæ transmeauit, & diluculò super eos irruens tanta illos strage profligauit, vt ex eis sexcenti quadraginta perirent, & reliqui per diuersa syluarum lustra vulnerati diffugerent. Ipse verò Tedbaldus turpiter fugiens cum paucis, latitando per deuia saltus, Carnotum venit confusus. Ad eius fugæ suffragium, Christo illi reddente vicem, filius eius ipsa die moritur, totáque Carnotena C vrbs incendio consumitur. Dux autem Normanniæ ad campum belli regressus, mortuos reperit; & misericordia motus sepeliri eos iussit. Vulneratos verò imperat Rotomagum leuiter deferri, ibíque à Medicis curari; sanatos quoque Tedbaldo remitti.

CAPVT XVI.

Quòd Richardus Dux auxilium Heraldi Regis Danorum contra Francos petiit, & efficaciter impetrauit.

VIDENS itaque Dux tantarum fraudium Regis molimina super se imminere, Comitésque Francorum contra se vnanimiter sæuire, HERALDO Danorum Regi legatos dirigit, & mandat, vt ociùs illi succurrat, & Paganorum multitudine D Francorum rabiem solotenus comprimat. Cuius legatos Rex non modò gaudenter recepit, verumetiam maximis muneribus ditatos Duci remisit, séque missurum celerrimè illi iuuamen spopondit. Quid plura? Iussu regio naues ad mare propelluntur. Ad tantæ expeditionis negocium paganica iuuentus præparatur, clypeis, & loricis, ac galeis, omníque armorum apparatu innumerabilis exercitus munitur. Inde statuto die eleuantur vexilla, ventis salubriter spirantibus librant vela, celerique nauium cursu permenso mari ad Sequanica deuoluuntur ora. Quorum aduentu Dux cognito vehementer gauisus, illis obuiam processit, atque eo præeunte sulcantes remigio alueum Sequanæ, ad Giuoldi fossam deuehuntur expeditè; ibique fixis anchoris, de subuersione consulunt Franciæ. Et ecce, repentino tumultu è nauibus proruunt, totámque in circuitu patriam exitialiter comburunt. Dehinc viri cum mulieribus concatenati distrahuntur, vici deprædantur, vrbes desolantur, castella subuertuntur, & terra in solitudinem redigitur. Fit luctus omnium in com-

A mune, nullo cane per Comitatum Tedbaldi latrante. Vbi verò illa deficiunt, regalia iura continuò inuadunt. Quæ autem Francis subtrahunt, Normannis possidenda vili precio conducunt. Libera manet à Paganorum rapinis tellus Normannica, Francia verò nullo obsistente distrahitur captiua. RICHARDVS I.

CAPVT XVII.

Quòd necessitate compulsi Rex Lotharius & Thebaldus, omnia, quæ Duci Richardo diripuerant, integrè restituerunt: & de conuersione Paganorum ipsius hortatu.

DVM hæc geruntur, Synodalis Episcoporum Conuentus apud Laudunum congregatur, inuestigaturus cur Christianus populus his cladibus affligatur. Mittentes denique Carnotensem Præsulem Duci, sciscitantur ab eo, cuius rei causâ B tam execranda à Christianissimo piissimóque viro processerit seueritas. A quo, cùm Regis fraudes, & Tedbaldi vrbis Ebroicæ surreptionem Pontifex didicisset, confestim à Paganicis irruptionibus inducias petit, ac adipiscitur, in quibus Præsules adducant loco opportuno Regem Lotharium, de omnibus beniuolo animo illi satisfacturum. Igitur audiens Tedbaldus Regem absque suo consilio pacem quærere, formidans ne totum seditionis pondus super eum incumbat, quendam Monachum Duci cum festinatione mittit, mandans se, in quibus illum offenderat, toto conamine pœnitere, ac ad Curiam eius ire, Ebroicámque vrbē illi reddere velle. Dux autem, his auditis, lætus efficitur; & concessa securitate, copiam illi indulget ad se veniendi. Qui cum familiaribus ad eum veniens, non solùm vrbem illi reddidit; verumetiam firmatis amicitiis, cum multis denariis ab eo gaudens discessit. Imminente verò die præfiniti colloquij, Dux apud Giuoldi fossam in Paganorum castris scænam miræ magnitudinis construi iussit, in qua Rex Lotharius cum suis Optimatibus diuertens, illi satisfecit, fœderibus pactis, iuratísque sacramentis. His itaque salubriter Dux expletis, Paganorum plurimos ad fidem CHRISTI sacris monitis C conuertit, alios in paganismo permanere disponentes ad Hispanias transmisit. Vbi plurima bella perpetrantes, decem & octo diruerunt vrbes.

CAPVT XVIII.

Quòd mortua vxore sua Emma absque liberis, idem Dux duxit GVNNOREM, & de progenie ipsius Ducis.

QVA tempestate EMMA vxor eius, filia HVGONIS MAGNI, absque liberis moritur. Ipse verò non multò pòst quandam speciosissimam virginem nomine GVNNOR, ex nobilissima Danorum prosapia ortam sibi in matrimonium Christiano more desponsauit. Ex qua filios genuit, RICHARDVM videlicet, & ROBERTVM, atque MALGERIVM, aliósque duos, atque filias tres. Quarum vna, nomine EMMA, EDELREDO Regi Anglorum nupsit, de qua idem Rex EDVVARDVM & ALVREDVM, Godvvini longo post dolis interemptum procreauit. D Secunda verò HADVIS vocata GOIFFREDO Britannorum Comiti iuncta, ALANVM & EVDONEM Duces progenuit. Tertia quidem MATHILDIS ODONI Comiti, de qua sermo imposteris orietur. Genuit etiam duos filios, & totidem filias ex concubinis. Quorum vnus GODEFRIDVS, alter verò dicebatur VVILLELMVS. Horum prior Comes fuit Aucensis. Quo defuncto, accepit frater eius eundem Comitatum, quem adhuc heredes eius iure successionis possident. Licèt Comes GISLEBERTVS filius Godefridi Comitis ipsum Comitatum parumper tenuerit, antequam occideretur. Hic Gislebertus genuit Richardum strenuissimum militem, qui tam ipse, quàm filij eius, Gislebertus, Rogerius, Vualterius, Rodbertus, Ecclesiam Beccensemm agno affectu dilexerunt, & magnis possessionibus ditauerunt: imitantes Comitem Gislebertum auum suum, qui in fundanda prædicta Ecclesia venerabilem HERLVINVM primum Abbatem & constructorem ipsius & consilio & rebus iuuit. De qua Ecclesia, & prædicto eius Abbate,

RICHARDVS I. procedenti tractatu, loco competenti, prout decet, mentionem faciemus. Hîc verò ista per anticipationem breuiter dixisse sufficiat. A

CAPVT XIX.

Quomodo Dux Richardus apud Fiscannum Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis construens, diuersis ornamentis decorauit: & de Abbatiis S. Michaëlis de Monte & sancti Audoëni, quas restaurauit: & quòd mortuo Lothario Hugo Capet Rex eleuatur, cui etiam post aliquantum temporis defuncto successit Robertus filius eius.

CVM igitur Dux Richardus multorum operum bonorum polleret incrementis, inter plurima commercia summæ opinionis, apud FISCANNVM miræ magnitudinis & pulchritudinis in honore Deificæ Trinitatis templum construxit, mirificísque ornatibus multimodè adornauit. Abbatias quoq; quasdã restaurauit. Vnam siquidem in suburbio Rothomagensi in honore sancti Petri, sanctíque Audoëni: aliã in Monte, qui dicitur TVMBA, in veneratione Archangeli Michaëlis, gregibúsque Monachorum insigniuit. Tempore sub eodem diem obiit HVGO Rotomagensis Archiepiscopus, cui successit ROBERTVS eiusdem Ducis filius. Porro mortuo Francorum Rege LOTHARIO, in illius loco ab omnibus subrogatur Hugonis Magni Ducis filius HVGO CAPETH, adminiculante ei Duce Richardo. Hic aduersum Flandrensem Arnulphum sibi militare renuentem arma mouens, cum valida manu hostica Atrabatum illi abstulit, & cuncta municipia, quæ citra flumen, quod vocatur LIS, tenebat. Huius infortunij dolore mœstus Arnulphus, petiit Richardum Ducem supplex & deuotus, vt pacificaret eum cum Rege & Francorum Principibus. Hoc itaque pro negotio Dux contra Regem Hugonem ad placitum pergens, non modò eum pacificauit, sed & cuncta illi ablata suis precibus restituit. Quo tempore moritur isdem Rex Hugo, succedente eius filio ROBERTO Rege piissimo. Huius igitur beatitudinis prærogatiuis iste Dux profusiùs floruit; quia quos audiebat discordes, aut per se, aut per suos legatos reddebat concordes, Scriptura dicente: *Beati pedes pacem portantes.* Erat autem staturâ procerus, vultu decorus, integer corpore, barba prolixa, cano decoratus capite, piissimus Monachorum altor, prouidus Clericorum suffragator, superborum contemptor, humilium amator, pauperum sustentator, orphanorum tutor, viduarum pius defensor, & captiuorum liberalis redemptor. B C

CAPVT XX.

Quòd Dux Richardus ad extrema veniens, Richardum filium suum Normannis præfecit; & de morte eius apud Fiscannum.

HIS & huiusmodi boni odoris flosculis in laicali habitu redolens gemma Christi, ægritudine corporis cœpit vehemẽter aggrauari. Conuocatóque RODVLFO Comite, suo equidem vterino fratre, consilium exigit de patriæ dispositione. Qui nimio turbatus dolore, ac aliquantisper factus elinguis, nouissimè resumpto » spiritu hæc Duci responsa dedit: Quamuis, dulcissime frater, atque serenissime Se- » nior, viribus corporis videaris destitui, tamen dum in hac vita te gaudemus ample- » cti, tuum est de totius patriæ statu disponere. Quo audito, Dux, suis vndique Optimatibus ascitis, RICHARDVM filium suum coram exponit, hoc eum eloquio cõ- » mendans & præficiens: Hactenus, commilitones optimi, vestræ militiæ præfui: » nunc vocante Deo, morbo crudescente, ingredientem viam vniuersæ carnis vlte- » riùs habere non potestis, deposito onere vitæ corruptibilis. His ab eo lugubre prolatis, protinus tota domus concutitur gemitibus & lacrymis Tandem fletibus sopitis, assensum præbent voluntati Ducis, Richardum adolescentem, pacta ei fidelitate, æquanimiter collaudantes Principem. Dehinc languore ingrauescente, lecto prosternitur, & libratis sursum oculis, inter verba orationis plenus dierum spiritum efflauit. D

HVCVSQVE digesta, prout à RODVLPHO Comite huius Ducis fratre, magno & honesto viro, narrata sunt, collegi: quæ scholastico dictamine scripta relin-

A quo posteris. Obiit autem apud Fiscannum Richardus Dux primus, flentibus populis, gaudentibus Angelis, nongentesimo nonagesimo sexto anno ab incarnatione Domini. Regnante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen. RICHARDVS I. 996.

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER QVINTVS.

De secundo RICHARDO Duce, filio Richardi superioris.

CAPVT I.

B *De honesta conuersatione secundi RICHARDI, tam in secularibus, quàm in diuinis negociis.*

QVONIAM quidem dignis præconiorum titulis in præcedentibus preciosissimam Christi gemmam, Richardum scilicet Normannorum Ducem extulimus, & æterni Regis annulo decenter inseruimus; operæprecium videtur, vt carbunculus ab ipso exoriens secundam; sicuti in nomine, ita in præclarissimæ ingenuitatis eulogio absidam teneat Richardus eius siquidem filius, militaribus triumphis oppidò conspicuus, & non minori laudum tripudio excolendus. Qui sui fulgoris radios per diuersos orbis cardines glorioso nomine spargens, intra sui Ducatus limites plurimis bonorum operum incrementis Normannicam penè patriam v[illegible]am CHRISTI insigniuit Ecclesiam. Hic in armis admodum strenuus, vbique armatas militum legiones nobiliter rexit, de inimicis victoriam semper capere assuetus. Et quamuis seculari actui foret C deditus, totus tamen fuit fide Catholicus, & erga Dei cultores beniuolus ac deuotus. Sub cuius moderamine plurima Monachorum adoleuêre ouilia, qui velut apes ex multis sanctorum actuum canistris erumpentes, lucidissima in cælestes thesauros intulerunt mella. RICHARDVS II.

CAPVT II.

Quàm sapienter repressit vnanimem coniurationem Rusticorum, quam contra pacem patriæ moliebantur.

DVM igitur tantæ probitatis exuberaret copiis, in initio suæ iuuentutis intra Normannicum Ducatum contigit quoddam pestiferi oriri seminarium dissidij. Nam rustici vnanimes per diuersos totius Normannicæ patriæ Comitatus plurima agentes conuenticula, iuxta suos libitus viuere decernebant. Quatenus tam in syluarum compendiis, quàm in aquarum commerciis, nullo obsistente antè statuti iuD ris obice, legibus vterentur suis. Quæ vt rata manerent, ab vnoquoque cœtu furentis vulgi duo eliguntur legati, qui decreta ad mediterraneum roboranda ferrent conuentum. Quod vt Dux agnouit, protinus Rodulphum Comitem cum militum multitudine illis destinauit, qui agrestem comprimeret ferocitatem, & rusticam dirimeret concionem. Qui non morans iussa, cunctos confestim legatos cum nonnullis aliis cepit, truncatisque manibus ac pedibus, inutiles suis remisit, qui eos à talibus compescerent, & ne deteriora paterentur suis euentibus cautos redderent. His rustici expertis, festinatò concionibus omissis, ad sua aratra sunt reuersi.

RICHARDVS II.

A

CAPVT III.

De rebellione Vuillelmi naturalis fratris ipsius Ducis, cui dederat Oximensem Comitatum: & quomodo idem Vuillelmus captus & fratri postea reconciliatus, Ocensem Comitatum ab ipso Duce dono accepit, cum Lezscenina: & de filiis eiusdem Vuillelmi.

EADEM tempestate quendam Ducis vno ex patre fratrem progenitum, nomine VVILLELMVM, quorumdam proteruia improborum fecit tumidum & rebellem. Is enim fraterno contubernio OXIMENSEM ab ipso accipiens munere Comitatum, vt indè exhiberet ei militiæ statuta, prauorum illectus colliditate, dominium eius spreuit, & ab illius fidelitatis obsequio se cohibuit. Qui dum per legatos à Duce sæpiùs obiurgaretur, & ab ausu obstinati animi resipiscere nollet, consultu & auxilio Rodulfi Comitis captus, in Rothomagensis vrbis turre detruditur, temeritatis pœnitudinem ibi per quinquennium luens. B Nonnullos quoque suorum satellitum in seditionis proposito persistentium crebris certaminum tumultibus deuincens, vitâ priuauit, alios exules de suis finibus exturbauit. Vuillelmus tãdem post quinquennium cuiusdam sui militis factione longissimo fune per eminentiorem fenestram à turre lapsus, fugam iniit. Qui diebus, ne à perquirentibus reperiretur, delitescens, & noctibus iter carpens, nouissimè deliberauit apud se, æquius illi fore cum vitæ discrimine clementiam fratris attemptare, quàm cuiuspiám Regis aut Comitis suffragium nil sibi quandoque profuturum expetere. Sub hac quippe deliberatione animi callem conficiens, quadam die Ducem reperit, se in saltu Vernensi exercentem venatuum ludis. Mox eius vestigiis solotenus prouolutus, veniam commissi ab eo expetebat lugubris. Protinus eum Dux, misericordiâ motus, fauente Rodulfo Comite, à terra erexit; ac vt euasionis suæ, ipso narrante, casum agnouit, non solùm errata illi indulsit, verumetiam beneuolo animo vt fratrem charissimum deinceps dilexit. Cui non multò pòst OCENSEM Comitatum tradidit, eique quandam puellam valdè speciosam, nomine LEZSCELINAM dedit, filiam siquidem cuiusdam nobilissimi viri nomine TVRCHETILLI. C Ex ea tres genuit filios, RODBERTVM scilicet post eius mortem Comitatus illius heredem, & VVILELMVM SVESSIONENSEM Comitem, atque HVGONEM Luxouiensem Præsulem. Quibus ita sopitis, Normannica tellus siluit à facie Ducis.

CAPVT IV.

* Edelredus *infrà*.

Quòd ELDREDVS Rex Angliæ, qui EMMAM sororem Ducis duxerat, misit exercitum ad subiugandam sibi Normanniam: & quomodo Nigellus Constantiniensis eos vsque ad internecionem deuicit.*

CIRCA hæc tempora EDELREDVS Rex Anglorum EMMAM Ducis sororem in coniugio habens, quibusdam exortis dissensionum incentiuis Duci nocere, & dedecora ingerere sitiens, maximam nauium multitudinem in mare iussit impelli, D ac militibus ex omni regno mandauit, vt constituto ab eo die ad eas conuenirẽt, loricis & galeis decenter armati. Cuius iussis gratanter Angli obtemperantes, vnanimes adsunt ad naues. Rex igitur prospecta multa & optimè instructa exercitus copia, ascitis militiæ suæ Satrapis, animi sui propositum exponens, valida austeritate regio more præcepit, vt euntes totam Normanniam rapinis & incendiis exterminarent, solummodò Archangeli Michaëlis Monti parcerent, ne tantæ sanctitatis & religionis locum igne concremarent. Iussit etiam, vt RICHARDVM Ducem caperent, post tergum manus vincirent, & viuum patriâ sibi subiugata conspectibus suis adducerent. His verò edictis, eos ire cum festinatione imperauit. Qui subductis in altum nauibus, veliuolo sulcantes æquora vento, ad littora Saræ deuoluuntur permenso maris limbo. Hinc prorumpentes è nauibus, continuò maritima confinia exitiali Vulcano tradunt. Quod vt NIGELLVS à speculatoribus comperit, milites Constantinienses cum multitudine vulgi congregauit, impetúque re-

A pentino super eos irruit, tantáque illos strage deleuit; vt nullus penitus remaneret, qui facta posteris nunciaret. Nam vnus illorum cursu nimio fatigatus à longè resederat, qui videns sociorum infortunia, timore territus, corporisque imbecilitatem oblitus, ad naues cucurrit quantociùs, cæterorum exitia nuncians custodibus. Qui pariter ex omnibus ad * tres tutiores se conferentes, intra sinum maris remigio se contulerunt, de vita diffidentes. Pansísque velis in sublime, cursu citissimo Regem suum expetierunt, vento ad votum spirante. Quos vt vidit, protinus Ducem ab eis exigere cœpit. At illi respondent: Nos, serenissime Rex, Ducem minimè vidimus, sed cum vnius Comitatus gente ferocissima nostro cum interitu dimicauimus. Vbi non modò sunt viri fortissimi bellatores, sed & feminæ pugnatrices, robustissimos quósque hostium vectibus hydriarum suarum excerebrantes; à quibus omnes scito tuos extinctos esse milites. Quibus Rex auditis insipientiam suam agnoscens, tristis erubuit.

RICHARDVS II.

* al. res.

B CAPVT V.

Quòd GAVFRIDVS Britannorum Comes sororem Ducis Richardi nomine HADVIS petiit vxorem, & accepit, de qua genuit Alannum & Eudonem.

CONSIDERANS etiam GAVFRIDVS Britannorum Comes Ducem Richardum in omnibus prosperari, viribus & diuitiis quotidie ampliari, arbitratus est sua tutiùs vallari, séque ampliùs roborari, si eius frueretur amicitia & auxilio. Quãobrem consultu suorum fultus, Britannicos limites penetrans, cum maxima militum ambitione illius expetiit Curiam. Quem Dux, vt tantum decebat virum, honorificè suscipiens, aliquantisper cum copioso affluentium opum apparatu eum secum detinuit, & potentiæ suæ magnitudinem prout libuit illi ostendit. Gaufridus autem vt se à Duce tam excellenter tractari vidit, intra se deliberare cœpit, quia si eius iungeretur connubio sororis nomine HADVIS, fortior inter eos necteretur nodus amoris. Erat enim hæc puella corpore valde decora, morum honestate gratis-C sima. Vnde post pactas amicitias eam sibi dari toto annisu poposcit. Cuius voluntati Dux gratanti animo fauens, assentientibus Normannorum Principibus, petitam Christiano more tradidit. Celebratis verò cum inæstimabili honore nuptiis, non multò pòst cum immensis muneribus eos ouantes abire permisit. Gaufridus ex ea postmodum duos filios genuit, Alannum videlicet & Eudonem, qui post eius excessum Britannicam patriam robustissimo vigore diutiùs rexerunt.

CAPVT VI.

De crudelitate Eldredi Regis Anglorum in Danos, qui pacificè secum in Anglia commanebant: & de quibusdam iuuenibus eiusdem gentis, qui euadentes Regi Danamarchæ SVENO mortem propinquorum nunciauerunt.

DVM in statu suprà intellecto sub tam præclaro rectore Normanniæ felicitas pol-D leret, Edelredus Anglorum Rex regnum, quod sub magna potentissimorum Regum gloria diu floruerat, tanto nefariæ proditionis scelere regiminis sui tempore polluit, vt & pagani tam execrabile nefas horrendum iudicarent. Nam Danos per omne regnum vnanimi concordia secum cohabitantes, mortis periculum minimè suspicantes, subito furore sub vna die perimi, mulieres quoque aluotenus terræ esse defossas, & ferocissimis canibus concitatis mamillas ab earum pectoribus crudeliter extorqueri; lactentes verò pueros ad domorum postes allisos excerebrari iussit, nullis criminum existentibus culpis. Dum igitur apud Lundoniam sub huius decreti die hæc congeries peremptorũ lictorum sæuitiã in immẽsum cumularetur, quidam iuuenes agilitate pernices ad quandam nauim se contulerunt, & fugæ præsidium per Thamisæ alueum celeri remigio maris sinum petierunt. Permenso autem prolixi ponti spacio, nouissimè cupitum Danamarchæ portum applicant, Régique SVENO cruenta gentis suæ exitia nunciant. Tunc Rex nimio dolore tactus

RICHARDUS II. intrinsecus, totius regni sui ascitis Principibus, cunctam ei seriem illis deponit, A quidque agendum consulerent, diligenter inquirit. Qui amicorum & propinquorum ærumnis, & luctu moti, quasi ex vno ore omnes eorum sanguinem decreuerunt debere totis viribus vlcisci.

CAPVT VII.

Quòd Suenus Rex congregato exercitu ad Eboracum Comitatum appellens, indè dimisso exercitu ad Richardum Ducem Normanniæ petendæ pacis gratiâ cum nonnullis nauibus Rotomagum venit: & de pacto quod inter Normannos & Danos firmatum est. Et quòd Eboracenses, & Cantuarij, & Londonienses eidem Regi se tradiderunt; & de fuga Eldredi Regis cum vxore & filiis ad Richardum Ducem Normannorum.

HIs autem Rex auditis, cum festinatione cunctos sub suo regimine degentes B præparari iussit. Hac illácque veredarios misit, diémque præfixit quando milites lucri cupidos de exteris regnis ad hanc expeditionem venire mandauit. Porro, termino adueniente statuto, ad naues immensus illico cucurrit exercitus. Dehinc regalia in sublime eleuantur vexilla; & librantes ventis vela, velificato protensi maris interuallo ad Eboraca deuehuntur territoria. Ibi quippe Rex dimisso exercitu, cum nonnullis nauibus petendæ pacis gratiâ apud Rotomagum Ducem Richardum aggreditur. Quem cùm Dux aliquanta mora regaliter tractaret, dum & ipse & milites post tantum nauigij laborem recrearentur, pacem continuam inter se firmauerunt. Ea videlicet lege, vt per succedentia Danorum Regum Normannorúmque Ducum, ac eorum heredum tempora, firma perpetualiter inter eos maneret; & quæ Dani abstulissent inimicis, emenda conferrent Normannis. Si quis verò Danorum inualidus aut vulneratus amicorum indigeret iuuamine, apud Normannos quasi in domo propria sub securitate sanaretur. Quæ lex vt rata maneret, ab vtráque parte sacramentorum tenore Principes eorum illam sanxerunt. Quibus Rex ad votum expletis, condignis à Duce muneribus muneratus, quantociùs ad C suos regreditur lætus. Qui vt suo iunctus est exercitui, continuo Anglorum regnū tradit vltricibus flammis. Videntes itaque Eboraci se à nullo iuuari, datis obsidibus se subigunt illius dominatui. Inde verò egressus, ad Tamisæ ora prouehitur. Vbi venientes Cantuarij, simili modo eius se subdunt potestati. Deinde auulsis nauium anchoris, alueum sulcus fluminis, apud Lundoniam obsidionem componit. Cuius impetum Lundonij non valentes ferre, illius seruitutis iugo colla ferina inuiti supposuere. Edelredus verò Rex apud VVINTONIAM degens, vt ab Anglis se vidit funditus destitui, sublatis à terra thesauris, cum vxore, & filiis, EDVVARDO scilicet & ALVREDO, in Normannia Ducem Richardum expetiit. A quo decenter acceptus, cum magnis opum apparatibus omne sui incolatus Rotomagi cum eo exegit tempus.

CAPVT VIII. D

De morte Sueni Regis apud Lundoniam, & quòd CHVNVTVS filius eius patri succedens, iterum exercitum contra Anglos mouit, & de reditu Eldredi in Angliam, & de victoria Danorum apud Auxendunum.

IGITVR SVENVS dum apud Lundoniam de regni tractaret dispositione, mortem obiit interceptus ægritudine. Cuius corpus Dani aromatibus condierunt, & in naui disposuerunt, & cum festinatione apud Danamarcham tumulandum deuexerunt. Quo tumulato, filius eius nomine CHVNVTVS, arma illius sumens, exercitum viriliter roborat, & ne ab iterata expeditione resipiscant, totis nisibus exaggerat. Denique, missis legatis, duos Reges ad suum euocat suffragium: LACMAN equidem Suauorum, & OLAVVM Noricorum. Hi ad eius auxilium aduenientes cum suis copiis militum, totius robur militiæ suæ corroborauerunt virtute. Interea, dum

A dum hæc geruntur, EDELREDVS Rex mortem Sueni audiens, præparatis ad nauigandum omnibus, cum vxore lætus ad regnum suum regreditur: sed filios suos Eduvardum & Aluredum cum auunculo dimittit. Rex itaque Chunutus, collectis vndequáque militum legionibus, velut turbo validus à regno suo egressus, procellosum mare intemptat intrepidus. Subductis autem in altum nauibus, veliuolo cursu ad Anglos deuehitur. Inde petens Tamisæ fluuium, celeriter appulit Lundoniæ comitatum. Cui cum suis egredienti de nauibus occurrentes Angli ex omni regno apud AVXENDVNVM congregati, ad suam perniciem cruentissimum illi bellum intulerunt. Cum quibus Rex, efferatis legionum suarum animis, atrociter confligens, tanta eos internecione deleuit; vt nullus hominum queat supputare, quot millia in die illa corruerint Anglicæ gentis.

CAPVT IX.

B *Quòd mortuo Eldredo Rege Anglorum, Chunutus Rex Danorum Emmam vxorem eius duxit, & ex ea genuit Hardechunutum, qui postmodum ei successit.*

REx verò victor effectus, ad naues suas cum suis est reuersus. Hinc celeri se mouens fiducia, Lundoniam circundat obsidione. Quam intra vrbem EDELREDVS Rex grauiter ægrotauit, & crudescente morbo corporis, non multò post hominem exiuit. Rex igitur CHVNVTVS, audita morte Regis, consultu fidelium suorum præcauens in futurum, EMMAM Reginam abstractam ab vrbe post aliquot dies sibi iunxit Christiano more, dans pro illa cuncto exercitui in auro & argento pensum illius corporis. Ex ea, succedente tempore, genuit filium nomine HARDECHVNVTVM, postmodum Regem Danorum, & filiam vocabulo GVNNILDEM, quæ nupsit HENRICO Romanorum Imperatori. Diffidentes quoque Lundonij de sua salute, quippè cùm diuturna laborarent fame, patefacta vrbe se suáque omnia Regi sponte dedêre. Quibus peractis, omne robur Anglici regni incubuit sub dominio Regis Chunuti. Hæc in huius operis serie intexuimus, vt Ed-
C vvardi Regis ortum ignorantibus monstraremus. Nunc verò ad propositum retorquatur stylus, à quo paulisper digressi sumus.

CAPVT X.

De discordia inter Richardum Ducem & ODONEM Comitem Carnotensem, propter castrum Dorcasinum: & quòd idem Dux castrum Tegularias super Aruæ fluuium firmauit: & quomodo Normanni Odonem, & duos Comites adiutores eius vicerunt.

TEMPORIBVS deniq; sub eisdem ODO CARNOTENSIS Comes quandam Ducis sororem nomine MATHILDEM cum multimodis muneribus à fraterna
D na domo auferens, sibi in matrimonio legitimè copulauit. Cui dux medietatem DORCASINI castri dedit dotis nomine, cum terra super ARVÆ fluuium adiacente. Nonnullis hinc elabentibus annis, hæc eadem Mathildis iudicio disponēte Dei moritur absque liberis. Post cuius obitum Duci terram prætitulatam repetenti, Comes ODO nimiis versutiis cœpit contraire, nolens illi quietam dimittere Dorcasini castri tuitionem. Quapropter Dux, ascitis Britonibus cum Normannorum legionibus, super Aruæ fluuium hostiliter veniens, castrum condidit, quod TEGVLENSE vocauit. Sumptis autem ex Odonis Comitatu alimoniis, eandē munitionem abundantissimè repleuit. NIGELLVM Constantinensem, atq; RODVLFVM Toennensē, & ROGERIVM filium eiusdem, cū eorum militibus custodes in ea reliquit. Quibus patratis prosperè, recessit indè, vnumquéq; iubens ad sua redire. ODO verò Comes, conuocatis clam ad sui suffragium Comitibus, HVGONE siquidē Cenomanensi, ac VVALERANNO Mellendēsi, cum eorum militum copiis, tota nocte equitans, diluculò ad Tegulense castrum venit, præeuntibus signiferis. Quos vt viderunt proceres prætitulati, custodibus intra municipium dimissis, repentino im-

petu foras erumpentes cum suis, commiserunt prælium cum eis. Illico partes Ducis, Deo iuuante, ita eos prostrauerunt, vt multis peremptis, plurimis vulneratis, per deuia reliqui fugerent, & nutabundi opaca siluarum latibula quærerent. Odo verò atque Vualerannus quærentes suffragium vitæ, occuluerunt se Dorcasini castri munitione. Hugo nempe, equo, cui insederat, extincto, pede fugiens ad caulas ouium diuertit; & loricam, quam indutus erat, sub telluris sulco texit. Deinde chlamyde opilionis se amiciēs, septáque gregum infatigabiliter humeris de loco ad locum ferens, Normannos hortabatur, vt quantociùs persequerentur hostes, non longe antè illos turpiter abeuntes. Illis itaque recedentibus, præuio pastore siluarum lustra carpens, tandem post triduum CINNOMANNIS venit, vepribus & sentibus miserabiliter pedes ac tibias cruentatus.

CAPVT XI.

Quòd duo Reges pagani ex transmarinis partibus venerunt ad auxilium Richardi Ducis contra Francos.

VIDENS igitur Dux Comitem Odonem ad tantam deuolutum esse vecordiam, missis legatis, duos Reges cum paganica multitudine ex transmarinis partibus, sui euocat in auxilium; OLAVVM scilicet Noricorum, & LACMAN Suauorum. Cuius legatos Reges competenter susceperunt, cum multis donariis ei remiserunt, & non multò pòst se venturos esse nunciauerunt. Deindè cum suis exercitibus pariter congregati, paucísque nauium velis spumea sulcantes æquora ponti, cursu celeri ad Britannorum finitima littora sunt deuoluti. Britones autem eorum repentinum agnoscentes accessum, à cunctis regni partibus congregati, eos ad prædam inhiantes cautos præoccupare sunt arbitrati. Pagani verò eorum dolos comperientes, quadam vsi versutiâ, per campi planiciem, quo illos nouerant venturos fore, profundissimos foderunt cuniculos in superficie angustos; vt superuenientes equites, cruribus equorum confractis, indecenter humo præcipitarentur, sicque gladiis faciliùs perimerentur. Britones autem veniunt, & continuò super hostes atrociter irruunt. Sed Paganorum decipulis prostrati, tantam sæuitiam illicò sunt perpessi, vt vix è prælio elaberentur perpauci. Indè barbari prolixiùs progredientes, castrum Doli obsident, & captum igne comburunt, ac incolas eius, cum SALOMONE Aduocato loci, interficiunt. Deinde sublatis anchoris repetunt mare, & velificante classe ad ora deuehuntur Sequanæ. Carpentes verò fluminis alueum, pernici remigio applicant Rotomagum, eosque Richardus Dux valde gauisus competenti honore regaliter excepit.

CAPVT XII.

Quòd ROBERTVS Rex Francorum timore prædictorum Regum concordiam fecit inter Ducem Richardum & Odonem.

ROBERTVS autem Rex Francorum, audiens Paganos tanta Britannis probra intulisse, Ducémque Richardum ad confutandam Odonis Comitis contumaciam eos accersisse, verens ne ab eis Francia demoliretur, Satrapas regiminis sui conuocauit, ambósque discordes ad se apud COLDRAS conuenire mandauit. Vbi dū causas dissensionum vtrâque in parte audisset, sopitis eorum animis, protinus illos concordes reddidit. Eo quidem tenore, vt Odo Dorcasinū castrum teneret, & Dux præreptam terram reciperet; reciprocè Tegulensi castro in statu suo perpetualiter consistente, in eius scilicet, heredumque suorum potestate. Quibus Dux ad votum peractis, ad Reges suos regreditur lætus. Muneratos autem cōgruis donis regaliter, ad propria ouanter redire permisit, quandoq; ad eius iuuamē paratos reuerti. Rex autē Olauus super Christiana Religione oblectatus, spreto idolorū cultu, cū nonnullis suorū, hortante ROBERTO Archiepiscopo, ad Christi fidē conuersus est, atque ab eo baptismate lotus, & sacro chrismate delibutus, de percepta gratia gaudens,

A ad regnum ſuum regreſſus eſt. Poſtea verò à ſuis proditus, & à perfidis iniuſtè peremptus, cæleſtem Regiam intrauit Rex & Martyr glorioſus, & nunc apud gentem illam choruſcat prodigiis & virtutibus. RICHARDVS II.

CAPVT XIII.

Quod Richardus Dux vxorem duxit IVDITH *ſororem Goiffredi Comitis Britannorum, & de prole quam ex ea genuit.*

PORRO Dux Richardus de ſucceſſione prolis ſollicitus, GOIFFREDVM Britannorum Comitem quandam habere ſororem nomine IVDITH audiens, corpore admodum elegantem, omníque morum honeſtate pollentem, hanc per legatos petiit in connubium. Goiffredus autem propoſitum eius vltroneo animo ſatagens accelerare, omnibus, quæ ad tantum negocium erant congrua, præparatis, eam illi deduxit vſque ad limina Archangeli Michaëlis. Ibi Dux illam B competenti honore ſuſcepit, ſibíque legitimo iure iunxit. De qua, profluentibus annis, tres filios genuit. RICHARDVM ſiquidem, atque ROBERTVM, & VVILLELMVM apud Fiſcannum Monachili vellere in adoleſcentia functum. Totidémque filias, quarum vna nomine ADELIZ RAINALDO Burgundionum Comiti nupſit, ex qua VVILLELMVM & VVIDONEM procreauit. Altera BALDVINO Flandrenſi. Tertia iam adulta obiit virgo. Porro Goiffredus Comes longo poſt orationis pro obtentu Romam proficiſcens, totam Britanniam cum duobus filiis, ALANNO videlicet, ac EVDONE, reliquit ſub Ducis aduocatu. Qui peragratis Sanctorum locis, in repatriando præuentus morte diem obiit.

CAPVT XIV.

Quomodo Robertus Rex Francorum auxilio Richardi Ducis reddidit Burchardo caſtrum Milidunum.

C TEMPORE illo, cùm BVRCHARDVS Milidunenſis caſtri Comes apud Regis Francorum Curiam moraretur, quidam eius miles nomine VVALTERIVS muneribus cæcatus, illud ei dolo ſurripuit, & Odoni Comiti clandeſtina proditione tradidit. Rex autem, vt hoc comperit, Odoni feſtinatò mandauit, quatenus caſtrum deſereret ſponte, quod ſibi vſurparet iniuſtè. Sed ille loci fiſus munimine, ob decurrentis in gyro alueum Sequanæ, referentibus legatis Regi reſpondit, illud vita comite ſe nulli vnquam reddere. His Rex oppido exacerbatus verbis, Richardum Normannorum Ducem ad colloquium accerſiuit, eíque ruboris ſui dedecus depoſuit, orans gratiſſimam eius fidelitatem ſubuenturam ſibi, ne tanto præſumptionum ludibrio premeretur à ſuis. Dux autem opprobrium pij Regis non ferens, congregato miræ multitudinis exercitu, quantocius Milidunum venit, & illud ex vna fluminis parte obſedit. Et Rex in altera parte conſtitit. Sic ab vtríſque partibus caſtrum diu noctúque cum turbine graui tormentis & machinis quatiunt. Videntes D itaque Milidunenſes tantam vim hoſtium ſe non poſſe tolerare, diſtracto Duci tumido rebellatore portas repentè aperiunt, eúmque cum ſuis introducunt. Dux verò parcens multitudini, traditorem protinus Regi deſtinauit, mandans vt milites dirigeret, qui caſtrum in ſua fidelitate cuſtodirent. Rex verò hoc exhilaratus nuncio, continuò caſtrum reddidit Burchardo, & proditorem cum vxore propria patibulo iuſſit ſuſpendi, debitam illis talionem reddens ſuæ factionis. Poſt hæc Richardus Dux, rebus decenter expletis, cum benedictione regali ad propria remeauit. Cuius ætatis tempore ſemper aſſueti fuerunt hoſtes fugare Normanni, ſed terga vertere nulli.

RICHARDVS II.

A

CAPVT XV.

*Quòd auxilio Richardi Ducis Robertus Rex Francorum Ducatum Burgundiæ, quod * HENRICVS Dux eiusdem sibi moriens reliquerat, inuitis Burgundionibus adeptus est.*

* quem

ANNIS ab hinc tribus emensis, HENRICVS Burgundionum Dux moritur absque liberis, Robertum Francorum Regem sui Ducatus relinquens hæredem. Burgundiones eum fastu supercilij suscipere refutauerunt; sed LANDRICVM Niuernensem Comitem intra Autisiodorum ad rebellandum summiserunt. Quorum tumidos præsumptiuæ temeritatis conatus Robertus Rex comprimere festinans, accersito Duce Richardo cum exercitu Normannorum copioso, Autisiodorum tamdiu obsedit, donec Landricum cum vrbe, obsidibus sumptis, suo subiugaret dominatui. Inde verò profectus apud Aualonum castrum ad obsidionem, est castra metatus. Quod cùm tribus mensibus expugnaret robore vehementi, B tandem Burgundiâ vastata, oppidani coacti penuriâ stipendiorum, consilio & auxilio Ducis illud reddiderunt Regi Francorum. His ad votum ritè peractis, Rex per cuncta castella custodes deputauit, & ROBERTVM filium suum Ducatui subrogauit, sicque arrogantia repugnantium cassata quieuit. Deinde Rex in Franciam, & Dux cum suis redit in Normanniam.

CAPVT XVI.

Quòd RAINALDVS trans Saonæ fluuium Comes Burgundionum duxit filiam Richardi Ducis AELIZ.

COGNITA quoque mirandorum operum Ducis opinione, RAINALDVS trans Saonæ fluuium Burgundionum Comes, missis legatis, filiam eius nomine ADHELIZ in coniugium sibi expetiuit. Quam impetratam à paterna domo auferens, in Burgundiam cum magno honore induxit, suóque thoro Christiana lege C sociauit. Sed longè pòst, obortis litium fomentis, ipse à quodam Cabilonensi Comite nomine HVGONE dolo capitur, & sub diræ custodiæ ergastulo detruditur, compedibúsque grauissimis artatur. Cuius incompetentem anxietatem Dux vt agnouit, ilicò Hugoni expeditè legatos direxit: mandans, vt absque difficultate dilationis generum suum pro amore suo sineret liberum abire. Legationem verò Ducis Hugo paruipendit, nec modò Rainaldum reddere contempsit, verumetiam custodibus adhibitis vehementiùs custodiri tumidè iussit. Quod cùm relatum Duci fuisset, protinus RICHARDO filio suo imperauit, vt coacto in vnum Normannorum exercitu, Burgundiam adiret, suámque iniuriam de funesto totis nisibus vindicaret. Adolescens iussa patris libenter exequitur, & omnia, quæ ad tanti itineris expeditionem opportuna erant, præparat. Deinde velut tempestas procellosa coram se cuncta proturbans à patria egreditur, confecto calle cum innumerabili Normannorum multitudine Burgundiam inuadit, & Milinandum * castrum obsidione cingit. Incolæ verò loci tuto fidentes munimine, telis ac sagittis hostes cœperunt confestim ad sui perniciem prouocare. Normanni sæuissimo furore concitati, castrum cum magno impetu per girum oppugnant, repentè capiunt, & cum viris ac mulieribus atque paruulis igne terratenus comburunt. Inde ad Cabilonensem vrbem iter dirigunt, eiúsque patriam igne consumunt. Considerans igitur Hugo contra tantum exercitus robur se nullo pacto posse resistere, equestrem sellam ferens humeris, prouolutus genibus Richardi adolescentis, prece supplici veniam precabatur commissæ temeritatis. Qua indulta Rainaldum reddidit, & obsidibus datis apud Rotomagum ex hoc se fore satisfacturum, iureiurando Duci Richardo spopondit. Quibus ad votum peractis, Richardus iuuenis ad patrem rediit cum suis.

D

* al. Milbiandum.

A RICHARDVS II.

CAPVT XVII.

Quòd Dux Richardus ad extrema veniens Richardum filium seniorem præfecit suo Ducatui.

RICHARDVS Dux, quamuis præcellentissimorum actuum prærogatiuis longè lateque claruerat perspicuus, tamen CHRISTI cultor extitit assiduus, adeò vt Monachorum atque Clericorum iure vocetur pater piissimus, & pauperum sustentator indefessus. His & huiusmodi probitatum vigens titulis, cœpit vehementer aggrauari ægritudine corporis. Robertum ergo Archiepiscopum, & cunctos Normannorum Principes apud Fiscannum conuocat, eisque se iam omninò resolui indicat. Ilico per cuncta triclinia domus fit omnibus intolerabilis luctus. Lugubre quippe lamentabantur Monachi & Clerici, pro tanta orbitate patris charissimi. Heroum ora vndabant lacrymis pro amissione inuictissimi Ducis. Lugebant quoque cateruæ egenorum per compita oppidi, pro destitutione sui consolatoris & patroni. Nouissimè autem ascitum RICHARDVM filium suum consultu sapientum præfecit suo Ducatui, & ROBERTVM fratrem eius Comitatui Oximensi, vt indè illi persolueret debitum obsequij. Denique omnibus, quæ ad Dei cultum pertinere videbantur, strenuè dispositis, millesimo vicesimo sexto anno ab incarnatione Domini hominem exiuit, viam ingrediens vniuersæ carnis. Regnante eodem IESV CHRISTO in Deitate paternæ Maiestatis, & in vnitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen. 1026.

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER SEXTVS,

De tertio RICHARDO, & ROBERTO fratre eius, filiis videlicet secundi Richardi.

CAPVT I.

Quòd Richardus tertius, licèt paulisper in regimine Ducatus fuerit, bonitatem tamen patris imitatus est.

HACTENVS clarissimis præcedentium Normannorum Ducum gestis inelimato styli nitore in propatulum expressis, consequens videtur, vt qui floruerunt ætate nostri temporis, in huius stadio Gymnasij opportunum obtineant locum stationis. Quorum actus partim intuitu, partim veracium comperimus relatu; quos plurimorum notitiæ, prout tenuitas dictaminis suppeditauerit, propalare decreuimus. Igitur RICHARDVS iuuenis in Ducatu superstes genitoris, licèt paulisper superuixerit, sicut in vocabulo nominis, ita hæres extitit censura summæ ingenuitatis. Hic in armis bellicis valdè idoneus, totus tamen fide fuit Catholicus, & circa Dei cultores benignus ac mansuetus, æquo libramine militares turmas moderans, pace gaudens frui continua. RICHARDVS III.

RICHARDVS III. A

CAPVT II.

De discordia inter ipsum & Robertum fratrem suum, & de morte ipsius Richardi post factam concordiam.

VERVM, huius optandæ pacis incremento perfidus hostis non diutiùs passus est illum lætari, quorumdam versutiâ maleuolorum fratrem suum Robertum aduersus eum concitans ad rebellandum. Is enim post biennium, contempto eius dominio, intra Falesiæ castrum cum suis satellitibus se contulit ad resistendum. Richardus autem Dux furentis fratris temerarios conatus festinè cupiens refrenare, ac ad obtemperandum debitæ subiectioni reuocare, cum hostium multitudine infra castri ambitum vallauit eum obsidione. Quod cùm crebris ictibus arietum & balistarum aliquandiu expugnaret, tandem à perfidia resipiscente Roberto, datis dextris in pristinam concordiam redierunt, & firmiter pace composita ab inuicem secesserunt. Porro Dux Richardus dimisso exercitu Rotomagum rediit, & B
1028. cum suorum nonnullis, vt plurimi retulerunt, veneno mortem obiit. Hoc millesimo vicesimo octauo ab incarnatione Domini anno contigit. Paruulus Richardo filius NICOLAVS extitit, qui terrenæ hereditatis sorte, vt ipse Deus hîc & in æuum sua pars esset, caruit. Nam ab infantia litteris traditus, & in Cœnobio sancti Audoëni in suburbio Rotomagensi nutritus, Monachile iugum diutissimè portauit. Defuncto autem Abbate HERFASTO, in regimine præfati Monasterij successit, quod ferè quinquaginta annis, tempore Vuillelmi Ducis Normanniæ, & magni Regis Angliæ tenuit. Denique anno MXCII. ab incarnatione Domini, mense Februario, obiit, tempore ROBERTI II. Ducis, & Vuillelmi Rotomagensis Archiepiscopi. Nunc verò ad propositum reuertamur.

CAPVT III.

Quòd ROBERTVS *fratri suo Richardo successit, & de moribus eius, & de discordia inter ipsum & Robertum Archiepiscopum.* C

ROBERTVS I. DECEDENTE igitur Duce Richardo à mundani Principatus culmine, & regna, vt credimus, vranica scandente, ROBERTVS frater eius totius Monarchiæ Comitatus ab omnibus subrogatur. Qui quamuis circa rebelles fuerit ferocior moribus, beneuolis tamen extitit lenis & benignus, & erga Dei cultum pius ac deuotus. Quamobrem diutinæ pacis oblectamento semper meruit frui, præter id quod prauorum consultu spontè sibi delegit. Vnde in primordiis suorum actuum suspectum habens ROBERTVM Archipræsulem, hostili obsidione Ebroicam girauit vrbem. Eius igitur efferos impetus Archipræsul cupiens declinare, intra vrbis mœnia cum militari manu obstruxit se. Nouissimè verò datis dextris ab ea secedendi, Robertum Regem Francorum cum suis exul adiit, & Normanniam Pontificali anathemate percussit. Robertus ergo Dux recompensata improborum astutiâ, & perpendens se inconsultè egisse omnia, Archiepiscopum à Francia reuocauit, & in pristinum honorem restituit. Postea mali pœnitens facti, suis, vt tantum virum decebat, asciuit consiliis, in reliquum illi persistens fidelis. D

CAPVT IV.

Quòd idem Dux Robertus Vuillelmum de Belismo obsedit intra Alentium castrum, & ad deditionem coëgit.

ELIMINATIS denique à se totius litis incentoribus, & subactis paci animis liberalibus, sapientum cœpit tractatibus vti, & sollerti industriâ ad summi honoris incrementa pollentissimè prouehi. Iam probos eius mores, & pacificos actus, laudum fauoribus bonorum plurimi cœperunt efferre, improborum verò nonnulli ignauiæ ascribere. Ex quorum contubernio VVILLELMVS BELESMENSIS,

YVONIS filius, animositatem eius audens attemptare, ex castro ALENTIO, ROBERTVS I.
A quod beneficij tenebat iure, à seruiminis iugo pertinacem ceruicem temerè sumpta rebellione nisus est extorquere. Ad cuius atrocem insolentiam properè conterendam adueniens Dux cum militaribus turmis, tamdiu eum intra munitionem tantæ præsumptionis adiutricem conclusit, donec eius clementiam expeteret, & nudis vestigiis equestrem sellam ad satisfaciendum humeris ferret. Dux autem ei, licèt fictè, satisfacienti non modò cuncta indulsit, verùmetiam reddito ei oppido festinus à loco secessit. Vvillelmus enim dirum angusto sub pectore virus efflans, paulisper à manifesto perfidiæ motu se suspendit; sed non multò pòst ad idem periurij scelus palam rediit. Multum quippe crudelis & cupidus erat, & quatuor filios, VVARINVM, & FVLCONEM, ROBERTVM, & VVILLELMVM, sui similes habebat. Vvarinus igitur postquam GVNHERIVM DE BELISMO militem bonum & amabilem, qui nihil mali suspicabatur, sed potius ei ridens vt amico congratulabatur, sine causa capite crudeliter priuauerat, mox à dæmonio arreptus est, & videntibus sociis qui aderant strangulatus est. Iterum Vvillelmus ad tantam cōtrouersiam contra Ducem periuratus incaduit, vt intrepida cum audacia filios suos
B Fulconem atque Robertum cum militū copia dirigeret, qui direptionibus Normanniam vexarent. Verùm plurimi ex domo Ducis expediti vernaculi audacter eis occurrerunt, & intra saltum BLAVONIS cruentum cum eis prælium commiserunt, ac suffragante Deo grauiter illos protriuerunt. Ibi Fulco præuaricatoris filius iugulatus est, & omnes penè milites abrasi sunt. Robertus autem frater eius vulneratus vix è certamine cum paucis elapsus est. Vvillelmus verò pater eorum iam grauiter ægrotans, vt eos sic interiisse comperit, intrinsecus dolore cordis tactus, continuò animam efflauit. Sic Ducis hostibus profligatis, seditio pressa in partibus illis vltrà disparuit.

CAPVT V.

C *Quòd HVGO Baiocensis Episcopus filius Rodulfi Comitis castrum Ebrilium tenere voluit, sed non potuit.*

INTEREA dum hæc geruntur, HVGO Rodulfi Comitis filius, Baiocasinæ vrbis Præsul, perspexit, quòd Robertus Dux vellet prudentium consilia sectari, & sua destituere; quadam vsus doli versutiâ, IBRILICVM castrum clam armis & alimoniis sufficienter muniuit. Deinde custodes posuit, & Franciam ociùs adiit, vt indè milites conduceret, qui viriliter illum ad repugnandum iuuarent. Dux verò fraudis eius molimina accelerans anticipare, contractis Normannorum copiis idem castellum præoccupauit obsidione, clausa egrediendi ab eo siue ingrediendi omnibus facultate. A cuius ingressu cùm se Hugo videret extrusum, sollicitus de suis intra illud conclusis, libertatem abeundi per legatos à Duce petiit; & eos indè protinus abegit. Ipse quoque cum suis, quos expetierat, diutiùs extorris permansit. Dux verò custodibus à castello amotis, idem in deditione munitum suscepit.

CAPVT VI.

D *Quòd Balduinus Comes Flandrensis filio suo Balduino filiam Roberti Regis Francorum quæsiuit, & accepit, malo suo, nisi Robertus DVX Normanniæ sibi ferret auxilium: & de morte Roberti Regis Francorum, cui successit Henricus filius eius.*

SVB eodem tempore BALDVINVS Sattrapa Flandrensis sobolem suam cupiens innormare prosapia regali, ROBERTVM Regem Francorum expetiit, & filiam eius BALDVINO filio suo dari poposcit. A Palatinis verò tricliniis adeptam tulit, ac ad domum propriam in cunis asportauit, eamque vsque ad annos nubiles diligēti cura nutriuit. Filius autem ipsius mox vt nobilis puellæ amplexibus cœpit frui, affinitate fretus Regali, patrem à proprio solo pepulit, Flandrensibus ab eius fidelitate auulsis. Qui indecenter à suis destitutus, Normannorum Ducem festinanter

ROBERTVS I.

aggreditur, suffragium aduersus filium postulaturus. Dux ergo nobilis viri calamitatem miseratus, contractis militum viribus velut horridus turbo à patria egressus, FLANDONIAM est aggressus, illam exterminans flammis exitialibus. Progrediens itaque ad castrum quod CIOCA vocabatur, confestim illud subuertit, & omnia quæ in eo consistebant combussit. Videntes autem reliqui Proceres, & similia pati formidantes, relicto filio ad patrem reuersi obsides dirigunt Duci. Adolescens verò Balduinus intuens se non posse vllo modo subsistere ante Ducis intolerabiles excursus, legatos illi cum precibus humillimis dirigit, patri se cupere eo mediatore reconciliari. Desiderio eius ac petitioni vir summæ beneuolentiæ congratulanti affectu fauit, & vtrósque libato pacis osculo in pristinam concordiam continuò redire persuasit. Sic litibus compressis, vlteriùs in pace & amore quo decuit perstiterunt. Ipse verò Dux, demolitis rebellium rebus, cum incolumi exercitu in Normanniam regreditur. Qua tempestate Robertus Rex Francorum moritur, cui successit HENRICVS filius eius.

CAPVT VII.

Quomodo idem Dux iuuit Henricum Regem Francorum contra CONSTANCIAM *matrem suam.*

REx etenim HENRICVS patre Roberto viuente Francorum regno potitus, tanto postmodum à matre CONSTANCIA nouercali odio est affectus, vt conspirantibus aduersus eum Comitibus, à regali fastigio eum deponere satageret, & ROBERTVM fratrem eius Burgundionum Ducem illius loco subrogare disponeret. Consultu itaque suorum ad Robertum Normannorum Ducem cum duodecim clientulis confugium fecit, ac apud Fiscannum per fidei debitum sibi ab eo subueniri petiit. Dux eum honorificè recepit, multis donis honorauit, & non multò pòst decenter equis & armis instructum, patruo suo MALGERIO Comiti CORBVLIENSI destinauit; mandans, vt suis in partibus omnes incendiis ac tormentis affligeret, quos ab eius fidelitate desipere videret. Ipse verò per cuncta suæ ditionis castella Franciæ contermina militum validissimam manum posuit, & conflictibus crebris tamdiu rebelles violenter oppugnauit, donec ceruicibus plexis, & suis omnibus consumptis, coacti suo Regi reconciliarentur, & infelicissimæ matris conatus omninò exinanirentur. Tunc ROBERTVS Vuillelmi Belesmensis potestatis hæres, & crudelitatis, per aliquot annos infestus erat vicinis sibi Cenomanensibus & Normannis. Expeditionem itaque vltra Sartam agens, à Cenomanensibus capitur, ac apud BALAVM castrum duobus annis in carcere custoditur. Post biennium verò VVILLELMVS GEROII filius, aliique Roberti Proceres exercitum congregant, & Cenomannis Comitem ad pugnam prouocant, & viriliter præliantes è bello effugant. Ibi VVALTERIVM DE SORDENIA egregium militem, cum duobus filiis militibus eximiis, comprehendunt: inter quos, contradicente Vuillelmo, nequiter eum in patibulo suspendunt. Alij verò tres filij Vvalterio apud Balaum erant. Qui vt atrocem patris & fratrum mortem cognouerunt, vehementer irati carcerem violenter irrumpunt, & Robertum de Belesmo securibus, capite eius ibidem contrito, miserabiliter occidunt. Quo defuncto, VVILLELMVS TALVACIVS frater eius successit in honore paterno. Ipse cunctis fratribus suis in omnibus flagitiis deterior fuit, & in eius seminis heredibus immoderata nequitia vsque hodie viguit.

CAPVT VIII.

*Quòd Dux Robertus contra Alannum Comitem Britannorum pergens, non longè à flumine Coisnon castrum Caruicas * condidit.*

* *infrà* Carrucas.

BRITANNORVM quoque Comes ALANNVS proteruiæ fastu elatus, à Roberti Ducis seruitio se surripere pertinaciter est aggressus. Dux igitur aduersus eum innumerabilem exercitum mouit, & non longè à fluuio COISNON castrum, quod

A vocauit CARRVCAS, stabiliuit: ad munimen videlicet Normannici limitis, ac domandam tumidi arrogantiam præsumptoris. Indè Britanniam inuasit, totúmque Doli Comitatum voracibus flammis tradidit. Quibus luculenter peractis, cum præda ingenti Normanniam repetiit. Alannus autem post eius abscessum cupiens vlcisci illatum sibi improperium, ad demoliendum Abrincatensem Comitatum cum magno exercitu eò euestigio persequitur illum. Nigellus verò, & ALVREDVS cognomento Gigas, prætitulati castelli custodes, cum suis ei occurrunt, & cum eo certantes ilicò tanta strage Britones depopulati sunt; vt per camporum plana, siue prædicti fluminis littora prostrati viderentur quasi bidentes. Alannus itaque sua tristis repetens, cum dedecore Redonis venit. ROBERTVS I.

CAPVT IX.

De Abbatia BECCI, *& primo Abbate & fundatore ipsius venerabili* HERLVINO, *& de successore eius* ANSELMO.

B CIRCA hæc tempora, anno videlicet ab incarnatione Domini MXXXIV. dominus Abbas HERLVINVS quadragesimo ætatis suæ anno deserens secularem vitam, sacræ Religionis habitū suscepit ab Episcopo LVXOVIENSI HERBERTO: & postea ab eodem Præsule sacerdos ordinatus, atque Abbas constitutus est. Indè BECCENSE Cœnobium cœpit habere initium. Sed quia tanti Patris fecimus mentionem, libet ad memoriam posteritatis his annalium paginis aliqua de eo & Ecclesia ab eo constructa paulò latiùs inserere. A Danis igitur, qui Normanniam primi obtinuere, pater eius originem duxit, mater proximam DVCVM MORINORVM, quos moderni FLANDROS cognominant, consanguinitatem attigit. ANSGOTVS ille, ista HELOIS nomen habebat. GISLEBERTVS Brionensis Comes, primi Richardi Normanniæ Ducis nepos ex filio Consule GODEFRIDO, illum enutritum penes se inter omnes Curiæ suæ Primates habuit acceptissimè. Habilis ille ad arma plurimum erat, nec minori ea animositate gestabat. Omnes omnium totius Normanniæ maiorum familiæ in electis illum habebant in armis, omníque rei militaris vsu & cultu corporis sui attollebant. Ab inhonestis auertebat animum; honestis, quæ Curiæ magnifaciunt, impendebat omne studium. Domi ac militiæ commilitonum suorum præstantissimus non esse, impatiens erat. Quibus de rebus non solùm singularem domini sui obtinuerat fauorem, verùm & apud Robertum totius patriæ Ducem, & apud exterarum dominos regionum, pepererat sibi nomen plurimum, accessúmque familiarem. 1034.

C VITÆ huius iocundissimo statu annos ille iam excesserat triginta septem, cùm tandem diuino metu succendi amore mens illius cœpit, & ab amore mundi tepescere, sensímque indies frigescere. Ab exterioribus oculum cordis conuertens ad seipsum, ibat frequentiùs ad Ecclesiam, orabat deuotè, ac sæpè prorumpebatur in lacrymas. Ludicra re omni omissa, iam minus frequens erat in Curia. Qua hoc solo detinebatur, quòd prædia sua Deo secū lucrari satagebat. Quod & obtinuit, extorquens ea sibi à domino suo multa instantiâ seruitij: ditioni illius ac seruitio ipso domino tradente quicquid paterni iuris habebant fratres sui, qui eadem dignitate geniti extiterant sibi. Quia dignior, & vera nobilitate generosior germanis efficiebatur, iure ab eis illi subici, nec indignum, aut iniuriosum æstimabatur.

D PROTINVS in villa, quæ dicitur BVRNENVILLA, extruendum seruitio Dei opus arripuit non paruum, breui peractum. Ipse non solùm operi præsidebat, sed opus ipsum efficiebat, terram fodiens, fossam efferens, lapides, sabulum, calcémque humeris comportans, ac ea in parietem ipsemet componens. Quibus alij horis aberant, ipse congerebat quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte diei. Quantò vanitate tumida olim delicatior, tantò vera humilitate nunc ad omnem laboris tolerantiam propter Deum patientior. Cibum, præter quibus non licet diebus, semel accipiebat, nec exquisitum, & parcè satis, expleto cùm die opere suo.

PRIMA literarum elementa didicit, cùm iam existeret annorum propè quadraginta, & diuina opitulante gratia eò vsque processit, tot etiam ipsis apprimè eruditis

ROBERTVS I. Grammatica in exponendis ac intelligendis diuinarum Scripturarum sententiis A meritò haberetur admirabilis. Quod vt solius diuinæ gratiæ efficacia actum credatur, nocturnis tantùm horis huic studio vacabat; quia propter lectionem numquã diurni operis intermisit executionem. Auulsit ilicò paternas domos, vnde seruorum Dei habitacula construxit.

SACRATA verò quam construxit Ecclesia ab Episcopo Luxouiensi Herberto, comam totundit, ac secularem habitum deponens, ab eodem Pontifice sacræ habitum Religionis accepit, miles CHRISTI per tot pericula fortis antè expertus. Eiusdem Ordinis cum eo iugum subierunt duo sui. Postmodum à præfato Præsule sacerdos consecratus, pluribus ducatui illius iam additis fratribus Abbas præficitur. Quos ergo regendos acceperat, artissimè, sed more patrum præcedentium regebat. Videres, peracto in Ecclesia officio, Abbatem collo sementem, manu rastrum vel sarculum gestantem ad agriculturam præire, Monachos omnes ruris operi sub diei terminum insistere. Sentibus & spinis alij agrum emundabant, alij fimum scapulis comportantes spargebant. Hi sarriebant, illi serebant, nemo panem absumebat in B ocio. Ad horam agendi officij in Ecclesia, omnes ad vnamquamque conueniebant. Victus quotidianus, panis siligineus, & herbæ cum aqua & sale. Aqua non nisi lutulenta, quia fons nusquam ad duo milliaria habebatur.

SIMILI se inibi propter Deum seruituti nobilis mater eius addixit, & concessis Deo prædiis, quæ habebat, ancillæ fungebatur officio; seruorum Dei pannos abluens, & quicquid iniungebatur extremi operis accuratissimè agens.

DEIN, post aliquantum temporis per visum commonitus est, vt dimissa solitudine campestri, quæ competenti opportunitate omninò carebat, eum ad locum sui iuris mansionem transferret, qui à riuo illic mananti BECCVS appellatur, ad milliarium à castro, quod vocatur BRIONNIVM. Est hic locus in ipso saltu Brionnensi, valle ima montibus saltuosis hinc indè conclusa, omni opportunitate humano vsui commodus. Propter densitatem, ac riui recreationem, ferarum illic multus erat accursus. Trium tantùm molendinorum tres domus illic erant, & solum habitabile permodicum.

CONSECRATA paucis extructa annis non parua Ecclesia, columnis ex ligneis C claustrum construxit, in quo ad morem patriæ fratres iam nusquam progressuros considêre instituit. Variis ergo simultatibus, quæ sæpè introrsus oriebantur, cœpit dolere multum & anxiari. Ad ea enim componenda, qui in claustro præsideret, minimè erat: sumptuum congerendorum necessitas illum immorari extra compellebat. Hac de re, cùm iam Deum multoties exorasset, diuina sibi miseratio accommodauit auxilium, sufficiens ad vniuersa, quæ agenda forent *, suffragium.

* al. erant.

ORTVS Italiâ quidam vir erat, quem Latinitas in antiquum ab eo restituta sciẽtiæ statum, tota supremum debito cum amore & honore agnoscit, nomine LANFRANCVS. Ipsa quoque in liberalibus studiis gentium magistra Græcia discipulos illius libenter audiebat, & admirabatur. Is patriâ egressus, quamplures multi nominis Scholares secum habens, in Normanniam deuenit. Beccum itaque adiit, quo nullum vsquam pauperius æstimabatur, vel abiectius Cœnobium. Fortè tunc Abbas extruendæ fornaci occupatus, ipse operabatur manibus suis. Cuius humilitatem animi, sermonísque dignitatem ille plurimùm veneratus, & amans, Monachus ibi efficitur. D

SIC per tres annos vixit solitarius infrequentia hominum, gaudens quò ibi nesciebatur: præter paucissimos, quibus aliquando loquebatur, omnibus ignotus. Rumor, vt hoc factum prodiit, longè latéque protulit, & fama viri præclarissima Beccum & Abbatem Herluinum breui per orbem terrarum extulit. Accurrunt Clerici, Ducum filij, nominatissimi Scholarum Latinitatis Magistri, laici potentes, alta nobilitate viri. Multi pro ipsius amore multas eidem Ecclesiæ terras contulere. Ditatur ilico Beccensis locus ornamentis, possessionibus, personis nobilibus & honestis. Interiùs religio atque eruditio multum accrescere, exteriùs rerum omnium necessariarum sumministratio cœpit ad plenum abundare. Qui ergo in ipsius Monasterij inchoatione domibus necessariis solum sufficiens non habuit, eius paucos infra annos ad miliaria protenditur dominium.

NON multò pòst, propter inhabitantium multitudinem, contigit in ea illud à

A Domino per Isaiam Prophetam: *Angustus mihi est locus, fac spacium mihi vt inhabitem.* ROBERTVS I.
Adunatam etenim illic fratrum multitudinem quia domorum spaciositas iam capere non valebat, & quia situs loci degentium incolumitati contrarius existebat; venerabilis Lanfrancus Abbatem Herluinum de maioris Monasterij & officinarum ædificatione compellare cœpit. Tanti operis solam commonitionem ille extimuit, ætatis iam deficientis viribus plurimum diffidens. Nolente illo aliquatenus adquiescere, diuino nutu Monasterij Presbyterium corruit. Tandem victus, spem in Deo certissimam gerens, & plurimum in Consiliarij sui ope confidens, cuius operâ sibi bona omnia proueniebant, in salubriori multùm situ noua inchoauit: Monasterium, & officinas, opus prægrande, dignum, cuius dignitati ditiores multæ non accedunt Abbatiæ. Ad initiandum opus hoc tantum, non res suæ, quæ permodicæ erant; sed maxima in Deum fides animum firmauit. Quæ vniuersa conferendo sic accumulauit, quòd à die, qua primò fundamenta posita sunt, vsque ad extremi lapidis impositionem, nec materia defuit, nec sumptus.

POST triennij verò completionem sola necdum completa basilicâ, venerabilis B Lanfrancus cœpti operis institutor, tam Domini, quàm Normanniæ Primatum supplicatione coactus, Ecclesiæ Cadomensi Abbas præficitur. Interea Normannorum Dux VVILLELMVS hereditarium sibi Angliæ regnum peruadens, imperium rebelle armis ad quæ voluit iura composuit. Dein ad meliorandos Ecclesiarum status animum intendit. Totius igitur Christianitatis summi Pontificis ALEXANDRI, viri vita & scientiâ excellentissimi, consultu & rogatu, omnium quoque Anglici regni & Normanni imperij Magnatum libentissimo assensu Rex VVillelmus quod potissimum solúmque acceptabat consilium, Doctorem suprà memoratum ad hoc elegit negotium. Victus multiplici ratione in Angliam conducitur, &, quæ Insularum transmarinarum Primatum obtinet, Cantuariensis Ecclesiæ suscepit Præsulatum. Qui multarum ditatus amplitudine terrarum, auro argentóque locupletatus, executus mandatum, quod in Exodo mandatur: *Honora patrem tuum & matrem, vt sis longæuus super terram*: omnibus modis benignus extitit circa patrem suũ C spiritualem, & matrem Ecclesiam. Cuius in Anglia quantus postea extiterit fructus, latissimè attestatur renouatus vsquequaque institutionis Ecclesiasticæ status. Cœnobialis ordo, qui omninò ad laicalem prolapsus fuerat dissolutionem, ad probatissimam reformatur disciplinam Monasteriorum. Clerici sub Canonicali coercentur regula, populus rituum barbarorum interdicta vanitate, ad rectam credendi atque videndi formam eruditur. Nobilissimorum, atque optimorum, tam Clericorum, quàm laicorum, ex multis partibus orbis illic adunatus numerus ad centenariam * protendebatur summam.

* *al.* pertingebat.

NOVA necdum sacrata erat Ecclesia, quoniam ab ipso, cuius eam consilium inchoauit, & auxilium consummauit, expectabat consecrari, instanter hoc à Deo exposcens. Cuius petitioni, qui ad cetera sibi benignus extiterat, optatum Deus concessit effectum, adimplens per omnia super hac re illius affectum. Multò enim ampliori, quàm præsumere poterat, honorificentiâ consecrata est à quo exoptabat.

IGITVR X. Kal. Nouembris, anno ab incarnatione Domini MLXXVII. sanctæ omni Ecclesiæ reuerendus gentium transmarinarum summus Pontifex Lanfrancus aduenit, consecrando consummaturus Ecclesiam, quam inspirante Deo inchoauit, & in cuius extruendis fundamentis lapidem secundum ipse manu sua D imposuit. Conuenerunt vniuersi Normanniæ Episcopi, Abbates, & alij quique religiosi viri. Affuerunt Proceres regni. Rex aliis intentus negociis adesse non potuit. Regina MATHILDIS libens affuisset, nisi regiis detenta occupationibus fuisset. Affuit tamen per condecentem beneficentiæ suæ largitionem. Noluit Rex supernus operi gratiæ suæ Regem terrenum supremam manum imponere, sibi totum reseruans consummati gaudium, quod infra sedecim annos solis pauperum expensis compleuit Monasterium cum omnibus officinis, opus pulchrum & maximum. Affuerunt & regni Franciæ clarissimi Consules, & ex aliis regni eiusdem Primatibus complures, Clerici, Monachi, ex vniuersis adiacentibus prouinciis.

ALIQVANTO verò temporis post dedicationem exacto, venerandus pater Herluinus omni membrorũ officio destitui penitus cœpit, & longè ante diei ipsius annuã reuolutionem quod optauerat obtinuit. Nam proximo subsecuto mense Au-

ROBERTVS I.

gusto, XIII. Kal. Septembris, die Dominico, ex toto lecto decubuit. Vespertina à fratribus peracta Synaxi, cum diei ac diurni officij fine, vitæ humanæ stadium felici cursu peregit, nocte iam proxima, quæ in Dominicam illucescebat, VII. Kal. Septembris. Actum est in Capitulo illi monumentum, bonorum actuum æternum filiis monimentum. Iure quò de spiritualibus locuturi studiis conueniunt, illius præsentatur memoria, qui ex tyranno religiosus, ex multùm seculari omninò spiritualis, loci illius atque Ordinis primus extitit fundator & Abbas. A

EPITAPHIVM.

Hac tegitur petra, qui quas circumspicis ædes
Cunctas ediderat, Monachus ex laico.
Ter post vndenos ac tres & quatuor annos
Grammata nescierat, póstque peritus obit.
Quatuor vndecies transegit cœnobialis
Annos, ritè suos dimidiando dies.
Cùm Phœbus nonum sub Virgine protulit ortum,
Commigrando diem clausit & hebdomadem. B
HERLVINVS erat, si quis de nomine quærat,
Cui cum Sanctis det quicquid eis Deus est.

ITEM ALIVD.

Hunc spectans tumulum, titulo cognosce sepultum.
Est via virtutis nosse quis ipse fuit.
Dum quater hic denos aui venisset ad annos,
Quæ fuerant secli spreuit amore Dei.
Mutans ergo vices, de mundi milite miles
Fit Christi subitò, Monachus ex laico.
Hinc sibi more patrum socians collegia fratrum,
Curâ, qua decuit, rexit eos, aluit.
Quot, quantásque vides, hic solus condidit ædes,
Non tàm diuitiis quàm fidei meritis.
Quas puer haud didicit scripturas postea sciuit, C
Doctus vt indoctum vix sequeretur eum.
Flentibus hunc nobis tulit inclementia mortis,
Sextilis quina bísque die decima.
Herluine pater, sic cœlica scandis ouanter.
Credere namque tuis hoc licet ex meritis.

Decessit autem idem venerabilis pater VII. Kal. Septembris, LXXXIV. ætatis suæ anno, Monachatus verò XLIV. paucísq; interpositis diebus, electus est Abbas ANSELMVS pro eo, qui tunc erat Prior eiusdem loci. Qui quantæ fuerit religionis, quantæve sapientiæ, in Libro, qui de vita ipsius scribitur, facilè, qui eundem Librum legerit, reperiet. Scripsit verò idem vir reuerendus nonnulla digna memoriæ, quæ subter annectere curauimus. Dum adhuc Prior esset in Beccensi Cœnobio scripsit tractatus tres, primum de veritate, secundum de libertate arbitrij, tertium de casu diaboli. Scripsit & quartum, quem titulauit de Grammatico: in quo discipulo, quem secum disceptantem introducit, respondet, & multas Dialecticas quæstiones proponit & soluit. Fecit quoque libellum quintum, quem Monologiō appellauit. Solus enim in eo, & secum loquitur, ac tacita omni ratione quærit & inuenit, & quod vera fides de Deo sentit, inuincibili ratione sic, nec aliter esse posse probat & astruit. Composuit etiam librum sextum, licèt paruulum, sed sententiarum, ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quem Proslogion nominauit. Alloquitur enim in eo opere aut seipsum, aut Deum. Scripsit & septimum librum Epistolarum ad diuersos, diuersis eorum negotiis respondens, vel ea, quæ sua intererant procurare, mandans. Fecit & octauum de incarnatione Verbi. Quod opus epistolari stylo conscriptum sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici VRBANO dicauit, destinauit. Nonum librum edidit, quem, Cur Deus homo, appellauit. Decimum de conceptu virginali. Vndecimum de Orationibus ad diuersos Sanctos, quas plurimi Meditationes vocant. In quibus legentibus facilè apparet, quanta dulcedo supernorum mentem eius repleuerat. Duodecimus, qui & D
vltimus,

A vltimus, illi tractatus fuit de processione Spiritus sancti. Confutauerat enim Græcos in Barensi Concilio, negantes Spiritum sanctum à Filio procedere. Vnde sumpta materia, rogatu ILDEBERTI Cenomannorum Episcopi hunc librum composuit. Et quia de hoc venerabili viro aliqua diximus, libet compendiosè spacium vitæ eius comprehendere. ROBERTVS I.

ORTVS igitur ex generosis parentibus in ciuitate Augusta, quæ contigua est Burgundiæ & Italiæ, per diuersa loca studiis literarum operam dando peruenit Normanniam, & in Monasterio Becci, vbi tunc temporis magnus ille supradictus Lanfrancus Prioris fungebatur officio, cum aliis conscholasticis ab eodem tam diuinis quàm secularibus literis instructis, ipsius hortatu & consilio factus est Monachus Becci anno ætatis suæ XXVII. vbi vixit claustralis sine prælatione tribus annis, XV. Prior post bonæ memoriæ prædictum Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum. Deinde XV. annis Abbas extitit post piæ recordationis venerabilem Herluinum primum Abbatem ipsius loci. Inde assumptus est ad Archiepiscopatum Cantuariensem post venerandum Lanfrancum, quem rexit XVI. annis. Septimo decimo autem Archiepiscopatus anno, B Monachatus vero XLIX. porro ætatis LXXVI. transiit è mundo, XI. Kal. Maij, feria quarta ante Cœnam Domini. Ipso anno fuit vltimum Pascha, hoc est VII. Kal. Maij.

HIS per anticipationem dictis de fundatore Beccensis Cœnobij, cum reuerentia nominando venerabili Herluino, & successore eius viro clarissimo in diuinis rebus Anselmo, ad ordinem gestorum Ducum Normanniæ, à quibus paululum digressi fueramus, reuertamur.

CAPVT X.

De classe, quam Dux Robertus disposuit mittere in Angliam in adiutorium cognatorum suorum Edvvardi & Aluredi filiorum Regis Edelredi.

C

TEMPORE, quo Edelredus Rex Anglorum, vt suprà recitauimus, à Sveno Danorum Rege regno pulsus, & Normanniam profugus venit, duos filios, Edvvardum & Aluredum, non longò pòst patriam repetens, Richardo eorum auunculo nutriendos reliquit. Hi enim intra Normannorum Ducum aulam educati, tanto honore à Duce sunt habiti, vt summi nexu amoris tanquam fratres eos adoptaret sibi. Quorum diuturno compassus exulatui, missis legatis mandauit CHVNVTO Regi, vt iam iámque satiatus eorum exterminio illis parceret, & sua eis vel serò pro sui amoris obtentu redderet. At ille salubribus monitis eius non adquieuit, sed legatos infectis rebus nihil lætum portantes remisit. Tunc Dux vehementissimi furoris rubore succensus, conuocatis Ducatus sui Principibus, iussit magnam nauium classem festinato fabricari. Quam ex omnibus Normannici maris partibus coactam, & infra exigui temporis spacium in anchoris, armis, hominibúsque robustissimis diligenter instructam, stare apud Fiscannum in litore ponti fecit. Inde quoque signo dato, & velis in sublime pansis, nimia tempestate acti ad insulam, D quæ GERSVS vocatur, cum magno periculo pelagi domum sunt deuoluti. Quod puto ita factum esse, Deo auctore, pro Edvvardo Rege, quem disponebat in futuro regnare sine sanguinis effusione. Vbi dum longo detinerentur tempore, vento aduerso diutius flante, Dux efferatis animis incredibili cruciabatur mœrore. Nouissimè autem videns, se nullo modo posse transfretare, giratis nauium proris, apud sancti Michaëlis montem remeato limbo maris quantociùs sunt appulsi.

Z

ROBERTVS I.

CAPVT XI.

A

Quòd partem eiusdem classis misit ad affligendam Britanniam, & de pace redintegrata inter ipsum & Alannum Comitem Britanniæ.

DVx autem Robertus quandam partem classis RABELLO fortissimo militi tradidit, ac ad affligendam incendiis & prædis Britanniam direxit. Ipse verò contracto exercitu equestri, parabat ex altera parte eam aggredi. Alannus itaque considerans graue sibi ab vtrisque partibus discrimen imminere, missa legatione, Robertum vtriusque auunculum, Normannorum videlicet Archipræsulem, ad se mandauit festinanter venire. Cui cùm exitialem Britanniæ exterminationem, & concitati Ducis atrocem super se enarrasset expeditionem, Præsul sua interposita fide eum sumpsit, ac ad montem Tumbam, sancti Michaëlis domum adduxit, & clementiam siquidem Ducis illum inuadere disponentis. Mox nimium rigida eorum præcordia propiciante Christo eam ad quietem composuit, vt omni dissensionum motu sedato, serena concordia eos vniret, & Alannum in seruitio Ducis pacta fidelitate supplicem omninò complicaret. Post hæc legatos Dux misit, & nautas à Britannica vexatione recedere iussit. B

CAPVT XII.

Quòd Chunutus Rex Anglorum obtulit per legatos suos Edvvardo & Alueredo medietatem Anglici regni pro timore Roberti Ducis Normannorum: & quod idem Dux pergens Hierusalem, VVILLELMVM filium suum quinquennem Ducatui Normanniæ præfecit.

QVIBVS ad liquidum sopitis, en adsunt legati Roberto Duci à Chunuto Rege directi, nunciantes, illum medietatem Anglici regni velle reddere filiis Edelredi Regis, pace rata in diebus suis, eò quòd valida grauaretur incommoditate corporali. Iccirco Dux, intermissa nauali expeditione distulit inceptum, prius cupiens ab Hierosolymis redire, quod diu optauerat deuotissimo animo. Nam perpendens hanc vitam prodigam fore & labilem, verbáque Dominica pio atque felici corde volutans, diuitibus loquentia: *Væ vobis, qui habetis vestram consolationem*, elegit magis pauper Christi fieri, quàm gehennalibus ignibus aduri. Robertum ergo Archiepiscopum cum Optimatibus sui Ducatus accersiuit, & illis, velle se appetere Hierosolymitanam peregrinationem, manifestauit. Quibus verbis omnes vehementer attoniti, propter eius absentiam formidabant patriam multimodè perturbari. Exponens autem eis VVILLELMVM filium suum, quem vnicum apud Falesiam genuerat, ab eis attentissimè exigebat, vt hunc sibi loco sui dominum eligerent, & Militiæ suæ Principem præficerent. Qui licèt sub tenerrima detineretur ætate puerili, tamen de eius consolatione omnes oppido exhilarati, iuxta decretum Ducis protinus eum prompta viuacitate suum collaudauêre Principem ac dominum, pangentes illi fidelitatem non violandis sacramentis. Dux itaque Robertus postquàm hæc ad votum expleuit, filium suum fidelibus & sensatis tutoribus & auctoribus vsque ad legitimam ætatem subegit: & dispositis competenter rebus ad patriæ moderamina congruentibus, pium vale dicens omnibus, cum suo nobilissimo comitatu illam sanctissimam peregrinationem est aggressus. Quæ verò lingua, vel sermo explicabit eleemosynarum exhibitiones egenis ab eo quotidie distributas? Aut quæ vidua, vel orphanus, egenúsque extitit, qui non eius expensis subleuaretur? Tandem confecto itinere ad illud venerabile sepulchrum peruenit, in quo Regis cœlestis sanctissimum corpus iacuit. Quis ergo hominum enarrabit, quot per octonos dies lacrymarum riuulis illud eluerit, vel quot auri muneribus accumulauerit?

C

D

A

Capvt XIII.

Quòd idem Dux Robertus rediens ab Hierosolymis apud vrbem Nicenam obiit in Christo.

Porrò, inuictus Dux, pius, & Deo amabilis, adorato Christo cum internorum singultuum suspiriis, & peragratis Sanctorum locis, felicissimum conuertens iter, ad Nicenam regressus est vrbem. In qua correptus ægrimonia corporis, millesimo tricesimo quinto ab incarnatione Domini anno viam petens vniuersi generis humani, gaudentibus Angelis, diuinæ vocationis iussu in fine occubuit, VI. Nonas Iulij. Non enim indignum æstimo credere, & pennæ officio signare, quòd æterno cælestis Hierusalem moderatori, cuius & sepulturæ locum in terra veneratus est, in huius vitæ medio labore ad perennis gloriæ consortium eum assumere placuerit: ne beata anima plurimo iam optimorum operum splendore candidata, B pòst mundanis actibus implicata maculas colligeret. Sepultus est etiam in Basilica sanctæ Mariæ à suis, intra mœnia Nicenæ ciuitatis; regnante Domino nostro Iesu Christo in paternæ maiestatis deitate, cum coæqualitate Spiritus sancti per omnia secula, Amen. 1035.

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER SEPTIMVS,

De Vvillelmo Duce, qui Angliam armis subegit.

Capvt I.

C

Quos labores Vvillelmus puer perpessus est in initio sui Principatus, peruersitate quorumdam.

Recensitis seriatim Roberti magni Ducis actibus, & multorum solerti indagine intimatis auribus, competens videtur, vt ad Vvillelmvm filium eius articulus vertatur; subscribendo futuris, quo sudore laboris inimicorum laqueos euaserit, & suis eorum ferina colla vestigiis viriliter substrauerit. Plerisque etenim scripturæ reperitur in paginis, nequitiâ patris iniqui domum filij subuerti; è diuerso verò, merito boni solidiùs roborari. Denique Christvs Roberto Duci spretis ab eo secularibus pompis domum stabiliuit, dum perenni eum palma remunerauit; & Vvillelmum filium illius, profligatis inimicis, throno regali postD modum prouexit. Verumtamen, quibus victoriarum triumphis in Ducatu claruerit, prout ordo rerum veracissimè compertarum dictauerit, libet venturis notificare, ne tegantur inani segnitie, quæ gloriosè micuerunt ætatis nostræ tempore. Is itaque Dux in puerilibus annis patre orbatus, sagaci tutorum prouidentiâ liberalium morum instituebatur ad incrementa. Sub eius ineunte ætate, Normannorum plurimi aberrantes ab eius fidelitate plura per loca aggeres erexerunt, & tutissimas sibi munitiones construxerunt. Quarum dum auderent fisi munimine, protinus inter eos diuersi motus exoriuntur, seditiones concitantur, ac sæua patriæ incendia vbique perpetrantur. In tanto quippe dissensionum turbine Mars atrociter grassatur, & non modicus bellatorum cuneus frustrà consumitur.

Vvillelmvs II.

A

Capvt II.

De bello inter Tustinum de Bastenborc, & Vvalchelinum de Ferrariis, & de morte Osberni filij Herfasti.

NAm Hvgo de Monteforti filius Tustini cum Vvalchelino de Ferrariis certauit,& in eo conflictu vterque occisus occubuit. Porro immanis quorumdam rabies eructuat, ac ad patriæ detrimentum nimis regnat. Siquidem Gislebertus Comes Ocensis, filius Godefridi Comitis, callidus & fortis, tutor Vvillelmi pueri, sed domini, quodam mane dum equitans loqueretur cum compatre suo Vvascelino de Ponte Erchenfridi, nil mali suspicans occiditur cum Fvlcoio filio Geroii. Hoc verò malum dolosis hortatibus Rodvlfi de Vvaceio filij Roberti Archiepiscopi factum est, per manus crudeles Odonis Grossi, & audacis Roberti filij Geroij. Deinde Turoldus teneri Ducis pædagogus perimitur à perfidis patriæ desertoribus. Osbernus quoq; procurator principalis Domus, Herfasti Gunnoris Comitissæ fratris filius, quadam nocte, dum in cubiculo Ducis cum ipso in valle Rodoili securus soporatur, repentè in stratu suo à Vvillelmo Rogerii de Monte-gvmeri filio iugulatur. Rogerius enim pro perfidia sua tunc exulabat apud Parisios, & quinque filij eius Hvgo & Robertvs, Rogerivs & Vvillelmvs, atque Gislebertvs, in Normannia summoperè inseruiebant diris facinoribus. Sed Vvillelmus pro scelere præscripto, quod operatus est, non multò pòst condignam mercedem retribuente Deo nactus est. Barno quippe de Glotis præpositus Osberni iniustam necem domini sui cupiens vlcisci, nocte quadam expeditos pugiles congregauit, & domum, vbi Vvillelmus & complices sui dormiebant, adiit, ac omnes simul, sicut meruerant, statim trucidauit. B

Capvt III.

C

Quomodo Rogerius de Bellomonte filius Hunfridi de Vetulis patris iussione Rogerium de Teëneio superauit.

ROgerivs Toenites de stirpe Malahvlcii, qui Rollonis Ducis patruus fuerat, & cum eo Francos atterens Normanniam fortiter adquisierat, vir potens & superbus, ac totius Normanniæ signifer erat. Hic verò, dum Robertus Dux peregrè perrexerat, in Hispaniam, vbi per eum multæ probitates super Paganos factæ sunt, profectus fuerat. Sed post aliquantum temporis in sua regressus est. Comperiens autem quòd Vvillelmvs puer in Ducatu patri successerit, vehementer indignatus est, & tumidè despexit illi seruire; dicens, quòd nothus non deberet sibi, aliisque Normannis imperare. Vvillelmus enim ex concubina Roberti Ducis nomine Herleva *, Fulberti Cubicularij Ducis filia natus, nobilibus indigenis, & maximè ex Richardorum prosapia natis despectui erat vtpotè nothus. Verùm, postquàm Hierosolymitanus Dux obiit, Herlvinvs quidam probus miles Herleuam vxorem duxit, ex qua duos filios, Odonem, & Robertvm, qui postmodùm præclaræ sublimitatis fuerunt, procreauit. Rogerius itaque fretus auxiliatorum multitudine, contra tenerum Ducem ausus est rebellare. Omnes vicinos suos palam despiciebat, & terras eorum, maximè Hvmfridi de Vetvlis, rapinis & incendiis deuastabat. At ille diutiùs hoc ferre nolens, Rogerivm de Bellomonte filium suum cum familia sua contra eum misit. Quem Rogerius Toënienfis temerè spreuit, & nil metuens cum eo audacter conflixit: sed ibidem cum duobus filiis suis, Helberto & Elinantio, peremptus, victoriam hostibus reliquit. Ibi Robertus de Grentemaisnil lethale vulnus accepit, quo post tres hebdomadas, XIV. Kal. Iulij obiit. Porrò, ante mortem suam duobus filiis suis Hugoni & Roberto terram suam æqualiter distribuit, eisque Ernaldum minimum filium suum, vt ipsum, dum ad ætatem veniret, sicut fratrem benè tractarent, commendauit. D

*al. Herlotta.

A

CAPVT IV.

Quòd idem Rogerius Abbatiam Pratellis ædificauit, & Adelinam filiam Vualeranni Comitis Mellenti duxit.

ROGERIVS verò de Bellomonte, superatis aduersariis, victori Deo gratiam retulit, & in omni vita sua bonis operibus insudare studuit. Inter quæ, Monachile Cœnobiũ in fundo suo Pratellis construxit, & Vvillelmo Duci contra omnes fidelis sẽper extitit. Quapropter omnibus auis proauisque suis sublimior effectus est. Nam ADELINAM, VVALERANNI Comitis MELLENTI filiam, vxorẽ duxit: ex qua duos filios, ROBERTVM & HENRICVM, magnæ potentiæ postea Comites procreauit. Robertus quippe post HVGONEM auunculũ suum Comes Mellentis plus quàm viginti septem annis viguit: & Henricus Vvillelmi Regis in Anglia Comitatum Vvarvvik promeruit. Post præfatam cædem, in qua Rogerius & Robertus de B Grentemaisnil, & alij quamplures ceciderunt, RICHARDVS Ebriocensis Comes filius Roberti Archiepiscopi, vxorẽ Rogerij de Toënia sibi in matrimonio assumpsit, ex qua VVILLELMVM, qui nunc Ebroicensibus principatur, genuit. VVILLELMVS verò frater eius HADEVISAM filiã Geroij, relictam Roberti de Grentemaisnil sibi iunxit. Interea Vvillelmus Dux, fauente Deo, crescit ætate & viribus, ac sẽsu morúmque valentiâ proficit. Animaduertens itaque, quanta suorum rabies Normanniam proculcauerit, in pueri pectore virile robur colligit, procerésque patris sui ascitos ad amorem sui trahere satagit, & ne quid indisciplinatè agant, precibus & iussis erudit. Rodulphum de Vvacceio ex consultu maiorum sibi tutorem eligit, & Principem Militiæ Normannorum constituit. Quidam Optimatum, qui Deum & iustitiam amant, libenter Duci vt domino obtemperant, fidémque seruant, & rebelles ei subdere fideliter anhelant. Porrò, filij discordiæ, qui dissentionibus gaudent, & innocenter viuere volentes affligere student, dum per se tantùm nocere simplicibus, quantum vellent, se non posse vident, commentantur, qualiter improba fronte subuersionem patriæ procurent. HENRICVM igitur Regem Francorũ C adeunt, & titiones eius per Normannicos limites hac illácque spargunt. Quos nominatim literis exprimerem, si inexorabilia eorum odia declinare nollem. Attamen non alij extiterunt, vobis in aure loquor circumstantibus, quàm hi, qui fideliores se profitentur, & quos nunc maioribus Dux cumulauit honoribus.

CAPVT V.

Quòd Henricus Rex Francorum castrum Tegularias à Normannis pro pace sibi traditum combussit, necnon & Argentomum.

VESANA igitur proditorũ prouocatione Rex Henricus vehementer permotus, & beneficij à Roberto Duce sibi quondam impensi immemor effectus, duxit se placabilem ei nullo modo fore, quamdiu Tegulense castrum videret in pristino statu persistere. Cuius fraudes animi ob salutem pueri vitare cupientes in fide stantes D Normanni, decreuerunt fieri quod egisse postmodum pœnituit. GISLEBERTVS autem cognomento CRISPINVS, cui illud commiserat olim Dux Robertus, mox vt molestissimum agnouit decretum, conatus eorum spreuit, & cum valida manu armatorum ad resistendum ilicò se intra ipsum conclusit. Rex quoque munitionis aditum sibi denegari considerans, exercitibus tam Francorum quàm Normannorũ contractis, festinus eam obsidione cinxit. Quid plura? Gislebertus tandem precibus Ducis victus, mœrens castrum reddidit, quod sub oculis omnium cum maximo dolore cordis confestim igne concremari perspexit. Quibus Rex ad votum peractis, à loco secessit. Sed non multò post Oximensem Comitem adiuit, & Argentomum Ducis vicum flammis voracibus combussit: sicque onustus prædâ, partes illas deseruit. Deinde itinere, quo venerat, regressus, ad castellum Tegulense venit; atque sacramenta, quæ Duci iurauerat, ne à quoquam suo in quatuor annis reficerentur, irrita fecit. Nam illud cum festinatione restaurauit, militibus & alimoniis abundantissimè muniuit; & hinc, quia votis suis iam satisfecerat, lætus recessit.

VVILLEL-
MVS II.

A

CAPVT VI.

Quòd Turstenus Goz castrum Falesiæ contra Vvillelmum Ducem tenere voluit, sed non potuit: & de Richardo filio eiusdem.

TVRSTENVS cognomento Guz, Ausfridi Dani filius, qui tunc præses Oximensis erat, perspiciens Ducem puerum Regi aliquantum cessisse, & quasi victum regiæ manus oppressionem iam aliquantam vtcúmque perpeti; zelo succensus infidelitatis, regales milites stipendiis conduxit, quos complices ad muniendum Falesiæ castellum, ne indè Duci seruiret, sibi asciuit. Cuius maliuoli animi conatus Dux vt comperit, legionibus Normannorum vndequaque coactis, festinanter illud obsedit. Tunc Rodulfus Vvaceiensis Magister militum erat, Ducémque suum totis nisibus adiuuabat. Concitatis autem militibus, tanta ilicò magnanimitate pugnatum est, vt partem muri sub momento deiicerent. Et nisi nox prælium diremisset, proculdubio rem, quam summè volebant, totam confecissent. Perpendens Turstinus se tantas hostium copias non posse diutiùs tolerare, locum secedendi à Duce petiit, & sic profugus à patria extorris aufugit. Post hæc Richardus Turstini filius optimè Duci seruiuit, & sic patrem suum Duci reconciliauit: & ipse multò maiora, quàm pater perdiderat, adquisiuit. B

CAPVT VII.

*Quòd Roberto Archiepiscopo successit Malgerius filius secundi Richardi ex secunda coniuge Popiâ * : & de Vvillelmo Archacensi.*

* al. Papia

MORTVO Roberto Rotomagensi Archiepiscopo successit MALGERIVS frater Roberti Ducis. Nam RICHARDVS Gunnorides, mortua Iudith, aliam vxorem nomine PAPIAM duxit, ex qua duos filios genuit: MALGERIVM scilicet Archipræsulem, & VVILLELMVM ARCHACENSEM. Hic enim Vvillelmus à Duce iam in adolescentia pollente Comitatum TALOGI percepit, obtentu beneficij, vt indè illi existeret fidelis. Nobilitate verò generis elatus, castrum Archarum in cacumine ipsius montis condidit. Deinde assumpta tyrannide, regióque fultus iuuamine, contra Ducem ausus est calcaneum extollere. Quem Dux à sua vesania nitens auellere, ad exhibendum sibi obsequium per legatos iussit eum venire. Sed ille huiusmodi legationem habens contemptui, magna cum fiducia ad resistendum se muniuit & armauit. Dux verò, viribus Normannorum ascitis, eius supercilium domiturus, quantociùs super eum venit; & erectis aggeribus ad radicem montis castrum stabiliuit, quod fortium virorum robore inexpugnabile reddidit; & sic indè abiens, vallatum alimoniis reliquit. Quod factum protinus Henricum Regem minimè latuit. Rex ergo Francorum copias sumpsit, & superioris oppidi causâ muniendi properantissimè aduenit, & exercitum castra metari apud sanctum Albinum iussit. Cuius aduentum milites Ducis comperientes, de suis miserunt, si quos fortè hostium à regio cœtu abstraherent, quos illi in latibulis degentes incautos exciperent. Quò dum venissent, nō minimam exercitus partem inde protraxerunt, & fugientes in insidias induxerunt. Statim verò qui videbantur fugere, versa facie cœperunt eos acriter cædere: adeò vt in hoc conflictu cum pluribus INGELRANNVS ABBATISVILLÆ Comes confossus perimeretur, ac HVGO cognomento BARDVLFVS cum multis aliis caperetur. Quod vt Rex agnouit, alimoniam castello, pro quo venerat, intromisit, & mœstus propter milites amissos cum dedecore recessit. Vvillelmus quoque non longò pòst inedia affectus cum suis inuitus castellum reddidit, & ipse à natiuo solo in exilium discessit. Denique cum vxore sua, sorore scilicet VVIDONIS COMITIS PONTIVI, EVSTACHIVM Boloniæ Comitem expetiit, & in eius familia victum & vestitum percipiens, vsque ad mortem suam extorris remansit. C D

A

CAPVT VIII.

Quòd mortuo Chunuto Rege Anglorum successit HEROLDVS filius eius, & de Edvvardo adhuc exule.

EADEM tempestate Anglorum Rex CHVNVTVS obiit, cui successit HERALDVS filius eius, ex concubina nomine ELFGIVA natus. Cuius diu cupitam mortem EDVVARDVS audiens, adhuc cum Duce degens, quantociùs cum XL. nauibus milite plenis superato mari Hantunam appulit; vbi innumerabilem Anglorum multitudinem ad sui perniciem se opperientem offendit. Qui protinus congressus cum eis, non minimam partem ex illis ociùs Orco transmisit. Ipse verò victor existens, ad naues regressus est cum suis. Videns autem non absque plurimo militum numero se posse regnum obtinere Anglorum, regiratis nauium proris Normániam cum maxima præda repetiit.

B

CAPVT XI.

De traditione Alueredi fratris Edvvardi per Goduinum Comitem, & quòd Hardechunutus filius Emmæ matris Edvvardi successit Heraldo fratri suo, & Hardechunuto Edvvardus, qui duxit Editham filiam Goduini.

INTEREA frater eius Aluredus milites non parui numeri assumpsit, portúmque Vvisanti petiit, & hac transfretans Doroberniam venit. Inde siquidem interiora penetrans regni, Goduinum Comitem obuium habuit. Quem idem Comes in sua fide suscepit, sed in illo sub eadem nocte traditoris Iudæ vicem impleuit. Nam libato pacis osculo, & cum eo percepto cibo, medio intempestæ noctis, manibus post C tergum ligatis illum Heraldo Regi apud Lundoniam cum suorum nonnullis destinauit. Milites autem suos partim per Anglorum regionem distraxit, partim cum dedecore peremit. Heraldus vt Aluredum vidit, statim eius socios truncari capitibus iussit, & ipsum ad Hely duci, ibíque oculis priuari. Sic nobilissimus & optimus vir Aluredus occubuit, iniustè peremptus. Heraldus verò non multò pòst superstes obiit mortem, cui successit frater eius Hardechunutus à Dacia egressus, ex Emma Edvvardi matre natus. Qui post paululum confirmatus in culmine regni, fratrem suum Edvvardum à Normannia reuocauit, ac secum cohabitare fecit. Ipse autem non plenis duobus annis existens, exiuit hominem, & EDVVARDVM totius regni reliquit hæredem.

FEROX dolíque commentor GODVINVS eo tempore Comes in Anglia potentissimus erat, & magnam regni Anglorum partem fortiter tenebat, quam ex parentum nobilitate, seu vi vel fraudulentiâ vendicauerat. Edvvardus itaque metuẽs tanti viri potentiâ lædi, dolóve solito, Normannorum consultu, quorum fido vigebat solatio, indignam Aluredi fratris sui perniciem ei benigniter indulsit. Ac vt inter eos firmus amor iugiter maneret, EDITHAM filiam eius vxorem nomine tenus duxit. Nam reuera, vt dicunt, ambo perpetuam virginitatem conseruauerunt. D Edvvardus nempè vir bonus erat, mitis & humilis, iocundus & longanimis, clemens, pauperum tutor, & Anglicarum legum legitimus restitutor. Multotiens diuina mysteria vidit, & vaticinia, quæ rerum euentu postmodum comprobata sunt, deprompsit, regnúmque Anglorum ferè XXIII. annis feliciter rexit.

CAPVT X.

De crudelitate Vvillelmi Talauatij, & de Vvillelmo filio Geroij, qui Monachus Becci factus est.

VILLELMVS cognomento TALAVATIVS, postquam Roberti fratris sui caput in carcere securibus comminutum est, auxilio suorum, & maximè Vvillel-

VVILLELMVS II. mi filij Geroij, omnem patris sui fundum adeptus est. Hic verò à parentum suorum perfidia nequaquam suâ retorsit vestigia. HILDEBVRGEM quippe filiam ARNVLFI cuiusdam nobilissimi viri in coniugio habuit, ex qua ARNVLFVM, & MABILIAM crudelissimæ sobolis postea matrem genuit. Sed quoniam mulier prædicta benè morigerata erat, & Deum feruenter amabat, diris mariti factionibus non consentiebat. Quapropter ipse eam abominatus est vehementer. Denique quodam mane, dum ipsa Ecclesiam adiret, Deum deprecari, à duobus parasitis suis in via fecit eam subitò strangulari. Deinde filiam RODVLFI Vicecomitis DE BELLOMONTE sibi desponsauit, & plures sibi vicinos Optimates ad nuptias inuitauit, inter quos Vuillelmum Geroij filium eximiæ strenuitatis virum accersiuit. RODVLFVS autem frater eius cognomento CLERICVS, quia copiosè literatus erat; & MALA-CORONA, quia militaribus exercitiis inseruiens Clericatus grauitatem malè seruabat, ex augurio graue infortunium sibi imminere prænoscens, fratri suo prohibet, ne fœdas feralis bigami nuptias vllatenus adiret. Vuillelmus autem, spretis Rodulfi dissuasionibus, inermis Alencium venit cum duodecim militibus. Porro Talauatius eum illic nil mali suspicantem, sed potius, vt moris est, ad nuptias amici sui gaudentem, sine reatu, quasi nequam proditorem mox comprehendit, & cautè custodiri suis clientibus præcepit. Postea cum conuiuis suis venatum perrexit. Satellites verò eius, quibus clam iusserat hoc, Vuillelmum foras eduxerunt; & cunctis, qui hoc videbant, lugentibus, heu proh dolor! oculis priuarunt, nariúmque summitatibus & aurium abscissis deturparunt. Hoc audito scelere multi doluerunt, & contra Talauatium in ira exarserunt, & tale nefas vlcisci conati sunt. Geroianus autem Vuillelmus post tres annos venerabilem Herluinum Abbatem adiit, & in Beccensi Cœnobio, quod in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ tunc à præfato patre construebatur, Monachus factus est.

CAPVT XI.

Quòd Dux Richardus dedit duo municipia, Monasteriolum, & Escalfoum, Geroio, qui duxit Gislam filiam Turstini de Monteforti.

GEROIVS iste, de cuius prole loquimur, ex nobili Francorum & Britonum prosapia originem traxisse dicitur. Hic autem cum Belesmensi Vuillelmo ad Curiam Richardi Ducis venit, cuius dono in Normannia duo municipia, Monasteriolum, & Escalfoum obtinuit. Hospitium verò, dum Ducem expeteret, in domo TVRSTINI DE MONTEFORTI habuit, cuius filiam nomine GISLAM ad prandium fortè videns, adamauit, & à præclaris parentibus eam requirens impetrauit. Quæ succedenti tempore septem filios & quatuor filias ei peperit, quorum nomina hæc sunt: ERNALDVS, & FVLCOIVS, qui cum Gisleberto Comite periit, VVILLELMVS, & RODVLFVS Mala-Corona, ROBERTVS, HVGO, & GEROIVS. HEREMBVRGIS, & EMMA, ADELAIS, & HADVISA. Ex his filiorum & nepotum militaris turma propagata est, quæ Barbaris in Anglia, vel Apulia, seu Trachia, vel Syria nimio terrori visa est. Igitur postquam Vuillelmus Talauatius Vuillelmum, qui ætate & sensu in Geroiana progenie sublimior erat, ex inuidia, vt suprà diximus, tam truculenter dehonestauerat, Robertus & Rodulfus egregij milites cum fratribus & cognatis viriliter insurgunt, & damnosam fratris sui iniuriam vindicare moliti sunt. Omnem itaque terram Talauatij prædiis & incendiis deuastabant, vsque ad portas munitionum eius nullo resistente armati veniebant, ipsúmque vt exiret, & cominus certaret, audacter prouocabant. At ille, quia timidus, & in militia nullarum virium erat, cum lacessentibus inimicis in campo confligere non audebat. Sic à Geroicis sæpè deludebatur.

A

Capvt XII.

De Arnulfo filio Villelmi Talauatij, & Oliuero fratre eius Monacho Beccensi.

ARnvlfvs tandem filius eius vt hæc animaduertit, Optimatum suorum cõsensu contra patrem, qui omnibus odibilis erat, rebellauit, & eum de munitionibus suis turpiter eiecit, & vsque ad mortem miserabiliter exulare compulit. Paternam quidem possessionem inuasit, sed nequitiam non deuitauit. Vnde tristi fine perire meruit. Nam quadam die cum clientibus suis prædari perrexit, & inter reliqua porcum cuiusdam Sanctimonialis rapuit. At illa gemens eum insecuta est, ac vt procellus, quem nutrierat, sibi pro Deo redderetur, obnixè deprecata est. Arnulfus autem preces eius spreuit, porcum mactari, & ad esum præparari coquo iussit: ventríque suo frustra seruiens, indè serò nimis comedit. Sed non impunè. Nam B eadem nocte in lecto suo strangulatus est. Porro quorundam relatio asserit, quòd ab Oliuaro germano suo peremptus sit. Nos verò de tali viro tantum nefas non solùm non astruimus, verumetiam credere penitus recusamus. Præfatus siquidem Oliuarus longò pòst tempore in militia honorificè deguit, senéxque factus Dei nutu seculum dereliquit. Deinde sub domno Anselmo tunc Abbate, nunc verò Cantuariorum Archiepiscopo, Monachile scema in Beccensi Cœnobio piè suscepit, quod ibidem sub domno Vvillelmo Abbate multis annis laudabiliter portauit.

Capvt XIII.

Quòd mortuo Arnulfo, Iuo patruus eius Episcopus Sagiensis terram eius hereditario iure possedit.

C DEniqve Arnulfo nequiter perempto, sicut suprà retulimus, venerabilis Ivo patruus eius Sagiensis Episcopus Belesmiæ castrum, & quæque ad ipsum iure pertinebant, accepit; & legitimè, quamdiu vixit, pace cum Geroianis aliísque vicinis facta, tenuit. Sagax enim idem erat, ac decorus, & affabilis, multúmque iocosus, ac serenæ pacis cupidus. Sed perfidia malorum non cessat perturbare quietem bonorum. Itaque temporibus Ivonis Episcopi, Richardvs atque Robertvs, & Avesgotvs, filij Vvillelmi cognomine Sorengi, cuneum sceleratorum sibi asciuerunt, & omnem circa Sagium patriam sine reuerentia depopulati sunt. Postremò Ecclesiam sancti Geruasij inuaserunt, ibíque turbam prædonum posuerunt. Sic de domo orationis speluncam latronum, stabulúmque fecerunt equorum. Religiosus Azo vetulus Præsul eiusdem vrbis muros destruxerat, & ex lapidibus deiecti muri Ecclesiam sancto Geruasio Martyri construxerat, vbi sedes Episcopalis longo posttempore fuerat. Venerandus autem Iuo dum vidit Sorengos in diebus suis ita insanire, vt in templo Dei non dubitarent foueam furum & lupanar meretricum facere; nobili tactus ira vehementer doluit, ac ad liberationem Ecclesiæ Dei toto nisu animum conuertit. Quondam igitur, dum de Curia Vvillelmi Ducis rediret, ac per Oximensem pagum transiret, Hugonem de Grantemaisnil, aliósque Barones cum turmis suis secum adduxit, & Sorengos in turre Monasterij D fortiter expugnari fecit. At illi audacter restiterunt, & pro se pugnantes proiectis telis plures læserunt. Quod Pontifex dum perspexit, vicinis domibus ignem imponi iussit. Mox parrochiani iussis parent Episcopi. Ignis verò immissus flante vento ad Ecclesiam currit, ipsámque inuadens consumit, & impios in ea furentes acriter angit. Sorengi tandem, dum se vident flammæ sæuitiem pati non posse, arreptis armis indè fugiunt cum dedecore.

Vuillelmus II. A

Capvt XIV.

De filiis Vuillelmi Sorengi, Richardo, Roberto, & Auesgoto, quomodo digna morte interierunt.

IVstvs & misericors Deus ægrè tulit Ecclesiæ suæ prophanationem, debitámque violatoribus non distulit inferre mulctationem. Nam tres germani, qui principes extiterant prædictæ inuasionis, non multò pòst, dum latrociniis summoperè vacarent & rapinis, iusto Dei iudicio perempti sunt, sine confessione & viatico salutis. Richardvs nempe, qui primogenitus erat, noctu in vili casa iuxta quoddam stagnum securus dormiebat. Protinus quidam miles potens, nomine Richardus de sancta Scholastica, cuius terram deuastauerat, domunculam circumdedit cum sua familia. Sorengus verò expergefactus de bordello exiit, & fugiens in viuarium exilire voluit. Verùm, quidam rusticus, quem ipse pridem in vinculis cruciauerat, eum præuenit, & securi caput eius conterens, mox eum exanimauit ibidem. B
Deinde Robertus frater eius cum suis quadam die circa Seuceum prædam rapuit, & dum rediret, à persequentibus villanis vulneratus statim interiit. Ad vltimum Auesgotus Cambeiam super Albertum Girardi Fleitelli filium intrauit, ibique militari rabie debacchari cœpit: sed pilo desuper emisso, in capite ictus mox periit. Ecce in his verè completum vidimus, quod audiuimus: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Raptores ergo, & fractores Ecclesiarum sui similium interitu comperto caueant, ne dum similia perpetrant, simili punitione tandem pereant. Et si mundana prosperitas paululum eos comitatur, non indè securi glorientur. Illis nimirum scire conuenit, quòd mundi gaudium quasi fumus ad modicum transit, ac permansurum mœrorem adquirit, ceu quidam egregius in Poëmate suo impios arguens Versificator ait,

Vos malè gaudetis, quia tandem suscipietis
Nequitiæ fructum, tenebras, incendia, luctum.
Nam pius indultor, iustúsque tamen Deus vltor, C
Quæ sua sunt munit, quæ sunt hostilia punit.

Prostratis, vt suprà dictum est, filiis discordiæ, simplicibus in pace circa Sagium licuit aliquantulum respirare. Nobilis Iuo Præsul Ecclesiam cooperire sategit, & IV. Nonas Ianuarij iterum dedicauit. Sed quia maceriæ virtute flammarum læsæ fuerant, ipso anno ante Quadragesimam corruerunt.

Capvt XV.

De Concilio, quod Remis tenuit Leo Papa, & de increpatione ipsius in Iuonem Episcopum Sagiensem, propter Ecclesiam sancti Geruasij combustam.

IN illo tempore sanctus Leo Papa Gallias expetiit, Ecclesiam S. Remigij Remensis Archiepiscopi consecrauit, eiúsque corpus in Ecclesiam nuper dedicatam transtulit. Tunc Remis idem Papa grande Concilium tenuit, & desides Episcopos vel Abbates acriter redarguit: inter quos, vt dicunt, propter combustionem Ecclesiæ Iuoni dixit: Quid fecisti, perfide? qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare ausus es? Eloquens Iuo palam confessus est, se quidem malum fecisse, sed ad hoc scelus agendum se grauiter coactum fuisse, ne deteriora fierent à scelerosis super filios Ecclesiæ. Deinde pœnitentiam secundum sagacis Papæ iussum accepit, ac de restituenda sancti Geruasij Ecclesia operam adhibuit. Igitur Apuliam, & indè Constantinopolim perrexit, & à diuitibus cognatis & amicis suis simul multum pecuniæ congessit; donóque Imperatoris, de ligno Dominicæ Crucis charum munus deportauit. Reuersus autem Sagium, Ecclesiam cœpit tam magnam ædificare, vt successores eius Robertus, Girardus, ac Serlo, nequiuerint eam per XL. annos consummare. D

A

CAPVT XVI.

Quòd Vuillelmus Talauatius frater Iuonis Episcopi filiam suam Mabiliam Rogerio de Monte Gummeri cum terra sua dedit.

INTEREA VVILLELMVS TALAVATIVS, postquàm à filio suo, vt suprà retulimus, de terra sua expulsus est, miser & despicabilis omnibus per aliorum domos diu peruagatus est. Ad extremum, ROGERIVM DE MONTE-GVMMERI expetiit, eique filiam suam nomine MABILIAM sponte obtulit, & omnem, quem ipse pro nequitia segnitiáque sua perdiderat, honorem concessit. At ille, qui fortis erat & probus, consilióque maturus, hoc placitum sibi profuturum cernens, ei adquieuit in omnibus. Ipsum namque errabundum in domo sua suscepit, eiúsque natam sibi legitimè copulauit. Præfata verò mulier erat corpore parua, multúmque loquax, ad malum satis prompta, & sagax, atque faceta, nimiúmque crudelis & B audax. Quæ succedenti tempore quinque filios, & quatuor filias peperit, quorum nomina hæc sunt. ROBERTVS & HVGO, ROGERIVS PICTAVINVS, PHILIPPVS, & ARNVLFVS. EMMA, MATHILDIS, MABILIA, & SIBYLLA. Hæ siquidem fratres suos moribus præcesserunt. Nam dapsiles, & honestæ, ac affabiles pauperibus & Monachis, aliisque seruis Dei fuerunt. Illi verò ferales & cupidi, ac inopum rabidi oppressores extiterunt. Quàm callidi, vel militares, seu perfidi fuerint, aut quantùm super vicinos, parésque suos excreuerint, iterúmque sub eis pro facinoribus suis deciderint, non est nostrum in hoc loco enarrare, qui decreuimus Vuillelmi Ducis magni gesta propalare. Quapropter, illis relictis, nunc stylus figatur in præfixa serie narrationis.

CAPVT XVII.

Quòd mortuo Hugone Episcopo Baiocensi, Dux Vuillelmus Odonem fratrem suum vterinum subrogauit: & de bello apud Valedunas.

C

IGITVR Dux iam flore vernans gratissimæ iuuentutis, cultum Dei cœpit vltroneo corde amplecti, imperitorum quoque contubernia à se eliminare, & sapientum consiliis vti, bellicis rebus pollere, & prudentiâ seculari vigêre. Circa hæc tempora HVGO filius Rodulphi Comitis, Baiocensis Episcopus, obiit; & Dux prædictum Episcopatum ODONI fratri suo commendauit. Præfatus autem Odo vt Præsul consecratus fuit, Pontificalem Ecclesiam in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ nouam auxit, auctóque Clericorum numero peritorum, & multis ornamentis mirabiliter ditauit. Ipse verò ferè quinquaginta annis in Episcopatu vixit. Dux autem dum multis probitatum commodis quotidie augmentaretur, quendam crudelem conuiuam expertus est, VVIDONEM scilicet filium RAINALDI Burgundionum Comitis, qui cum eo à puerilibus annis educatus fuerat, & cui olim contulerat castrum Brioci quasi munere firmiùs astringendæ fidelitatis. Is etenim fastu D innectus superbiæ, plurimos Proceres velut Absalon ab eius fidelitate cœpit auertere, & in suæ perfidiæ voragine complicare: intantùm vt Nigellum Constantiniensem Præsidem in hac conspiratione annecteret, & à seruitio, quod electissimo Principi sacramentorum obligatione debebat, cum multis aliis funditus exturbaret. Considerans itaque prudentissimus Dux se tantopere à suis destitui, & eos suorum municipiorum præsidiis iugiter robustiùs vallari, verens ne à Comitatus fastigio abiceretur, locóque suo æmulus eius subrogaretur, necessitate coactus Henricum Francorum Regem expetiit pro subueniendi obtentu. Tunc tandem Rex memor beneficij, quod à patre eius sibi quondam impensum fuerat, vires Francorum simul coëgit, & Oximensem Comitatum aggressus, Valedunas venit, vbi innumerabilium infestissimo armatorum animo exercitum strictis gladiis prælium sibi intentantem offendit. Quorum efferos impetus Rex cum Duce minimè perhorrescens, facto alternatim militum concursu bellum commisit, tantáque eos ilicò strage deleuit, vt quos gladius non extinxit, Deo formidinem inferente, fugientes flu-

VVILLELMVS II. uius Olnæ absorberet. Felix namque pugna, in qua die sub vna corruerunt proteruorum castella, & facinorosorum domicilia. Vvido autem è prælio lapsus Briocum expetiit, in quo obseratis portarum repagulis, cupiens liberari, se aliquandiu obstruxit. Quem Dux, Rege Franciam repetente, properè insecutus, intra ambitum sepsit obsidione, stabilitis munitionibus in vtraque parte fluminis vocabulo Risle. Videns profectò Vvido se nullo pacto à loco effugere posse, astrictus famis calamitate, per amicos compulsus est supplex, & commissi pœnitens, eius clementiam expetere. Cuius Dux, suorum consultu, miseriæ misertus, clementer illi pepercit, & recepto castello Brioci cum suis domesticis eum manere in domo sua iussit. Conspicientes itaque cuncti Optimates, qui deuiarant à Ducis fidelitate, illum omne præsidium fugæ partim destruxisse, partim interclusisse, datis obsidibus rigida colla ei vt domino suo subdidêre. Sic castellis vbique euersis, nullus vltra ausus est contra eum rebellem animum detegere. Prædictum itaque bellum anno ab incarnatio-
1047. ne Domini MXLVII. factum est.

CAPVT XVIII.

Quomodo Dux Vuillelmus castella Alencium & Damfrontem, quæ Goiffredus Comes Andegauensis inuaserat, recepit.

ANDEGAVORVM quoque Comes Goiffredus agnomine Martellus, vir per omnia versutus, quosdam cladibus diuersis & intolerabilibus pressuris in vicino degentes frequenter afflixit. Ex quibus Comitem TETBALDVM à se fraudulenter captum tamdiu custodiæ mancipauit, donec vrbem Turonicam ab illo violenter extorqueret, cum nonnullis castellis. Hic ergo, obortis litium quibusdam fomentis, contra Vuillelmum Ducem cœpit atrociter moueri, Normanniámque rapinis vehementer demoliri, intra Danfrontis castrum seditiosis custodibus immissis. Quod Dux, militari vallatus manu, visendi obtentu aggressus, vt ipsum vidit scopulis asperrimis & eminentibus in gyro circundatum, & inaccessibile ad oppugnandum, vires Normannorum acciuit, & firmissimis castellis illud strinxit, ac aditus egrediendi obstruxit. In cuius procinctu dum aliquandiu moraretur, ecce adsunt exploratores, Alencium castrum absque suorum detrimento eum capere posse nunciantes. Qui confestim custodes intra castra disposuit, & cum exercitu tota nocte equitans diluculo Alencium venit, vbi in quodam municipio trans flumen posito quosdam se conuitiis subsannantes reperit. Quod acerrimè, concitatis militum animis, expugnans, festinanter cepit, ignéque iniecto exitialibus flammis cremauit. Illusores verò coram omnibus infra Alencium consistentibus, manibus priuari iussit & pedibus. Nec mora, sicut iusserat, triginta duo debilitati sunt. Pelles enim & renones ad iniuriam Ducis verberauerant, ipsumque pelliciarium despectiuè vocitauerant, eò quòd parentes matris eius * pelliciarij extiterant. Custodes autem castelli tam seueram austeritatem Ducis cognoscentes timuerunt, & ne similia paterentur, ilicò portas aperuerunt, Ducique castellum reddiderunt: malentes illud reddere, quàm cum suorum periculo membrorum tam grauia tormenta tolerare. Dux autem viriliter his peractis, militibúsque suis intromissis, celerrimè Danfrontem repetiit. Audientes itaque Danfrontani qualia Dux suis commilitonibus intulerit, & considerantes se à nullo posse iuuari, se & castellum eius tradiderunt dominatui. Inde verò custodibus positis egrediens, & prolixiùs tendens ad confutandum Comitem Goiffredum, AMBRERAS * venit, ibique super ora fluminis castellum condidit, quod alimoniis & militibus sufficienter muniuit. Quibus decenter expletis rebus, Rotomagum metropolim Normanniæ regressus est.

* al. pollinctores

* al. Amberras.

CAPVT XIX.

Quòd deposito Vuillelmo Vuerlenco de Comitatu Moritolij, Robertum vterinum fratrem suum subrogauit.

EADEM tempestate VVILLELMVS cognomento VVERLENCVS, de stirpe Richardi magni, Comes erat Moritolij. Ad eum aliquando quidam tyro de familia

A milia sua, nomine Robertus Bigot accedens, ait: Paupertate premor, domine mi; & in hac patria nequeo quæstum mihi necessarium lucrari. Quapropter ibo nunc in Apuliam, vt ibidem honorabiliùs viuam. Cui Vuillelmus ait: Quis tibi hoc persuasit? At ille respondit: Penuria, quam patior. Comes verò dixit: Si mihi credere vis, hîc nobiscum remanebis. Nam tale tempus ante octoginta dies in Normannia habebis, vt quæque tibi necessaria oculis videris, impunè manibus rapere poteris. Ille verò domini monitis adquiescens, remoratus est, & non multò post per Richardum Abrincatensem cognatum suum familiaritatem Ducis consecutus est. Qui dum quadam die priuatim loqueretur cum Duce, inter alia præscriptum Vuillelmi Comitis verbum ei retulit. Dux autem Vuillelmum ad se vocauit, & cur eiusmodi sermonem protulisset, interrogauit. At ille nec negare potuit, neque intentionem dicti declarare præsumpsit. Ob hoc iratus Dux, ait: Seditiosis tumultibus Normanniam perturbare decreuisti, & contra me rebellans me nequiter exhæredare disposuisti; ideóque rapacitatis tempus egeno militi promisisti. Sed nobiscum dono creatoris, vt indigemus, maneat pax perennis. Tu autem è Normannia B discede quantociùs, & huc dum vixero ne redeas vlteriùs. Vuillelmo itaque expulso, & Apuliam miserabiliter petente cum vno tantum armigero; Dux confestim ROBERTVM fratrem suum sublimauit, eique Moritoniensem Comitatum tribuit. Sic tumidos sui patris parentes asperè prostrauit, humilésque matris suæ propinquos honorabiliter exaltauit. Ceterùm, sicut in vulgari prouerbio dicitur: Stultus non verbis, non exemplis, sed plagis vix corrigitur; nec pertimescit, donec diros ictus accipit. Quod in subsequenti luce clarius apparebit exemplo.

VVILLELMVS II.

CAPVT XX.

De rebellione Vuillelmi Busacij Comitis Aucensis; & quòd idem exul ab Henrico Rege Francorum Comitatum Suessionicum dono accepit.

C SIQVIDEM, vt in superioribus manifestauimus, Dux Normannorum Richardus filius primi Richardi, cuidam fratri vterino nomine VVILLELMO dedit Comitatum Aucensem. Hic ex LESCELINA Comitissa habuit tres filios, ROBERTVM, VVILLELMVM, HVGONEM postea Episcopum Luxouiensem. Horum medius Vuillelmus cognomento BVSACIVS Ducatum sibi volens vendicare, cœpit contra Ducem minis & infestationibus ceruicem erigere. Verùm fortis Princeps nolens ei cedere, exercitum congregauit, & castrum OVCIS, donec illud caperet, obsedit, atque Vuillelmum rebellem cognatum suum exulare coëgit. At ille Henricum Regem Francorum expetiit, cui quid sibi contigisset flebiliter retexit. Rex verò ipsum, vt pote nobilem genere & formâ militem, benignè suscepit, & infortunio eius condolens Comitatum SVESSIONIS ei cum quadam nobili coniuge tribuit. Ex qua postmodum egregiam prolem iam felix exul suscepit, quæ patris honorem vsque hodie nobiliter regit. Tandem eiectis vel prostratis dissensionum famulis, omnis Normannia quieuit sub alis commodæ pacis.

D

CAPVT XXI.

Quòd Dux Vuillelmus duxit Mathildem filiam Balduini Flandrensis, neptem Henrici Regis.

IAM Duce iuuenili robore vigente, transcensis annis adolescentiæ, cœperunt Optimates eius de successione prolis cum eo attentiùs tractare. Audiens autem BALDVINVM Flandriæ Comitem quandam habere filiam regali ex genere descendentẽ, nomine MATHILDEM, corpore valdè elegantem, animóq; liberalem; hanc, suorum cõsultu missis legatis, à patre petiit vxorem. Ex cuius * proposito animi Balduinus Satrapa admodum gauisus, non modò petitam dari decreuit, verumetiam cum muneribus innumeris eam ad vsque Oucense castrũ adduxit. Vbi Dux militum stipatus cateruis aduenit, illámque sibi iure coniugali despondit, & cum

*al. eius.

VVILLELMVS II. maximo tripudio ac honore Rotomagi mœnibus intulit. Genuit autem ex ea procedenti tempore filios quatuor; ROBERTVM, qui post eum Ducatum Normanniæ aliquamdiu tenuit; & VVILLELMVM, qui regno Angliæ tredecim annis præfuit, & RICHARDVM, qui iuuenis decessit; & HENRICVM, qui fratribus, tam Regi, quàm Duci, successit: & filias quatuor. De quibus omnibus, tam viris, quàm feminis, Liber subsequens, qui de gestis nobilissimi Regis Henrici inscribetur, pro modulo nostro, Deo iuuante, pertractabit. A

CAPVT XXII.

De Monasteriis quæ ædificata sunt in Normannia tempore Vvillelmi Ducis.

IN diebus illis maxima pacis tranquillitas fouebat habitantes in Normannia, & serui Dei à cunctis habebantur in summa reuerentia. Vnusquisque Optimatum certabat in prædio suo Ecclesias fabricare, & Monachos qui pro se Deum rogarent rebus suis locupletare. Et quia diximus nobiles quosque Normannorum tunc temporis in fundis suis in ædificatione Monasteriorum promptissimos, libet nominatim exprimere eos, qui eo tempore Monasteria in eadem Prouincia construxerunt. Primum igitur ponam ipsum Ducem VVILLELMVM patrem patriæ, qui Monasterium sancti Victoris Ceracij à Duce Roberto patre suo, antequam Hierusalem pergeret, inceptum, cœpit & propagauit: vsquequo ipse Monasterium sancti Stephani, & vxor eius MATHILDIS Monasterium sanctæ Trinitatis, ædificauerunt Cadomi. VVILLELMVS verò filius Osberni, propinquus Ducis Vvillelmi, vir potens, & virtute tam animi quàm corporis laudabilis, duo Monasteria in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ, vnum apud Liram, in quo ADELINAM filiam ROGERII DE TOENIO vxorem suam postmodum sepeliuit: alterum apud Cormelias, in quo ipse mortuus conditus est, fecit. ROGERIVS etiam DE BELLOMONTE filius Humfridi de Vetulis in fundo suo Pratellis duo Cœnobia ædificauit, vnum Monachorum, alterum Sanctimonialium. B C

ROGERIVS DE MONTE-GVMERII pater Roberti de Belesmo, indignans videri in aliquo inferior suis comparibus, in honorem sancti Martini Ecclesias duas, vnam in Sagiensis vrbis suburbio, alteram in vico suo Troardo nobiliter construēs, greges Monachorum ibidem Deo militaturos posuit: tertiam etiam fecit apud Almanachias ad opus Sanctimonialium. LESCELINA verò Comitissa Aucensis, adiuta à filiis suis, Roberto Comite Auci, & Hugone Episcopo Luxouiensi, Cœnobium Monachorum sancti Petri super Diuam, & Monasterium Sanctimonialium ante vrbem Luxouiensem virili animo construxit. Filius verò illius, prædictus Comes Aucensis, Monasteriū sancti Michaëlis Vlteris-portus ædificauit. At ROGERIVS DE MORTVO-MARI filius * primi VVILLELMI DE VVARENNA, Monasterium sancti Victoris in proprio solo fundauit. RICHARDVS verò Comes Ebroicensis in eadem vrbe Monasterium sancti Saluatoris ad opus Sanctimonialium fabricauit. Idem Vicecomes apud Rotomagum in monte vrbi imminenti Cœnobium summæ Trinitati ex sumptu proprio consummans, Monachos ibidem Deo seruituros constituit. Monasterium Gresteni Robertus Comes Moritolij fecit. HVGO verò, postea Comes Cestrensis, Abbatiam sancti Seueri. At Ecclesiam sanctæ Trinitatis Exaquei EVDO cum Capello fecit. Balduinus etiam de Reuers aliam apud Montisburgum. Nigellus Vicecomes Constantiniensis Cœnobium sancti Saluatoris. Monasterium verò sanctæ Mariæ Lonleij VVILLELMVS TALAVACIVS primus, qui exciso nemore in monte quodam castrum nomine Danfrontem construxerat, à fundamentis ædificauit. Ecclesiam sancti Stephani Fontaneti RODVLFVS TAISSON & ERNEISVS frater eius construxerunt. Monasterium autem sancti Petri Castellionis RODVLFVS DE TOENEIO. D

*in edit. filius Vvalteri de sancto Martino, frater primi Vvillelmi de Vvarenna.

QVÆDAM verò Cœnobia eiusdē Prouinciæ antiquiora, quæ à Normannis adhuc paganis fuerant destructa, studio bonorum Principum reædificata sunt. ROLLO siquidem primus Normannorum Dux in primordio suæ conuersionis plurimas possessiones dedit Ecclesiæ sanctæ Mariæ Rotomagensis, & sanctæ Mariæ

A Baiocensis, & sanctæ Mariæ Ebroicensis, & Cœnobiis sancti Petri, sanctique Audoëni, & Gemmeticensi, & sancto Michaëli de periculo maris. VVILLELMVS verò filius eius ex integro Monasterium Gemmeticense restaurauit. RICHARDVS autem filius eius & successor, Fiscanni Cœnobium, & sancti Michaëlis de Monte, & sancti Audoëni Rotomagi. RICHARDVS verò secundus Monasterium sancti Vvandregisili, & alia Monasteria ab antecessoribus eius reædificata mirabiliter auxit. IVDITH verò vxor eius Ecclesiam sanctæ Mariæ Bernai fundauit. RICHARDVS verò tertius morte immatura præuentus, nullum Monasterium vel instituit, vel renouauit. At ROBERTVS frater eius, antequam Hierusalem pergeret, Monasterium sancti Vigoris Ceratij ædificare cœpit. Eodem etiam tempore venerabilis Abbas HERLVINVS Monasterium Beccense in honorem sanctæ Mariæ cœpit ædificare, de quo in Libro superiori pauca perstrinximus. Si quis verò conuersionem & conuersationem ipsius plenius nosse desiderat, librum qui de vita eiusdem patris venerandi eleganti sermone conscriptus est à viro religioso Gisleberto Crispino postea Abbate Vvestemonasterij, & tam nobilitate generis, quàm scien-B tiâ seculari & diuina pollenti perquirens relegat, in quo sufficienter reperiet vnde suo desiderio satisfaciat. Monasteriũ verò sancti Taurini & sancti Leufredi, & Villare-Monasterium, & Cœnobium sancti Amandi intra vrbem Rotomagensem inter antiquiora computanda sunt. Vnde constat illa priùs fuisse destructa, & iterùm reædificata. VVILLELMVS II.

CAPVT XXIII.

De restauratione Monasterij sancti Ebrulfi apud Vticum per Vvillelmum Geroianum, & Robertum & Hugonem de Grentemaisnilio nepotes suos.

IN illo tempore ROBERTVS DE GRENTEMAISNIL cernens mundi felici-C tatem in momento perire, cum fratre suo HVGONE disposuit Abbatiam Monachorum construere. Hic verò in infantia literarum scientiam perceperat, sed postea literis aliquantum intermissis, quinque annis armiger Ducis fuerat: à quo postmodum militari ense accinctus ingentia dona receperat. Sed non multò post, vt dictum est, instinctu Dei omnia spreuit, Cœnobiumque facere, Monachúsque fieri firmiter decreuit. Quod audiens VVILLELMVS Geroij filius, valde lætatus est, ac ad Robertum & Hugonem accedens, sic loquutus est: Audio vos, ô carissimi mei nepotes, erga Dei cultum feruere, quinetiam Monachile Monasterium velle construere. Vnde vehementer gaudeo, & me vos in hoc opere adiuturum gratanter spondeo. Sed tamen ad hanc fabricam quem locum elegistis, & quid ibidem Christo militantibus collaturi estis? At illi responderunt: Apud Nuceretum, iuuante Deo, castrum ei stabilire cupimus, & Ecclesias decimásque nostras, & alia quæ poterimus pro posse paupertatis nostræ dabimus. Vvillelmus dixit: sanctus Benedictus Monachorum magister iubet Monasterium ita constitui, vt omnia necessaria, id est aqua, molendinum, pistrinum, hortus, vel artes diuersæ infra Monasterium exerceantur, ne sit Monachis necessitas vagandi foras, quia omninò non expedit animabus eorum. Nucereti verò rura quidem satis fertilia sunt, sed copia siluæ, ac D habilis lympha, quibus Monachi maximè indigent, procul absunt. Cúmque ipsum rogarent, vt quid sibi visum fuerit, super hac re proferret, dixit: Tempore CLOTHARII Regis Francorum, filij CLODOVEI, qui primus in Regibus Gallorũ baptizatus est à beato Remigio Archiepiscopo Remorum, sanctus EBRVLFVS Baiocis natus inter Proceres regios fulsit stemmate nobilitatis & census. Hic pro amore Dei seculi pompam contemnens, Monachus factus est, & post aliquantum temporis cum tribus Monachis in eremũ profectus est. Ibi quippe putabat se posse homines latêre, & cum diabolo per auxilium Dei fortius pugnare. Qui dum flexis genibus Deum deuotè obsecraret, vt aptum mansionis locum sibi monstraret, Angelus à Deo missus ei affuit, eúmq; Vticum perduxit. Præfatus autem seruus Dei, regnantibus HILPERICO & SIGIBERTO Clotharij filiis, illic Cœnobiũ condidit, & latrones, qui siluam incolebant, vtilibus minis & exhortationibus terruit, eós-

VUILLELMUS II. que relictis latrociniis aut Monachos, aut agricolas fecit. Ibi pro amore Dei magnam paupertatem patienter tolerauit, & insignem fidelium Monachorum multitudinem aggregauit. Ibi duos mortuos in nomine Domini resuscitauit, & multa alia, quæ enumerare perlongum est, miracula perpetrauit. Denique anno ab incarnatione Domini DXCVI. ætatis verò suæ LXXX. residēte in sede Apostolica GREGORIO summo Doctore, & Anglorum Apostolo, beatus Ebrulfus IV. Kal. Ianuarij ex hoc mundo migrauit, & mercedem laborum suorum in cælestibus à Domino recepit. Deinde post annos ferè trecentos, tempore KAROLI SIMPLICIS filij LUDOVICI cognomine NIHIL-FECIT, Conditor noster multiplicata plebis suæ in his partibus consistentis crimina punire voluit. Eius igitur permissu HASTINGUS perditionis filius in Neustriam venit, & Rotomagum ac Beluacum, aliásque ciuitates igne combussit. Plura quoque destruxit Cœnobia sanctorum Patrum, scilicet Philiberti apud Gemmeticum, Vuandregesili apud Fontinellam, Ebrulfi apud Vticum, & sancti Martini Turonis, quod dicitur Maius-monasterium, & alia multa Monachorum, Clericorum, atque Sanctimonialium. Quædam eorum à bonis Principibus postmodum restaurata sunt, nonnulla verò adhuc in solitudine degunt. Fortasse vobis fastidio est hæc nostra tam prolixa locutio, quam si suscipitis benigno animo, commodam vobis fore, ô chari nepotes, æstimo. Nunc autem quod mente reuoluo, expectationi vestræ breuiter propalabo. Apud Vticū, sancti Ebrulfi Cœnobium, iuuante Deo, restauremus, & fideles Monachos contra Zabulum dimicaturos illic aggregemus. Omnes Ecclesias decimásque nostras illis tradamus, & nos cum fratribus & filiis & nepotibus nostris vsque ad mortem illis seruiamus. Non enim debemus illis dominari, sed famulari: vt eorum precibus mereamur adiuuari, & in amœnitate Paradisi quandóque beari. Cúmque Robertus & Hugo gratanter hæc suscepissent, & qualitatem loci solerter inquirerēt, magnanimus heros Vuillelmus adiecit: Vticensis locus, ad quem Deus venerabilem Ebrulfum per Angelum suum direxit, pauperibus spiritu, quibus regnum cœlorum promittitur, satis congruit. Nam vetusta sancti Petri Basilica ibidem adhuc permanet; & amplus ager, vbi hortus & viridaria fieri possunt, circumiacet. Terra quippe inculta & sterilis est, sed Dominus seruis suis parare mensam in deserto potens est. Piscosa quidem flumina, & vberes vineæ desunt. Sed densum nemus, & habiles ad bibendum fontes præstò sunt. Multorum quoque Sanctorum corpora ibidem requiescunt, quæ cum ingenti gloria in extremo die resurrectura sunt. Iam quod summopere cupio audistis, nunc considerate quid agere velitis. Illis autem consiliū eius approbantibus, & se in omnibus ipsi obsecundare pollicentibus, iterum intulit sagax Vuillelmus: Si placet, Monachi citò requirantur, & Vtico tam liberè constituantur, vt exinde à nobis vel heredibus nostris nulli redditus exigantur, nisi vnus solummodò: scilicet, vt serui Dei nobis orationibus suis suffragentur. Et ne aliquando instinctu dæmonis eos aliquo modo infestare possimus, præfatum Cœnobium totius Normāniæ Duci ad tuandum contra nos & posteros nostros, omnésque mortales, vltrò commendemus. Vt videlicet, si præter spirituale beneficium aliquid seruitij seu muneris violenter exegerimus, principali seueritate salubriter coërciti, tirones Dei molestare vel inuiti cessemus. Post hæc, pariter Ducem adierunt, eique suum velle luculenter insinuauerunt. At ille votis eorum benigniter fauit, & inde chirographum auctoritatis suæ in SALTU-LEONIS sanxit, & Episcopis ac Baronibus Normannicis ad confirmandū tradidit. MALGERIUS itaque Archiepiscopus Rotomagensis primus subscripsit. Deinde Præsules subscripserunt, Hugo Luxouiensis, & Odo Baiocēsis: Vuillelmus Ebroicensis, atque Gislebertus Abbas Castellionis. Tunc domnus THEODERICUS Gēmeticensis Monachus electus est, eique Vticensis Abbatiæ cura cōmissa est.

1050. ANNO igitur Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimo, Indictione IV. Leone Papa in sede Apostolica residente, necnon Henrico II. Christianissimo Augusto, CONONIS Saxonum Ducis filio, imperante, Monasterium sancti Ebrulfi à sæpè dictis Optimatibus, Vuillelmo Geroiano, & nepotibus suis Roberto & Hugone de Grentemaisnilio, apud Vticum restauratum est. Ibi venerabilis Theodoricus magnæ religionis Monachus Non. Octobris, die Dominico, à domino Hugone Luxouij Pontifice ante altare sancti Petri solemniter consecratus est. Sequenti quoque anno nobilis Robertus Cœnobij fundator ibidem Monachus factus est,

A multósque labores postea in procuratione seruorum Dei perpessus est. Non multò post Geroianus Vvillelmus pro quibusdam rationabilibus causis in Apuliam missus est, ibíque dum redire cœperat, apud Caietam Nonis Februarij defunctus est. Vvillelmus de Monasteriolo filius eius in Apulia magnæ sublimitatis eques erat, Græcos & Langobardos armis premebat, & vicario sancti Petri Apostoli subdebat. Vvillelmus II.

Capvt XXIV.

Quòd Malgerius Archiepiscopus Archiepiscopatum Duci reddidit, & ille Maurilium Monachum subrogauit.

EO tempore Malgerivs Archipræsul Rotomagensis desipere cœpit, & insipientiâ ductus Archipræsulatum Duci reddidit. Dux autem Malgerium in insula, quæ dicitur Ghernervia * retrusit, & Synodi decreto Metropolitanam sedem Maurilio Fiscannensi Monacho multis virtutibus excellenti tradidit. Tunc etiam Normannos discordia turbauit, eósque vicinorum, qui bella paci præponebant, cruores effundere compulit. Enimuerò, ex quo Normanni arua Neustriæ cœperunt incolere, mos fuit Francis semper eis inuidêre. Concitabant ergo Reges aduersus illos insurgere, asserentes terras quas possident suis maioribus violenter eos surripuisse. Quibus Rex Henricvs vehementer irritatus, ambagibus, imò malignissimis æmulorum suggestionibus, ob Ducis imperium, duobus hostium agminibus Normanniam est aggressus. Vnum quidem electæ nobilitatis virorum fortium, ad Calcinvm subuertendum territorium, direxit: cui fratrem suum nomine Odonem præfecit. Alter verò cum Goiffredo Martello, ad demoliendum Comitatum Ebroicensem, ipse præfuit. Dux ergo vt se, suósque taliter opprimi vidit, magno & nobili tactus dolore milites protinus elegit, quos ad comprimendos Calceij subuersores celerrimè direxit. Ipse autem cum suorum nonnullis circa Regem se contulit, quatenus pœnas lueret, si quem satellitum à Regis latere abstrahere aliquatenus valeret. Venientes verò Normanni ad Francos, repererunt eos apud Mortuum-mare in incendiis & mulierum ludibriis occupatos. Cum quibus ilicò mane commissum bellum in continua cæde occũbentium ad vsque nonam ab vtrisque est protractum. Nouissimè autem Francigenæ victi fugerunt, & Normanni euentum Duci mox per nuncios intimauerunt. At ille nimis lætus super hac re, Henricum Regem volens effugare, terruit eum eius legatione. Nuncius Ducis regalibus castris appropiauit, & in quodam proximo monte noctu stans fortiter clamare cœpit. Cúmque Regij vigiles sciscitarẽtur, quis esset, vel quare tali hora sic vociferaretur, respondisse fertur: Rodulfus de Toënia nominatus sum, vobísque defero lugubre nuncium. Ad Mortuum-mare currus vestros cum carris ducite, & indè cadauera charorum vestrorum reportate. Franci quippe Normannorum militiam experiri super nos venerunt, eámque multò maiorem quàm voluissent inuenerunt. Odo signifer eorum turpiter fugatus est, & Vvido Pontiui Comes captus est. Reliqui omnes capti, aut perempti sunt, aut obnixè fugientes vix euaserunt. Hoc ex parte Ducis Normannorum confestim renunciate Regi Francorum. Rex igitur vt infortunium suorum agnouit, à Normannica infestatione concito gradu, quantociùs valuit, mœstus de interitu Gallorum retro pedem retraxit. Hæc pugna anno Dominicæ incarnationis MLIV. facta est. 1054.

* Gernsy.

Capvt XXV.

Quòd Dux Vvillelmus castrum Bretolium construens, Vvillelmo filio Osberni commisit, & de vxore eiusdem.

POstea Dux contra Tegulense castrum, quod Rex illi dudum abstulerat, aliud oppidum non deterius, quod Bretolivm vsque hodie vocatur, instaurat: & Vvillelmo Osberni filio ad custodiendũ cõtra cunctos sibi aduersantes cõmendat. Hic legitimus & liberalis vir Adelizam Rogerij Toënitæ filiam in coniugio

Vvillelmus II. habuit, ex qua duos filios, Vvillelmvm, & Rogerivm Contumacem procreauit, & vnam filiam, quæ postea Rodvlfo Comiti genere Britoni nupsit, atque cum eodem in diebus Vrbani Papæ Hierusalem perrexit. Præfatus heros duo Cœnobia Monachorum sanctæ Mariæ cœli Reginæ condidit. Vnum apud Liram, vbi Adelizam coniugem suam sepeliuit: & alterum apud Cormelias, vbi ipse quiescit, & Rodulfus filius eius à pueritia Monachus Deo diu militauit. Ipse quoque cum Vvillelmo Duce Anglos maximè perdomuit, & Comitatum Herfordiæ cum magna parte regni sensu & viribus obtinuit. Denique anno ab incarnatione Domini mlxx. cum Philippo Rege Francorum Flandriam perrexit, volens Baldvino Mathildis Reginæ nepoti subuenire. Robertvs autem Frisio cum exercitu Henrici Imperatoris sociato cuneis suis, x. Kal. Martij, Dominico Septuagesimæ imparatos manè præoccupauit; & Philippo cum Francis fugiente, Balduinum nepotem suum, & Vvillelmum Comitem telis suorum occidit. Postea Flandriæ Ducatum diu tenuit, moriénsque filiis suis, Roberto Hierosolymitano, & Philippo dereliquit. Nunc ad ordinem historiæ redeamus. A

Capvt XXVI. B

Quæ fuit causa, vt duo Cœnobia Cadumi construerentur.

Vvillelmvs Dux, dum à quibusdam Religiosis sæpiùs redargueretur, eò quòd cognatam suam sibi in matrimonio copulasset; missis legatis, Romanum Papam super hac re consuluit. At ille sagaciter considerans, quòd si diuortium fieri iuberet, fortè inter Flandrenses & Normannos graue bellum exurgeret, maritum & coniugem à reatu absoluit, eísque pœnitentiam iniunxit. Mandauit enim, vt ab eis duo Cœnobia conderentur, in quibus pro ipsis ab vtróque sexu Deo sedulò preces offerrentur. Quod illi gratanter opere compleuerunt. Nam apud Cadomum vna constructa est Abbatia in honore sanctæ Trinitatis, alterà verò in honore sancti Stephani protomartyris. In Cœnobio quippe sanctæ Trinitatis Sanctimonialium chorus Deo laudes cotidie concinit, quibus ancilla Dei Mathildis Abbatissa ferè xlviii. annis præfuit. Ibi Mathildis Regina mlxxxi. Dominicæ incarnationis anno, iii. Non. Nouembris, sepulta est. Ibi quoque Cecilia virgo filia eius Deo consecrata est, & in seruitio Dei diu commorata est. Porrò, in Cœnobio sancti Stephani Monachorum exercitus dæmonicæ phalãgi resistit, quorum primus Abbas domnus Lanfrancvs Beccensis Monachus extitit. Hic verò fuit genere Langobardus, moribus mitis & religiosus, & tam secularis quàm spiritualis scientiæ peritissimus. Qui post aliquot annos, annitente Alexandro Papa, Cantuariorum Archiepiscopatum suscepit, & post multum temporis, anno ab incarnatione Domini m c. vi. Kal. Iunij obiit. Post ipsum Vvillelmvs Monachus, Radbodi Sagiensis Episcopi filius, Cadomensis Ecclesiæ regimen tenuit, qui & ipse post Ioannem metropolitã Rothomagensem Archiepiscopatum suscepit. Deinde Gislebertvs Constantiniẽsis callidus Cadomi rector factus est. Cuius tempore Vvillelmus Dux Normannorum & Rex Anglorum, mlxxxvii. Rotomagi, v. Idus Septembris mortuus est, & in Ecclesiæ sancti Stephani honorificè Cadomi sepultus est. Hæc per anticipationem dicta sufficiant. Venerabilis autem Theodericus, postquam Cœnobium sancti Ebrulfi ferè viii. annis rexit, pro quibusdam tumultibus sibi excitatis à domno Rodberto de Grentemaisnilio, qui tunc Prior erat, Maurilio Archiepiscopo, & Hugoni Episcopo curam animarum reddidit. Absolutus itaque ab eis, vt pote filius pacis, ire Hierusalem decreuit. Qui dum in Cyprum insulam cum quodam venerabilis vitæ peregrino Episcopo ad quandam Ecclesiam sancti Nicolai venisset, humi prostratus coram altari diutiùs orauit, ibíque in oratione Kal. Augusti beatum Deo spiritum reddidit. Insulani verò, comperta sanctitate talis peregrini, corpus eius in Ecclesia sepelierunt. Cuius meritis in ægrotis multa sanitatum miracula diuinitus ostensa sunt. C D

A

CAPVT XXVII.

Quòd Dux Vuillelmus vrbem Cenomannicam, & castrum Meduanum expugnauit & cepit.

MAGNIFICVS Dux Vuillelmus, Francorum cateruis competenter deuictis, memor opprobrij à Goiffredo Comite sibi illati, ad vrbem Cenomannicam per aliquot annos arma conuertit. Quis igitur explicare poterit, quot militum incursibus, quot legionum expeditionibus illam afflixerit? Ad postremum victi Cenomanni, iam castellis per cunctum Comitatum subactis, dextras Duci dederunt, fidem pangentes illi artissimis sacramentis. In quorum medio ad domandam eorum insolentiam, duo municipia in Pôte-Barbato, seu Barbello, stabiliuit, suisque militibus custodienda commisit. Meduanum verò castellum cuiusdam opulenti militis nomine Goiffredi adhuc restiterat, quod Dux exercitibus applicitis aliquandiu oppugnans cepit, ignéque iniecto per duos pueros, qui clam ad ludendum cum oppidanis infantibus intrauerant, combussit. Quod iterum restaurauit, & custodibus suis mancipauit.

B

CAPVT XXVIII.

Quomodo Henricus Rex Francorum apud vadum Diuæ exercitum amisit, & postea Duci reconciliatus eidem castrum Tegularias reddidit.

REx autem Henricus iniuriam sibi à Duce illatam toto annisu cupiens vlcisci, sumpto Goiffredo Comite Andegauési, copiosissimo cum exercitu iterata expeditione Normanniam aggreditur. Qui Comitatum pertransiens Oximensem, & penetrans Baiocacensem, tandem reflexo calle redeundi vadum Diuæ appetiit. Quod Regé transeunte, media exercitus pars substitit, mari eructuante, ob redundationem fluminis non valens transmeare. Cum quibus Dux acriter superueniens sub Regis oculis ilicò congressus, tanta illos cæde prostrauit; vt quos gladius non extinxit, hos per Normaunica côpita dispergeret violétia diræ captiuitatis. Videns autem Rex suorum interitum, quantocius valuit à Normannis recessit, & ad eos vltra venire non apposuit. Amicitiam quoque Ducis, considerata eius probitate, requisiuit; & Tegulense castrum, quod dudum abstulerat, illi tradidit. Sæpedictus Rex valde fuit militaris, magnæque fortitudinis, & pietatis. MATHILDEM * IVLIVSCLODII Regis Rugorum filiam in matrimonio habuit, ex qua duos filios, PHILIPPVM, & HVGONEM, vnamque filiam genuit. Qui postquam regnum Galliæ ferè xxv. annis rexit, causâ corporeæ salutis à Ioanne medicorum peritissimo potionem accepit. Sed veneno nimiam sitim inferente iussum Archiatri spreuit, & à cubiculario potum accipiens, dum medicus abesset, ante purgationem bibit. Vnde nimis infirmatus, eodem die post perceptionem sacræ Eucharistiæ obiit. Philippum verò filium suum in regimine Francorum heredem constituit, & tutelæ BALDVINI Flandrensis Satrapæ commendauit.

C

D

**alij Annam vocant. Fuitque secunda vxor, Mathildis verò prima.*

CAPVT XXIX.

Quòd delationibus quorundam Dux Vuillelmus aliquos de Baronibus suis eiecit de Normannia.

TVNC quibusdam maledicis vicinos comparésque suos accusantibus ex inuidia, Dux Vuillelmus exasperatus ingenti furia Barones suos, scilicet Rodulfum de Toënia, Hugonem de Grentemaisnilio, & Ernaldum Vuillelmi Geroiani filium, eiecit de Normannia. Abbatem quoque Rodbertum, qui iam tribus annis Cœnobium sancti Ebrulfi rexerat, quia de audaci Geroicorum prosapia prodierat, sine reatu & iudicio Synodi de Normannia expulit, & quendam Monachum nomine Osbernum ei subrogauit. Rodbertus Romam petiit, & NICOLAO Papæ causam

VVILLELMVS II. suam intimauit. Sed quoniam prædictus Præsul paulò pòst defunctus est, nil rectitudinis per eum consequutus est. Denique venerabilis Rodbertus cum XI. Monachis Alexandrum Papam adiit, & eius iussu RODBERTVM Calabriæ Ducem cōpatriotam suum expetiit. A quo honorificè susceptus est, eique locus ad construendam Abbatiam in vrbe Brixa nomine datus est. Britones, vt fertur, antiquitus iussu Romanorum, qui tunc per totum orbem imperabant, de finibus suis egressi sunt. Deinde, Romanis iubentibus, supra litus Calabrici maris Brixam vrbem condiderunt: sed eam post plures annos diuersi bellorum tumultus destruxerunt. Singulis enim annis Agareni nauigio in Italiam veniebant, & Græcis ac Langobardis, qui terram incolebant, ignauiâ torpentibus, crudelitatem suam nimis exercebant. Nam vrbes & oppida concremabant, Ecclesias destruebant, virósque cum mulieribus captiuabant. Hoc per multa secula frequenter fecerunt.

CAPVT XXX.

Quo tempore primùm Normanni in Apuliam perrexerunt, & de Principibus Normannis, quorum Ducatu Apuli subacti sunt.

DEINDE temporibus Henrici Imperatoris filij Cononis, & Roberti Normannorum Ducis, OSMVNDVS DRENGOTVS audax miles Apuliam adiit, cum quibusdam aliis Normannis. Nam VVILLELMVM cognomento REPOSTELLVM militem clarissimum in venatione in præsentia Roberti Ducis occiderat, metuénsque animositatem Ducis, & insignis equitis nobilium parentum iras, in Apuliam secessit, & propter magnam probitatem eius à Beneuentanis honorificè detentus est. Deinde præfati Drengoti exemplo, agiles Normannorum seu Britonum tyrones incitati, Italiam diuersis temporibus expetierunt, & primò iuuare Langobardos contra Sarracenos, siue Græcos, viriliter cœperunt, Barbaros bello sæpiùs protriuerunt. Vnde cunctis eorum vires expertis formidabiles facti sunt. Langobardi verò, adepta securitate, cœperunt Normannos despicere, eísque debita stipendia subtrahere. At illi, vt hoc animaduerterunt, quendam ex suis super se Principem constituerunt, & contra Langobardos arma verterunt. Deinde munitiones ceperunt, & incolas terræ sibi fortiter subegerunt. Primus Apuliensibus Normannis, dum adhuc vt aduenæ VVAIMALCHI Ducis Salernij stipendiarij erant, præfuit TVRSTINVS cognomento SCITELLVS, vir in multis probitatibus admodum expertus. Qui inter reliqua virtutis suæ indicia capram leoni ex ore rapuit, ipsúmque leonem pro ablata sibi capra furentem nudis manibus arripuit: & vltra murum Palatij præfati Ducis velut catellum quemlibet proiecit. Langobardi verò ex inuidia commoti contra ipsum, mortem eius optantes, duxerunt eum in quendam locum, vbi morabatur immanis draco cum magna multitudine serpentium. Deinde vt draconem venire senserunt, confestim fugerunt. Turstinus autem ignarus doli, dum socios suos fugere cerneret, & obstupescens causam tam subitæ fugæ ab armigero suo inquireret, en repente flammiuomus draco illi occurrit, & caput sonipedis eius hianti ore inuadit. At ille abstracto ense viriliter feriens feram mox peremit: quinetiam ipse venenoso flatu infectus tertio die obiit. Nam clypeum eius, quod mirum dictu est, flamma ex ore draconis erumpens momento totum combussit. Defuncto autem Turstino, Normanni Principes sibi RANVLFVM & RICHARDVM elegerunt, quibus ductoribus mortem Turstini vlciscentes, contra Langobardos asperè rebellauerunt. Post aliquot tempus, Constantiniensis DROGO filius TANCREDI DE ALTA-VILLA Princeps Normannorum in Apulia factus est. Hic Christiana religione, & militari probitate laudabilis extitit. Quem VVAZO Neapolitanus Comes compater eius, dum vigilias in Ecclesia beati Laurentij IV. Idus Augusti agerent, coram altari Deum & sanctum Laurentium inuocantem trucidauit. Porro VMFRIDVS frater eius in Principatus ei successit, totámque Apuliam Normannis subegit. Qui postquam finem vitæ sibi adesse perspexit, ABAILARDVM filium suum ROBERTO fratri suo, quē pro versutiis VVISCHARDVM cognominauerat, cum Ducatu Apuliæ commendauit. Robertus autem fratres suos, qui omnes Duces vel Comites fuerunt, virtute, & sensu, ac subli-

A nitate transcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, ac Siciliam sibi subiugauit,& transmeato mari maximam partem Græciæ inuasit, & ALEXIVM Imperatorem, qui contra dominum suum MICHAELEM Augustum nequiter rebellauerat, bello turpiter cum immenso exercitu victum fugauit. Hic verò multa bona fecit, Episcopatus & Abbatias plures restaurauit. Hic, sicut suprà diximus, domnum Rodbertum Abbatem sancti Ebrulfi benigniter suscepit, & quandam paruam Ecclesiam supra litus Calabrici maris sitam, quæ in honore sanctæ Eufemiæ virginis & martyris dedicata erat, ei tribuit. At ille, vt erat magnanimus, ingens Cœnobium ibi condidit, & magnam multitudinem Monachorum ad militandum Deo ibidem congregauit. Episcopi & nobiles viri prædictum patrem Rodbertum diligebant, venerabantur, totísque nisibus adiuuabant. Curam quippe corporis sui parui pendebat, sed sibi subiectos victu & vestitu sufficienter alebat, & mentes eorum regulari disciplina coërcens componebat. Præfatum itaque Cœnobium ferè XVII. annis rexit, Idibúsque Decembris feliciter ad Dominum migrauit.

VVILLELMVS II.

B

CAPVT XXXI.

Quòd Heraldus Duci Vuillelmo fidelitatem fecit, quam mortuo Eduuardo Rege periurus infregit.

EDVVARDVS Anglorum Rex, disponente Deo, successione prolis carens, olim miserat Vuillelmo Duci Rodbertum Cantuariorum Archipræsulem, ex regno à Deo sibi attributo illum statuens heredem. Deinde HERALDVM cunctorũ suæ dominationis Comitem diuitiis & honore ac potentia maximum Duci destinauit, vt ei de Corona sua fidelitatem faceret, ac Christiano more sacramentis firmaret. Qui dum ob hoc negocium venire contenderet, velificato freto ponti Pontiuum appulit: vbi in manus VVIDONIS Abbatisuillæ Comitis incidit. Quem idem Comes captum cum suis confestim in custodia trusit. Dux autem vt hoc comperit, missis legatis violenter illum extorsit. Quem aliquandiu secum demorari fecit, & in expeditione contra Britones adduxit. Deinde Dux, postquam Heraldus fidelitatem C sibi de regno pluribus sacramentis firmauit, ADELIZAM filiam suam cum medietate Anglici regni se daturum eidem spopondit. Postremo ipsum cum multis muneribus Regi remisit, & pulchrum adolescentem Vulnotum fratrem eius obsidem retinuit. Denique EDVVARDVS Rex, completo felicis vitæ termino, sub anno MLXV. Dominicæ incarnationis migrauit è seculo. Cuius regnum Heraldus 1065. continuò inuasit, ex fidelitate peieratus, quam iurauerat Duci. Ad quem Dux protinus legatos direxit, hortans vt ab hac insania resipisceret, & fidem, quam iuramento spoponderat, condigna subiectione seruaret. At ille non solùm hoc audire contempsit, verùm omnem Anglorum gẽtem ab illo infideliter auertit. GRITHFRIDI quoque Regis Vuallorum, postquàm hostilis eum gladius peremit, pulchram coniugem ALDITH, præclari Comitis ALGARI filiam, sibi vxorem iunxit. In diebus illis, in parte Circij cometes apparuit, quæ tribus radiis longiùs protensis, maximam partem Austri per spacium quindecim noctium illustrauit; & mutatio D nem, vt plurimi asseruerunt, alicuius regni designauit.

CAPVT XXXII.

*Quòd Dux Vuillelmus Tustinum * Comitem in Angliam misit, qui ad Regem Northvvegæ timore Heraldi confugit.*

* infrà Tosticum

PORRO Dux TOSTICVM Comitem in Angliam misit, sed militia Heraldi mare seruans eum armis abegit. At ille non valens salubriter Angliam introire, neque Normanniam, quia ventus obstabat, redire, HERALDVM HERFAGAM Northvvegæ Regem adiit, ipsúmque supplex vt se iuuaret rogitauit. Ipse verò precanti Tostico libenter adquieuit. Eodem anno domnus OSBERNVS Abbas, postquam Cœnobio sancti Ebrulfi quinque annis & duobus mensibus præfuit, vir bonus, & de subiectis sibi sollicitus, VI. Kal. Iunij obiit. Cui sagax MAINNERIVS

VVILLELMVS II. eiusdem Cœnobij Monachus successit, & nouam Ecclesiam, omnésque domos Monachis congruas, Deo iuuante, & temporis felicitate fauente construxit. Qui postquàm XXII. annis Monasterium rexit tempore Roberti ignaui Ducis, & Gisleberti Maminoti Luxouiensis Episcopi, II. Non. Martij obiit. Vticensis verò Abbatiæ regimen elegantissimo SERLONI, peritiâ Scripturarum & eloquentia pollenti, reliquit: qui post duos annos & tres menses Præsulatum Sagiorum Dei gratia suscepit. A

CAPVT XXXIII.

De morte CVNANI *Comitis Britannorum.*

TEMPORE quo Vuillelmus Dux disponebat Angliam adire, & armis eam sibi vendicare, audax CHVNANVS Comes Britanniæ nisus est eum, missa legatione huiusmodi, terrere: Audio te, inquit, nunc velle trans mare proficisci, & Angliæ tibi regnum nancisci. Inde multum gaudeo, sed vt mihi Normanniam reddas obsecro. ROBERTVS autem Dux Normannorum, quem tu fingis esse patrem tuum, iturus in Hierusalem, ALANNO patri meo, consobrino scilicet suo, commendauit omnem suam hereditatem. Tu autem, cum complicibus tuis Alannum patrem meum apud Vvinmusterium in Normannia veneno peremisti, & terram eius, quam ego quia puer eram possidere nequibam, inuasisti; & contra fas, cùm sis nothus, hucúsque tenuisti. Nunc igitur aut mihi debitam redde Normanniam, aut ego tibi totis viribus bellum inferam. His auditis, Vuillelmus Dux aliquantulum territus est. Sed mox eum Deus, frustratis inimici minis, eripere dignatus est. Vnus enim ex Proceribus Britonum, qui vtrique Comiti iurauerat fidelitatem, & huiusmodi legationem inter eos ferebat, lituum Chuningi, & habenas, atque chirotecas intrinsecus liuit veneno. Erat quippe Cubicularius Chuningi. Tunc idem Comes Britonum in Andegauensi Comitatu Castellum-Guntherij obsederat, & oppidanis militibus sese illi dedentibus suos intromittebat. Interea Chuningus chirotecas suas incautè induit, tactísque habenis, manum ad os leuauit. Cuius tactu veneno infectus est, & paulò pòst omnibus suis lugentibus defunctus est. Hic multum sagax fuit & probus, ac amator iustitiæ. Qui si diu vixisset, multa bona vt fertur fecisset, ac ad regendum honorem vtilis fuisset. Proditor autem cõscius sui reatus, mox de expeditione aufugit, & mortem Chuningi Vuillelmo Duci mandauit. B C

CAPVT XXXIV.

De numero nauium, quem Dux Vuillelmus duxit in Angliam.

VVILLELMVS igitur securus effectus, in Anglos omnem vim furoris conuertit. Considerans autem Heraldum quotidie viribus roborari, classem ad tria millia nauium festinanter & benè construi iussit, & in Pontiuo apud sanctum Vvalericum in anchoris congruè stare fecit. Ingentem quoque exercitum ex Normannis, & Flandrensibus, ac Francis, & Britonibus aggregauit: atque præparatam classem tam valentibus equis, quàm robustissimis hominibus cum loricis & galeis repleuit. Omnibus itaque paratis, vento flante secundo, velis in sublime pansis, trans mare Penuesellum appulit, vbi statim firmissimo vallo castrum condidit, probísque militibus commisit. Deinde festinus Hastingas venit, ibique cito opere aliud firmauit. HERALDVS autem, dum Normanni intrauerunt regnum, quod ipse vsurpauerat, contra TOSTICVM fratrem suum bello occupatus erat. In quo conflictu prædictum fratrem suum peremit, ac Heraldum Regem Northvvegæ, qui Tosticum iuuare venerat. Hæc pugna Nonis Octobris, in die sabbati facta est, in qua penè totus Northvvigenarum exercitus ab Anglis cæsus est. Inde victor Heraldus Lundoniam rediit, sed de fratricidio diu gaudere, vel securus esse non potuit; quia legatus ei Normannos adesse mox nunciauit. D

A Vvillelmvs II.

Capvt XXXV.

Quòd Heraldus tyrannus consilium matris suæ & fratris, bellum contra Normannos dissuadentium, spreuit.

Ipse verò audiens, acriores aduersarios ex alia parte surrexisse, iterum ad agonem viriliter præparauit se. Erat enim multũ audax & probus, toto corpore pulcherrimus, eloquentiâ lepidus, & affabilis omnibus. Porro matre sua, aliisque amicis fidelibus bellum ei dissuadentibus, dixit ei Vvorth Comes frater suus: Oportet, " cariſſime frater & domine, vt probitas tua temperetur discretionis moderamine. " Nunc ex prælio Northvvigenarum fessus venisti, iterúmque nunc festinas contra " Normannos præliari. Quiesce, quæso. prudenter tractare tecum velis, quid cum " sacramentis Consuli Normanniæ promiseris. Caue ne periurium incurras, & pro " B tanto scelere tu cum viribus nostræ gentis corruas, nostræque progeniei permansu- " rum dedecus exindè fias. Ego liber ab omni sacramento, Vvillelmo Comiti nihil " debeo. Audacter igitur contra illum pro natali solo certare paratus sum. Tu autem, " frater mi, quo vis in pace quiesce, & euentum belli præstolare, ne clara libertas An- " glorum pereat in tua pernicie. His itaque auditis sermonibus, Heraldus vehemen- " ter est indignatus. Consilium istud, quod amicis eius salubre videbatur, spreuit; & germanum suum, qui fideliter ei consiliabatur, conuitiis irritauit: matrémque suã, quæ nimis ipsum retinere secum satagebat, pede procaciter percussit. Deinde per sex dies innumeram multitudinem Anglorum contraxit, Ducem incautum accelerans præoccupare, tota nocte equitans in campo belli apparuit manè.

Capvt XXXVI.

Quomodo Dux Normannorum Vvillelmus Anglos sibi rebelles deuicit.

C Dvx verò nocturnos præcauens excursus hostis, inchoantibus tenebris ad gratissimam vsque lucem exercitum iussit esse in armis. Facto autem diluculo Sabbati, legiones militum in tribus ordinibus disposuit, & horrendo hosti intrepidus obuiam processit. Cum quo, sub hora diei tertia bellum commisit, & in cædibus ab vtráque parte morientium vsque ad noctem protraxit. Heraldus etiam ipse in primo militum progressu vulneribus lethaliter confossus occubuit. Angli verò postquàm tota die fortiter in conflictu perstiterunt, Regémque suum morte oppressum compererunt; iam de salute sua diffidere cœperunt, & nocte imminente versa facie subsidium fugæ appetierunt. Itaque Normanni, dum Anglos fugere viderunt, tota nocte Dominica eos ad detrimentum sui obnixè persecuti sunt. Nam crescentes herbæ antiquum aggerem tegebant, vbi summoperè currentes Normanni cum equis & armis ruebant, ac sese, dum vnus repente super alterum cadebat, vicissim extinguebant. Ibi nimirum, vt ferunt, fermè xv. millia perierunt. Sic omnipotens Deus pridie Idus Octobris innumeros peccatores vtriúsque phalangis puniit diuer- D sis modis. Nam vesania sæuiente Normannorum, in die sabbati mulctauit multa millia Anglorum, qui longè ante innocentem Aluredum iniustè necauerunt, ac præcedenti Sabbato Heraldum Regem, & Tosticum Comitem, aliósque multos absque pietate trucidauerunt. Idem quoque iudex sequenti nocte Anglos vindicauit, & furentes Normannos in cæcam voraginem præcipitauit. Ipsi enim contra præceptum legis rem alienam immoderatè concupierunt, ac veloces, vt Psalmographus dicit, pedes eorum ad effundendum sanguinem fuerunt. Ideóque contritionem & infelicitatem in viis suis offenderunt.

Capvt XXXVII.

Quòd Londonienses se ei dederunt, & quòd sequenti Natali Domini Lundoniæ Rex Anglorum effectus est: & de Abbatia de Bello.

Post hæc fortis Dux Vvillelmus ab inimicorum strage reuersus, nocte media ad campum belli est regressus. Mane verò Dominicæ diei illucescente, spoliis

VVILLELMVS II. hostium distractis,& corporibus charorum suorum sepultis, iter arripuit quod Lundoniam tendit. Deinde ad vrbem Vvarengefort gressum diuertit, transmeatóque vado fluuij, legiones ibi castra metari iussit. Indè verò profectus, Lundoniam est aggressus: vbi præcursores milites venientes, in platea vrbis plurimos inuenerunt rebelles, resistere toto conamine decertantes. Cum quibus statim congressi, non minimum luctum intulerunt vrbi, ob filiorum ac ciuium suorum plurima funera. Videntes demum Lundonij se diutius contrà stare non posse, datis obsidibus se suáque omnia nobilissimo victori supposuêre. Anno itaque ab incarnatione Domini
1066. MLXVI. Vvillelmus Normannorum Dux, quem stylus noster extollere non sufficit, nobile trophæum, vt suprà dictum est, ex Anglis confecit. Deinde, in die Natalis Domini, ab omnibus tam Normannorum quàm Anglorum Proceribus Rex est electus, & sacro oleo ab Episcopis regni delibutus, atque regali diademate coronatus. Locus verò, vbi, sicut suprà diximus, pugnatum est, exinde BELLVM vsque hodie vocatur. Porrò, Vvillelmus Rex ibi Cœnobium in honore sanctæ Trinitatis construxit, & Monachos ac Ordinem Maioris-Monasterij sancti Martini Turonensis statuit, atque necessariis opibus pro interfectis vtriusque partis affatim ditauit.

CAPVT XXXVIII.

De reditu eius in Normanniam, & de morte Maurilij Archiepiscopi, cui successit Ioannes.

DEHINC verò paulò pòst in Normanniam regressus, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Gemmetico cum honore magno dedicari iussit. Vbi, cùm sacrosanctum hoc mysterium summa cum reuerentiâ tam religiosissimè, quàm festiuissimè celebraretur: ipse harum nuptiarum sponsi semper studiosus cultor deuotissimo animo
1067. interfuit. Quam dedicationem hi Episcopi cum spirituali iucunditate, MLXVII. Dominicæ incarnationis anno, Kal. Iulij compleuerunt: MAVRILIVS scilicet Archiepiscopus Rotomagensis, & BALDVINVS Ebroicensis. Maurilius Archipræsul mense illo viuens, v. Idus Augusti carnis onere deposito, cum suo Rege Christo iam victurus, liber & gaudens decessit. Cui successit IOANNES Abrincatinæ vrbis Præsul, vir ingenuitate plurimum conspicuus, sapientiâ spirituali feliciter imbutus, prudentiâ seculari summè præditus; secundum quippe nobilitatem generis, Comitis RODVLPHI filius. Et quia huius Rodulphi fecimus mentionem, libet superiora paulisper repetere. RICHARDVS I. filius Vvillelmi Longæspatæ, cùm adhuc puer, mortuo patre, à Rege Francorum quasi exul in Francia detineretur, mater eius SPROTA necessitate vrgente, contubernio cuiusdam prædiuitis nomine ASPERLENGI adhæsit. Hic licèt in rebus locuples, tamen molendina vallis Ruelij ad firmam solitus erat tenere. Genuit itaque ex Sprota filium Rodulphum, de quo loquimur; & filias plures, quæ postea per Normanniam nobilium matrimonio sunt copulatæ. Cùm autem prædictus Richardus Ducatum Normanniæ esset adeptus, quem Rex Francorum sibi fraudulenter surripuerat, contigit quadam die, vt homines ipsius in siluam Vveuram nominatam irent venatum. Affuit fortè inter eos idem Rodulfus vterinus frater Ducis. Cúmque venando deuia quæque & abdita syluæ lustrarent, in quadam valle vrsum immanissimum reperiunt. Venatores igitur in fugam versi, prædictum iuuenem solum relinquentes, occasionem suæ probitatis manifestandæ ei dederunt. Hic namque plus timens opprobrium inertis fugæ, quàm ferocitatem bestiæ, substitit: & licèt annis tener, ingenita tamen magnanimitate fortis, furentem in se belluam prostrauit. Reuertentes verò socij ipsius post fugam, & euentum rei comperientes, pudibundi Duci Richardo probitatem iuuenis retulerunt. Vnde Dux hilaratus, ipsam syluam Vveuram cum appendiciis suis illi dedit. Vocatur autem vsque hodie vallis, in qua occidit vrsum, VALLIS-VRSONIS. Dedit præterea illi castrum IVREIVM *, vnde vocatus est Comes. Accepit autem mulierem quandam vocabulo EREMBERGAM, speciosam valde, natam in quadam villa *Calcini territorij, quæ dicitur Cauilla*. Genuit verò ex ea duos filios, HVGONEM postea

*in Cod. vno, VIRRIVM.
*al. Calciui.
*al. Cacheuilla.

A postea Episcopum Baiocensem, & IOANNEM Abrincatensem, qui ad vltimum fuit Rotomagensis Archiepiscopus. Filias etiam totidem habuit, quarum vna nupsit OSBERNO DE CREPON, de qua natus est Vuillelmus filius Osberni. Alterã duxit RICHARDVS DE BELLO-FAGO, de qua genuit Robertũ, qui ei successit, & filias plures: quarum vna iuncta est HVGONI DE MONTE-FORTI matrimonio. Et quia de hoc Hugone incidenter fecimus mentionem, vtile duximus de eius antecessoribus breuiter aliquid dicere. Turstinus igitur de Bastenburc habuit duos filios, Vuillelmum Bertrannum, & Hugonem cum barba de Monteforti. Hic Hugo occisus est, necnon & Henricus de Ferrariis, in quodam conflictu, quem inter se cœperant. Filius autem huius Hugonis fuit secundus Hugo, qui postea fuit Monachus Beccensis. Idem verò Hugo de filia Richardi de Bellofago habuit vnam filiam, quam Gislebertus de Ganz duxit. Ex qua genuit quartum Hugonem, qui duxit ADELINAM filiam ROBERTI Comitis Mellenti: ex qua genuit filium suum primogenitum Robertum, & alios. Ideo autem hunc Hugonem diximus quartum, quia secundus Hugo, mortua prima vxore, duxit aliam, ex qua genuit B Hugonem tertium, & Robertum fratrem eius: sed absque liberis, & peregrè defuncti sunt. Robertus autem de Bellofago circa finem suum factus est Monachus Becci, vbi filij eius Richardus & Vuillelmus religiosè conuersantur. Successit verò ei Robertus Bauiel ex filia nepos. His per anticipationem dictis, ad ordinem historiæ redeamus.

VVILLELMVS II.

CAPVT XXXIX.

Quomodo Eustachius Comes Boloniæ repulsus est à castro Douera, quod obsederat, cùm Rex Vuillelmus esset in Normannia.

CVM igitur victoriosus Rex in Normannia, bonorum operum studiis probo more suo immorando, pietatis titulos adaugeret, patriámque sibi gratissimam C præsentia sua illustraret, EVSTACHIVS Bononiensis Comes quorundam Anglorum intra Cantuariensem Comitatum consistentium versutiis deprauatus, Doroberniæ castellum inuolare est nisus. Qui in noctis conticinio mare transfretans, diluculò cum copioso exercitu eorũ illud obsedit, totísque viribus expugnare cœpit. Porro milites ODONIS Baiocasini Præsulis, atque Hugonis de Monteforti, quibus custodia Doroberniæ credita erat, perspicientes absentibus dominis sic se inopinatò obsessos, liberalibus animis accensi mox portas patefaciunt, vnanimiter foras proruunt, consertóque certamine cunctos cum dedecore ab obsidione abigunt. Eustachius autem ad mare deuertens, cum paucis indecenter nauigio aufugit. Ceteri verò ad deuexum montis, qui rupibus & scopulis asperrimis mari imminet, fugientes, omnes sese, Deo terrorem ingerente, indè deiecêre deorsum præcipites, iustas sceleris sui pœnas luentes. Sicque factum est, vt quos gladius non prostrauit, hos discerperet horribilis asperitas prærupti montis: vindice superni iudicis sententiâ temerarios conterente.

D

CAPVT XL.

Quòd latrunculi Angliæ rebellionem parantes condiderunt castrum Dunelmum, & de excidio eorum.

REx verò Vuillelmus, iam ad votum dispositis omnibus, pro quibus venerat, ROBERTO filio suo iuuenili feruore vernanti Normannici Ducatus dominium tradidit. Ipse verò in regnum remeans Anglicum, iteratò plurimos eiusdem gentis reperit, quorum leuia corda ab eius fide litate præuaricatrix conspiratio auerterat. Coniurauerant enim latrunculi per totam patriam, quatinus milites, quos ad tuendum regnum reliquerat, in capite ieiunij nudis vestigiis, quo solet vsu pœnitens Christianorum religio, ad Ecclesiam festinantes incautos vbique perimerent; & sic ipsum à Normannia regredientem seu iùs è regno proturbarent. Verùm,

Vuillelmus II. detectis Deo contrariis eorum perfidiæ machinis, repentinum magni debellatoris formidantes aduentum, furtim, vt festinum magni terroris consilium suasit, fugâ lapsi in quandam partem Cumberlondæ Comitatus, aquis pariter & siluis inaccessibilem, se contulerunt: & firmissimo vallo castrum erexerunt, quod propriâ lingua DVNELMVM nuncuparunt. Inde diuersos excursus crebrò agitantes, aliquandiu inibi delituerunt, SVENI Danorum Regis præstolantes aduentum, quem veredariis ad sui conuocarant auxilium. Indè verò legatos mittentes, ad exerenda suæ nequitiæ infausta commenta, sibi asciuerunt Eboracenses. Quibus iuncti, armorum simul & stipendiorum copiâ vrbem munierunt, & semetipsos ad resistendum corroborauerunt; sibique puerum quendam nomine EADGARVM ex Edvvardi Regis nobilitate genus ducentem, Regem præfecerunt. Quorum temerarios actus vel conatus Vuillelmus Rex vt agnouit, Normannorum cateruas produxit, & quantociùs ad confutandum contumaciam eorum perrexit. Seditiosi autem audaciâ & viribus fisi, ex ciuitate prosiluerunt, & contra regalem exercitum ilicò aciem direxerũt. A quo protinus ita profligati sunt, vt quamplurimi perimerentur, & reliqui intra mœnia oppidi refugere compellerentur. Normanni verò è vestigiò eos consecuti sunt, & muri ambitum, quò confugerant, cum ipsis irruperunt, atque tam ferro quàm igne à puero vsque ad senem totam penè vrbem deleuerunt. Incentores autem totius doli per Humbre fluuium nauibus dispendium mortis effugerunt.

CAPVT XLI.

Quomodo BRIENNVS filius Eudonis Comitis minoris Britanniæ deuicit duos filios Heraldi, cum exercitu Regis Hiberniæ.

PORRO, duo filij Heraldi Regis ab eorum contubernio se subduxerunt, & cum multis vernaculis patris DIRMETVM Hiberniæ Regem pro obtinendo iuuamine aggressi sunt. De cuius regno, eodem suffragante, parua temporis intercapedine non minimam manum militum sibi contraxerunt. Deindè, cum sexaginta sex nauibus, qua in regione maximè opportunum æstimauerunt, ociùs Anglos repetierunt; & more sæuissimorum pyratarum, rapinis & incendiis terræ populum exterminare conati sunt. BRIENNVS autem, EVDONIS Ducis Britanniæ minoris filius, eis armatus cum suis occurrit, & mox cũ eis sub die vna duobus præliis manum conseruit. Cæsis verò mille & septingentis bellatorum, cum nonnullis regni Proceribus, reliqui è certamine fugientes, nauium præsidio necis excidium vtcúmque euaserunt, & ex charorum amissione permaximum Hibernensibus luctum reportauerunt. Qui profectò, nisi nox prælium diremisset, omnes mortis nouaculâ abrasi fuissent.

CAPVT XLII.

Quòd Rex Vuillelmus circuiens Angliam, castella plurima ad defensionem regni construxit.

SICARII denique intra Dunelmum latitantes, compertis tot in perniciosis conspirationibus eadem vesaniâ coadunatorum infortuniis, cùm adhuc in suas ærumnas armis atque fuga auderent, regiam expeditionem super se metuentes, deliberatâ sententiâ tam inconsultæ temeritati congrua, in maritimorum præsidiorum remotiora sese receperunt, inhonestas opes piratico latrocinio sibi contrahentes. Rex autem monitus quidem prudentia, qua consulere in cunctis Regi nouit, immunita regni prouidissima dispositione perlustrauit, ac ad arcendos hostium excursus tutissima castella per opportuna loca stabiliuit: quæ militũ electissimo robore, & vberrima stipendiorum copia muniuit. Tandem bellorum ac seditionum tempestate parumper conquiescente, iam totius Anglicæ Monarchiæ & habenas potentiùs temperat, & gloria prosperiùs potitur.

A

Capvt XLIII.

De morte Roberti Vviscardi Ducis Apuliæ, & de probitate eius, & posteritate: & qua occasione Rogerivs nepos eius factus est Rex.

HAc tempestate mortuus est Robertvs Vviscardvs Normannigena, Dux Apuliæ. Hic, relicta priore vxore propter consanguinitatem, de qua susceperat filium nomine Bvamvndvm, duxit primogenitam filiam Gavmarii Principis Salerni, nomine Sichelgaitam, fauente Gisvlfo fratre prædictæ puellæ, qui Gaumario patri successerat. Gatteclima * verò soror eius minor nupsit Iordani Principi Capuæ, filio Richardi senioris, patri verò Richardi iunioris. Huius Iordanis auus fuit Rannvlfvs, qui primus præfuit Normannis in Apulia, qui etiam cōdidit vrbem nomine Aversā. Genuit autem Robertus Vviscardus ex Sichelgaita filios tres, & filias quinque. Filiæ verò adeò excellentissimè maritatæ sunt, vt vna earum matrimonio copulata sit Imperatori Constantinopolitano. Hic Robertus duos Imperatores in vno vicit prælio, Alexivm Græcorum in Græcia, Henricvm Romanorum in Italia. Satis enim victus est Henricus, qui audita fama Ducis Roberti, nec viribus Saxonum & Alemannorum, nec etiam mœnibus vrbis, quæ caput est orbis, confisus, vel tutus, concitus aufugit. Boamundus autem, licèt haberet magnam terram, in Apulia tandem cum ceteris Normannis & Francis perrexit dimicare aduersus Sarracenos, qui tunc temporis omnes ferè ciuitates Romaniæ tenebant. Debellatis tandem paganis, & subiugatis vrbibus Antiochia & Hierusalem, & ceteris multis, Boamundus adeptus est Principatum Antiochiæ, & hæredes eius post ipsum, scilicet filius eius Boamvndvs, natus ex Constancia filia Philippi Regis Francorum. Et post istum Raimvndvs filius Vvillelmi Comitis Pictauorum, qui filiam secundi Boamundi duxerat vxorem. Roberto itaque Duce obeunte, successit ei filius suus, de secunda coniuge primogenitus, nomine Rogerivs, cognomento Bvrsa. Hoc etiam Rogerio deficiente, & filiis suis post ipsum, Rogerivs patruelis ipsius, filius Rogerii Comitis Siciliæ, fratris Roberti Vviscardi, solus tam Apuliam quàm Siciliam obtinuit. Hic autem procedente tempore de Duce factus est Rex, causâ altercationis duorum Apostolicorum, qui simul fuerant Romæ ordinati. Innocentius videlicet II. & Petrus Leonis. Quorum vltimus concessit Duci Rogerio, vt regio diademate vteretur, ideò quòd idem Dux parti ipsius fauebat. Accidit hoc circa annum ab incarnatione Domini MCXXX. Vixerunt verò ambo ferè octo annis simul.

* al. Gatteclinia.

B C

Capvt XLIV.

De morte Vvillelmi Regis Anglorum & Ducis Normannorum, & de sepultura eius apud Cadomum.

HIs per anticipationem breuiter intimatis, ad finem gestorum Vvillelmi Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, de quibus fastidio lectorum compendiosè consulentes, quædam perstrinximus, veniamus. Si quis verò pleniùs illa nosse desiderat, Librum Vvillelmi Pictavensis, Luxouiorum Archidiaconi, eadem gesta sicut copiose, ita eloquenti sermone affatim continentem, legat. Edidit præterea de eadem materia opus non contemnendum Gvido Episcopus Ambianensis, heroïco metro exaratum. Sed vt iam finem dicendi faciamus, causam mortis secundum existimationem quorumdam pandamus.

D

Cvm ergo idem Rex victoriosus post plurima bella, post multiplices expeditiones tam in Normannia quàm in Anglia, & in minore Britannia, seu etiam in Cenomannia prospero exitu consummatas, oppidum quoddam Medanta nomine proprium Philippi Regis Francorum, qui tunc temporis partes Roberti Ducis bellū patri inferentis iuuabat. (Causa autem huiusmodi discordiæ erat, quòd eidem filio suo Rex Vvillelmus non permittebat facere voluntatē suā de Ducatu Normāniæ, licèt eum ipse post se fecisset hæredem.) Cùm igitur Vvillelmus Rex oppidum Medanta assiliens flammis vltricibus tradidisset, pondere armorum, & labore clamoris, quo suos exhortabatur, vt fertur, aruina intestinorum eius liquefacta, infirmari non modicè cœpit. Et licèt aliquamdiu postea vixerit, non tamen solita valetudine vsus est. Dispositis tandem rebus suis, & regno An-

Vvillelmus II. gliæ concesso Vvillelmo filio suo, vitam præsentem finiuit in Normannia apud Rotomagum iv. Idus Septembris. Translatum est corpus eius, sicuti ordinauerat, Cadomum, & in Ecclesia sancti Stephani, quam ipse à fundamentis ædificauerat, ante maius altare regaliter tumulatum. Solus autem filiorum suorum Henricvs exequias patris persecutus est, dignus qui paternam hereditatem aliquando solus obtineret, quam fratres sui particulatim post mortem patris sui possederunt. Decessit autem idem Rex ferè sexagenarius, anno Ducatus in Normannia lii. porrò regni sui in Anglia xx. incarnationis autem Domini mlxxxvii. (1087.) Regnante eodem Domino nostro Iesu Christo cum æterno Patre in vnitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum, Amen.

HISTORIÆ NORMANNORVM LIBER OCTAVVS,

De Henrico I. Rege Anglorum, & Duce Normannorum.

Capvt I.

Prologus in gesta Henrici Regis, in quo breuiter fratribus suis melior ostenditur.

Robertvs II.

Voniam in Libro superiori de Actibus Vvillelmi Regis Anglorum & Ducis Normannorum tractatum est, non indecens videbitur, vt hic Liber, qui septimus * cuditur in Normannorum Ducum gesta, vitam & conuersationem, & ex parte non modicas res gestas Henrici nobilissimi Regis filij prædicti Vvillelmi edisserens, seculo futuro, & maximè posteris imitandas proponat. Nec immeritò hic numerus illi viro congruit, qui non solùm honestate animi, verumetiam corporis probitate, vero videlicet ternario & quaternario plurimum emicuit. Ad hoc accidit, quòd idem Rex, quem describendum suscepimus, in septimo gradu genealogiæ Normannorum Ducum reperitur, si incipias computare à Rollone Duce, qui fuit huius prosapiæ principium. Vt autem ordo historiæ non interruptus seruetur, de fratribus eius Vvillelmo Rege Anglorum, & Roberto Duce Normannorum, quibus ipse solus successit, aliqua vel breuiter dicenda sunt: maximè cùm hoc ad commendationem susceptæ materiæ proficiat. Sicut enim pictores ferrugineum colorem substernere solent, vt rubeus superpositus magis elucescat: ita forsitan, si supradicti fratres conferantur cum isto, ex eorum comparatione altius resplendebit. Quod paucis animaduerti potest. In altero eorum, Vvillelmum loquor, dapsilitas erga seculares prædicabatur, sed contempta ab eo religiositas plurimum conquerebatur. Robertum in rebus bellicis fama non immeritò extollebat, sed hæc eadem in maturitate consilij, & in regimine Ducatus ipsum minus vtilem non mendaciter asserebat. At Henricus & illa complectens solus, quæ in singulis eorum honesta videbantur, & ea pariter, quibus ipsos carere iam diximus, non solùm illis, sed & omnibus sui temporis Principibus nobilior habebatur. Sed quia hæc suis in locis pleniùs exponentur, ne digressionem in ipso exordio facere videamur, amodo rerum propositarum ordinem prosequamur.

* *Octauus verò Historia Normannorum, vt habet inscriptio Codicis MS. quem sequenti sumus.*

A

CAPVT II.

Quomodo Vuillelmus frater Henrici, mortuo Vuillelmo Rege patre eorum, transiens in Angliam Rex factus est, & Robertus Ducatum Normanniæ adeptus est: & quòd idem Robertus Comitatum Constantiniensem dedit Henrico, & postea abstulit.

IGITVR Rege Anglorum Vuillelmo rebus humanis substracto, VVILLELMVS filius eius, quàm citiùs potuit apud Tolcā mari transito, susceptus est ab Anglis & Francis, vnctúsque est in Regem à LANFRANCO Archiepiscopo Cantuariensi, eiúsque Suffraganeis, Lundoniæ apud Vvestmonasterium. Robertus námque frater eius ante mortem patris sui discesserat de Normannia: indignè ferens, quòd ipse nō permitteret ei pro sua voluntate disponere tā Comitatum Normanniæ, quàm Cenomanniæ. Alterius enim dudum hæres designatus fuerat, alterius verò hac de causa viuente patre regimen quærebat, quòd MARGARETA filia HERBERTI
B quondam Cenomannensis Comitis ipsi fuerat desponsata: licèt antequam ad nuptias eius pertingeret, apud Fiscannum virgo eadem Christo deuota obierit. Cùm igitur in Pontiuo apud Abbatisuillam, cum sui similibus iuuenibus, filiis scilicet Satraparum Normanniæ, qui ei quasi suo domino futuro specietenus obsequebantur, re autem vera nouarum rerum cupiditate illecti, moraretur, & Ducatum Normanniæ, maximè in margine, excursionibus & rapinis demoliretur: audito nuncio excessus patris, confestim veniens Rotomagum, ipsam ciuitatem & totum Ducatum sine vlla contradictione suscepit. Cúmque sui fideles eum exhortarentur, vt regnum Angliæ sibi à fratre præreptum velociùs armis sibimet restitueret; simplicitate solita, & vt ita dicam, imprudentiæ proxima, respondisse fertur: Per Angelos Dei, si ego essem in Alexandria, expectarent me Angli, nec ante aduentum meum Regem sibi facere auderent. Ipse etiam Vuillelmus frater meus, quod eum præsumpsisse dicitis, pro capite suo sine mea permissione minimè attentaret. Hæc primò dicebat, sed postquàm rei gestæ ordinem resciuit, non minima discordia inter se & fratrem suum Vuillelmum emersit. Interim autem Henricus frater eorum
C remansit in Normannia cum Duce Roberto. Dederat autem eidem Henrico pater suus moriens quinque mille libras Anglicæ monetæ. Robertus etiam frater suus dedit illi Comitatum Constantiniensem, vel, vt alij volunt, inuadiauit. Sed non diutiùs indè gauisus est. Nam inuentis quibusdam vilibus occasionibus, per malorum tamen hominum suggestiones, ipsum nihil tale meditantem apud Rothomagum capiens, quod dederat indecenter extorsit.

CAPVT III.

De concordia, quæ facta est inter Vuillelmum Regem Anglorum & Robertum Ducem Normanniæ fratrem eius: & quomodo obsederunt Henricum fratrem suum in Monte sancti Michaelis.

POST hæc, aliquāto temporis emenso, concordiam fecerunt ad inuicem Vuillelmus Rex Anglorum, & Robertus Dux Normanniæ: licèt regnum Angliæ ipse
D Robertus facillimè paulò antè potuisset habere, nisi minùs cautus esset. Si quidem Eustachius Comes Boloniæ, & Episcopus Baiocensis, & Comes Moritolij, patrui ipsius, & alij Principes Normanniæ, cum magno apparatu militum mare transeuntes, Roueceestriam, & alia nonnulla castella in Comitatu Cantuariensi occupantes, & tenentes ad opus illius: dum ipsum Robertum Ducem expectant, qui tunc temporis vltra quàm virum deceat in Normannia deliciabatur, obsessi diu à Rege Vuillelmo, dum ille, cuius causâ tantum discrimen subierant, nō subuenit, cum dedecore ipsas quas tenebant munitiones exeuntes, ad propria sunt reuersi. Facta est itaque tādem inter eos apud Cadomum, vt diximus, adminiculante PHILIPPO Rege Francorum, qui in auxilium Ducis cōtra Vuillelmum Regē apud

ROBERTVS II. oppidum Auci ingenti Anglorum & Normannorum exercitu tunc morantem venerat, qualiscúmque concordia, & quantum ad Ducem Robertum spectat probrosa atque damnosa. Nam quicquid Rex Vuillelmus in Normannia occupauerat, per infidelitatem hominum Ducis, qui eidem Regi suas munitiones tradiderant, quas suis militibus ipse commiserat, vt indè fratrem suum infestarent, impunè permissus est habere. Munitiones illæ, quas hoc modo tenebat, fuerunt, Fiscannum, oppidum Auci, quod VVILLELMVS Comes Aucensis cum reliquis suis firmitatibus illi tradiderat. Similiter STEPHANVS Comes de Albamarla, filius ODONIS Comitis de Campania, Vuillielmi autem Regis Anglorum senioris ex sorore nepos, fecerat: & alij plures vltra Sequanam habitantes. Cùm igitur fratrem suum Henricum debuissent adiuuare, eíque prouidere, vt sicut frater eorum, & filius Regis honorabiliter posset viuere; de tota terra patris sui eum expellere conati sunt. Vnde accidit, vt quadam vice ipsum obsidione cingerent in Monte sancti Michaëlis. Sed illis ibidem incassum diu laborantibus, & ad vltimum inter se diffidentibus, Comes Henricus inde liberè exiens oppidum munitissimum nomine Danfrontem sagacitate cuiusdam indigenæ suscepit. Indignabatur enim prædictus indigena, vt potè vir nobilis & diues, oppressiones ampliùs perpeti, quas ROBERTVS DE BELISMO homo ferox & mentis inhumanæ, sibi & aliis conuicaneis inferebat, qui tunc temporis illud castrum possidebat. Quod tanta diligentiâ Henricus exindè custodiuit, vt vsque ad terminum vitæ illius in suo dominio habuerit. Circa hæc tempora, obeunte Ioanne Archiepiscopo Rotomagensi, successit VVILLELMVS Abbas sancti Stephani Cadomi.

CAPVT IV.

Quòd redeunte Vuillelmo Rege in Angliam, Henricus Comitatum Constantiniensem in ditionem suam reuocauit.

REDEVNTE autem Vuillelmo Rege in Angliam, Henricus haud segniter Comitatum Constantiniensem, qui sibi fraudulentiâ antè præreptus fuerat, consensu Vuillelmi Regis, & auxilio Richardi de Reuers, & Rogerij de Magna-villa, ex maiori parte in ditionem suam reuocauit. Et quia in hoc negocio, & in aliis plerísque suis necessitatibus, HVGO Comes Cestrensis ei fidelis extiterat, concessit ei ex integro castellum, quod sancti Iacobi appellatum est; in quo idem Comes tunc temporis nihil aliud habebat, præter custodiam munitionis ipsius oppidi. Vuillelmus siquidem Rex Anglorum senior illud condiderat in confinio Normanniæ & Britanniæ minoris: cùm ante bellum Anglicum contra CONANVM Comitem Britanniæ filium Alanni consobrini sui, sibi non obtemperantem, exercitum duceret. Ne igitur ampliùs famelici prædones Britonum Ecclesiis inermibus, aut vltimo terræ suæ vulgo excursionibus latrocinantibus nocerent: illud ad eos arcendos institutum tradidit RICHARDO Abrincatensi Præsidi, patri videlicet prædicti Comitis Hugonis.

CAPVT V.

Quòd Cenomannenses aduertentes Ducem Robertum occupatum plurimis perturbationibus in Normannia, fecerunt sibi Comitem HELIAM filium Ioannis de Fleca.

INTEREA Cenomannenses aduertentes Ducem Robertum tot perturbationibus in Normannia occupatum, consilium ineunt cum HELIA filio IOANNIS DE FLECA, viro forti & industrio, & in illa Prouincia potentissimo, vt filiam cuiusdam Comitis Langobardiæ, neptem videlicet HERBERTI quòdam Cenomannensis Comitis ex primogenita filia in matrimonium ducat: existimantes hac occasione se posse excutere à sua ceruice iugum dominationis Ducum Normanniæ. In quo persuadendo diutiùs immorari illis necesse non fuit, cùm iam nominatus vir illorum admonitionem dudum suo voto præueniēs, voluntatem eorum su-

A per hoc negocio, prætermissa omni dilatione, ad effectum perduxit. Nec ipsum, nec Consiliarios suos, ab hac rebellionis præsumptione reuocauit deterrendo, quod antiquitus sub Normannorum Ducum ditione regio Cenomannica egit, vel quod nostra memoria nobilissimus Dux Normannorum Vvillelmus, postea verò felicissimus Anglorum expugnator, eosdem Cenomannenses de oppressione Gaufridi Martelli senioris liberans, alis suæ protectionis munitos, quoad vixit, illos vt proprios rexit, ac suis successoribus regendos moriens dimisit. Vnde factum est, vt paulò post mortem ipsius Regis idem Dux Robertus, de quo nunc sermo est, in principio sui Ducatus iam tunc rebellionis contumaciam attemptantes in ipsis suis finibus, ducto exercitu Normannorum eos compescuit. ROBERTVS II.

CAPVT VI.

Quòd assumpto Anselmo Abbate Becci ad Archiepiscopatum Cantuariæ, Vvillelmus eiusdem loci Monachus claustralis successit.

B PER idem tempus, assumpto ANSELMO Abbate Beccesi ad Archiepiscopatum Cantuariæ, successit ei in regimine eiusdem loci VVILLELMVS DE BELLOMONTE, vir non contemnendæ religionis, & eiusdem Cœnobij Monachus claustralis. Anno deinde secundo, Vrbanus Papa in Gallias veniens, ciuitate ARVERNIS, quæ alio nomine Clarus-mons dicitur, de Ecclesiasticis negociis tractaturus, Concilium congregauit. Inter alia verò, quæ ibi salubriter disposuit, hortatus est fideles tam præsentes quàm absentes, vt ad liberanda sancta loca de potestate Paganorum, à quibus tunc possessa contaminabantur, Hierusalem pro remissione excessuum suorum irent.

CAPVT VII.

C *Quod Robertus Dux Normanniæ, inuadiato Ducatu suo Vvillelmo Regi Anglorum fratri suo, Hierusalem perrexit.*

IGITVR anno sequenti hac diuina exhortatione permoti omnes ferè famosæ probitatis milites Occiduæ regionis, tam illustres, quàm ceteri priuati, iter sanctæ peregrinationis ineunt. Quo desiderio succensus Robertus Dux Normannorum, Vvillelmo fratri suo Regi Anglorum per nunciũ mandauit, vt in Normanniam festinanter veniat, Ducatum suum vsque ad reditum ipsius habiturus, de thesauris Anglorum opimis suam & suorum indigentiam obiter suppleat. Huius autem legationis nuncio exhilaratus Rex Vvillelmus, in Normanniam transfretans, decies mille marcas argenti ea conditione Roberto Duci commodauit; vt quamdiu idem Dux in prædicta peregrinatione moraretur, ipse Ducatum Normanniæ pro eis vadem haberet, illum Duci restituturus, cùm ipse sibi prætaxatam pecuniam rediens reconsignasset. VVILLELMVS III. His itaque gestis, Comes Henricus contulit se ad Regem Vvillelmum, atque omninò cum eo remansit; cui idem Rex Comitatũ Constantiniensem & Baiocensem, præter ciuitatem Baiocas, & oppidum Cadomi, ex integro concessit. Hoc tempore prædictus Rex Vvillelmus fecit quoddam castellum nomine GISORZ in confinio Normanniæ & Franciæ, quod sæpenominatus frater eius Henricus, qui ei diuinâ dispositione succesit, mœnibus ambitum, & turribus excelsis inexpugnabile reddidit. D

CAPVT VIII.

De probitate ipsius Vvillelmi in negotiis regni, & quòd Ecclesiam Dei, & seruos eius persecutus est.

DE ipso autem Vvillelmo his Annalium paginis possemus inserere, quòd semel & iterum Vvallenses ducto exercitu in ipsorum fines sibi rebelles subiugauit: quódque Regi Scotorum MALCOMO, qui in Angliam exercitum adduxerat, cum

Vuillelmus III. suo exercitu obuians, eum ad quæ voluit pacta inclinauit. Illud etiam nihilominus, quòd cùm audisset Heliam Comitem Cenomannorum in ipsa vrbe Cenomannica homines suos, auxilium ei ferente Fvlcone Comite Andegauorum, obsedisse. Abstulerat enim illam vrbem primùm Helias hominibus Regis, sed ciues iterum Regi reddiderant, vnde eos iterum Helias obsederat. Hoc, inquam, audito, cùm esset in Anglia, accersitis, quos tunc fortè secum habebat, militibus; imperans, vt reliqui, qui aberant, se sequerentur, ad mare veniens, cùm ventus esset contrarius in Normanniam transfretaturo, contra ventum intrauit pelagus, dicens, se nũquam audisse de aliquo Rege, quòd naufragio periisset. Transitóque mari, velut contra vim elementorum, prædictos Comites solo auditu sui aduentus ab obsidione fugauit. Hæc, inquam & alia his similia, de illo veraciter possemus referre, nisi facta eius, quia plurimos seruorum Dei, & sanctam Ecclesiam non minimum persecutus est, vnde serò, & infructuosam, vt pluribus sapientibus videtur, egit pœnitentiam, dignum iudicaremus propter ordinem historiæ solummodò breuiter attingere, & ad actus Henrici diuæ memoriæ fratris & successoris sui, qui viros religiosos & Ecclesiam Dei protegendo, & auxilium ferendo, admodum veneratus est, prolixiùs explicandos vellemus accedere. Eodem Vuillelmo regnum Angliæ procurante, Morellus nepos Roberti de Movbraio Comitis Northumbrelandiæ prædictum Malcomum Regem Scotiæ irruptiones in Anglia facientem, & filium eius primogenitum, cum maxima parte sui exercitus in finibus Anglorum trucidauit. Hic autem Robertus, cùm quasdam munitiones regias suo Comitatui colliminantes contra voluntatem domini sui attemptasset occupare, captus à militibus Vuillelmi Regis, ipsóque iubente in ipsis vinculis diutiùs perseuerans; regnãte iam Henrico Rege, tandem in ipso ergastulo deficiens mortuus est. Dictum est à pluribus, hunc talionem sibi redditum fuisse, quia Regem Scotiæ, patrem videlicet nobilissimæ Mathildis postea Reginæ Anglorum, dolosè peremerat. Illius autem terram, quam habebat in Normannia, & maximam partem prædicti sui Comitatus, Henricus iam Rex factus dedit Nigello de Albinneio, viro illustri, & probo. Duxit postea idem Nigellus Gvndredam filiam Giraldi de Gornaco, ex qua genuit filium nomine Rogerivm de Movbraio, qui tandem adhuc paruulus patri suo facto Monacho Beccensi, & eidem loco magnam possessionem in Anglia conferenti, successit. Ipse etiam Giraldus, rogatu Hugonis de Gornaco patris sui, Monachi verò Beccensis, plura dedit eidem Ecclesiæ, & tandem Hierusalem petens cum vxore sua Edithva sorore Vuillelmi Comitis de Vuarenna, in ipso itinere mortuus est. Vxor verò indè rediens nupsit Drogoni de Monceio, ex qua idem Drogo suscepit vnum filium nomine Drogonem. Successit prædicto Giraldo filius eius nomine Hugo, qui ex sorore Rodvlfi de Parrona Comitis Viromandorum genuit vnum filium nomine Hugonem. Hæc per anticipationem de amicis ac benefactoribus Beccensis Monasterij hic breuiter commemorauimus: nunc ad ordinem historiæ redeamus.

Capvt IX.

De morte eiusdem Regis in Nouaforesta, & quòd Richardus frater eius antea ibidem mortuus fuerat, & de causa mortis eorum secundum existimationem vulgi.

Igitvr, sicut suprà diximus, cùm Robertus Dux Normannorum anno ab incarnatione Domini mxcvi. Hierusalem perrexisset, & Ducatum Normanniæ
1096. Vuillelmo fratri suo Regi Anglorum inuadiasset: contigit post aliquantum temporis, vt idem Rex quadam die venatum iret in Nouamforestam, vbi iv. Nonas Augusti missa sagitta incautè à quodam suo familiari in corde percussus, mortuus est anno ab incarnatione Domini mc. regni autem sui xiii. In eadem etiam silua
1100. Richardus frater ipsius Vuillelmi dudum, adhuc viuente patre eorum, dum simili modo venaretur, ictu arboris malè euitatæ ægrotans, post paululum hominem exiuit. Ferunt autem multi, quòd ideò hi duo filij Vuillelmi Regis in illa silua iudicio Dei perierunt; quoniam multas villas & Ecclesias propter eandem forestam amplificandam in circuitu ipsius destruxerat.

A

HENRICVS I.

CAPVT X.

Quòd Henricus frater ipsius ei successit, qui MATILDEM filiam Regis Scotiæ duxit in vxorem.

OCCISO itaque Vvillelmo Rege, vt præmisimus, statim frater suus HENRICVS corpus eius Vvintoniam deferri fecit, ibique in Ecclesia sancti Petri ante maius altare sepulturæ tradidit. Quo sepulto, Lundoniam venit, atque apud Vvestmonasterium, annuentibus cunctis Francis & Anglis, quarto die post mortem fratris regale diadema suscepit. Vnde plurimi sunt lætati, quòd modo Regem natum de Rege & Regina, natum & nutritum in Anglia habere meruissent. Vt autem idem Rex legaliter viueret, duxit eodem anno venerabilem MATILDEM filiam Malcomi Regis Scotiæ, & Margaretæ. Quantæ autem sanctitatis, & scientiæ tam secularis quàm spiritualis vtraque Regina, Margareta scilicet & Matildis, fuerint; Liber, qui de vita ipsarum scriptus est, plano sermone describit. Nec illud prætermittendum, quòd à sanctæ recordationis ANSELMO Cantuariense Archiepiscopo eadem Matildis in festiuitate sancti Martini apud Vvestmonasterium Henrico Regi nobilissimo desponsata, & eodem die regali diademate insignita est. Fuit autem Rex Henricus vir pluribus virtutibus præditus, iustitiæ ac pacis sectator, religionis amator, iniquorum & furum feruentissimus punitor; inimicorum suorum, non solùm excellentium Principum, & Comitum, verùm & nominatissimorum Regum feliciss imus triumphator.

B

CAPVT XI.

Quod ex ea genuit filium nomine Vvillelmum, & filiam, quæ procedenti tempore nupsit Henrico Imperatori Romanorum.

C GENVIT autem ex secunda Matilde Regina Anglorum vxore sua filium vnũ nomine VVILLELMVM, & filiam vnam matrem sicut nomine ita honestate repræsentantem. Hanc autem virginem vix quinquennem, HENRICVS quintus Rex, & quartus Imperator Romanorum & Alemannorum Augustus in coniugem requisiuit: & adquisitam per claros viros Episcopos & Comites internuncios, cum ineffabili * munificentia vtriúsque parentis in suum regnum suscepit, & receptam solemniter in proximo Pascha apud Vlterius-Traiectum desponsauit. Desponsatam verò Archiepiscopus Coloniensis in festiuitate sancti Iacobi Magunciæ in Reginam consecrauit, ceteris co-Episcopis assistentibus, & præcipuè Archiepiscopo Treuerensi, qui eam, dum consecraretur, inter sua brachia reuerẽter tenuit. Deinde consecratam Reginam vsque ad tempestiuum tempus nuptiarum studiosè nutriri præcepit: in quo nutrimento & linguam addisceret, & se secundum Teutonicos mores componeret. De qua nobilissima Imperatrice in sequentibus pleniùs differemus. Prædictus autem Vvillelmus, filius Henrici Regis, qui post sororem Matildem Imperatricem natus est, licèt eum causâ masculini sexus illi præposuimus; cùm iam ad iuuenilem ætatem venisset, morte immatura obiit. Cùm enim transfretaret de Normannia in Angliam, inter Barbefluuium & Hantoniam, in quodam maris loco periculoso, qui ab incolis CATARAS dicitur, illisa naui scopulo, ipsi & multi Optimates patris eius naufragio perierunt. Quo solo euentu felicitatem excellentissimi Regis fortuna aliquantisper obnubilauit: licèt in aliis omnibus sibi arrideret iocundiss ima. His anticipando commemoratis, ad ordinem rei gestæ reuertamur.

* al. lætitia.

D

CAPVT XII.

Quod Robertus Dux Normannorum rediens ab Hierosolymis transiit in Angliam, volens auferre regnum fratri suo: & quomodo concordati sunt.

NON longum autem tempus transiit, postquàm Henricus Rex regnum Angliæ regendum suscepit, quòd frater suus ROBERTVS de Hierusalem rediit, at-

ROBERTVS II. que Ducatum Normanniæ, quem fratri suo Vvillelmo inuadiauerat, absque vllius A pecuniæ exhibitione recepit. Licèt ipsam summam, quam ab eodem fratre suo acceperat, secum haberet: vt si necesse esset vt redderetur, & si esset qui eam exigeret, in promptu haberet. Audiens itaque, quòd Henricus frater suus Rex Anglorum esset constitutus, cœpit indignari aduersus illum, multúmque ei minari, quòd regnum Angliæ suscipere ausus fuisset. Hac igitur de causa cœpit nauigium præparare, quale potuit. Quo completo, in Angliam transiuit. Henricus autem Rex, cuius fiducia tota erat in Deo, magnam Anglorum militiam velociter congregans, aduersus eum venit, paratus eum, & omnes, qui cum eo venerant, de terra Anglorum expellere. Quod profectò, annuente Deo, in breui egisset, nisi frater suus cum eo hoc pacto concordaret; vt ipse Rex illi quotannis quatuor mille marchas argenti perpetuò daret. Hanc summam tamen idem Comes Matildi Reginæ fratris sui coniugi condonauit. Facta itaque inter eos concordia, aliquanto tempore demoratus est Comes Robertus in Anglia. In qua postquàm tamdiu fuit, quantum ei placuit, in Normanniam remeauit. B

CAPVT XIII.

Quòd eadem pactione rupta, Henricus apud Tenerchebrai in bello eum cepit, & postea vsque ad mortem cum regno Angliæ Ducatum Normanniæ sapienter disposuit.

NON diu autem durauit inter eos prædicta concordia. ROBERTVS enim Comes plus iusto credens illis, qui magis volebant inter eos esse discordiam, quàm pacem, cœpit occasiones quærere, fratrémque suum ad discordiam commouere. Rex autem Henricus non diutiùs hoc ferens, maximéque indignè ferens, quòd frater suus ita paternam hereditatem, Ducatum scilicet Normanniæ, dissipauerat: quòd præter ciuitatem Rothomagensem nihil penè in dominio haberet, quam C etiam forsan alicui vt cetera dedisset, si hoc sibi licitum propter ciues ipsius fuisset: His, inquam, indignatus, mare quàm citius potuit transiens, atque non multò post non paruum exercitum congregans, obsedit ciuitatem Bajocas: eámque citiùs capiens, ferè omnem destruxit. Deinde cepit Cadomum. Post aliquantulum verò temporis, cùm obsideret quoddam castrum Comitis Moritolij, quod vocatur TENERCHEBRAI, atque in obsidendo laboraret, vt illud caperet; frater eius Comes Robertus, & Comes Moritolij, cum magna multitudine militum, putantes se de Rege Henrico vindicare, eúmque omninò de terra delere, cum magno impetu irruerunt in eum. Sed iudicio Dei super eos veniente, capti sunt ambo, & multi alij cum eis, ab hominibus Henrici Regis, atque ante eum adducti. Concessit hoc modo Deus Regi se timenti victoriam incruentam, sicut quondam Theodosio Imperatori seruo suo fecerat. In hoc enim conflictu ex suis nullus, ex aduersa parte vix sexaginta corruerunt. Finito itaque hoc conflictu, & pace reddita miseræ Prouinciæ, quæ penè per imprudentiam Comitis prædicti destructa erat, Rex Henricus totam Normanniam, & omnia castella Comitis Moritolij in suum dominium suscepit. Atque ita omni terra sedata, rediens in Angliam, Robertum Comitem fratrem

HENRICVS I. suum, & Comitem Moritolij, & quosdam alios, quos ei placuit, secum abduxit; eósque in libera custodia vsque ad terminum vitæ eorum tenuit. Factum est autem D hoc bellum apud Tenerchebrai inter Henricum Regem Anglorum, & Robertum

1106. fratrem suum Ducem Normannorum, anno ab incarnatione Domini MCVI. V. Kal. Octobris. Eodem autem anno, mense Februario, Cometes apparuerat, Regibus & Ducibus mutatione regnorum terribilis. Rexit autem Robertus Comes Ducatum Normanniæ XIX. annis, excepto spatio, quo in itinere Hierusalem demoratus est. Fuit hic Robertus miles fortissimus, & multa nobiliter gessit: maximè quando à Christianis Antiochia, & Hierusalem super Sarracenos captæ sunt. Ad regimen tamen Ducatus minùs vtilius propter simplicitatem suam, & propter consilia leuia, quibus nimium aurem accommodabat.

A

CAPVT XIIII.

De Sibylla vxore Ducis Roberti, & Vuillelmo filio eius, & quomodo idem Vuillelmus factus est Comes Flandrensium.

CVM autem rediret de via Hierusalem, accepit SIBYLLAM in vxorem, sororem VVILLELMI Comitis Conuersanæ. De qua genuit vnum filium, nomine VVILLELMVM. Fuit verò prædicta Comitissa pulchra facie, honesta moribus, sapientia prædita, & aliquando absente Duce ipsa melius per se negocia Prouinciæ tam priuata quàm publica disponebat, quàm ipse faceret si adesset. Vixit autem in Normannia paruo tempore, inuidia & factione quarumdam nobilium feminarum decepta. Prædictus verò Vuillelmus filius Roberti Ducis procedenti tempore Comes fuit Flandrensis. Quod quomodo acciderit, paucis aperiamus. Cùm igitur ille iam iuuenis multæ probitatis in Francia exularetur, patre suo, vt iam diximus, in vinculis Henrici Regis posito: accidit vt KAROLVM Comitem Flandrensem quidam traditores in Ecclesia, dum sacris mysteriis interesset, occiderent. Quo
B audito, Regina Francorum vxor LVDOVICI Regis dedit prædicto Vuillelmo sororem suam vxorem: efficiens per maritum suum, vt idem Comes Flandrensium constitueretur. Decesserat enim Karolus absque filio. Nec tamen idem Vuillelmus longe aberat à cognatione Comitum Flandriæ. Nam Matildis Regina Anglorum auia ipsius fuit filia BALDVINI CVM BARBA Comitis Flandrensium. Hic verò Balduinus duos filios habuit, BALDVINVM, & ROBERTVM. Quorum vterque vxorem accepit, viuente patre eorum. Nam Balduinus primogenitus habuit in vxorem Comitissam Hainaucensem, ex qua genuit duos filios, ERNVLFVM, & BALDVINVM. Robertus autem accepit coniugem relictam FLORENTII Comitis Frisiæ, quæ vnicam ex prædicto Florentio habebat filiam. Quam Robertus longè facere volens à paterna hereditate, dedit eam PHILIPPO Regi Francorum. Et ita Comitatus Frisiæ remansit ei cum matre prædictæ puellæ. Vnde cognominatus est FRISIO. Decessit autem ante mortem patris sui Balduini Balduinus Comes Hainaucensis, & successit Ernulfus filius eius primogenitus. Tandem obeunte Balduino Comite Flandriæ, cùm Ernulfus Comes Hainaucensis deberet
C ei succedere, vt potè nepos ex primogenito filio eius, & ad hoc etiam niteretur: Philippus Rex Francorum veniens in auxilium eius, & Matildis Regina Anglorum amita eius mittens ei Vuillelmum filium Osberni cum armata militum manu, Robertus Frisio patruus eius, adiuncto exercitu Henrici Normannorum & Alamannorum Imperatoris cuneis suis, ex improuiso super eos irruens die Dominico Septuagesimæ, fugato Philippo Rege Francorum, Ernulfum nepotem suum, & Vuillelmum filium Osberni Comitem Herefordi peremit, & hac de causa Flandriam vsque ad suum obitum possedit.

CAPVT XV.

De Vuillelmo Comite Herefordi, & successione eius.

PRÆDICTVS autem Vuillelmus Comes Herefordi fuit vir honestus & probus, & cognationem Ducum Normanniæ non solùm ex parte patris, verumetiam
D ex parte matris attingens. Osbernus namque pater eius fuit filius Herfasti fratris GVNNORIS Comitissæ primi Richardi Ducis Normanniæ vxoris. Mater verò fuit filia Rodulfi Comitis Ivreicensis. Qui Rodulfus frater fuit vterinus Richardi Ducis superiùs nominati. Duxit autem idem Vuillelmus Adelizam filiam Rogerij de Toëneio, ex qua genuit duos filios: VVILLELMVM DE BRITOLIO, qui post decessum eius terram, quam habebat in Normannia, habuit; & ROGERIVM, cui Comitatus Herefordi funiculo distributionis euenit. Habuit etiam duas filias, quarum vna nomine Emma iuncta est Rodulfo de Vvaiet, genere Britoni, qui fuit Comes Norvvicensis. Sed quia contra fidelitatem Vuillelmi Regis senioris munitionem Norvvich aliquando tenere attemptauit, expulsus

HENRICVS I. & extorris de regno Angliæ cum vxore sua Hierusalem perrexit, relinquens vnam filiam nomine Ittam, quæ procedenti tempore nupsit ROBERTO Comiti Legrecestriæ, filio Roberti Comitis Mellenti. Vnde factum est, vt Lire, Glot, Britolium, & plurimam partem terræ, quam Vvillelmus filius Osberni auus vxoris suæ habuerat in Normannia, post mortem Vvillelmi de Britolio auunculi vxoris suæ idem Comes haberet. Genuit autem ex ea vnum filium, & plures filias. A

OCCISO itaque, vt diximus, Vvillelmo filio Osberni, Vvillelmus de Britolio filius suus, qui ei successerat, cœpit calumniari oppidum Iureij, quia fuerat Rodulfi Comitis, patris videlicet auiæ suæ. Habebat autem tunc temporis idem castrum Robertus Dux Normanniæ in suo dominio, sicut pater suus Vvillelmus Rex per omne tempus vitæ suæ habuerat. Comitissa enim ALBEREDA vxor Comitis Roberti in supercilio montis eidem castro imminentis turrim munitissimam, quæ vsque nûc superest, ædificare cœperat. Robertus Comes Mellenti turrim illam custodiens, Vicecomitis officio in prædicto oppido fungebatur. Egit itaque calliditate solita, vt idem castellum Vvillelmo de Britolio redderetur; hac tamen conditione, quatinus ipse pro eo, quod in ipso oppido nunc habebat, Brionium suæ terræ vicinum largitione Ducis Roberti perpetuò possideret. Erat enim ab antiquis temporibus idem municipium vna ex propriis sedibus Ducum Normanniæ. Vnde semper illud in suo dominio hactenus habuerunt, excepto, quòd secûdus Richardus ipsum Comiti Godefrido fratri suo naturali dederat, & Comes Gislebertus filius eius post ipsum idem habuerat: sed eodem occiso, ad dominium Ducum Normanniæ redierat. Et quoniam Rogerius filius Richardi idem castrum repetebat, quia auus suus Comes Gislebertus id ipsam, sicut dictum est, antea possederat: Robertus Comes Mellenti omni inquietudine carere gestiens, egit apud Ducem Robertû, vt quoddam municipium nuncupatum Humetum, situm in Constantiniensi Comitatu, daretur Rogerio filio Richardi, non solùm pro illa calumnia sopienda, verûetiam pro non minima pecuniæ summa, quam Rogerius hac de causa Duci contulerat. Sunt antiquorû plurimi, qui dicant, quòd Richardus pater Rogerij pro repetitione eiusdem castri dudum in Anglia acceperat oppidum Toneburge: asserêtes leugã Brionij cum funiculo circumcirca fuisse mensuratam, & eodem fune in Anglia delato, leugam Toneburge tantumdem spacij in metiendo recepisse, quantum hactenus Brionense milliarium probatur retinere. B C

ACCIDIT post aliquantum temporis, vt Goellus de Breherij-valle dominum suum Vvillelmum de Britolio dolosè caperet, & in ipsa captione eum tamdiu retineret, quousque idem Vvillelmus quandam filiam suam notham cum ipso castello Iureij * coactus illi concederet. Ex qua ille vir Belial suscepit filios, Vvillelmum Luuellum, & Rogerium Balbum, & alios, in quibus nequitia patris eorum & fraudulentia, velut in malo germine, ad perniciem innoxiorum adhuc perseuerat. Vvillelmus autem de Britolio à nexibus liber, memor iniuriæ à perfido sibi illatæ, quandam rem dignam memoriâ ausus est incipere. Nam Regem Francorum Philippum cum plurimo exercitu, & Robertum Ducem Normanniæ ad se immensis muneribus euocans, & ipsis, & hominibus eorum omnibus, qui suam procurationem voluerunt accipere, sufficienter necessaria de suo proprio subministrans, castrum Breherij-vallis, & totam terram Goelli ferè destruxit: & Iureium tamdiu obsidens afflixit, vsquequo ille perfidus suis rebus diffidens illud sibi redderet. Et sic tandem Vvillelmus illud castrum sicut proprium, quoad vixit, securus possedit. Cùm autem ad extrema veniens idem Vvillelmus iuuenem quendam Rodulfum de Vvaiet, ex sorore Emma nepotem, hæredem sui casamenti fecisset; Eustachius filius eius naturalis, dum exequiæ patris agerentur, omnes munitiones eius occupans & muniens, omnem terram sui patris diutiùs hac inuasione quietè tenuit, donec vxor eius IVLIANA, filia Regis Henrici notha, nimis arroganter & stultè contra voluntatem & fidelitatem Regis, custodes suos de munitione Britolij eiecit. Qua de causa Rex exacerbatus, omnem illam hæreditatem, quam non hæreditario iure, sed sua peruasione, imò Regis clementiâ hactenus ille possederat, non immeritò illi abstulit. Castrum siquidem Iureicense * redditum est Goello, & filiis suis. Ceteram terram, sicut iam diximus, Robertus Comes Legrecestriæ cum vxore sua postmodum accepit. Eustachio proinde Paceij oppidum solummodo remansit. Et quia hæc causa D

* *Cod. vnus MS. habet,* Vireij, *& sic vbique.*

* *al.* Ibreicense.

Vvillelmi

A Vuillelmi filij Osberni, cuius supra mentionem fecimus, latiùs executi sumus: nunc ad ea quæ de Comitibus Flandriæ proposueramus, reuertamur. HENRICVS I.

CAPVT XVI.

De morte Vuillelmi Comitis Flandriæ.

IGITVR prædicto Roberto Comiti Flandriæ HENRICVS Rex Saxonum, & Imperator Romanorum, dedit Comitatum Cameracensem, & ipse fecit ei indè fidelitatem. Genuit autem idem Robertus duos filios, ROBERTVM, & PHILIPPVM. Robertus verò Herosolymitanus cognominatus, quia interfuit, dum Hierusalem à Christianis caperetur, genuit BALDVINVM, qui ei successit. Eodem verò Balduino mortuo ex vulnere, quod in conflictu quodam apud Aucum castrum B quoddam Normanniæ acceperat, KAROLVS cognatus ipsius ei successit. Quo per traditionem occiso, sicut iam dictum est, eundem Comitatum Flandriæ, sicut superiùs diximus, Vuillelmus filius Roberti Ducis Normanniæ habuit. Sed paruo tempore superuixit, in cuiusdam oppidi assultu appetitus lethali vulnere. Decessit verò VI. Kal. Aug. anno ab incarnatione Domini MCXXVIII. Sepultus est autem in Ecclesia sancti Bertini Confessoris, & successit ei TERRICVS DE AVSEIS, cognatus præcedentium Comitum. Huic Henricus Rex Anglorum copulauit sororem Gaufridi Martelli Comitis Andegauorum. Robertus autem Dux Normanniæ, pater prædicti Vuillelmi, mortuus est in Anglia apud Bristoldum castellum Roberti Comitis Glocestriæ nepotis sui, cui Henricus Rex eum ad custodiendum tradiderat. Decessit autem IIII. Idus Februarij, sepultúsque est in Ecclesia sancti Petri Gloëcestriæ, anno ab incarnatione Domini MCXXXIV. His per anticipationem intimatis, nunc ad ordinem historiæ reuertamur.

CAPVT XVII.

C *Quòd mortuo Philippo Rege Francorum successit Ludouicus filius eius: & de origine Comitum Ebroicensium, & eorum posteritate.*

CIRCA hæc tempora rebus humanis excessit Philippus Rex Francorum, & successit LVDOVICVS filius eius. Mortuo etiam Vuillelmo Rothomagensi Archiepiscopo, eandem Pontificatus sedem adeptus est Gaufridus Decanus Cenomannensis. Paruo exinde tempore exacto, moritur VVILLELMVS Comes Ebroicensis. Et quoniam de hac ciuitate fecimus mentionem, libet paulò superiùs originem Comitum eius repetere. Robertus igitur filius primi Richardi Ducis Normanniæ, Archiepiscopus Rothomagensis, & Comes Ebroicæ ciuitatis, contra morem Ecclesiasticum vxoratus, quasi quilibet laicus, genuit duos filios: Richardum, qui ei successit in Comitatum, & Rodulphum de Vuaceio. Richardus D autem Comes ex relicta Rogerij de Toënio, qui peremptus fuerat in quodam conflictu, genuit prædictum Vuillelmum, qui ei successit: & vnam filiam, quæ nupsit SIMONI DE MONTE-FORTI, ex qua natus est ALMARICVS, & BERTA soror eius. Sed ante eam idem Simon habuerat duas vxores. Ex quarum prima filius eius primogenitus, alter videlicet ALMARICVS, natus est, & Elisabeth soror eius. Occiso autem illo Almarico, Rodulfus de Toënio. * * * *.

* *Reliqua huius Capitis, & sequentia XVIII. XIX. XX. integra, cum initio XXI. desũt, etiam in Gemmeticẽsi Codice.*

CAPVT XVIII.

De discordia inter Henricum Regem, & Amalricum Comitem Ebroicæ ciuitatis.

A

Capvt XIX.

De bello inter Ludouicum Regem Francorum, & Henricum Regem Anglorum.

Capvt XX.

Quomodo, facta concordiâ cum Ludouico Rege, Rex Henricus rediit in Angliam: & de morte Vvillelmi filij sui.

Capvt XXI.

De dissentione inter eundem Regem, & Gualerannum Comitem Mellenti, & quo fine terminata sit.

B

* * *. Denique cateruis more pugnantium, necnon & equitibus sagittariis, quorum inibi exercitus Regius maximam multitudinem habebat, in dextra parte hostium præmissis: clamor, vt in initio bellorum solet fieri, vtrinque attollitur. Sed antequam militum cunei iungerentur, pars Comitis instantiâ sagittariorum, qui eam in dextris, vbi carebant protectione clypeorum, absque interuallo sagittabant, penè defecerat. Spaciosum esset ire per singula, sed nos ad cetera festinantes rei euentum succinctè enodamus.

Inito itaque certamine, postmodum captus est Comes Vvalerannvs. Capti sunt etiam omnes illi famosi & diuites milites, qui eius signa sequebantur; licèt aliqui, postquàm in manus hostium venerunt, consentientibus quibusdam suorum necessariorum, quos in exercitu regio habebant, fugâ elaberentur. De quorum numero fuit Amalricvs Comes Ebroicensis, & Vvillelmus Louellus de Iurei. Gestum est autem hoc bellum à Ducibus Henrici Regis Anglorum, contra
1124. Vvalerannum Comitem Mellenti, anno ab incarnatione Domini mcxxiv. vii. Kal. Aprilis, haud procul à villa, quam vocant Burgum Turoldi.

Capvt XXII.

C

Qua sagacitate idem Rex terram suam pacificè regebat.

Comite itaque Vvaleranno in vinculis cum sociis suis posito, Rex Henricus turrem Vvateuillæ funditus fecit euerti. Oppido præterea Brionnij vi potiùs quàm voluntaria redditione sibi subiugato, eum, qui idem post captionem Comitis diu tenuerat, orbitate oculorum mulctauit. Vnde perterriti, qui castrum Bellimontis seruabant, ne similia paterentur, illud Regi reddiderunt. Taliter igitur omni illa perturbatione sopita, Rex tam terram Comitis, quàm ceterorum, qui cum eo capti fuerant, in suo dominio habuit. Sed tamen post aliquot annos Comiti Vvaleranno data veniâ, & à vinculis liberato, redditus suæ terræ habere permisit, munitiones tantùm ipsius in sua manu retinens. Quidam verò concaptiuorum, quamdiu idem Rex humanis rebus interfuit, in vinculis suis permanserunt. Ex quo autem Comes Mellenti in supradicto conflictu captus est, tam in Ducatu Normanniæ, quàm in regno Angliæ, per totum decennium, quo Rex Henricus superuixit, summa pax viguit: licèt nepos eius Vvillelmvs paruo tempore, quo Comitatum Flandriarum tenuit, eam perturbare pro suo posse satageret. Sed cùm sapiens Rex misericordia & diuitiis ferè omnibus sui temporis Principibus excelleret: altero eorum, scilicet misericordiâ, Ecclesiis, & Monasteriis, & pauperibus hominibus suæ terræ condescendebat: altero verò, id est opulentiâ thesaurorum infinita, plurimas centurias militum in diuersis locis hostibus propinquis opponebat, qui eos à rapina Ecclesiarum, vel pauperum, acie ferri repellerent. Vnde factum est, vt raro etiam illa terra inclyti Augusti Henrici, quæ in confinio ceterarum Prouinciarum erat, aliqua hostili læsione læderetur, D

A ne dum illa, quæ ab eis longè aberat: quia, vt dictum est, multitudo militum, quos excellentissimus Princeps suis stipendiis sufficienter alebat, & donatiuis muneratos honorabat, illis obsistebant. HENRICVS I.

CAPVT XXIII.

Quid de trapazetis per omnem ferè Angliam deprauatis ob amorem iustitiæ fecit.

REFERAM quiddam, quod accidit, dum prædicta discordia adhuc perseueraret inter Regem & Comitem Mellenti, in quo apparebit & seueritas iustitiæ ipsius in impios, & contemptus pecuniæ in comparatione rectitudinis. Cùm igitur in Normannia rebus bellicis intendens ageret, accidit vt nescio qua peruersitate deprauati omnes ferè trapazetæ Anglici regni monetam stanneam, in qua vix tertia pars esset argentea, cùm eadem moneta tota ex argento soleret fieri, fabricarent. B Cùm verò de eadem falsa moneta in Normanniam delata regij milites fortè stipendium accepissent, nec de ea, vtpote non legitima, aliquid emere valerent, de falsitate eius conquesti sunt apud Regem. Iratus ergo Rex, & propter militum suorum iniuriam, magis autem ob iustitiam temeratam, sententiam dictauit: mandans & præcipiens illis, quos in suo loco in Anglia dimiserat; vt omnes numularios, qui huius impietatis iustè argui valerent, abscisione dextrarum manuum, necnon & genitalium membrorum mulctarentur. O virum defensorem iustitiæ, & iniquitatis acerrimum punitorem! O si vellet redemptionem accipere pro tot hominum impiorum membris, quanta millia talentorum posset inde lucrari! Sed, vt diximus, spreuit pecuniam amore iustitiæ.

CAPVT XXIV.

C

De obitu Vuillelmi Abbatis Beccensis, & de bonitate venerabilis BOSONIS successoris sui.

HOc tempore moritur Vuillelmus Abbas Beccensis, & succedit domnus Boso; de quo venit in litem, plúsne sit meritus hominum reuerentiam atque gloriam, secularium ac spiritualium rerum singulari peritia, an Ordinis Monastici singulari obseruantia. Hunc plurimi potentes, tam seculari quàm Ecclesiastica dignitate fulgentes, intima familiaritate colebant: vt patrem venerantes, verentes vt præceptorem, diligentes vt germanum ac prolem. Illi consulta animarum suarum, illi speculam quandam, vnde Ordinibus Ecclesiasticis prospiceretur, committebant. Potuit namque viri talis vigilans cura, cui maximam auctoritatem sapientiæ pariter ac sanctitatis prærogatiua comparauit, securitatem non paruam optimæ sollicitudini eorum promittere. Hunc, vt diximus, Rex Henricus, imò generalis totius Conuentus consensus Monasterij Beccensis Abbatem statuit, non minus D reluctantem subiectionis amore, quàm altioris gradus timore. Venerantur eum reuerentes Abbates, Monasteria, Synodi, Curiæ, vt prudentem, ita eloquentem; vt iustum, ita discretum. Gustat hic imperio naturæ, non epulatur: qui nec pecuniæ vnquam faueat vel gratiæ, siue in iudicio, siue in concilio sententiam dicens. Exhibet se blandum ac seuerum, decentissima in alterutrum permutatione, nullius hominis, omnis vicij clemens persequutor, pius inimicus. Sed ne à gestis inclyti Regis longiùs digredi videamur, ad ea, quæ de filia eius MATHILDE Augusta Imperatrice promisimus, narranda redeamus.

HENRICVS I. A

CAPVT XXV.

Quòd obeunte Henrico Imperatore, Rex Henricus filiam suam Mathildem Imperatricem reductam in Angliam matrimonio copulauit GAVFRIDO *Duci Andegauensium: ex qua suscepit tres filios,* Henricum, *Gaufridum, & Vuillelmum.*

CVM igitur Henricus IV. Romanorum Imperator Augustus citra senium obiisset, anno videlicet ab incarnatione Domini MCXXV. potentissimus Rex Anglorum Henricus filiam suam prædictam Imperatricem, missis Proceribus, cum magno honore fecit reduci in Angliam: licèt excellentissimi Principes Curiæ Romanæ, experti prudentiam ipsius, & morum venustatem, viuente Imperatore coniuge suo, eam omnimodis sibi imperare optarent, & hac de causa ipsam prosecuti sint vsque ad Curiam sui patris, id ipsum rogaturi. Quorum petitioni cùm Rex minimè B adquiesceret (volebat enim illam post suam mortem in regnum Angliæ hereditario iure succedere) fecit Episcopos, & Archiepiscopos, & Abbatum potentiores, necnon Comites & Satrapas totius Anglici regni, sub artissimo sacramento illi fidelitatē hoc pacto promittere, quatenus ipsi pro suis viribus obniterentur, vt eadē Augusta post decessum patris Monarchiam maioris Britanniæ, quam nunc Angliam vocant, obtineret. Quod vtrum fecerint, nihil mea interest dicere. Procedenti autem tempore, pater suus cupiens carere inimicitiis, & importunitate FVLCONIS, Comitis videlicet Andegauorum, Turonorum, atque Cenomannorum (namque inter eos quibusdam ex causis longa simultas durauerat) licèt inuitam dedit eandem Imperatricem in vxorem GAVFRIDO MARTELLO filio prædicti Fulconis, qui ei in Comitatum successit, cùm idem Fulco Rex Hierosolymorum efficeretur. De qua idem Marchio genuit tres filios, HENRICVM, GAVFRIDVM MARTELLVM, VVILLELMVM, hæredes legitimos Anglici Principatus, non solùm ex parte Henrici Regis aui sui, verumetiam ex parte Mathildis Reginæ auiæ ipsorum. Vtérque enim coniux consanguinitatem veterum Regum Angliæ, licèt C diuerso modo, proximè attingebat: sicut in Libro, qui de vita ipsius Reginæ scriptus est, continetur. Quem propter notitiam rerum gestarum, & ad honorem & memoriam vtriúsque; matris, de qua editus est; & filiæ, ad quam editus est, huic operi forsitan adiungeremus.

CAPVT XXVI.

Quomodo Reges Francorum descendant de origine Comitum Andegauensium.

NEc alicui, vel ipsi Imperatrici Augustæ omninò indignum videatur, quòd post thorum Imperatoris coniugium sortita est Comitis Andegauorum. Licèt enim multò minoris dignitatis sit Comes Andegauensis, quàm Imperator Romanus: tamen si quis consulat gesta Regum Franciæ, inueniet de quàm generosa stirpe descendant Comites Andegauensium. Ibidem enim reperiet, quòd Reges Franco- D rum, qui nostris temporibus idem regnum administrant, de prædictorum Comitum propagine deriuentur. Sic enim, postquam de morte CAROLI CALVI in eisdem gestis tractatum est, etsi non eisdem verbis, eadem tamen sententia reperitur: Obeunte LVDOVICO filio Karoli Calui, cùm KAROLVS SIMPLEX filius eius adhuc puer habenas regni minimè moderari valeret, & duo filij ROBERTI COMITIS ANDEGAVORVM, qui fuit vir Saxonici generis, superessent, ODO scilicet Princeps, sub cuius custodia Ludouicus reliquerat filium suum Karolum, & ROBERTVS frater eius: Burgundiones & Aquitanenses elegerunt sibi in Regem prædictum Odonem, qui XIII. annis regnum Francorum optimè rexit, & contra Danos, qui tunc temporis Gallias demoliebantur, nobiliter protexit. Decedente verò Odone, Karolus Simplex recepit regnum suum, & Robertus frater Odonis factus est sub eodem Karolo Princeps Francorum. Sed quia non ei reddebatur pars Principatus, quam frater suus Odo, antequam in Regē

A eligeretur, habebat: rebellauit idem Robertus contra Karolum Regem, vnctúsque ipse in Regem, vno anno regnauit, sed postea occisus est in bello Suessonico ab exercitu Karoli Simplicis. Factus est tamen post ipsum Princeps Francorum filius eius HVGO MAGNVS, natus ex filia HEREBERTI Comitis Parronæ. Hic Herebertus per traditionem cepit Karolum Simplicem reuertentem cum victoria à prædicto prælio, & in vinculis ipsius mortuus est idem Karolus. Supradictus verò Hugo Magnus genuit ex filia OTTONIS Regis Saxonum, postmodum verò Imperatoris Romanorum, HVGONEM CAPET, & fratres eius. Qui Hugo, adnullato genere Karoli Magni, vnctus est in Regem super Francos. Ipse etiam superstite, primo regni sui anno adiunctus est in regnum ROBERTVS filius eius, Rex piissimus, vir in literarum scientia plurimum à GERBERTO Monacho Philosopho, postea verò Papa Romano, instructus. Hæc de gestis Francorum huic Opusculo inserui, volens nescientibus intimare nobilitatem Comitum Andegauensium, & quòd tertia familia Regum Fráciæ (siquidem de tot familiis ab initio illius regni B vsque nunc seriatim creati sunt Reges) de eorum propagine modo, quem diximus, veniant. Non igitur vsquequaque indignum, si filia Regis Anglorum matrimonio copulata est viro cognatione propinquo Regibus Francorum. Nunc ad ordinem rerum propositarum reuertamur.

HENRICVS I.

CAPVT XXVII.

Quàm deuotè prædicta Imperatrix thesauros suos diuersis Ecclesiis & inopibus, dum ægrotaret, erogauit.

SÆPENOMINATA denique MATHILDIS Imperatrix, dum quadam vice apud Rothomagum infirmaretur, sufficiens argumentum suæ prudentiæ & religionis tam præsentibus quàm futuris ostendit. Gazas enim non solùm Imperatorias, quas secum de Italia incomparabiles attulerat, verumetiam quas Regalis, C imò paterna munificentia de inexhaustis Anglorum thesauris sibi contulerat, tam deuota manu Ecclesiis diuersarum Prouinciarum, & vtriúsque sexus Religiosis, pauperibus, viduis, orphanis, distribuit; vt nec à culcitra serica, super quam in ipsa infirmitate iacebat, abstineret, quin ipsa distracta precium eius leprosis erogari iuberet. Veruntamen promptiorem se Beccensi Ecclesiæ, quàm multis Cœnobiis Neustriæ, ne dicam omnibus, in hac erogatione exhibuit: dans ei tam diuersa donaria, materiâ, artificióque preciosissima, quæ Bizantium percara haberet, & quæ ad seculi terminum honora permanere valeant, semper ipsius Imperatricis Augustæ studium & amorem erga illam Ecclesiam repræsẽtãtia, vicissimque cordibus inibi habitantium memoriam insignis Dominæ arctiùs imprimentia. Singula descriptionibus aut nominibus designare, spaciosum foret. Voluptuosum est spectare hospitibus maximis, & qui sæpe nobilium Ecclesiarum thesauros viderunt. Transiret illac hospes Græcus aut Arabs, voluptate traheretur eadem. Credimus autem, & credere fas est, æquissimum iudicem omnium non solùm in futuro, verumetiam in præsenti seculo illi centuplum redditurum, quod seruis suis manu sicut larga, ita D deuota gratanter impendit. Ad remunerationem verò instantis temporis pertinere non dubium est, quòd miserante Deo sopita aduersa valetudine, sanctitatem refouit, & Monachos suos, Monachos Beccenses, qui præ omnibus, & super omnes pro ipsius sospitate, iugi labore supplicandi decertando pene defecerant, aurâ prosperæ valetudinis eius afflatos omninò redintegrauit.

CAPVT XXVIII.

Quòd dum desperaret poposcit Regem, vt Becci sepeliretur: & de affectu eius circa eandem Ecclesiam, & quòd sospitati reddita sit.

NEC supprimendum illud est silentio, imò, vt ita dicatur, vncialibus literis exaratum, seculo venturo transmittendum; quòd antequam conualesceret po-

HENRICVS I. ſtulauerat patrem ſuum, vt permitteret eam in Cœnobio Beccenſi humari. Quod A Rex primò abnuerat, dicens non eſſe dignum, vt filia ſua Imperatrix Auguſta, quæ ſemel & iterum in vrbe Romulea, quæ caput eſt mundi, per manus ſummi Pontificis Imperiali diademate proceſſerat inſignita, in aliquo Monaſterio, licèt percelebri & religione & fama, ſepeliretur; ſed ad ciuitatem Rotomagenſium, quæ metropolis eſt Normannorum, ſaltem delata, in Eccleſia principali, in qua & maiores eius, Rollonem loquor & Vvillelmum Longamſpatam filium ipſius, qui Neuſtriam armis ſubegerunt, poſiti ſunt, ipſa & poneretur. Qua deliberatione Regis percepta, illi per nuncium remandauit, animam ſuam numquam fore lætam, niſi compos voluntatis ſuæ in hac duntaxat parte efficeretur. O femina macte virtutis & conſilij ſanioris, paruipendens pompam ſecularem in corporis depoſitione! Nouerat enim ſalubrius eſſe animabus defunctorum ibi corpora ſua tumulari, vbi frequentiùs & deuotiùs ſupplicationes pro ipſis Deo offeruntur. Victus itaque pater ipſius Auguſtæ pietate & prudentiâ filiæ, qui ceteros & virtute & pietate vincere ſolitus erat, ceſſit, & voluntatem, & petitionem ipſius de ſe ſepelienda Becci fieri conceſſit. Sed volente Deo, vt præfixum eſt, ſanitati integerrimæ reſtituta conualuit. His igitur de B Imperatrice Auguſta ſuo loco, prout dignum eſt, commemoratis, de ceteris liberis Henrici Regis, licèt minus idoneo modo procreatis, propter rerum tamen notitiam, aliqua vel breuiter dicamus.

CAPVT XXIX.

Quòd Henricus Rex duxit ADELIZAM, mortua Mathilde vxore ſua: & de liberis quos aliundè procreauit, quorum primogenitus fuit Robertus Comes Gloeceſtriæ, qui hæreditatem Roberti filij Haimonis cum filia ipſius accepit.

MORTVA itaque ſecunda Mathilde Regina Anglorum, matre huius Imperatricis Auguſtæ, ſicut in ſuperioribus dictum eſt, HENRICVS Rex duxit ADELIZAM filiam GODEFRIDI Ducis Louaniæ, Comitis Euſtachij Bolonienſis conſobrinam, de qua nihil poſteritatis accepit. Habuit tamen idem Rex filios ſex, & ſeptem filias; licet minus honeſto, vt prædiximus, modo progenitos. Illorum C autem primogenito ROBERTO pater ſuus quandam nobiliſſimam puellam nomine SIBYLLAM, filiam ROBERTI filij HAIMONIS, neptem, ſcilicet ex filia MABILIA, Rogerij de Monte-Gummerici, patris videlicet Roberti de Belliſmo, matrimonio copulauit: concedens ei maximam hæreditatem, tam in Normannia quàm in Anglia, quæ præfatæ virgini hæreditario iure competebat. Ex ipſa autem genuit filios quinque, ſcilicet VVILLELMVM ſuum primogenitum, & fratres eius, & vnam filiam. Hæreditatis autem, quam cum præfata virgine idem Robertus adeptus eſt, caput eſt oppidum Torinneium nuncupatum, in confinio Comitatuum Baiocenſis & Conſtantinienſis ſitum, diſtans à fluuio, nomine Vira, qui prædictos Comitatus dirimit, in citeriori parte millibus fermè duobus. Quod municipium à prædicto Regis filio Roberto, poſtquã in iuris eius poteſtatẽ redactũ eſt, turribus excelſis, & mœnibus robuſtiſſimis, necnõ & foſſatis prœruptis, & in ipſo ſaxeo monte inciſis, contra omnium inimicorum conatum munitus eſt, & ex magna D parte aquis in piſcinas collectis vallatum & inacceſſum. Et licèt terra circumiacens minus in fertilitate frugum reddenda ſit habilis, eſt tamen idem oppidum populoſum, negociatoribus diuerſarum mercium refertum, ædificiis tam publicis quàm priuatis ornatum, copiâ auri & argenti non egenum. Dedit etiam illi Rex terram Haimonis Dapiferi, patrui videlicet vxoris ſuæ. Præterea, quia parum erat filium Regis ingentia prædia poſſidere abſque nomine & honore alicuius publicæ dignitatis, dedit illi pater pius Comitatum Gloeceſtriæ. RICHARDVS autem huius Comitis vno de patre frater, cum fratre ſuo VVILLELMO, in ſæpedicto naufragio periit. Alij verò tres, id eſt RAINALDVS, ROBERTVS, GISLEBERTVS, adhuc iuuenes ſine caſamẽto ſunt. Quartus, ſcilicet VVILLELMVS DE TRACEIO, paululũ poſt mortẽ patris rebus humanis exemptus eſt. Filiarum verò vna nomine MATHILDIS nu-

A psit Comiti Perticensi Rotroco, de qua genuit vnam filiam. Ipsa verò Mathildis Comitissa postmodum in supradicto naufragio cum fratribus suis submersa est. Alia item MATHILDIS nuncupata data est Conano Comiti minoris Britanniæ, genuítque ex ea filium nomine Hoellum, & filias duas: Tertia, scilicet IVLIANA, Eustachio de Paceio: qui habuit ex ea duos filios, Vvillelmum & Rogerium. Quarta, Vvillelmo Goieto. Quinta Vicecomiti de Bellomonte, quod castrum situm est in Cenomannensi pago. Sexta Matthæo filio Burchardi de Montemorenceio. Septima, quæ nata ex Elizabeth, sorore Vvaleranni Comitis Mellenti, adhuc innupta permanet. HENRICVS I.

CAPVT XXX.

Quòd decedente Gaufrido Rothomagensi Archiepiscopo, qui Vvillelmo dudum successerat, eandem sedem adeptus est Hugo Abbas Radingarum.

B

CIRCA hæc tempora, decedente GAVFRIDO Archiepiscopo Rotomagensi, HVGO primus Abbas Radingensis successit. Paruo exinde tempore exacto, Innocentius Papa II. Rotomagum veniens causâ Regis Henrici, ingentibus obsequiis, vt virum Apostolicum decebat, ab eodem Rege susceptus & prosecutus est. Sic etiam Calixtum Papam longè antea se adeuntem pro causis Ecclesiasticis, apud castrum suum Gisorz nomine, in margine sui Ducatus situm, regaliter procuratum, muneribus onustum regiis remiserat.

CAPVT XXXI.

C *De castellis, quæ Rex Henricus ædificauit in Ducatu Normanniæ; & quòd pacem non solùm in terra sua, verumetiam in longinquis regionibus sua sapientiâ faciebat.*

FECIT autem Rex Henricus plurima castella tam in regno, quàm in Ducatu suo. Cetera verò ab antecessoribus suis constructa, non solùm municipia, sed etiam antiquissimas vrbes penè omnes meliorauit. Illorum autem, quæ in Normannia construxit, in margine sui Ducatus & confinium Prouinciarum, ista sunt nomina: Driemcurtis, Nouum-castrum situm super ripam Eptæ fluminis, Vernoilum, Nonanti-curtis, Bonum-molendinum, Colmiæ-mons, Pons-Vrsonis, & alia, quæ ex industria prætereo, ne moram faciam. Pacem non solùm in terra sua, verumetiam in longè positis regnis concessa sibi à Deo sapientiâ & bonitate tenebat. Vvallenses semper Anglis rebelles ita subditos habebat, vt per omnem terram eorum vel ipse, vel Satrapæ sui, illis inuitis, munitiones ædificarent: nec aliquam in suo iure munitionem haberent ipsi illo viuente, præter montem, qui linguâ Anglorum D Sneundune *, id est mons niuosus, quia ibi iugiter nix perdurat, appellatur. Vnum in ipso quidam non immeritò, vt pluribus videtur, reprehendendum ducebant. Cùm enim haberet in manu sua nonnullorum Baronum suorum, & etiam vicinorum aliquorum collimitantium suo Ducatui munitiones; ne illi confidentes in eis aliquid contra pacem sui Imperij agerent, illas velut proprias ambitu murorum & turribus nonnumquam muniebat. Qua autem intentione illud faceret, à multis nesciebatur, vnde idipsum reprehendebant.

* Snovvdovvne.

HENRICVS I.

CAPVT XXXII. A

De Ecclesiis, vel de Monasteriis quæ ædificauit, & de largitate eius in seruos Christi, & de ceteris piis eius actibus.

FVIT autem inclytus Rex Henricus, de cuius actibus loquimur, liberalissimus non solùm potentibus huius mundi, verumetiam, quod maius est, & vtilius, hominibus religiosis. Testantur hoc Episcopi, Abbates, Monachi pauperes, Sanctimonialium greges, non solùm Franciæ & Aquitaniæ, verumetiam Burgundiæ & Italiæ, qui ab ipso annuatim plurimum emolumenti accipiebant. Ædificauit autem in Anglia à fundamentis Abbatiam sanctæ Mariæ Radingis super fluuium Tamisiæ, & ornamentis & possessionibus locupletans, Monachos & Ordinē Cluniaci ibi esse fecit. Ædificauit & aliam Ecclesiam apud Cireceſtram in honorem sancti Ioannis, & Canonicos regulares ibidem statuens, illis sufficienter necessaria procurauit. Nihilominus etiam in Normannia apud Rotomagum Ecclesiam sanctæ Mariæ de Prato à matre sua dudum incœptam penè consummauit, claustro & officiis Monachis congruentibus, & ambitu murorum ipsum locum decorans, nonnulla prædia tam in Normannia quàm in Anglia, ad opus ibidem Deo seruientium, cum ornamentis preciosis contradidit; maiora tamen, si aliquantum vita comes foret, secundum suam promissionem largiturus. Et quia idem locus ad Ecclesiam Beccensem pertinebat, vtpotè patrimonium domni Herluini primi Abbatis & fundatoris Beccensis Monasterij, Monachos Beccenses illic Deo seruituros instituit. Illius enim Ecclesiæ Abbates & Monachos mirè semper coluit, plurimum veneratus est: maximè autem domnum Bosonem Abbatem. Quod nos in nostra memoria experti sumus, cùm idem Rex daret annuatim eidem venerabili viro non minimam summam pecuniæ ad subsidium victualium suæ congregationis, & susceptionem hospitum, quos ille plus amplitudine caritatis, quàm rerum suarum, mirificè, ne dicam vltra vires suas, procuratos honorabat. Et quamuis munificentia Regis eadem largiretur non solùm propter Abbatem, verumetiam propter bonam existimationem Monachorum, quorum orationibus se commendari aut per se, aut per aliquem nūcium frequentiùs satagebat: illud tamen indicio est, quòd illum plus antecessoribus suis in hac duntaxat parte veneratus sit, quòd aliquando centenas libras argenteorum, sæpissimè centum marcas eiusdem metalli, tempore regiminis prædicti Abbatis, Ecclesiæ Becci deuotè contulit: cùm antea vix ad quartam partem prætaxatæ summæ in dando eidem aliquid Ecclesiæ peruenerit. Illum etiam sanctitate & consilio tam spirituali quàm seculari, ceteris personis sui regni excellere, non solùm verbo, sed opere prædicabat: præsertim cùm in illo biennio, quo eundem sanctum virum continuè ante suam mortem graui infirmitate fatigatum, numquam per vicina loca iter faciens præteriret, quin gratiâ visitandi ad eum diuerteret, & quæ ipse pro necessitate sui Monasterij vel alieni ab eo peteret, gratanter impetraret. Ædificata sunt autem tam in regno huius inclyti Regis, quàm in remotis ab eo prouinciis, ipsius consilio & liberali munificentiâ nonnulla seruorum Dei habitacula. Ecclesiam quippe Cluniacensem, vt de minoribus taceam, suis impensis ex maiori parte ædificans, ingentes possessiones in Anglia pro redemptione animæ suæ delegauit. Hoc idem fecit & Ecclesiæ sancti Martini de Campis. Officinis quoque Monachorum Tironis construendis nonnulla adiumenta prævidit, excepto dormitorio, quod ex integro ipse fieri ob memoriam sui ex suis solummodo impensis voluit. Necnon etiam Xenodochium Elephantiosorum Carnoti manentium, opus videlicet pergrande ac mirificum, ipsius munificentia compleuit. Egit præterea inexhausta ipsius largitas Alpes, hactenus penè inuias, petentibus limina Apostolorum, vel reliqua Sanctorum loca, peruias. Quid referam, quòd militibus Templi Hierosolymorum, qui assiduè pro defensione Christianæ Religionis contra Agarenos decertant, plurima subsidia tam in armis, quàm & in ceteris necessariis, deuota manu annuatim transmittebat? Hospitali etiam Hierusalem quandam terram in pago Abrincatensi dedit, in qua illi serui Christi vicum quendam, quem vocant Villam-Dei, magnis priuilegiis regia munificentiâ

A munitum ædificauerunt. Prætereo, quòd Ecclesia beatæ Mariæ Ebroicæ ciuitatis, ipsius quadam pia, vt ita dicatur, crudelitate destructa, & iterùm reædificata, omnes ferè Ecclesias Neustriæ sua pulchritudine superat. Nam cùm, vt sæpiùs dictum est, eadem vrbs causâ discordiæ AMALRICI incensa à Rege fuisset, & Ecclesia Episcopalis sedis minimè ab ipso incendio liberari valeret: Rex eidem Ecclesiæ postmodum tanta in redditibus concessit, vnde ipsa in melius renouata, & summa redditum ipsius Episcopatus hac de causa in perpetuum plurimum esset augmentata. HENRICVS I.

CAPVT XXXIII.

De obitu eius, & quòd corpus eius in Angliam delatum Radingis sepultum est.

LONGVM esset singula pietatis, vel quantum ad regimen publicæ rei attinet, scientiæ & probitatis, ipsius gesta enumerando, perscrutari. Alterius horum Ecclesia cum pauperibus suis, alterius verò Curia non solùm Anglorũ, sed & remotarum Prouinciarum cum Proceribus suis, testis indeficiens perseuerat. Nos igitur non immemores beneficiorum tam à se, quàm à filia sua Matilde Imperatrice Augusta nobis liberaliter collatorum, ne ingrati iudicemur, licèt ei in spiritualibus vicem pro nostro modulo reddere assiduè non negligamus; sategimus, vt ex paucis gestorum eius, quæ commemorauimus, plurimorum, quæ non nescientes prætermisimus, præsentibus & futuris, si imitari non dedignentur, profuturam recordationem suggereremus. Decessit autem post longam regni administrationem sæpè nominatus Henricus Rex Anglorum, & Dux Normannorum, IV. Nonas Decembris, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXXXV. in Normannia, 1135. apud Villam-regiam sitam in silua Leonis, quam per metonomiam sanctum Dionysium vocant. Regnauit autem annis XXXV. & IV. mensibus in Anglia. Ducatui verò Normanniæ præfuit annis XXIX. & mensibus quatuor. Corpus autem ipsius delatum in Angliam, honorificè sepultum est in Ecclesia sanctæ Mariæ Radingis, quam ipse à fundamentis suis sumptibus ædificauerat. Cui Rex seculorum Christus precibus suæ genitricis indulgentiam suorum excessuum conferens, beatorum gaudia misericorditer tribuat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto, viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

(B and C in the left margin of this paragraph.)

EPITAPHIVM IPSIVS.

Quòd modicum præstent, quòd opes magnum nihil extent,
Rex probat HENRICVS, Rex viuens pacis amicus.
Extiterat siquidem præ cunctis ditior idem,
Occiduæ genti quos prætulit ordo regendi.
At necis ad pestes, quid gemmæ, pallia, vestes,
Aes varium terræ, quid castra sibi valuêre?
Vilibus hinc æquam dans sortem, pallida, nequam,
Protendendo pedem, mors eius pulsat ad ædem.
Quo dum dira febris prima sub nocte Decembris
Mundum nudauit, mundo mala multiplicauit.
Quippe pater populi, pax & tutela pusilli,
D *Dum pius ipse ruit, furit impius, opprimit, vrit:*
Anglica lugeat hinc, Normannica gens fleat illinc.
Occidis Henrice, tunc pax, nunc luctus vtrique.

ITEM EIVSDEM.

Sensu, diuitiis, aditu, feritate decenti
Mirè, plus dictu, vim perpessis scelerosis,
Excellens, locuples, haud difficilis, reuerendus,
Hîc iacet Henricus Rex quondam, pax, decus orbis.

ITEM EIVSDEM.

Victor, sectator, vindex, tutamen, amator,
Bellorum, pacis, scelerum, regni, bonitatis,
Continet hunc loculum Rex notus vbique locorum,
HENRICVS pridem, tunc terror, nunc cinis idem.

Caput XXXIV.

A

De quatuor sororibus prædicti Regis, quarum Adela nupsit Stephano Comiti Blesensi, & de filiis ipsius Adelæ.

DE filiabus primi Vuillelmi Regis Anglorum, sororibus inclyti Regis Henrici, de cuius gestis iam aliqua recensuimus, libet huic Opusculo causâ & amore ipsius fratris earum in calce Libri inserere. Primogenita igitur earum, Cecilia nomine, virgo Deo sacrata in Monasterio sanctæ Trinitatis Cadomensis oppidi, post Mathildem ipsius loci primam Abbatissam, illi Cœnobio pluribus annis præfuit. Secunda verò Constantia Alanno Fergant Comiti minoris Britanniæ, filio scilicet Hoëlli, qui Conano successerat, matrimonio iuncta, absque liberis mortua est. Vnde factum est, vt idem Comes post ipsam duceret filiam Fulconis Rechin Comitis Andegauorum, ex qua genuit Conanum iuniorem, qui ei successit, sicut in superioribus commemoratum est. Occiso autem per traditionem Gaufrido Martello, viro magnæ probitatis, primogenito filio prædicti Fulconis Comitis Andegauorum, successit alter filius suus Fulco nomine, natus ex alia coniuge nomine Berta, sorore videlicet Amalrici, Comitis Ebroicensis. Hic, postquàm accepit filiam Comitis Heliæ Cenomannorum, cum ipsius Comitatu, & genuit ex ea duos filios, Gaufridum scilicet Martellum, de quo iam pauca superiùs diximus, & Heliam; & totidem filias, quarum vna nupsit Vuillelmo filio Henrici Regis Anglorum, quo mortuo apud Fontem-Ebraudi sumpsit habitum Religionis; altera Terrico Comiti Flandrensium: mortua vxore sua perrexit Hierusalem, & accepta filia secundi Balduini Regis nouiter defuncti, factus est tertius Rex Hierosolymitanorum. Siquidem capta vrbe Hierosolyma à Christianis, primus præfuit illi Dux Godefridus frater Eustachij Comitis Boloniæ. Hic tamen ad reuerentiam nostri Redemptoris, qui in illa vrbe Coronam spineam pro nobis peccatoribus gesserat, numquam voluit regio diademate insigniri. Quo mortuo, Balduinus frater eius factus est ibi primus Rex, cui successit alter Balduinus nepos prioris. Et illi, vt diximus, accepta eius filia, Fulco Comes Andegauorum. Tertia verò filiarũ Vuillelmi Regis Adelidis Heraldo proditori ante bellum Anglicum sponsata, sed illo digna morte mulctato nulli nupta, virgo iam nubilis obiit. Quarta Adela vocata nupsit Stephano Comiti Blesensi, ex qua suscepit quatuor filios, Vuillelmum, Theobaldum, Henricum, Stephanum, & vnam filiam. Vuillelmus autem primogenitus honorem Soreij * regendum à patre suscepit. Huius filiam duxit Henricus Comes Aucensis, filius Vuillelmi Comitis, licèt proxima consanguinitate necterentur, natique sunt illi ex ea tres filij, & vna filia. Theobaldus vir per omnia laudabilis, vt pote laicus, ac viros religiosos nimio affectu venerans, ac fouens, successit patri in Comitatu Blesensi; Comitatum etiam Trecarum emens ab Hugone patruo suo, simul cum Carnotensi possedit. Accepit autem vxorem filiam cuiusdam Comitis Bohemiæ *, ex qua plures filios habuit, & filias. Henricus autem frater eius à puero Monachus Cluniacensis, postmodum ab Henrico auunculo suo Rege Anglorum accepit priùs dono Abbatiam Glastoniæ, & postea Episcopatum Vuintoniensem. Stephanus etiam ab eodem Rege factus Comes Moritolij, ipso suffragante duxit vxorem Mathildem filiam Eustachij Comitis Boloniæ, neptem videlicet secundæ Mathildis Reginæ Anglorum ex sorore Maria. Et quia idem Eustachius nullum habebat filium, causa vxoris suæ ipse Stephanus tam Comitatus Boloniæ, quàm etiam magnarum possessionum, quas socer eius habuerat in Anglia, hæres factus est. Genuit autem ex ea plures filios & filias. Hic autem Stephanus factus est Rex Anglorum post excessum auunculi sui Henrici Regis. Nam cùm decederet idem Rex in Normannia, Mathildis filia ipsius quondam Imperatrix, quam dudum constituerat hæredem sui regni, in Andegauensi pago cum coniuge suo Gaufrido Duce ipsius Comitatus, & filiis, morabatur. Recesserat enim à Normannia paulò ante mortem sui patris, erga ipsum aliquantulum commota: quia idem Rex reconciliari nolebat impunè Vuillelmo Talauatio, quamuis ipsa indè ei plurimùm supplicaret.

B C D

* leg. Soleij.

* al. Behaniæ.

A Quod non ad contemptum dilectæ filiæ faciebat, sed ne minus timeretur ab ipso Vvillelmo, vel ceteris Principibus suis, si properè ac leuiter iniuriam illi remitteret. HENRICVS I.

CAPVT XXXV.

Quòd Rogerius de Monte-Gummerici natus est ex vna neptium Gonnoris Comitissæ, & de antecessoribus ipsius Rogerij.

FVIT autem hic Vvillelmus filius Roberti de Bellismo, natus ex filia VVIDONIS Comitis Pontiui. Qui Robertus ob nimiam crudelitatem ipsi Regi, & ceteris multis sapientibus viris exosus habebatur. Ipso denique in vinculis posito, in quibus & defecit, Rex Henricus nobilissimum oppidum eiusdem nomine Bellismum cepit, & illud ROTROCO Comiti Perticensi genero suo dedit. Licèt pagus Bellismensis non ad Ducatum Normanniæ pertineret, sed ad regnum Francorum; B dederat tamen dominium eiusdem pagi, vel vt quidam dicunt, vendiderat dudum Philippus Rex Francorum cognato suo Vvillelmo seniori Regi Anglorum, & Duci Normannorum. IVO autem de Bellismo antecessor huius Roberti fuit vir potens & sapiens, cuius consilio primus Richardus, dum adhuc puer teneretur in custodia Regis Francorum, ereptus est, agente Osmundo armigero ipsius pueri. Huius autem Iuonis fuit filius VVILLELMVS DE BELLISMO, qui genuit alium Vvillelmum cognomento Talauatium patrem Mabiliæ. Hanc Mabiliam Rogerius Comes filius Hugonis de Monte-Gummerici accepit in vxorem, cum tota hereditate patris ipsius, quam habebat siue in Bellismensi pago, siue Sennensi vltra fluuium Sartæ. Ipse autem Rogerius natus est ex quadam neptium Gunnoris Comitissæ *: vnde & ipse ingentes possessiones habuit in diuersis regionibus Normanniæ. Genuit autem ex ipsa Mabilia quinque filios, & quatuor filias. Successit verò eidem Robertus de Bellismo filius eius, vir per omnia nefarius: qui ex filia Vvidonis Comitis Pontiui, sicut iam diximus, genuit Vvillelmum Talauatium successorem suum. Hic Talauatius habuit ex ALA vxore sua, quæ fuerat antea vxor * Du- C cis Burgundiæ, duos filios, & totidem filias. Filiorum verò primogenitus VVIDO patre viuente factus est Comes Pontiui. Filiarum autem vna IVHELLO filio VVALTERII DE MEDVANA nupsit, ex qua habuit plures filios. Altera verò tertio VVILLELMO DE VVARENNA, Comiti videlicet Surreiæ. Prædictus autem Rogerus de Monte-Gummerici bello Anglico interfuit, & à Vvillelmo Rege Anglorum Comitatus Arundelli & Salopesberiæ dono accepit.

* *scil.* ex Iocellina filia Vveiuiæ, *vt habet Liber MS.*

* *imò filiæ, vt notat Ordericus Vitalis.*

CAPVT XXXVI.

Relatio quomodo ipsa Gonnor primo Richardo Duci Normanniæ copulata fuerit matrimonio.

ET quia de GVNNORE Comitissa fecimus mentionem, causa matris Rogeri de Monte-Gummerici, quæ fuit neptis eiusdem Comitissæ: libet literarum memoriæ commendare, sicut ab antiquis didici, qualiter ad coniugium Comitis RICHARDI eadem Gunnor accesserit. Igitur Richardus Comes, audita famâ pul- D critudinis coniugis cuiusdam sui forestarij, manentis haud procul ab oppido Arcarum, villâ quæ dicitur Schecheuilla, ex industria iuit venatum illuc, volens probare si verum esset quod relatione quorumdam perceperat. Hospitatus igitur in domo forestarij, illectúsque venustate vultus vxoris ipsius, præcepit hospiti suo, quòd ipsa nocte adduceret ad cubiculum suum vxorem suam SAINFRIAM. sic enim vocabatur. Quod cùm ille eidem tristior retulisset, illa vt sapiens mulier consolata est eum, dicens se suppposituram in loco suo Gunnorem sororem suam virginem, quamplurimùm seipsâ pulchriorem. Quod & factum est. Cognita denique tali fraude, delectatus est Dux, quòd non incurrisset peccando in alienam vxorem. Genuit itaque ex Gunnore filios tres, & totidem filias, vt in Libro, qui de gestis eiusdem Ducis scriptus est, superiùs inuenitur. Cùm verò idem Comes quendam filium suum nomine Robertum vellet fieri Archiepiscopum Rotomagensem, responsum est ei

HENRICVS I. à quibusdam, hoc nullatenus secundum scita Canonum posse, ideò quòd mater eius non fuisset desponsata. Hac itaque causâ Comes Richardus Gunnorem Comitissam more Christiano sibi copulauit, filiique, qui iam ex ea nati erant, interim dum sponsalia agerentur, cum patre & matre pallio cooperti sunt: & sic postea Robertus factus est Archiepiscopus Rotomagensis. A

CAPVT XXXVII.

Quomodo eadem Comitissa sorores suas, & neptes nobilioribus Normannorum in coniugium tradidit, & de posteritate earumdem.

IPSA autem Gunnor, excepta Sainfria, habuit duas sorores, VVEVVAM, & AVELINAM. Altera quarum, adminiculante ipsa Comitissa, quæ fuit femina magnæ prudentiæ, nupsit TVRVLFO DE PONTE-AVDOMARI, qui fuerat filius cuiusdam nomine TORF, à quo etiam vsque nunc quædam villæ cognominatæ sunt Torfuillæ. Huius Turulfi frater fuit TVRCHETILLVS, pater ANSCHETILLI DE HARECVRT. Genuit autem ex eadem idem Turulfus Humfridum de Vetulis, patrem Rogerij de Bellomonte. Tertia autem sororum Gunnoris Comitissæ nupsit OSBERNO DE BOLEBEC, ex qua genuit Galterium Giffardum primum, & Godefridum patrem Vuillelmi de Archis. Hic autem Vuillelmus pater fuit Mathildis, quam Vuillelmus Camerarius de Tancaruilla habuit vxorem, ex qua genuit filium nomine Rabellum, qui ei successit. Prædictus autem Galterius duxit vnam filiarum Girardi Flatelli: alteram verò, scilicet Basiliam, relictam Rodulphi de Vuaceio, habuit Hugo de Gornaco, de cuius successione & posteritate superiùs dictum est. Genuit autem idem Galterius secundum Galterium Giffardum, & filias plures, quarum vna nomine Rohais nupsit Richardo filio Comitis Gisleberti: qui Gislebertus fuerat filius Godefridi Comitis Aucensis, naturalis videlicet filij primi Richardi Ducis Normannorum. Hic Gislebertus habuit, duos filios prædictum Richardum, & Balduinum. Balduinus etiam genuit tres filios, Richardum, Robertum, & Vuillelmum, & totidem filias. Richardus autem frater Balduini genuit ex Rohai quatuor filios, Gislebertum, Rogerium, Vualterium, Robertum, & duas filias: altera quarum matrimonio copulata est Rodulfo de Telegeriis, natique sunt ex ea Franfualo, Henricus, & Robertus Giffardus. Gislebertus autem illam terram, quam pater eorum habuerat in Anglia, post ipsum adeptus est. Rogerius enim frater eius terram de Normannia obtinuit. Hic, inquam, Gislebertus, ex filia Comitis de Claromonte habuit tres filios: Richardum, qui ei successit, & Gislebertum, & Vualterium, & vnam filiam nomine Rohais. Richardus autem duxit sororem Comitis Rannulfi iunioris Comitis Cestriæ, & habuit ex ea tres filios: Gislebertum, qui ei successit, & fratres eius. Ipse autem Richardus immatura morte obiit, peremptus à Vuallensibus, qui immaniter, auditâ morte Henrici Regis, contra Anglos rebellauerunt. Mortuis autem absque liberis Rogerio & Vualterio patruis suis, Gislebertus filius Gisleberti, hereditario iure, ipsis etiam concedentibus, terras eorum adeptus est. Idem verò sororem Vualeranni Comitis Mellenti nomine Elizabeth duxit, ex qua genuit filium primogenitum nomine Richardum *. Roberto autem filio Richardi successit filius suus primogenitus, natus ex quadam filiarum Vualdeui Comitis Huntedoniæ. Habuit autem idem Vualdeuus tres filias ex vxore sua filia Comitissæ de Albamarla, quæ Comitissa fuit soror vterina Vuillelmi Regis Anglorum senioris. Harum autem filiarum Comitis Vualdeui primogenitam accepit SIMON SILVANECTENSIS, cum Comitatu Huntedoniæ, & genuit ex ea vnum filium vocatum Simonem. Mortuo autem Simone Comite, Dauid frater secundæ Mathildis Reginæ Anglorum duxit vxorem eius, ex qua suscepit vnum filium, scilicet Henricum. Sublatis autem de medio fratribus eius DVDECANO, & ALEXANDRO, Regibus Scotorum, ipse idem regnum suscepit. Aliam verò scilicet Iudith, Rodulphus de Toeneio, sicut iam dictum est, duxit vxorem. Tertiam Robertus filius Richardi, sicut modo commemorauimus. B C D

* *Hic ille Richardus est, qui Comes Pembrochiæ, & cognomento Strongbovve Hiberniã primus Anglis aperuit.*

ET

A Et quoniam de sororibus Gunnoris Comitissæ fecimus mentionem, libet etiam de illis, qui secundo gradu consanguinitatis affines eidem fuêre, prout ab antiquis accepimus, aliqua dicere. Habuit ergo ex fratre suo Herfasto eadem Comitissa nepotem Osbernum de Crepon, patrem videlicet Vvillelmi Comitis Herefordiæ, viri per omnia laudabilis. Nepotes verò plures prædicta Gunnor habuit: sed solummodò de quinque, quibus maritis nupserint audiui. Vna itaque earum matrimonio copulata est patri primi Vvillelmi de Vvarenna, ex qua natus est idem Vvillelmus postea Comes Surreiæ, & Rogerius de Mortuo-mari frater ipsius. Altera Nicolao de Bascherituilla *, ex cuius posteritate natus est Vvilelmvs Martellvs, & Vvalterus de sancto Martino. Tertia Richardo Vicecomiti Rothomagensi, patri videlicet Lamberti de sancto Sidonio. Quarta Osmundo de Centum-villis Vicecomiti Vernonij, ex qua natus est primus Fulco de Aneio, plures filiæ, quarum vna mater fuit primi Balduini de Reuers. Quintam Hvgo de Monte-gvmmerici duxit, ex qua natus est Rogerius pater Roberti de B Bellismo.

Henricvs I.

* vulgò, Bacqueuille.

Capvt XXXVIII.

Qua occasione Stephanus Comes Moritoli nepos Henrici Regis ei in regnum successit.

Sed vt redeamus ad ea, vnde digressi sumus causâ harum genealogiarum, obeunte Henrico Rege Anglorum, successit ipso mense decessionis eius Stephanvs nepos eius. Nam cùm degeret idem Comes in Boloniensi Comitatu, audita morte auunculi sui velociter trãsfretans, auxilio Henrici fratris sui Vvintoniensis Episcopi coronam regni adeptus est. Erat enim, vt prædictum est, tunc temporis Mathildis hæres ipsius Regi in Andegauensi pago. Obtinuit tamen ipsa Danfrontem, & Argentomagum, & Oximum, castella sui patris, & alia tria, scilicet Colmiæ-montem, & Gorram, & Ambreras *: quæ interim concessit Iuhello de Meduana, hac conditione, vt ipse eam fideliter iuuaret in adquirendo suam hæreditatem. Dicebat enim idem Iuhellus, illa tria oppida, videlicet quæ vltimò nominauimus, in sua terra esse. C

al. Ambertas.

Filia autem Adelæ filiæ Vvillelmi Regis Anglorum, de qua superiùs fecimus mentionem, nupsit Richardo Comiti Cestrensi, filio Hugonis Comitis: qui Hugo fuit filius Richardi Vicecomitis Abrincatensis pagi. Cùm verò Richardus & vxor eius in sæpè dicto naufragio cum Vvillelmo filio Regis Henrici mortui fuissent, Ranulphus Vicecomes Baiocasini consobrinus ipsius Richardi adeptus est Comitatum eius. Mortuo autem eodem Ranulpho, successit ei item Ranulphus filius eius, vir in rebus bellicis strenuus. Huius autem Ranulphi sororem duxit Richardus filius Gisleberti, ex qua suscepit tres filios. Ipse denique Richardus peremptus est à Vvalensibus, vt præfixum est. Prædictus autem Ranulphus Comes accepit vxorem Mathildem * filiam Roberti Comitis Gloecestriæ: ex qua genuit duos filios, Hugonem, & Richardum.

*MS. Lib. Sibyllã.

D Capvt XXXIX.

Quomodo Adela Comitissa Blesensis habitum Sanctimonialis, & conuersationem Marciniaci, tempore domni Petri Abbatis Cluniacensis, accepit: & quòd secundo anno post mortem Henrici Regis Anglorum fratris sui mortua est.

Mortvo autem Stephano Comite Blesensi, marito Adelæ filiæ Vvillelmi Regis Anglorum, ipsa aliquandiu nobiliter rexit Comitatum, quia filij sui adhuc minus habiles ad procurandum regimen erant. Quibus adultis, ipsa Sanctimonialis habitum & cõuersationem tempore domni Petri Cluniacensis Abbatis Marciniaci assumens, laudabiliter ibidem in Dei seruitio vsque ad finem perseuerauit. Decessit verò secũdo anno post mortem Henrici fratris sui Regis Anglorum.

HENRICVS I.

A

CAPVT XL.

De vento vehementi, qui accidit ante mortem Henrici Regis, & quòd plurimi Principum Anglici regni defuncti sunt ipso anno, vel sequenti, quo Rex Henricus mortuus est.

EO anno, quo idem Rex Henricus humanis rebus subtractus est, factus ventus vehemens in Normannia, & in aliis pluribus regionibus paulò ante mortem ipsius, scilicet vigiliâ Apostolorum Simonis & Iudæ. Non multo verò post mortem eius tempore transacto, id est, ipso anno, vel sequenti, mortui sunt plures ex Principibus Anglici regni, iudicio Dei: videlicet VVILLELMVS Cantuatiensis Archiepiscopus, Episcopus Rouecestriæ, Episcopus Exoniensis, Richardus filius Gisleberti, vt iam dictum est: Robertus filius Richardi patruus eius, Richardus filius Balduini consobrinus horum duorum vltimo nominatorum, necnon & secundus Vuillelmus de Vuarenna Comes Surreiæ. Cui successit tertius Vuillelmus B filius eius, natus ex ELIZABETH filia HVGONIS Magni Comitis Viromandorum. Fuit autem primò iuncta prædicta Comitissa Roberto Comiti Mellenti, & ex ea habuit tres filios, & totidem filias.

CAPVT XLI.

De filiis Roberti Comitis Mellenti, & filiis Henrici fratris eius Comitis Vuarvvic.

FILIORVM verò duo, scilicet VVALERANNVS, & ROBERTVS, qui gemelli fuerunt, successerunt ei. Vualerannus siquidem primogenitus suscepit Comitatum Mellenti, & terram, quam pater eorum habebat in Normannia. Robertus verò Comitatum Legrecestriæ * in Anglia. Nupsit autem mater eorum, mor- C tuo priore marito, secundo Vuillelmo de Vuarenna Comiti Surreiæ, ex qua suscepit vnum filium, scilicet Vuillelmum tertium, & duas filias. Filiarum verò primogenitam accepit vxorem Comes Rogerus de Vuarvvic. Fuit autem idem Rogerus filius Henrici Comitis fratris Roberti Comitis Mellenti, natus ex MARGARETA sorore Rotroci Comitis de Pertico. Genuit autem ex ea Henricum, & plures alios, & duas filias. Prædictus denique Rogerus successit patri in Comitatum Vuarvvic. Quidam verò fratrum suorum natus post ipsum, scilicet Robertus de Nouoburgo, habuit terram, quam pater eorum habuerat in Normannia. Hic Robertus fuit amator intimus, & benefactor Beccensis Ecclesiæ. Hic accepit vxorem, sororem Rogerij de Toënio, filiam secundi Rodulfi, Godechildem nomine, ex qua habuit plures filios: scilicet Henricum, & fratres eius.

* al. Legiecestriæ.

CAPVT XLII.

De obitu domni Bosonis Abbatis Beccensis, & de successore eius.

CIRCA hęc tempora domnus Boso quartus Abbas Becci, vir per omnia lauda- D bilis vitæ decessit, & successit TETBALDVS prior eiusdem loci. Vuillelmus etiam Dux Aquitanorum non multò post mortuus est. Huius filiam vnicam cum ipsius Ducatu LVDOVICVS filius Regis Francorum accepit in vxorem; mortuóque Ludouico patre suo ipso anno Kal. Augusti, successit eidem Ludouicus Iuuenis, factus Rex Francorum & Dux Aquitanorum, anno ab incarnatione Domini
1137. MC. XXXVII. quo anno fuit maxima siccitas. Eodem anno mortuus est Lotharius Imperator Romanorum, & Alemannorum: cui successit Conradus nepos Henrici IV. qui ante Lotharium imperauerat.

A

HENRICVS I.

ADDITAMENTA

AD HISTORIAM NORMANNORVM.

PAVCIS de pluribus de memorato illustri Rege Henrico tactis succinctè potiùs quàm prosecutis, miraculum quoddam dignum non minus fructuoso relatu, quàm admirabili, subnectendum censuimus: quod etiam quasi ad caput Historiæ compulit nos reuerti.

QVANTÆ humilitatis Rollo fuit postquàm fidem Christi suscepit, ex vna re, quam fecit, patenter cunctis innotuit. Quodam tempore, postquàm pacificatus est cum Rege Franciæ, venientes ad eum homines Rothomagi, cœperunt eum rogare, vt de Francia faceret corpus sancti Audoëni redire, quod propter timorem eius illuc olim fuerat translatum antequam cepisset Northmanniam. B "Tristes, inquiunt, & multum dolentes sumus, quod sic Archiepiscopum nostrum perdidimus." Hoc audiens Comes mandauit Regi Franciæ, "vt ei Presbyterum suum redderet: quod si non faceret, proculdubio sciret, quòd nullo modo cum illo pacem habere posset." Rex autem Franciæ nolens ei de hac re facere molestiam, reddidit ei sicut petebat, suum Presbyterum. Dux verò præcepit, vt indè reduceretur corpus sancti Audoëni, suæque redderetur Ecclesiæ, vnde fuerat asportatum. Monachi ergo qui custodes eius fuerunt, dum in Francia fuit, reportauerunt illud vsque ad quandam villam ad vnam leugam ab vrbe Rothomagensi. Quò cùm peruenissent, non parum de via lassati manserunt ibidem illa nocte, vt manè surgentes si possent sanctum Audoënum ad suum locum reportarent. Cùm itaque manè surgerent, eúmque ad ciuitatem portare vellent, nullomodo potuerunt. Tunc tristes Monachi nimiúmque dolentes de hoc quod illis acciderat, mandauerunt ciuibus, quòd sancti Audoëni corpus nullo modo poterant mouere de loco illo, vbi iacuerat illa nocte. C Quod cùm Comiti, qui tunc apud Rothomagum erat, fuisset nunciatum, respondit quia merito hæc tribulatio de corpore sancti Audoëni eis accidisset, quia si rectè cogitassent, sensúmque rectum habuissent, cum processione & cum magna deuotione illi obuiare debuissent. Post hæc præcepit Comes Archiepiscopo omníque populo Rothomagensi, vt in laneis vestibus & nudis pedibus cum eo ad sanctum Audoënum pergerent, eiúsque pietatem quàm deuotiùs possent exorarent: quatenus ad stultitias eorum vel negligentias non respiceret, sed propitius illis esset, séque de illo loco ad ciuitatem, vbi Archiepiscopus fuerat, transferri permitteret. Tunc ipse Dux primus sicut cæteris præceperat in laneis vestibus & nudis pedibus vsque ad villam, in qua sanctus Audoënus erat, peruenit. Quò cùm peruenisset, protinus cum omni populo, qui cum eo erat, coram feretro eius prostratus hæc orando dixit: "Sancte Audoëne, bone Archiepiscope, & Aduocate noster, permittite * corpus vestrum ad ciuitatem transferri, vbi Præsulis officio functus fuistis, & sacras benedictiones sæpius fecistis, Et ego do Ecclesiæ vestræ & vobis terram totam, quæ adiacet ab isto loco vsque ad" D mœnia ciuitatis. Tunc continuo Comes & populus submissis humeris feretrum, in quo sanctum corpus erat, facillimè deportare cœperunt, & sic vsque ad Ecclesiam suam gaudentes & exultantes deportauerunt. Ex huius rei euentu dixerunt quidam illam villulam Longum-peanum, eo quòd Comes illuc tam longum iter nudis pedibus fecisset. Si quis hoc factum non esse signum magnæ humilitatis asserit, de eo dici veraciter potest, quòd quid sit magna humilitas nescit.

* al. permitte.

QVIDDAM verò aliud dicitur eidem Comiti accidisse eo tēpore, quo primum pacificatus est cum Rege Franciæ. Quadam die dū esset idem Dux apud Rothomagum, ad vesperam ipsius diei stabant plurimi homines ante domos suas, quæ erant iuxta ripam Sequanæ. Illic verò cùm essent, eandéque aquam aspicerent, viderunt vnum equitē transire super aquam, quasi iret super terram, & vsque ad eos perue-

HENRICVS I. nientem. Hac ergo de re non parum obstupefacti, cùm ad eum peruenisset, cœperunt inquirere ab eo quis esset, vel vnde veniret. Ille verò respondens, Videtis, inquit, quòd ego vnus homo sum. Et hodie multum mane discessi de RETNIS in Britannia. Abrincis verò ad sextam horam comedi, ad vesperam autem huc vsque, sicut videtis, perueni. Et si mihi non creditis, ite, & in domo, in qua pransus sum, cultellum meum, quem ibi ignoranter dimisi, inuenietis. Tunc mandauerunt Comiti, qui, sicut dixi, tunc erat in ciuitate, de illo homine, qui sic transierat super aquas sine vlla læsione. Comes verò rem audiens insuetã, mandauit ei vt sibi loqueretur, antequàm recederet. Tunc ille remandauit Comiti quia in crastino eũ vsque ad primam expectaret. Verùm in crastino mane surgens viam suam tenuit, & nihil locutus est Comiti. Comes verò vt audiuit illum ita recessisse, dixit eum mentitum esse: & ideo putare eum aliquod fantasma esse, quod sic eos voluisset deludere. Tunc dixerunt quidam, qui affuerunt, quia sicut eis videbatur non ei mentitus esset: quia non de prima Comitis, sed de sua prima ei mandasset. Prima enim eius multò citiùs fuerat quàm prima Comitis, & ideò verum fuit quod dixit. Dum tamen in illa nocte ad focum hospitis sui sederet, & ille de multis eum interrogaret, & maximè de illo Comite, si generatio illa diu maneret: respondit illam diutiùs manere, illorúmque Ducatum vsque ad septimam generationẽ viriliter durare. Cùm itaque hospes inquisisset, quid post septimam generationẽ futurum esset, nihil voluit respondere; sed de vno lignulo, quod manu tenebat, cœpit per cineres foci quasi sulcos facere. Et cùm hospes suus vehemẽter ab illo exigeret, quid post septimam generationem veniret: de illo lignulo, quod manu tenebat, commiscuit sulcos, quos in cineribus fecerat. Ex quo arbitrati sunt, quòd post septimam generationem ille Ducatus vel deficeret, vel magnas pateretur dissensiones, & tribulationes. Quod nos iam ex magna parte impletum videmus, qui Henrico Regi, qui huius prosapiæ loco septimus fuisse demonstratur, superuiximus. Rollo enim huius genealogiæ primus fuit. Vuillelmus Longaspata filius eius, secundus. Richardus verò huius Vuillelmi filius, tertius. Richardus verò Richardi filius, quartus. Robertus filius Richardi, quintus. Vuillelmus filius Roberti, qui non solùm Normanniam, sed etiam Angliam possedit, in sexto successit. Post illum in septimo gradu fuerunt filij eius, ex quibus solus Henricus ad vltimum Normanniam & Angliam possedit vsque ad mortem.

IN concordia, quæ facta est inter Francos & Normannos tempore primi Richardi, cùm redditus est Ludouicus Rex Franciæ qui captus fuerat à Northmannis: auxerunt Dani Northmanniam ab aqua, quæ vocatur Andella, vsque ad aliam aquã, quæ vocatur Epta. Alij tamen dicunt ab Epta vsque ad Ysaram. Constitutum est etiam in illa concordia, quòd Comes Northmanniæ nullum faciet seruitium Regi Franciæ de terra Northmanniæ, neque ei aliter seruiret, nisi Rex Franciæ daret ei fœdum in Francia, vnde ei seruire deberet. Quapropter Comes Northmanniæ de Northmannia tantummodò facit hominium & fidelitatem Regi Franciæ de vita sua & de suo terreno honore. Similiter Rex Franciæ facit fidelitatem & de vita sua & de suarum rerum honore Comiti Northmanniæ. Et nihil aliud differt * inter eos, nisi quòd homagium non facit Rex Franciæ Comiti Northmanniæ, sicut Comes Northmanniæ Regi Franciæ facit. Hanc libertatem adquisiuerunt tunc Dani parentibus suis Comitibus Northmanniæ.

*al. distat.

DE Richardo filio primi Richardi dicitur, quòd fuerat pater patriæ, & maximè Monachorum. Toto enim tempore eius abundauit Northmania omnibus bonis, & tanta pax fuit in Northmannia eius tempore, vt neque etiam carrucarij de campis suis auderent ferramenta carrucæ ad suas domos reportare. Et si alicui furata fuissent, præceperat Comes vt ad eum veniret, & quicquid furto perdidisset, ipse ex integro totum redderet. Accidit ergo quoddam simile in illius tempore facto cuidam ataui sui Rollonis. Cùm enim audisset cuiusdam carrucarij vxor interdictum Ducis, quadam die furata est cultrum & vomerem aratri: probare volens quid ex hoc Comes ageret. Rusticus verò in crastino veniens ad carrucam suam, & vtensilia sua non inueniens, venit ad Comitem, eíque retulit quod sibi accidisset. Cui Dux iussit dari denarios, vnde posset damnum reparare. Ille itaque rediens domum, retulit vxore suæ quod ei Comes fecisset cui illa: Modo bonum est, quia

A & ipse denarios & quòd perdiderat ipsa haberet. Quo audito, ne infideliter aget, reportauit Comiti denarios quos ei dederat, eique retulit quid sua vxor fecisset. Comes verò retinens illum aliquanto tempore, misit, & præcepit, vt vxori eius eruerentur oculi propter furtum quod fecerat. Cùm itaque rusticus domum rediret, inueniens vxorem suam merita pœna mulctatam, cum indignatione dixit ei: Noli amplius furari, & à modo disce obseruare præcepta Comitis.

Hic Comes multum ampliauit terris & ornamentis Ecclesiam Fiscanni, quam pater suus primus Richardus ædificauerat. Ibi etiam erat solitus ferè omni tempore suam Curiam in Paschali solemnitate tenere. Et aliquando in ipsa solemnitate solebat vnam tinam plenam textis, & thuribulis, & candelabris, & quibusdam aliis ornamentis, & coopertam quodam optimo pallio ipse & vxor sua ante altare sanctæ Trinitatis portare, ipsámque pro suis peccatis Deo ibi offerre. Ipsa verò die post Missas antequam ad Curiam suam iret, atque cum Baronibus suis comederet, veniebat cum duobus filiis suis Richardo & Roberto in Refectorium Monachorum, & prædicti pueri afferentes de fenestra coquinæ scutellas, sicut solebant Monachi B facere, porrigebant patri suo, & ipse per se ipsum prima fercula ante Abbatem, & postea ante Monachos ponebat. Quod cùm egisset cum magna humilitate, veniebat ante Abbatem, & sic ab eo accepta licentia, lætus & gaudens ibat ad Curiam suam. Aliquando verò mittebat de sua mensa Abbati scutellam argenteam plenam piscibus, & mandabat ei vt eam retineret, atque inde suam voluntatem faceret.

Hic autē Richardus non solùm Ecclesiæ Fiscannensi multa dedit, sed etiam aliis Ecclesiis. Quadā enim die cùm venisset Gimegias, ibidem eadem nocte quieuit. Mane verò surgens, sicut sua consuetudo semper erat, perrexit orare ad Monasterium: & post orationem super altare vnum lignulum posuit. Recedente verò illo, venerunt secretarij ad altare, putantes se ibi esse inuenturos vel marcam auri, vel vnciam, vel aliquid huiusmodi. Itaque inuenerunt lignulum illud, atque quid significaret, non parum mirari cœperunt. Ad vltimum inquirunt ab eo quid hoc esset, quòd super altare illud posuisset. Tunc respondit, quòd esset Vinmonasterium, scilicet quoddam manerium, quod ipse illis pro anima sua dabat. C

FINIS.

D

EPITAPHIVM
GVILLELMI DVCIS NORMANNORVM, ET REGIS ANGLORVM.

Ex membrana veteri semilacera.

FLETE viri, lugete Proceres, resolutus est Rex in cineres.
Rex editus de magnis Regibus, Rex GVILLELMVS in bello fortißimus,
Rex Anglorum, & Dux Normanniæ, Cenomannis dominus patriæ.
In omnibus, quæ sibi subdidit, & in quibus se cunctis prætulit:
Plus debetur virtuti propriæ, quàm milibus suæ militiæ.
Magna virtus & sapientia, qua regebat tot vnus milia.
Rex GVILLELME, potens & nobilis, facta probant, quòd es laudabilis.
Scribi debet in signum posteris, qua præstabas virtute ceteris.
Sed quis stylus, aut quæ facundia, possent ire per tot insignia?
In feroci monstratur Anglia, præter mille miranda prælia,
Qualis Comes in Cenomannia, quantus esset Dux in Normannia.
Rex de Duce se fecit postea, dignißimum Romana laurea.
Gens Anglorum, turbastis Principem, qui virtutis amabat tramitem.
Vos sensistis quid posset facere, qui solebat per arma vincere.
Magnum fuit vobis exitium, sed ob vestri Regis periurium,
Postquam suo iunxit imperio, vos tractauit regni iudicio.
Sic deuicit potentes Angliæ, quòd inclusit superbos Daniæ.
Magnus honor de tali domino, magnus dolor de vitæ termino.
Rex Guillelme, te claudit tumulus, sed per orbem te plangit populus.
Plangunt omnes facta mirifica, largitates, bella, pacifica.
Quanto magis labuntur tempora, tanto de te suspirant pectora.
Quisquis iret per tuam patriam, non timebat hostis iniuriam.
Timor eras in multitudine, securitas in solitudine.
Nunc ex lege non est securitas, nunc defendit sua pluralitas.
Heu! post tanti Principis obitum, summus honor tendit ad exitum.
Casus ille plangendus nimium, qui honori præstat exilium.
Terra suis orbata viribus, pressa iaces longis mœroribus.
Et merito. nam nulli similis ille potens, ille miabilis.

* * *

ORDERICI
VITALIS ANGLIGENAE,
COENOBII VTICENSIS MONACHI,
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,
LIBRI XIII.
IN III. PARTES DIVISI:

QVARVM POSTREMAE DVAE RES PER Normannos in Francia, Anglia, Sicilia, Apulia, Calabria, Palæstina, piè strenuéque gestas, ab aduentu ROLLONIS *vsque ad annum Christi* MCXL. *complectuntur.*

Ex Bibliotheca Clari Viri IOANNIS BIGOTI, in Rothomagensi Vectigalium Curia Consiliarij.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICEMSIS MONACHI,

PROLOGVS IN ECCLESIASTICAM HISTORIAM.

A NTERIORES nostri ab antiquis temporibus labentis seculi excursus prudenter inspexerunt, & bona seu mala mortalibus contingentia pro cautela hominum notauerunt: & futuris semper prodesse volentes, scripta scriptis accumulauerunt. Hoc nimirum videmus à Moyse & Daniele factum, aliísque Agiographis: hoc in Darete Phrygio, & Pompeio Trogo, comperimus, aliísque Gentilium Historiographis. Hoc etiam aduertimus in Eusebio, & Orosio de Ormesta mundi, Anglicóque Beda, & Paulo Casinensi, aliísque Scriptoribus Eccle-
B siasticis. Horum allegationes delectabiliter intueor, elegantiam & vtilitatem syntagmatum laudo & admiror; nostríque temporis sapientes eorum notabile sedimen sequi cohortor. Verùm, quia non est meum aliis imperare, inutile saltem nitor otium declinare: & memetipsum exercens aliquid actitare, quod meis debeat simplicibus Summatitis placêre.

IN relatione, quam de restauratione VTICENSIS COENOBII, iubente ROGERIO Abbate, simpliciter prout possum facere institui, libet veraciter tangere nonnulla de bonis seu malis Primatibus huius nequā seculi, non arte literatoria fultus, nec facundiâ præditus, sed bonæ voluntatis intentiōne prouocatus. Appeto nunc dictare
C de his, quæ videmus, seu toleramus. Decet vtique, vt sicut nouæ res mūdo quotidie accidunt, sic ad laudem Dei aßiduè scripto tradantur: vt & sicut ab anterioribus præterita gesta vsque ad nos transmissa sunt, sic etiam præsentia nunc à præsentibus futuræ posteritati literarum notamine transmittantur.

DE rebus Ecclesiasticis, vt simplex Ecclesiæ filius, sincerè fari dispono, & priscos patres pro posse modulóque meo nisu sequens sedulo, modernos Christianorum euentus rimari, & propalare satago. Vnde præsens Opusculum, ECCLESIASTICAM HISTORIAM appellari affecto. Quamuis enim res Alexandrinas, seu Græcas, vel Romanas, aliásque relatu dignas indagare nequeam, quia claustralis

Cænobita ex proprio voto cogor irrefragabiliter ferre Monachilem obseruantiam: A *ea tamen quæ nostro tempore vidi, vel in vicinis regionibus accidisse comperi, elaboro coadiuuante Deo simpliciter & veraciter enucleare posterorum indagini. Firmiter ex coniectura præteritorum opinor, quòd exurget quis me multò perspicacior, ac ad indagandos multimodarum, quæ per orbem fiunt, rerum euentus, potentior; qui forsitan de meis, aliorúmque mei similium scedulis hauriet, quod chronographiæ narrationique suæ dignanter ad notitiam futurorum inseret. Præcipuam nempe in hoc fiduciam habeo, quòd hoc Opus incœpi venerandi senis* ROGERII *Abbatis simplici præcepto, tibique, Pater* GVARINE, *qui secundùm Ecclesiæ ritum ei legitimè succedis, exhibeo; vt superflua deleas, incomposita corrigas, & emendata vestræ sagacitatis auctoritate munias. Imprimis ordior de Principio sine principio, cuius ope ad ipsum finem sine fine peruenire desidero, deuotas laudes cum superis in æternum cantaturus: Alpha, & Omega.*



ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PARS PRIMA,

In qua res ab incarnatione Saluatoris vsque ad annum MCXL. *gestæ, per seriem Imperatorum, Regum, atque Pontificum Romanorum breuiter describuntur.*

LIBER PRIMVS.

A OMNIPOTENS Verbum, per quod Deus Pater omnia condidit, vitis vera, summúsque pater familias, qui vineam plantauit, & à mane vsque ad vndecimam horam intromissis operariis excolit, vt vberem fructum ex eadem colligere possit: eandem vineam, id est sanctam Ecclesiam, nullo tempore desistit colere, eiúsque palmites per omnia mundi climata nobiliter propagare. Ipse nimirum, qui est omnium verus Rex seculorum, & verus Pontifex futurorum bonorum, verúsque Propheta, hominúmque Dominus & Angelorum, oleo lætitiæ præ participibus suis ineffabiliter vnctus, inæstimabilísq; cõsilij paternæ dispensationis Angelus: secundum oracula Prophetarum, qui Spiritu sancto edocti, ceu stellæ in huius seculi nocte fulserunt, & velut galli somnolentos antelucanum canendo excitantes, Dominici Aduentus mysteria vaticinati sunt, Reginam Virginem MARIAM, de familia Regis DAVID ortam, de multis millibus vnam elegit, omniúmque virtutum copiâ gloriosè insignitam sibi matrem effecit. Generosa Virgo virtutum insigniis adornata, IOSEPH iusto diuinitus desponsata, à GABRIELE Archangelo salutata, de SPIRITV SANCTO imprægnata, desideratum cunctis gentibus SALVATOREM, quem sine delicto concepit, VIII.
B Kal. Ianuarij sine dolore mundo peperit. Sic Dominus noster IESVS-CHRISTVS prima census ascriptione, CIRINO Syriæ præsidente, secundum ordinem totius prophetiæ, quæ de ipso prædicta est, in BETHLEEM Iudæ oppido natus est. Præclara, vt veraces Scripturæ referunt, signa nascente Christo cœlitus ostensa sunt: & Angeli de salute hominum piè gratulantes cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Anno itaque Cæsaris AVGVSTI XLII. ab interitu verò Cleopatræ & Antonij, quando & Ægyptus in Prouinciam versa est, XXVIII. Olympiadis verò centesimæ nonagesimæ tertiæ anno tertio, ab vrbe autem condita DCCLII. id est eo anno, quo compressis cunctarum per orbem terræ Gentium motibus firmissimam verissimámque pacem ordinatione Dei Cæsar OCTOVIANVS composuit, IESVS-CHRISTVS filius Dei sextam mundi ætatem aduentu suo consecrauit.

AB initio mundi vsque ad Natiuitatem Christi, secundum Hebraicam veritatem, anni MMM. DCCCCLII. numerantur: iuxta computationem verò Isido-

dori Hispalensis Episcopi, aliorúmque quorumdam Doctorum, MMMMM. C. LIV. supputantur. Porro secundum computationem Eusebij Cæsariensis, & Hieronymi, A ab Adam vsque ad XVIII. annum TYBERII Cæsaris, quando Christus passus est, anni MMMMM. CC. XXXI. fiunt.

OMNIS credentium multitudo in Spiritu sancto exultet, æternúmque Creatorem indesinenter adoret, eique tota virtute sacrificium laudis immolet: qui vnicum Filium suum sibi, sanctóque Spiritui coæternum & consubstantialem, incarnari constituit, & à reatu mortis seruum indebita morte Filij absoluit. Clemens & Conditor, qui plasma suum, quod ad imaginem & similitudinem sui fecerat, lapsum esse condoluit: inæstimabilique consilio inexhaustæ profunditatis suæ decreuit, vt coæqualis sibi damnatum in ergastulo Filius seruum visitaret, hominémque de captiuitate próprium ad gregem humeris piè reportaret, nouémque Ordines Angelorum sui restauratione numeri perfectè lætificaret. Filius itaque Dei homo factus, id quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit, non commixtionem passus, neque diuisionem: cum Patre sanctóque Spiritu regens omnia per diuinitatem, infima verò nostræ carnis tolerans per assumptam humanitatem. Legem, quam per B Moysem dederat, inuiolabiliter seruauit, & omnem iustitiam ipse legifer per omnia impleuit. Nam octaua die circumcisus est, & quadragesima die cum legali oblatione in templo Patri oblatus est.

SED quamuis Virgo mater diuæ prolis alligaret membra pannis inuoluta, & pedes manúsque stricta cingeret fascia, tenérque infans inter arta conditus præsepia vagiret pro humana, quam Patris velle susceperat, miseriâ: sublimis tamen Dominus, orto in æthere nouo sidere, monstratus est, & à MAGIS Orientalibus diuinitus illustratis in Bethleem requisitus est, ibique in cunabulis inuentus, ac vt Dominus adoratus est. Prudentes Magi tria munera de thesauris suis preciosa protulerunt. Aurum, thus, & myrram Christo sponte obtulerunt: quibus ipsum summum Regem, verúmque Deum, & mortalem hominem præconati sunt. Electionis gentium primitiæ in his consecratæ sunt, quæ de Saba, aliísque nationibus latè per orbem dispersis ad Christum in Bethleem properauerunt. In somnis ab Angelo commoniti ne redirent ad Herodem, per aliud iter in C suam læti repedarunt regionem.

TEMPORE purgationis suæ Virgo parens deuota templum adiit, Deóque Patri puerum præsentauit, quem SIMEON senex iustus in vlnis suscepit. Felix silicernius in Deo exultauit, quia diu expectatum Saluatorem gentium vidit, per Spiritum sanctum agnouit, manibus gestauit, eúmque populis vitæ & mortis esse Dominum prædicauit, & multis admirantibus cum ingenti tripudio benedixit.

ANNA Prophetes, filia Phanuel, gaudens affuit: vidua virtutibus pollens CHRISTVM agnouit, ipsúmque palam omnibus, qui redemptionem præstolabantur Hierusalem, iam venisse præcinuit. Parentes pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum obtulerunt: quibus Ecclesiæ nitida castitas, & blanda simplicitas, præfiguratæ sunt.

ECCE nato in carne Domino non solùm Angeli cœlorum, sed etiam omnis ætas mortalium, & sexus, reddit testimonium. Virgo MARIA Spiritus sancti cooperatione concepit, peperit, & lactauit; eique per omnia efficaciter ipsius ope ministrauit. IOANNES in vtero matris Dominum læto gestu suum D salutauit, & repleta Spiritu sancto HELIZABETH triplici prophetiæ modo Ecclesiæ de MESSIA & eius Genitrice prophetauit. Glorificauerunt Angeli Deum, pro humana redemptione incarnatum: qui dum nos conspiciunt redimi, suum gaudent numerum repleri. Angelica visitatione Pastores instructi Bethleem accurrunt, panem viuum, qui de cælo descendit, in præsepio quærunt: infantem, qui cœlis præsidet, pannis inuolutum inueniunt. Pastorum præconiis audientium corda de Christi notitia gaudium & admirationem concipiunt. ZACHARIAS & SIMEON iusti senes Christum confitentur, & de illo futura vaticinantur: quibus * in Christi amore anus beata fideliter ANNA comitatur.

*f. quos.

BONIS itaque felici iocunditate gratulantibus, HERODES, inusitatis rumoribus auditis, contristatur impius; & iubet omnes à bimatu & infra in Bethleem perimi, & in cunctis eius finibus. Translato IESV, cum intacta matre

A matre & IOSEPH, in Ægyptum, Herodis furia crudeliter effusus est sanguis infantum: & campi Bethleem maduerunt cruore innocentum. Christus autem pro se trucidatos in suum transtulit thalamum, vbi feliciter laureati tripudiant in perpetuum.

SALVATOR XXXII.annis,& III.mensibus in terris conuersatus est;sed peccati expers dolum locutus non est,solúsque inter mortuos liber ab omni culpa repertus est. In initio XXX.anni IORDANIS alueum expetiit,à IOANNE baptismate intinctus aquas sanctificauit; & sic exemplum totius humilitatis sequacibus suis ostendit.Iesu baptizato & orante, cœlum apertum est. Corporali verò specie sicut columba super eũ Spiritus sanctus descendere visus est, & vox patris de cœlo audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Meritò Ioannes præcellit inter natos mulierum,cui se Christus credit baptizandum,inuisibilis se Spiritus exhibet videndum, suum de cœlo Pater commendat Filium. Sic beato Præcursori mysterium Trinitatis ostenditur in baptismo Saluatoris.

DOMINVS IESVS, qui duodecimo ætatis suæ anno in Templo in medio Do-B ctorum sedit, nec docens, sed interrogans inueniri voluit, annorum XXX. baptizatur: & exindè prodigiis Deus declaratur. Triennio signa facit, & Discipulos erudit. Triennalis ætas nostri Saluatoris intimat sacramentum nostri baptismatis, propter fidem sanctæ Trinitatis,& operationem Decalogi legalis.Legifer etiam noster sic admonet homines, ne audeant in infirma ætate prædicare, seu temerè prælationes appetere: sed legitimum & maturum tempus ad sacerdotium, licèt ad docendum studeant, humiliter expectare.

AMODO continuationem miraculorum Domini nostri IESV CHRISTI, quæ in quatuor Euangeliorum Libris scripta sunt, libet intueri, & veraciter compendioséque paginis annotare: vt faciliùs ibidem perspecta passim ad mentem reuocetur. Seriem rerum, prout quatuor Euangelistæ descripserunt, inuestigo:ipsóque, qui linguas infantium facit disertas, donante, breuiter propinare peropto. Et quia Chronographiam decreui contexere, iustum est, vt imprimis certitudinem temporum diligenti designem conamine: prout sancti Euangelistæ, aliíque Historiographi, scriptis suis iamdudum enodauêre.

C OCTOVIANVS Cæsar Augustus, Gaij Iulij Cæsaris ex sorore OCTAVIA nepos & hæres, Romanorum secundus *, regnauit annis LVI.& mensibus VI. Cuius XLII.anno Christus natus est. *f. addendum, Imperator.

TIBERIVS priuignus Augusti, LIVIÆ vxoris eius ex priore marito filius, annis XXIII.regnauit. Cuius XVIII.anno Christus passione sua mundum redemit.

POST mortem HERODIS Antipatri Ascalonitæ prolis, qui XXXIIII. annis in Iudæa regnum vsurpauit, ARCHELAVS filius eius X. annis super Iudæos tyrannidem exercuit. Cuius pro metu Ioseph, vt Mathæus astruit, postquàm Angeli iussu de Ægypto rediit, cum puero & matre in Galilæam secessit, & in Nazareth habitauit. Archelaus autem à Iudæis, ob intolerabilem animi ferocitatem, apud Augustum criminatus, decidit: & æterno apud Viennam Galliæ vrbem exilio disperiit. Regnum verò Iudææ, quo minùs validum fieret, fratribus eius idem Augustus per Tetrarchias scindere curauit. Porro PILATVS XII. anno Ti-D berij Cæsaris Iudæam missus, procurationem gentis suscepit: & inibi per X. continuos annos vsque ad ipsum penè finem Tiberij perdurauit. Herodes, Philippus, & Lysanias,vt Lucas refert, cum illo Iudæam regebant: filij Herodis senioris, sub quo Dominus natus est.

OMNE tempus, quo Dominus noster in terris docuisse describitur, intra quadriennij spacia coartatur. Nam tunc, vt Iosephus refert, ANNA deturbato, Pontificatum Iudæorum per successiones tenuerunt, Ismahel filius Baffi, Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, & Simon Canufi filius, atque Iosephus Caiphas, qui IESVM pro gente moriturum prophetauit.

EVSEBIVS Cæsariensis à VI. anno Darij, qui post Cyrum & Cambisem regnauit,quando opera Templi consummata sunt, vsque ad Herodem & Augustum, numerat in Daniele hebdomades VII. & LX.duas,quæ faciunt annos CCCCLXXXIII. quando Christus,id est HIRCANVS,de genere Machabæorum nouissimus Pontifex,

ab Herode iugulatus est, & iuxta legem successio Pontificum cessauit. Hippolytus verò regni Persarum CCXXX. supputat annos, & Macedonum CCC. & post illos vsque ad Christum XXX. id est ab initio Cyri Regis Persarum vsque ad aduentum Domini DLX. numerat annos. Hæc de temporum serie studioso lectori rimatus intimaui, quòd Sol iustitiæ sexta ætate ortus est in nouissima hora huius seculi. Amodo propositum opus de meo aggrediar Domino, cuius in omnipotenti benignitate confido: & opem, vt incœptum dignè peragam ad laudem ipsius, fideliter inuoco. A

IESVS plenus Spiritu sancto à Iordane in Galilæam regressus est, ibique tertio die cum discipulis suis ad nuptias in Chana vocatus est. Deficiēte vino, à matre rogatus, sex hydrias aquâ repleri iussit: & mutatam in vinum deferri à ministris Architriclino præcepit. Hoc signo gloriam suam discipulis suis primùm manifestauit, per quod commutationem carnalis intellectus in veteri lege designauit; & per Spiritus sancti gratiam in nouitatem vitæ transtulit.

IN desertum à Spiritu sancto ad agonem ductus est; & à Sathana, qui hominem incomparabilis iustitiæ videns, admirabatur, tentatus est. Quadragenis diebus ac noctibus ieiunauit, & sic per ieiunium & orationem omne genus dæmoniorum à bonis vincendum, exemplo docuit.

ANTIQVVS serpens gulâ, & vana gloriâ, & cupiditate, quibus primum Adam superauit, secundum nihilominus Adam tentauit: sed ab illo tripliciter victus, refugit. Et ecce, accesserunt Angeli, & ministrauerunt filio Dei, qui victores sathanæ in cœlis remunerabit gaudio perenni. B

SALVATOR cum matre & fratribus Capharnaum descendit, ibique non multis diebus mansit. Indè appropinquante Pascha, Hierosolymam ascendit, & in templū intrauit. Vēdentes oues, & boues, & columbas, & nummularios sedentes in templo inuenit: & fulgore deitatis mirè rutilans omnes eiecit.

IN die festo Paschæ multi signa, quæ IESVS faciebat, viderunt, & in nomine eius crediderunt. Tunc NICHODEMVS Pharisæus, Princeps Iudæorum, venit ad Iesum nocte: cupiēs eius secreta perfrui allocutione. Meruit ergo instrui de virtute baptismi, de regeneratione ex aqua & Spiritu, de sui descensione & ascensione, de serpentis ænei typica exaltatione, & Filij hominis indebita passione.

POST hæc, Dominus venit Iudæam. Illic cum discipulis suis demorabatur, & plura salutis insignia operabatur. Ioannes autem erat baptizans in Enon iuxta Salim, vbi multæ aquæ erant: & conquærentibus Discipulis eius & Iudæis, de CHRISTO verax perhibuit testimonium. Deinde IESVS reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam, transmisitque per Samariam. C

IN ciuitate Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo, erat fons Iacob. IESVS ergo fatigatus ex itinere, sedit super fontem hora sexta: & mystica verba locutus est cum muliere Samaritana. Samaritani cum gaudio Saluatorem susceperunt, & duobus secum prece multa diebus detinuerunt: deuotique plures in eum crediderunt.

INDE IESVS in Galilæam in virtute Spiritus abiit, & fama de illo per vniuersam regionem exiit. Ipse in Synagogis eorum docebat, & magnificabatur ab omnibus.

NAZARETH Sabbato in Synagogam intrauit ad legendum. Optimus lector surrexit, Librum Isaiæ Prophetæ reuoluit, & inuentum prognosticon legit: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me; euangelizare pauperibus misit me*, & reliqua. Et cùm plicuisset Librum, ministro reddidit, resedit, & dixit: *Quia hodie completa est hæc scriptura in auribus vestris*. Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant eius ab ore. D

IPSE IESVS testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet. Exemplum esse verax de anterioribus protulit, quòd ad solam, licèt multæ in Israël viduæ essent, Sareptenam mulierem tempore famis Helias missus fuerit: multisque leprosis in egestate & ærumna relictis, solus, HELISEO vaticinante, NAAMAN Syrus in Iordane mundatus fuerit. Omnes in Synagoga verbum Domini audientes irâ repleti sunt. Quod dictum fuerat, opere sacrilego verum esse comprobantes, surrexerunt. Amentes efficacem Archiatrū extra ciuitatem eiecerunt, & vsque ad supercilium montis, super quo constructa est vrbs,

A vt præcipitarent eum, duxerunt. Ipse autem transiuit per medium illorum, & indè descendit Capharnaum.

VENIT iterum in Chana Galilææ. Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum, IESVM venientem à Iudæa in Galilæam rogabat, vt descenderet, & filium eius sanaret. Dixit ei IESVS: *Vade, filius tuus viuit.* Protinus æger conualuit, pater credidit, domúmque in crastinum remeauit: & sospite filio gaudentem familiam reperit, & cognoscens quod contigerat cum tota domo credidit. Hoc, vt Ioannes perhibet, secundum fuit signum, quod fecit Iesus, cùm venisset à Iudæa in Galilæam.

CVM audisset IESVS, quòd Ioannes traditus esset, relicta Nazareth, quæ dicitur flos: habitauit in Capharnaum, quæ villa pulcherrima interpretatur, qua Ecclesia designatur. Nazareth quippe, vnde Christus Nazaræus dictus est, in Galilæa iuxta montem Thabor viculus est. Capharnaum verò oppidum est in Galilæa gentium iuxta stagnum Genesar situm, in finibus Zabulon & Neptalim, vbi prima captiuitas Hebræorum facta fuit ab Assyriis.

B EXINDE, id est tradito Ioanne, cœpit IESVS prædicare: quia euacuata voce sequitur verbum, & desinente lege sequitur Euangelium, vt sol auroram. *Pœnitentiam*, inquit, *agite; appropinquauit enim regnum cælorum.*

AMBVLANS IESVS iuxta mare Galilææ inuenit SIMONEM PETRVM, & ANDREAM fratrem eius, & filios Zebedæi, IACOBVM, & IOANNEM: & vocauit eos. At illi continuò, relictis retibus, sequuti sunt eum. Simon interpretatur, obediens: Petrus, agnoscens: Andreas fortis, vel virilis: Iacobus, supplantator: Ioannes, Dei gratia. Interpretationes istæ sanctis prædicatoribus aptè congruunt. Nam sine obedientiâ nullus ad Dominum intrat, absque fortitudine nullus perseuerat: & qui vitia supplãtat, Dei gratiæ omne bonum quod habet ascribat.

CIRCVIBAT IESVS totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Siriam, quæ regio pertingit ab Euphrate vsque ad mare magnum, à Capadocia vsque ad Ægyptum. Et obtulerunt ei omnes

C malè habentes variis languoribus animarum & corporum, & tormentis, id est acutis passionibus, comprehensos: & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.

TVRBÆ ergo multæ secutæ sunt eum de Galilæa & Decapoli, de Hierosolymis & Iudæa, & de trans Iordanem, intentione quinque-partita. Alij verò propter cæleste magisterium, vt discipuli: alij propter curationem infirmitatum: alij sola fama & curiositate, volentes experiri veráne essent quæ dicebantur: alij propter inuidiam, volentes eum in aliquo capere & accusare: quidam etiam sequebantur eum propter corporalem victum.

VIDENS autem turbas IESVS, ascendit in montem: & cùm sedisset, ad eum accesserunt Discipuli eius. Et aperiens os suum, qui olim aperuerat ora Prophetarum, edidit prolixum sermonem omni perfectione plenum: in quo pulchrè & vtiliter Apostolos erudit & informat, vt qui per Moysem in Sinai monte legem dederat, in Galilæa in mõte Thabor suos doceat, & perfectione totius iustitiæ imbuat. Nam de octo beatitudinibus planè disseruit, & ceteris mandatis legis, quam non

D soluere, sed adimplere venit: & præcepta nouæ legis artiora quàm veteris testamenti dicit, dum inimicos etiam diligi præcipit: & misericordiam in occulto faciendam, & multa alia perfectæ vitæ iussa depromit. De thesauro in cœlo condendo, de eo quòd nullus possit duobus dominis seruire, de volatilibus & liliis agri, de festuca & trabe in oculo, de margaritis ante porcos non mittendis, de introitu ad vitam per angustam portam, de cauendo à falsis Prophetis, de domo ædificanda supra petram, verus Doctor doctorum incomparabiliter perorauit.

CVM consummasset IESVS perfectionis verba, turbæ admirabantur super eius doctrina. Erat enim eos docens, sicut Deus omnium potestatem habens: non sicut Scribæ & Pharisæi, qui serui erant Moysi: & ea tantùm docebant, quæ infirmis data erant.

CVM autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Leprosum verò suppliciter adorantem Saluator manu tetigit, & confestim mundauit,

ipsumque se Sacerdotibus ostendere cum legali sacrificio præcepit. Quo iussu confessionem,& pœnitentiam peccatorum insinuauit. A

CAPHARNAVM fidem Centurionis approbauit, & puerum eius, pro quo suppliciter rogauit, iacentem paralyticum,& malè tortum, verbo sanauit.

SABBATO, dum doceret in Synagoga, dæmon per hominem exclamauit. *Quid nobis & tibi*, IESV *Nazarene? venisti prodere nos? Scio te, quia sis Sanctus Dei.* Et comminatus est ei IESVS, dicens: *Obmutesce, & exi de homine.* Discerpens eum spiritus nequam, egressus est: & homo, cunctis qui aderant mirantibus, sanatus est.

MOX de Synagoga exiuit, in domum Simonis intrauit, socrum eius febricitantem vidit: & rogatus ab amicis eius, manum tetigit. Protinus fugata febre, mulier sana surrexit,& cælesti medico gratanter ministrauit. Vespere autem facto, cùm sol occubuisset, multos ei obtulerunt dæmoniacos, & variis languoribus vexatos. Verus archiater singulis manus imposuit, verbo spiritus eiecit, & omnes malè habentes curauit. Occubitu solis mors Domini designatur: postquàm Gentiles, quos dæmon possidebat, per fidem liberantur,& ægroti à morbis peccatorum, emendatioris vitæ remedio sanantur. B

MVLTAS turbas videns circum se serò, iussit Discipulos suos ire transfretum. Eóque ascendente in nauiculam, discipuli eius sequuti sunt eum. Dignum erat, vt sicut in terra fecerat miracula, sic etiam in mari faceret: vt se terræ, marísque dominum esse comprobaret. Ingressus ergo nauiculam, mare turbari fecit, ventos commouit, fluctúsque concitauit. Ipse verò dormiebat corpore, sed vigilabat mente: quem orta tempestate Discipuli suscitauerunt, dicentes: *Domine, salua nos, perimus.* Tunc surgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Sic idem in salo huius seculi Emmanuel quotidie operatur, dum nauis Ecclesiæ suæ diuersarum procellis tribulationũ iactatur,& penè discriminum enormitate periclitatur. Sed quia dum fide flebiliter à suis inuocatur, præsto adest: & virtute deitatis suæ mirabiliter eis suffragatur, & continuò sedatis tempestatibus fortiter opitulatur. Trans fretum cùm venisset in regionem Gerazenorum, duo seni * nimis habentes dæmonia de monumentis egressi sunt,& occurrentes ei exclamauerunt: *Quid nobis & tibi*, IESV *fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Et ait illis: *Ite.* At illi porcos inuaserunt, totúmque gregem in salum præcipitauerunt. Sic à legione dæmonum ad duo millia porcorum grex præcipitatus est,& in mari suffocatus. Pastores autem fugerunt, & venientes in vrbem omnia nunciauerunt. Hominibus itaque sanatis, porcísque præcipitatis, Geraseni de tota ciuitate nimis territi exierunt: Dominúmque, vt à finibus eorum transiret, stulti rogauerunt. C

GERASA est vrbs in Arabia trans Iordanem, iuncta monti Galaad, quam tenuit Tribus Manassæ, non longè à stagno Tyberiadis, vbi sues demersi sunt. Quæ interpretatur, colonum eiiciens, vel aduena appropinquans: Gentiles significans, ad quos saluandos filius Dei accessit, dum carnem humanam assumpsit. Duo, quos legio dæmonum possidebat duos figurant populos, Iudæorum,& Gentilium; quibus dominabatur vniuersitas vitiorum. In sepulchris habitabant, quia mortuis operibus, id est peccatis, seruiebant. Sathanæ debilitas in hoc manifestè patescit, quòd nec porcis sine permissu Dei nocere potuit.

NOTA, quòd dum prædestinati ad vitam ad Dominũ conuertũtur, & sana ratione vtentes saluantur, spurci tumidíque idololatræ,& omnes reprobi nequitiis inhærentes, qui per porcos designãtur, in stagno lutulentorũ actuũ sorditati cõdẽnantur. D

ASCENDENS IESVS in nauiculam transfretauit, & Capharnaum venit. Ibi cùm esset, multi ad eum conuenerunt; & domum implentes, verbum eius audierunt. Tunc à quatuor viris paralyticus delatus est,& grabatum, in quo iacebat, nudato tecto ante illum demissum est. Porrò, clemens Dominus fidem portitorum vidit,& paralytico peccata dimisit: eíque, murmurantibus Scribis, ait: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Statim ille surrexit,& sublato coram omnibus grabato, in domum suam abiit.

INDE IESVS transiens, MATHAEVM in theloneo sedentem vocauit, & secutum ex Publicano Apostolum & Euangelistam sublimauit.

DISCVMBENTE Domino in domo Leui, Pharisæi murmurabant; eiq;, quòd cum

A Publicanis & peccatoribus manducaret, derogabant. Sed benignus doctor prauos eorum meditatus attendit, vtilémque sententiam proferens, ait: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Dominus ideò peccatorum conuiuia frequentabat, vt inuitatores suos docendo inuitaret, & transferret ad cælestes epulas.

DVM loqueretur IESVS cum discipulis Ioannis, & reprehensus esset à Pharisæis, cur discipuli eius, vt Ioannis, non ieiunarent: aptam protulit similitudinem de filiis sponsi non lugentibus quamdiu cum illis est sponsus, & de commissura panni rudis in vestimentum vetus, & de vino nouo in vtres veteres non mittendo. Sic probat artas obseruationes nouæ legis, non esse carnalibus imponendas nondum renouatis, donec palam patesceret renouatio spiritualis per mysterium Dominicæ passionis & resurrectionis.

LOQVENTE IESV ad turbas, IARVS Archisynagogus accessit, & ad pedes eius procidit, eúmque adorans dixit: *Domine, filia mea modò defuncta est. Sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Benignus opifex surrexit, & cum illo protinus abiit.

B Turba verò multa sequebatur illum, & comprimebat. Mulier autem, quæ fluxum sanguinis patiebatur XII. annis, quæ omnem substantiam suam erogauerat Medicis, quibus falsi Theologi, seu Philosophi, legúmque designantur secularium Doctores, nec ab vllo potuit curari; accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: *Si tetigero fimbriam vestimenti eius tantùm, salua ero.* At IESVS conuersus, videns eam dixit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Confestim fons sanguinis eius siccatus est, & salua facta est.

DEINDE CHRISTVS, cùm in domum Principis venisset, & tubicines turbámque tumultuantem vidisset, dixit: *Recedite, non est mortua puella, sed dormit.* Et deridebant eum. Eiecta turbâ, conclauim intrauit, secúmque Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ introduxit: manum eius tenuit, ipsóque iubente puella surrexit, illique dari manducare præcepit, & fama hæc in vniuersam terram exiit.

C IARVS interpretatur illuminans, vel illuminatus: & significat Moysem, aliósque legis Doctores: duodennis autem filia, Synagogam. Emorreusa verò gentiũ Ecclesiam, quæ priùs per Christum fidem tetigit, & sanitatẽ à profluuio idololatriæ, carnaliúmque voluptatum, gratiosa præripuit. Tádem, sicut puella iussu Domini postea reuixisse dicitur, sic Israël, cùm plenitudo gentium introierit, saluabitur.

INDE IESV transeunte, secuti sunt eum duo cæci, clamantes: *Miserere nostri, fili Dauid.* Oculos eorum tetigit, eósque illuminauit.

EGRESSIS illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, & dæmoniũ habentẽ. Eiecto autẽ dæmone, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ, dicentes: *Numquã apparuit sic in Israël.* Pharisæi verò dicebant, *In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmones.*

IESVM in deserto turbę requirebãt, & inuẽtũ ne discederet sibi detinere optabant.

CVM turbæ irruerent, vt verbum Dei audirent, IESVS in nauem Simonis ascendit, eúmque à terra in stagnum Genesareth reducem pusillum rogauit. Ibi sedens turbas docuit, & vt loqui cessauit, SIMONI, qui tota nocte frustra laborarat, dixit: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Quod cùm fecissent, copiosam concluserunt multitudinem piscium, qua satis onustum rumpebatur rete eorum. In diebus illis, exiit in montem orare & pernoctans erat in oratione Dei.

D DIE factò, Discipulos suos vocauit, & XII. ex ipsis elegit, quos & Apostolos, id est missos, nominauit. Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt, Simon Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Philippus, & Bartholomæus: Thomas, & Mathias: Iacobus Alphæi, & Taddeus: Simon Chananæus, & Iudas Scariothes, qui & tradidit eum.

SACRATVS Apostolorum numerus non vacat à mysterio. Duodenarius enim numerus designat eos per quatuor climata mundi fidem sanctæ Trinitatis prædicaturos. Quaternarius numerus triplicatus duodecim facit, quorum figura in multis antea præcessit. Apostoli figurati sunt XII. filiis Iacob, XII. Principibus plebis Israël, XII. fontibus repertis in Helim, XII. lapidibus altaris, XII. lapidibus de Iordanę eleuatis, XII. bobus sub mari æneo, XII. stellis in corona sponsæ, XII. fundamentis, XII. portis supernæ Hierusalem, quam refert Apocalypsis. Multis etiã aliis

figuris prænotati sunt, quibus ad dispensanda populis Dei mysteria insigniter excellunt. A

GLORIOSVS EMMANVEL totam Galilæam circuiuit, in villis, castellis, & vrbibus; id est paruis & magnis, absque discretione personarum, Euangelium prædicauit. Non potentiam nobilium, sed salutem credentium attendit, & post mellifluam prædicationem, curauit omnem languorem & infirmitatem: vt quibus non suaserat sermo, persuaderet operis magnitudo. Videns turbas IESVS, misertus est eis: quia vexati erant, & iacentes, sicut oues pastorem non habentes. Duodecim itaque conuocauit, & potestatem illis dedit, vt immundos spiritus eiicerent, & omnem infirmitatem curarent. *Euntes*, inquit, *prædicate, dicentes, quia appropinquabit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite. Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Multa quoque alia cælestis Magister saluberrima protulit monita, quæ veraces eius Summistæ, Mathæus, & Lucas, scriptis memoriæ commendauerunt. Ibat IESVS in ciuitatem Galilææ, quæ vocatur Naim, quæ in secundo milliario Thabor montis contra meridiem iuxta Endor sita est. B Dum portæ vrbis appropinquaret cum copioso agmine, quod comitabatur: ecce defunctus iuuenis vnicus viduæ filius efferebatur. Quã cùm Dominus flentem vidisset, misericordiâ motus super illam, dixit: *Noli flere.* Baiulis stantibus accessit, loculum tetigit, & exanimi dixit: *Adolescens, dico tibi, surge.* Illicò reuixit, resedit, & loqui cœpit: vitæque reparator illum matri sanum restituit. Timor omnes inuasit videntes. Diuino nutu multa Dominum turba sequebatur, multa viduam comitabatur: vt viso tanto miraculo, multi testes multi fierent Dei laudatores. Ioanni renunciantur in Herodis carcere miracula Christi. Vnde ab ipso mittuntur duo discipuli, vt diligenter per ipsam perscrutentur Dei Sophiam secreta de prouisione cælesti. Regressis Ioannis nunciis, multa de eius magnitudine loquitur; & pueris in foro sedentibus generationem comparat Iudæorum.

TVNC cœpit IESVS exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam in prædicatione eius. Huc vsque generationem Iudaicam communiter redarguerat, nunc quasi nominatim ciuitates eorum increpat: præcipuè Corain, id est, mysterium meum: Bethsaidam, id est, domum fructuum: & Capharnaum. quia visis signis & operibus conuerti noluerunt.

DEINDE Ioannes Deo patri gratias agit, quia sapientibus seculi secreta sua abscondit, & paruulis reuelauit. C

PHARISÆIS reprehendentibus, quòd Discipuli sabbatis, dum per sata irent, spicas vellerent, & manibus confricantes manducarent: Saluator eos excusauit, & exemplo de Dauid & Abiathar sacerdote prolato dixit: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati.

INTROIVIT iterum sabbato in Synagogam, & sanauit hominem, qui habebat manum aridam. Pharisæi liuore commoti, quòd IESVS omnia gloriosè agebat, exeuntes cum Herodianis consilium fecerunt, quomodo eum perderent. Quapropter inde secessit, & secuti sunt eum multi, & curauit omnes. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus: & curauit eum ita, vt loqueretur & videret. Scribis autem & Pharisæis opera Christi deprauare sinistra interpretatione nitentibus, & ab eo signum de cœlo petentibus: ipse profunda & spiritualia disseruit, quibus malos redarguit, & bonos instruxit. D Generationi quoque nequam nullum nisi Ionæ signum esse dandum perhibuit: cui Reginam Austri, quæ de finibus terræ sapientiam Salomonis audire venit, & pœnitentes Niniuitas meriti comparatione præposuit.

MATRE verò eius & fratribus foris stantibus, & cum illo loqui quærentibus, extendens manum in Discipulos suos, dixit: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse mater, frater, & soror mihi est.*

IN illo die exiens IESVS de domo, sedebat secus mare: & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ. In nauiculam ascendens, sedit: & turbæ stanti in littore multa in parabolis edidit. De agricola, qui exiit seminare, idoneam operationi suæ simili-

A tudinē ostendit: & de ipsis seminibus, quorū pars periit, quia secus viā aliud cecidit, & conculcatū est ab hominibus, & volucres cœli comederunt; aliud in petrosa, aliud in spinas, & variis euentibus suffocata sunt. Quid significent ista, breuiter & liquido mihi adnotabo. Semen est verbum Dei, sator autem Christus, volucres dæmonia. Via est praua mens malarum cogitationum sedulo meatu trita & arefacta. Petra est proteruæ mentis duritia. Terra est lenitas animæ obedientis. Sol verò feruor est persecutionis sæuientis. Spinæ sunt corda diuitiarum ambitione sollicita. Bona terra est deuota & fidelis mens, quæ fructum reddit centesimum, & sexagesimum, & tricesimum. Centesimum fructum reddit, qui vniuersa æternitatis intentione facit. Sexagesimum, id est opus perfectum cum doctrina, propter sex & decem. Tricesimum, id est fidem cum doctrina, propter tria & decem. Item aliter. Centesimus fructus virginum est & martyrum pro societate vitæ, seu contemptu mortis. Sexagesimus viduarum est, propter ocium interius: quia non pugnant contra consuetudinem carnis. Solet hoc ocium sexagenariis concedi post militiam. Tricesimus verò coniugatorum est, quia hæc ætas præliantium est.

B DEINDE verus Propheta confluentibus turbis alias propinat parabolas, de bono semine seminato & de zizaniis, de grano sinapis, & de fermento, quod acceptum mulier in farinæ satis tribus abscondit, donec fermentaretur totum. Saluator sedēs in naui, quasi diues paterfamilias inuitatos diuersis reficit cibis, vt vnusquisque secundum naturam stomachi alimenta susciperet varia. Diuersis ergo vtitur parabolis, vt satisfaciat voluntatibus variis.

DIMISSIS turbis, in domum venit, & interrogantibus discipulis parabolam zizaniorum declarauit.

TVNC etiam de thesauro abscondito in agro, de negociatore & margarita, de retibus missis in mare adiecit, & quid figuraret exposuit. Indè in patriam suam transiit, & in synagogis eorum eos docuit, ita ut omnes mirarentur.

ROGATVS à Pharisæo Saluator, in domo eius manducat. Mulier verò, quæ peccatrix fuerat, discumbentis Domini pedes lacrymis rigat, capillis capitis sui tersit, & vnguento vnxit. Omnia, quibus illicitè vsa priùs ad peccatum fuerat, Deo penitus deuota immolat. Quot in se habuit oblectamēta, tot de se inuenit holocausta.

C Falsa tumens iustitiā Pharisæus ægram reprehendit de ægritudine, & medicum de subuentione, à quo duorum parabola redarguitur debitorum: proprióque iudiciò vt freneticus conuincitur, qui funem portat ex quo ligetur. Peccatricis bona pœnitentis enumerantur, & mala falsi iusti corriguntur à Iudice, cuius oculis intima quæque nuda panduntur. Tandem IESVS Mariæ peccata remisit, quoniam ipso teste multum dilexit. *Fides*, inquit, *tua te saluam fecit: vade in pace.*

EVANGELIZANTE Domino, & Discipulis eius, mulieres sequebantur, & de suis facultatibus eis obsequebantur. Maria scilicet Magdalene, & Ioanna vxor Cuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ diuinitus inspiratæ. Consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse memorat. Susanna interpretatur, lilium: Ioanna, Dominus gratia eius, vel, Dominus misericors: Maria,
D amarum mare: Magdalene, turrensis. Interpretationibus nominum suorum euidenter depromitur, quibus prærogatiuis meritorum ministræ Domini decorantur.

DIE festo Iudæorum IESVS Hierosolymam ascendit, hominémque, qui per XXXVIII. annos languerat, sanauit ad probaticam piscinam, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida: vbi Sacerdotes lauabant carnes pecudum, vnde legali ritu faciebant Deo sacrificia. Piscina hæc quinque porticus habebat, in quibus multitudo magna languentium iacebat, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Porro Angelus Domini descendebat in piscinam, & mouebatur aqua: & qui priùs descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacúque tenebatur infirmitate. Iubente CHRISTO, statim sanus factus est homo, grabatúmque suum sustulit sabbato. Murmurantibus indè Iudæis, & blasphemantibus, Sophia Patris respondit. Arcana diuinitatis suæ, vt Theologus Ioannes refert, multipliciter manifestauit, & lucernæ suæ Ioanni Moysíque insigne testimonium perhibuit.

In illo tempore Herodes Tetrarcha famam Iesv audiuit, puerísque suis dixit: *Hic est Ioannes Baptista*, ipse surrexit à mortuis, ideò virtutes operantur in eo. Herodes ergo Ioannem tenuit, eúmque alligauit, & in carcere posuit: propter Herodiadem quam Philippo fratri suo tulerat, sibíque contradicente Ioanne sociauerat. Versipellis adulter præconem veritatis occidere voluit, sed populum, à quo Dei Vates venerabatur, timuit. Ioannem etiam Herodes metuebat, quem virum iustum & sanctum sciebat. Sed amor mulieris eum vicit, cui districto Dei iudicio contigit, vt propter appetitum adulteræ sanguinem funderet sancti Prophetæ. Herodes die natalis sui cœnam fecit Principibus & Tribunis, & primis Galilææ. Ibi filia Herodiadis cùm saltasset, & Herodi, simúlque recumbentibus placuisset, iuramento à Rege sibi facto, quòd quicquid postularet ab eo impetraret: instinctu matris perfidæ, in disco sibi petiit dari caput Ioannis Baptistæ. Funestus Rex speculatorem misit, caput Præcursoris Christi amputari iussit, quod mox pro saltationis precio allatum est in disco puellæ, & in impuro conuiuio cruentæ factæ sunt epulæ. Discipuli verò Ioannis corpus in Samaria sepelierunt, & venientes ad Iesum, hæc nunciauerunt. A B

Salvator, audita nece Baptistæ sui, indè secessit, & seorsum trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, in desertum locum abiit: non timore mortis, sed parcens inimicis suis, ne homicidio iungerent homicidium, si crebrò visis eius miraculis in zelum irritarentur lethiferum. Distulit itaque in diem Paschæ interitum suum, & nobis præbuit exemplum vitandi temeritatem tradentium.

Cvm audissent turbæ, pedestres eum sequutæ sunt. Videns Iesus turbam multam, misertus est eius, & curauit languidos eorum. Vespere facto, quinque panes ordaceos & duos pisces accepit: aspiciens in cœlum, benedixit, fregit, Discipulísque, vt apponerent turbis, dedit. Turbas verò super fœnum discumbere iussit. Ministrantibus Apostolis, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis, manducauerunt, & saturati sunt: & de reliquiis XII. cophini fragmentorum pleni sublati sunt. Hæc omnia mysteriis plena sunt. Iesvs de Iudæa secedit, in desertum gentium venit. Turbæ sequuntur. Languidos, eorum misertus, curat. Quinque panibus ordeaceis Mosaicæ legis, & duobus piscibus Prophetiæ & Psalmorum, pauit. Et hoc vespere, id est fine seculorum propinquante, peregit: cùm ipse sol iustitiæ pro nobis occubuit. C

Homines, cùm vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Iesvs ergo cùm cognouisset, quia venturi essent vt eum raperent, & Regem facerent: Discipulos iussit in nauiculam ascendere, eúmque trans fretum præcedere, & ipse dimissa turbâ fugit in montem solus, orare. Vespere facto, nauicula in medio mari iactabatur fluctibus, & penè tota nocte in remigando laborantibus ventus obstabat contrarius. Quarta vigiliâ noctis, cùm remigassent quasi stadia XXV. vel triginta, venit ad eos ambulans super mare. Et videntes timuerunt, quia putabant eum phantasma esse. Præ timore clamantibus statim dixit Iesvs: *Ego sum, nolite timere. Domine*, inquit Petrus, *si tu es, iube me venire ad te super aquas*. At ipse ait, *Veni*. Descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesvm. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit: *Domine, saluum me fac*. Continuò Iesvs manum extendit, & se in periculo inuocantem apprehendit. *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* D

Ascendente Iesv in nauiculam, cessauit ventus: & ista videntes adorauerunt, & filium Dei confessi sunt. Nota, quòd Ioannes describit miraculum panum prope Pascha factum fuisse: Mathæus verò & Marcus commemorant hoc statim occiso Ioanne factum esse. Vnde colligitur Ioannem imminente Pascha decollatum, annóque sequenti, cùm Pascha denuò rediret, mysterium Dominicæ passionis esse completum.

Iesvs cum Discipulis suis in terram Genesareth venit, & ab incolis gratanter susceptus, languidos eorum curauit. Nempe Saluatoris benignitate illecti, in vniuersam regionem miserunt, eíque omnes malè habentes obtulerunt: eúmque, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, rogauerunt. Quicúmque ergo tetigerunt, salui facti sunt.

Ibi contra Scribas & Pharisæos, qui de Hierosolymis accesserant, plura pro-

A tulit,& superstitiosas seniorum traditiones redarguit.

Turbæ in nauiculas ascenderunt, & Capharnaum quærentes, Hierusalem venerunt. Quibus ipse dixit: *Amen, amen dico vobis, quæritis me: non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis vobis dabit.* Hæc & plura his similia de pane cœlesti & vita æterna docuit in Synagoga Capharnaum, quæ Iudæi non intellexerunt habentes cor lapideum. Dixerunt ergo: *Durus est hic sermo.* Plures malitiâ excæcati murmurauerunt, & scandalizati ab illo recesserunt. Dixit ergo Iesvs ad xii. *Numquid & vos vultis abire?* Respondit Simon Petrus; *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Post hæc ambulabat Iesvs in Galilæam. non enim volebat in Iudæam ire, quia Iudæi quærebant eum interficere.

Tvnc, vt Summista Ioannis refert, cognati eius, qui pro ritu Iudaico fratres vocabantur, ipsum ad Scenophegiam inuitauerunt; vt palam sese ostenderet mun-
B do. Illis ascendentibus, qui mundi quærebant gloriam, ipse mansit in Galilæa. Sed iam die festo mediante, ascendit in templum. Mirantibus cunctis de doctrina eius, docuit. Pharisæi turbam dissentientem de illo audierunt, & ministros vt eum apprehenderent miserunt. Sed nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora eius.

In nouissimo die magno festiuitatis, stabat Iesvs, & clamabat, dicens. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hoc dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesvs nondum fuerat glorificatus.

Cvm audissent sermones eius quidam, dicebant: *Hic est verè Propheta.* Alij dicebant, *Hic est Christus.* Quidam autem dicebant, *Numquid à Galilæa Christus surgit? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid,* & de Bethleem castello, vbi erat Dauid, *venit Christus?* Dissensio itaque in turba propter eum facta est. Ministri verò, qui missi à Pontificibus & Pharisæis, vt Iesvm comprehenderent, fuerant; auditis sermonibus eius, obliti sunt propter quod venerant. Redierunt ergo immunes à
C crimine, pleni admiratione. Atrocibus Magistris discutientibus proteruè, cur eorum clientes vinctum sibi non adduxissent doctorem vitæ; illi cælitus illustrati verax testimonium perhibuerunt Christi doctrinæ. Dixerunt ergo, *Numquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur homo.* Quia nimirum ille, qui loquebatur, Deus erat & homo. Superbis Principibus veritati nequiter derogantibus, Nichodemus auctoritate legis compescuit eorum nefarios ausus. Denique nullo perfecto negocio, vacui fide, & omni fraudati vtilitate suos lares repetierunt.

Iesvs indè in montem Oliueti perrexit, iterúmque diluculò in templum venit. Ibi Domino sedente & docente, omnis populus ad eum venit: & adductam mulierem in adulterio deprehensam iustitia condemnauit, sed dulcedine pietatis suæ absoluit. Pharisaica fraus muscipulam Christo præstruere putauit, dum opinionem eius erga plebem offuscare temptauit: & ipsum aut crudelem, aut iniustum probabiliter ostentare sategit. Nam si ream iuxta decretum Moysi condemnasset, quasi sæuum, & oblitum misericordiæ quam prædicabat, derisisset: & sic odiosum turbis, à quibus diligebatur, faceret. Si verò mœcham pro clementia lapidari prohibuisset, quasi legis aduersarium, & fautorem scelerum condemnasset. Vera Sophia velut
D araneæ fila dolos sceleratorum disrupit, & regia dignitate vtrobique seruata absque impedimento pertransiit. Ait Iesvs, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* In primo commate temperantia est miserantis, in sequenti iustitia iudicantis. Inclinans se deorsum, digito scribebat in terram; ancipitique verbi sui gladio penetrauit insidiatorum conscientiam. Sic seruauit ecce per omnia, & iustitiæ districtionem, & pietatis mansuetudinem. Tandem fraudulenti quæsitores Domini sententiâ percussi erubuerunt, mœcham reliquerunt, & insipientes à senioribus exierunt. Deinde summus Iudex sibi derelictam, quæ accusabatur, clementer subleuauit. *Vade*, inquit, *& amplius noli peccare.* Ecce tanquam pius præterita peccata ignoscit; & quasi iustus, ne ampliùs peccare præsumat, interdicit.

In Gazophylacio Iesvs plurima locutus est de vera luce & libertate, de exaltatione sui, & de seruitio peccati, de mendacio & veritate. Insanientes pro bonis à

Christo benedictis responderunt Iudæi: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Iniuriatus patienter respondit, humiliter docuit, & diuina saluandis protulit. Porrò, magis efferati ad lapides cucurrerunt, ac vt in eum iacerent tulerunt. IESVS autem abscondit se, & exiuit de templo. A

PRÆTERIENS, hominem à natiuitate cæcum vidit, in terram expuit, lutum ex sputo fecit, & super oculos eius liuit, eiq; dixit: *Vade, laua in natatoria Siloë.* Abiit ergo, & lauit, & venit videns. Hoc sabbato factum est, vnde inter Iudæos ingens scisma exortum est. Illuminatus illuminatori suo testimonium perhibens, de synagoga eiectus est: sed ab illo, quem meritò amabat, cognitus & receptus est. Tunc IESVS tractauit de ostio, & ouili, & ouibus: de bono pastore, & mercenario. Verba eius multi susceperunt, & plures econtra perperam respuerunt.

EGRESSVS inde IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis, ibique à muliere Chananæa interpellatus est pro filia dæmoniaca, precibus multis. A Discipulis etiam rogatus, post aliquantulam difficultatem adquieuit: & laudata matris fide & humilitate, filiam à dæmonio liberauit.

EXIENS de finibus Tyri metropolis Chananæorum, venit per Sidonem Phœnicis vrbem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Ibi surdum & mutum de turba seorsum apprehendit, digitósque suos in auriculas eius misit: & expuens, linguam eius tetigit. Suspiciens autem in cœlum, ingemuit, & ait illi: *Epheta*, quod est adaperire. Statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et mirati sunt qui nouerunt, dicentes: *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* B

SECVS mare Galilææ veniens, in montem ascendit, & multas turbas ad eum accedentes docuit. Ibi mutos & claudos, cæcos, debiles, & alios multos ad pedes eius proiectos curauit; ita vt turbæ mirarentur, dum viderent mutos loqui, claudos ambulare, & cæcos videre.

HÆC similiter in sancta Ecclesia Dominus spiritualiter operatur, cuius ope turba peccatorum quotidie saluatur. Multi sunt, qui Dominum non laudant, nec fidem confitentur. Cæci sunt qui non intelligunt, etiam si obtemperent iubentibus. Surdi sunt qui non obtemperant, etiamsi intelligunt. Claudi sunt qui præcepta non implent diuina, & vadunt per praui operis deuia. Tales quotidie diuinitus sanantur, ac ad viam salutis perducuntur. Timentes Dominum, qui signa corporalia videbant, læti Regem sabaoth magnificabant. Nunc quoque pro conuersione reorum fideles exultant, & Dominum Israël, qui bona cuncta facit, piè magnificant. C

IESVS conuocatis Discipulis suis dixit: *Misereor turbæ, quia triduò iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.* Deinde præcepit turbæ super terram discumbere, septem panes ac pisciculos paucos accepit: gratias egit, fregit, Discipulis suis dedit. Discipuli autem populo dederunt, & comederunt omnes, & saturati sunt. Quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem, qui manducauerunt, quatuor millia virorum, extra paruulos & mulieres.

ET dimissa turbâ, in nauiculam ascendit: & in fines Magedam, vel Dalmanutha circa Genesar venit. Illic Saducæi & Pharisæi eum tentauerunt, ac vt eis de cœlo signum ostenderet rogauerunt: paruipendentes, quòd de septem panibus quatuor millia hominum pauerit, & reliquiis septem sportas repleuerit. At ille proteruiam eorum redarguit, eísque signum, nisi signum Ionæ Prophetæ, denegauit: & relictis illis nauem ascendit, & trans fretum abiit. D

BETHSAIDE rogatus est, vt cœcum tangeret. Ille verò manum cœci apprehendit, eum extra vicum eduxit, & expuens in oculos eius, manus suas imposuit: & ab eo, si aliquid videret, interrogauit. At ille ait, *Video homines quasi arbores ambulantes.* Iterum manus super oculos eius imposuit. Ille cœpit videre, & restitutus est; ita ut clarè videret omnia. Tunc ait illi, *Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.*

EGRESSVS IESVS, in castella Cæsareæ Philippi venit, & à Discipulis suis in via, quid homines opinarentur de illo, interrogauit. At illi dixerunt: *Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Dixit illis IESVS. *Vos autem, quem me esse dicitis?* Respondens Simon Petrus, dixit: *Tu es* CHRISTVS, *filius Dei viui.* Respondens autem IESVS, dixit ei: *Beatus es Simon Bariona,*

A *quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcúmque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcúmque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

TVNC præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset IESVS CHRISTVS. Exinde cœpit IESVS ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Assumens eum Petrus separatim, cœpit illum affectu amoris increpare, dicens: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.* Qui conuersus, dixit Petro; *Vade retro me, Sathana. Scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Postquam Dominus mysterium suæ passionis & resurrectionis ostendit, hortatur eos vnà cum turba, ad sequendum suæ passionis exemplum: promittens, quòd perpessos comitetur præmium.

POST dies sex, assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Et ecce, apparue-
B runt illis Moyses & Helias, cum eo loquentes: & ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipsum audite.* Audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit IESVS & tetigit eos, dixítque ad eos: *Surgite, & nolite timere.* Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum IESVM. Et descendentibus illis de monte, præcepit IESVS, dicens: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Tunc inquirentibus Discipulis dixit, quòd Helias venisset. Et intellexerunt, quòd ille de Ioanne Baptista dixisset. In sequenti die, cùm ad turbam venisset, confestim omnis populus videns eum stupefactus est; & accurrentes, salutabant eum. Tunc quidam de turba ad eum accessit, & ante eum genibus prouolutus dixit: *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est ab infantia, & malè patitur. Frequenter eum dæmon in ignem & in aquas misit, vt illum perderet: & Discipulis tuis obtuli eum, & non potuerunt curare eum.* Cúmque IESVS illum afferri iussisset, & æger allatus fuisset: statim spiritus turbauit eum, & elisus in terra volutabatur spumans. Cúmque IESVS dæmonium increpasset, & exire ab eo, nec ampliùs introire iussisset: dæmon clamans, multúmque discerpens eum, exiit. Et ille elisus ad terram corruit, itaut multi dicerent, quia mortuus est. IESVS autem tenens manum eius, eleuauit, patríque suo
C sanum reddidit. Deinde Discipulis secretò interrogantibus, cur non potuissent curare illum, dixit: *Propter incredulitatem vestram. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.* Conuersantibus illis in Galilæa, dixit: *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget.* Et contristati sunt vehementer.

ET cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum, dicentes: *Magister vester non soluit didragma?* At ille ait: *Etiam.* Cùm intrasset domum, præuenit eum IESVS, dicens: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filiis, an ab alienis?* At ille: *Ab alienis.* CHRISTVS & secundum carnem, & secundum spiritum filius Regis erat: vel ex stirpe Dauid genitus, vel omnipotentis Patris Verbum. Vectigal ergo vt filius Regis non debebat: sed qui humilitatem carnis assumpserat, omnem iustitiam adimplere volebat. In omni regno, intelligendum est liberos esse fi-
D lios, non vectigales. Dixit IESVS Petro: *Liberi sunt filij. Sed ne scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.* Piscis iste, CHRISTVS est: in mari, id est in vita mortali. Stater, id est didragma, significat confessionem; quæ pro Petro datur quasi pro peccatore, pro Christo verò quasi pro Agno immaculato, qui peccatum non fecit.

ORTA inter Apostolos quæstione, quis eorum maior esset in regno cœlorum: aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio eorum. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicúmque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum.* & reliqua, quæ locutus est de humilitate & mansuetudine, & de cauendis pusillorum scandalis, & fratribus

benignè castigandis. Deinde de indulgentia fraterna tractauit, & parabolam de Rege proposuit, qui seruo supplicanti decem millia talenta indulsit: & de eodem seruo, qui centum denarios conseruo suo condonare noluit. A

CONSVMMATIS sermonibus post tributum, de humilitate commendanda & innocentia, de correctione & venia, pius Doctor à Galilæa migrauit, & in fines Iudææ trans Iordanem venit. Ibi sequentes turbas curauit.

INTERROGANTIBVS Pharisæis, si licet viro vxorem dimittere, firmam legem coniugij protulit, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

TVNC oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem comminabantur offerentibus. IESVS verò indignè ferens, ait: *Sinite paruulos venire ad me, & nolite eos prohibere: talium est enim regnum cælorum.*

GENV flexo adolescenti, viam salutis æternæ quærenti, postquàm præcepta legis intimarat, adiecit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo. veni, & sequere me.* Ille, his auditis, quia multas habebat possessiones, abiit tristis. Tunc dixit IESVS: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* B

PETRVS, audita spontaneæ paupertatis laude, dulcitèr exhilaratus ait ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* IESVS autem dixit eis: *Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes XII. iudicantes XII. tribus Israël. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

DEINDE parabolam proposuit de patrefamilias, qui conduxit operarios in vineam suam diuersis horis: & æqualem mercedem vnius denarij dedit vnicuique, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Varietates horarum typicè intelliguntur secundum ætates labentis seculi. Mane primo laborauit Abel, tertia Noë, sexta Abraham, nona legislator Moyses. Vndecima horâ Christus venit, & gentiles populos, cur in foro huius mundi ocio vacarent, redarguit: & per fidem in Ecclesiæ suæ vinea operari præcepit. Aliter etiam possunt diuersitates horarum ad vnumquémque distingui per momenta ætatum. Mane, pueritia est: tertia, adolescentia: sexta, iuuentus: nona, senectus: vndecima, est decrepita ætas, vel veterana. In his omnibus aliqui ad conuersionem perducuntur, & denario perennis vitæ remunerantur. De similitudine hac modernus versificator sic ait: C

Vinea culta fuit, cultores præmia quærunt.
Non labor æqualis, æqualia dona fuerunt.
Qui venit extremus, dispensatore vocante,
Tantumdem recipit, quantum qui venerat ante.
Sic Deus ostendit, quòd quandocumque velimus,
Aggrediamur opus, certi de munere sumus.

HACTENVS opera, quæ Dominus in initio prædicationis suæ fecit per biennium, prout ex dictis ediscere potui Euangelistarum, pro salubri exercitatione perscrutatus sum, breuíque relatu mihi annotare conatus sum. Amodo libet anni tertij gesta inuestigare, insigniúmque pondus rerum compendiosè coarctare: postquam ipse Dominus de Galilæa cœpit in Iudæam migrare, vt mysterium paternæ dispensationis in Hierusalem consummaret, & arcana legis & Prophetarum sua nobis ineffabili operatione reseraret. Primò quidem in Iudæa docuit, trans Iordanem, ad Orientem: post & citra Iordanem, quando venit Hiericho & Hierusalem. Nam cùm omnis Iudæorum Prouincia generaliter ad distinctionem aliarum gentium Iudæa sit, specialiùs tamen meridiana eius plaga appellabatur Iudæa; ad distinctionem Samariæ, Galilææ, Decapolis, & ceterarum in eadem Prouincia regionum. D

ASCENDENS Iesus in Hierusalem, secretò suis prædixit Discipulis passionem. Tunc mater filiorum Zebedæi petiit, vt vnus filiorum eius ad dexteram, & alius sederet in regno eius ad sinistram. Ille verò ad patientiam & humilitaté eos inuitauit,

&

A & seipsum totius exemplum iustitiæ sequendum ostendit. Ioannem docuit interrogantem ne prohibeat virtutes in eius nomine facientem.

DVM iret in Hierusalem, ante conspectum suum in ciuitatem Samaritanorum misit nuncios: sed non receperunt eos. Iacobum verò & Ioannem, quia ignem de cœlo super contemptores petere voluerunt, increpauit, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

SEPTVAGINTA-DVOS designauit, illos binos in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus, misit: illísque præcepta, quibus & quomodo prædicare deberent intimauit. Incredulas ciuitates increpauit. Septuaginta duobus reuersis, atque gaudentibus, præcepit non de subiectione dæmonum, sed de suorum in cœlo nominum scriptione gaudere. Confessio laudis refertur ad Patrem. Beatos dicit Dominus discipulorum oculos, quia vident quæ priores iusti, & Reges, voluerunt videre, & non viderunt.

TENTANTI Legis perito, dogmata veræ salutis insinuauit, & paradigma de homine descendente de Hierusalem in Hierico, & de casibus eius, protulit: & Sa-
B maritanum, qui transeuntibus Sacerdote & Leuita vulnerato à latronibus subuenit, proximum misericordiam faciendo illi fuisse palam monstrauit.

IN castello IESVS hospitium subiit, & querelam ministrantis Marthæ de sorore non eam adiuuante compescuit: quia optimam eam partem elegisse asseruit.

MATHÆVS in Oratione Dominica septem petitiones ita describit: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo, Amen.* In tribus primis petitionibus poscuntur æterna, in reliquis quatuor temporalia, quæ tamen ob æterna consequenda sunt necessaria.

PORRO Lucas quinque petitiones ita complexus est. *Pater sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra: siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.* Ecce septem petitiones secundum Mathæum, abbreuiatæ sunt in quinque se-
C cundum Lucam. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu. Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. In his competenter intelligi possunt quæcumque in hac & alia vita homini necessaria sunt.

ROGATVS itaque IESVS à Discipulis, *Domine doce nos orare*: non solùm formam orandi, sed instantiam frequentiámque tradit orandi. De perseuerantia orationis assiduè suos admonet, & amici tres panes media nocte petentis parabolam exhibet: petendum, quærendum, pulsandum persuadet. Hortatur ergo petere epulas verbi Dei, quibus alatur amicus, id est animus. Quærere amicum, qui det affluenter, id est Dominum. Pulsare ostium diuinæ clementiæ, per quod ingrediatur in thesaurum sapientiæ, quo seruantur cælestes deliciæ. Panis intelligitur charitas, cui opponitur lapis, id est auaritiæ duritia. Piscis est fides inuisibilis propter aquam baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur, nec in huius mūdi fluctibus circumlata frangitur: cui venenosus serpens opponitur, quo perfidialis incredulitas figuratur. In ouo spes indicatur. Ouum ergo nondum est fœtus perfectus, sed fouendo speratur. Spei verò desperatio contraria est, quæ scorpione figuratur: cuius aculeus venenatus intantum retro percutit, & clancula punctione subitam perniciem ingerit.

D BLASPHEMOS & ingratos beneficiis, quæ videbant, Saluator redarguit. De armato & fortiore deuicto exemplum contulit: & de immundo spiritu septempliciter in hominem regresso tractauit.

EXCLAMANTI mulieri, beatum esse ventrem, qui eum portasset: respondit eum esse beatum, qui seruauerit verbum Dei.

POST curationem hominis, in quo tria simul signa perpetrata sunt. (cæcus enim videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur,) Veritas plurima salutis verba edidit, tentantes Pharisæos ratione compescuit. Lucernam sub modio non esse ponendam, sed super candelabrum, dixit: oculúmque simplicem esse debere docuit.

APVD Pharisæum prandēre rogatus, cogitantem cur ante prandium Iudaico more non esset baptizatus, de exteriori baptismate, dum interiora sordibus scele-

Ff

rum plena sint, notauit, & væ sexies Pharisæis dicens, multa eorum mala coaddit. A

DISCIPVLIS quoque præcipit à fermento hypocrisis cauere, & eos qui corpus occidunt non metuere; nec in persecutione, quid locuturi sint, cogitare.

PETENTE quodam, inter se & fratrem suum diuidi hereditatem, parabolam ponit de diuite auaro. Mox & Discipulis sollicitudinem cibi vestísque, qua carent aues, præcipit euitandam.

PVSILLO gregi regnum promittens, possidenda vel possessa propter elemosynā vendi; lumbósque præcinctos, & lucernas ardentes esse debere iubet. Vigilandum quoque, serui boni malíque mentione facta, imperat. Seruum scientem voluntatem Domini sui, nec facientem, multis; ignorantem verò, paucis vapulare confirmat.

IGNEM in terram se dicit necessitudine diuisorum missurum; & faciem cœli probantes debere tempus intelligere manifestum, atque consentiendum aduersario in via pronunciat.

NVNCIATIS quibusdam à Pilato occisis, ait omnes, nisi pœnitentiam agant, similiter perituros: vel sicut illi x. & VIII. turris ruinâ oppressi. Parabolam quoque de sterili arbore fici ponens, indicat pœnitentiam differentes.

MVLIEREM ab annis x. & VIII. curuatam sabbato erigit, & de cura sabbati murmurantes bonis adęquandi exēplo depellit: gaudēte populo de gloriosis eius miraculis. B

REGNVM Dei grano sinapis comparans, & fermento, de angusta quoque vitæ via paucorum loquens: *Erunt*, inquit, *nouissimi primi, & primi nouissimi.*

HERODEM Dominus vulpem, quo propter dolos & insidias hæretici designantur, appellat: & Hierusalem alis eius protegi respuentem increpat.

HYDROPICVM sabbato curat, & velut de humoris puteo liberat.

MVRMVRANTES Pharisæos asini vel bouis in puteum cadentis extractione cōfundit. Humilitatem quoque sectandam docens, in conuiuio primum accubitum non esse quærendum: nec diuites, sed pauperes, qui non retribuant, esse pascendos.

MVLTIS modis Dominus IESVS Christus consulens humanæ saluti, ponit parabolam de inuitatis; qui se excusare studentes, cœnâ non fuerint digni. Primus propter villam quam emerat, venire noluit: quo designantur terrenæ amatores substātiæ, pro qua paruipendunt cælestibus inhiare. Alter pro quinque iugis boum detentus, non iuit: quo figurantur curiosi, qui corporeis sensibus illecti sola exteriora cognoscere curant, & dū aliorū vitā inuestigant, sui curam negligentes æternæ salutis epulas appetere refutant. Tertius pro vxore recusauit venire, quo demonstrantur hi, qui carnis irretiuntur voluptate. Sic dum homo terrena curâ occupatur, illum alieni actus sagax cogitatio deuastat: alterius etiam mentem voluptas carnis inquinat. Fastidiosus quisque ad epulas perennis vitæ non festinat. C

SALVATOR sequentibus turbis, necessitudines insuper & animam suam relicturis, & assumpta cruce ipsum secuturis, similitudinem ædificandæ turris ne deficiant suggerit: & de bello duorum Regum exemplum proponit.

MVRMVRANTIBVS de peccatorum conuiuio parabolā ouis & dragmæ ponit: quarum sicut perditio possessorem contristauit, sic inuētio lætificauit. Gaudium itaque de pœnitentis salute futurum Angelis commendatur. Pœnitentia verò est, perpetrata mala plangere, & deflenda non iterare. Debet etiam qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere concessa: vt voluntati satisfaciat diuinæ.

DOMINVS parabolam ponit de frugi & luxurioso filio, & reuersione prodigi ad patrem, & benignitate qua pater eum suscepit, & osculatus est: & induit stola prima, id est veste innocentiæ, & dedit anulum sinceræ fidei, & calciamenta in officiū euangelizandi. Manus itaque & pedes conuersi, id est opus & cursum, Dominus ornauit: & occiso vitulo saginato conuiuium celebrauit. Vnde senior filius, id est Iudaicus populus, de agro, id est exteriori obseruatione, vt domui appropinquauit, & symphoniam & chorum audiuit, id est Ecclesiæ filios Spiritu sancto plenos consonis vocibus Euangelium prædicare aduertit: cognita lætitiæ causâ, patri indignatus est: & quòd suæ deuastatori substantiæ cum meretricibus vitulum saginatum occiderit, sibique præposuerit, conquestus est. D

DEINDE Dominus de villico iniquitatis ex dissimilitudine introducit exemplum, qui actu solertiore minuerit Domini sui debitum.

NON posse Deo seruire & mammonæ asseruit. Auaros increpat Pharisæos, legémque dicit vel Prophetas vsque ad Ioannem Baptistam.

A IMMISERICORDEM diuitem purpuratum & pauperem introducit: oſtendens qualia paſſuri ſunt raptores, ſi ſic merentur puniri tenaces.

VÆ dicit ſcandalizanti, pœnitenti verò fratri etiam ſeptuagies ſepties præcipit remittendum.

AVGERI ſibi petunt Apoſtoli fidem, & audiunt de tranſlatione arboris facultatem. Poſitáque ſimilitudine de ſeruo arante vel paſcente, docet vt inutiles ſe, etiam implentes quæ præcepta ſunt, fateantur.

DVM iret IESVS in Hieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. In ingreſſu cuiuſdam caſtelli decem leproſos mundauit, quorum vnus tantùm, & hic alienigena, ad gratias referendas rediit.

INTERROGATVS de tempore regni Dei, reſpondit non cum obſeruatione venturum: & fulguri comparat filij hominis aduentum. Repentino die iudicij dicit homines occupandos, & æquiparat illum diem diebus Noë vel Loth: quando velox interitus ſuperuenit mortalibus. Loquitur etiam de binis in lecto, in mola, & in
B agro: ſingulos aſſumendos, ſingulos pronunciat relinquendos. Lecti nomine figuratur quies Eccleſiæ. De duobus loquitur, quaſi de duobus hominibus: ſed intelligendum eſt de duobus affectionum generibus. Qui nunc pro Deo continentiæ ſtudet, vt ſine vlla ſollicitudine viuens ea quæ Domini ſunt cogitet; aſſumetur à Deo ad æternam beatitudinem. Qui verò humanæ laudis amore, licet alia qualibet vitiorum corruptione ſtatum monaſticæ vitæ, qua imbutus eſt, læſerit: æternæ miſeriæ relinquendus eſt, vt in lamentatione Hieremiæ inſinuatur, qui ocioſæ cuiuſlibet & peccatricis animæ ſub Iudææ ſpecie lapſum deſcribens, ait: *Viderunt eã hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* Duæ molentes propter tẽporalium negociorum orbem & circuitum ſignificant plebes, quæ ſicut feminæ à viris, ſic debent regi à doctoribus: & in variis laborantes artibus, Eccleſiæ deſeruiunt vſibus. Vna pars aſſumetur, quæ connubia propter amorem tantùm generis exercet, terrenámque ſubſtantiã ob adquirenda cæleſtia diſpenſat. Relinquetur autem, quæ coniugiis ob illecebras carnis ſeruierit: terrena verò, ſi qua Eccleſiæ, licet pauperibus obtulerit, ideò fecerit, vt quaſi redempto Domino his ampliùs abundet. Duo in agro deſignant operantes in Eccle-
C ſiæ miniſterio, tanquam in agro Dei. Aſſumetur, qui ſincerè verbum Dei prædicauerit: relinquetur, qui Chriſtum non caſtè, ſed ex occaſione annunciauerit.

HIS tribus hominum generibus conſtat Eccleſia, quæ binas habent differentias: propter aſſumptionem, & relictionem. Vnde tres viros Ezechiel Propheta liberatos vidit, Noë, Daniel, & Iob: in quibus deſignantur prædicatores, continentes, & coniugati. Nam Noë Archam in vndis rexit, ideóque figuram rectorum tenuit. Daniel in aula regia abſtinentiæ deditus fuit, & ideò vitam continentium deſignauit. Iob verò in coniugio poſitus, & curam propriæ domus exercens, Deo placuit: per quem dignè bonorum coniugum ordo figuratur.

QVONIAM oportet ſemper orare & non deficere, Dominus parabolam de Iuda ponit, qui de aduerſario ſuo vltionem ab iniquo iudice poſtulauit: aſſiduíſque precibus propter tædium, quod petebat pertinaciter impetrauit.

ORATIONE Phariſæi in templo & Publicani propoſita, docet non iactanda merita, ſed confitenda peccata. Boni iugiter orant, vt de inimicis talem vindictam obtineant, vt omnes mali pereant. Duobus quippe modis mali pereunt, aut conuer-
D ſione ad iuſtitiam, aut amiſſa per ſupplicium malè faciendi poteſtate.

TRADENDVM ſe Hieroſolymis, paſſurúmque, Dominus prædicit: & iuxta Hierico mendicantem ſecus viam audiuit, ſtans adduci eum ad ſe fecit, & poſcenti lumen piè reſtituit.

PERAMBVLANS Hiericho, ZACHÆVM Principem publicanorum ſuper arborem vidit, & in eius, qui ſatis deſiderabat eum videre, domo hoſpitium ſuſcepit. Murmurantibus Iudæis, quòd ad hominẽ diuertiſſet peccatorem, ſtans in fidei veritate Zachæus dixit ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & ſi cui aliquid defraudaui reddo quadruplum.* Ait ille IESVS: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Venit ergo filius hominis quærere, & ſaluare quod perierat.

DEINDE parabolã ponit de nobili quodã, qui abiit in regionẽ longinquã accipere regnũ, & reuerti: & de ſeruis, quibus decẽ mnas dedit, vt negociarẽtur ex eis. Reuerſo autem primus ait: *Domine, mna tua decẽ mnas adquiſiuit.* Primus ſeruus ordo Doctorũ

est,in circumcisionem missorum,qui vnam mnam negociaturus accepit:quia vnum Dominum,vnam fidem,vnum baptisma,vnum Deum prædicare iussus est. Sed hæc eadem mna decem mnas adquisiuit,quia populum sub lege constitutum sibi docẽdo sociauit.Illo feliciter remunerato,alter ait: *Domine,mna tua fecit quinq; mnas*. Seruus iste,cœtus est eorum,qui in præputio euangelizare missi sunt, meritóque illis diuinitus præponuntur, qui per eos ad cultum vnius Dei mortificatis sensibus carnis conuersi sunt.Porrò,alter seruus, qui negociari iussus, acceptam Domini pecuniam in sudario reposuit,denotat eos, qui ad prædicandum idonei, prædicationis officium iubente Domino per Ecclesiam vel saltem suscipere, vel sceptrum dignè gerere detrectant.Pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub ocio lenti torporis abscondere.In hac parabola,per duos seruos fideles intellige vtriusque populi Doctores: per decem & quinque mnas,in Dominum credentes populos : per seruum nequam,malos Catholicos: per inimicos,qui geminum hæredem super se regnare noluerunt,impietatem eorum, qui verbum fidei aut numquam audire, aut malè interpretando corrumpere maluerunt: per missionem seminis non seminati, eorum etiam, quos verbum Dei nec audire contigit, discussionem. His nimirum quinque personis omne genus humanum,quod in die iudicij futurum est, exprimitur.His dictis,Iesus præcedebat in Hierusalem. A B

Solvs Ioannes,cùm encænia hieme fierẽt Hierosolymis, cõmemorat Iudæos dixisse ad Iesvm ambulantẽ in porticu Salomonis: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus,dic nobis palã*. Indè sumpta opportunitate sermonis,dixit: *Ego & pater vnum sumus*. Et alia sublimia protulit.Vnde Iudæi malignitate cæcati lapides sustulerunt,vt lapidarent eum.Deinde iterum trans Iordanem in locum, vbi Ioannes primùm baptizarat,abiit,& illic mansit.Illuc multi venerunt, & in eum crediderunt.

Bethaniæ Lazarus infirmabatur,pro quo sorores eius Maria & Martha miserunt ad Iesum,dicentes: *Domine,ecce, quem amas, infirmatur.* Audiens Iesus, dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem ,sed pro gloria Dei , vt glorificetur Filius Dei per eam.* Tunc duobus ibi diebus mansit,& postea cum Discipulis suis in Iudæam abiit, & Lazarum quatuor dies iam in monumento habentem inuenit. Martha, vt eius aduentum audiuit, fide fortis, occurrens illi, dixit: *Domine,si fuisses hìc,frater meus non fuisset mortuus.* Moderatis vtitur verbis,quæ intemperanter dolet interitum fratris. Martha post mutuam cum Christo collocutionem, verámque fidei confessionem, qua credidit eum Dei filium,vitam & resurrectionem, Mariam vocauit suam sororem,dicens suppressa voce: *Magister adest, & vocat te*.Illa citò surrexit,extra castellũ, vbi Saluator substiterat,iuit: & videns eum,ad pedes eius prostrata dixit: *Domine,si hìc fuisses,frater meus Lazarus nõ fuisset mortuus.* Fons pietatis, plorantibus amicis pro morte amici plorauit,sed flẽdo inexplebile gaudium suis peperit. Iesvs fremẽs in semetipso,ad monumentũ venit, lapidem de spelunca tolli præcepit: & quatriduanũ iam fœtentẽ voce magna vocauit: *Lazare veni foras*.Et statim prodiit,ligatus manus & pedes institis,quẽ Dominus mox iussit solui à Discipulis. Facto tam glorioso, & cũctis seculis prædicãdo miraculo,non omnes crediderũt in Iesũ;sed multi ex Iudæis,qui venerãt Mariã & Marthã cõsolari,& viderãt insperatã resurrectionẽ Lazari. C

Plvres mortuos Dominus suscitasse nõ dubitatur,sed in sancto Euangelio tres tantùm certi causâ mysterij suscitasse legitur.Per filiã Archisynagogi,quæ inter domesticos parietes paucis vidẽtibus ressuscitata est,designãtur peccatores,qui peccatũ intus in conscientia clausũ habent,& necdũ ad opus erũpunt. Hos plerũq; diuina inspiratio ressuscitat,dum eos à prauo consensu priuata emendatione reuocat. Per filium viduæ,qui extra portas vrbis elatus est, & multis cernentibus à Christo ressuscitatus est,denotantur rei, qui post consensum ad perpetrandum facinus exeunt,& quasi mortuum de latebris animæ proferunt: vt quod latebat in secreto,appareat in publico.Plerumque tales salubriter admonentur, & remedio dignæ conuersionis diuinitus viuificantur;multis scientibus, qui indè lætantur. Per Lazarum iam sepultum,iam fœtidum, peccantes figurantur, qui praua etiam consuetudine implicantur : adeout ipsa mali consuetudo non permittat eos intelligere malum esse quod faciunt,vnde crebrò defendunt nefas quod agunt. Iamque velut ingenti mole peruersæ cõsuetudinis obruti sunt.Procaciter irascuntur, cùm reprehendũtur:& fœtent,dũ prauæ opinionis elogio passim derogantur.Proximíq; vidẽtes eos, D

A eorum exemplo læduntur. Illi tandē, qui humano iudicio dānandi cēsentur, intrinsecus adeò viuificantur, postea per sacerdotale ministerium absoluuntur. Aliter omnis homo mortuus nascitur originali peccato. Prima dies mortis est, quam dedit origo propaginis. Secunda dies est mortis, dum crescendo adolescit homo: venit ad annos rationis capaces, incipit in se habere naturaliter legem, qua docentur naturaliter homines, vt quod sibi fieri noluerunt, aliis ne faciant, sed hanc transgredi audent. Tertia dies mortis est, dum scripta lex homini datur: sed ipsa quoque contemnitur. Post omnia Christus venit, Euangelium attulit, regnum cœlorum prædicauit: malè facientibus minatus est gehennam, & benè viuentibus vitam promisit æternam. Euangelium etiam contemnitur, & hæc est quarta dies mortis, qua Lazarus in mausoleo iacuit. Item aliter. Primò est titillatio in corde, secundò consensus, tertiò factum, quartò consuetudo. His itaque modis reus occidit, & in sepulchro putrescit. Gratia Dei per peccatum elongatos reuocat, & multimoda peccatorum mole depressos ad vitam resuscitat.

B Divvlgato Deitatis mirabili miraculo relatione multorum, qui præsentes curiosè inspexerant insperata lege de tumulo processisse Lazarum: collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium aduersus Iesvm, & prophetante Caypha decreuerunt vt interficerent eum. Abiit ergo Iesus in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Effrem: ibique morabatur cum Discipulis suis. Principes autem Sacerdotum, & complices eorum, dederant mandatum; vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum. Timebant quippe, ne mundus totus sequeretur eum, & venientes Romani tollerent eis regnum.

Iesvs ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ibique fecerunt ei cœnam. Martha ministrabat, Lazarus verò discumbebat. Maria libram vnguenti nardi pistici preciosi accepit, pedes Iesv vnxit, capillis suis extersit. Nardus, aromatica species est. Pistis Græcè, fides dicitur Latinè. Inde pisticum, id est fidele dicitur vnguentum, quia cadauer eo perunctum à putredine seruat illæsum. Domus impletur ex odore vnguenti, cùm Ecclesia respergitur religiosæ vitæ bonâ fama. Suauitate odoris, qua domus impleta est, Iudas infelix, qui fur erat & loculos habens, scandalizatus est: deuotæ etiam mulieris ministerium reprehendit. Sed Dominus ei temerè

C obiurganti mansuetè respondit: *Sine illam, bonum enim opus operata est in me. Amen dico tibi, narrabitur in toto mundo quod fecit hæc in memoriam eius.*

Plvres curiositate ducti Bethaniam adierunt, & Lazarum manducantem cum Christo viderunt, lætique testimonium mirandi operis perhibuerunt. Inuidentes ergo Pharisæi cogitauerunt resuscitatum interficere: sed frustrà nitebantur obstare Christi omnipotentiæ.

In crastinum turba multa, quæ conuenerat ad diem festum, cùm audisset quia Iesvs venit Hierusalem: acceperunt ramos palmarum, & processerunt ei obuiam. Appropinquante horâ immolationis, Agnus Dei locum expetiit passionis. Qui cùm venisset Bethphage ad montem Olíueti, tunc duos ex Discipulis suis misit, dicens: *Ite in castellum, quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi.* Euntes autem Discipuli, asinam & pullum adduxerunt, super eos vestimenta sua imposuerūt, eúmque desuper sedere fecerūt. Ecce Rex, non sicut de illo iam dudum vaticinatū est. Non sedet in curru aureo purpurâ fulgens,

D nec ascendit feruidum equum discordiæ & litis amatorem: sed sedet super asinam tranquillitatis & pacis amicam. Non habet in circuitu suo splendentes gladios, sed venit mansuetus: non vt per potentiam timeatur, sed vt propter mansuetudinem diligatur. Plurima turba strauerunt vestimenta sua in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: *Osanna in excelsis.* Quidam Pharisæorum dixerunt ad illum: *Magister, increpa Discipulos tuos.* Quibus ipse dixit: *Dico vobis, quia si tacuerint hi, lapides clamabunt.*

Cvm autem appropinquauit, videns ciuitatem, super illam fleuit: & mala illi præscius futurorū prædixit imminentia, eo quòd tēpus visitationis suæ non cognouit.

Cvm intrasset Hierusalem, commota est vniuersa ciuitas, dicens: *Quis est hic?* Populi autem dicebant: *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.* In templum Dei intrauit, omnes vendentes & ementes in illo eiecit; & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit, dicens: *Scriptum est, Domus mea domus*

orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Accedentes ad eum cæcos & claudos in templo sanauit. Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros gratulanter in templo clamantes, *Osanna filio Dauid*: felle liuoris indignati, dixerunt ei: *Audis quid isti dicunt?* IESVS respondit, *Audio. Numquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* A

CIRCVMSPECTIS omnibus, maliuolos ciues reliquit, & cum XII. in Bethaniam exiit, ibique mansit. Mane reuertens in ciuitatem, esuriit: ad arborem fici, quæ secus viam stabat, venit. Sed nihil, nisi folia tantùm, inuenit, & maledicens ait: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Continuò ficulnea aruit, per quam synagoga designatur, quæ verba legis, non fructus habuit.

INTERROGANTES in qua potestate in templo tam præclara faceret, interrogauit, baptismum Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus? Tam breui quæstione Christus insidiantes sibi confudit, & eorum ora obturauit. Nam quod è cœlo verum sciebant esse, confiteri noluerunt pro malignitate, nec palam negare ausi sunt pro turbarum timore. B

DEINDE parabolam ponit de duobus filiis, quos pater in vineam misit: quibus initium & finis diuersus fuit. Vnus ergo patri non verbo, sed actu obediuit: alter verò non ore, sed opere spernens, contradixit.

ALIAM quoque de agricola Dominus adiecit, qui vineam plantauit, & peregrè profectus colonis eam locauit. Qui seruos eius, dum vineæ fructus reposcerent, apprehenderunt. Alium cæciderunt, vt Hieremiam: alium occiderunt, vt Isaiam: alium verò lapidauerunt, vt Naboth, & Zachariam: nouissimè filium Dei crucifixerunt. Mysticè seruus vnus & alter mittitur, cùm Lex, Psalmus, & Prophetia legitur: quorum monitu benè operetur. Sed missus cæditur, eiicitur, cùm sermo contemnitur; vel, quod peius est, blasphematur. Hæredem, quantum ad se occidit, qui Filium Dei conculcauerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Perdito malo cultore, alij vinea datur: dum donum gratiæ, quod superbus perdit, humilis accipit.

TERTIAM parabolam de nuptiis edidit, quas pater Rex filio suo fecit, & inuitatos contemptores missis exercitibus puniit. C

PHARISÆI cum Herodianis tentauerunt, si licet censum dari Cæsari, an non? Delato nomismate, respōdit IESVS: *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ Dei sunt.*

SADVCÆI quoque tentauerunt de muliere, quæ septem viros habuit, cuius in resurrectione futura sit? IESVS verò respondit: *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione verò neque nubent, neq; nubentur: sed erunt sicut Angeli in cælo.* Ecce, bonus Magister securitatem insinuat filiis Ecclesiæ, quòd resurgentes perfruentur Dei visione sine corruptionis labe.

A LEGIS doctore interrogatus, quod esset mandatum magnum in lege, dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.*

INTERROGATOS de Christo, cuius esset filius, confutauit, & Christum Dauid Dominum manifestauit: & illis silentium tale imposuit, vt nullus auderet eum ex illa die ampliùs interrogare, sed iam apertè niterentur Romanæ potestati tradere.

TVNC IESVS ad turbas, Discipulósque suos locutus est: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias suas. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis: & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabi. Vnus est enim Magister vester. Vos nolite vocari Rabi: omnes autem vos fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrûm, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.* D

VÆ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis introire. IESVS itaque multa saluberrima edi-

A dit, simplices docuit, hypocritas reprehendit. Locutus est de iurantibus in templo, & auro quod in templo est, de altari & donis quæ in ipso sunt: de diuina pietate, quæ Prophetas, & sapientes, & scribas miserit: de crudelitate Iudæorum, qua missos à Deo variis generibus mortis peremerit. Super Hierusalem luctum edit: non saxa, sed homines plangit. Hierusalem flebiliter ingeminauit, quæ Prophetas occidit, & à malitia resipiscere negligit.

De templo Iesvs exiuit, & ostendentibus Discipulis magnas ædificationes templi, respondit: *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Sedente eo super montem Oliueti, Discipuli secretò, sicut Mathæus Marcúsque attestantur, tempus & signa prædictæ destructionis interrogant. Ille percunctantibus de fine respondit, mala plurima præcessura, gentium bella, terræmotus per loca, pestilentias & fames, terroresque de cœlo, & signa magna. Multa vaticinatus est de futuris persecutionibus, aduentúque suo: fidelibus non præcogitandum, quid traditi loquantur, sed in patientia sua possideant animas suas. Circumdandam ab exercitu Hierusalem, & væ prægnantibus: gladium quoque, & captiuitatem, signáque cœli
B futura: séque venturum in nube cum potestate magna & maiestate prædixit. *Respicite*, inquit, *quia appropinquat redemptio vestra.* Ab ebrietate quoque & curis huius vitæ prohibens, vigilandum præcipit, & orandum. Elationem Scribarum reprehendit, viduam in gazophylacium duo æra mittentem plus omnibus misisse confirmauit.

Svb exemplo fici arboris docet de aduentu consummationis. Parabolam profert de decem virginibus, & de eo qui seruis suis bona sua tradidit, & peregrè profectus est: de aduentu Filij hominis in maiestate sua cum Angelis suis: de segregatione ouium à dextris, & hœdorum à sinistris: de retributione reproborum in supplicium æternum, & remuneratione iustorum in vitam æternam consummauit.

Prima die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesvm, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* At ipse dixit Petro & Ioanni: *Ite in ciuitatem ad quendam, quem vobis demonstrauerit homo, qui vobis occurrerit lagenam aquæ portans. Sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patri familias domus: Vbi est diuersorium, vbi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Euntes, sicut dixit illis inuenerunt, & Pascha parauerunt.

Vespere facto, cum xii. venit, & discumbentibus illis dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

C Secvndvm Ioannem, cœnâ factâ, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Dominum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluem, & cœpit lauare pedes Discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Postquàm lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum dixit eis: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, Magister & Domine, & benè dicitis: Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* & reliqua vsque ad illud, vbi dicit: *Qui me accipit, accipit eum qui me misit.*

Mathævs refert, quod edentibus Discipulis ait Iesvs: *Amen dico vobis, quia*
D *vnus vestrûm me traditurus est.* Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: *Numquid ego sum, Domine?* At ipse respondens, ait: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Cœnantibus autem eis, accepit Iesvs panem, benedixit ac fregit, dedítque Discipulis suis, & ait: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.*

Dominvs, nocte qua traditus est, tribus vicibus orauit: vt & nos à præteritis peccatis veniam, & à præsentibus malis tutelam, & à futuris periculis cautelam oremus: & vt omnem orationem ad Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum dirigamus. Item notandum est, quòd sicut trina est tentatio cupiditatis, ita & timoris.

Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ambitio secularis. Timor nihilominus est mortis, timor vilitatis, & timor dolorum. Contra quæ omnia docet nos debere oratione muniri. Vnde & propter trinam tentationem passionis potest intelligi Dominus ter orasse. A

IOANNES insignis Theologus asserit, quòd IESVS postquàm pedes Petri primò multum prohibentis, aliorúmque lauit, inter mystica verba Propheticæ scripturæ auctoritate proditorem adhuc occultè denotauit, dicens: *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Deindè cùm decreuisset eum secundò manifestare, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me.* Aspiciebant ergo ad inuicem Discipuli, hæsitantes de quo diceret. Simon Petrus Ioanni, qui supra pectus IESV recumbebat, innuit, & Ioannes interrogauit: *Domine, quis est? Ille,* inquit, *est, cui ego intinctum panem porrexero.* Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Scariothis. Et post buccellam, tunc introiuit in illum sathanas, & dicit ei IESVS: *Quod facis, fac citiùs.* Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Ille post hæc exiit continuò. Erat autem nox. B

CVM ergo exiisset, dixit IESVS: *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Et alia multa dixit miræ profunditatis verba de vera Dei & proximi charitate, de Trinitatis vnitate, de trina Petri negatione, & Spiritus sancti paraclyti aduentu & consolatione: de mandatorum Dei obseruatione, & felici bonorum remuneratione: de fidelium persecutione, & infidelium inexcusabili damnatione: de discipulorum dispersione, & instante iam sui passione.

INCOMPARABILI finito sermone, IESVS oculos in cœlum subleuauit, & exaudibilem Patri pro Discipulis suis, & pro omnibus qui credituri erant per verbum eorum in Deum, orationem benigniter profudit: in qua multo maiora, quàm humana fragilitas petere præsumpsisset, pro nobis à Patre clementissimus orator postulauit. Tunc secundum Lucam contentio inter Discipulos facta est, quis eorum videretur esse maior. Sed cælestis Doctor ad humilitatem eos exemplis omninò prouocauit, & dictis. Imbecillium itaque discipulorum contentionem piè compescuit, & seipsum sola pietate illorum ministrum astruit. Quibus cum illo permanentibus regnum etiam promittit, & post aliqua Petro improuidè iactanti dicit: *Simon, ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Qui dixit ei: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Et ille: *Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Et dixit eis: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* At illi dixerunt, *nihil.* Dixit ergo eis: *sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* At illi: *Ecce gladij duo hic.* Qui dixit eis, *Satis est.* Et hymno dicto, sicut Mathæus Marcúsque commemorant, exierunt in montem Oliueti. Ibique tunc dixit illis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Inde venit in prædium Gethsemani, quod interpretatur vallium pinguium, siue pinguedinis. Et dixit Discipulis suis: *Sedete hic, & orate, ne intretis in tentationem.* Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit pauere & contristari. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens: *Pater, si vis transfer calicem hunc à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* C D

APPARVIT autem illi Angelus de cœlo, confortans eum, & factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Ibi trans torrentem Cedron fuisse hortum intelligimus, in quem introiuit ipse, & Discipuli eius: quem locum Iudas sciebat. Qui cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis. Et confestim accedens ad IESVM, dixit: *Aue Rabi.* Et osculatus est eum. Tunc accesserunt, & manus in Iesum iniecerunt, eúmque tenuerunt. Deinde, quod Ioannes commemorat, dixit eis: *Quem quæritis?* Responderunt ei: IESVM NAZARENVM. Vt dixit, *Ego sum*: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. & reliqua.

VIDENTES autem, sicut Lucas dicit, ij qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt: *Domine, si percutimus gladio?* Tunc Petrus Malchum seruum Principis sacerdotum percussit, & auriculam eius dextram amputauit. Interrogantibus

A respondit IESVS, *Sinite vsque huc.* Et percutienti Petro, protinus quod Mathias commemorat adiunxit: *Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm XII. millia legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?*

HIS verbis adiungi potest, quod illum eo loco dixisse Ioannes commemorat: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Tunc, sicut Lucas dicit, auriculam Malchi tetigit, & sanauit.

IN illa hora dixit IESVS turbis: *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt.

VNVS adolescens amictus sindone sequebatur, qui, cùm tenuissent eum, reiecta sindone nudus profugit ab eis. In illa turba cùm adessent Tribunus, & cohors, & ministri Iudæorum, Saluator ligatus est: & primò ad Annam Pontificem socerum Caiphæ ductus est. Petrus autem sequebatur à longe vsque in atrium Principis sacerdotum, & ingressus intrò, sedebat ad ignem, quia frigus erat, cum ministris, vt
B videret finem. Accenso igni in medio atrio, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Maxima Petrus admiratione venerandus est, quòd Dominum, etiam cùm timeret, secutus est. Quòd timet, naturæ est: quòd sequitur, deuotionis: quòd negat, obreptionis: quòd pœnitet, fidei.

PRINCIPES sacerdotum, & omne Concilium, quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Princeps sacerdotum tacente Iesu dixit: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei?* Dicit illi Iesus: *Tu dixisti.* Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur?* At illi responderunt: *Reus est mortis.* Tunc eius in faciem expuerunt, & colaphis eum cæciderunt. Alij autem faciem ei velauerunt, & palmas in faciem dederunt, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

C HÆC intelligitur nocte passus Dominus in domo Principis Sacerdotum, quò prius adductus est: vbi etiam inter has Domini contumelias Petrus tentatus est. Trina negatio Petri cœpta est ante primum Galli cantum, & ante secundũ peracta iuxta Marcum. Alij tres attenderunt, quòd ante primum affectione animi & timore Petri tota fuit concepta. Tandem Petrus recordatus est verbi IESV, quod dixerat, *Priusquam Gallus cantet, ter me negabis.* Et egressus foras fleuit amarè. Pontifex IESVM interrogauit de Discipulis suis, & doctrina eius. Respondit ei Iesus: *Ego palam locutus sum in mundo, ego palam docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: *Sic respondes Pontifici?* Respondit ei Iesus: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?* Et misit eum Annas ad Caipham Pontificem ligatum.

MANE facto, vt Mathæus refert, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi aduersus IESVM, vt eum morti traderent: & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

LVCAS contexuit narrationem de his, quæ circa mane cum Domino gesta sunt,
D quando viri, qui tenebant eum, illudebant ei, cædentes: & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & multa blasphemantes dicebant in eum. Facto autem die Seniores plebis, & Principes sacerdotum, & Scribæ, conuenerunt, & in concilium suum illum duxerunt, dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis.* Quibus ait, *Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt omnes: *Tu ergo es Filius Dei? Qui ait, Vos dicitis, quia ego sum.* At illi dixerunt, *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audiuimus de ore eius.* Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Hæc omnia Lucas narrauit. Mathæus verò & Marcus narrauerunt ea, quæ cum Domino acta sunt vsque ad mane. Sed postea redierunt ad narrandam Petri negationem. Qua terminata, redierunt ad mane, vt indè cetera contexerent quæ cum Domino gesta erant.

IOANNES quoque, *Adduxerunt*, inquit, IESVM *ad Caypham in Prætorium. Erat autem mane, & ipsi non intrœierunt, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Tunc illic iniqui cœtus aggregati sunt, Dominúmque quasi iam conuictum reum adduxerunt. Annitente Caypha, cui iam antea visum fuerat, vt IESVS moreretur; nulla mora interponitur, quin damnandus Pilato traderetur. A

SOLVS Mathæus exitum indè traditoris narrauit, ita dicens: *Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit xxx. argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum.* At illi dixerunt: *Quid ad nos? tu videris.* Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: *Non licet eos mittere in corbanam; quia precium sanguinis est.* Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, ACHELDEMACH, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Sic impletum est quod antea prophetatum est.

EXINDE, sancti Euangelistæ quæ per Pilatum cum Domino gesta sunt seriatim enarrare satagunt, quæ studiosi lectores debent diligenter inuestigare: & singula suis in locis rationabiliter coaptare. In passione Christi, vt sollers Augustinus Hipponiensis Episcopus in Libro tertio de consensu Euangelistarum scribit, multa dicta sunt, & multa responsa sunt. Vnde quisque eorum quantum sibi visum est decerpsit, & in narratione sua posuit quod satis esse iudicauit. IESVS, vt Mathæus asserit, ante Præsidem stetit, & interrogatus ab eo, si Rex Iudæorum esset, respondit: *Tu dicis.* Exiit Pilatus, vt Ioannes refert, ad eos foras qui non introierunt in Prætorium, & dixit: *Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?* Responderunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Dixit eis Pilatus: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum.* Dixerunt Iudæi: *Nobis non licet interficere quemquam.* Introiuit iterum Pilatus in Prætorium, & vocauit Iesum, & dixit: *Tu es Rex Iudæorum?* Respondit Iesus: *A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Respondit Pilatus: *Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tui, tradiderunt te mihi. Quid fecisti?* Respondit Iesus: *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Dixit ergo Pilatus: *Ergo Rex es tu?* Respondit IESVS: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam.* Dixit ei Pilatus: *Quid est veritas?* Et cùm hoc dixisset, iterum exiit ad Iudæos, & dixit eis: *Ego nullam in eo inuenio causam.* B C

TVNC amaricantes Iudæi, vt Lucas refert, cœperunt accusare dicentes: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Et cùm accusaretur, vt Mathæus ait, à Principibus sacerdotum & senioribus populi, nihil respondit. quod ex mansuetudine fecit. Tunc ait illi Pilatus: *Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia?* Et nullum ei verbum respondit, ita vt miraretur Præses vehementer.

SEDENTE illo pro tribunali, misit ad illum vxor eius, dicens: *Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Dicente Pilato: *Nihil inuenio causæ in homine,* Iudæi, vt Lucas scribit, inualescebant dicentes. *Commouit populum per vniuersam Iudæam, docens, & incipiens à Galilæa vsque huc.* Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso IESV, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabant illum multis sermonibus. At ipse nihil eis respondebat. Stabant Principes Sacerdotum & Scribæ, constanter accusantes eum. Spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die. nam antea inimici erant adinuicem. D

PILATVS, conuocatis Magistratibus, & plebe, dixit ad illos: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi euertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum. Et ecce, nihil dignum morte actum est illi. Emendatum ergo illum dimittam.* Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum.

A In die festo consueuerat Præses vnum dimittere vinctum populo, quem voluissent. Congregatis autem illis, dixit: *Quem vultis dimittam vobis, Barabam, an* IESVM *qui dicitur* CHRISTVS? Principes autem & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabam, Iesum verò perderent. Erat autem Barabas latro insignis, qui propter seditionem factam in ciuitate, & homicidium, missus erat in carcerem. Præses ait: *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* At illi dixerunt: *Barabam.* Dixit illis Pilatus: *Quid ergo faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* Dicunt omnes, *Crucifigatur.* Ait illis Præses: *Quid enim mali fecit?* At illi magis clamabant, dicentes: *Crucifigatur.* Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret; accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis.* Et respondit vniuersus populus: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

TVNC Pilatus Barabam illis dimisit, IESVM verò apprehendit, & flagellauit. Ioannes refert, quòd tunc milites plectentes coronam de spinis capiti eius imposuerunt, & veste purpurea eum circumdederunt. Et veniebant ad eum, & dicebant:
B *Aue Rex Iudæorum.* Et dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, & dixit eis: *Ecce, adduco eum vobis foras, vt cognoscatis quia in eo nullam causam inuenio.* Exiit ergo Iesus, portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dixit eis: *Ecce homo.* Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: *Crucifige, crucifige eum.* Dixit eis Pilatus. *Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio causam.* Responderunt Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.*

CVM ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est Prætorium iterum, & dixit ad IESVM: *Vnde es tu?* Iesus autem responsum non dedit illi. Dixit ergo ei Pilatus: *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Respondit Iesus: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi esset datum desuper. Propterea, qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*

PILATVS ergo cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali in locum, qui dicitur LITHOSTRATOS, Hebraicè autem GABATHA.
C Erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta. Et dixit Iudæis: *Ecce Rex vester.* Illi autem clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Dixit eis Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt Pontifices: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

HÆC narrauit Ioannes per Pilatum gesta, quæ Mathæus & Marcus quia prætericrant recoluerunt. Sic enim Mathæus dicit: Tunc milites Præsidis suscipientes IESVM in Prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius; & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, vel purpura secundum Marcum; & induerunt eum vestimentis suis, & duxerunt eum vt crucifigerent. Ioannes narrat quòd baiulans sibi crucem Iesus exiuit in Golgotha, id est Caluariæ locum. Sed Simon Cirenæus pater Alexandri & Rufi, de quo tres Euangelistæ commemorant, de villa veniens angariatus est: cui postea crux data est vsque in locum portanda memoratum.

D IN Golgotha cùm duobus latronibus IESVM crucifixerunt, & mirrhatum vinum ei bibere dederunt: & super caput eius causam ipsius scriptam imposuerunt, HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. Hic verò titulus literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis scriptus est. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit.* Vt Scriptura impleretur, dicens: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem.*

PRINCIPES & Scribæ pendentem in cruce blasphemabant, & mouentes capita sua dicebant: *Vah! qui destruit templum Dei, & in triduo illud reædificat. Salua temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce.*

VNVS autem, secundum Lucam, de his, qui pendebant, latronibus, blasphe-

mabat eum, dicens: *Si tu es* CHRISTVS, *salua temetipsum, & nos.* Alter verò increpabat eum, dicens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Nos quidem iustè. Nam digna factis recipimus. Hic verò nihil mali gessit.* Et dicebat ad Iesum: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Dixit illi Iesus: *Amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso.* A

STABANT iuxta crucem IESV mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo IESVS matrem, & Discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dixit Discipulo: *Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.

A SEXTA hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam, & circa horam nonam clamauit IESVS voce magna, dicens: *Heli, heli, lamazababdani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura dixit: *Sitio.* Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam aceto plenam hysopo circumponentes, ori eius obtulerunt. Et clamans voce magna, secundum Lucam, dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

AD extremum, iuxta Ioannem, cùm accepisset IESVS acetum, dixit: *Consummatum est.* Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et ecce, velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. B

CENTVRIO, & qui cum eo erant, custodientes IESVM, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: *Verè Filius Dei erat iste.* Ibi Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi, & aliæ multæ mulieres à longè erant, quæ sequutæ IESVM à Galilæa, ei ministrabant. Omnes, qui simul ad spectaculum aderant, videntes quæ fiebant, tundentes pectora sua redibant.

CVM iam sero factum esset, IOSEPH AB ARIMATHIA nobilis Decurio, vir bonus & iustus, expectans regnum Dei, occultus tamen propter metum Iudæorum: ad Pilatum audacter accessit, & ab eo corpus IESV petiit. Cui Præses, cùm eum obiisse à Centurione cognouisset, permisit. Ioseph ergo venit, & corpus Iesu tulit, & mercatus sindonem, depositum inuoluit. Venit autem & Nichodemus ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum. Corpus ergo Iesu acceperunt, & linteis illud cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire, ligauerunt. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum in petra excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum. Præfatæ mulieres, quæ magis amabant, contra sepulcrum sedebant, & vbi poneretur aspiciebant. C

ALTERA die Sacerdotes & Pharisæi de dictis Domini IESV quædam malè Pilato suggesserunt: eóque annuente lapidem signauerunt, adhibitísque custodibus sepulchrum munierunt.

QVÆDAM in Euangelica leguntur narratione, de his quæ in Dominica facta sunt resurrectione, quæ quo ordine gesta sint nisi diligenter considerentur, repugnantia sibi possunt videri. Vnde quid perspicax diuinæ Scripturæ inuestigator Augustinus dicat, & quid indè in III. Libro de concordia Euangeliorum disserat, libet indagare: & eandem, sicut edidit, lectionem mihi annotare. Sic enim post multas quæstiones declarans dicit. D

OMNIA, quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, secundum omnium Euangelistarum testimonia in vna quadam narratione, quantum nos Dominus adiuuerit, quemadmodum geri potuerint ordinemus.

PRIMA sabbati diluculò, sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum. Iam factum erat, quod solus Mathæus commemorat de terræmotu & lapide reuoluto, conterritísque custodibus: itaut in parte aliqua velut mortui iacerent. Venit autem, sicut Ioannes dicit, Maria Magdalene sine dubio cum cæteris mulieribus, quæ Domino ministrauerant, plurimum dilectione feruentior: vt non immeritò Ioannes solam commemoret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alij testantur.

A tur. Venit ergo, & vt vidit lapidem sublatum à monumento, antequam aliquid diligentiùs inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Iesu: cucurrit, sicut dicit idem Ioannes, & nunciauit Petro, atque ipsi Ioanni. Ipse est enim Discipulus, quem diligebat IESVS. At illi currere cœperunt ad monumentum, & præueniens Ioannes inclinauit se, & vidit posita linteamina: non tamen intrauit. Petrus autem consequutus intrauit in monumentum, & vidit linteamina posita; & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum. Deinde & Ioannes intrauit, & vidit similiter, & credidit quod Maria dixerat, sublatum esse Dominum de monumento. Nondum enim sciebant Scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo ad semetipsos Discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, id est ante illum saxei sepulcri locum: sed tamen intra illud spacium, quo iam ingressæ fuerant. Hortus quippe erat illic, sicut idem Ioannes commemorat. Tunc viderunt Angelum sedentem à dextris super lapidem reuolutum à monumento. De quo Angelo narrant Mathæus & Marcus: *Tunc dixit eis, Nolite timere vos. Scio enim quòd Iesum, qui crucifixus*
B *est, quæritis. Non est hic. Surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. Et citò euntes, dicite discipulis eius quia resurrexit: & ecce, præcedit vos in Galilæam. Ibi eum videbitis: & ecce prædixi vobis.* Quibus similia Marcus quoque non tacuit.

AD hæc verba Maria dum fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos, sicut dicit Ioannes, in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dixerunt ei: *Mulier, quid ploras?* Dixit eis: *Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Sic intelligendi sunt surrexisse Angeli, vt etiam stantes viderentur, sicut eos Lucas visos fuisse commemorat, & dixisse timentibus feminis, & vultum in terram declinantibus: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hîc, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.* Et recordatæ sunt verborum eius.

C POST hæc Maria conuersa est retrorsum, & vidit IESVM stantem sicut dixit Ioannes. Et non sciebat, quia IESVS est. Dicit ei Iesus: *Mulier, quid ploras? quem quæris?* Illa existimans quia hortolanus esset, dixit ei: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Dixit ei Iesus: *Maria.* Conuersa illa dixit: *Raboni*, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus: *Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum.*

TVNC egressa est à monumento, hoc est ab illo loco, vbi erat horti spacium, ante lapidem effossum: & aliæ, quas secundum Marcum inuaserat tremor & pauor, cum illa. Et nemini quicquam dicebant. Tunc iam secundum Mathæum, ecce Iesus occurrit illis, dicens: *Auete.* Illæ autẽ accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerũt eũ. Sic enim colligimus & Angelorũ allocutionẽ bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, & ipsius Domini. Semel scilicet illic, quando Maria hortolanum putauit, & nunc iterum in via, cùm eis occurrit: vt eas ipsa repetitione firmaret, atque à timore recrearet. Tunc ergo ait illis: *Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam. Ibi me videbunt.* Venit ergo Maria Magdalene annuncians Discipulis quia vidit Dominũ, & hæc ei dixit: non solùm ipsa, sed & aliæ, quas Lucas commemorat. Quæ nunciauerunt hæc Discipulis vndecim, & ceteris omni-
D bus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. His & Marcus attestatur. Nam postquam commemorauit eas trementes & pauentes à monumento exisse; & nemini quicquam dixisse; adiunxit, quòd resurgens Dominus apparuit mane prima Sabbati primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia: & quia illa vadens nunciauit iis, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus: & quia illi audiẽtes quòd viueret, & visus esset ab ea, nõ crediderunt. Sane Matheus etiã illud inseruit, abscedentibus mulieribus, quæ illa omnia viderant & audierant, venisse etiam quosdam in ciuitatem de illis custodibus, qui velut mortui iacuerãt: & nunciasse Principibus sacerdotũ omnia quæ facta erant, ea scilicet quæ illi sẽtire

potuerunt: illos verò congregatos cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dedisse militibus, vt dicerent quòd Discipuli eius ipsum furati essent illis dormientibus: pollicentes etiam securitatem à Præside, qui eos custodes dederat, & illos accepta pecunia fecisse sicut erant docti; diuulgatúmque verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem. A

LVCAS solus quatuor Euangelistarum non dicit à mulieribus visum Dominum, sed tantummodò Angelos. Mathæus autem dicit, quòd eis à monumento redeuntibus occurrit. Marcus quoque dicit primò visum esse Mariæ Magdalenæ, sicut & Ioannes. Sed quomodo ei sit visus non dicit, quod explicatur à Ioanne.

OMNES quatuor Euangelistæ, sicut in omnibus, quæ omnipotens EMMANVEL fecit ante passionem suam, veraciter referendo concordant: sic nihilominus resurrectionem eius & ascensionem concorditer enarrant, deciésque Dominum à mortuis resurgentem visum esse ab hominibus commemorant. Semel ad monumentum mulieribus. Rursus eisdem in itinere à monumento regredientibus. Tertiò Simoni Petro apparuit: quod si Euangelista quando vel vbi factum sit non designauerit, tamen quia factum sit liquidò describit. Quartò duobus in castellum Emmaus euntibus, in alia effigie, ne cognosceretur, apparuit. Vt peregrinus eis in via comitatus, tristitiæ querimoniæque causam inquisiuit: auditóque à Cleopha lamento de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, & de damnatione eius, eos piè increpauit: incipiens à Moyse & omnibus Prophetis scripturas explanauit, tractúsque ad hospitium cum eis recubuit, in conuiuio panem accepit, benedixit, fregit, porrexit, & oculos eorum in fractione panis ad agnoscendum se aperuit, cognitúsque mox ex oculis eorum euanuit. Quinto, pluribus in Hierusalem, vt Lucas & Ioannes perhibent, serò congregatis, vbi non erat Thomas: IESVS ianuis clausis intrauit, manus & latus eius ostẽdit, partémque piscis assi, & fauum mellis coram eis mãducauit, insufflauit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum*, & cetera. Sextò, post dies octo, vbi vidit eum Thomas, & dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* Septimò ad mare Tiberiadis, vbi septem Discipuli piscantes eum post nocturnum laborem mane viderunt, & cum illo post miram CLIII. piscium capturam panem & piscem in littore comederunt. Octauo in monte Galilææ secundum Mathæum, vbi videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Tunc ait illis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Nonò, quod Marcus dicit, *Nouissimè recumbentibus apparuit Iesus, & incredulitatem illorum exprobrauit durioribus.* Ideò dicitur nouissimè, quia iam non erant in terra cum illo conuiuaturi. Decimò, in ipso die non iam in terra, sed eleuatum in nube Discipuli viderunt, cùm in cœlum ascendit: quod Marcus & Lucas commemorant. Totiens ergo in Euangelicis libris commemoratus est visus ab hominibus antequam ascendisset in cœlum: in terra scilicet nouies, & in aëre semel ascendens. Sed non omnia scripta sunt, sicut Ioannes dicit. Crebra enim erat eius cum illis conuersatio per dies XL. priusquàm ascendisset in cœlum: non tamen eis per omnes XL. continuos dies apparuerat. Nam post primum diem resurrectionis eius, alios octo dies interuenisse dicit Ioannes; post quos eis rursus apparuit. Sic per illos XL. dies quotiens voluit, quibus voluit, & quemadmodum voluit, apparens, fidem in illis suæ resurrectionis confirmauit. B C D

DVAS siquidem vltimas apparitiones Marcus & Lucas commemorant, & ea quæ vbi dicta vel acta fuerant. Secundum Marcum, duritiam cordis incredulorum redarguit, & confirmatis in fide ait: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Dominus quidem* IESVS, *postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Porrò Lucas in Euangelij sui fine sic ait. *Et duxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, cùm benediceret illis, recessit ab eis: & ferebatur in cœlum.*

A ITEM etiam in initio Actuum Apostolorum de ascẽsione Domini sic ait: *Conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrûm nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa siue Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et cùm hoc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cúmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

TUNC reuersi sunt Hierosolymam à monte Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, sabbati habentes iter. Ibi, vt Lucas testatur, fideles discipuli triumpho cælestis Magistri specialiter gaudebant, in templo & in cœnaculo vnanimiter in oratione per-B seuerabant: & promissum Patris per Filium, sicut ipse iusserat, securi expectabant. Omnia enim, quæ ab illo audierant, certa operum exhibitione comprobauerant, & oculis manifestè iam completa perspexerant. Nam sicut eum in passione dira toleraturum, ipsúmque tertia die cum victoria resurrecturum, ex ore illius plerúmque audierant: sic deuicta morte iam immortalem vitæ datorem læti aspectant: ipsóque super cœlos exaltato, & Patris ad dexteram sedente, feliciter tripudiant. Angeli quoque in albis vestibus apparentes, & Galilæos cum admiratione cœlis intentos alloquentes, Angelorum hominúmque gaudium designant, & generalem eius in fine seculi aduentum ad iudicandas gentes denunciant.

PETRUS & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Mathias, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi, qui vsque in finem cum Domino IESV permanserunt, sal terræ & lux mundi ab ipso appellati C sunt: meritóque, quia mundum contemnentes, vestigia eius tenuerunt, Rectores Orbis, & Iudices seculi diuinitus constituti sunt. Postquàm venerabilis Conuentus, vbi ferè centum viginti erant, Hierusalem remeauit; Petrus, qui vocatione primus, & dignitate maximus erat, in medio fratrum surrexit, & de Iuda proditore disseruit, quomodo suspensus inter cœlum & terrã medius crepuit, & viscera eius effusa sunt, quia nec cœlo, nec terrâ dignus est: & ager pretio CHRISTI emptus, Acheldemach, hoc est ager sanguinis vocatus est. Deinde admonuit vt sicut Dauid prædixerat, alter pro eo ad prædicationis opus, & cæleste ministerium eligeretur. Omnes itaque prioris sententiam concesserunt, & ne sacer numerus Apostolorũ imperfectus videretur, IOSEPH iustum, & MATHIAM prætulerunt, eísque sortes dederunt. Oratione autem à Petro facta, & ab aliis confirmata, sors super Mathiam cecidit, & connumeratus est cum XI. Apostolis. Hi sunt XII. horæ diei, & perfecti XII. menses anni; atque multis ænigmatibus à Prophetis & Patriarchis iamdudum designati Apostoli. Hos venerantur omnes fidelium nationes, meritóque cẽsentur cœli Senatores, & Ecclesiæ gloriosi Principes: quia veræ viti CHRISTO inhæserunt fructuosi palmites. Eius enim in aruis vestigia specialiter imitati sunt spontanea paupertate in-D ter homines: mirísque virtutibus fulserunt insignes socij & consecretales, nunc verò in cælestibus thronis confessores, & XII. Tribuum Israëlitarum iusti censores. Et sicut in terris assiduè cucurrerunt ad brauium vitæ Christi sequaces, & in Ecclesia laboriosè desudarunt eius vicarij ac testes: sic nunc illius beati choruscant in cœlis cohæredes.

DUM complerentur dies Penthecostes, Discipulíque hora tertia in vnum congregati essent fideles, factus est repentè de cœlo sonus, & in igneis linguis super sedentes descendit Spiritus sanctus, replens eos omni scientia, diuinísque carismatibus. O quàm velox & efficax est iste artifex, & desiderantium vnctionem eius animarum dulcis & viuificus opifex! Ignis diuinus non comburens, sed illuminans aduenit, corda Discipulorum vbertim inflamauit, carnalium delectatione voluptatum, & formidine suppliciorum euacuauit. Eos in ore per diuersitatem linguarum subito docuit, in mente autem ex auctoritate roborauit, & in culmine virtutum contra omnes astus inimici extulit. In variis Apostoli linguis magnalia Dei

loquebantur, ita ut omnium gentium aduenæ mirarentur, quòd indigenæ Galilæi A omnibus linguis disertè vterentur. Hoc vt inuidi Iudæi confusione digni comperterunt, qui opera Christi & verba sinistra interpretatione semper deprauare soliti sunt, magnalia Dei fantes musto plenos debacchando asseruerunt. Verùm Petrus spirituali potu affatim ebriatus in perfidos surrexit, verba sapientiæ salutaris eructauit: de incarnatione & passione ac resurrectione Christi eloquenter tractauit, & multitudinem malignantium cooperante Spiritu sancto confusam superauit. Sicut Malchum, qui seruus summi sacerdotis erat, gladio quondam percussit, & aurem eius amputauit: sic carnaliter famulantes soli literæ Mosaicæ legis mystico Dei verbo pupugit, veterésque cerimonias & obseruationes ab intellectu neophytorum resecauit. Iudæos itaque, quos ad necem Messiæ perfidia sæuire paulo ante coëgit, feruens Petri prædicatio ad pœnitentiam & fidem atque baptisma inuitauit. Et tanquam pisces de pelago solitus fuerat extrahere retis ministerio: sic errantes de ignorantiæ puteo ad veræ fidei soliditatem pertraxit sanctæ prædicationis officio. Vnde conuersorum ipso die tria millia baptizauit, & vetustatem carnalis vitæ relin- B quentes in nouum hominem renouauit.

Ecce, iuuante Deo simpliciter prosecutus sum continuationem quandam à natiuitate Christi vsque ad aduentum Spiritus paraclyti, & singula Saluatoris miracula ex Euangelicis Codicibus seriatim breuitérque congessi, prout ipse secundum intellectum meum indagare potui, siue dicacem Augustinum, aliósque doctores sectatus caraxaui. In hoc nempe sedimine mihi meísque similibus prodesse curaui, eis scilicet, qui profunda doctorum prolixáque rimari fastidiunt, conferre volens aliquid emolumenti; dum Dominica miracula per quatuor Libros diffusa compaginaui, & in breui tomo examussim collecta annotaui. Porrò, nonnumquam eadem verba, quæ in Libris autenticis videbam, auidus hausi: plerúmque verò breuitatis causa dictatum mutaui, sed inuictam veritatem vbique sectari summoperè laboraui, nec ab autentica vnquam sponte sententia exorbitaui.

Nvnc, quia certam proposui Chronographiam scripto protelare, vt lectori clarius pateat ordo temporum, quædam libet inserere, quæ antiqui Patres in Opusculis suis ediderunt de eadem re. Eusebius enim Cæsariensis, & trilinguis Hieronymus: Hiberi quoque Sophistæ, Osorius, & Hispalensis Isidorus, aliique plures multa scripserunt de seculi excursibus: præcipuéque apud nos Beda Presbyter in Libro de Temporibus, qui postremus omnium Angliæ genti scripsit, stilúmque priscorum veraciter prosequi studuit. C

Tiberivs Octouiani Augusti priuignus, Liuiæ vxoris eius ex priore marito filius regnauit annis XXIII. Huius anno XII. Pilatus Iudææ procurator ab eodem dirigitur. Herodes Tetrarcha, cùm Iudæorũ Principatum teneret annis XXIV. in honorem Tiberij & Liuiæ matris eius Tiberiadem condidit & Libiadem.

Anno XV. Imperij Tiberij Cæsaris, Dominus Iesvs post baptismum, quem Ioannes prædicauit, mundo regnum cœlorum annunciauit: peractis à mundi principio secundum Hebræos annis, vt Eusebius in Chronicis suis signat, IV. millibus, annotando quòd XVI. anno Tiberij principium fuerit LXXX. Iubilæi secundum Hebræos: iuxta Chronica eadem, quæ ipse Eusebius de vtraque editione, vt sibi videbatur, composuit, anni sunt quinque millia ducenti viginti octo.

Anno XVIII. Imperij Tiberij, Dominus sua passione mundum redemit, & victor à mortuis tertia die resurgens, fidelibus suis manifestus apparuit, & XL. die vi- D dentibus illis in cœlum ascendit.

Agrippa cognomento Herodes, filius Aristoboli filij Herodis Regis, accusator Herodis Tetrarchæ, Romam profectus à Tiberio in vincula coniicitur: vbi plurimos sibi ad amicitiam asciuit, & maximè Gaivm Germanici filium.

Gaivs cognomento Caligola regnauit annos III. menses X. & dies VIII. Hic Herodem Agrippam amicum suum vinculis liberatum Regem Iudææ fecit, qui permanet in regno VII. annis, id est vsque ad quartum Claudij annum: Quo ab Angelo percusso, Agrippa filius eius in regno successit, & vsq; ad exterminium Iudæorũ XXVI. annis perseuerauit. Herodes Tetrarcha & ipse Gaij amicitiam petens, cogente Herodiade Romam venit. Sed accusatus ab Agrippa etiam Tetrarchiã perdidit, fugiénsque in Hispaniam cum Herodiade mœrore periit. Pilatus, qui

A sententiam damnationis in Christum dixerat, tantis irrogante Gaio angoribus coartatus est, vt sua se manu peremerit. Gaius in Deos se referens, Iudæorum loca sancta idolorum sordibus prophanat.

CLAVDIVS annos XIII. menses VII. dies XXVIII. Ipse IV. regni sui anno, dum fames grauissima, cuius Lucas in Actibus Apostolorum meminit, facta est, Britanniam adiens, quam neque ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam attingere ausus fuerat: sine vllo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam Insulæ partem in deditionem recepit. ORCADAS etiam Imperio Romano Insulas adiecit, ac sexto mense, ex quo profectus erat, Romam rediit. Nouo regni sui anno Iudæos tumultuantes Româ expulit. quod & Lucas refert. Sequenti anno fames maxima Romam corripit.

NERO annos XIII. menses VII. dies XXVIII. Huius anno secundo Festus Iudææ Procurator Felici successit. Tunc PAVLVS Romam vinctus mittitur. Festo in B Magistratu Iudææ successit Albinus, & Albino Gessius Florus. Cuius luxuriam & auaritiam, ceteráque flagitia Iudæi tolerare nequiuerunt: vnde contra Romanos rebellauerunt. Aduersum quos Vespasianus magister militiæ transmissus, plurimas vrbes Iudææ capit. Primus verò super omnia scelera sua etiam CHRISTIANOS persequitur, quorum eximios Romæ, PETRVM cruce, & PAVLVM occidit gladio. Hic in re militari nihil omninò ausus, Britanniam penè amisit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic capta, atque euersa sunt.

VESPASIANVS annos IX. menses XI. dies XXII. Hic apud Iudæam Imperator ab exercitu appellatur, & bellum TITO filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur, & perempto VITELLIO regnum nanciscitur. Qui secundo anno Iudææ regnum subuertit, templúmque solo strauit. Post annos primæ ædificationis eius MLXXXIV. Hoc verò bellum consummatum est annis IV. duobus quidem Nerone viuente, & duobus aliis postea. Vespasianus inter alia magnorum operum in priuata adhuc vita, in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio missus, tricies & bis cum hoste conflixit: duas validissimas gentes, XX. oppida, insulam VECTAM Britanniæ proximam Imperio Romano adiecit. Colossus erigitur habens altitudinis pedes CVII. LXXIX.

C TITVS annos II. menses II. vir omnium virtutum genere mirabilis, adeò vt amor & deliciæ humani generis diceretur. Hic Amphitheatrum Romæ ædificauit, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit.

DOMITIANVS frater Titi iunior, annos XV. menses V. Hic secundus post Neronem Christianos persequitur, & paulò pòst pro mercede theomachiæ à Senatu interficitur.

NERVA anno vno, mensibus IV. diebus VIII. Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit. Vnde IOANNES Apostolus hac generali liberatus indulgentiâ Ephesum remeauit.

TRAIANVS annos XIX. menses VI. dies XV. Hic aduersum Christianos persecutionem mouit, eximiósque Dei seruos martyrizauit. Plinius secundus Nouocomensis, Orator & Historicus insignis habetur, cuius plurima ingenij extant opera. Pantheum Romæ, quod Domitianus fecerat, fulmine concrematum. Cui nomen indè datum est, quòd ipsa domus omnium Deorum sit habitaculum. Iudæi per di-D uersas terrarum partes seditionem mouentes, digna cæde sternuntur. Traianus Romani Imperij, quod post Augustum defensum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatum, fines longè latéque diffudit. CXVII.

ADRIANVS consobrinæ Traiani filius annis XXI. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem, virum fide sapientiáque plenum, & per Serenum Grauium legatum, Libris de Christiana Religione compositis instructus, præcepit per Epistolam Christianos sine criminum obiectione non damnari. Idem Iudæos secundò rebelles vltima cæde perdomuit, etiam introëundi eis Hierosolymam licentiâ ablata: quam ipse in optimum statum extructione murorum reparauit, & etiam vocari de nomine suo præcepit. Idẽ eruditissimus in vtraq; lingua, Bibliothecã Athenis miri operis extruxit. Hierosolymæ primus ex gentibus constituitur Episcopus MARCVS, cessantibus his qui fuerant ex Iudæis, quorũ nomina sũt hæc: Iacobus frater Domini, Simeõ filius Cleophæ, Iustus, Zachæus, Tobias, Sextus,

Ioannes, Mathias, Philippus, Seneca, Iustus, Leui, Effrem, Ioseph, & Iudas. Hi numero xv. ex circumcisione prodierunt, in Hierusalem à passione Domini vsque ad Ælium Adrianum per annos ferè cvii. præfuerunt, fidéque & scientiâ cum sanctitate micuerunt. Dehinc ex gentibus eis hi successerunt, Marcus, Cassianus, Publius, Maximus, Iulianus, Gaius, Iulianus, Capito, Valens, Dolicianus, Narcissus, Alexander, Mazabbanes, Himeneus, Zabdas, Hermon, Macharius, Maximus, Cyrillus, & Ioannes. cxxxviii. A

Antoninvs cognomento Pivs, cum filiis suis, Avrelio, & Lvcio, annos xxii. & menses iii. Iustinus Philosophus Librum pro Christiana Religione compositum Antonino tradidit, eúmque benignum erga Christianos fecit. Qui non longè post, suscitante persecutionem Crescente amico, pro Christo sanguinem fudit, sub Pio Romæ Episcopo. Hermes scripsit Librum, qui dicitur Pastoris, in quo præceptum Angeli continetur, vt Pascha die Dominico celebraretur. Polycarpus Romam veniens multos ab hæretica labe castigauit, qui Valentini & Cerdonis fuerant nuper doctrinâ corrupti.

Marcvs Antoninvs Vervs, cum fratre Lvcio Avrelio Commodo, annos xix. menses ii. Hi primùm æquo iure Imperium administrauerunt, cùm vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint. Bellum deinde contra Parthos admirabili virtute & felicitate gesserunt. In Asia persecutione orta, Polycarpus & Pionius martyrium fecerunt. In Gallia quoque Photinvs Lugdunensis Præsul, aliíque plurimi pro Christo gloriosè sanguinem fuderunt. Nec multò pòst vindex scelerum lues multas latè Prouincias, Italiam maximè, Romámque vastauit. Defuncto Commodo fratre, Antoninus Commodvm filium suum consortem regni facit. Antonino Imperatori Melito Asianus Sardensis Episcopus Apologeticum pro Christianis tradidit. Lvcivs Britanniæ Rex, missa ad Elevtherivm Romæ Episcopum Epistolâ, vt Christianus efficiatur impetrat. Apollinaris Asianus Hierapoli, & Dionysius Corinthi, clari habentur Episcopi. B

Lvcivs Antoninvs Commodvs post mortem patris regnauit annis xiii. Hic aduersum Germanos bellum feliciter gessit. Ceterùm ipse per omnia luxuriæ & obscœnitati mancipatus, nil paternæ virtutis & pietatis simile gessit. Hirenevs Lugdunensis Episcopus insignis habetur. Commodus Imperator, Colossi capite sublato, imaginis suæ caput ei iussit imponi. cxcii. C

Helivs Pertinax mensibus vi. Hic Iuliani Iurisperiti scelere periit, quem mense vii. postquàm cœperat imperare, Seuerus apud Pontem Miluium bello ciuili victum interficit. Victor Romæ Episcopus, datis latè libellis, constituit Pascha die Dominico celebrari; sicut prædecessor eius Eleutherius à xiv. Luna primi mensis vsque ad xxi. Cuius decretis fauens Theophilus Cæsareæ Palestinæ Episcopus, scripsit aduersus eos, qui xiv. Luna cum Iudæis Pascha celebrant, cum ceteris, qui in eodem Concilio aderant, Episcopis synodicam & valdè vtilem Epistolam. cciii.

Severvs Pertinax annis xvii. fortiter quidem, sed laboriosè Imperium tenuit, & persecutionem in Christianos acerrimam exercuit. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Panthenus Stoicus Philosophus, in disputatione dogmatis nostri disertissimi habetur. Narcissus Hierosolymorum Episcopus, & Theophilus Cæsariensis, Polycarpus quoque & Bacilus Asianæ Prouinciæ Episcopi, insignes habentur. Plurimi Christianorũ per diuersas Prouincias martyrio coronati sũt. Clodio Albino, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, apud Lugdunum interfecto, Seuerus in Britannias bellum transfert: vbi vt receptas Prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, magnam fossam, firmissimúmque vallum, crebris insuper turribus cõmunitum, per cxxxii. milia passuum à mari ad mare duxit, & Eburaci obiit. D

Antoninvs cognomento Caracala, Seueri filius, annis vii. Alexander Episcopus Cappadoces, cùm sanctorum desiderio locorum Hierosolymam venisset, viuente adhuc Narcisso eiusdem vrbis Episcopo, persenilis ætatis viro, ipse ibi ordinatur Episcopus: Domino, vt id fieri deberet, per reuelationem monente. Tertulianus Afer Centurionis Proconsularis filius omnium Ecclesiarum sermone celebratur.

A MACRINVS anno vno regnauit, & cum filio Diadumeno, cum quo Imperium inuasit, apud Archilaidem militari tumultu occiditur.

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS annis IV. In Palæstina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, vrbs condita est: legationis industriam pro eo suscipiente Iulio Africano scriptore temporum. Hæc est Emmaus, quam Dominus post resurrectionem suo, sicut Lucas narrat, ingressu sanctificare dignatus est. Hippolytus Episcopus, multorum conditor Opusculorum, temporum Canonem, quem scripsit, huc vsque perduxit. Qui etiam se, decennoualem Paschæ circulum reperiens, Eusebio, qui super eodem Pascha ciclum composuit, occasionem dedisse retulit.

AVRELIVS ALEXANDER annis XIII. Hic in Mammeam matrem suam vnicè pius fuit, & ob id omnibus amabilis. VRBANVS Romæ Episcopus multos nobilium ad fidem Christi & martyrium perduxit. Origenes Alexandriæ, immò toto orbe clarus habetur. Denique Mammea mater Alexandri eum audire curauit, & Antiochiam accitum summo honore habuit.

B MAXIMVS annis III. Hic aduersum Sacerdotes Ecclesiarum, & Clericos atque Doctores persecutionem exercet, maximè propter Christianã Alexandri, cui successerat, & Mammeæ matris eius familiam: vel præcipuè propter Origenem Presbyterum. Pontianus & Antheros, Romanæ vrbis Episcopi, martyrio coronati, & in Cimiterio Calixti sunt sepulti.

GORDIANVS annis VI. Iulius Africanus inter Scriptores Ecclesiasticos nobilis habetur. Qui in Chronicis, quæ conscripsit, refert se Alexandriam properare, Eraclæi opinione celeberrima prouocatum: quem & in diuinis & Philosophicis studiis, atque omni Græcorum doctrinâ instructissimum fama loqueretur.

PHILIPPVS, cum PHILIPPO filio, VII. annis regnauit. Hic primus omnium Imperatorum admonitu fidelis Christi militis Poncij Christianus factus est: ac post tertium Imperij eius annum, millesimus à conditione Romæ annus expletus est. Ianuis delubrorum obturatis, sancta Ecclesia cum tripudio ad Dei laudem liberè reserata est: & ita magnificis ludis augustissimus omnium præteritorum hic natalis C annus à Christiano Imperatore celebratus est. Origenes Leonidæ martyris filius in Cæsarea Palæstinæ Theodorum cognomento * Græcorum, & Athenodorum adolescentulos fratres, Ponti postea nobilissimos Episcopos diuinâ Philosophia imbuit: aduersus quendam Celsum Epicurum Philosophum, qui contra nos scripserat, octo Voluminibus respondit. Qui, vt breuiter dicam, tantùm scribendi sedulus fuit, vt Hieronymus quodam loco quinque milia Librorum eius se legisse meminerit.

DECIVS anno I. mensibus III. Hic cùm Philippos, patrem & filium, interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouet; in qua Fabianus Papa in vrbe Roma martyrio coronatus, Cornelio reliquit sedem sui Episcopatus. Alexander Hierosolymorum Episcopus, apud Cæsaream Palæstinæ, & Babilas Antiochiæ interficiuntur.

GALLVS cum VOLVSIANO filio annos II. menses IV. Hic, vt Dionysius Alexandriæ Antistes perhibet, cùm regnum eius in initio floreret, & cuncta ei ex sententia cederent: sanctos viros, qui pro pace regni eius Deo summo supplicabant, persecutus est, cum quibus & prosperitatem suam fugauit & pacem. Origenes LXX. D ætatis anno non ad integrum impleto defunctus, & in vrbe Tyro sepultus est. Cornelius Papa rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum de Catacumbis leuauit noctu; & posuit, Pauli quidem via Hostiensi, vbi decollatus est; Petri autem, iuxta locum, vbi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum in templum Apollinis, in Monte aureo, in Vaticano Palatij Neroniani, III. Kal. Iulij.

VALERIANVS cum filio GALIENO annis XV. Hic, in Christianos persecutione commota, statim à SAPORE Persarum Rege capitur; ibique luminaribus orbatus, seruitute miserabili consenescit. Vnde Galienus tam claro Dei iudicio territus pacem nostris reddidit. Sed ob meritum tamen vel propriæ libidinis, vel paternæ theomachiæ, innumera, Barbaris assurgentibus, Romani regni detrimenta sustinuit. Hac persecutione Cyprianus Carthaginensis Episcopus, cuius doctissima extant Opuscula, martyrio coronatur. Cuius vitæ & passionis volumen egregium Pô-

cius Diaconus eius reliquit, qui vsque ad diem passionis eius cum ipso exilium sustinuit. Theodorus Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus magna virtutum gloria claret: è quibus vnum est, quòd vt Ecclesiæ faciendæ locus sufficeret, montem precibus mouit. Stephanus & Sextus Romæ Episcopi martyrio passi sunt. A

CLAVDIVS anno I. mensibus IX. Iste GOTHOS iam per annos XV. Illyricum Macedoniámque vastantes superat. Ob quæ in Curia clypeus aureus, & in Capitulo statua ei aurea collocata est. Marcion disertissimus Antiochenæ Presbyter Ecclesiæ, qui in eadem vrbe Rethoricam docuerat, aduersus Paulum de Samosate, qui Antiochiæ Episcopus dogmatizabat, Christum communis naturæ hominem fuisse accipientibus Notariis disputauit, qui Dialogus vsque hodie extat.

AVRELIANVS annis V. mensibus VI. Hic cùm aduersum nos persecutionem mouisset, fulmen ante eum magno pauore circumstantium ruit, ac non multò post à militibus occisus est itineris medio, quod inter Constantinopolim & Eracleam est. Euticianus Papa martyrio Romæ coronatus, in Cimiterio Calixti sepelitur; qui & ipse CCCXIII. martyres manu sua sepeliuit.

TACITVS menses sex. Quo apud Pontum occiso, FLORIANVS obtinuit Imperium diebus LXXXVIII. & sic apud Tarsum occiditur. Anatholius natione Alexandrinus, Laodiciæ Siriæ Episcopus, Philosophorum disciplinis eruditus, plurimo sermone celebratur. Cuius ingenij magnitudo de Libro, quem super Pascha composuit, & de decem Libris Arithmeticæ institutionis potest apertissimè cognosci. Insana Manichæorum hæresis, & Sabellianorum oritur. B

PROBVS annos VI. & menses IV. Hic Gallias iamdudum à Barbaris occupatas, per multa & grauia prælia, delectis tandem hostibus, ad perfectum liberauit. Archelaus Mesopotamiæ Episcopus Librum disputationis suæ, quam habuit contra Manichæum exeuntem de Perside, Syro sermone composuit: qui translatus à Græcis, habetur à multis.

CARVS, cum filiis CARINO & NVMERIANO, annis II. Gaius Romanæ Ecclesiæ Episcopus fulget, qui à Diocletiano martyrio passus est. Pierius Alexandriæ Presbyter sub Theona Episcopo florentissimè populos docuit: & tantâ sermonis diuersorúmque tractatuum, qui vsque hodie extant, elegantiam inuenit, vt Origenes iunior vocaretur, vir miræ parsimoniæ, & voluntariæ paupertatis appetitor, qui post persecutionem omni tempore vitæ suæ Romæ conuersatus est. C

DIOCLETIANVS cum HERCVLEO MAXIMIANO annos XX. CARAVSIVS sumpta purpura Britannias occupauit. MARSEVS Rex Persarum Orienti bellum intulit. Quinque Gentiani Africam vastauerunt. Ægyptum Archilleus obtinuit. Ob quæ CONSTANTIVS & GALERIVS MAXIMINVS Cæsares assumuntur in regnum. Constantius priuignam Herculei Theodoram accepit, ex qua sex liberos postea Constantini fratres habuit. Galerius filiam Diocletiani Valeriam accepit. Post decem annos, per Asclepiodotum Præfectum Prætorij Britanniæ receptæ sunt.

NONO-DECIMO anno Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculeus in Occidente Ecclesias vastari, affligi Christianos, & interfici præcipiunt. Secundo autem persecutionis anno Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. Attamen cœpta semel persecutio vsque ad septimum Constantini annum feruere non cessat. Constantinus XVI. Imperij anno, summæ mansuetudinis & ciuilitatis vir in Britannia diem obiit Eboraci. Hæc persecutio tam crudelis & crebra flagrabat, vt intra vnum mensem decem & octo millia martyrum pro Christo passi inueniantur. Nam & Oceani limbum transgressa, Albanum, Aaron, & Iulium Britanniæ, cum aliis pluribus viris ac feminis felici cruore damnauit. Tunc passus est Pamphilus Presbyter Eusebij Cæsariensis Episcopi necessarius, cuius vitam ipse tribus Libris comprehendit. D

TERTIO persecutionis anno, quo & Constantius obiit, MAXIMINVS & SEVERVS à Galerio Maximo Cæsares facti. E quibus Maximinus maleficia & stupra sua Christianorum persecutionibus accumulat. Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ Episcopus, cum pluribus Ægypti Episcopis. Lucianus quoque, vir moribus, & continentiâ, & eruditione præcipuus, Antiochiæ Presbyter; & alij multi passi sunt.

Constantinvs Constantij ex concubina Helena filius, in Britannia
A creatus Imperator, regnauit annis xxx. & mensibus x. Ab anno persecutionis quarto Maxentivs Herculei Maximiani filius Romæ Augustus appellatur. Licinivs Constantiæ sororis Constantini vir Carnuti Imperator creatur. Constantinus de persecutore Christianus efficitur, & Ecclesiam Dei sublimare toto nisu conatur. In Niceno Concilio fides Catholica exponitur. Constantinus multas Domino Basilicas construxit. Romæ, vbi baptizatus est, Basilicam fecit in honore sancti Ioannis Baptistæ, quæ appellatur Constantiniana. Beato Petro in templo Apollinis, & beato Paulo in via Hostiensi. In Palatio Sessoriano Basilicam, quæ cognominatur Hierusalem, fecit, vbi de ligno Crucis Domini posuit. Ex rogatu filiæ suæ fecit Ecclesiam sanctæ Martyri Agneti, beato quoque Laurentio Martyri via Tiburtinâ in agro Verano. Item Basilicam via Lauicana inter duas lauros, beatis Martyribus Marcellino & Petro fecit: & Mausoleum, vbi matrem suam in sarcofago purpureo posuit. In ciuitate Hostia iuxta portum vrbis Romæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli & Ioannis Baptistæ Basilicam construxit. In Albanensi ciuitate, sancti Ioannis Baptistæ, & in vrbe Neapoli, fecit Ecclesias. Idem Constantinus Drepanam Bithyniæ ciuitatem in honorem Luciani Martyris ibi conditi instaurauit,
B & ex vocabulo matris suæ Helenopolim nominauit. In Thracia verò nominis sui vrbem statuit, & sedem Romani Imperij, & totius caput Orientis esse voluit. Item statuit citra vllam hominum cædem Paganorum templa claudi.

Constantivs, cum Constantino, & Constante, fratribus, annos xxiv. menses v. dies xiii. Iacobus Nisibinus Episcopus agnoscitur, ad cuius preces sæpè vrbs à discrimine liberata est. Impietas Arriana Constantij Regis fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primùm Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est. Maximinus Treuerorum Episcopus clarus habetur: à quo Athanasius Alexandriæ Episcopus, cùm à Constantio quæreretur ad pœnam, honorificè susceptus est. Anthonius Monachus centesimo quinto ætatis suæ anno in heremo moritur. Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ à Constantinopolitanis miro fauore suscepta. Hilarius Pictauensis Episcopus, qui passus ab Arrianis in Phrygia exulauerat, cùm apud Constantinopolim Librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias rediit.

Ivlianvs annos ii. menses viii. Hic baptizatus, & sacris Ordinibus vs-
C que ad Diaconatum sublimatus fuit. Sed relicto Clericatu, arma sustulit, imperióque arrepto, ad idolorum cultum conuersus Christianos persequutus est. Pagani apud Sebasten Palæstinæ vrbem sepulcrum Ioannis Baptistæ inuadunt, & ossa dispergunt: eadémque rursus collecta & cremata latiùs dispergunt. Sed Dei prouidentiâ quidam ex Hierosolymis Monachi affuerunt, qui mixti colligentibus quæque poterant ablata ad patrem suum Philippum pertulerunt. Ille confestim hæc, quia supra se ducebat tantum thesaurum propriis seruare vigiliis, ad Pontificem maximum tunc Athanasium, per Iulianum Diaconem suum misit. Quæ ille suscepta, paucis arbitris, sub cauato sacrarij pariete inclusit: & prophetico spiritu profutura generationi posteræ conseruauit. Cuius præsagium sub Theodosio Principe per Theophilum Episcopum Alexandriæ completur, qui destructo Serapis sepulcro, sancti Ioannis ibidem Ecclesiam consecrauit.

Iovinianvs menses viii. Synodus Antiochiæ à Meletio & suis facta est, in
D qua Macedonianum dogma Spiritum sanctum blasphemans condemnatum est. Iouinianus postquàm in xx. & ix. annos pacem cum Persis composuit, ad Romanum regressus est solum: lapsúque Constantij prædecessoris admonitus, honorificis & officiosissimis Athanasium literis requirit, à quo formam fidei, & modum Ecclesiarum disponendarum suscepit. Sed eius pia lætaque principia mors immatura apud Ciliciam corrupit.

Valentinianvs cum fratre Valente annis xi. Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda nostræ Religionis scripta componit, qui postea à fide deuians, sui nominis hæresim instituit. Damasus Romæ Episcopus Basilicam iuxta theatrum sancto Laurentio fecit: & aliam in Catacumbas, vbi corpora sanctorum Apostolorum Petri & Pauli iacuerunt. In quo loco, platomam ipsam, vbi iacuerunt, versibus adornauit. Valens ab Eudoxio Arrianorum Episcopo baptizatus nostros

persequitur. GRATIANVS Valentiniani filius tertio eius anno Ambianis Imperator factus est. Constantinopoli, Apostolorum martyrium dedicatur. Post Auxentij feram mortem, Mediolani Ambrosius Episcopus constituitur, cuius prædicatione omnis ad fidem Christi * Gallia conuertitur. A

VALENS, cum GRATIANO, & VALENTINIANO, Valentiniani fratris sui filius, annis IV. Valens, lege data vt Monachi militarent, nolentes fustibus iussit interfici. Gens HVNORVM diu inaccessis reclusa montibus, repentina rabie percita in Gothos exarsit: eósque sparsim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi, transito Danubio, fugientes à Valente sine armorum depositione suscepti, mox per auaritiam Maximi Ducis fame ad rebellandum coacti sunt: victóque Valentis exercitu, per Thraciam sese miscentes, simul omnia cædibus, & rapinis fuderunt.

GRATIANVS cum fratre VALENTINIANO annis VI. THEODOSIVS à Gratiano Imperator creatus, maximas illas Scythicas gentes, hoc est Alanos, Hunos, & Gothos, magnis multísque præliis vicit. Cuius concordiam non ferentes Arriani, post XL. annos Ecclesias, quas vi tenuêre, reliquerunt. Synodus centum quinquaginta patrum congregatur vrbe Augusta, contra Macedonium, sub Damaso Romæ Episcopo. Theodosius Arcadium filium suum consortem facit imperij. A secundo Gratiani anno, ipso sexies & Theodosio Consulibus, Theophilus Paschalem compotum scribit. Maximus, vir quidem strenuus & probus, atque Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Britannià, inuitus propemodum ab exercitu Imperator creatus, in Galliam transiit: ibíque Gratianum Augustum dolis circumuentum apud Lugdunum occidit, fratrémque eius Valentinianum Italiâ expulit. Qui tamen iustissimam cum matre sua Iustina pœnam exilij luit. Quam, & ipsum Arriana hæresis polluit, & eminentissimam Catholicæ fidei arcem Ambrosium perfida obsidione vexauit: nec priusquàm prolatis beatorũ Geruasij & Protasij Martyrũ, Deo reuelante, reliquiis incorruptis, nefanda cœpta deseruit. B

THEODOSIVS, qui viuente Gratiano sex annis iam Orientem regebat, post mortem eius regnauit annis XI. Ipse & Valentinianus, quem Italiâ expulsum benignè susceperat, Maximum tyrannum tertio ab Aquileia lapide interficiunt. Qui quoniam Britanniam omni penè armata iuuentute, copiísque militaribus spoliauerat, quæ tyrannidis eius vestigia secutæ in Gallias, numquam vltra domum rediêre, videntes transmarinæ gentes sæuissimæ, Scotorum à Circio, & Pictorum ab Aquilone, destitutam milite ac defensore Insulam adueniunt: & vastatam direptámque per multos eam annos opprimunt. Hieronymus sacræ interpres Historiæ Librum, quem de illustribus Ecclesiæ viris scribit, vsq; ad XIV. totius Imperij annũ perduxit. C

ARCHADIVS filius Theodosij, cum fratre HONORIO, annis XIII. Corpora sanctorum Abbacuc & Michææ Prophetarum diuina reuelatione produntur. Gothi Italiam, Vandali atque Alani Gallias aggrediuntur. Innocentius Romæ Episcopus dedicauit Basilicam beatissimorum Martyrum Geruasij & Prothasij, ex deuotione testamenti cuiusdam illustris feminæ Vestinæ. Tunc famulus Christi Alexis obiit. Pelagius Brito Dei gratiam impugnat.

HONORIVS cum THEODOSIO minore fratris sui filio, annis XVI. ALARICVS Rex Gothorum Romam inuasit, partémque eius incendio cremauit, IX. Kal. Septembris, anno conditionis eius MCLXIV. ac sexto die quàm ingressus fuerat, deprædata vrbe egressus est. D

LVCIANVS Presbyter, cui reuelauit Dominus, VII. Honorij Principis anno, locum sepulcri, & reliquiarum beati protomartyris Stephani, & Gamalielis ac Nichodemi, qui in Euãgelio & in Actibus Apostolorũ leguntur, scripsit ipsam reuelationẽ Græco sermone, ad omniũ Ecclesiarũ personã. Quã reuelationẽ Auitus Presbyter, homo Hispanus genere, in Latinũ vertit, & adiecta Epistolâ sua per Orosium Presbyterum Occidentalibus dedit. Qui etiam Orosius ad loca sancta perueniens, quò eum Augustinus ad Hieronymum pro discenda animæ ratione miserat, reliquias beati Stephani accepit: patriámque reuersus, Occidenti primus intulit. Britanni Scotorum Pictorúmque infestationem non ferentes, Romam mittunt, & sui subiectione promissa, contra hostem auxilia flagitant. Quibus statim missa legio magnã barbarorũ multitudinẽ sternit, ceteros Britanniæ finibus pellit, ac domũ

A reuersura præcepit sociis ad arcendos hostes murum trans insulam inter duo maria statuere. Qui, absque artifice magistro magis cespite quàm lapide factus, nil operantibus profuit. Nam mox vt discessêre Romani, aduectus nauibus prior hostis, quasi maturam segetem, obuia quæque sibi cædit, calcat, deuorat. Iterum petenti auxilia Romani aduolant,& cæsum hostem trans maria fugant, coniunctísque sibi Britannis, murum non terrâ vt ante puluereum, sed saxo solidum, inter ciuitates, quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant, à mari vsque ad mare collocant. Sed & littore Meridiano maris, quia & indè hostis timebatur, turres per interualla ad prospectum magis statuunt. Sic vale dicunt sociis, tanquàm vltra non reuersuri. Bonefacius Romæ Episcopus fecit Oratorium in Cimiterio sanctæ Felicitatis, & ornauit sepulchrum eius, & sancti Siluini. Hieronymus Presbyter obiit XII. Honorij anno, II. Kal. Octobris, anno ætatis suæ XCI.

THEODOSIVS minor Archadij filius annis XXVI. VALENTINIANVS iunior Constantij filius Rauennæ Imperator creatur. PLACIDIA verò mater eius Augusta nuncupatur. Effera gens Vvandalorum, Alanorum, & Gothorum, ab Hispaniis B ad Africam transiens, omnia ferro, flamma, rapinis, simul & Arriana impietate fœdauit. Sed beatus Augustinus Hipponensis Episcopus, & omnium Doctor eximius Ecclesiarum, ne ciuitatis suæ ruinam videret, tertio obsidionis eius mense migrauit ad Dominum, V. Kal. Septembris, cùm vixisset annis LXXVI. in Clericatu autem vel in Episcopatu annos fermè XL. complesset. Quo tempore Vvandali, capta Carthagine, Siciliam quóque deleuerunt. Cuius captiuitatis Paschasinus Lilibitanus Antistes in Epistola meminit, quam de ratione Paschali Papæ Leoni scripsit.

AD Scottos in Christum credentes ordinatus à Celestino Papa Palladius primus Episcopus mittitur. Anno Theodosij VIII. recedente à Britannia Romano exercitu, cognita, Scotti, & Picti, reditus denegatione, redeunt ipsi; & totam ab Aquilone insulam pro indigenis muro tenus capessunt. Nec mora, cæsis, captis, fugatísque custodibus muri, & ipso interrupto, etiam intra illum crudelis prædo grassatur. Mittitur Epistola lacrymis, ærumnísque referta ad Romanæ potestatis virum Actium ter Consulem XXIII. Theodosij Principis anno, petens auxilium, nec impe-C trat.

INTEREA fames dira ac famosissima profugos infestat. Qua coacti quidam hostibus dedere manus. Alij de montibus, speluncis, ac saltibus strenuè repugnabant, ac strages hostibus dabant. Reuertuntur Scotti domum, post non multum tempus reuersuri. Picti extremam Insulæ partem cùm primùm & deinceps inhabitaturi detinent. Famem præfatam magna frugum opulentia, opulentiam luxuria & negligentia, negligentiam lues acerrima, & acrior mox hostium nouorum, id est Anglorum plaga secuta est. Quos illi vnanimi consilio cum Rege suo VVORTIGERNO quasi defensores patriæ ad se inuitandos elegerunt: sed exceptos mox impugnatores atque expugnatores senserunt. Sextus Romæ Episcopus fecit Basilicam sanctæ Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberi cognominabatur. EVDOXIA vxor Theodosij Principis ab Hierosolymis remeauit, & beatissimi Stephani primi Martyris reliquias, quæ in Basilica sancti Laurentij positæ venerantur, secum detulit. BLEDA & ATTILA fratres, multarum gentium Reges, Illyricum Thraciámque depopulati sunt.

D MARTIANVS & VALENTINIANVS annis VII. Gens ANGLORVM, siue Saxonum, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur. Quibus dum iter prosperatum domi fama referret, mittitur exercitus fortior, qui, iunctis prioribus, primo hostes quos patiebatur abigit: deinde in socios arma vertens, totam propè Insulam ab Orientali eius vsque ad Occidentalem igni vel ense subigit; conficta occasione, quòd pro se militantibus Britones minus sufficienter stipendia darent. Ioannes Baptista duobus Monachis Orientalibus, qui ob orationem venerant Hierosolymam, caput suum iuxta Herodis quondam Regis habitaculum reuelat: quod deinceps Emissam Phœniciæ perlatum,& digno honore cultum est.

HÆRESIS Pelagiana Britannorum fidem turbat. Qui à Gallicanis Episcopis auxilium quærentes, GERMANVM Autissiodorensis Ecclesiæ Episcopum, & LVPVM Trecassinum æquè Apostolicæ gratiæ Antistitem fidei defensores accipiunt. Insignes autem Domini athletæ fidem verbo veritatis simul & miraculorum signis

confirmant. Sed & bellum Saxonum Pictorúmque aduersus Britones eo tempore A iunctis viribus susceptum diuina virtute retundunt. Nam cùm Germanus ipse Dux belli factus, non tubæ clangore, sed clamore, ALLELVYA totius exercitus voce ad sidera leuato, hostes in fugam vertit immanes. Qui deinceps ad Rauennam perueniens, summa reuerentia à Valentiniano & Placidia susceptus, migrauit ad Christum. Cuius corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, defertur Autisiodorum. Accius Patricius Occidentalibus Occidentalis Reipublicæ salus, & Regi quondam Attilæ terror, à Valentiniano occiditur, cum quo Hesperium regnum cecidit, neque hactenus releuari valuit.

CIRCA hæc tempora regnum FRANCORVM exordium sumit. Nam tempore Theodosij iunioris filij Archadij, & Celestini Papæ, FERRAMVNDVS Sunnonis Ducis filij Franci filius, Francorum Regum primus, quinque annis regnauit. Quo defuncto, CLODIO filius eius VII. annis regnauit.

TVNC Diabolus Iudæis in Creta in specie Moysi apparuit, eósque ad terram repromissionis pede sicco per mare perducere promisit: sicque plurimis necatis, reliqui ad Christi gratiam conuertuntur. B

ANNO II. Martiani & Valentiniani, MEROVEVS Rex, postquàm XIII. annis regnauit, mortuus est. Post quem CHILDERICVS filius eius per annos XXIII. regno Francorum potitus est.

LEO annis XVII. Hic pro thomo Chalcedonensi per vniuersum orbem singulis orthodoxorum Episcopis singulas consonantésque misit Epistolas, quid de eodem thomo sentirent rescribi sibi postulans. Quorum adeò consonantia de vera CHRISTI incarnatione suscepit omnium rescripta, ac si vno tempore, vnóque dictante, fuissent vniuersa conscripta.

THEODORVS Episcopus ciuitatis, quæ à Rege Cyro Persarum condita Cyriæ nomen habet, scribit de vera incarnatione Domini Saluatoris aduersus Eutycem & Dioscorum Alexandriæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem negant. Scripsit & Historiam Ecclesiasticam à fine librorum Eusebij vsque ad suum tempus, id est vsque ad Imperium Leonis huius, sub quo & mortuus est. Victorius iubente Papa Hilario scripsit Paschalem circulum DXXXII. annorum. C

ZENON annis XVII. Corpus Barnabæ Apostoli, & Euangelium Mathæi eius stilo scriptum, ipso reuelante reperitur. ODACER Rex Gothorum Romam obtinuit, quam ex eo tempore diutiùs eorum Reges tenuêre. Mortuo THEODERICO Triarij filio, alius THEODERICVS cognomento VALAMER Gothorum suscepit regnum: qui vtrámque Macedoniam Thessaliámque depopulatus est, & plurima regiæ ciuitatis loca igne succendens, Italiam quoque infestus occupauit. HONERICVS Rex Vvandalorum Arrianus, in Africa exulatis diffugatísque plus quàm CCCXXXIV. Episcopis Catholicis, Ecclesias eorum clausit, variísque plebem suppliciis affecit: & quidem innumeris manus abscindens, linguas præcidit; nec tamen loquelam Catholicæ confessionis eripere potuit. Britones, Duce Ambrosio Aureliano, viro modesto, qui solus forte Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, occisis in eadem parentibus purpurâ indutis, victricem eorum gentem prouocantes ad prælium vincunt: & ex eo tempore, nunc hi, nunc illi, palam habuere, donec aduena potentior totâ per longum potiretur Insula. D

ANNO, quo Zenon imperare cœpit, mortuo Childerico CLODOVEVS filius eius in Gallia regnare cœpit, annísque XIX. fortiter agens regnauit.

ANASTASIVS annis XXVIII. TRANSAMVNDVS Rex Vandalorum Ecclesias Catholicas clausit, & CCXX. Episcopos exilio Sardiniam misit. Symmachus Papa inter multa Ecclesiarum opera, quæ vel à fundamentis creauit, vel prisca renouauit, ad beatum Petrum & Paulum, & beatum Laurentium, pauperibus habitacula construxit, & omni anno per Africam vel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant, pecunias & vestes ministrabat. Anastasius, quia hæresi fauens Eutychetis Catholicos insecutus est, diuino fulmine periit.

CLODOVEVS Rex Francorum XV. anno regni sui, cum tribus nobilium milibus à beato Remigio Remorum Archiepiscopo baptizatus est. Deinde post XIV. annos obiit. Et THEODERICVS filius eius ei successit. Quo defuncto, CLOTARIVS frater eius per annos L. & I. in Gallia regnauit. Tunc Gildardus & Flauus in

Sede

Sede Rothomagensi floruerunt: & Mamertus Viennensis pro multimoda peste,
A qua populus angebatur, Letanias, id est Rogationes, ante Ascensionem Domini solennes instituit.

IVSTINVS senior annis VIII. Ioannes Papa Constantinopolim veniens, ad portam, quæ vocatur Aurea, turbis ei occurentibus, in conspectu omnium roganti cæco lumen reddidit. Qui dum rediens Rauennam venisset, Theodericus eum cum comitibus carceris afflictione peremit: inuidiâ ductus, quia Catholicæ pietatis defensor Iustinus eum honorificè suscepisset. Eodem anno Symmachum Patricium Rauennæ occidit, & ipse anno sequente ibidem subita morte periit, eique in regno ATHALARICVS nepos eius successit. HILDERICVS Vvandalorum Rex Episcopos ab exilio reuerti, & Ecclesias instaurare præcepit, post annos LXXIV. hæreticæ profanationis. Benedictus Abbas virtutum gloriâ claruit, quas beatus Papa Gregorius in Libro Dialogorum scripsit.

IVSTINIANVS Iustini ex sorore nepos annis XXXVIII. Bilisiarius Patricius à Iustiniano in Africam missus gentem Vvandalorum deleuit. Cartago quoque anno excessionis suæ XCVI. recepta est: pulsis, deuictisque Vvandalis, & GELISMERICO Rege eorum capto, & Constantinopolim misso. Corpus Sancti Antonij Monachi diuina reuelatione repertum Alexandriam defertur: & in Ecclesia beati Ioannis Baptistæ humatur. Dionysius Paruus Paschales scribit circulos, incipiens ab anno Dominicæ incarnationis. Tunc Orbi Codex Iustiniani promulgatus est. Victor quoque Capuanus Episcopus Librum de Pascha scribens, Victorij arguit errores.

B

CLOTARIVS Rex grandæuus mortuus est, & regnum Francorum in Tetrarchias diuisum est. Parisius enim cessit KARIBERTO, Aurelianis GVNTRANNO. Suessionis HILPERICO, & Mettis SIGIBERTO. Denique XXXVI. anno Imperij Iustiniani, Sigibertus Rex fraude Hilperici fratris sui, cum quo bellum inierat, occisus est: & CHILDEBERTVS filius eius adhuc puerulus, cum BRVNICHILDE matre sua, regnum patris ad regendum suscepit, & XXV. annis regnauit.

IVSTINVS minor annis XI. Narses Patricius TOTILAM Regem Gothorum in Italia superauit, & occidit. Qui deinde per inuidiam Romanorũ, pro quibus multa contra Gothos laborauerat, accusatus apud Iustinum & coniugem eius Sophiam quòd seruitio premeret Italiam, secessit Neapolim Campaniæ, & scripsit genti Langobardorum, vt venirent & possiderent Italiam. Ioannes Papa Ecclesiam Apostolorum Philippi & Iacobi, quã prædecessor eius Pelagius cœperat, fecit & dedicauit. Tunc bellicosus ALBION Audonis Langobardorum Regis filius de Pannonia in Italiam venit: eámque permittente Narcete Patricio cum Guinilis suis obtinuit.

C

TIBERIVS CONSTANTINVS annis VII. Gregorius tunc Apocrisiarius in Constantinopolim, post Romanus Episcopus, Libros expositionis in Iob cõdit, & Euticium eiusdem vrbis Episcopum in fide nostræ resurrectionis errasse, Tiberio præsẽte conuicit: itaut ipse Augustus Librum eius, quem de resurrectione scripsit, suis quoque Catholicis allegationibus destruens, deliberaret flãmis cremari debuisse. Docebat enim idem Euticius corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, & ventis aëreque subtilius esse futurum: cõtra illud Dominicum, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Gens Langobardorum, comitante
D fame & mortalitate, omnem inuadit Italiam, ipsámque Romanam vastatrix obsidet vrbem. Quibus tunc Rex præerat ALBVINVS.

MAVRICIVS annis XXI. HERMINEGELDVS Liuuigildiguissi Gothorum Regis filius, ob fidei Catholicæ confessionem inexpugnabilem, à patre Arriano regni priuatus infulis, & in carcerem ac vincula proiectus, ad extremum nocte secunda Dominicæ resurrectionis securi in capite percussus, regnum cæleste pro terreno Rex & Martyr intrauit. Cuius frater RECHAREDVS, mox vt regnum post patrẽ accepit, omnem Gothorum, cui præerat, gentem, instante Leandro Hispalitano Episcopo, qui & Erminegeldum docuerat, Catholicam conuertit ad fidem.

MAVRICIVS filiam Tiberij Constãtini coniugem habuit, & primus Græcorum fasces Romanorum gessit. Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex & doctor eximius, anno Mauricij Imperij XIII. indictione XIII. Synodum Episcoporum XXIII. ad corpus beati Petri Apostoli congregans, de necessariis Ecclesiæ decernit. Idem, missis Britanniam Augustino, Mellitero, Ioanne, aliisque pluribus cum eis Mona-

chis timentibus Dominum,ad Christum Anglos conuertit. Et quidem EDILBERTVS mox ad Christi gratiam conuersus cum gente Cantuariorum,cui præerat proximisque Prouinciis, etiam Episcopum Doctorémque suum Augustinum, sed & ceteros sacros Antistites Episcopali sede donabat. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Vmbri fluminis,sub Regibus ELLE & EDILFRIDO sitæ, nec dum verbum vitæ audierant. A

GREGORIVS XVIII. anno Mauricij,scribens Augustino,Lundoniæ quoque & Eburaci Episcopis,accepto à Sede Apostolica pallio,Metropolitanos esse debere decernit: & post IIII. annos obiit.

FOCAS annis VIII. Hic,rogãte Papa Bonifacio,statuit Sedẽ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omniũ Ecclesiarũ: quia Ecclesia Cõstãtinopolitana primã se scribebat omniũ Ecclesiarũ.Idem,alio Papa Bonifacio petente,iussit in veteri fano, quod Pãtheõ vocabatur,ablatis idolatriæ sordibus,Ecclesiã B.semper Virginis Mariæ,& omniũ Martyrũ fieri: vt vbi quõdã omniũ non deorũ, sed dæmoniorũ cultus agebatur,ibi deinceps omniũ fieret memoria Sanctorũ. Persæ aduersus Rẽpublicã grauissima bella gerẽtes,multas Romanorũ Prouincias, & ipsã Hierosolymã auferũt:& destruẽtes Ecclesias,sancta quæque prophanãtes, inter ornamẽta locorũ vel Sanctorũ,vel cõmuniũ,quæ abstulerunt,etiã vexillum Dominicæ Crucis abducũt. B

HERACLIVS annis XXXI. Anastasius Persa Monachus nobile pro Christo martyrium patitur. Qui natus in Perside Magicas à patre puer artes discebat. Sed vbi à captiuis Christianis Christi nomen acceperat, in eum mox animo toto conuersus,relicta Perside,Calcedoniam Hierapolimque,Christum quærens,ac deinde Hierosolymam petit. Vbi accepta baptismatis gratiâ,quarto ab eadem vrbe miliario Monasterium Abbatis Anastasij intrauit: vbi septem annis regulariter viuens, dum Cæsaream Palæstinæ orationis gratia venisset,captus à Persis,&multa diu verbera inter carceres & vincula,Marzabana iudice,perpessus, tãdem ad CHOSDROEM Regem eorum Persidem mittitur: à quo per interualla temporum tertiò verberatus,ad extremum vna suspensus manu per tres horas diei, sic decollatus cum aliis LXX. martyrium compleuit.Mox tunica eius indutus quidam dæmoniacus curatus est.Interea superueniens cum exercitu HERACLIVS Princeps, Persis cum Rege Chosdroe superatis,Christianos,qui captiuati erant, gaudentes reduxit, & sanctæ Crucis lignum Hierosolymis reportauit. Reliquiæ beati Martyris Anastasij primo Monasterium suum,deindeRomam adductæ,venerantur in Monasterio beati Pauli Apostoli,quod dicitur ad Aquas Saluias. C

ANNO regni Heraclij XVII. Indictione XV. EDVINVS excellentissimus Rex Anglorum in Britannia trãs-Humbranæ gentis ab Aquilone,Paulino Episcopo, quem de Cantia venerabilis Iustus Archiepiscopus miserat, prædicante, verbum salutis cum sua gente suscepit, anno quidem regni sui XI. aduentus autem Anglorum in Britanniam plus minus anno CLXXX. eique Paulino sedem Episcopatus Eburaci donauit. Cui profecto Regi in auspicium venturæ fidei & regni cælestis, potestas quoque terreni creuerat regni: itaut vniuersos Britanniæ fines,quod nemo Anglorum ante eum,qua vel ipsorum,vel Britonum gentes habitabant, sub ditione acciperet.Eo tempore exortum apud Scottos in obseruatione Paschæ errorem Honorius Papa per Epistolam redarguit.Sed & Ioannes,qui successori eius Seuerino successit,cùm adhuc esset electus in Pontificatum,pro eodem Pascha eis simul, & pro Pelagiana hæresi,quæ apud eos reuiuiscebat, scripsit. D

IN Gallia THEODEBERTO & THEODERICO Regibus defunctis, LOTHARIVS Magnus Hilperici filius floruit,&Monarchiam Franciæ solus obtinuit. Quo defuncto, DAGOBERTVS filius eius ei successit,& XII. annis regnum strenuè gubernauit. Deinde CLODOVEVS filius eius XXVI.annis regnauit,moriénsq; diadema tribus filiis suis,LOTHARIO,THEODERICO,& HILDERICO reliquit.Temporibus horum Regum in Francia viri sancti virtutibus & signis claruerunt.Romanus & Audoënus,Ausbertus & Eligius,Ebrulfus & Launomarus, Maurus & Columbanus,Philibertus & Guandregisilus, aliique plures fide & prædicatione pollentes, sanctitate, prodigiis coruscantes.

HERACLEONAS cum matre sua Martina annis II. Cyrus Alexandriæ, Sergius & Pyrrus Regiæ vrbis Episcopi, Acephalorum hæresim instau-

A rantes, vnam operationem in Christo diuinitatis & humanitatis, vnam voluntatem dogmatizant. E quibus Pirrus his temporibus, id est sub Theodoro Papa, Romam veniens ex Africa, fictâ vt post apparuit, pœnitentiâ, obtulit eidem Papæ, præsente cuncto Clero & populo, libellum cum sua subscriptione; in quo condemnarentur omnia, quæ à se, vel à decessoribus suis, scripta vel acta sunt aduersus Catholicam fidem. Vndè benignè susceptus est ab eo quasi Regiæ Pontifex ciuitatis. Sed quia reuersus domum, repetiit errorem domesticum; memoratus Papa Theodorus, aduocatis cunctis Sacerdotibus & Clero in Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis, condemnauit eum sub vinculo anathematis.

CONSTANTINVS frater Heraclij mensibus VI. Pirri successor Paulus, non tantùm vesana doctrinâ, sicut prædecessores eius, sed aperta persecutione Catholicos cruciat: Apocrisiarios sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui ad eius correctionem missi fuerant, partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus afficiens. Sed & altare eorum in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subuertens diripuit, B prohibens eos ibidem Missas celebrare. Vnde & ipse, sicut prædecessores illius, ab Apostolica Sede iusta depositionis vltione damnatus est.

CONSTANTINVS filius Constantini annis XXVIII. Hic deceptus à Paulo, sicut Heraclius auus eius à Sergio, eiusdem Regiæ ciuitatis Episcopo, exposuit Typum aduersus Catholicam fidem: nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo definiens esse confitendas; quasi nihil velle, vel operari, credendus sit Christus. Vnde Martinus Papa, congregata Romæ Synodo centum quinque coepiscoporum, damnauit sub anathemate præfatos Cirum, Sergium, & Pirrum, & Paulum hæreticos. Missus ergo post hæc ab Imperatore Theodorus Exarchus, tulit Martinum Papam de Ecclesia Constantiniana, perduxítque Constantinopolim. Qui post hæc relegatus Chersonam, ibidem vitam finiuit: multis in eodem loco virtutum signis vsque hodie fulgens. Facta est autem præfata Synodus Imperij Constantini nono, mense Octobrio, indictione VIII. Constantinus Princeps, Vitaliano Papa nuper ordinato, misit beato Petro Apostolo Euangelia aurea, gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata. Ipse post aliquot annos, id est per Indi- C ctionem VI. veniens Romam, obtulit super altare ipsius pallium auro textile, toto cum cereis exercitu Ecclesiam intrante. Sequente anno, facta est eclypsis solis quasi decima hora diei, V. nonas Maij. Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas vir æquè doctissimus, à Vitaliano missi Britanniam, plurimas Ecclesias Anglorum doctrinæ Ecclesiasticæ fruge fœcundarunt. Constantinus post plurimas & inauditas deprædationes Prouinciis factas, occisus in balneo periit, Indictione XII. nec longo post tempore etiam Vitalianus Papa cœlestia regna petiit.

CONSTANTINVS frater Constantini superiotis Regis annis XVII. Sarraceni Siciliam inuadunt, & præda nimia secum ablata, mox Alexandriam redeunt. Agato Papa ex rogatu Constantini, Heraclij, & Tiberij, Principum piissimorum, misit in Regiam vrbem legatos suos, in quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc Diaconus, non longè pòst Episcopus, pro adunatione facienda sanctarum Dei Ecclesiarum. Qui benignissimè suscepti à reuerendissimo fidei Catholicæ defensore Cõstantino, iussi sunt, remissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio, de D fide vera perquirere: datis eis de Bibliotheca Cõstãtinopolitana cunctis antiquorũ Patrum, quos petebant, libellis. Affuerunt autem & Episcopi CL. præsidẽte Georgio Patriarcha Regiæ vrbis, & Antiochiæ Machario. Et conuicti sunt, qui vnam voluntatem & operationem astruebant in Christo falsasse, Patrum Catholicorum dicta per plurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus est. Macharius verò cum suis sequacibus, simul & præcessoribus, Ciro, Sergio, Honorio, Pirro, Paulo, & Petro, anathematizatus; & in locũ eius Theophanius Abba de Sicilia Antiochiæ Episcopus factus. Tantáq; gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, Dominica octauarũ Paschæ Missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ corã Principe & Patriarcha Latinè celebraret.

HÆC est sexta Synodus vniuersalis Cõstãtinopoli celebrata, & Græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente ac residente piissimo Principe Constantino intra Palatium suum, simúlque legatis Apostolicæ sedis, & Episcopis CL. residentibus.

PRIMA enim vniuersalis Synodus in Nicea congregata est contra Arrium, trecentorum decem & octo patrum, temporibus Iulij Papæ, sub Cõstantino Principe. A

SECVNDA in Constantinopoli, centum quinquaginta Patrum, contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ & Gratiani Principis, quando Nectarius eidem vrbi est ordinatus Episcopus.

TERTIA in Epheso, ducentorum Patrum, contra Nestorium Augustæ vrbis Episcopum, sub Theodosio magno Principe, & Celestino Papa.

QVARTA in Calcedone, Patrum sexcentorum triginta, sub Leone Papa, temporibus Marciani Principis, contra Eutycem nefandissimorũ Præsulẽ Monachorũ.

QVINTA iterum in Constantinopoli, temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano Principe, contra Theodorum & omnes hæreticos.

SEXTA hæc, de qua in præsenti diximus.

SANCTA & perpetua virgo Christi EDILTHRIDA filia Annæ Regis Anglorum, & primo alteri viro permagnifico, nomine TONDBERT, Principi Australium Giruiorum, & post EGFRIDO Regi Nordanhymbrorum coniunx data; postquam XII. annos thorum incorrupta seruauit maritalem, post Reginam sumpto velamine sacra virgo Sanctimonialis efficitur: nec mora etiam virginum mater & nutrix pia sanctarum, accepto in cõstruendum Monasterium loco, quẽ Eilge vocãt. Cuius merita viuacia testatur etiam caro mortua, quæ post decem & sex annos sepulta est cum veste, & cum veste qua inuoluta est, incorrupta reperitur. B

IVSTINIANVS minor, filius Constantini, annis X. Hic constituit pacem cum Sarracenis decennio terra marique. Sed & Prouincia Africa subiugata est Romano Imperio, quæ fuerat tenta à Sarracenis, ipsa quoque Carthagine ab eis capta & destructa. Hic beatæ memoriæ Pontificem Romanæ Ecclesiæ Sergium, quia erraticæ suæ Synodo, quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluisset, misso Zacharia Protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari. Sed præuenit militia Rauennatis vrbis, vicinarúmque partium, iussa Principis nefanda, & eundem Zachariam contumeliis & iniuriis ab vrbe Roma repulit.

QVARTO anno Iustiniani, in Francia PIPINVS primus Maior Domus Regiæ efficitur. Sergius Papa ordinauit venerabilem virum Guillebrordum cognomento Clementem Fresionum genti Episcopum, qui natione Anglicus de Britannia peregrinatus est: & inter barbaros innumera quotidie diabolo detrimenta, & Christianæ fidei facit augmenta. Iustinianus ob culpam perfidiæ regni gloriâ priuatus, exul in Pontum secedit, eumque Cyrus Abbas aluit. C

LEO annis III. Papa Sergius in Sacrario beati Petri Apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diu iacuerat, & in eo crucem diuersis ac preciosis lapidibus adornatam, Domino reuelante repperit. De qua tractis quatuor petallis, quibus gemmæ inclusæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni salutiferi Dominicæ crucis interiùs repositam inspexit. Quæ ex tempore illo annis omnibus in basilica Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, die exaltationis eius ab omni populo osculatur atque adoratur.

IN Britannia reuerentissimus Ecclesiæ Lindisfarnensis ex Anachoreta Antistes CVTHBERTVS totam ab infantia vsque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit. Cuius dum XI. annis corpus esset humatum, incorruptum post hæc, quasi eadẽ hora defuncti, simul cum veste, qua tegebatur, inuentũ est. CEDVVAL Rex Occidentalium Saxonũ * Hisnæ regnũ spõte reliquit, & Romã perueniens, à Sergio Papa sabbato Paschæ baptizatus est: & in albis adhuc positus, lãguore correptus, XII. Kal. Maij obiit. Iubente Papa, qui eum in baptismo Petrũ nominauerat, in Ecclesia sancti Apostoli sepultus est, & Epitaphium in eius monumento sic exaratũ est. D

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, castra, lares;
Quæque patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
CEDVVAL armipotens liquit amore Dei:
Vt Petrum, sedémque Petri Rex cerneret hospes,
Cuius fonte meras sumeret almus aquas.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanno,
Per varias gentes, per freta, perque vias:

A *Vrbem Romuleam vidit, templúmque verendum*
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oues Christi sociabilis ibit.
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

TIBERIVS annis VII. Synodus Aquileiæ facta, ob imperitiam fidei quintum vniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ monitis instructa, & ipsa huic cum ceteris Christi Ecclesiis annuere consentit. GISVLFVS Dux gentis Langobardorum Beneuenti Campaniam igne, gladio, & captiuitate vastauit. Cúmque non esset qui eius impetui resisteret, Ioannes Papa, qui Sergio successerat, missis ad eum sacerdotibus, ac donariis perplurimis, vniuersos captiuos redemit, & hostes domum redire fecit. Cui successit alius Ioannes, qui inter multa operum illustrium, fecit Oratorium sanctæ Dei
B genitrici, opere pulcherirmo, inter Ecclesiam beati Petri Apostolorum Principis.

HEREBERECTVS Rex Langobardorum multas curtes & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius Apostolicæ Sedis pertinebant, sed à Langobardis multo tempore ablata fuerant, eiusdem Sedis iuri restituit, & hanc donationem aureis scriptam literis Romam direxit.

IVSTINIANVS secundò cum Tiberio filio annis VI. Hic auxilio TERBELLI Bulgarorum Regis regnum recipiens, occidit eos qui se expulerant Patricios: & Leonem, qui locum eius vsurpauerat, & successorem eius Tiberium, qui eum de regno eiectum toto quo ipse regnabat tempore in eadem ciuitate in custodia tenuerat. Callinichum verò Patriarcham erutis oculis Romam misit, & Episcopatum Ciro, qui erat Abbas in Ponto, eúmque alebat exulem, dedit. Hic Constantinum Papam ad se venire iubens, honorificè suscepit, ac remisit: itaut eum die Dominica Missas sibi facere iubens, communionem de manu eius acceperit. Quem, prostratus in terra, pro suis peccatis intercedere rogauit, & cunctæ Ecclesiæ priuilegia renouauit. Qui cùm exercitum mitteret in Pontum, Papa multum prohibente,
C ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegauerat; conuersus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum Imperatorem. Reuersúsque cum eo Constantinopolim, pugnauit contra Iustinianum ad duodecimum ab vrbe milliarium: & victo atque occiso Iustiniano, regnum suscepit Philippicus.

PHILIPPICVS anno vno, & mensibus sex. Hic Cirum de Pontificatu eiecit, eúmque ad gubernandum Abbatis iure Monasterium suum, Pontum redire præcepit. Idem Constantino Papæ literas praui dogmatis misit, quas ille cum Apostolicæ Sedis consilio respuit: & huius rei causâ picturas in porticu sancti Petri fecit, quæ acta sex sanctarum Synodorum vniuersalium continerent. Nam & huiusmodi picturas, cùm haberentur in vrbe regia, Philippicus iusserat auferri. Statuítque populus Romanus, ne nomen hæretici Imperatoris in cartas aut figuram solidi susciperent. Vnde nec eius effigies in Ecclesia introducta est, nec nomen ad Missarum solennia prolatum est.

ANASTASIVS annis III. Hic Philippicum captum oculis priuauit, nec occidit. Idem litteras Constantino Papæ Romam per Scolasticum Patricium & Exar-
D cum Italiæ direxit, quibus se fautorem Catholicæ fidei, sanctíque sexti Concilij prædicatorem esse docuit. LIVDPRANDVS Rex Langobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quam Aripertus fecerat, & ille repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorij confirmauit. VVLFRANNVS Senonensis Archiepiscopus, & Fontinellēsis Monachus floruit, & verbum Domini Fresionibus prædicans, multa miracula fecit. ECBERECTVS verò sanctus de gente Anglorum, & sacerdotium Monachica vita etiam pro cælesti patria peregrinus exornans, primas Scoticæ gentis Prouincias ad Canonicam Paschalis temporis obseruantiam, à qua diutius oberrauerant, pia prædicatione conuertit, anno ab incarnatione Domini DCCXVII. 717.

THEODOSIVS anno I. Hic electus in Imperatorem Anastasium apud Nicæam ciuitatem graui prælio vicit; datóque sibi sacramento, Clericum fieri,

ac Presbyterum ordinari fecit. Ipse verò vt regnum accepit, cùm esset Catholicus, mox in regia vrbe imaginem illam venerandam, in qua sex sanctæ Synodi erant depictæ, & à Philippo fuerat deiecta, pristino in loco erexit. Tiberis fluuius alueum suum egressus multa Romanæ fecit exitia ciuitati; itaut in via lata ad vnam & semis staturam accresceret, atque à porta sancti Petri vsque ad pontem Miluium aquæ descendentes se coniungerent. Mansit autem diebus VII. donec agentibus crebras Letanias ciuibus, octauo demum die reuertitur. A

HIS temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & feminæ, Duces & priuati, diuini amoris instinctu, de Britannia Romam venire consueuerant.

LEO annis IX. regnauit. Cuius anno III. RAROLVS MARTELLVS Pipini filius Maior domus Regiæ fit, annóque sequenti Ragenfredum tyrannum Vinciaci bello vicit, quo victo Andegauim obtinuit.

SARRACENI cum immenso exercitu Constantinopolim conuenientes, triennio ciuitatem obsident, donec ciuibus multa instantia ad Dominum clamantibus, plurimi eorum fame, frigore, pestilentiáque perirent, ac sic pertæsi obsidionis abscederent. Regressi Bulgarorum gentem, quæ super Danubium est, bello aggrediuntur, & ab hac quoque victi refugiunt, ac naues suas repetunt. Quibus, cùm altum peterent, ingruente subita tempestate plurimi etiam mersi, siue confractis per litora nauibus sunt necati. LIVTHPRANDVS Rex audiens quòd Sarraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, vbi ossa sancti Augustini Episcopi propter vastationem Barbarorum olim translata, & honorificè fuerant condita, misit, & dato magno precio accepit, eáque in Ticinis transtulit, ibíque cum honore tanto Patri debito condidit. B

734. HVC vsque Chronographiam Anglici Bedæ secutus sum, qui scripsit vsque ad DCCXXXIV. ab incarnatione Domini annum. Ipse nimirum Beda Presbyter, & Paulus Cassinensis, religione Monachi, eruditione magna imbuti, inter cetera bona studia Historiam suæ gentis quinque Libris ediderunt: & luculenter prompserunt, vnde Guinili & Angli processerint, & qualiter Italiam Langobardi, atque Britanniam Angli sibi subegerint. Amodo aliorum documenta Patrum laboriosè perscrutari cogor, & descriptionem temporum vsque ad nostra prosequi tempora molior, quæ multis variísque calamitatibus modò tetra sunt; dum duo Præsules de Romano Pontificatu iam per sex annos ambitiosè contenderunt, & post mortem HENRICI Regis Anglorum, de regno eius STEPHANVS nepos, & IOFFREDVS gener, ad multorum detrimenta, minis & armis inimicitias exercuerunt. C

CONSTANTINVS Leonis filius annis LVIII. regnauit. HVGO Rotomagensis Archiepiscopus floruit, & Episcopatibus Parisiensi & Baiocensi, Abbatiis etiam Gemmeticensi & Fontinellensi præfuit. KARLOMAGNVS & PIPINVS Maioratum Domus adipiscuntur, & REMIGIVS frater eorum, eiecto Ragenfredo, Archiepiscopus Rotomagensis efficitur. Constantinus & Habdallas Amiras Rex Sarracenorum pariter in Orthodoxos sæuiunt. Constantinus Concilium CCCXXX. Episcoporum Constantinopoli congregauit.

754. ANNO ab incarnatione Domini DCCLIIII. Stephanus Papa malignitate HAISTVLFI Langobardorum Regis fatigatus, in Galliam confugit, à FRANCIS honorificè susceptus Parisiis ægrotauit; & conualescens apud sanctum Dionysium altare dedicauit. PIPINVM, & filios eius, KAROLVM, & KARLOMANNVM Reges consecrauit, eísque defensionem totius sanctæ Ecclesiæ contra cunctos hostes eius commendauit. D

PIPINVS Francorum Rex, postquàm XVI. annis strenuè regnauit, VIII. Kal. Octobris moriens, KAROLO filio suo regnum reliquit. Karolus autem Magnus XLVII. annis regnauit, & multa prædicabilia tam in Ecclesiasticis rebus, quàm in secularibus perpetrauit. Huius virtutes ante Dominum & homines magnæ fuerunt, & multorum ora ipsius acta cum admiratione referunt, auidísque auditoribus cum fauore summo concinunt. Ipse enim cum nobili Gallorum exercitu Romam perrexit, & inde remeans DESIDERIVM Regem Langobardorum cepit. Papiam, aliásque ciuitates Italiæ sibi subiugauit. Pompeiopolim * destruxit. Cæsaraugustam bellica manu obtinuit. Saxones, & Hispanos, atque Sarracenos

* Pampelоniam.

A bellis protriuit. Ethnicásque vires Christianæ virtutis terrore humiliauit, & vexillum Crucis in nomine CHRISTI sublimauit.

LEO Constantini filius V. annis. Iterum Karolus Romam vadit, deinde Capuam & Apuliam bellica vi penetrauit.

CONSTANTINVS cum IRENE matre sua XVII. annis. Tunc Constantinopoli quidam lapideam arcam inuenit, & in ea virum iacentem cum hac scriptura; CHRISTVS NASCETVR EX MARIA VIRGINE, ET CREDO IN EVM. SVB CONSTANTINO ET IRENE IMPERATORIBVS, Ô SOL, ITERVM ME VIDEBIS. Karolus ad fines Baioariæ per Alemaniam venit, & tertio anno Baioariam obtinuit. Deinde in Sclauos, qui Vulti dicuntur, vadit, annóque sequenti Hungariam vastauit.

HIS temporibus Adrianus & Leo per annos XLVIII. Apostolicæ Sedi præfuerunt, admodum bonis operibus in Præsulatu fulserunt, & Ecclesiæ Dei profuerunt. Tunc Constantinus & Leo, aliúsque CONSTANTINVS, vt dictum est, imperauerunt.

B A TEMPORE enim Constantini Magni Helenæ filij, qui Constantinopolim condidit, vsque ad tempus Constantini Hirenæ filij, Constantinopolitanus Imperator Romanum Imperium rexit, & Illyrico Italiæque, multísque aliis nationibus & linguis præfuit. Sed quia plures ex ipsis Imperatoribus hæretici fuerunt, nec legitimo ritu à populo ad Imperium eligente assumpti sunt; sed crudeli dominorum, siue cõsanguineorum interfectione suorum Augustale stemma nequiter surripuerunt, nec aptè mediam partem tam latæ dominationis contra Barbaros vndique insurgentes defendere potuerunt: Leo Papa, & Conuentus Senatorum, populique Romani, conuenerunt, & de statu Reipublicæ salubriter tractauerunt: iugúmque Constantinopolitani Principis à suo collo communi consilio abiecerunt, strenuúque Regem Francorum KAROLVM, qui iam multa probitate illis patrocinatus fuerat, elegerunt, & Romano imponere fastigio decreuerunt. Quinto itaque Leonis Papæ anno, qui ab incarnatione Domini DCCCVIII. annus est, KAROLVS 808.
C MAGNVS Rex, Imperator LXXVIII. ab Augusto factus est, & à Romanis Augustus appellatus est. Illos autem, qui Leonem Papam, à quo consecratus fuerat, dehonestauerant, morte damnauit; sed precibus Papæ morte indulta, exilio retrusit. Circa id tempus terræmotus magnus factus est, qui penè totam Italiam concussit, & tectum beati Pauli Apostoli, cum suis trabibus, magna ex parte deiecit.

NICEPHORVS frater Irenæ VI. annis regnauit. Hic pacem cum Karolo fecit. Aaron quoque Rex Persarum legatos, & amicitiæ munera Karolo direxit.

MICHAEL gener Nicephori III. annis regnauit. Karolo Imperatori legatos pacis misit.

LEO filius Bardæ VI. annis regnauit. Karolus Magnus Aquisgrani obiit, & LVDOVICVS PIVS ex HILDIARDE filia Guitichingis Saxonum Regis filius eius successit, & XXVII. annis strenuè imperauit. Cuius tempore turbo tribulationum super terrigenas admodum feruit. Paschalis Papa centesimus à Petro Ludouicum Pium Romæ in die Paschæ coronauit.

THEOPHILVS XI. annis. Lotharius contra Ludouicum patrẽ suum rebellauit, & multiplicata perfidorum potentiâ terram turbauit.

D TVNC NORMANNI Britanniam, aliásque terras vastauerunt, & corpora sanctorum Sansonis & Philiberti, aliorúmque multorum, pro timore paganorum translata sunt.

MICHAEL Theophili filius XXVII. annis. Secundo Imperij eius anno Ludouicus Imperator XII. Kal. Iulij obiit, & à fratre suo DROGONE * Lugdunẽsi Archiepiscopo Mediomatricum sepultus est. Deinde tertio anno, qui ab incarnatione Domini DCCCXLII. annus est, Fontaneticum bellum inter tres filios eius, LVDOVICVM, LOTHARIVM, & KAROLVM CALVVM prope Autisiodorum factum est, in quo Christianus populus VI. Kal. Iulij mutua cæde vtrinque prostratus est. Tandem sors victoriæ Carolo cessit. Eodem anno Normanni ROTOMAGVM vastauerunt, & Monasterium sancti Audoëni Præsulis Idus Maij succenderunt.

* l. v. Metensi.

842.

Basilius occiso Michaële domino suo xx. annis regnauit. Fames valida, & mortalitas hominum atque pestis animalium in mundo passim sæuit. Ludouico Rege defuncto, Rollo cum suis xv. Kal. Decembris Neustriam penetrauit. A

876. Anno ab incarnatione Domini dccclxxvi. Rollo Normanniam ingressus est, & xxxvii. annis in Gallos præliatus est, donec à Francone Archiepiscopo baptizatus est.

Leo & Alexander filij Basilij xxii. annis. Karolo Imperatore defuncto, Arnulfus Rex Imperator efficitur, & x. annis Imperio potitur.

900. Anno ab incarnatione Domini dcccc. Indictione iii. Zendebaldus Rex filium Arnulfi occidit. Tunc Rollo Carnutum obsedit. Sed Gualtelmus eiusdem vrbis Episcopus, vir religiosus, tunicam sanctæ Dei genitricis Mariæ in manibus ferens, exiuit, diuinitúsque adiutus hostes fugauit, & ciuitatem liberauit. Richardum enim Burgundiæ Ducem, & Ebalum Pictauensium Comitem ad auxilium sui prouocauerat: & fugatis hostibus, triumphante Deo, Christiana plebs tripudiat. B

Alexander vno regnauit anno. Huni Saxoniam & Thuringiam vastauerunt.

Constantinus Porphyrogenitus Leonis filius cum Zoe matre sua iiii. annis. Tertio anno Ludouicus Arnulfi filius obiit, & Conradus Conradi filius in Regem eleuatur, & vii. annis regnauit.

Romanus Armeniacus cum prædicto Constantino xxvii. annis. Tunc Rollo Christianus factus est, & cum Karolo Rege Francorum, accepta in coniugio Gisla filia eius, pacificatus est. Henrico Imperante karolus Rex in carcere Comitis Herberti Patronæ obiit, & ingens dissensio Francos turbauit. Tandem post quinque annos Ludouicus Rex Karoli filius Gerbergam Henrici Teutonum Regis filiam vxorem duxit.

Constantinus cum Romano puero filio suo annis xv. Tunc Otto filius Henrici regnare cœpit, & xxxvi. annis regnauit, & sororem Edelstani Regis Anglorum coniugem habuit. Tunc Guillelmus Longa-spata Rithulfum Ebroicensem, in loco, qui Pratum belli dicitur, vicit: & Arnulfus Flandriæ Satrapa ipsum post viii. annos xvi. Kal. Ianuarij Guillelmum occidit. Guillelmo autem Richardus vetus filius eius in Ducatu successit, & liv. annis Principatum strenuè tenuit, & laudabilia opera perpetrauit. C

Stephanus & Constantinus filij Romani patrem suum de solio regni deponunt. Sed Constantinus ambos similiter deponit, & ipse cum Romano filio suo annis xvi. regnauit. Edgaro Edmundi filio Anglis imperante & cultoribus Dei benigniter adminiculante, atque in omnibus, quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinent, Magistris fideliter obtemperante; Dumstanus Dorobernensis Archiepiscopus, & Osvualdus Eboracensis, ac Adelmodus Guintoniensis, sanctitate & doctrina claruerunt, & commissas sibi plebes sollicitè salubritérque rexerunt: Religionis institutionem totis nisibus amplexantes feliciter viguerunt, & xxvi. Abbatias Monachorum vel Sanctimonialium in Anglia construxerunt. Danica quippe cladès, quæ ante aliquot annos beatum Eadmundum Regem Anglorum martyrizauerat, super vniuersum etiam gregem Christi penè per totam Britanniæ Insulam admodum debacchata fuerat: & sacris ædibus destructis, Dominicas oues lupino more laniauerat, seu disperserat. D

Nicephorus Imperator x. annis. Turbationes in mundo nimiæ sæuierunt, auidíque Proceres cum subiectis exercitibus contra pares in bello consurrexerunt.

Ioannes occiso Niceforo per vxorem eius regnauit, cuius neptis Theophania Ottoni Imperatori nupsit. Quinto Imperij eius anno Otto minor obiit, & Otto filius eius post eum xviii. annis regnauit. Tunc Hugo Magnus aliíque Proceres Francorum contra Ludouicum Regem rebellauerunt. Præfatus

A quippe Dux vestigia RODBERTI patris sui secutus est, qui contra Karolum Simplicem rebellauit, & in Regem vnctus est. Porro Karolus Rex, vt se à periuro Duce contemptum perspexit, nondum anno expleto, copiis vndique contractis in desertorem surrexit, ipsúmque Suessionis pugnando vicit & interfecit.

MENSE Maio, feria VI. sanguis super operarios pluit. Eodem anno mense Septembri Ludouicus Rex post multas tribulationes mortuus est; & Remis in Basilica sancti Remigij sepultus est.

LOTHARIVS autem filius eius Remis in Regem vnctus est, & VII. annis strenuè regno potitus est. Tunc HVGO MAGNVS Aurelianensis Dux Francorum, cunctis Proceribus sublimior diuitiis & potentiâ viguit. Hic filiam Ottonis Imperatoris coniugem habuit, quæ tres ei filios peperit, HVGONEM, & OTTONEM, & HENRICVM; & filiam nomine EMMAM, quæ Richardo seniori Normannorum Duci nupsit, sed sine liberis obiit.

SECVNDO anno Lotharij Regis, mense Augusto, Hugo Magnus Pictauis ciuitatem obsedit. Sed Dominus meritis sancti Hilarij Præsulis & patroni eiusdem vrbis B terribiliter intonuit. Vehemens autem turbo papilionem Ducis disrupit, ipsúmque cum exercitu suo stupor nimis inuasit, & statim ab vrbis obsidione fugauit.

EODEM anno GVISLEBERTVS Burgundiæ Dux mortuus est, & OTTO filius Hugonis gener eius Ducatu potitus est. Verùm, non multò post idem sine liberis obiit, & HENRICVS frater eius successit. Tunc ANSEGISVS Trecarum Præsul à RODBERTO Comite de ciuitate eiectus est, & in Saxoniam ad Ottonem Imperatorem profectus est. Indè adductis Saxonibus, diu Trecas obsedit. Duo siquidem Duces, HELPO, & BRVNO, cum exercitibus suis eum adiuuabant. Quondam venientibus illis deprædari Senones, occurrerunt Archembaldus Archiepiscopus, & RAINARDVS Comes vetulus, eorúmque phalanges: & commisso prælio, interfecerunt Helponem Ducem, & multos Saxones. Quod Bruno socius eiusdem videns, obsidionem reliquit, & in patriam suam mœstus remeauit.

C LOTHARIVS Rex Lotharij regnum recuperauit, ac ad Palatium Aquisgrani, vbi Otto Imperator cum vxore sua manebat, cum exercitu copioso venit, & horâ prandendi nemine contradicente introiuit. Otto autem cum vxore & populo fugiens, Palatium reliquit. Deinde reuerso in Franciam cum victoria Lothario, præfatus Imperator exercitum congregauit, Parisius venit, suburbium illius incendit, ibique nepos ipsius Augusti, cum aliis pluribus, armis Gallorum interiit. Lotharius igitur Rex Hugonem Ducem Francorum, & Henricum Ducem Burgundionum conuocauit, & in hostes irruit. Fugientes verò vsque Suessionem persequi non destitit. Illi autem persequentium terrore fluminis Axonæ alueum impetuosè ingressi sunt, ibique vadum nescientes plurimi perierunt. Plures itaque aqua consumpsit, quàm gladius. Fluuius enim ripas suas impleuerat. Vnde ibidem tanti dimersione perierunt, vt aqua redundaret cadaueribus mortuorum. Lotharius autem Rex tribus diebus, totidémque noctibus hostes constanter persecutus est. Deinde in ipso anno præfatus Rex cum Imperatore Remis contra voluntatem Ducum & exercitus Francorum pacificatus est: eíque Lotharingiam, quod Francos magis contristauit, largitus est.

D ANNO ab incarnatione Domini DCCCCLXXVI.* Lotharius Rex mortuus est, 976. & Remis in Basilica beati Remigij sepultus est. LVDOVICVS verò filius eius XI. annis regno potitus est, & defunctus in Basilica sancti Cornelij Martyris Compendio sepultus est. KAROLVS autem frater eius regnare voluit, sed HVGO MAGNVS Hugonis Magni filius contra illum rebellauit, & collecto exercitu copioso, Laudunum, vbi Karolus cum vxore sua commanebat, obsedit. Tandem ille indignatus, de ciuitate cum armatis prosiluit, Hugonem cum exercitu suo certando fugauit, & mapalia eorum incendit. Cernens itaque Hugo Dux, quòd fortitudine Karolum superare non posset, consilium iniit cum ASCELINO Lauduni vetulo Præsule, & Consiliario Karoli. Porro ille ordinis sui, & ætatis, contiguæque sibi mortis immemor, Achitophel & Iudam imitatus, non erubuit fieri traditor. Noctu enim, quiescentibus cunctis, Laudunum prodidit: & Hugo Karolum cum vxore sua, HERBERTI videlicet Comitis Trecarum filia, vinxit; & Aurelianis in turre diutinæ custodiæ mancipauit. Illic Karolus duos filios LVDOVICVM, & KARO-

* *alij scribūt Lotharium obiisse an. 986. & Ludouicum eius filium vno tantū anno regnasse.*

LVM genuit: & exinde progenies Karoli magni regnare in Francia desiit. A

*l. 987. ANNO itaque Dominicæ incarnationis DCCCCXCIII. * HVGO Dux in Regem Remis vnctus est. Eodem quoque anno ROBERTVS filius eius Rex ordinatus est, & regimine regni XXXVIII. annis functus est. Ad tantum facinus Hugonem quædam visio animauit. Sanctus enim Gualaricus præfato Duci in Lutetia vrbe Parisiorum constituto apparuit, eíque quis esset, vel quid vellet, in somnis euidenter intimauit: præcipiens videlicet, vt super Arnulfum Flandritam cum exercitu expeditionem faceret, & corpus suum de Monasterio Siuthiensi, vbi corpus sancti Bertini requiescit, extraheret, & Legonao Cœnobio in Vvimacensi pago restitueret. Præterea promisit ei, si hæc ita faceret, quòd ipse & progenies eius vsque ad septimam generationem in Francia regnaret. Gratanter igitur Hugo iussioni paruit, & impetu fortitudinis suæ Arnulfum Deo volente terruit: venerabiliúmque virorum Gualarici & Richarij, quæ per quendam Clericum nomine Erchembaldum, accepto ingenti precio, sublata fuerant, corpora recepit, propriísque locis reuerenter restituit. Ipse Dux Legonaum cum Proceribus suis perrexit, glebámque sancti Gualerici in Monasterio super Sominæ flumen sito locauit; & eiectis secularibus Canonicis, regulares Monachos subrogauit. Non multo post, vt dictum est, regnum recepit, & progenies eius vsque in hodiernum diem in regno perdurauit. Quatuor enim Reges de stirpe iam regnauerunt ipsius, id est Rodbertus, Henricus, Philippus, & Ludouicus. B

HVGO Rex in initio regni sui Synodum Remis congregauit, & SEVVINVM Senonicæ vrbis Archiepiscopum cum suffraganeis suis inuitauit, atque domnum ARNVLFVM Remorum Archiepiscopum degradari fecit. Dicebat enim ex concubina natum, secundum Canones, non debere esse Episcopum. Illi nimirum inuidebat, quia de regali prosapia Karoli Magni erat, frater Lotharij Regis, sed ex concubina natus: moribus tamen inclytus, quia bonus erat & modestus. Venerabilis autem Seuuinus plus Dominum, quàm Hugonem metuit, ideóque in iniusta degradatione Arnulfi non consensit; sed magis, inquantum potuit, ipsum Regem redarguit. Vnde regius furor in illum efferbuit, & ad explendam temeritatem quam conceperat nimis exarsit. Alij verò Episcopi, licèt inuiti, Regis tamen ob metum Arnulfum degradauerunt, & GERBERTVM Monachum Philosophum, qui Magister RODBERTI Regis fuerat, ordinauerunt. Violento quippe Regis iussu depositus est Arnulfus, & cum magno dedecore de Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ Remensi expulsus, & Aurelianis in carcere tribus annis retrusus. Hæc itaque omnia Romano Præsuli nunciātur. Qui super his valde indignatus, interdixit omnes Episcopos, qui Arnulfum deiecerant, & Gerbertum in loco eius constituerant. Leonem quoque Abbatem à sede Apostolica misit in Galliam vices suas explere, & iniustas ordinationes regulariter emendare. Denique legatus Papæ Senonensem Seuuinum primò adiit, eíque, quem rigidum rectitudinis seruatorem præ ceteris nouerat, Apostolici mandata insinuauit. Iterum collecto Remis Concilio ex iussione Apostolica, Arnulfus Archipræsul reuocatus est de custodia, & cum magno honore receptus in sede propria. Altercatio Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde vtilis habetur, & in gestis Pontificum Remorum scripta diligenter seruatur. C

GERBERTVS in diuinis & secularibus libris eruditissimus fuit, & in sua Schola famosus, & sublimes discipulos habuit: Rodbertum scilicet Regem, & Leothericum Senonensem Archiepiscopum, * Remigium Præsulem Autissiodorensium, *Haimonem atque Huboldum, aliósque plurimos fulgētes in choro Sophistarum. Remigius Pontifex luculentam expositionem super Missam edidit, & artem vel editionem Donati Grammatici vtiliter exposuit. Haimo quoque sancti Pauli Apostoli Epistolas laudabiliter explanauit, & alia multa de Euangeliis, aliísque sacris Scripturis, spiritualiter tractauit. Huboldus autem Musicæ artis peritus ad laudem Creatoris in Ecclesia personuit, & de sancta Trinitate dulcem historiam cecinit: aliósque multos delectabiles cantus de Deo & Sanctis eius composuit. Hos, aliósque plures Gerbertus erudiuit, quorum multiplex sequenti tempore scientia Ecclesiæ Dei plurimùm profuit. Qui postquàm de throno Remensi, quem illicitè vsurpauerat, depositus est, cum rubore & indignatione Galliam relinquens, ad OTTO- D

* imò, Remigius & Haimo longè antiquiores Gerberto fuerunt.

A NEM Imperatorem profectus est: & tam ab ipso quàm à populo ad Præsulatum Rauennæ electus est. Indè post aliquot annos ad Sedem Apostolicam translatus est, annóque Dominicæ incarnationis DCCCCXCIX. SILVESTER Papa sublimatus est. 999.

FERTVR de illo, quòd dum Scholasticus esset, cum dæmone locutus fuerit, & quid sibi futurum immineret inquisierit. A quo protinus ambiguum monadicon audiuit.

Transit ab R. Gerbertus ad R. post Papa vigens R.

Versipellis oraculum tunc quidem ad intelligendum satis fuit obscurum, quod tamen postmodum manifestè videmus impletum. Gerbertus enim de Remensi cathedra transiuit ad Præsulatum Rauennæ, ac postmodum Papa factus est Romæ.

ANNO ab incarnatione Domini MII. * Otto Imperator obiit, eique Henricus successit. Dein MXXIV. CONO Augustus imperauit. Cuius III. anno RICHARDVS II. obiit, qui pro studio Religionis pater Monachorum appellari meruit. 1002.

B TVNC EDELREDO Edgari filio regnante, multa aduersa surrexerunt in regno Angliæ. Nam SVENVS Rex Danorum cum ingenti classe Angliam inuasit, & deficientibus ad eum Anglis, EDELREDVS Rex cum vxore & filiis in Normanniam fugit. EMMA enim vxor eius erat soror RICHARDI Gunnoridæ Ducis Normannorum, & RODBERTI Archiepiscopi Rotomagensium. Non multò pòst gentilis Rex Suenus à sancto EADMVNDO Rege & Martyre occisus est, & cadauer eius aromatibus conditum in Daciam delatum est. Daci quippe adhuc pagani erant, & ferocis heri, cuius corpus Anglica humo sepultum contineri non potuit, morte perterriti fuerant. Porro Edelredus Rex, audita morte Sueni, natale solum protinus repetiit, & dictis atque promissis suos desertores sibi conciliauit: & in rediuiuos hostes, vt sese meliùs quàm antea defenderent, animauit. CHVNVTVS autem filius Sueni contra suos valde indignatus est, quòd fugissent, & nobile regnum Angliæ iam sibi subactum muliebriter deseruissent. Denique parata classe, C cum LACMAN Rege Suauorum, & OLAVO Rege Noricorum, in Angliam trãsfretauit, & Lundoniam obsedit. Ibi tunc Edelredus Rex ægrotauit, & mortuus est: & EADMVNDVS filius eius cognomento IRNESIDE, id est Ferreum-latus, in Regem leuatus est. Plerúmque ab Anglis & Danis pugnatum est, victoriæque sorte variante, multus sanguis vtriúsque partis effusus est. Tandem industriis & solertibus viris pacem procurantibus, duo Principes necessarium populis fœdus pepigerunt. Chunutus autem Christianus factus est, & Emmam Edelredi Regis relictam cum medietate regni coniugem sortitus est. Hæc illi peperit HARDECHVNVTVM Regem Anglorum, & GVNNILDEM vxorem HENRICI Imperatoris Romanorum.

INSTIGANTE Sathana, qui lethaliter perturbare genus humanum iugiter satagit, EADMVNDVS Rex, post VII. annos, fraude crudelis Edrici Streonæ latrinis interiit: & Chunutus totam Angliam obtinuit, & vsque ad mortem possedit. EDVVARDVM verò & EADMVNDVM filios Eadmundi, elegantes alueolos, in D Daciam relegauit: & SVENO Regi Danorum fratri suo, vt eos interficeret, mandauit. At ille generosos & innocentes pueros nequiter necare contempsit, sed orta occasione Regi Hunorum illos quasi nepotes suos obsides dedit. Ibi Eadmundus olito immatura morte obiit. Eduardus verò Dei nutu filiam Regis in matrimonium accepit, & super Hunnos regnauit. EDGARVM verò, * ADELINVM, & MARGARITAM Reginam Scottorum, & Christianam Sanctimonialem genuit: quos Eduardus Edelredi Regis filius, postquam patrium ius adeptus est, accersiit, & veluti propriam prolem in Anglia benigniter educauit. *Adelmũ.

ANNO ab incarnatione Domini MXXXI. Rodbertus Rex Francorum obiit, & HENRICVS filius eius, licèt CONSTANTIA Regina, & RODBERTVS iunior frater, aliique Franci multum obstarent, auxiliante RODBERTO Duce cum robore Normannorum, Galliæ regnum obtinuit, & XXIX. annis regnauit. Anno V. regni eius, RODBERTVS Dux Normannorum in itinere Hierusalem apud Niceam Bithyniæ vrbem Kal. Iulij obiit, & GVILLELMVS nothus filius eius octennis puer in Ducatu successit, & L. annis strenuè tenuit. In pueritia verò eius Nor- 1031.

manni gemina inquietudine concitati rebellauerunt, & in sua viscera diu pugnan- A
tes, nimiam stragem nobilium & vulgarium perpetrauerunt. Nam GISLEBER-
TVS Comes Brionnæ, & Osbernus dapifer, Gualchelinus de Ferrariis, & Hugo de
Monteforti, Rogerius de Hispania, & Rodbertus de Grentemasnilio: Turchetil-
lus quoque Ducis pædagogus, aliique plures interierunt mutuis ictibus. GVIDO
etiam RAINALDI Burgundionum Ducis ex filia Richardi secundi filius, Comes
à Guillelmo Duce constitutus, in illum rebellauit: multósque Normannorum, qui
proni ad proditionem erant, promissis sollicitauit. Quibus sibi consociatis, Duca-
tum auferre Duci sategit. Vnde coactus iuuenis Dux Pexeium conuolauit, ibique
pronus ad pedes Henrici Regis corruit, & ab eo contra malefidos Proceres & co-
gnatos auxilium petiuit. At ille, vt erat clemens, desolato adolescenti compatiens,
robur exercitus Francorum exciuit, & in Neustriam Duci auxiliaturus perrexit.

1039. ANNO ab incarnatione Domini MXXXIX. CONRADVS Imperator obiit, &
HENRICVS filius eius XVII. annis regnauit. ANNO IV. Imperij eius magna
hominum mortalitas facta est.

1047. ANNO ab incarnatione Domini MXLVII. apud Valesdunas acriter pugna- B
tum est. Sed Guido violentiam Henrici Regis & Vuillelmi Ducis ferre non valens,
victus est, atque de bello cum suis non sine magno dedecore & detrimento fugere
compulsus est. His temporibus BRVNO Tullensis Episcopus legatione Lotharin-
gorum fungens Romam abiit, & in via, dum quadam nocte oraret, Angelos cantan-
tes audiuit: *Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, &c. Bruno au-
tem ad Papam Damasum perueniens, honorificè ab eo sepultus est, & in Senatu
Romano Cardinalis Episcopus ordinatus est. Erat enim pulcher & generosus, sa-
piens & facundus, & multis ornatus virtutibus. Eodem anno Damasus Papa defun-
ctus est, & Bruno in LEONEM Papam electus est; qui sanctorum scita Canonum
passim restituere conatus est, quæ iam transactis temporibus supradictorum Regum
& Pontificum nimis deciderant, & penè à notitia hominum defluxerant. Ipse
1050. igitur anno Domini ML. Remis vtile Concilium tenuit, & de castitate iustitiáque
ministrorum Dei tractauit: & salubria decreta, quæ iam Antistites & Presbyteri
nesciebant, renouauit. Tunc Ecclesiam sancti Remigij Remorum Archiepiscopi C
Kal. Octobris, HERIMARO Abbate procurante, dedicauit, & corpus eiusdem
Præsulis transtulit: cuius solemnitas singulis annis primo die Octobris in Francia
celeberrimè fit.

SEQVENTI anno VTICENSE Cœnobium sancti Ebrulfi à GVILLELMO
Geroij filio, & nepotibus suis, Hugone de Grentemontisnilio, & Rodberto fratre
eius, restauratum est: & venerabilis THEODERICVS Gemmeticensis Mona-
chus primus Abbas effectus est.

HIS temporibus grauis simultas & belli seminarium inter Regem Francorum
& Ducem Normannorum ortum est. Guillelmus enim de Archis patruus Ducis
contra eum rebellauit, consilióque MALGERII fratris sui, Rotomagensium Ar-
chiepiscopi, Henricum Regem ad sui auxilium inuitauit. Animosus autem Dux
protinus Archas obsedit, ENGELRANNVM Comitem Pontiui contra eum in op-
pidum intrare volentem præueniens occidit, & munitione obtenta Guillelmum
exhæredauit, & Malgerium incentorem dissensionum exordinari fecit. Vnde Rex D
1054. Galliæ nimis indignatus infremuit, annóque Domini MLIV. in Ebroicensem pa-
gum cum magno exercitu introiuit, & ODONEM fratrem suum cum multis mi-
litum turmis per Beluacensem pagum trans Sequanam destinauit. Porrò, Dux cum
valida manu Regi è latere comitabatur, & Caletorum cateruam sub manu RO-
BERTI Aucensis Comitis, & Rogerij de Mortuo-mari contra Odonem præmise-
rat. Protinus illi Gallis occurrentes, apud Mortuum-mare bellum commiserunt, &
magna cæde vtrinque peracta Franci fugerunt: & GVIDONE Pontiui Comite,
qui mortem fratris sui venerat vlcisci, capto, gaudentes Normanni suam victoriam
Duci notificauerunt. Audiens autem Rex suos terga dedisse Normannis, erubuit,
subitóque mœstus ad sua remeauit. Deinde, post aliquod tempus legitimi pacis pro-
curatores inter discordes Dominos discurrerunt: & reddito Guidone, cum aliis, qui
capti fuerant, præfati Principes fœdera pepigerunt, subiectæque plebes admodum
gauisæ fuerunt.

ANNO

A ANNO ab incarnatione Domini MLX. Henricus Francorum Rex mortuus est, 1060.
& PHILIPPVS filius eius XLVII. annis post eum sceptro Galliæ potitus est. Anno regni eius VI. Eduardus Edelredi filius Rex Anglorum è vita migrauit. Post quem HARALDVS Goduini filius Angliæ diadema inuasit. Sequenti anno Cometes apparuit. Guillelmus autem Dux Normannorum in Autumno mare transiuit, commissóque prælio II. Idus Octobris Heraldum occidit, regnum obtinuit, & in die Natalis Domini regale sceptrum sumpsit, annísque XX. & VIII. mensibus tenuit. Sancta Ecclesia eius temporibus creuit & magnificata est, & religiosis viris bonísque rectoribus educata est. Maurilius enim, & Ioannes, atque Guillelmus metropoli præfuerunt Rotomagensi: Lanfrancus Cantuariensi, & Thomas Eboracensi, aliísque religiosis Cœnobiis & Episcopatibus præpositi fuerunt patres & magistri.

ANNO ab incarnatione Domini MLXXXVII. Guillelmus Rex obiit, & GVILLELMVS RVFVS filius eius XII. annis, & X. mensibus regnauit. 1087.

HIS temporibus MXCV. anno, VRBANVS Papa frequens Concilium apud 1095.
Clarum-montem tenuit, & iter in Hierusalem contra Paganos inire Christianos
B commonuit. Siccitas, & fames, & mortalitas hominum tunc fuerunt.

ANNO ab incarnatione Domini MXCIX. Hierusalem, gentibus victis, qui 1099.
eam diu tenuerant, à sanctis peregrinis capta est. Tunc Vrbanus Papa obiit, & Paschalis successit.

SEQVENTI anno Guillelmus rufus Rex Anglorum in venatione sagitta percussus obiit. Cui HENRICVS frater eius successit, & XXXV. annis, ac IIII. mensibus regnauit. Hic VII. anno regni sui bellum apud Tenerchebraicum fecit, quo ROBERTVM fratrem suum, Ducem Normannorum cepit, & Ducatum sibi subiugauit. Tunc Henricus Imperator VII. Idus Augusti obiit, & KAROLVS-HENRICVS filius eius successit. Deinde tertio anno Philippus Rex Francorum mortuus est, & LVDOVICVS-TEDBALDVS successit, & XXIX. annis iam regnauit. Sequenti anno Anselmus Cantuariensis Archie-
C piscopus, & Hugo Cluniacensis Abbas è vita migrauerunt. Quos paulò post Guillelmus Rotomagensis Archiepiscopus moriendo secutus est. His tribus annis ingens in Gallia fames facta est, & igne sacro cruciante multitudo populi debilitata est.

ANNO ab incarnatione Domini MCXVIII. ventus in Occiduis partibus vigi- 1118.
liâ Natalis Domini vehemens fuit, & ædificia plurima nemorúmque arbores prostrauit. Sequenti anno bellum inter Henricum Regem Angliæ, & Ludouicum Regem Franciæ, XIII. Kal. Septembris Brennualæ factum est, de quo triumphantibus Anglis & Normannis exercitus Gallorum fugatus est. Eodem verò anno CALIXTVS II. Papa maximam Synodum Episcoporum Remis tenuit, & pacificare dissidentes summoperè laborauit. Concordia tandem inter Reges facta, dum Rex Angliæ in regnum suum rediret, GVILLELMNS & RICHARDVS filij eius, cum magna multitudine nobilium multarum regionum, VII. Kal. Decembris naufragio perierunt.

D ANNO Domini MCXXIII. Indictione I. rebellantibus quibusdam Norman- 1123.
nis, AMALRICO Ebroicensi, & GVALERICO * Mellentensi, & eorum com- * Gualeranno.
plicibus, Henricus Rex oppida eorum, Mont-fortem, Brionnam, & Pontem Aldemari, obsedit, combussit, & cepit. Post plurima damna GVALERANNVS Comes cum LXXX. militibus bello captus est, & in carcere Henrici Regis, à quo enutritus fuerat, & contra quem insolenter arma leuauerat, V. annis vinctus est.

ANNO Domini MCXXV. multorum Principum mutatio facta est. Karolus- 1125.
Henricus V. Imperator obiit, & LOTHARIVS Saxonum Dux in Imperio successit. Tunc etiam egregij Duces, GVILLELMVS Pictauensis, & GVILLELMVS Apuliensis obierunt. Deinde tertio anno KAROLVS Flandriæ Dux, in Ecclesia orans ad Missam, Kal. Martij occisus est. Eique GVILLELMVS Roberti Ducis Normannorum filius successit, qui sequenti anno apud Aloft peremptus est. Tunc GERMVNDVS Patriarcha Hierosolymitanus, atque Goiffredus Rothomagensis Archiepiscopus, obierunt.

1130. ANNO ab incarnatione Domini MCXXX. BALDVINVS II. Rex Hierusalem XVIII. Kal. Septembris obiit. Cui FVLCO Andegauorum Comes gener eius successit. Secundo anno Romæ HONORIVS Papa mortuus est, & mox in Ecclesia nimium schisma exortum est. Nam à quibusdam noctu Gregorius Diaconus Papiæ natus in Papam electus est, & Innocentius nominatus est: quem Ecclesia in Occidentis partibus constituta suscepit, & secuta est. Tertia verò die ab aliis Petrus Leonis filius intronizatus est, & Anacletus appellatus est. Hic, quia fratribus & cognatis potentibus amicis admodum stipatus est, iam VII. annis vrbem Romam, & redditus ac dominia Papæ efficaciter nactus est; ipsúmque Apulia, cum Sicilia, & magno climate mundi, secuta est. A

1136. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVI. Indictione XIV. Henricus Rex Anglorum, & Dux Normannorum, pacis & iustitiæ strenuus amator, & fidelis Dei cultor, inermis populi protector, Ecclesiæque sanctæ feruidus defensor, in castro Leonis Kal. Decembris defunctus est: & corpus eius aromatibus condîtum in Angliam deuectum est, & Radingis in Basilica sanctæ Trinitatis, quam ipse Monachis coustruxerat, sepultum est. STEPHANVS autem ex sorore HADALIA nepos eius in regno successit. Iámque sextum regni annum peragit, in quo graues casus, multos dolores, & multis detrimenta parientes attulit. Nam contra consules sibi rebelles Ancoliæ pugnauit, & victus est, captus, & in carcere Rodberti Brihidou mœrens vinctus est. B

1138. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVIII. Petrus Anacletus subitò mortuus est. Lotharius autem Imperator, dum de subiugata sibi Apûlia rediret, obiit: eique CONRADVS Karoli-Henrici Imperatoris nepos successit. ROGERIVS verò Rex Siciliæ pedetentim secutus Apuliam intrauit, mortuóque RANNVLFO probissimo Duce, cui Papa, & Augustus contra eum regionem commiserant, ablatas sibi vrbes fortiter reobtinuit. Innocentium Papam, qui nuper eum publicè anathematizauerat, per ROGERIVM filium suum comprehendit, & pro libitu suo pacem cum illo fecit. Denique ab inuito modestóque Papa regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ recepit: & absolutus ab illo, Rogerium filium suum Ducem Apuliæ constituit. C

VESTIGIA maiorum prosecutus, Chronographiam scribere tentaui. Iámque in primo ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ Libro lineam narrationis ab incarnatione Saluatoris inchoauit, & per seriem Imperatorum & Regum vsque in hodiernum diem perduxi, quo IOANNES Augustus ALEXII filius præest Constantinopoli, LOTHARIVS verò dominatur Alemannis, LVDOVICVS Francis, STEPHANVS Anglis, & REMIGIVS Monachus Hispanis. Nunc autem in secundo, auxiliante Deo, de sanctis Apostolis, & Apostolicis viris à priscis Doctoribus edita, & ab antigraphis scripta considero; & eorum gesta breuiter congerere appeto, prout diuini spiritus mihimet intimauerit inspiratio. De Pontificibus Romanis, & eorum in vinea Sabaoth cooperatoribus libet seriem diligenter perscrutari; & veraci stylo sociis id à me poscentibus profari, Antistes nempe Romani à beatissimo PETRO, cui primitus dictum est à Domino IESV CHRISTO, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, vsque ad INNOCENTIVM Papam, qui præest hodie Apostolicæ Sedi, CXI. computantur. De his omnibus, quorum in Gestis Pontificum inserta est mentio, in sequenti Libro aliquid propalare peropto.

A

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI, ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER SECVNDVS.

B SALVTIFERAM humano generi visitationem ; quando temporis plenitudo venit, cœlestis gratia, vt ante mundi constitutionem præuiderat, clementer exhibuit; & circa nouissimam seculi horam radiis nouæ lucis tenebrosa mortalium corda illuminauit. Saluator enim noster IESVS CHRISTVS, vt altisona sancti vox Euangelij nos veraciter instruit, XV. Imperij Tiberij Cæsaris anno in Iordane baptismum à Ioanne suscepit, & tribus semis annis euidentibus signis & prodigiis verus sol emicuit; suámque deitatem, qua Patri, sanctóque Spiritui coæqualis, & consubstantialis, atque coæternus est, mundo demonstrauit. Deinde XXXIII. ætatis suæ anno passionem in cruce hominum pro remedio clementer pertulit, & destructa morte, qua genus humanum vinculo iustæ damnationis irretitum quinque milibus annorum tenuerat, infernum spoliauit: deuictóque sathana serpente antiquo, victor à mortuis tertia die resurrexit. Denique XL. die postquàm suos manifestis ostensionibus suæ resurrectionis veros testes confirmauit, & cunctis euangelizare gentibus cum signorum executione præcepit; Discipulos foras in Bethaniam eduxit, eísque in monte Oli-C ueti stans benedixit, & intuentibus illis atque gratulantibus, in cœlos ascendit. Post decem verò dies, ieiunantibus amicis, & in vnum orantibus, Spiritum paraclitum misit; eósque vt promiserat, vnctione interna de omnibus in momento docuit, & omnium abundantiâ charismatum feliciter illustrauit, contra cunctos aduersantium impetus corroborauit, & inuincibiles athletas, omniúmque didascalos gentium effecit.

LVCAS natione Syrus, arte medicus, Christi fidelis discipulus, Spiritus sancti gratiâ repletus, postquàm Euangelium scripsit Græcis fidelibus, insigne volumen Theophilo adiecit de Apostolorum Actibus. Theophilus quippe interpretatur Deum diligens, quo designatur omnis studiosus & intelligens, & in diuinæ legis meditatione iugi feruens. Ad quem sermo Dei iure dirigitur, & à quo idem viuaciter percipitur, glutinóque dilectionis veræ tenaciter retinetur. Illi nimirum Euangelium, id est bonum nuncium, meritò insinuatur, & inuictorum triumphus Apostolorum Martyrúmque recensetur; quia huiusmodi secretis cælestibus interesse D dignus habetur.

FACVNDVS quoque ARATOR Romanæ Sedis Subdiaconus narrationem Lucæ sequi studuit, & indè specialem versificandi materiam sumpsit, atque VIGILIO Papæ carmen metrica sonoritate pulchrum edidit, in quo nobile sui sediminis monimentum posteritati futuræ reliquit. Tantos talésque præuios intueri nitor, ac vt claudus pedetentim gradiens celerrimos cursores à longè vix insequor. De materia tamen illorum in prima fronte inchoandum mihi est, cui de Apostolis, & eorum beatis commilitonibus fandi voluntas inest.

LVCVLENTA Lucas refert narratione, quòd in die sancto Pentecostes Apostoli Spiritu sancto repleti sunt, & variis gentium linguis magnalia Dei, stupentibus Iudæis, qui de diuersis nationibus conuenerant, locuti sunt. Æmulis siquidem inuidentibus, & præ inuidia musitantibus, *quia musto pleni sunt isti*: PETRVS ardore inflammatus fidei, stans cum vndecim sociis, vocem suam eleuauit, de aduentu Spiritus paracliti longè antè per Prophetam Ioël prædicto consequenter

Ii ij

A

disseruit: & de IESV NAZARENO, quem Deus Pater virtutibus, & signis atque prodigiis declarauit', & à mortuis post passionem crucis tertia die resuscitauit, probabilibus exemplis Psalmistæ prolatis veracissimam assertionem disseminauit. Iudæi ergo corde compuncti sunt, & salubriter recepto sermone baptizati sunt: animæque credentium in illa die *** vocem ad Dominũ vnanimiter leuauerunt, & ardore diuino inflãmati specialem Deóque gratã orationem fuderunt. Et cùm orassent, motus est locus in quo consistebant, omnésque Spiritu sancto repleti sunt, & retibus sacræ prædicationis multos de profunditate errorum ad fidei iustitiæque lumen attraxerunt.

* *Hic addenda sunt, quæ in fine huius libri sub hac nota reperientur.* ***.

MVLTITVDINIS credentium erat cor vnum, & anima vna. Nihil proprium aliquis possidebat, neque quisquam inter illos egens erat. Omnia illis erant communia. Possessores domorum aut agrorum vendebant, & ante pedes Apostolorum precia eorum ponebant. Diuidebantur autem singulis, prout cuique opus erat. Primitus in Hierusalem ordinata sic effulsit concio, cuius tota cælis semper flagrabat intentio. Hunc conuentum tam iocundum dedicauit diua benedictio, & bonorum inde morum nobis alma manauit institutio. Ioseph ab Apostolis cognominatus BARNABAS, id est filius consolationis, Leuites, Ciprius genere, promptus ad opus bonum, cùm haberet agrum vendidit illum, attulit precium, & ante pedes posuit Apostolorum. Ananias autem agrum vendidit, & conscia vxore sua nomine Saphira, de precio agri fraudauit: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Vt Petrus fraudem per Spiritum sanctum cognouit, fraudulentum de mendacio increpauit. Qui mox vt Apostoli redargutionem audiuit, cecidit, & expirauit. Et post spacium quasi trium horarum, vxor eius nesciens quod factum fuerat ingressa est: & à Petro interrogata de precio agri, mentita est. Ipsa quoque ab Apostolo increpata, confestim ante pedes eius corruit, & mortua est. Timor itaque magnus in vniuersam Ecclesiam, & in omnes qui audierunt hæc, factus est.

B

C

PER manus Apostolorum multa in plebe signa & prodigia fiebant, & omnes in porticu Salomonis vnanimiter erant. Ceterorum autem nemo illis se coniungere audebat, sed populus eos magnificabat. Magis augebatur credentium in populo multitudo, virorum, ac mulierum. In plateis infirmi ponebantur in lectulis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quémque illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Vicinarum quoque ciuitatum multitudo in Hierusalem ad Apostolos concurrebat: ægros, & dæmoniacos afferebat, & cunctis optata salus proueniebat.

PRINCEPS Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, zelo repleti sunt: manus in Apostolos iniecerunt, & in custodia illos publica posuerunt. Angelus autem Domini per noctem ianuas carceris aperuit, & educens eos dixit: *Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Porro illi diluculo in templum intrauerunt, & verbum Dei cum fiducia locuti sunt. Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant, Concilium conuocauerunt, ac ad carcerem vt adducerentur miserunt. Missi verò carcerem quidem cum omni diligentia clausum, sed neminem intus inuenerunt. Tandem auditum est, quòd qui quærebantur in templo docerent. Tunc Magistratus cum ministris illos sine vi adduxit. Timebant enim populum, ne lapidarentur. Princeps Sacerdotum statutos in Concilio redarguit, quod contraria sibi doctrinâ replessent Hierusalem contra generale decretum seniorum. Apostoli ergo responderunt: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc Dominus Principem & Saluatorem exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israël, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes horum verborum; & Spiritus sanctus, quem dedit Dominus omnibus obedientibus sibi.* Hæc cùm audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.

D

TVNC GAMALIEL Pharisæus, & legis Doctor honorabilis vniuersæ plebi, in Concilio surrexit, & remotis Apostolis, subuenire illis volens palam recensuit, qualiter ante paucos dies Theodas cum cccc. cõplicibus in nihilum redactus fuerit: IVDAS quoque Galilæus cum suis, qui populũ auertebant post se in diebus professionis perierit. Tãdem prolatis huiusmodi exemplis, dixit: *Nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus concilium hoc, aut opus, dissoluetur. Si verò ex* Deo *est, non poteritis dissoluere eos, ne fortè & Deo repugnare videamini.*

A His auditis, illi consenserunt, & Apostolos conuocantes cæsis denunciauerunt, ne loquerentur in nomine Iesu, eósque dimiserunt. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati. Omni autem die in templo & circa domos non cessabant, docentes & euangelizantes Christum Iesum.

In diebus illis, crescente numero Discipulorum, factum est contra Hebræos murmur Græcorum, quòd despicerentur in ministerio cotidiano viduæ eorum. Vnde conuocantes XII. multitudinem Discipulorum dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos autem orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Cunctis hoc annuentibus, elegerunt STEPHANVM, virum fide & Spiritu sancto plenum, PHILIPPVM, & PROCORVM, NICANOREM, & TIMOTHEVM, PARMENEM, & NICOLAVM aduenam Antiochenum. Hos ante conspectum Apostolorum statuerunt, & orantes eis manus imposuerunt. In Hierusalem Discipulorum numerus valde multiplicabatur, multa etiam turba sacerdotum fidei obsequebatur.

B

STEPHANVS plenus gratiâ & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Inuidentes ergo Iudæi in illum surrexerunt; & disputantes cum eo, sapientiæ & spiritui, qui loquebatur, resistere non potuerunt. Tunc falsos testes, qui dicerent se audisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysem & Dominum, summiserunt: & plebem, ac seniores, atque Scribas commouerunt. Deinde concurrentes, eum rapuerunt, & in Concilio statutum accusauerunt. Omnes autem, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. Interrogatus à Principe Sacerdotum eloquenter respondit, & antiqua patrum gesta prudenter intrepidus explicauit. Nam de Abraham & Moyse, aliisque Patriarchis idoneā laudationem extulit, magnarúmque rerum narrationem breuiloquio conclusit. Denique incredulos & contemptores redarguit, duros & incircumcisos cordibus & auribus palam appellauit, qui Spiritui sancto semper restiterunt, & Prophetas persecuti sunt. Audientes hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebāt dentibus in eum.

C Cùm autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & ait: *Ecce video cælos apertos, & Hierusalem stantem à dextris Dei.* Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum: & eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Testes verò vestimenta sua secus pedes Sauli adolescentis deposuerunt, & Stephanum lapidauerunt, inuocantem & dicentem: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum.* Positis autem genibus, clamauit voce magna: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Hoc itaque secundo Dominicæ Ascensionis anno, XII. Kal Ianuarij factum est.

PORRO viri timorati corpus protomartyris in villam Gamalielis, quæ Caphargamala dicitur, portauerunt, & super illum planctum magnum fecerunt, ibique reuerenter sepelierunt. Cum quo postmodum Nichodemus, Gamaliel, & Abibas tumulati sunt. Illic tantus thesaurus plus quàm CCC. annis delituit, donec illum LVCIANVS Presbyter reuelante Deo inuenit: & IOANNES Hierosolymitanus Præsul VII. Honorij Imperatoris anno in Hierusalem transtulit.

LAPIDATO Stephano, in Ecclesia, quæ erat Hierusalem, magna perse-
D cutio facta est, & omnes, præter Apostolos, per regiones Iudææ & Samariæ dispersi sunt. In ipsa tamen dispersione Spiritu sancto corroborati plurima loca pertransibant, & verbum Dei euangelizabant. Tunc Philippus in Samaria Christum prædicauit, & multa signa, paralyticis, & claudis, ac dæmoniacis in nomine Christi curatis, auditoribus suis ostendit. Samaritani vnanimiter his, quæ à Philippo dicebantur, intendebant, & cum alacritate magna fidem veram suscipiebant. Tunc Simon Magus, qui Samaritanos iam olim seduxerat, diuque Magicis suis eos dementauerat, vnde à deceptis magnus putabatur, & magna Dei Virtus vocabatur; Philippo euangelizanti de regno Dei credidit, & cum aliis viris atque mulieribus in nomine Iesu Christi baptizatus, Philippo adhæsit. Signa enim & virtutes maximas fieri videbat, & indè pro insolitis admirans stupebat.

APOSTOLI autem, qui erant Hierosolymis, cùm audissent quia recepit Samaria

verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum. Tunc manus super baptizatos imponebant, & ipsi Spiritum sanctum accipiebant. Hinc Ecclesiastica processit institutio, vt post baptisma, quod catechumenis per ministerium datur Sacerdotis, impositio manus Pontificis cum oratione fiat, ac vnctione charismatis: & sic integra confirmatio fit per septiformem gratiam sancti Spiritus baptizatis. A

CVM vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Petrus autem dixit ad eum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Dominum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Simon autem Apostoli dicta paruipendens, recessit; & apostata factus, innumeris sceleribus iram Domini diu exacerbauit. Apostoli verò locuti verbum Domini Hierosolymam redibant, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. B

ANGELO Dei præcipiente, PHILIPPVS CANDACI Eunucho, qui super omnes gazas Reginæ Æthiopum erat, reuertenti de Hierusalem occurrit, & super currum cum illo ascendit: atque Isaiam, quem legebat, Prophetam explicare cœpit, & à vaticinio de occisione agni mansueti incipiens, IESVM illi euangelizauit. Ipse verò gaudens audiuit, diligenter intellexit, libenter credidit, & inuenta aquâ baptizatus est: & in patriam suam cum gaudio, pro sacræ regenerationis innouatione regressus est. Spiritus autem Domini Philippum rapuit, & de Arato vsque in Cæsaream ciuitatibus cunctis euangelizauit.

SAVLVS adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, petiit à Principe Sacerdotum Epistolas in Damascum ad Synagogas, vt Ecclesiam Domini deuastaret, & viros ac mulieres de Nazarenorum secta vinciret, & Hierusalem perduceret. Cùm appropinquaret Damasco, circumfulsit eum lux de cœlo. Et cadens in terram, audiuit Dominum increpantem se, & correctus est: & sibi, multísque aliis vtiliter immutatus est. A sociis, qui comitabantur, qui Dominum quidem cum illo loquentem audierunt, sed neminem viderunt; per manum tractus in Damascum, tribus diebus non vidit, nec manducauit, neque bibit. Ananias à Domino missus Saulo manus imposuit, confortauit, illuminauit, ac baptizauit. Sic mirabili modo de lupo & persecutore sæuo fit agnus & aries fortissimus, vas electionis, & Doctor gentium. Continuo ingressus in Synagogas, prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei: stupentibus cunctis, qui pertinaciam eius antea nouerant, dum paternarum traditionum ampliùs æmulator existeret. C

SAVLVS multò magis conualescebat, & Iudæos, qui Damasci habitabant, confundebat. Ingens igitur odium contra illum pro testimonio fideli concitatum est, & post aliquod tempus à Iudæis vt interficeretur, summoperè quæsitus est: portísque Damasci custodia, ne effugeret, nocte diéque deputata est. Discipuli autem, quia hostiles insidiæ Saulo nocte factæ sunt, inimicis frustra insidiantibus, eum nocte per murum in porta summiserunt. In Hierusalem cùm venisset, iungere se Discipulis tentabat: sed omnes timebant eum, non credentes quia Discipulus esset. Barnabas verò illum apprehendit, ad Discipulos duxit; & quomodo in via vidisset Dominum, & cetera quæ contigerant ei narrauit. Illis itaque Deo gratias agentibus fideliter adhæsit, & cum illis intrans & exiens, in nomine Domini Iesu fiducialiter egit. Cum Græcis disputabat, & Iudæos reuincebat: Deóque adminiculante, omnibus eminebat. Inuidentes ergò sublimiori, perimere Saulum victi conati sunt. Quod fratres cognoscentes, eum Cæsaream deduxerunt, & Tharsum dimiserunt. Ecclesia quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam pacem habebat. Ambulans in timore Domini ædificabatur, & consolatione Spiritus sancti replebatur, atque credentium multitudo augebatur. D

PETRVS Apostolus ÆNEAM paralyticum ab annis octo iacentem in grabato Liddæ sanauit. Omnes verò habitatores Liddæ & Saronæ, qui hoc viderunt, ad Dominum conuersi sunt. In Ioppe Tabita operibus bonis & eleemosynis plena defuncta est, & à fratribus in cœnaculo posita est. Discipuli audientes, quia Petrus es-

A set Ioppæ, quæ vicina erat Liddæ, duos ad eum viros miserunt, ac vt ad eos veniret rogauerunt. At ille mox vt legationem fratrum audiuit, humiliter obediuit. Adueniente Petro, circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendebant illi tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, ponens Petrus genua sua orauit, & conuersus ad corpus dixit: *Tabita surge.* At illa oculos suos aperuit, & viso Petro resedit. Dánsque illi manum, erexit eam, & sanctis viduis assignauit eam viuam. Hoc diuulgato per vniuersam Ioppem miraculo, multi crediderunt in Domino.

CORNELIVS in Cæsarea, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, vir religiosus ac timēs Deum cum omni domo sua, multis intentus erat eleemosynis & orationibus pro salute perpetua. Is vidit in visu manifestè, quasi hora nona diei Angelum Dei: quem intuens, timore correptus ab illo audiuit: *Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Deinde præcepit, vt Simonem Petrum accerseret, à quo consilium salubre audiret. At ille iubenti mox paruit, & tres viros ad Petrum misit. Postera die, illis appropinquantibus ciuitati, Petrus circa horam

B sextam ascendit in superiora, vt oraret. Cúmque esuriret, & supernis inhiaret, cœlum in excessu mentis apertum vidit, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: *Surge Petre, occide, & manduca.* Petrus autē ait: *Absit Domine, quia nūquam manducaui cōmune & immundum.* Et vox iterum secundò ad eum: *Quæ Dominus purificauit ne tu commune dixeris.* Hoc autem ter factum est, & statim vas in cœlum receptum est. Hac nimirum reuelatione Petro gentium conuersio diuinitus insinuata est, quæ per quatuor mundi climata in omni lingua & tribu facta est: & à Deo, ne quemlibet conuerti volentem respueret, euidenter edoctus est. Securus ergo & gaudens nuncios Cornelij hospitio in domo Simonis Coriarij suscepit, & cum illis sequenti die in Cæsaream Palæstinæ perrexit. Illuc ingressus, Cornelium & cognatos eius cum necessariis amicis inuenit: & rogatus ab eis, qui ad audiendum & obediendum parati erant, verbum vitæ loqui, piè obtemperauit.

C APERIENS igitur Petrus os suum, dixit: *In veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit filiis Israël, annuncians pacem per Iesum Christum. Hic est omnium Dominus.* Cúmque Petrus hæc & alia plura de aduentu Saluatoris & perenni vita prædicaret, multúmque sitientibus de fonte cœlestis doctrinæ pocula vitæ propinaret: Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, cecidit, & scientiam linguarum illis repente contulit. Petrus autem, obstupentibus iis, qui cum eo ex circumcisione venerant, baptizauit Cornelium, & omnes qui cum eo crediderant.

IDEM postquam ab illustribus neophytis rogatus aliquot diebus Cæsareæ mansit, confirmatis illis Hierusalem ascendit, & co-Apostolis suis conuersionem gentium enarrauit. Tunc quidam ex circumcisione contra illum disceptabant, dicentes: *Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Petrus autem seriatim explanare cœpit, quomodo ieiunus Ioppe orauerit, ibique in extasi visionem viderit, qua Deus illi vocationem & conuersionem gentium suámque opitulationem demonstrauerit; & reliqua, quæ contigerint, sincera narratione manifestauit.

D His auditis, tacuerunt; & quia fraterna charitate feruebant, lætati sunt: Dominúmque, qui gentes etiam per pœnitentiam saluat, glorificauerunt. Cyprij quoque, & Cyrenæi fideles, aliíque qui in tribulatione sub Stephano facta dispersi fuerunt, vsque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam perambulauerunt, & solis Iudæis verbum fidei locuti sunt. Porro ingressi Antiochiam, Græcis annunciauerunt Dominum Iesum: multúsque numerus credentium conuersus est ad Dominum. Hæc audiens Ecclesia, quæ Hierosolymis erat, in Domino exultauit, & Barnabam virum bonum, sanctóque Spiritu & fide plenum misit. Qui cùm venisset, & gratiam Dei vidisset, gauisus est. Confortatis omnibus, Tharsum, vt quæreret Saulum, profectus est. Inde simul ambo Antiochiam venerunt, & annum totum in Ecclesia conuersati sunt, turbámque multam docuerunt: ibique Discipuli primùm CHRISTIANI cognominati sunt.

TVNC AGABVS vates, vnus ex his, qui de Hierosolymis venerant, Prophetis,

magnam famem futuram diuinis præsagabat oraculis. SAVLVS verò & BARNABAS cum ministerio à fratribus collato, quod sanctorum vsibus deseruiret, Hierosolymis destinantur. Interea Tyberius Augustus duobus & viginti circiter annis regnauit. Cuius Imperij XVIII. anno, vt fidelis notitia veraciter asserit, Dominus noster IESVS CHRISTVS passus est, & resurrexit, & multa mirabilia ineffabili modo fecit, quæ iam longè latéque peruulgata PILATVS Tyberio retulit: & quòd pro innumeris magnalibus in eius nomine peractis à quamplurimis iam Dominus esse crederetur, adiecit. Tyberius quæ compererat Senatui retulit. Senatus autem Christum spreuisse dicitur, vt Tertullianus in Apologetico suo scribit: pro eo quòd huius rei iudicium non sibi priùs delatum fuerit, sed auctoritatem suam vulgi sententiâ præuenerit. Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto & sententiâ confirmatus. Porrò, vt Cæsariensis Eusebius in secundo Ecclesiasticæ Historiæ Libro asserit, hoc erat pro vero quod agebatur: ne diuina virtus humanis assertoribus indigere putaretur. Cúmque secundum ea, quæ suprà diximus, renuisset Senatus, Tyberius tamen tenuit sententiam suam, ne quis aduersus doctrinam Christi contrarium moliretur. Quod profectò diuina prudentia ita tunc Cæsaris sensibus ingessit, vt absque vllo obstaculo in ipsis dumtaxat initiis Euangelij sermo vsquequáque percurreret. Vndè & factum est, vt repente quasi cælitus lumen ostensum, aut radius solis erumpens, totum orbem claritate superni luminis illustraret, vt compleretur & illa Prophetia, quæ dixerat: *In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ.* Ex quo per omnes ciuitates ac vicos immensæ multitudinis, velut messium tempore frumenta ad areas, ita ad Ecclesias populi congregabantur. Quicumque illi à parentibus traditæ sibi morbidæ superstitionis vinculis tenebantur, per doctrinam Christi simul, & virtutum miracula, quæ fieri videbant, percepta verbi Dei notitia tanquam à tyrannicis Dominis liberati, ad vnum verum Deum & Dominum, creatorémque suum, vetusti erroris pœnitentes, fideli cum confessione veniebant.

DEFVNCTO Tyberio, GAIVS CALIGOLA imperium suscepit, & IIII. annis nec integris vsurpauit. Hic Iudæorum Principatum Herodi Agrippæ Aristoboli filio tradidit, simúlque Philippi & Lisaniæ Tetrarchias contulit. Herodis quoque paulò post addidit. Ipsum verò Herodem, qui Ioannis Baptistæ necis auctor extiterat, vel in passione Domini subsannator interfuerat, multis excruciatum modis æterno in Hispania exilio damnauit, vt Iosephus Hebræorum nobilis Historiographus scribit.

TVNC Philo Iudæus scriptorum insignissimus, in Græcorum Philosophia inter primos primus, peritiæ suæ posteris clara monimenta reliquit, & inter reliqua quæ scripsit, de acerbitate Gaij & insania asserit, quòd in tantum superbiæ elatus sit, vt Dominum se appellari voluerit, & sancta Iudæorum loca idolis profanauerit. Iudæi etiam pro piaculis, quæ in Christum ausi sunt, nimias clades & tribulationes pertulerunt, sicuti prædicti Sophistæ Philo & Iosephus suis in scriptis referunt. Nam ex admissi sacrilegij tempore numquam ab eis seditionum furor, numquam bella mortésque cessarunt: vsquequò vltimum exitiabile malum temporibus Vespasianæ obsidionis eos inclusit. Pilatus, qui XII. Tyberij Cæsaris anno Procurator Iudææ factus fuerat, & sententiam damnationis in Christum dixerat, irrogante Gaio tantos angores subiit, vt propria manu se peremerit. Mathæus in Iudæa prædicans, Euangelium Hebræo sermone scripsit.

INTEREMPTO Gaio Cæsare, CLAVDIVS XIII. annis & VIII. mensibus regnauit. Sub quo fames satis dira vniuersum orbem terræ obtinuit, sicut Lucas Agabum Prophetam denunciasse describit.

IN illo tempore, quod sub Claudio fuit, cùm fames erat, HERODES Rex manus suas immisit affligere aliquos de Ecclesia. Tunc IACOBVS Zebedæi filius, Domini nostri Iesu Christi Apostolus, omnem Iudæam & Samariam visitabat, & multa signa in Christi virtute faciebat, in Synagogis contra incredulos disputabat, sanctásque Scripturas explanabat: ostendens omnia, quæ à Prophetis sunt prædicta, in Domino Iesu Christo esse completa.

HERMOGENES Magus, audita virtutum eius famâ, inuidit: ac ad eum explorandi causa Filetum discipulum suum destinauit. Veniens autem Filetus cum ali-

A quantis Phariseis conatus est Iacobo resistere, & prædicationem eius de Domino Iesu Christo suis obiectionibus conquassare. Apostolus verò in Spiritu sancto confidenter egit, omnes aduersarij assertiones euacuauit, eique ex diuinis Scripturis IESVM NAZARENVM esse verum filium Dei ostendit. Reuersus ad Hermogenem Filetus, summoperè cœpit Iacobum laudare, allegationes eius de vera fide fideliter approbare, ipsumq; insuperabilem extollere, & multa quæ viderat vel audierat miracula publicare. Denique Magistrum commonuit, vt ambo ad ipsum continuò irent, & ab eo indulgentiam postularent, eiúsque Discipuli fierent. Hermogenes igitur zelo repletus Filetum ita vinxit, vt mouere se non posset. Apostolus verò, vt hoc per puerum Fileti agnouit, sudarium suum illi direxit, ac vt indè in nomine Domini tangeretur præcepit. Quo facto, mox à vinculo Magi resolutus ad Iacobum cucurrit, dæmonicísque maleficiis tripudians insultauit. Magus autem nimium dolens, arte nefaria dæmones excitauit: eísque, vt Iacobum & Filetum vinctos sibi adducerent, iussit. Illi verò venientes in aëre cœperunt vlulare, & horribi-
B liter conqueri, quòd igneis ibidem catenis religati, cruciarentur ab Angelo Dei. Tandem Apostoli iussu absoluti sunt, & versa vice ad Hermogenem redierunt, eique de retibus à tergo manus ligauerunt, & vinctum ad Apostolum perduxerunt.

BEATVS verò Apostolus illum increpauit, dæmonicam societatem homini detestabilem, & omninò noxiam esse asseruit; humilémque Magum & confusum ante se stantem à Fileto solui præcepit. Absolutus itaque baculum Apostoli contra dæmonum iras sumpsit, & de domo sua zabernas codicibus plenas, ceruicibus discipulorum suorum impositas, attulit. Deinde omnes Libros ignibus concremare cœpit, sed iussu Apostoli, ne odor incendij maleficiorum vexaret incautos, zabernas petris & plumbo impletas in mare demersit. Sic ab omni maleficiorum onere nudatus Hermogenes repedauit, & Apostoli plantas humiliter tenuit, verámque Deo pœnitentiam exhibuit, & beato Apostolo adhærens in omnibus obtemperauit. In timore verò Dei ita cœpit esse perfectus, vt virtutes etiam plurimas per
C eum faceret Dominus: quibus visis, plures ad Dominum conuersi sunt, relictis erroribus suis & facinoribus.

IVDÆI autem in nequitia perseuerantes, cùm vidissent Magum, quem inuictum putabant, & amicos eius in Christum credentes, Centurionibus Hierosolymorum Lisiæ ac Theocrito pecunias obtulerunt, tentúmque Iacobum in custodiam miserunt. Facta verò seditione, ductus est ad audientiam. & mirati sunt omnes eius in Domino constantiam. Interrogatus à Pharisæis, optimè respondit, & de sanctis Scripturis prudenter & eloquenter tractauit. Vnde natiuitatem de intacta Virgine, & passionem, ac resurrectionem, & cetera, quæ de Christo Catholica confitetur Ecclesia, irrefragabiliter probauit. Feliciter Apostolo perorante omnes crediderunt, atque peccata sua confitentes, Ecclesiæ Dei fideliter adhæserunt.

POST aliquot dies, ABIATHAR Pontifex videns tantum Domino populum credidisse, doluit, datísque pecuniis, fat acerbam seditionem excitauit: itaut Iosias scriba funem in collo Apostoli mitteret, ipsúmque ad Prætorium Herodis Regis filij Aristoboli perduceret. Herodes autem fauere volens Iudæis, iussit eum decol-
D lari. Cúmque Iacobus deiiceretur ad decollationem, vidit paralyticum iacentem, & ab eo sanari fideliter poscentem, & ait illi: *In nomine crucifixi Domini mei* IESV-CHRISTI, *pro cuius amore ducor ad decollationem, exurge sanus, & benedic Saluatorem tuum.* Qui protinus surrexit, & gaudens, currere, Dominúmque benedicere cœpit. Quod videns Iosias, ad pedes Apostoli corruit, & indulgentiam ab eo humiliter petiuit.

IACOBVS autem intelligens cor eius à Deo visitatum, gauisus est, & Iosias Dominum Iesum seruum filium Dei viui confessus est. Tunc Abiathar fecit eum teneri, & os eius pugnis cædi. Deinde missa de eo relatione ad Herodem, impetrauit vt decollaretur. Cúmq; Iacobus eum osculatus fuisset, manum suam super caput eius posuit, ipsúmque facto signaculo crucis in fronte eius benedixit. Sic perfectus in fide cum Apostolo decollatus est, & ambobus remunerationem æternam omnipotens Emmanuel largitus est.

CONSVMMATO itaque beati Iacobi Apostoli fratris egregij Ioannis

Euangelistæ martyrio, quod VIII. Kal. Augusti festiuæ celebrat Ecclesiæ deuotio; septem Discipuli eius, qui ab eo in vera fide instituti passioni eius interfuerunt, corpus eius diuinitus edocti vetustæ naui imposuerunt; altóque pelago sine gubernatore, necessariisque instrumentis, se dispensante Deo commiserunt. Sic miro modo in Hispaniam appulsi sunt, & à Rege Galliciæ suscepti primùm fidem & religionem Hiberis prædicauerunt. Ibique venerabilem sepulturam Magistro suo adepti sunt. Multa ibidem miracula meritis sancti Iacobi Apostoli facta sunt, & habitatores totius Prouinciæ iamdudum Christi fidem susceperunt. In Sede Pontificali Canonicales asseclæ preciosissimum corpus Apostoli veneranter custodiunt, & illuc fideles Christicolæ de cunctis climatibus orbis concurrunt, ac ad exorandum clementem Adonai per Apostolicos interuentus conueniunt. A

HERODES Rex, quem Iosephus Agrippam nominat, videns gratum esse Iudæis, quòd Iacobum occiderat, Petrum quoque in carcerem misit, & quatuor quaternionibus militum ad custodiendum tradidit. Petrus quidem seruabatur in carcere, vt ad mortem post Pascha produceretur publicè. Oratio Ecclesiæ incessanter pulsabat aures diuinæ Maiestatis, ne tenero gregi subtraheretur pij subsidium Pastoris. Clemens autem Dominus pro dilecto dispensatore citò preces audiuit Sponsæ suæ fidelis amicæ. Cælestis subuentio suis affuit, & impios conatus Herodis frustrando præuenit. Noctu Petro dormiente inter duos milites vincto duabus catenis, & custodibus ante ostium carceris, Angelus Domini cum lumine astitit, percussóque Petri latere illum excitauit. *Surge*, inquit, *velociter*. Mox catenæ de manibus eius ceciderunt, præcinctus & calciatus, & veste circumdatus exiuit: Angelúmque secutus, custodias vsque ad portam ferream, quæ vltro aperta est eis, pertransiuit. Hæc in somnis fieri putauit. Discedente Angelo, in se reuersus rei veritatem agnouit, & pro ereptione sui suo liberatori gratias egit. B

AD fratres, qui in domo Mariæ matris Ioannis cognomine Marci congregati erant, venit, eóque pulsante ostium RODE puella ad videndum processit. Cognita verò voce Petri, præ gaudio ianuam non aperuit, sed introcurrens, stare Petrum pro foribus nunciauit. Tandem ingressus, obstupescentes Discipulos confortauit; & qualiter eum de carcere Dominus eduxisset, enarrauit. Egressúsque confestim in alium locum secessit. Deinde ingens turbatio inter milites de Petro facta est, eóque non reperto Herodes Rex custodibus nimium iratus est. Regis verò facinus in Apostolos perpetratum dilationem non patitur vltionis; sed continuò vindex adest dextera diuinitatis, sicut Lucas docet in Actibus Apostolorum, & Iosephus in nonodecimo Libro Antiquitatum. Nam cùm Cæsaream, quæ Pyrgus Stratonis prius vocabatur, descendisset; & in die solemni cùm in honorem Cæsaris spectacula ciuibus ederet, præclara veste ex auro argentóque mirabiliter contexta indutus ad theatrum processisset, ac pro tribunali consedisset, eíque populus concionanti de sublimi, Dei, non hominis vocem acclamaret: statim Angelus Domini percussit eum, eo quòd gloriam Deo nō dederit, & scatens vermibus post quinque dies expirauit. C

AGRIPPA verò filius eius XXVI. annis, id est vsque ad exterminium Iudæorum, regnauit; & pacem cum Romanis & Christianis habuit. Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur.

ANTIOCHIÆ in Ecclesia Prophetæ & Doctores erant, BARNABAS, & SIMON NIGER; LVCIVS Cirenensis, MANAHEN Herodis Tetrarchæ collactaneus, & SAVLVS. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus; *Separate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod assumpsi eos.* Tunc ieiunantes & orantes, & manus eis imponentes, dimiserunt. Ipsi quidem à Spiritu sancto missi Seleuciam abierunt, & inde Cyprum nauigauerunt. Salamine in Synagogis Iudæorum verbum Dei prædicauerunt, & vniuersam Insulam vsque ad Paphum perambulauerunt. D

IBI Sergius Paulus Proconsul, vir prudens, Barnabam & Saulum accersiit, & desideranter audito sermone Dei credidit. Tunc Saulus ELIMAM Magum doctrinæ fidei resistentem iussu ad tempus excæcauit, & nomine Pauli, quem de gentibus primum fide deuicit, vt Scipio Africanus à deuicta Africa cognominatus est, appellari meruit. Deinde Pergen Pamphiliæ, & Antiochiam Phisidiæ venerunt, & ingressi Synagogam die sabbatorum sederunt. Post lectionem legis & Prophetarum,

A Principibus Synagogæ annuentibus Paulus surrexit: & manu silentium indicens, Historiam Patriarcharum optimè recensuit, & promissiones à Deo per Prophetas olim factas, iam in Christo consummatas perfectè asseruit.

SEQVENTI sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit verbum Domini audire. Vnde zelantes Iudæi conati sunt blasphema contradictione Apostolicam prædicationem impedire. Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lumen gentibus, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ.* His auditis, gentes gauisæ sunt, & qui prædestinati erant ad vitam crediderunt. Iudas verò, excitata persecutione in Paulum & Barnabam, de finibus suis eiecerunt, & illi gaudio pleni Ichonium venerunt, & in Synagoga Iudæis & Græcis locuti sunt. Ibi diu demorati, fiducialiter in Domino egerunt: eóque cooperante, signa & prodigia per manus eorum facta sunt. Inuidentes igitur impij & Gentiles & Iudæi, eos contumeliis afficere & lapidare moliti sunt. Illi autem B ad ciuitates Lichaoniæ Listram & Derben, & vniuersam in circuitu regionem confugerunt, ibíque euangelizauerunt. In doctrina eorum tota ciuitas commota est.

LISTRIS quidam claudus, qui numquam ambulauerat, loquentem Paulum audiuit: & inuocato nomine Domini Iesu à Paulo confestim sanatus exiliit, & credens Dominum glorificauit. Quod videns populus, admirans Lichaonicè dixit: *Dÿ similes facti hominum* descenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium, Sacerdotem quoque Iouis. Et populo illis sacrificare volentibus, Apostoli protinus in turbas exilierunt, tunicásque suas consciderunt, & humilibus verbis miraculi gloriam ad Dominum retulerunt; seséque humiliantes, ne sibimet immolarent, vix turbas sedauerunt. Superuenientibus ab Antiochia & Ichonio Iudæis, turbæ persuasæ Paulum lapidauerunt, & extra ciuitatem, æstimantes eum mortuum esse, traxerunt. Circundantibus eum discipulis, surgens intrauit in ciuitatem, & postera die profectus est in Derben. Deinde ambo reuersi sunt Listram & Ichonium, Antiochiam & Phisidiam: & verbum vitæ prædicauerunt, animásque discipulorum exhortando confirmauerunt, & per singulas Ecclesias Presbyteros C constituerunt, eósque Domino cum ieiuniis & orationibus commendauerunt. De Pamphilia in Attaliam descenderunt, & indè Antiochiam nauigauerunt.

IBI diu cum Discipulis morati sunt. Tūc quidam, qui de Iudæa descenderant, credentibus ex Gentibus circumcidi & obseruare legem Moysi suadebant. Paulus & Barnabas illis contradicendo restiterunt, communique decreto pro hac quæstione determinanda in Hierusalem ad Apostolos & Presbyteros missi sunt. Phœnicem & Samariam pertranseuntes, conuersionem gentium narrabant, & magnum cunctis fratribus gaudium faciebant. Hierosolymis autem ab Ecclesia suscepti sunt, & quanta Dominus fecisset cum illis annunciauerunt. Porro illis, qui de Pharisæis crediderant summoperè volentibus iudaizare, Simon Petrus, & Iacobus, aliique Seniores, diligenter tractauerunt de proposita quæstione: ac ad postremum decreuerunt electos & probatos fratres ad gentes mittere, & per eos instinctu Spiritus sancti scriptum dirigere; vt remotis aliis oneribus abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

PAVLVS igitur & Barnabas, Iudas qui cognominabatur Barsabas, & Silas, Antiochiam missi sunt, & Epistolam Apostolorum atque Seniorum multitudini creD dentium ex gentibus retulerunt. Quam cùm legissent, super consolatione gauisi sunt. Iudas & Silas, cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt, ac postmodum cum pace in Hierusalem reuersi sunt. Paulus autem & Barnabas Antiochiæ verbum Domini aliquandiu euangelizauerunt: & indè digredientes, ab inuicem diuisi sunt. Barnabas cum Marco Ioanne Cyprum nauigauit. Paulus verò electo Sila, Siriam & Ciliciam perambulauit, Ecclesias confirmauit, & Apostolorum ac seniorum præcepta custodire præcepit. Inde in Derben & Listram peruenit, ibíque Timotheum, qui ex patre gentili erat, propter insidiantes Iudæos circuncidit. Phrygiam, Galatiam, & Misiam pertransiuit, & Troadem descendit, & visione per noctem admonitus in Macedoniam transiuit. Philippis, quæ prima pars est Macedoniæ, prædicauit: eúmque Lidia purpuraria colens, Dominum audiuit: & baptizata cum domo sua credidit, & fideles apud se manere obnixis precibus coëgit.

PAVLO ad orationem eunti cum sociis suis, puella quædam habens spiritum A Phytonem obuiabat: quæ dominis suis magnum quæstum diuinando præstabat. Hæc illos subsecuta clamabat: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.* Hoc dum multis diebus faceret, dolens Paulus spiritui dixit: *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.* Et exiit eadem hora. Videntes autem domini eius, quia exiit spes quæstus eorum, irati sunt. Paulum & Silam apprehensos in forum ad Principes perduxerunt: & quòd insolitum Romanis morem annunciando ciuitatem conturbarent, accusauerunt. Turbida quoque plebs contra innocentes concurrit. Iussu Magistratuum virgis cæsi sunt, & in interiorem carcerem missi sunt, eorúmque pedes in ligno constricti sunt. Media nocte Paulus & Silas adorantes Dominum laudauerunt, eiúsque auxilium specialiter senserunt. Terræmotus subitò magnus factus est, itaut mouerentur fundamenta carceris. Omnia ostia statim aperta sunt, & vniuersorum vincula soluta sunt. His itaque visis, carcerarius nimis territus est, & audita ratione fi- B deli à Paulo, credens cum omni domo sua baptizatus est. Magistratus vrbis, audito quòd Romani essent, timuerunt: & de carcere educentes, vt egrederentur de vrbe, rogauerunt. Inde Lidiam introierunt, & per Amphipolim ac Apolloniam Thessalonicam venerunt. Ibi per tria sabbata Paulus in Synagogam Iudæorum introiuit, & de scripturis palam disseruit: adaperiens & insinuans, *quia Christum oportuit pati & resurgere à mortuis: & quia hic est Christus Iesus, quem ego annuncio vobis.* Multi ex Iudæis & Gentibus crediderunt, Paulo & Silæ adiuncti sunt. Zelantes igitur Iudæi turbam concitauerunt, & Iasonem aliósque fratres ad Principes ciuitatis trahentes accusauerunt. Sed illi accepta satisfactione ab Iasone, & à ceteris, eos dimiserunt. Fratres verò confestim per noctem Paulum & Silam in Berream dimiserunt; & inde propter tumultum multitudinis, concitatum à Iudæis Paulum fratres vsque Athenas perduxerunt. C Ibi Silam & Timotheum, quos Beroeæ dimiserat, expectauit. Interea disputabat in Synagoga cum Iudæis & colentibus, & in foro per omnes dies ad omnes qui audierant. Quidam autem Epicuræi & Stoici Philosophi cum eo disserebant. Athenienses & aduenæ hospites ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui. Paulus autem in medio Areopagi stans, Athenienses idololatriæ superstitioni deditos reprehendit: & de ara, in qua scriptum erat, IGNOTO DEO, loqui cœpit. Indè initium iniunctæ sibi prædicationis sumpsit, Deúmque verum, qui olim ignotus mundo erat, annunciauit: breuique sermone multa comprehendens fidem & resurrectionis spem instanter prædicauit.

TVNC Dionysius Areopagita, & mulier eius Damaris, aliíque cum eis adhærentes, Apostolo crediderunt. Deinde Paulus ab Athenis egressus Corinthum venit: & Iudæis atque Græcis Iesum Christum esse testificans, ministerio prædicationis institit. Disputabat in Synagoga per omne sabbatum. Illuc de Macedonia Silas & Timotheus venerunt, & prædicante Paulo, Crispinus Ar- D chisynagogus cum omni domo sua, multíque Corinthiorum credentes baptizati sunt. Paulus in domum cuiusdam iusti nomine Titici, quæ contigua erat Synagogæ, introiuit: Deóque iubente per visionem noctis, annum & menses sex mansit, ibíque instanter verbum Dei docuit. Ibi AQVILA Iudæus, genere Ponticus, cum Priscilla vxore sua manebat: cum quibus Paulus, quia scenofactoriæ artis erat, operabatur, & victum propriis manibus procurabat. Indè Paulus vale dicens fratribus, Syriam nauigauit, & Ephesum deuenit. Indè descendit Cæsaream, ac postmodum migrauit Antiochiam. Facto ibi aliquanto tempore, profectus est, & ex ordine Galaticam regionem & Phrygiam perambulauit, omnésque discipulos confirmauit.

HVC vsque mihi de primitiua Ecclesia summatim excerpsi, de his videlicet, quæ Lucas in Actibus Apostolorum edidit, vsque ad narrationem quomodo Paulus Ephesi baptizatos baptismate Ioannis in nomine Domini Iesu baptizauerit: ibíque cum eisdem, qui Spiritu sancto repleti loquebantur linguis, & prophetabant, permanserit, atque per tres menses de regno Dei disputans multis profecerit: & indè discedens, quàm fortiter in Asia per biennium cunctis

A ctis euangelizauerit, & virtutes plurimas super languidos ac dæmoniacos in nomine Iesu Christi fecerit. Amodo libet alios Codices perlustrare, & de eisdem Apostolis mihi quædam breuiter commemorare, quæ in autenticis libris, & in Ecclesia frequentatis potero reperire.

ORDINEM Apostolorum, & meritum vniuscuiúsque solus omnium conditor nouit, & is qui cordis humani arcana rimatur, retributionem laborum singulis distribuit. Apostoli námque missi interpretantur. Ipsos igitur misit Christus euangelizare per vniuersum mundum, vt sicut piscatores de pelago retibus extrahunt turbam piscium; sic illi perditos homines prædicatione facta pertraherent ad lumen vitæ de profunditate vitiorum. Nomina autem ipsorum sunt hæc. Simon Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius: Iacobus Alphæi, & Philippus: Thomas, & Bartholomeus: Leui Matheus, & Simon Chananeus: Iudas Thadeus, & Mathias.

B PRIMVS vocatione, maximus dignitate, Apostolici culminis sedem PETRVS clauiger assecutus est: qui CHRISTO ardenter obsequens, toto corde secutus est. Hic patre Iona vel Ioanne genitus, vico Bethsaida Prouinciæ Galilææ, qui iuxta stagnum Genezareth est, ortus. Ad declarandam dignitatem futuram, & potestatem qua sublimatus splendescit, trinomius fuit: indicióque trium vocabulorum multiplex virtus ei cœlitus data claruit. Simon etenim obediens, Petrus verò agnoscens, Cephas autem caput interpretatur. Simon itaque per obedientiam, qua mox vt præceptum Domini audiuit, relictis omnibus ipsum sequi vsque ad mortem expeditus studuit, ad ineffabilis cognitionem deitatis conscendit. Et quia cælitus inspiratus supra humanum intellectum diuinæ theoriæ ardenter inhiauit, & altisonam vocem gloriosæ confessionis fideliter deprompsit, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui*, ipso incom-
C parabiliter recompensante Christo meruit honorari, & Ecclesiæ caput ac fundamentum ordinari. Largus enim retributor, qui notitiam sui diuinitus inspirauerat, puri cordis fidem prolatam per oris confessionem principali auctoritate remunerat: *Beatus es*, inquit, *Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cælis.*

VERÈ beatus est Simon, id est obediens, qui Bariona, id est filius columbæ dicitur, qua Spiritus sanctus designatur. *Vir obediens*, vt ait Salomon, *loquitur victorias.* Qui dum iussiones incessanter obseruat diuinas, in cotidianis conflictibus per tentationes impugnatur varias: ipsóque in mandatis Dei perseuerante, superatur sathanas. Quid enim aliud diuina lex imperat vel docet, nisi vt omnis homo creatori suo militet; cum antiquo serpente qui nobis semper insidiatur, dimicet, & brauium supernæ vocationis obtinere insudet? Tunc fortis Dei agonista proculdubio loquitur victorias, dum prostrato inimico protectori suo celebrat Deo gratias, dicens cum Propheta: *Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me.* Et alia multa his similia. Nemo potest sanctis operibus lætificare
D Deum patrem, nisi per gratiam Spiritus sancti obedientiæ adeptus fuerit virtutem.

DEINDE Saluator remunerationem piæ confessionis magnificè consummans, ait Simoni: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Petrus Latinè, Cephas Siriacè, quod nomen in vtraque lingua à petra deriuatum est; à CHRISTO videlicet, qui firma petra est, supra quam Ecclesia fundata est. Sic nimirum Simon per obedientiam ad agnitionem filij Dei peruenit, quam nec caro & sanguis, sed pater cœlestis ei reuelauit: ideóque ab ipso Saluatore Petrus, id est agnoscens, cognominari meruit. Denique datis ei cœlestis regni clauibus, CEPHAS, id est caput Ecclesiæ, ab ipso Rege Sabaoth est constitutus: Apostolorum scilicet Princeps & Pontifex summus, potestate ligandi atque soluendi præditus, doctrina & sanctitate præcipuus, signis & miraculis præclarus, in Ecclesia verus Christi Pastor primus, & specialis præfuit Vicarius.

HIC VII. annis in circumcisione prædicauit, & specialia eius opera, quæ tunc fecerit, Lucas in Actibus Apostolorũ, vt superius notaui, ostẽdit. Quadragenarium enim ad Speciosam templi portam claudum erexit, & quinque milia Iudæorum, qui conuersi fuerant, baptizauit. Ananiam, & vxorem eius Saphiram,

fraudis & mendacij reos censorio iussu puniit: & sic præsentes atque futuros, vt salubriter castigarentur, terruit. Ægrotorum turbam in lectulis per plateas transiens, vmbra tangebat: meritis & potestate sibi cælitus impertita sanabat. A

ÆNEAM Paralyticum iam octo annis in grabato iacentem Liddæ in nomine Domini curauit: & nouitatem miraculi videntes ac admirantes ad fidem perduxit. Ioppe verò Tabitam venerabilem viduam à morte resuscitauit, eámque sanctis ac viduis viuam assignauit. Reliqua autem, quæ idem à Iudæa vsque in Antiochiam perpetrauit, & quàm strenuè Simonem Magum persecutus multoties disputando superauit; CLEMENS Romanus Faustiniani filius in Libris Recognitionum enucleauit, vnde idem Opus Itinerarium Petri nominauit. Ipse enim, relictis omnibus, quæ Romæ habebat, nauigio Palæstinam petiit, Cæsareæque Stratonis Petrum Apostolum, Barnaba, quem Romæ optimum hospitem & amicum benigniter fouerat indice, inuenit: & ab eo, vt à patre filius, pro amborum beniuolentia dulciter susceptus, in fide veri Prophetæ solerter instructus, & sacro fonte renatus, inseparabiliter ei est copulatus. B

CÆSAREÆ Petrus cum Simone Mago disputauit, & serò Simone cum mille viris abeunte, reliquos confortauit: inuocatóque Dei nomine, dæmoniacos & languentes sanauit.

IN crastinum altercatio iterata est, & opitulante Deo Simon in multis victus est. Tandem serò confusus, cum paucis egressus est, & populus gaudens Petro prostratus est: cuius orationibus dæmoniosi & languidi curati sunt, & gaudentes quasi veri Dei doctrinam & misericordiam consecuti discesserunt. Tertia verò die Petrus Simonem immortalitatem animæ negantem vera ratione conuicit, & scelera eius probabiliter detexit. Populus autem indignatus, blasphemum atrio eiecit, & extra domus atrium pepulit: eúmque de multis, qui dudum sequebantur, vix vnus sequi cœpit. Porrò, Simon polluta & execrabilia secreta super humeros socij sui imposuit, metuénsque ne deprehensus publicis legibus subiaceret, noctu in mare iecit: eóque nolente illi comitari, quem pessimum impostorem iam compererat, aufugit.

PETRVS autem Cæsareæ tribus mensibus mansit, & Zacheum ibi Episcopum ordinauit: multitudinémqne credentium ad decem milia in die festo baptizauit. Indè etiam XII. fratres post Simonem destinauit, vt itinera eius perscrutarentur. Sophonias enim & Iosephus, Micheas & Eleazar, Phinees & Lazarus, Helizeus & Beniamin filius Saba, Ananias filius Saphyra, & Rubelus frater Zachæi, Nichodemus & Zacharias structor, ab Apostolo electi sunt: vt fidelium duodenario fratrum numero in deitatis cultu astipularentur, gratiáque Dei præcipuè fultus, eorum quoque adminiculo Simonem Magum, aliósque inimicos iustitiæ prosequeretur. C

COMPLETIS autem tribus mensibus, per Doram oppidum Petrus Ptolomaidam profectus est: ibíque per decem dies populum Dei lege instruens demoratus est. Deinde apud Tyrum & Sidonem, & Beritum similiter in satione diuini seminis occupatus est: atque postea cum multitudine plurima electorum ex singulis ciuitatibus Tripolim ingressus est. Ibi in domo Maronis cum summo ciuium desiderio susceptus est, à quibus etiam cunctis comitibus Petri omnis humanitas gratis cum hospitiis impensa est. Manè, magna multitudo in hortum Maronis ad audiendum Petrum accurrit: & ipse imprimis spiritus immundos vociferantes ex obsessis corporibus fugauit, & languentes post sermonem sanauit. Ibi salutis verba per tres menses copiosè seminauit, & Clementem, aliósque plures in fontibus, qui contigui habentur mari, baptizauit. Hospitémque suum Maronem iam perfectum in omnibus Episcopum constituit. D

INDE Antaradum venit, & sequentem credentium multitudinem in duas partes diuisit; eásque Nicetæ & Aquilæ præcepit ducere, & Laodiciam præcedere; ne tanta constipatione sequentium videretur alienis à fide inuidiam gignere. Quibus progressis, inter amica colloquia Clemens vnde esset Petro intimauit; progeniémque suam, casúsque parentum suorum enarrauit. In crastino, in vicinam insulam, ad videndum vitreas immensæ magnitudinis columnas perrexit: ibiq; post XX. annos Matidiam matrem suam per Petrum recognouit. Petrus autem ho-

A ſpitem Matidiæ paralyticam prece ſanauit, & Clemens ei mille dragmas pro remuneratione dedit.

DEINDE Petrus venit Balancas, & indè Paltho, atque poſt hæc Gabala; & ſic Laodiciam; ibique decem diebus remoratus eſt: & recognitio matris, triúmque filiorum Clementis Fauſtini facta eſt. Cogniti gemini retulerunt, quòd poſt naufragium, dum cuidam fragmento tabularum hærentes per pelagus iactarentur, piratæ illos repererunt, impoſitóſque nauiculæ ſuæ Cæſaream Statonis perduxerunt; eóſque illic mutatis nominibus illorum, iuſtæ cuidam feminæ vendiderunt: quæ loco filiorum eoſdem educauit, literis liberalibus ac Græcis erudiri fecit, adultóſque Philoſophorum ſtudiis tradidit.

CVMQVE Petrus Laodiciæ moraretur, boníſque ſtudiis ſolito more iugiter occuparetur, FAVSTINIANVS ſenex, habitu pauper, ad eum acceſſit, & diſceptare cœpit quòd neque Deus eſt, neque cultus, neque prouidentia in mundo: ſed fortuitus caſus & geneſis agunt omnia. Contra quem tres filij eius, quos
B adhuc non cognoſcebat, per triduum audiente populo inſigniter obſtiterunt, & in ſuis reſponſis multiplici dogmate auditores inſtruxerunt.

PRIMO die Niceta ſapienter allegauit, quòd vnus eſt Deus omnia tenens, & mundum fecit, ſuáque prouidentiâ gubernat, iuſtus Dominus, vnicuíque ſecundùm geſta ſua quandóque redditurus. Secundo Aquila eloquenter diſſeruit, quòd iuſtus Dominus omnia iuſtè diſponit. Tertio Clemens de ratione geneſis diſputationem fecit, vtrum omnia ex ea fierent, an eſſet aliquid in nobis, quod nec Geneſis, ſed Dei iudicium gereret. Tunc inſtinctu Dei, ſine quo nihil eſt, obſtinati ſenis, ac filiorum recognitio poſt XX. annos facta eſt.

PRIMARIVS vrbis Petrum cum ſuis hoſpitio retinere ſumma vi conatus eſt, & filia eius, quæ XX. annis à dæmone crudeliter obſeſſa fuerat, reſoluta & curata eſt.

HIS diebus, cùm Fauſtinianus Anubionem & Appionem amicos ſuos, qui cum Simone hoſpitabantur, adiſſet, & cum eis cœnaſſet, vultus eius in effigiem Simonis arte magica tranformatus eſt: & indè omnibus amicis eius, ne
C iuſſu Cæſaris pro mago comprehenſus puniretur, timor ingens ortus eſt. Deinne Petrus Antiochiam venit, à populo cum ingenti gaudio ſuſceptus verbum Dei prædicauit, oblatos ſibi languidos curauit, paralyticos dæmonis fatigatos, & diuerſa pericula patientes ſanauit. Infinita quippè multitudo languentium erat. Super omnes in conſpectu populi Petrus ad Dominum orationem fudit, & ſubitò immenſum lumen gratiæ Dei plebis in medio apparuit, & confeſtim omnes ægrotos ſanitati reſtituit. Omnes igitur Antiocheni vna voce Dominum confeſſi ſunt, & intra VII. dies plus quàm decem milia hominum credentes Deo baptizati ſunt.

THEOPHILVS autem, qui cunctis potentibus in ciuitate ſublimior erat, in amore Dei admodum exarſit, domúſque ſuæ ingentem Baſilicam Deo gratanter obtulit, quæ Eccleſiæ nomine cõſecrata eſt: in qua Petro Apoſtolo ab omni populo cathedra conſtituta eſt. Fauſtinianus verò, viſis mirabilibus, & intellectis cæleſtibus arcanis, ad pedes Apoſtoli palam procidit: & vetuſtis erroribus abdicatis, baptizari petiuit. Cui Petrus Apoſtolus ieiunium indixit, cúmque veniente die Dominico baptizauit: & in medio populi, ex eius con-
D uerſione materiam ſumens, omnes caſus eius expoſuit. Porrò huiuſmodi narratio ad delectationem & vtilitatem multis placuit, præfatúmque cum ſua familia ſenem Antiochenæ plebi admodum commendauit. Tota verò ciuitas in diuino cultu feliciter creuit, & ſancta mater Eccleſia, quotidie numero fidelium creſcente, in Chriſto Ieſu exultauit.

BEATVS itaque PETRVS Apoſtolus primùm annis VII. in Antiochia ſedit, & Ponto, Galaciæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithiniæ prædicauit. Deinde Romam Simone Mago petente, Petrus Antiochenam Eccleſiam ordinauit, & EVODVM Presbyterum ibi pro ſe conſecrauit. Denique Romam cum pluribus electis diſcipulis perrexit, & ingreſſus vrbem tempore Claudij Cæſaris, præfatum præſtigiatorem pluribus phantaſiis per dæmoniacam virtutem, quam paredrum vocant populum decipientem, inuenit in tantam inſolentiam elatum, vt Deũ ſe eſſe gloriaretur,

& à Romanis ciuibus honore simulacri in flumine Tyberis inter duos pontes collocato tanquam Deus potiretur. Hunc nimirum Sathanas tam vesanum totius malignitatis incentorem penitus possedit, atque ad debellandam Ecclesiæ rectam fidem nefaria hæresi primùm armauit. Porrò contra illum omnipotens Emmanuel insignem militiæ suæ magistrum comminus dimicare præparauit: SIMONEM PETRVM dico, cui Christus claues regni cælestis tradidit, & Apostolorum Principem Ecclesiæ probum rectorem constituit. Hic itaque Romam veniens, splendore veritatis & iustitiæ tenebras falsitatis discussit; ibíque dignus censor iustè iudicans, XXV. annos, II. menses, dies III. sedit. A

CVMQVE clarum verbi Dei lumen Romanæ vrbi fulsisset, & sermo veritatis, qui per Petrum prædicabatur, omnium mentes auditorum illustrasset, eísque in tantùm placuisset, vt cotidie audientibus auditio sola non sufficeret: MARCVS, Apostoli discipulus innumeris & quotidianis precibus coactus Euangelium scripsit, & quæ ille verbo prædicabat, hic scripto congessit, ac ad perpetuam legentium commonitionem posteritati transmisit. Petrus verò vt per Spiritum sanctum religioso se spoliatum furto comperit, delectatus est: fidem eorum per hæc, deuotionémque considerans, factum confirmauit, & in perpetuum legendam Ecclesiis scripturam tradidit. Epistolas quoque duas, quæ Canonicæ appellantur. Hic temporibus Tyberij Cæsaris, Gaij Caligolæ, Claudij, & Neronis, in vinea Christi viriliter laborauit, egregiósque discipulos educauit: virtutibus & eruditione imbutos per diuersa loca destinauit. Marcum videlicet filiolum, discipulúmque suum Aquileiæ, postmodum Alexandriæ: MARTIALEM Lemouicæ, APOLLINAREM Rauennæ, VALERIVM Treueris: & alios plures, qui diuersis in locis multa in nomine Christi miracula fecerunt, & plures maximósque cœtus gentilium ad fidei lumen pertraxerunt, atque sacri baptismatis vnda regeneratos, in sinu piæ matris Ecclesiæ collocauerunt. B

QVONDAM Romæ, dum plurimi fratres simul reficerent, TITVS dixit Apostolo Petro: "Cùm vniuersi à te saluentur infirmi, quare PETRONILLAM paralyticam iacere permittis? Apostolus verò ait: Sic expedit ei. Sed ne existimetur impossibilitas eius incolumitatis excusari meis sermonibus, ait ad eam: Surge Petronilla, nobis ministra. Statim sana surrexit, & ministrauit. Ministerio autem expleto, iussit eam redire ad grabatum. At vbi in Dei timore cœpit esse perfecta, non solùm ipsa saluata est, sed etiam plurimis in melius suis orationibus sanitatem recuperauit. C

INSIGNIS Athleta cunctipotens Adonai PAVLVS, vas electionis, doctor gentium, prædicator veritatis, qui thronum inter Apostolos meruit duodecimum possidere, & in paradiso raptus arcana verba, quæ non licet homini loqui, audire; verè dignè est glorificandus, & à filiis Ecclesiæ veluti solers pædagogus iugiter honorandus. Hic SAVLVS, id est tentatio Hebraicè, dictus est: eò quòd in tentatione sanctæ matris Ecclesiæ priùs versatus est. Postea, mutato nomine, de Saulo Paulus, id est mirabilis, dictus est: miróque modo de rapaci lupo mitis agnus factus est. Latinè autem Paulus quasi paruus dictus est. Vnde ipse palam de se testatus est: *Ego sum minimus Apostolorum.* D

ORTVS est de Tribu Beniamin, ex Pharisæis Pharisæus: Tharso Ciliciæ natus, Hierosolymis à pueritia nutritus, & in lege Dei à Gamaliele eruditus. Hic secundo post Ascensionem Domini anno, dum plus iusto paternarum traditionum æmulator existeret, ideóque in Christianos admodum sæuiret, & cum Principis Sacerdotum Epistolis in Damascum iret, vt omnes ibi Christicolas trucidaret: appropinquans vrbi, subitò insolita luce circumdatus, atque cœlesti voce Domini Iesu ex insperato correptus, salubriter ad terram corruit, amissáque pristina feritate surrexit; & in Damascum à comitibus itineris perductus, tribus ibi diebus impos sui deguit. Deinde iubente Deo post tres ab Anania dies visitatus, fidem, quam impugnauerat, suscepit, & baptizatus eandem Iudæis & Gentibus audacter prædicauit: incipiénsque ab Hierusalem, vsque ad Illyricum, & Italiam, Hispaniásque processit, ac nomen Christi multarum populis gentium, quibus non fuerat declaratum, manifestauit.

A LVCAS Euangelista Pauli comes, & laborum particeps, de ipso vsque in finem diligenter dignéque locutus est; & eius præcipuè gesta, omissis aliis, subtiliter prosecutus est. ARATOR quoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus secundum indè Librum edidit, heroicóque metro Apostolorum Actus deuotè cecinit, & Pauli agones & tolerantiam, naufragiúmque retulit. Quædam factorum eius indè breuiter excerpta in præcedentibus annotaui, quorum hîc non me tædet iterum ad laudem creatoris reminisci.

SAVLVS, qui & Paulus, Spiritu sancto admonente segregatus, Paphi prædicauit; Elimam magum verbis fidei resistentem iussu cæcauit, & Proconsulem Paulum ad fidem conuertit. Antiochiæ Synagogam ingressus, manu silentium indixit; ibíque qualiter Israëlitica plebs de Ægypto per mare exiit, & de diuersis mirabilibus, quæ in deserto facta sunt, locutionem fecit. Alio quoque sabbato passionem Christi & resurrectionem commemorauit, propheticis assertionibus allegauit, & plurimis credentibus Ecclesiæ gregem augmentauit.

B LISTRIS claudum ex vtero matris intendentem verbis Dei curauit, & ex veteri superstitione Lichaonios sibi sacrificare volentes, scissis vestibus, & facunda ratione prolata, compescuit.

POST multa in prædicatione certamina, quæstionem à Iudæis baptizatis pertulit, ne credentes ex gentibus baptizarentur, priuisquàm circumciderentur. Paulus ergo legationem fidelium Hierusalem detulit, Petrum & Iacobum, alióſque seniores consuluit; eorúmque diffinitionem per Epistolam retulit, vt abstinerent se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.

PHILIPPVS à puella Phitonissa spiritum immundum expulit, & eiecto dæmone, qui responsa inquirentibus dabat, auidos quæstores precio diuinationis priuauit. Vnde ab eisdem accusatus, & præcepto primorum vrbis in carcerem missus, noctu ad Dominum lucis orando clamauit, & benignus fidelium suffragator illum celeriter exaudiuit. Nam terræmotu facto, omnium vincula soluta sunt: & carceris custode cum suis baptizato, serui Regis Sabaoth Paulus & Silas liberi abire permissi sunt. Paulus Athenis prædicans, Seminiuerbius à populo cognominatus est;
C & sic idoneo ab erratibus vocabulo appellatus est: è cuius verbis fons vitæ perennis sitientibus oriebatur, & salutis semen omnibus suscipere desiderantibus gratis spargebatur. Cum Epicureis & Stoicis Philosophis decertauit, verúmque Deum, quem Cecropidæ ignotum Deum nuncupabant, eloquenter eis anunciauit. Dionysius Areopagita cum Damari vxore sua credens baptizatus est, Paulo inter præcipuos propter sapientiæ iustitiæque prærogatiuam amicos adsociatus est. Hic postmodum, vt Aristides Atheniensis asserit, Episcopus ab eodem Apostolo Atheniensibus ordinatus est, & post multa virtutum insignia insigni martyrio coronatus est.

INDE Paulus Corinthum venit, Aquilam cum Priscilla vxore sua prædicantem inuenit, apud quem degens, scenofactoriam artem, in qua periti erant, exercuit. Ibi Christus illum admonuit, ne prædicare cessaret, eóque fideliter obsequente, multi conuersi sunt.

EPHESI duodecim viris, quos Paulus in nomine Domini baptizauit, Spiritus
D sanctus replens varias mox linguas tribuit. Ibi dum Paulus diuersis morbis languentes curaret in nomine Domini Iesu, septem Iudæi Scenæ Principis Sacerdotum filij dænominaco manus imponere præsumpserunt, coniurantes per nomen Domini Iesu, quem prædicabat Paulus. Dæmon verò per obsessum hominem Iesum, & Discipulum eius Paulum palam recognouit. Super infideles autē Exorcistas repente irruit, & laceratos effugauit. Multi Ephesiorum, audita prædicatione veritatis, credentes baptizati sunt; & aliqui curiosorum magicos libros incenderunt, quorum precium quinquaginta milia denariorum æstimauerunt. Ita fortiter verbum Dei crescebat & confortabatur; & fidelibus in gratia Dei corroboratis, impiorum pars tabescebat & confundebatur.

PAVLVS autem Timotheum & Erastum in Macedoniam misit, ipse verò ad tempus in Asia remansit.

DEMETRIVS argentarius videns Ephesios, docente Paulo, ædes Dianæ deseruisse, dolénsque lucrum suæ artis, dum simulacra damnarentur, in nihilum re-

diisse,complices conuocauit, communem querimoniam enodauit, & clamosam vulgi seditionem concitauit. Vnde in theatrum demens turba cum furore cucurrit, Gaium & Aristarchum Macedones Pauli comites rapuit: sed strepitus insanorum in semet confusus nihil præualuit. A

PAVLVS accitis fratribus, cum exhortatione vale dixit: & indè, vt in Macedoniam iret, iter iniit. In Græcia tribus mensibus mansit. Comites autem eius fuerunt, Sosipater, Birri Beroensis: Thessalonicensium verò, Aristarchus, Secundus, Gaius, Derbeus, & Timotheus: Asiani quoque, Titicus, & Trophimus. Paulus cum Luca post dies azymorum à Philippis ad Troadem in diebus quinque nauigando venit, ibique diebus septem deguit. Vna sabbati, cùm plures ad frangendum panem conuenissent, & prolixum sermonem Pauli, qui profecturus erat in crastinum, vsque in mediam noctem auscultassent: EVTICHVS adolescens super fenestram sedens, somno grauatus de tertio cœnaculo deorsum cecidit, sed precibus Pauli resuscitatus cunctis, qui hoc viderant, gaudentibus reuixit.

A MILETO Paulus mittens Ephesum, maiores natu Ecclesiæ vocauit, & plurima eis ad salutem animarum commoda replicauit: finitóque sermone, positis genibus suis, cum omnibus illis orauit. Magnus autem fletus omnium factus est, & osculatis fratribus, ad nauem Paulus ab eis deductus est. Ingressus autem nauem, recto cursu nauigando venit Choum, indè Rhodum, Pataramque, & per Syriam venit Tyrum; ibique cum fidelibus amicis in Christo VII. diebus permansit. Deinde de Tolomaida Cæsaream venit, domúmque Philippi * Euangelistæ, cui quatuor erant filiæ virgines prophetantes, intrauit. B

TVNC Agabus Propheta illuc à Iudæa superuenit, & zonâ Pauli pedes & manus sibi alligauit, atque palam per Spiritum sanctum prædixit, quòd Paulum in Hierusalem Iudæi sic alligarent, & in manus gentium traderent. Flentibus cunctis, & rogantibus ne ascenderet, Paulus dixit: *Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.*

FRETVS itaque fidei constantiâ Hierusalem venit, Iacobo aliísque senioribus enarrauit quæ Deus in Gentibus per ministerium ipsius fecerit. At illi cùm audissent conuersionem gentium, magnificauerunt Dominum creatorem omnium. Deinde Paulus causâ purificationis in templum intrauit, & Mosaicæ legis cerimonias persoluere cœpit: vt æmulatoribus paternæ legis omnium occasionem scandalorum demeret, & Iudæus Iudæis factus, sic omnes lucrifaceret. Iudæi autem, qui de Asia erant, vt eum in templo viderunt, maliuolis clamoribus omnem populum concitauerunt, eique manus iniecerunt. Tota ciuitas commota est, & concursio populi facta est. Paulum itaque apprehenderunt; extra templum traxerunt, statimque ianuas clauserunt, & ipsum percutientes, occidere quæsierunt. Claudius Lisias Tribunus cohortis, vt vrbem subita turbatione confundi audiuit, assumptis militibus & centurionibus statim ad illos decurrit: Paulum verò, ne interficeretur, vi eripuit, iniectísque duabus catenis vinctum de tumultu extraxit, & quis esset, quid fecisset, interrogaturus, in castra induxit. Annuente Tribuno Paulus in gradus ascendit, & Hebraicè loquens, certam seriem conuersionis suæ detexit & conuersationis prius à Iudaismo, & postmodum in gratiam Christi rationem optimè reddidit. Admodum illo sapienter loquente, Iudæi vim verborum eius non ferentes vociferati sunt, & furentes clamauerunt: *Tolle de terra eiusmodi, non enim fas est eum viuere.* Tribunus ergo iussit eum in castra induci, & flagellis cædi, atque torqueri. Tunc Paulus astanti sibi Centurioni ait: *Sic hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Tribunus itaque postquàm resciuit, quia ciuis Romanus esset, timuit quòd eum ligasset. C D

POSTERA die Paulus in Concilium productus est, & stans in medio rationabiliter pro se locutus est. ANANIAS autem Princeps Sacerdotum præcepit astantibus sibi, percutere os eius. Tunc Paulus ad eum dixit: *Percutiet te Dominus, paries dealbate: & tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Astantes verò dixerunt: *Summum sacerdotem Dei maledicis?* Dixit autem Paulus: *Nesciebam, fratres, quia Princeps esset Sacerdotũ. Scriptum est enim: Principẽ populi tui non maledices.* Sciens Paulus, quia vna pars esset Saducæorum, & altera Pharisæorum, exclamauit in cõcilio:

A *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum. De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor.* His dictis, dissensio inter partes facta est, & multitudo soluta est. Saducæi autem dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi verò vtrumque confitentur. Quidam Pharisæorum pugnabant, dicentes: *Nihil mali inuenimus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus?* Igitur cùm magna dissentio facta esset, Tribunus timens, ne Paulus ab ipsis discerperetur, auxilio militum de medio eorum rapuit, & in castra induxit.

SEQVENTI nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet Romæ testificari. Facta die, Iudæorum plus quàm quadraginta ad Principes Sacerdotum & seniores accesserunt, & voto se constrinxerunt, quòd non manducarent neque biberent, donec Paulum ad concilium adducerent, & occiderent. Hoc vt Tribunus per filium sororis Pauli cognouit, insidias impiorum callidè delusit. Nam tertia noctis hora vinctum cum CC. militibus, & LXX. equitibus, ac CC. lanceariis Cæsaream misit: & causam eius
B felici Præsidi litteris insinuauit. Illuc itaque perductus, in Prætorio Herodis custoditus est, & post quinque dies ad concionem productus est. Ananias Sacerdos cum senioribus Iudæorum adfuit, & Tertullus orator accusationem in Paulum insidiosè deprompsit. Paulus, annuente Præside, breuiter respondit, prudentique responso protinus obiecta confutauit. Felix Præses, donec Tribunus descenderet, illos distulit, & Centurioni benè habere Paulum præcepit. Post aliquot dies Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, veniens, Paulum vocauit: & fidem, quæ in IESVM CHRISTVM est, ab eo audiuit. Disputante illo de iustitia, & castitate, iudicióque futuro, Felix contremuit, & sperans ab eo pecunias obtinere, frequenter illum accersiit. Biennio expleto, PORCIVM FESTVM Felix successorem accepit; & Iudæis gratiam præstare volens, Paulum in vinculis reliquit.

NON multò post Festus Cæsaream descendit, & Paulum accusare Iudæis præcepit. Illi verò multas & graues causas ei obiecerunt, quas probare non potuerunt. Paulo rationem reddente, quoniam neque in legem Iudæorum, neque in Tem-
C plum, neque in Cæsarem quicquam peccaui. Tandem pro insidiis Iudæorum, & tergiuersatione Iudicis, qui eis fauere molitus est, Cæsarem appellare compulsus est. In concione coram Agrippa Rege & Festo Præside productus est: & extenta manu, rationem reddens de vocatione sua & fide Christi, sat eloquenter contestatus est. Denique cuncti prudentiam eius admirati sunt, & semoti Optimates ad inuicem dixerunt: Nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Dimitti poterat, si non appellasset Cæsarem. Igitur IVLIO Centurioni cohortis Augustæ traditus est, & Aristarchus Macedo cum Luca comitatus est. In naue CCLXXVI. animæ fuerunt, & tempestuosam ac valde periculosam nauigationem per XIV. dies pertulerunt, quibus nec solem, neque sydera viderunt: neque cibum, quia omnis spes salutis ablata erat, sumpserunt. Paulus enim hiemare in Creta persuaserat: sed consilium & conatus gubernatoris & naucleri præualuerat. Quibus Centurio cum militibus magis acquieuerat. Præceps itaque festinatio hiemales procellas temerè subiit, & penè omnes, nisi merita Pauli subuenissent, demersit. Nimios quippe metus & labores passi sunt, dum Syrtes inciderent, & nauis armamenta disrupta es-
D sent: eadémque propriis manibus, & triticum, & alia quæ puppim onerabant, proiecissent. Inter hæc, Angelus Domini astitit Paulo, dicens: Noli timere, Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce, donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.

POST naufragium, cum summa difficultate ad insulam Mitilenæ appulsi sunt, eisque barbari magnam humanitatem impenderunt: accensáque pyra, propter imbrem & frigus, refecerunt. Ibi dum Paulus & foco sarmenta ingereret, & vipera præ calore procedens manum eius inuaderet: barbari hoc intuentes homicidam illum asseuerarunt, & mox moriturum sine dubio arbitrati sunt. Ipse verò viperam in ignem iactauit, & mirantibus cunctis nihil mali pertulit.

PVBLIVS Princeps Insulæ iactatos illuc triduò benignè suscepit. Paulus verò ad patrem Publij febribus & dissenteria vexatum intrauit: & cùm orans ei manus imposuisset, saluauit. Alij quoque Insulani, qui infirmabantur, accedebant ad eum, & curabantur. Multis ergo naufragos honoribus pro Pauli meritis honorauerunt, & nauigantibus quæ necessaria erant imposuerunt. Post tres menses, in nauem A-

lexandrinam, quæ in Insula hiemauerat, ingressi sunt: Deóque ducente non multo A post Romam venerunt. Et quidam ex fratribus, aduentu Pauli comperto, gratulantes occurrerunt. Ibi Paulo sibi manere cum custodiente milite permissum est: & post triduum, conuocatis primoribus Iudæorum, de captione sua, & de malis quæ à fratribus in Hierusalem perpessus fuerat, conquestus est. Deinde de vera fide, quæ in IESV CHRISTO est, fideliter locutus est. Biennio toto in suo conducto mansit, Deíque regnum omnibus prædicauit: & ea quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione docuit.

HVC vsque secutus sum de Actibus Apostolorum narrationem sancti Lucæ Euangelistæ, qui dimissis aliis refert Paulum Romam venisse, ibíque biennio verbum Dei nemine prohibente prædicasse. Secundo quippe Neronis anno Romam introiuit, & apud eundem, cùm adhuc in initiis lenior esset, sese defendit: eóque confortante, de ore Neronis, quem tropicè Leonem nominat, liberatus, indè exiit, & ad Occiduas gentes vsque in NARBONAM Galliæ vrbem perrexit. Ibi nimirum, vt B fertur, Basilicam construxit, & in honorem Machabæorum Martyrum dedicauit; vbi adhuc apparet in maceria de oleo crucis signum, quod idem Apostolus pollice caraxauit. Deinde PAVLVM discipulum suum Pontificem ordinauit, & eidem vrbi destinauit; qui multum in bonis operibus laborans, beato fine vitam consummauit.

SIC & alij plures in Ecclesia Dei mirè fulserunt, qui per beatum Doctorem gentium in fide Catholica instituti sunt: & in Cathedra magistrali ad regendum populum Dei per diuersa loca prudenter dispositi sunt. Nam Lucas Bythiniæ, Titus Cretæ, Carpus Troade, Timotheus & Archippus in Asia, Trophimus Arelati, Onesimus Ephesi, Sosthenes Corinthi, Titicus Paphi, Dionysius Areopagita Athenis, Epaphras Colossis, & Herastus Philippis rectæ fidei * expanderunt: ethnicósque cœtus de tenebris ignorantiæ, veluti pisces de profundo pelagi, ad lumen veritatis pertraxerunt. Iustitiæ quoque semitam sicut alios docuerunt, sic in verbis & actibus suis tenuerunt. Nomina ergo eorum in libro vitæ adscripta sunt, & sapientiam eorum atque laudem omnes populi pronunciabunt. C

AMODO dignum est, vt de triumphali morte sanctorum loquar, & seriem narrationis ex Patrum documentis veraciter prosequar: qualiter gloriosi Principes terræ vexillum veri Iosue nobiliter ferentes repromissionis terram obtinuerunt, & quomodo in vita sua sese dilexerunt, ita & in morte separati non sunt, sed vno spiritu ardentes, contra Neronem Cæsarem & Simonem Magum Romæ certauerunt, vnóque die hoste deuicto, cælestia regna petierunt.

MARCELLVS igitur Romanus Marci Præfecti filius, à beato Petro Apostolo baptizatus, sanctis Martyribus Nereo & Achilleo, qui dum pro fide Christi in Pontiana Insula exularent, ibíque contra maleficos Furium & Priscum, Simonis Magi discipulos, inuictis assertionibus veritatis quotidie dimicarent, in Epistola scribit peruersitatem Simonis Magi, & innocentiam Petri. Refert siquidem, quòd quadam die, dum Simon Petrum argueret, & magum diceret, populúmque Romanum D in eius odium excitaret, subitò vidua cum ingenti turba transibat, & clamosis vocibus cum luctu vnicum filium suum efferebat. Tunc Petrus ait assentatoribus Simo-
" nis: Accedite ad feretrum, & deponite mortuum. Qui verò suscitauerit eum, hu-
" ius vera fides esse credatur. Quod cùm fecisset populus, dixit Simon: Modò si
" suscitauero illum, interficies Petrum. Turba respondit: Viuum incendemus eum. Tunc Simon inuocatis dæmoniis, ministerio eorum cœpit agere, vt moueretur corpus. Quod populi videntes, cœperunt clamare in laudem Simonis, & in perniciem
" Petri. Petrus autem vix impetrato silentio, ait ad populum: Si viuit, loquatur, am-
" bulet, accipiat cibum, reuertatur ad domum suam. Alioquin, sciatis vos falli à Simo-
" ne. Populus verò vna voce clamauit: Nisi hoc Simon fecerit, pœnam patiatur quam
" Petro imposuit. Simon autem fingens se iratum, fugere petiit. Sed populus eum cum ingenti exprobratione tenuit. Tunc Petrus expandens manus suas ad cœlum,
„ dixit: Domine Iesu Christe, qui nobis discipulis tuis dixisti: Ite, in nomine meo
„ dæmonia eiicite, infirmos curate, mortuos suscitate, excita puerum istum, vt omnis
„ hæc turba agnoscat, quia tu es Deus, & non est alius præter te, qui cum Patre &
„ Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum, amen. Puer autem exurrexit, &

A adorans Petrum dixit: Vidi Dominum Iesum Christum iubentem Angelis, & dicentem: Ad petitionem amici mei Petri restituatur orphanus vnicus viduæ matri suæ. Populo autem vna voce clamante: Vnus est Deus, quem prædicat Petrus, Simon transfigurauit se in capite, & cœpit fugere. Porrò, plebe illum retinente, & in ignem mittere volente, Petrus in medium se misit, ipsúmque liberauit. Magister, inquit, noster nos docuit, vt pro malis bona reddamus. Euadens itaque Simon, ad Marcellum, quem iampridem seduxerat, venit; immanémq; canem, quem vix ferrea catena vinctum tenebat, in ingressu ligauit. Videamus, inquit, si Petrus, qui solitus est venire ad te, poterit ingredi. Deinde post vnam horam Petrus venit, factóque crucis signo, canem soluens, ait: Vade, & loquere Simoni: Desine ministerio dæmonum decipere populum, pro quo Christus fudit sanguinem suum. Marcellus autem tanta mirabilia videns, ad Petrum cucurrit, & genibus eius prouolutus, in domo sua illum excepit: Simonem verò cum dedecore expulit. Canis autem blandus omnibus effectus est, solum verò Simonem persecutus est. Quem cùm misisset subtus se, currente Petro, & clamante: Præcipio tibi in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt nō figas morsum in aliquam partem corporis eius, nullum quidem membrum eius contingere potuit: sed ita morsibus vestimenta eius attrectauit, vt nulla pars corporis eius tecta remaneret. Omnis autem populus, & præcipuè pueri post eum simul cum cane cucurrerunt, cúmque eum vlulatu quasi lupum * muros ciuitatis eiecerunt. Ille verò huius pudoris opprobrium non ferens, per vnum annum nusquam comparuit. Postea Neroni Cæsari innotuit, hominísque maligni amicitiis peior pessimo copulatus inhæsit. Appropinquante termino Apostolici certaminis, apparuit Dominus Petro Apostolo per visionem, dicens: Simon & Nero pleni dæmoniis aduersum te cogitant. Noli timere, quia tecum ego sum, & dabo tibi Apostoli Pauli solatium, qui cras Romam ingredietur. Cum quo post septem menses simul habebis contra Simonem bellum. Et postquàm viceritis, & deieceritis eum, & deposueritis in infernum, simul ad me ambo venietis victores. Quod & factum est. Nam alia die venit Paulus. Quo ordine se viderunt, & post VII. menses cum Simone conflictum habuerunt, sanctus LINVS Papa enarrauit, & omnem textum passionis eorum Græco sermone ad Ecclesias Orientales scripsit. Indè, sicut olim cœpi, quædam mihi libet excerpere, & intermissa verborum copiosa prolixitate, gestarum compendiosam seriem rerum congerere.

AVDITO quòd Paulus Romam venisset, Petrus valde gauisus est: & statim exurgens, ad eum perrexit. Mutuò autem se videntes, præ gaudio fleuerunt; & in amplexibus suis diutissimè morati, inuicem se lacrymis infuderunt. Deinde tantis verbi Dei prædicatoribus pars maxima populorum credidit, nec eis vesana concio Iudæorum vel Gentium palam resistere potuit, quibus abundantiam totius sapientiæ spiritus almus affluenter infudit.

INNVMERABILES populi dum conuertuntur ad Dominum per Petri prædicationem, contigit etiam conuerti Libiam Neronis vxorem, & Agrippinam Agrippæ Præfecti coniugem: itaut à latere suorum se maritorum auferrent, & pudicitiæ pro æterni Regis amore studerent.

PAVLVS quoque multiplici gratia resplenduit, & orbi Romano signis & prodigiis, & doctrina multa, mirabilíque sanctitate admodum innotuit. Extra vrbem hortum publicum sibi conduxit, ibique cum Luca & Tito, aliisque fidelibus de verbo vitæ tractauit. Interea cœpit maximam multitudinem colligere, Deóque iuuante, fidei per eum adiiciebantur multæ animæ: itaut per totam vrbem sonus prædicationis & sanctitatis eius fieret, & fama per vniuersam circa regionem de illo exiret. Multi de domo Cæsaris ad eum concurrebant, & audita prædicatione eius, in Dominum Iesum Christum credebant. Plures etiam ex cubiculo Cæsaris ad eum veniebant, & facti Christiani militiam deserebant, & interno feruore sic inflammati Christo adhærebant, vt rursus ad militiam suam, vel ad Palatium reuerti nollent: sed gloriam veræ fidei & virtutum armis omnibus & diuitiis ac honoribus præponerent. Ingens itaque diabolo quotidie augmentabatur detrimentum, & fidelibus salubre gaudium. Seneca etiam institutor Imperatoris adeò est illi amicitiâ copulatus, videns in eo diuinam scientiam, vt se à colloquio illius temperare vix posset: quatinus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epi-

stolis, ipsius dulcedine & amicali colloquio atque consilio frueretur. Sic nimirum eius doctrina, agente Spiritu sancto, multiplicabatur, & amabatur; vt licitè ibi doceret, & à multis libentissimè audiretur. Disputabat siquidem cum Ethnicorum Philosophis, & reuincebat Iudæos: vt & magisterio illius plurimi manus darent. Quædam namque scripta illius magister Cæsaris coram eo relegit, & in cunctis admirabilem reddidit. Senatus etiam de illo non mediocriter sentiebat. A

IGITVR dum sic diuinus splendor per insignes Apostolos non solùm Romanis emicuisset, sed etiam cunctos, qui de diuersis nationibus Romam, vt pote caput mundi, appetebant, illustrasset: maiores Synagogarum & Principes gentium zelo amaritudinis commoti sunt, & turbidum vulgus in odium illorum impiis derogationibus concitauerunt. Simonem ergo Magum Neroni de Palatio procedenti prætulerunt, & beatos Apostolos falso culpare studuerunt. Simon de Petro multa cœpit mala dicere, asserens eum magum & seductorem esse. Homines eidem praui credebant, & deludebantur, qui phantastica signa eius stultè mirabantur. Faciebat enim serpentem æreum moueri se, & lapideos canes latrare, statuas æreas ridere & moueri; se autem currere, & subitò in aërea videri. B

CONTRA hæc Petrus infirmos verbo curabat, cæcos orando illuminabat, dæmonia solo iussu fugabat. Interea & ipsos mortuos suscitabat, & omnes quos poterat à pessima Magi societate subtrahebat. Omnes ergo religiosi viri Magum execrabantur, scelerosi contra complices eius falso Petrum testimonio criminabantur. Tandem huiusmodi sermo ad Neronem venit, & Simonem Magum ad se ingredi præcepit. Ingressus illicò cœpit intuentes ludificare, & ante Neronem effigies mutare: itaut subitò fieret puer, & postea senior, altera verò hora adolescentior. Sic per multas figuras ministerio diaboli bachabatur. Et hæc videns Imperator, hunc esse Dei filium arbitrabatur. Tunc seductore Mago cum suis complicibus Apostolos accusante, Nero iussit Petrum & Paulum festinanter adduci ad se. Alia verò die Apostoli & Magus coram Cæsare disceptauerunt, & diuersa, vt veridica narratio pandit, ab illis prolata sunt. Nam discipuli veritatis vera prompserunt, magúmque furem & sceleratum in omnibus detexerunt, ipsúmque turpem & apostaticum, ne socordes ei obtemperarent, ad sui damnationem asseruerunt. Cúmque Simon minaretur se missurum Angelos suos ad puniendum Petrum, Petrus à Nerone secretò petiit, vt iuberet sibi panem ordeaceum afferri, & occultè dari. Quo facto, Petrus panem accepit, benedixit, fregit, & sub manica sua abscondit: atque à Mago iactante se Dei filium esse, quid fecerit instanter inquisiuit. Tunc Simon indignatus, quòd secretum Apostoli non posset dicere, vociferando iussit canes magnos procedere, & Petrum in conspectu Cæsaris deuorare. Ecce canes miræ magnitudinis protinus apparuerunt, & in Petrum impetum fecerunt. Ille verò genibus in terram positis, ambas manus extendit, & panem quem benedixerat ostendit. Quem vt canes viderunt, subitò nusquam comparuerunt. Sic magus omnium ludibrio manifestè patuit, qui Angelos in Apostolum venturos promiserat, canes exhibuit; seséque non diuinos, sed caninos habere Angelos monstrauit. C

TANDEM Simone Mago in multis ratione verborum ab Apostolis confutato, Nero iussit excelsam turrem fabricari ex lignis in campo Martio. Altera verò die Cæsar, & Senatus, & Equites Romani, omnísque populus, ad spectaculum conuenerunt; & Apostoli, Nerone iubente, adducti sunt. Tunc Simon turrim coram omnibus ascendit, lauróque coronatus sursum manus extendit, & in altum volare cœpit. Paulus flexis genibus coram omni populo Dominum orabat: Petrus verò machinationibus Simonis intendebat, & opportunum tempus diuinæ vltionis securus expectabat. Tandem fideli socio ait: „Paule, modicùm caput erige; & vide. Paulus verò lacrymis plenus caput eleuauit, Simonémque iam in alto volantem vidit, & ait: „Petre, quid cessas? perfice quod cœpisti. Iam enim vocat nos Dominus Iesus „Christus. Petrus autem contra Simonem aspiciens, ait: „Adiuro vos, Angeli Sathanæ, „qui eum fertis in aëre ad decipienda hominum infidelium corda, per Deum cre„atorem omnium, & per Dominum nostrum Iesum Christum filium eius, quem ter„tia die suscitauit à mortuis, vt eum ex hac hora iam non feratis, sed dimittatis. D

CONTINVO in voce Petri ex alto dimissus, in loco, qui Sacra Via dicitur, cecidit; & in quatuor partes fractus, quatuor silices adunauit. Quæ res vsque in hodier-

A num diem Apostolicæ victoriæ testimonium exhibuit. Tunc ad sonitum eius concrepuit. Paulus caput leuauit, Deóque iusto iudici gratias egit. Nero autem irâ magna plenus Petrum & Paulum in vinculis teneri fecit. Corpus verò Simonis tribus diebus, totidémque noctibus diligenter custodiri præcepit. Putabat enim quòd tertia die resurgeret. Sed Petrus asseuerabat, quòd in æternum damnatus esset. Apostolis in Spiritu sancto tripudiantibus, Dominúmque Iesum Magistrum suum palam confitentibus, Nero irâ magna repletus dixit ad Agrippam Præfectum suum: Istos homines irreligiosos necesse est perdere malè: & ideò chordis ferreis acceptis, eos in naumachiam consumi iube. Agrippa dixit: Non congruenti exemplo iubes eos perire. Quoniam Paulus innocens esse videtur, iustum est vt ei pro irreligiositate caput amputetur. Petrum autem, eo quòd homicidium perpetrauit, iube in crucem leuari. Annuente Cæsare, doctores æternæ salutis statim à conspectu eius deducti sunt, & Paulino traditi sunt.

Pavlinvs verò clarissimus magisteriæ potestatis Apostolos Christi suscepit, B & in custodia Mamertini, sub manu Processi & Martiniani, aliorúmque militum, mancipauit. Ibi nouem mensibus in carcere fuerunt, & multos infirmos, qui ad eos venerant, ac dæmoniacos, orationibus suis curauerunt. Denique cunctis, qui in custodia erant, obnixè vociferantibus, & aquam ab eis, quia siti periclitabantur, vnanimiter poscentibus; beatissimi Apostoli Dominum orauerunt, & ab ipso, cui adhærebant, celeriter exauditi sunt. Nam beato Petro Apostolo signum crucis in monte Tarpeio faciente, eadem hora emanauerunt aquæ de monte. Tunc Processus & Martinianus, & omnes qui in custodia erant, ad pedes Petri Apostoli prostrati sunt: & XLVII. credentes in Dominum, baptizati sunt. Tunc pro eis sacrificium laudis obtulit, & omnes Dominicæ participes Eucharistiæ fecit.

Visis itaque tot mirabilibus Magistriani, Processus atque Martinianus dixerunt: Ad Apostolos pergite quò desideratis, quia exoblitus Nero desperauit de vobis. Illi autem satis à fratribus rogati vt egrederentur, post nouem menses exierunt, & per viam Appiam ad portam peruenerunt. Tunc Paulus in vrbe Roma notos & amicos adiit, & Romanos, alióśque credentes, qui eius ereptione admodum gratulabantur, in fide confortauit, solitóque ritu verbum Dei vbertim sparsit, fideliúm- C que numerum per aliquot dies opitulante Deo augmentauit. Porro beatus Petrus, dum tibiam de compedibus ferri demolitam haberet, & fasciola ei ante sepem in Via Noua caderet; iuxta portam Appiam veniens, Dominum Iesum Christum vidit. Quem vt cognouit, adorans ait: Domine, quò vadis? Et Dominus dixit ei: Sequere me Petre, quia vado Romam iterum crucifigi. Mox illum secutus, Romam rediit, eíque Dominus dixit: Noli timere, quia ego tecum sum, quousque introducam te in domum patris mei.

Cvm qve rediret mane, ecce Magistriani eum tenuerunt, ac ad tribunal Cæsaris pertraxerunt. Nero autem recolens ea quæ gesta fuerant, iussit Petrum in crucem leuari, & Paulum decollari. Petrus verò cùm ad crucem venisset, & totus supernis intentus in spiritu solerter considerasset, quòd Dominus Iesvs Christvs, qui de cœlo ad terras descenderat, recta cruce sublimatus fuisset; rogauit à carnificibus crucem suam girari, seseq; capite deuerso crucifigi. At illi crucem verterunt, & pedes eius sursum, manus autem deorsum fixerunt. Tunc conuenit innumerabilis populi multitudo ita pleni furore, vt vellent etiam ipsum Neronem Im- D peratorem incendere. Petrus autem prohibebat eos, dicens: Nolite, filioli, nolite impedire iter meum. Iam pedes mei viam cælestem ambulant Nolite tristari, sed gaudete mecum, quia hodie consequor fructum laborum meorum.

Deinde post longam exhortationem, qua figuram Crucis Christi, quem imitabatur, subtiliter explanauit, orans, & gratias agens Deo, ait: Gratias ago tibi, bone Pastor, quia oues quas tradidisti mihi compatiuntur mecum. Peto, Domine, vt participent mecum de gratia tua in regno tuo. Et adiiciens dixit: Commẽdo tibi oues, bone Pastor Christe, quas mihi tradidisti, vt non sentiant se sine me esse qui te habent, per quem ego gregem hunc regere potui. Et hæc dicens, emisit spiritum.

Statim viri, qui numquam ibi visi fuerant, apparuerunt, nec antea nec postea quisquam potuit eos ibi videre: qui dicebant se propter illum de Hierosolyma aduenisse. Ipsi vnà cum Marcello illustri viro corpus eius occultè abstulerunt, ac ad

terebintum iuxta naumachiam, in loco, qui VATICANVS appellatur, posuerunt: A
magnósque patronos & amicos Domini Iesu Christi Romanis datos testati sunt.

NVNC de Doctore gentium, qualiter bonum certamen certauerit, cursúmque consummauerit, brauiúmque supernæ vocationis obtinuerit, libet ex historia passionis eius breuiter excerpere: & hîc ad laudem ineffabilis Adonai veraciter inserere. Paulus postquàm de carcere, vt suprà dictum est, exiuit, hortum, vbi priùs hospitabatur, repetiit: & illuc amicorum plurima cohors ad eum gaudens conuenit. Denique quadam die, dum salutari doctrinæ inseruiret, & circa vesperam in cœnaculo editiori turbas erudiret, Patroclus pincerna Regis à consodalibus suis inuitatus, Cæsaris se subducens aspectibus, ad hospitium Pauli perrexit vespere, vt audiret documenta vitæ perpetuæ. Sed cùm præ multitudine populi ad Magistrum ingredi non posset, vt verbum Dei, quod feruenter amabat, commodiùs audiret, ad fenestram excelsiorem ascendit, & secus eam sedit. Verùm cùm profluus sermo in longum protraheretur, & iuuenis somno fatigaretur, insidiante inuidia diaboli paululum dormitare cœpit; cadénsque de fenestra satis excelsi cœnaculi, spiritum exalauit. Quod mox Neroni à balneo reuertenti nunciatum est. Vnde idem, quia iuuenem valdè dilexerat, contristatus est: aliúsque in loco eius ad vini officium ordinatus est. B

PAVLVS verò, qui populos intus instruebat, statim per spiritum cognouit quod gestum erat: populóque præsenti nunciauit, sibíque corpus exanime illicò afferri præcepit. Deinde allato cadauere, Paulus plebem allocutus est, ac vt plena fide pro resuscitatione mortui Dominum Iesum orarent exhortatus est. Vniuersis orationi procumbentibus, finita prece ait Paulus: „Adolescens Patrocle surge, & narra „quanta tibi fecerit Dominus. Mox Patroclus tanquam à somno surrexit, & glorificare Dominum omnipotentem cœpit. Paulus illum gaudentem cum ceteris, qui ex domo Cæsaris erant, dimisit.

CVMQVE Nero Patroclum lamentaretur, & immensitate tristitiæ absorberetur, audiuit ab assistentibus sibi Patroclum viuere, & pro foribus adesse. Quod audiens Cæsar, expauit corde, & recusabat eum introire, suóque aspectui astare. Tandem persuasione amicorum ingredi permisit, & videns eum vegetatum, nullaque signa mortis habentem, obstupuit; & locutus cum illo, Christianum eum esse cognouit. Vnde nimis iratus, alapam ei dedit: ideóque magis ille in Domino Iesu exultauit. Tunc Barnabas & Iustus, Paulus miles, & Arion Cappadocus, & Festus Galata, ministri Cæsaris & amici, dixerunt ei: „Cur recta sapientem, & veracissimè re„spondentem percutis iuuenem? Nam & nos militamus inuicto Regi Iesu Christo „Domino nostro. Cæsar autem cùm audisset vno sensu & sermone illos inuictum Regem Iesum dicere, retrusit eos in carcerem: vt minis illos torqueret, quos nimis ante amauerat. Prædicatores quoque illius magni Regis summopere requiri iussit, & edictum ferale proposuit; vt sicubi inuenirentur, sine interrogatione, per tormenta varia punirentur. Fideles ergo multa scrutatione à ministris Reipublicæ quæsiti sunt, & inuenti quamplurimi, atque ad præsentiam Cæsaris perducti sunt. C

INTER eos Paulus consuetudinarias sibi pro nomine Christi gestans cathenas, ductus est vinctus. Ipsum omnes alij velut didascalum respiciebant, meritóque quem Dominus vas electionis censuerat honorabant, sibíque in omnibus præferebant. Indè Nero sine alicuius indicio facile potuit cognoscere, ipsum magni Regis militibus præsidere. Cúmque illum interrogaret, cur in regnum Romanorum latenter introisset, milites suos sibi subtraheret, suíque Regis principatui subiugaret: Paulus Spiritu sancto repletus, virtutē omnipotentis Dei coram omnibus, qui aderant, constanter promulgauit: & omnes ad largitatem manus illius, qui secundum cuiusque meritum dona ditissima dispensare potest, inuitauit. Ipsum quoque Cæsarem summo Regi fideliter obedire commonuit. Nihilominus etiam asseruit Regē suum venturum viuos & mortuos iudicare, & figuram huius mundi per ignem deuastare. His auditis, Nero Cæsar ira succensus est, & omnes Christi milites igne cremari præcepit. Paulum autem consultu Senatus, tanquam maiestatis reum, secundum Romanas leges capite truncari iussit. Longino & Megisto Præfectis, atque Cesto Centurioni, ad interficiendum extra vrbem tradidit; quibus in via Paulus sine intermissione verbum salutis prædicauit. Ministri etiam & apparitores à Nerone cum D

velocitate

A velocitate directi sunt, & latitantes Christianos diligenter ad occasionem perscrutati sunt. Vnde tam multiplex turba Christianorum cæsa est, vt populus Romanus Palatium virtute irrumperet, & in ipsum Cæsarem excitare seditionem satageret. Tunc Nero clamores populi expauit, & aliud edictum proposuit, quo Christianos in pace viuere præcepit. Quapropter Paulus iterum est eius oblatus conspectibus. Nero autem vt eum vidit, vehementissimè exclamauit: Tolle magum, tolle maleficium: decollate impostorem, auferte de « superficie terræ mentium immutatorem. Paulus verò constanter promisit, se « post mortem æternaliter victurum, & cum inuicto Rege suo mansurum: ipsi quoque Neroni ad comprobandam suorum fidem verborum, se viuum post decollationem euidenter ostensurum. Deinde Paulus gaudens ad supplicium ductus est, suísque carnificibus, aliísque comitantibus verba vitæ multipliciter impertitus est. Nam cooperante Spiritu sancto, idololatriæ vanitatem monstrauit, ratiocinando nihil esse probauit. Veram fidem, veríque Dei cognitionem mirabiliter allegauit. Damnationem reproborum, & glorificationem iustorum magnificè B perorauit. Nec frustra. Diuinus enim sermo protinus fructificauit: audientium videlicet corda turbarum tangens inflammauit, & conuersorum vocem pro transactis reatibus in planctum permutauit.

INTEREA, dum pro tam sanctis occupationibus mora fieret, & populus multus voces in altum emitteret; Nero Partheniũ & Feritũ, videre si iussio eius cõpleta esset, misit, & per eos passionẽ Apostoli, si adhuc viueret, accelerauit. Ipsis quoque Paulus semẽ salutis obtulit, sed præualẽte nequitiâ, obduratis cordibus minimè profuit.

CVMQVE ad locum martyrij cum innumeris comitibus incederet, & Plantillam nobilissimam matronam ad portam vrbis Romæ obuiam habuisset: Vale, inquit, Plantilla, æternæ salutis filia. Deinde petiit ab illa, vt pannum, « quo caput eius tegebatur, ad ligandum oculos horâ passionis suæ sibi accommodaret. Illa verò flens, eius orationibus se commendauit, pannúmque festinatò porrexit, & paululum in partem propter plebis impedimentum, vt Apostolus ei iusserat, secessit. Insultantibus paganis, quòd mago crederet ac impo- C stori, Paulus eam confortauit; iubens vt seorsum præstolaretur aduentum suum, secura signa mortis eius in panniculo receptura. Longinum verò, sociósque eius credentes docuit paucis sermonibus, qualiter & à quibus baptizarentur post obitum eius. Perueniens autem ad passionis locum, ad Orientem versus in cœlum manus tetendit, & diutissimè cum lacrymis Hebraicè orauit, Deóque gratias egit. Deinde valedicens fratribus, benedixit, sibíque oculos de Plantillæ mafora ligauit, & in terram vtrúmque genu flexit, & collum tetendit. Spiculator verò cum virtute percussit, & caput eius abscidit: quod postquàm à corpore præcisum fuit, nomen Iesu Christi Hebraicè clara voce personuit. Statim de corpore eius vnda lactis in vestimento militis exiuit, & postea sanguis effluxit. Stola verò, qua sibi ligauerat oculos, non comparuit. Tanta etiam lucis immensitas & odoris suauitas in momento illius decollationis cælitus emicuit, vt mortalium oculi splendorem illius sufferre, & humana lingua odorem narrare nequiuerit. Omnes hæc videntes valdè admirati sunt, & inuictum Regem Sabaoth in D multam horam laudauerunt. Parthenius autem & Feritas* reuertentes, ad portam *supra Feritus. vrbis peruenerunt, vbi Plantillam Dominum glorificantem inuenerũt: quam mox irrisione percunctati sunt, cur caput suum non operiret mafora, quam Paulo præstiterat. At illa calore fidei accensa cum magnanimitate respõdit: O vani & miseri, « qui credere nescitis, quæ oculis videtis, & manibus attrectatis! Verè habeo eundem « quem porrexeram pannum, de infusione preciosi sanguinis gloriosum. Deinde tri- « pudians enarrauit, quòd Paulus innumerabilium candidatorum cateruis comitatus de cœlo venerit; maforámque deferens, gratiam pro benignitate in eum habita retulerit, sibíque pollicitationem æternæ retributionis adiecerit. Protinus Plantilla pannum à sinu extraxit, roseóque perfusum sanguine illis ostendit. Illi autem nimio pauore correpti concito gressu Cæsarem adierunt, & quæ viderant vel audierant ei nunciauerunt. At ille cùm audisset, miratus est honorificè, & ingenti attonitus pauore, cœpit de his quæ nunciata sunt ei cum Philosophis tractare, & amicis ac ministris Reipublicæ.

Circa horam nonam, dum hæc inuicem mirarentur, & secum quærerent atque confabularentur, Paulus clausis ianuis venit; & stans ante Cæsarem dixit: O Cæsar Nero, ecce ego Paulus Regis æterni & inuicti miles, vel nunc " crede quia non sum mortuus, sed viuo Deo meo. Tibi autem, miser, mala in" effabilia imminent non post multum tempus, maximúmque supplicium, & æ" ternus restat interitus: pro eo quòd inter cetera pessima, quæ fecisti, multum " sanguinem iustorum iniustè effudisti. Hæc dicens, repentè disparuit. Nero siquidem, his auditis, vltra quàm dici possit timore percussus est, & velut amens effectus, ignorabat quid agere potuisset. Tandem suadentibus amicis, iussit solui Patroclum & Barnabam, alióſque qui vincti fuerant cum illis. Longinus quoque, sociíque eius, manè, vt Paulus illis constituerat, ad sepulchrum eius venerunt, ibíque duos viros orantes, & in medio eorum stantem Paulum viderunt; admirabilique metu pertimescentes, propiùs accedere reueriti sunt. Ac vt Præfectos & Centurionem, qui ministri necis Pauli fuerant, ad se properantes viderunt; humano timore surrepti, statim in fugam versi sunt. Verùm illis piè supplicantibus, steterunt, & fidem eorum audientes, cum gaudio spiritali eos baptizauerunt. In illo tempore, magna persecutio Christianorum intonuit, & prima sequentibus eximium virtutis exemplum ac constantiæ præbuit. In Thuscia Torpes * magnus in officio Neronis post plurima tormenta decollatus est. Romæ Processus & Martinianus, & XLVI. socij eorum à beato Petro Apostolo baptizati sunt. Longinus quoque, alijque duo per Paulum conuersi sunt, & à Tito ac Luca salutare lauacrum perceperunt. Hi nimirum Doctores suos fide & martyrio pedetentim secuti sunt. Mediolani Nazarius, Geruasius, Protasius, & Celsus puer passi sunt. Nero itaque innumeris facinoribus Theomachiam adiecit, odiúmque sui exercitus populíque Romani meritò incurrit. Statuerunt enim, vt publicè cathenis tamdiu cæderetur, quousque expiraret. Quod cùm ille audisset, & in eum tremor ac metus intolerabilis irruisset, miser ita fugit, vt vlteriùs non appareret *. Fertur à quibusdam, quòd dum adhuc fugiens erraret, ex frigore nimio & fame diriguisset, & à lupis deuoratus esset.

* *Aliter Suetonius in Nerone, cap. XLIX.*

Ecce, quæ sparsim de summis Senatoribus Ecclesiæ rimatus sum, simplici breuitate collegi; & de plurimis voluminibus insignia gesta memoriæ posterorum veraci stylo congessi. Petrus siquidem in circumcisione VII. annis prædicauit, deinde apud Antiochiam VII. annis sedit. Sub Claudio Cæsare contra Simonem Magum pugnaturus Romam perrexit, ibíque XXV. annis Euangelium prædicauit, & eiusdem vrbis Pontificatum primus tenuit. Tricesimo autem & sexto anno post passionem Christi, III. Kal. Iulij crucifixus est, viáque Aurelia iuxta Palatium Neronis in Vaticano sepultus est. Eodem die Paulus, postquàm innumeros agones atque labores insigniter passus est; in via Hostiensi, in milliario secundo, in hortis ad aquas Saluias decollatus est. Hi simul Romæ passi sunt sub Nerone Cæsare, Basso & Tusco Consulibus: quorum prior in eadem vrbe iuxta viam triumphalem totius vrbis veneratione celebratur, sequens verò in via Hostiensi pari honore habetur.

Roma caput mundi tam sublimes patronos se habere gloriatur, ad quorum limina de cunctis mundi partibus fidelis populus properare conatur: vt tam potentibus aduocatis adiutus, contra omnes aduersarios, aduersásque potestates indesinenter protegatur. Vniuersi præstò sentiunt eorum subsidia, qui deuotione congrua poscunt eorum suffragia: præstante Deo Rege summo, qui trinus & vnus viuit & regnat per omnia seculorum secula. Amen.

Andreas frater Simonis Petri, secundum Hebraicam etymologiam, decorus, vel respondens interpretatur. Sermone autem Græco à potu * Andreas, id est à viro virilis dicitur. Hic in sorte prædicationis Scythiam & Achaiam accepit, in qua etiam, in ciuitate Patras II. Kal. Decembris in cruce suspensus occubuit. Egregius de virtutibus eius apud nos libellus habetur, in quo multa & mira de beato Andrea referuntur. Auctor siquidem Libri cognitus mihi non est; sed mirandarum relatio rerum merito, vt arbitror, gratissima est. Libet ergo ad laudem cunctipotentis Messiæ quædam indè breuiter excipere, & huic opusculo nostro inserere. Igitur cum Matthevs Apostolus & Euan-

A gelista Mirmidonibus verbum salutis annunciaret, vnde à duris ciuibus apprehensus, erutis oculis in carcere catenis circundatus esset, Andreas Apostolus, Angelo Dei iubente, ad fretum venit. In litore inuenta naue, mox in illam ascendit, & prosperè flantibus ventis ad vrbem, vbi sanctus Matheus in squalore carceris tenebatur, nauigauit. Videns verò co-Apostolum suum in dolore nimio cum aliis vinctis residentem, amarissimè fleuit; factáque simul oratione, locus ille statim contremuit, & lux magna in carcere refulsit. Oculi quoque beati Euangelistæ restaurati sunt, & cunctorum catenæ relaxatæ sunt. Sic Matheus, & omnes alij, qui cum eo vincti erant, resoluti sunt, & indè abierunt. Cúmque Andreas verbum Dei prædicaret incolis; ipsum apprehendentes, ligatis pedibus traxerunt per plateam ciuitatis. Iam euulsis capillis fluebat sanguis de capite illius. Tandem, orante Apostolo, timor ingens super habitatores Mirmidoniæ factus est, & ille mox ab eis dimissus est. Deinde prostrati solo ante B pedes Apostoli prædicationem eius receperunt, & diuinitus inspirati credentes in Dominum baptizati sunt. Andreas indè recedens, in regionem suam venit, ibique cuiusdam cæci oculos tetigit, & ille statim lumen recepit.

Demetrivs Primas vrbis Amasæorum, auditis signis quæ faciebat in nomine Christi, cum lacrymis procedit ad pedes Apostoli, vt puerum Ægyptium sibi viuum, quem febris extinxerat, redderet. Mitis Apostolus flenti condoluit, ad domum luctus cum eo perrexit, & oratione facta puer sospes confestim surrexit. Omnes, qui hoc viderunt, lætati sunt, & credentes baptizati sunt.

Sostratvs puer Christianus à matre sua impetitus ad stuprum, confugit ad Apostolum: & illa felle commota, coram Præsule * crimen proiecit in filium. *Proconsule. Tacente puero præ verecundia, sanctus illum Andreas excusauit, & impudi- C cam de flagitio palam redarguit. Proconsul iratus, iussit puerum in culeo parricidæ recludi, & in flumen proiici, Andream verò in carcerem trudi. Orante Apostolo, terræmotus magnus cum tonitruo graui factus est, & Proconsul de sede cecidit, & reliqui omnes terræ decubuerunt. Mater verò pueri percussa aruit, & mortua est. Tunc Proconsul prostratus Apostoli pedibus, ait: "Miserere pereuntibus, famule Dei, ne nos terra deglutiat. Orante Apostolo, terræmotus cessauit, serenitas aëris rediit, & ipse turbatos circumueniens sanauit. Proconsul verò verbum Dei suscepit, & cum omni domo sua credens in Dominum, ab Apostolo baptizatus est.

Gratinvs Sinopensis à febre apprehensus grauiter ægrotauit, vxor verò eius hydrope intumuit. Filius quoque, dum in balneo mulierum lauaretur, à dæmone perdito sensu grauiter cruciabatur. Andreas verò à Proconsule rogatus, ascenso vehiculo ad ciuitatem venit, & Gratini domum ingressus, dæmonium exturbauit, puerúmque mundatum sanauit. Maritum verò & coniugem eius adulterij contagio pollutos redarguit, & ab eis accepta emendationis D sponsione curauit. Denique iam sospites fidem Iesu Christi receperunt, & cum omni domo sua gaudentes baptizati sunt.

Nicææ septem dæmones inter monumenta secus viam latitabant, homines quoque prætereuntes meridie lapidabant, & multos iam nece affecerant. Tandem illuc adueniente Apostolo tota ciuitas exultauit, & egressa obuiam cum ramis palmarum, proclamauit: Salus nostra in manu tua, homo Dei." Deinde omnem rei ordinem exposuerunt, ipsique nihilominus ordinem fidei & religionis ab Apostolo mox audierunt. Protinus gaudentes in Dominum crediderunt, & Iesum Christum Dei filium professi sunt. Andreas autem pro eorum prompta credulitate Deo gratias egit, & dæmones in similitudine canum coram populo assistere iussit: & postmodum in loca arida & infructuosa, ne vlli homini nocerent, fugauit. Sic in virtute Dei ciuitatem liberauit, ciuésque credentes baptizauit, eisque Celestinum virum bonum & sapientem Episcopum constituit.

Ad portam Nicomediæ in grabato mortuum iuuenem offendit, cuius parentes ætate grauatos, & cum nimiis ploratibus filij cadauer prosequentes prospexit. Condolens autem lacrymis eorum, qualiter adolescens obisset inquisiuit.

Sed illis præ timore nihil respondentibus, à famulis audiuit. Dum esset hîc in A
cubiculo solus, septem canes subitò aduenerunt, & in eum irruerunt. Ab his
ergo miserrimè discerptus, cecidit mortuus. Tunc Andreas septem dæmonum,
quos à Nicea fugarat, hoc opus esse cognouit: & in cœlum suspirans, à Deo vi-
» tam defuncto petiuit. Factáque prece, conuersus ad feretrum, ait: In nomine Ie-
» su Christi surge. Admirante populo, puer surrexit, & resuscitatori suo adhæsit. A-
postolus verò puerum credentem vsque in Macedoniam secum perduxit, & salu-
taribus verbis instruxit.

Egressvs indè, nauim ascendit, & Hellespónti fretum intrauit, Bizantiúm-
que adire disposuit. Ecce, mare commotum est, ventus validus incubuit, & nauis
mergebatur, nautæque mortis periculum præstolabantur. Denique beatus Andreas
ad Dominum orauit, quo præcipiente mox ventus siluit, tranquillitas rediit, & om-
nes à discrimine liberatos Bizantium prospera nauigatio perduxit.

Inde properantibus Thracias hominum apparuit multitudo, qui cum euagi-
natis gladiis lanceas manibus gestabant, & in occursantes irruere cupiebant. Bea- B
tus verò Andreas contra illos crucis signum fecit, & pro saluatione suorum Domi-
num orauit. Angelus autem Domini cum magno splendore præteriens, gladios eo-
rum tetigit, & eisdem in terram corruentibus vir Dei cum suis illæsus transiuit. Be-
rinthum maritimam Thraciæ ciuitatem Andreas Apostolus peruenit, ibique na-
uem, quæ in Macedoniam properaret, inuenit, in quam intrare Apostolum Ange-
lus Dei præcepit. Ingressus autem verbum Dei prædicauit, & nauta cum omnibus
naucleris in Dominum credidit.

Exovs nobilis ac valde diues iuuenis in Thessalonica erat. Hic ad Aposto-
lum nescientibus suis accessit, ipsúmque prædicantem verbum Dei audiens, in
Dominum credidit: & contemptis parentibus ac rebus suis, ei adhæsit. Paren-
tes eius eum quærentes Philippis inuenerunt, ipsúmque ab Apostolo muneribus
& minis segregare valde conati sunt, sed non potuerunt. Prædicante Aposto-
lo, verbum salutis spreuerunt, & conuocata cohorte ignem in domum iniecerunt:
facésque carecti, scirpíque & facularum adhibentes, domum succendere cœpe-
runt. Tunc iuuenis ampullam aquæ cum inuocatione nominis Christi desuper effu- C
dit, & diuina virtus omne incendium, ac si accensum non fuisset, statim extinxit.
Deinde furiosi scalas admouerunt vt ascenderent, eósque gladio interficerent:
sed diuinitus excæcati sunt, ne ascensum scalarum viderent. Tunc Lisimacus
quidam è ciuibus diuinum opus aduertit, vicinorúmque insaniam audacter re-
» darguit, dicens: Vt quid, ô viri, casso vos labore consumitis? Deus enim pu-
» gnat pro viris istis, & vos non cognoscitis. Cessate ab hac stultitia, ne vos cælestis
» consumat ira. His dictis, omnes corde compuncti sunt, & tenebrosa nocte in-
gruēte, ipsi cælitus illuminati sunt. Ascendentes autem, Apostolum orantem inue-
nerunt: & in pauimento prostrati, ab eo indulgentiam petentes acceperunt. Ab A-
postolo enim benigniter erepti sunt, & in fide corroborati Omnipotentem lauda-
uerunt. Parentes tantùm pueri non crediderunt. Execrantes verò iuuenem, in pa-
triam suam reuersi sunt: & post quinquaginta dies, vnius horæ momento simul ex- D
pirauerunt. Porrò iuueni omne patrimonium suum à contribulibus suis, quia valde
ab eis diligebatur, concessum est. Ipse verò adhærens Apostolo, fructus prædiorum
suorum pauperibus largitus est.

Post aliquod tempus ambo simul Thessalonicam profecti sunt, ad quos
ciues in theatro gaudentes congregati sunt. Exous autem eis verbum Dei præ-
dicabat, & beatus Andreas admirans prudentiam eius, tacens audiebat. De-
inde poscentibus turbis, Adimathum Carpiani filium ægrotantem afferri ius-
sit. Sed ille, dicto sibi à patre suo suæ saluationis nuncio credidit, vestimen-
ta sua induit, à grabato post XXIII. annos sanus surrexit: & veloci cursu parentes
suos præueniēs, ad theatrum petrexit, ibíque ad pedes Apostoli cecidit, & pro rece-
pta sanitate populis stupentibus gratias egit. Quodā de Thessalonicensibus rogante
Apostolū pro filio dæmonioso, illum artifex Sathan in secreto suffocauit cubiculo.
Denique pater cùm mortuū inuenisset, & ob hoc multū plorasset; fide tamen robu-
stus in spe præualuit, & cadauer ad theatrum ab amicis deferri fecit, euentúmque
» rei Apostolo narrauit. Ille autē ad populū conuersus, ait: O viri Thessalonicēses,

A quid proderit vobis, cùm mira fieri videritis, si non creditis? Porro illis pollicentibus quòd crederent, viso miraculo, Andreas Apostolus dixit defuncto: In nomine Iesu Christi, surge puer. At ille statim surrexit, populúsque stupefactus sponsionem de recipienda fide fideliter tenuit.

Medias Philippensis pro filio ægrotante cum lacrymis Apostolum rogauit, cuius preces mitissimus vir benigniter suscepit, & apprehendens manum eius, Philippis iuit. Ingredientibus portam ciuitatis senex occurrit; & pro filiis, quos pro culpa Medias in carcere cruciauerat, rogauit. Suadente Apostolo, Medias ad pedes eius procidit, & non solùm illos duos absoluit, sed etiam alios septem, pro quibus nemo loquebatur, tantùm vt filius eius sanaretur. Illis itaque liberatis, Apostolus Philomedem sanauit, qui XXII. annis fuerat debilis.

Deinde clamantibus populis, vt suis etiam mederetur infirmis, Andreas confidens in Domino, sanato dixit puero: Per domos ægrotantium vade, & in nomine Iesu Christi, in quo sanatus es, iube eos exurgere. At ille iussis Apostoli paruit; B populúsque videns mirabilia credidit, & Apostolo multa munera obtulit: sed ipse gratis omnibus verbum vitæ prædicans, nihil recepit.

Filiam quoque Nicolai, quæ languebat, pro qua pater multa offerebat, gratis sanauit, & omnes ad fidem inuitauit.

Passim Apostoli fama per Macedoniam currebat de virtutibus, quas idem super infirmos faciebat. Virinus ergo Proconsul contra eum concitatus est, & Thessalonicam milites misit, vt eum comprehenderent: sed viso fulgore vultus eius attingere illum non ausi fuerunt. Populi vero in Dominum credentes, vt milites illuc venisse pro læsione Apostoli audierunt, irati gladiis & fustibus eos interimere voluerunt: sed prohibente Apostolo, vix manus à cæde cohibuerunt. Denuò Proconsul misit milites, sed ipsi, vt Apostolum viderunt, turbati nihil dixerunt. Denique tertiò Proconsul multitudinem militum misit, quorum vnus à dæmone arreptus est, & in absentem truculenta Proconsulem verba locutus est. Deinde dæmonium egressum est, & miles cecidit, ac mortuus est. Interea Proconsul magno cum furore venit, & secus Andream Apostolum stans, eum videre non potuit, C donec loquentem audiuit: tandem miser, vt sanctum Dei vidit, probra minásque in illum inculcauit. Sed benignus vir furibundum iudicem dulcibus eloquiis mitigare studuit, fusísque precibus ad Dominum, militem defunctum resuscitauit. Proconsul verò adhuc in insania permansit. Facto mane iussit feras in stadium intromitti, & beatum Apostolum trahi, ferísque proiici. Furiosi verò clientes illum per capillos traxerunt, in arenam proiecerunt, aprúmque ferocem & horribilem dimiserunt. Qui sanctum Dei ter circumiuit, sed nihil ei nocuit. Iterum iussu Proconsulis, aper à XXX. militibus adductus, & à duobus venatoribus est impulsus, sed Andream non attigit, venatores autem in frusta discerpsit: demum horribilem grunitum dans, cecidit, & expirauit. Igitur laudante Dominum populo, Angelus visus est descendisse de cælo, & sanctum Dei confortabat in stadio. Denique sæuus Proconsul feruens irâ, ferocissimum leopardum dimitti præcepit. Dimissus autem Apostolum reliquit, ad sedem Proconsulis ascendit, eiúsque filium arripuit, ac suffocauit. Verùm nimia Proconsulem insania obtinuit: vnde de rebus gestis non doluit, nec aliquid dixit. Tunc beatus vir populum in amore Dei confortauit, ac ad corroborandam fidem eorum, defunctum Pro- D consulis filium se resuscitaturum promisit, & prostratus terræ diutissimè orauit, apprehensáque suffocati manu, eum in nomine Domini resuscitauit. Hæc videntes populi, Deum magnificauerunt, & Virinum Proconsulem, qui incredulus sancto Dei resistebat, interficere voluerunt: sed ab Apostolo permissi non sunt. Proconsul autem confusus, à Prætorio discessit.

Quadam muliere obsecrante, beatus Andreas accessit ad agrum, vbi totam regionem deuastans serpens erat, longitudinis quinquaginta cubitorum. Apostolo autem appropinquante, sibila magna emisit: nimiúmque territis omnibus qui aderant, erecto capite obuiam venit. Tunc sanctus Dei ait ad eum: Abde caput, funeste, quod erexisti ab initio ad necem generis humani, & subde te famulis Dei, ac morere. Statim serpens grauem rugitum emisit, quercum magnam, quæ propinqua erat, circumdedit, & circa eam obligauit: euoménsque

riuum veneni cum sanguine, expirauit. Deinde Apostolus ad prædium mulieris, in quo paruulus, quem serpens percusserat, mortuus decubabat, peruenit: & parentes eius, vt interfectorem filij sui mortuum viderent, misit. Illis verò abeuntibus, A
» vxori Proconsulis dixit Apostolus: Vade, & suscita puerum. At illa nihil dubitans,
» venit ad corpus, & ait: In nomine Dei mei Iesu Christi surge incolumis. Ille verò protinus surrexit, cunctis gaudentibus, Deóque gratias agentibus.

SEQVENTI nocte beatus Andreas Petrum & Ioannem vidit in visione, in qua reuelatum est ei, quòd paulò post penderet in cruce, Dominúmque Iesum sequuturus esset crucis passione. Fratres autem cōuocauit, enarrationem visionis explanauit, & pro celeri migratione sui lugentes confortauit, & per quinque dies salubriter erudiuit; precibúsque piis Ecclesiæ gregem Deo commendauit. Inde Thessalonicam profectus est.

LISBIVS Proconsul viæ Dei resistere conatus est, & militibus multoties missis, vt Andream comprehenderent, detestabilis impos voti effectus est. Tandem Apostolo adueniente, à duobus dæmonibus flagris cæsus est. Vnde postmodum Dei virum accersiens, coram omni populo nequitiam suam ei confessus est. Deinde verbum Dei ab Apostolo libenter audiuit, & ab ægritudine sanatus in Dominum credidit; atque in Dei lege diligenter ambulauit. B

CALISTA verò vxor Proconsulis nimis inuidit TROFIMÆ, quæ olim concubina eius fuerat; sed iam alteri viro sociata, Apostolicæ doctrinæ adhæserat. Vnde Lisbio ignorante, accito procuratore, iussit eam vt scortum damnari, ac ad lupanar deduci. Trofima itaque ad lupanar deducitur, lenoni datur, ibíque Dominum assiduè deprecatur. Venientibus autem impudicis Euangelium opponebat, quod secum ad pectus suum habebat: atque mox illicebrosus affectus deperibat. Denique quidam impudicissimus lepos accessit, violentiam ingerere voluit: sed illa restitit, Euangeliúmque ad terram cecidit. Tunc Trofima mœrens ambas manus ad cœlum
» extendit, & lacrymans ait: Ne patiaris me, Domine, pollui, ob cuius nomen castita-
» tem diligo. Angelus verò Domini statim ei apparuit, & inuerecundus iuuenis ad pedes eius cadens expirauit. At illa diuinitus confortata, Dominum benedixit, puerúmque in nomine Christi resuscitauit; & omnis ciuitas ad hoc spectaculum cucurrit. C

CALISTA verò cum procuratore suo ad balneum abiit. Cúmque simul lauarentur, dæmon teterrimus eis apparuit; à quo percussi ambo mortui sunt. Magnus ergo luctus factus est, & Apostolo, atque Proconsuli subitus euentus nunciatus est. Nutrice autem, quæ præ senectute manibus aliorum portabatur pro resuscitatione Calistæ Apostolum rogante, quamuis vir eius sæuiret pro commisso graui facinore: mitis tamen Apostolus corpus in medium exhiberi iussit, & accedens post oratio-
» nem caput mulieris tetigit. Surge, inquit, in nomine Iesu Christi Dei mei. Protinus mulier surrexit, & cum Trofima pacificari petiuit. Lisbius itaque Proconsul, visis mirabilibus Dei, per Apostolum in fide profecit, & consiliis Apostoli fideliter in omnibus obtemperauit.

QVADAM die, dum simul in litore consedissent, & plures ibidem ab ore Apostoli verbum Dei diligenter audirent; ecce cadauer à mari ante pedes Apostoli eiectum est, à quo mox fusa prece ad Dominum resuscitatum est. Philopator quippe vocabatur idem iuuenis, filius Sostrati ciuis Macedonis. Flente eo pro sociis, qui fluctibus absorpti fuerant, & supplicante, Apostolus orauit: vndaque famulante deuecta XXXIX. corpora resuscitauit; itaut vnicuique fratrum iuberet vnum mor- D
» tuum tenere, eíque dicere: Resuscitet te Iesus Christus filius Dei viui. Sic XXXIX. viri reuixerunt, & omnipotentem Dominum glorificauerunt.

POST multa signa, & bona opera, quæ sigillatim enarrare nequeo, beatus Andreas Apostolus Patras venit, vbi Maximilla grauiter ægrotabat, vxor Egeæ Proconsulis, qui Lisbio successerat. Tunc Effidima, quæ per doctrinam Sosiæ conuersa fuerat, Apostolum rogauit, vt visitaret Maximillam quæ febricitabat. At ille venit ad cubiculum infirmæ, præcedente Effidima: & facta oratione, febris est fugata, mulierque sanata. Proconsul autem centum argenteos Sancto Dei obtulit, quos ille nec aspicere voluit.

CVMQVE multa signa per beatum Apostolum apud Patras agerentur, & plures

A per corporalium exhibitiones opitulationum ad fidem Christi pertraherentur, Stratocles frater Egeæ Proconsulis aduenit de Italia: cuius seruus nomine Algmana, quem valde diligebat, impulsu dæmonis spumans in atrio iacebat. Ecce, magno tumultu facto, & Stratocle nimio animi dolore commoto, suadentibus Maximilla & Effidima, beatus Andreas accersitus est: ipsóque orante, dæmoniacus puer sanatus est. Stratocles ergo in Dominum credidit, & in fide confortatus, ad audiendum verbum Dei Apostolo adhæsit. Egeas in Macedoniam abierat, & Maximilla, quæ spirituali amore feruebat, opportunitatem vt cælestem doctrinam ab Apostolo perciperet quotidie quærebat, ac ad eum deuota veniebat. Magna itaque indignatione Proconsul contra Apostolum succensus erat, eo quòd vxor eius post acceptum dogma salutis ei coniungi nolebat.

AMODO passionem beatissimi Andreæ Apostoli breuiter annotare, & Libello nostro nitor veraciter inserere: quam recondidit in Bibliothecis suis ab antiquo tempore, & fideliter recitat pia deuotio sanctæ matris Ecclesiæ. Illa nimirum Presbyteri & Diaconi Ecclesiarum Achaiæ coram positi viderunt, & vniuersis Ecclesiis B per quatuor climata mundi constitutis vtiliter & eleganter scripserunt.

EGEAS Procôsul de Macedonia regressus venit Patras, quæ est ciuitas Achaiæ, & credentes Christo cœpit ad sacrificia idolorum compellere. Cui sanctus Andreas occurrit, ipsúmque rationabilibus dictis ad veram fidem inuitare sategit. Sed in maliuolam animam sapientia non introiuit. Verùm largus diuinæ dispensator sophiæ, quamuis impio non profuisset Egeæ; aliis tamen, qui prædestinati erant ad vitam, vberem cælestis doctrinæ profudit alimoniam. De mysterio Crucis multum prudenter tractauit, cur Deus homo factus est & passus, liquidò disseruit; ordinémque Dominicæ passionis, & communem humani generis profectum luculenter deprompsit. Hinc iratus Egeas Apostolum comprehendit, & in carcerem retrusit; ad quem multitudo penè totius Prouinciæ venit: itaut Egeam vellent occidere, & Apostolum fractis ianuis liberare. Andreas autem salutaribus eos monitis compescuit, per totam noctem edocuit, Domini que Iesu patientiam ad memoriam reuocauit; populúmque, ne passionem suam impediret, summopere rogauit.

C SEQVENTI die Proconsul Egeas misit, ac ad se Apostolum eduxit, & sedens pro tribunali seducere illum studuit; sed in Deo fundatus contra minas & blandimenta fortiter perstitit. Tandem Egeas eum à septem ternionibus flagellis cædi extensum præcepit: sed post verbera fortis athleta Christi laudem crucis prædicauit, & furenti tyranno veras constanter assertiones intimauit.

TVNC indignatus Egeas cruci eum affigi præcepit, & quæstionariis mandauit, vt ligatis pedibus & manibus, quasi in eculeo tenderetur: ne clauis affixus citò moreretur, sed longo potius cruciatu angeretur. Cúmque sanctus vir duceretur à carnificibus, fit populorum concursus clamantium & dicentium: Iustus homo & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad crucem? Andreas verò securus & gaudens ibat, populúmque ne passionem eius impedirent, rogabat, & à salutari doctrina non cessabat. Cùm autem ad agonis locum peruenisset, & crucem à longè vidisset, exclamauit voce magna, dicens: Salue Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata! O bona Crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine in- D termissione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata. Hæc & alia multa amoris & deuotionis plena dicens, se expoliauit, & vestimenta sua carnificibus tradidit. Qui accedentes, eum in crucem leuauerunt, totúmque corpus eius funibus extendentes susceperunt. Sic iussum impij Proconsulis crudeli actione compleuerunt. Porrò turba ferè ad XX. milia hominum astabat, & iniusto iudicio sanctum virum hoc pati clamabat: inter quos Stratocles Egeæ frater erat. Sanctus verò Andreas mentes fidelium confortabat, & in tolerantiam temporalem commonebat, quia nihil esse dignum passionis ad remunerationem æternam docebat.

INTEREA omnes ad domum Egeæ vadunt, paritérque clamantes dicunt: Quæ est hæc sententia tua, Proconsul? malè iudicasti. Concede nobis hominem iustum, redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo charum. Hæc & multa alia dicente populo, Egeas expauit, & se eû deponere promittens, simul ire cœpit. Quem videns sanctus Andreas, hortatus est vt Christo crederet, atque dùm adhuc

posset ad fidem pro salute sua curreret. Ipse verò in cruce pendens securus exultabat,& de visione Christi,quem tota mente dilexerat,diúque desiderauerat, admodum lætus dicebat: Iam Regem meum video,iam eum adoro,iam in conspectu eius assisto. Carnifices autem,missis ad crucem manibus, eum contingere non poterant, & subindè alij & alij vt soluerent eum sese ingerebant: sed brachia eorum, qui eum deponere nitebantur, stupebant. Tunc sanctus Andreas voce magna exclamauit,& deuotissimam orationem coram Deo profudit. Quem, postquàm diutiùs Iesum bonum magistrum suum orauit,videntibus cunctis, splendor nimius sicut fulgur de cœlo veniens ita circumdedit,vt præ ipso splendore humani penitus eum non possent oculi aspicere. Cúmque splendor permansisset ferè per dimidiæ horæ spacium,Andreas insignis pugil Christi abscedente lumine emisit spiritum,simul cum ipso lumine pergens ad Dominum. Maximilla verò Senatrix cum reuerentia corpusculum eius tulit,& conditum aromatibus optimo loco sepeliuit. A

PORRO Egeas,antequam ad domum suam veniret,à dæmonio arreptus est,& in conspectu omnium dæmonica vexatione in via mortuus est. Stratocles autem frater Egeæ de substantia eius nihil contigit,sed corpus sancti Andreæ Apostoli tenens euasit. Tantus etiam timor vniuersos in illa Prouincia inuasit, vt nullus remaneret,qui Saluatori nostro Deo non crederet. Fertur,quòd de sepulcro eius manna in modum farinæ,& oleum cum odore suauissimo defluit: à quo, quæ sit præsentis anni fertilitas,incolis regionis ostenditur. Si profluit exiguum, terra fructum exhibet exiguum: si verò copiosè processerit,magna fructuum opulentia ministratur. B

ECCE solo tui coactus amore,gloriose Apostole Iesu Christe, cursum tuæ vitæ diuinis charismatibus feliciter ornatæ breuiter recensui: ad laudem tui omnipotentis Magistri, cui tu fideliter vsque ad mortem adhæsisti. Deuotum ergo famulum,mitis Andrea,benigniter suscipe,méque peccatorem piis precibus commenda Creatoris clementiæ: in cuius cultu inter læta & tristia ipso iuuante opto persistere. Et qui crudelem Egeam interfectorem tuum exhortatus es ad fidem pendens in cruce,indesinenter suffragare fidelibus filiis Ecclesiæ,qui tibi dicunt canentes cum summa cordis deuotione,& oris modulatione: Andrea pie, sanctorum mitissime, obtine nostris erratibus veniam; & qui grauamur sarcinâ peccaminum,subleua tuis intercessionibus. Inter ærumnas titubantis seculi sæpè quassamur,gemimúsque languidi. Ora pro nobis maiestatem Domini,vt donet nobis vera luce perfrui. Amen. C

IACOBVS & IOANNES filij Zebedæi, à Christo appellati sunt BOANERGES,siue vt meliùs legitur, BOANEREEM, id est, filij tonitrui: ex firmitate & magnitudine fidei, qua tenuerunt inuiolabiliter & docuerunt immaculatam legem Domini. Iacobus supplantator interpretatur, Ioannes verò Dei gratia, vel in quo est gratia. Meritò electi fratres tam claris nominibus vocitati sunt,qui per supplantationem vitiorum in stadio fragilis vitæ tortuosum serpentem insigniter vicerunt,& amici Dei speciales effecti sunt: multiplicíque illius gratia repleti, sanctam matrem Ecclesiam veritatis doctrinâ illustrauerunt. De beato Iacobo, qualiter in Iudæa & Samaria euangelizauerit,& ab Herode Aristoboli filio martyrium,Principibus Sacerdotum & Pharisæis accusantibus,pertulerit,sicut ab antiquis Scriptoribus editum reperi,simpliciter in præcedenti Libro adbreuiatum huic Opusculo inserui. Nunc de Ioanne Theologo, IESV CHRISTI amico, scripta inuestigo, & ea breuiter ad laudem Regis Sabaoth colligere desidero: quæ Mellitus scripsit Laodicenis,aliísque fidelibus,qui sunt in vniuerso mundo,aliíque illustres antiquarij promulgarunt de illo,præcipuéque Hieronymus diuinæ legis interpres prænotauit in Apocalypsis procemio. D

IOANNES Apostolus & Euangelista virgo est à Domino Iesu Christo electus, atque inter ceteros magis dilectus,& in tanto amore dilectionis ab eo est habitus,vt in Cœna super pectus eius recumberet, & ad crucem astanti soli matrem propriam commendasset: vt quem nubere volentem ad amplexum virginitatis asciuerat,ipsi etiam custodiendam virginem tradidisset. Hic itaque cùm in Asia verbum Dei publicè prædicaret,& testimonium Iesu Christi Iudæis atque gentibus instanter intimaret, inuidiosa relatione aduersariorum veritatis Romæ est accusatus,iussúque Domitiani Cæsaris,qui secundus post Neronem persecutionem Christianorum exercuit, de Epheso raptus, & coram Cæsare atque Senatu ante portam Latinam

A constitutus. Cúmque persisteret in vera fide immobilis, vt mons firmus & excelsus, II. Nonas Maij iussu Cæsaris in feruentis olei dolium est missus. Sed diuina se protegente gratiâ exiuit illæsus, ipsóque die per singulos annos festiua eius memoria deuotè celebratur à fidelibus. Indè cùm exilio in Pathmos insulam portaretur, illic ab eodem Apocalypsis præostensa describitur; in qua septempliciter Ecclesiæ status & ordo demonstrantur, ingentes etiam pressuræ tribulationum, & retributiones meritorum.

DENIQVE procurante Deo, qui cuncta iustè disponit, DOMITIANVM eodem anno, quo Ioannes exulauit, Romanus Senatus pro cruentis actibus suis occidit. Deinde generali consultu diffiniuit, vt cassaretur quicquid Domitianus fieri voluit. Sanctus igitur Ioannes Apostolus, qui ex voluntate Domitiani deportatus fuerat cum iniuria, ad Ephesios remeauit cum honore, multorúmque lætitia. Omnis ergo populus Ephesiorum reuertenti occurrit, & virorum ac mulierum fideliter exultantium vna vox personuit: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

CVMQVE Ioannes ciuitatem egrederetur, ecce Drusina, quæ feruenter diligens eum videre desiderauerat, defuncta efferebatur. Viduæ verò & pauperes cum B parentibus & orphanis pariter flebant, & clamantes dicebant: Sancte Ioannes Apostole Dei, ecce Drusinam efferimus, quæ sanctis monitis tuis obtemperans nos omnes alebat, Deóque in castitate & humilitate seruiebat, reditúmque tuum desiderans quotidie dicebat: Vtinam videam Apostolum Dei oculis meis, antequam moriar! Tunc beatus Ioannes deponi feretrum, & corpus eius resolui iussit, ac voce clara dixit: Dominus meus IESVS CHRISTVS excitet te, Drusina. Surge, pedibúsque tuis ad domum tuam reuertere, & refectionem mihi præpara. Protinus illa surrexit, & Apostoli præcepto læta obsecundauit, & meritò, quia ipsi videbatur quòd non de morte, sed de somno excitata fuerit. Clamor itaque fit populi per tres horas dicentis: Vnus est Deus, quem prædicat sanctus Ioannes: vnus est Dominus Iesus Christus.

EODEM tempore duo fratres ditissimi iuuenes, Cratone Philosopho persuadente, patrimonium suũ distraxerunt, singularésque gẽmas emerunt, quas in foro in C conspectu omnium confregerunt, & pro vana ostentatione mundani contemptus huius mundi spectaculum egerunt. Hoc nimirum beatus Ioannes Apostolus per forum transiens vidit, insipientiæque deuiantium compatiens sanius consilium beniuolus præbuit. Nam Cratonem magistrum erroris ad se accersiit, damnosam deuastationem rerum vituperauit, vtilem mundi contemptum secundum Christi præceptum docuit: recolens eiusdem magistri sui documentum, qui iuueni dixit quærenti ab eo salutis æternæ consilium: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Craton verò Philosophus Apostoli salutaribus monitis consensit, ac vt gemmæ, quæ in frusta fractæ fuerant, redintegrarentur, obsecrauit. Ergo beatus Ioannes fragmenta gemmarum collegit, & in manu sua tenens, eleuatis ad cœlum oculis diutius orauit. Oratione autem finita, postquam fideles, qui aderant, amen responderunt, fragmenta gemmarum ita solidata sunt, vt nec signum aliquod de eo quod fractæ fuerant, remaneret. Tunc Craton Philosophus cum vniuersis Discipulis suis Apostoli pedibus aduolutus credidit, & baptizatus est cum omnibus: & fidem Domini Iesu publicè D prædicans, verus esse cœpit Philosophus. Porrò duo fratres, qui priùs nequicquam res suas dilapidauerant, obsequentes Euangelio gemmas vendiderunt, & Christo in pauperibus erogauerunt. Infinita verò turba credentium adhærere Apostolo cœpit, eiúsque sequi vestigia.

ATTICVS & EVGENIVS duo fratres honorati ciuitatis Ephesiorum exemplum prædictorum iuuenum sequuti sunt. Nam quæque habere poterant vendiderunt, egenísque dederunt, & expediti post Apostolum abierunt per ciuitates euntem, & verbum Dei prædicantem. Contigit autem, vt ipsi vrbem Pergamum intrarent, seruósque suos viderent sericis indutos vestibus procedentes, & in seculari gloria fulgentes. Inde diaboli sagitta percussi admodum facti sunt tristes, quòd ipsi vno pallio amicti essent egentes, seruos verò suos viderent potentissimos atque fulgentes. Porro beatus Ioannes Sathanæ dolos intelligens, præcepit vt rectas sibi deferrent virgas in singulis fascibus, lapidésque minutos à litore maris. Quod cùm fe-

cissent, inuocato nomine Domini, siluestres virgæ conuersæ sunt in aurum, & lapides in gemmas. Tunc sanctus eis Apostolus dixit: Per septem dies ite ad aurifices & gemmarios, & dum probaueritis verum aurum & veras gemmas, nunciate mihi. Euntes ambo artificum officinas circumierunt, & post VII. dies reuersi sunt, atque Apostolo renunciauerunt, quòd aurifices optimum aurum asseruerint, gemmarij quoque preciosos lapides comprobauerint. Tunc sanctus Ioannes dixit: Ite, & redimite vobis terras quas vendidistis, quia cœlorum præmia perdidistis. Sericas vestes emite vobis, vt sicut rosa pro tempore fulgeatis. Sed dum flos eius & odorem pariter & ruborem ostendit, repentè marcessit. In nostrorum conspectu seruorum suspirastis, & vos effectos pauperes gemuistis. Estote floridi, vt marcescatis: estote diuites temporaliter, vt in perpetuum mendicetis. Numquid non valet manus Domini, vt faciat seruos suos diuitiis affluentes, & incomparabiliter splendentes? Sed certamen statuit animarum, vt credant se æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales habere opes noluerunt. A

DVM hæc & his similia beatus Ioannes ædificationis causâ loqueretur, & multa de miseria contemptúque mundi, & de apostasia, licet in bono perseuerantia, gloriosè prosequeretur: ecce iuuenis nomine Stacteus à matre vidua mortuus efferebatur. Lugubris verò mater, & turbæ, quæ funeris exequias agebant, sese ad pedes Apostoli iactauerunt, & cum multis fletibus eum rogauerunt, vt in nomine Dei sui hunc iuuenem, sicut Drusianam, suscitaret; matrémque viduam & coniugem, quam nuper duxerat, piè reuelaret. Tunc Apostolus prostratus, flens diutissimè orauit, & ter exurgens ab oratione manus suas ad cœlum expandit, tacitámque precem diutissimè fudit. Deinde corpus inuolutum solui præcépit, iuuenémque proprio nomine vocauit, ac vt resurgeret, verúsque nuncius de his, quæ defunctus viderat, fieret, imperauit. Tunc Stacteus exurgens, Apostolum adorauit, & discipulos eius increpare cœpit: Angelos, inquit, vestros vidi flentes, & Angelos Sathanæ in vestra deiectione gratulantes. Regnum quoque iam vidi paratum vobis, & ex choruscantibus gemmis zetas instructas plenas gaudiis, epulis, & diuitiis, vita perpetua, lumine æterno, plenas delectationibus quas amisistis: & loca tenebrarum vobis, proh dolor! adquisistis, plena draconibus & angustiis, plena stridentibus flammis & cruciatibus, plena putoribus & doloribus. Hæc & his similia dicente Stacteo, obstupuit populi, qui aderat, multitudo. B C

ATTICVS autem & EVGENIVS cum illo, qui resuscitatus fuerat, ante Apostolum prostrati sunt, ipsúmque pariter, vt pro eis apud Dominum intercederet, rogauerunt. Denique supplicantibus illis sanctus Ioannes dedit in responsis, vt per XXX. dies Deo pœnitentiam offerrent, in quo spacio maximè hoc à Deo poscerent, quatenus aureæ virgæ ad suam naturam redirent; lapides quoque ad vtilitatem, qua nati fuerant, remearent. Factum est autem vt XXX. dierum transiret spacium, cùm nec aurum mutaretur in virgas, nec gemmæ in arenas. Tandem anxij fratres ad Apostolum accesserunt, & cum multis precibus ac lacrymis clementiam eius obsecrauerunt. Ille verò flentibus compassus & pœnitentibus, vniuersis etiam pro eis interuenientibus, iussit virgas in siluam, & petras ad litus reportare, quoniam ad naturam suam sunt reuersæ. Deinde prædicti fratres gratiam, quam amiserant, receperunt; itaut dæmones sicut priùs fugarent, infirmos curarent, cæcos illuminarent, & virtutes multas in nomine Domini facerent.

CVM omnis ciuitas Ephesiorum, immò totius Asiæ Prouincia sanctum excoleret ac prædicaret Ioannem, contigit vt cultores idolorum excitarent seditionem. Insanientes itaque Gentiles ad templum Dianæ Ioannem traxerunt, ac ad fœditatem sacrificiorum flectere moliti sunt. Quibus ille Spiritu sancto plenus proposuit, vt irent ad Ecclesiam Christi, & inuocatis Dianæ suæ vocibus facerent ædem cadere Christi: aut si non possent hoc facere, ipse inuocato nomine Dei sui faceret fanum Dianæ labi, & idolum eius comminui. Quo facto, considerata rectitudine, superstitionem vanitatis relinquerent, & veræ fidei iustitiæque tramitem arriperent. Conditio huiuscemodi placuit plebi, licèt pauci essent, qui huic contradicerent diffinitioni. Tunc beatus Ioannes dulciter exhortatus est populum, vt longè recederet à templo: ipse verò deuota mente, & clara voce orauit. Continuò fanum & omnia idola eius corruerunt, ac sicut puluis, quem proicit ventus à facie terræ, D

A effecta sunt. Eadem verò die duodecim millia Gentilium, exceptis paruulis & mulieribus, conuersi sunt, & in nomine sanctæ Trinitatis baptismum perceperunt. Tunc Aristodimus, qui erat Pontifex omnium idolorum, stimulatione pessimi spiritus turbauit populum: vt orta seditione populus in populum pararetur ad bellum. Sed Ioannes pacis amator dixit: Dic mihi Aristodime, quid faciam, vt indignationem de animo tuo tollam? At ille: Si vis, inquit, vt credam Deo tuo, tibi venenum bibere dabo. Quod dum biberis, si mortuus non fueris, apparebit verum esse Dominum tuum. Apostolus autem hoc pactum concessit. Porro Aristodimus eum terrere volens, ad Proconsulem perrexit; duósque viros, qui pro suis sceleribus decollandi erant, ab eo petiit. Illo tandem concedente, in medium forum adducti sunt, & illic in conspectu Apostoli & totius populi venenum biberunt, & mox spiritum exalauerunt. Beatus verò Ioannes, iacentibus mortuis, qui venenum biberant, calicem intrepidus accepit: & signaculum crucis in eo faciens, deuotè orauit, cunctísque audientibus ineffabilia Domini opera fideliter memorauit. Deinde semetipsum signo crucis armauit, totúmque quod erat in calice bibit; Dominóque gratias agens, lætus & hilaris permansit. Quod attendentes populi, clamauerunt: Vnus verus Deus est, quem prædicat Ioannes.

B ARISTODIMVS autem, cùm per tres horas Apostolum Dei obnixè considerasset, nec eum aliquod palloris seu trepidationis specimen habere deprehendisset; ceteris eum obiurgantibus credere detrectabat, sed obdurato corde veritati adhuc resistebat. Denique petiit, vt veneno mortui diuinitus excitarentur, & promisit quòd sic ab omni dubietate cor eius emundaretur. Populi autem insurgebant in illum, dicentes se incensuros ipsum, ipsiúsque dominum, si ausus fuerit vltra vexare Dei Apostolum. Ioannes verò, vt acerrimam seditionem inter credentes & incredulos oriri perspexit, silentium petiit, & cunctis audientibus ait: Patientia prima est virtus, quam de diuinis virtutibus imitari debemus. Vnde si adhuc Aristodimus ab infidelitate sua tenetur, soluamus nodos infidelitatis eius. Non enim cessabo ab hoc opere, quousque medela eius possit vulneribus prouenire. Oportet me periti C perseuerantiam medici habere, qui varias medelas instanter ægro satagit adhibere. Sic nimirum huic lãguido, si adhuc curatus non est de eo quod factum est, faciamus aliud quod factum non est. Deinde Aristodimum ad se conuocauit, tunicámque suam ei dedit. Ipse verò amictus pallio stetit, eíque præcipiens dixit: Vade, & mitte super defunctorum corpora, & dices ita: Ioannes Apostolus Domini nostri Iesu Christi misit me ad vos, vt in eius nomine exurgatis, & cognoscãt omnes, quia mors & vita famulantur Domino meo Iesu Christo. Protinus ille cùm iussis obtemperasset, & rediuiuos exurgentes vidisset, Apostolum adorans festinus ad Proconsulem perrexit, & mirabilia quæ viderat, voce magna vociferando, narrauit. Deinde salubre consilium inuenit, & Proconsuli dixit: Eamus, & aduoluti genibus Apostoli veniam postulemus. Tunc simul ad Apostolum venerunt, & prosternenentes se, indulgentiam flagitauerunt. Quos ille benigniter suscepit, orationem Deo cum gratiarum actione obtulit, eísque vnius hebdomadæ ieiunium agere præcepit. Quo expleto, baptizauit eos, cum omni parentela & affinitate, famulísque suis. Illi autem omnia simulachra fregerunt, & Basilicam in nomine sancti Ioannis, in qua ipse as-D sumptus est, fabricauerunt.

CVM beatus Ioannes esset annorum nonaginta & nouem, apparuit ei Dominus Iesus Christus cum discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est vt epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis. Surgens autem Ioannes, cœpit ire. Sed Dominus dixit ei: Dominica resurrectionis meæ, quæ post quinque dies futura est, ita venies ad me. Et cùm hæc dixisset, cœlo receptus est. Veniente itaque die Dominica, conuenit ad Ioannem vniuersa multitudo in Ecclesia, quæ in eius nomine fuerat fabricata: & à primo pullorum cantu agens mysteria Dei, omnem populum vsque ad horam diei tertiam allocutus est, dicens: Fratres & conserui mei, hæredes & participes regni Dei, cognoscite Dominum nostrum Iesum Christum, quantas virtutes, quanta prodigia, signa quoque & charismata, similiter & doctrinam per me vobis præstiterit. Perseuerate ergo in eius mandatis. Me etenim Dominus iam de hoc mundo vocare dignatur.

POST hæc, iuxta altare quadratum iussit foueam fieri, & terram eius foras Ec-

clesiam proiici. Deinde in eam descendit,& manus suas expandens ad Dominum, A
» dixit: Inuitatus ad conuiuium tuum venio,gratias agens, quia me dignatus es, Do-
» mine Iesu Christe,ad tuas epulas inuitare: sciens quòd ex toto corde meo deside-
» rabam te. Vidi faciem tuam,& quasi de sepulchro suscitatus sum. Odor tuus concu-
» piscentias in me excitauit æternas. Vox tua plena sanitate melliflua, & allocutio tua
» incomparabilis est eloquiis Angelorum. Opera tua scripsi,quæ oculis meis vidi; &
» verba,quæ ex ore tuo auribus meis audiui. Nunc, Domine, commendo tibi filios
» tuos, quos tibi virgo mater per aquam & Spiritum sanctum regenerauit Ecclesia.
» Suscipe me,vt cum fratribus meis sim,cum quibus veniens inuitasti me. Aperi mi-
» hi ianuam vitæ,& perduc me ad conuiuium epularum tuarum, vbi tecum omnes
» amici tui epulantur. Tu es enim Christus filius Dei viui, qui præcepto patris mun-
» dum saluasti. Tibi gratias referimus per infinita seculorum secula. Cúmque omnis populus respondisset amen,lux tanta super Apostolum apparuit per vnam ferè horam,vt nullus sufferret aspectus. Postea inuenta est illa fouea plena,nihil aliud in se habens nisi manna, quam vsque hodie locus ipse gignit, vbi magna miraculorum B copia specialis amici Iesu Christi meritis crebrescit. Illuc nimirum multi occurrunt,vota & orationes Deo fundunt, meritísque sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ optatum precum suarum effectum percipiunt,& pulsis infirmitatibus & periculis virtutes orationum eius salubriter sentiunt. Cum quibus & ego peccator accedo, deuotionem meam trepidus exhibeo, & excellenti Saluatoris amico in fide & spe deuotus orationem effundo.

» O Ioannes beatissime,Christi familiaris amice,qui ab eodem Domino Iesu
» Christo virgo electus,& inter ceteros magis dilectus,atque mysteriis cœlestibus vl-
» tra omnes imbutus, Apostolus eius & Euangelista factus es præclarissimus: te sup-
» pliciter obsecro,me miserum,tamen diligentem te,dilige quæso,meísque precibus
» clemens exauditor adesto. Labores meos & ærumnas,quibus angor assiduè, & mul-
» timodas infirmitates corporis mei,membrorúmque molestias meorum respice,me-
» ritísque viuacibus & orationibus pro me ad Dominum piè oblatis à me efficaciter
» amoue;vt à culpis emundatus,diuino cultui merear semper inhærere, & fidelium
» niueæ phalangi sociatus,Regem Sabaoth in æternum laudare, amen.

Iacobvs Minor, filius Alphei,qui in Euangelio nominatur frater Domini, quia Maria vxor Alphei matertera fuit matris Domini, quam Mariam Cleophæ Ioannes Euangelista cognominat, ab Apostolis post Ascensionem Domini Hierosolymorum Episcopus statim ordinatus est,& eiusdem Sedis regimine per annos xxx. potitus est. Ipsum omnes tam pro illius nimia sanctitate,quàm pro Saluatoris consanguinitate, Apostoli honorabant,& de diuersis regionibus, dum ad prædicandum dispersi essent,ad ipsum velut ad patrem opportunis temporibus recurrebant,necessariósque consultus ab ipso vt à Magistro,prout ratio deposcebat, humiliter flagitabant. C

Tandem septimo Neronis Imperij anno, dum in Hierusalem prædicaret Christum Dei filium,de templo à Iudæis præcipitatus est,& lapidatus: ibique iuxta templum Kal. Maij sepultus.

Egesippvs vir sanctus & eruditus, Apostolorum temporibus vicinus,in quinto Commentariorum suorum Libro Iacobi Iusti meminit: narrans, quòd postquàm Festus Præses Felicis successor apud Iudæam obiit, & Prouincia Rectore ac Principe,antequam Albinus succederet, caruit, Iacobus frater Domini sæuitiam D Iudæorum passus ad Dominum transierit. Hic ex vtero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit,neque animal manducauit. Ferrum in caput eius non ascendit,oleo non est perunctus,balneis non est vsus. Laneo non vtebatur indumento, sed tantum sindone. Solus ingrediebatur templum, & iacebat super genua sua, orans pro populi indulgentia: itaut callos in genibus in modum cameli faceret orando,genua semper flectendo,nec vnquam ab oratione cessando. Itaque pro incredibili continentia, & summa iustitia, appellatus est Iustus,& Oblias,quod munimentum populi interpretatur.

Qvidam de septem hæresibus Iudæorum interrogabant eum, quòd esset ostium Iesu. At ille dicebat hoc esse Saluatorem. Septenis quippe sectionibus à se Iudæi discrepant,& à linea veritatis deuiant. Nam Pharisæi & Saducæi, Essenij &

Galilæi,

A Galilæi, Æmerobaptistæ, Basbuthæi, & Samaritæ, priuatis appellari vocabulis gloriantur, & diuersa dogmata pro intentione sua pertinaciter asserunt, & sequuntur. Ex quibus aliquanti per Iacobum crediderunt, qui est Christus. Cúmque multi ex Principibus credidissent in Iesum, orta est ingens perturbatio Iudæorum, Scribarum, & Pharisæorum, dicentium: nihil superest, quin omnis populus credat in Iesum, quod ipse sit Christus. Deinde communi consultu ad Iacobum accesserunt, eúmque reuerenter rogauerũt, vt in die festo Paschæ in excelsum pinnæ templi locum ascenderet, verúmque testimonium de Iesu multitudini Iudæorum & Gentilium, qui de vicinis seu longinquis ciuitatibus conuenirent, asseueraret. At ille, occasione accepta manifestandi veritatem, lætatus est; obsequiúmque suum precantibus, licèt non ad libitum malignantium, pollicitus est. Hoc enim vir iustus diuino agi nutu intellexit, ideóque obsecrantibus adquieuit. In sublimi positus ad omnem populum voce magna clamauit, atque Iesum Dei filium omnia compleuisse, quæ de illo Prophetæ prædixerant, constanter & manifestè asseruit.

B DENIQVE fideli prosecutione Iacobi finita, turbæ gauisæ sunt, Dominúmque glorificãtes dixerunt: Osanna filio Dauid. Pharisæi autem aliíque veritatis inimici, valdè contristati sunt; & inito inter se pessimo concilio clamauerunt: ô, & iustus errauit. Tunc adimpleuerunt quod in libro Sapientiæ scriptum est: Auferamus iustum, quia inutilis est nobis. Nam Pharisæi ad eum ascendentes dixerunt: Nos te rogauimus, vt errorem à populo de Iesu tolleres, & tu amplificasti. Quibus ait Iacobus: Ego errorẽ tuli, & veritatẽ ostendi. Illi autem turbis in eius prædicatione gratulantibus, & in Iesum credentibus, eum ex alto præcipitauerunt, & lapidibus vrgere cœperunt. Qui deiectus super genua sua procubuit, & orans dixit: Rogo te, Domine Deus pater, remitte illis. Non enim sciunt quid faciunt. Cúmque eum talia orantem desuper lapidibus perurgerent, vnus de sacerdotibus, de filiis Rechab, exclamauit, dicens: Parcite, parcite quæso. Quid facitis? Pro vobis orat hic iustus, quem lapidatis. Tunc iratus quidam ex Pharisæis, perticam fullonis arripuit, & in capite eius fortiter dedit, eiúsque cerebrum eiecit. Testis itaque Iesu Christi tali martyrio est consummatus, ibíque propè templum Kal. Maij est sepultus. Non multò post, oppugnatio consequuta est Vespasiani, quam prudentes Iudæorum crediderunt diuinitus accidisse pro vindicta Iacobi iusti; vt euidenter legitur in libris Iosephi Hebræorum insignis Historiographi. Incredulis pro certo Iudæis duplici cõtritione periclitãtibus, Ecclesia Dei gaudens in vera fide & saluificis virtutibus, fortem bellatorem in auxilium diuturni certaminis aduocat pura deuotione, clarísque vocibus: Iacobe iuste, Iesu frater Domini, sit tibi pia super nos cõpassio, quos reos facit superba iactantia, atque fœdauit mundi petulantia. Nostra clementer exaudi precamina, impetrans nobis veræ lucis gaudia. Pro inimicis qui orasti Dominum, tibi deuotis impende suffragium, vt sempiternum nanciscamur præmium. Amen.

C

PHILIPPVS os lampadis interpretatur, quo nomine demonstratur, quòd ipse totus patens erat infusioni geminæ charitatis: & diuinis obsequendo mandatis, imbutus & instructus charismatibus sacris, instar lucidæ lampadis barbaras gẽtes illustrauit rutilãtibus exemplis & doctrinâ veritatis. Hic à Betsaida ciuitate Galilææ ortus est, & inter primos vestigia Christi secutus est. Post Ascensionem Domini Gallis, vel Galathis, atq; Scythis per xx. annos Euangelium prædicauit; & diuersas gentes ad agnitionem veri luminis pertraxit. Quondam in Scythia, dum à Gentilibus teneD retur, ac ad statuam Martis ductus ad sacrificandum compelleretur, ingens draco de subtus basim statuæ exiit, & filium Pontificis, qui ministrabat ignem sacrificij, percussit. Duos etiam Tribunos, qui eidem Prouinciæ præerant, quorum officiales sanctum Philippum Apostolum in vinculis tenebant. De flatu autem draconis omnes morbidi redditi sunt, & vehementer ægrotare cœperunt.

TVNC Philippus omnes admonuit, vt in Dominum crederent, & Martem deiicientes confringerent: in loco autem, in quo fixus stare videbatur, crucem Domini affigerent, & ipsum adorarent. Deinde adiecit, quod si hæc agerentur, infirmi sanarentur, mortui resuscitarentur, & lethifer draco in nomine Iesu Christi fugaretur. Tunc illi, qui cruciabantur, dolore coacti clamare cœperunt: Recuperetur in nobis virtus, & hunc Martem deiiciemus. Facto itaque silentio, Apostolus præcepit draconi, vt protinus egrederetur in nomine Domini; & vadens in desertum

Mm

nemini noceret, & in loco vbi accessus hominum non est habitaret. Tunc sæuissimus draco exiuit, & festinanter abire cœpit, & vltra nusquam comparuit. Apostolus autem filium Pontificis, & Tribunos, qui mortui fuerant, in nomine Domini suscitauit, omnémque turbam, qui morbida erat, sanitati restituit. Vniuersi ergo, qui Philippum Apostolum persecuti sunt, pœnitentiam egerunt, & Deum hunc esse putantes adorare voluerunt. Ipse autem per vnum annum eos iugiter docuit, eisque notitiam summi Dei solerter insinuauit, & omnia, quæ ad veram fidem pertinent, instanter in cordibus credentium seminauit. Multa igitur milia hominum crediderunt, & ab eodem Apostolo baptizati sunt. A

PHILIPPVS itaque Apostolus gratiâ Dei multipliciter adiutus multas Ecclesias construxit, & Episcopos ac Presbyteros cum reliquis Ordinibus sacris in Ecclesia ordinauit. Deinde per reuelationem ad Asiam reuersus, in ciuitate Hieropoli commoratus malignam extinxit hæresim Hebronitarum, qui Dominum Iesum negant esse Dei filium, nec hominis corpus sumpsisse de Virgine verum. Duæ verò filiæ eius sacratissimæ virgines ibi erant, per quas Dominus multitudinem virginum lucratus est. Ipse autem ante septem dies migrationis suæ, Presbyteros, & B Diaconos, & vicinarum vrbium Episcopos ad se vocauit: eisque, quod septem tantùm diebus vitales auras carperet, prædixit. Deinde omnes commonuit, vt in fide viriliter starent & doctrinæ, Domini semper memores essent. Denique beatus Apostolus, postquam copiosè exhortatus est populum, annorum LXXX. & VII. Kal. Maij perrexit ad Dominum: & Hierapoli tumulatum est corpus eius sanctissimum. Post aliquantos annos duæ filiæ eius dextra læuáque sepultæ sunt: ibique multa beneficia fideliter poscentibus fiunt meritis illius, ad quem amici sponsi accedunt, & tripudiantes claris vocibus ita canunt: Proni rogamus, Philippe, os lampadis, pias cœlestis aures pulsa iudicis: vtque meremur repellat supplicia, & quem precamur det superna gaudia, Amen.

THOMAS abyssus, & DIDYMVS interpretatur geminus, quia Saluatori similis est redimitus multimodis virtutum charismatibus. Hic Euangelium prædicauit Parthis & Medis, Hircanis & Persis, Bactrianis & Indis, ac martyrium in Calamina ciuitate in die XII. Kal. Ianuarij sub MIDEO Rege consummauit: & C non multò post indè ad Ecclesiam vrbem multis mirabilibus coruscauit.

IN relationibus de Apostolis multa diuersitas est tam pro antiquitate temporis, quàm pro longinquitate regionum, vbi Agricolæ Christi prædicauerunt barbaris, qui dissona barbarie sua valdè discrepant à Romanorum ritibus & vsu locutionis. Vnde in quibusdam, quæ de sanctis Apostolis legimus, quoniam ab incertis edita sunt auctoribus, & vsque ad nos transmissa, dubitamus: præsertim cùm à Gelasio Papa, aliisque magnis apocrypha nuncupata sint Doctoribus. Egregius quoque Pontifex Augustinus in huiusmodi scriptis dubitauit, & cum meticulosa scrupulositate de sancti Thomæ gestis contra Faustum Manichæum quoddam exemplum protulit. Hoc ideò dixi de dissonantia scriptorum, quæ per orbem passim reperitur in voluminibus antiquorum, non vt derogem mirandis operibus Sanctorum; sed vt quæcúmque scripta sunt de Apostolis, aliisve beatis, studio priorum, cum subtili cautela discutiatur ad fidei munimentum, & ædificationem morum. Nunc in nomine Domini breuiter prosequar narrationem, quæ sancti Thomæ Apostoli refert fructiferam peregrinationem, felicem & gloriosam de Christo prædicationem, & laboriosam vsque ad perennis vitæ brauium passionem. D

THOMAS DIDYMVS cùm apud Cæsaream esset, Dominus Iesus Christus ei apparuit, ipsúmque ABBANI Præposito GONDAFORI Regis Indorum commendauit, & cum eo, vt Romano opere Palatium Regi fabricaret, in Indiam misit. Nauigantibus illis per mare, Thomas de artis suæ scientia multa mysticè locutus est, & miranda opera in marmore & ligno in omni structura se facturum pollicitus est. Septimo autem die Andrinopolim prosperè venerunt, & de naui descenderunt, voces cantantium in organis & tibiis citharisque audierunt. Nuptias nimirum Rex ciuitatis celebrabat, in quibus Pelagiam filiam suam Dionysio tradebat. Præcones vrbem circumeuntes clamabant, vt omnes regali conuiuio interessent; diues, pauper, nobilis, ciuis, ac peregrinus. Quicúmque non venisset, Regem offenderet. Abbanes ergo cum Thoma conuiuio interfuit, sed Thomas solito more non iocis, nec epulis, sed cœlesti

A theoriæ studuit. Intereà cantatrix Hæbræa ferens tibiam, secus prandium circumibat, & vnicuique quod illi placeret canebat. Veniens autem ad Thomam, diutiùs immorata ante illum stetit, ac vt hominem non manducantem neque bibentem, sed oculos cælis affixos habentem perspexit, hunc Hebræum esse, & Dei cæli oratorem intellexit. Congaudens igitur illi, vt compatriotæ, Hebraicè cœpit canere: Vnus est Deus Hebræorum, qui creauit omnia: ipse fecit cælum & terram, & ipse fundauit maria. Hæc Apostolus audiens, plus orabat, & puellam verba veritatis canentem attentiùs eadem replere admonebat. Tunc ipsum, quòd neque manducaret, neque biberet, pincerna increpauit, & palmam in faciem eius dedit. Apostolus verò mox Hebraicè prædixit, quod ei protinus antequam conuiuium compleretur, contingeret. Porrò pincerna vt aquam de fonte deferret, exiuit, eúmque leo inuasit, & bibens sanguinem eius abiit. Canes verò membra eius comederunt, quorum vnus niger dexteram eius in ore ferens, in medium conuiuij apportauit. Stupen-B tibus conuiuis, qui hæc intuebantur, Hebræa cantatrix, quæ sola prophetiam eius intellexerat, tibiam suam iactauit, & currens pedes eius osculari cœpit, & omnibus qui aderant, dixit: Hic homo, aut Propheta est, aut Apostolus Dei. Nam vt pincerna eum percussit, casum quem passus est Hebraico sermone prædixit: Non exurgam, inquit, de hoc conuiuio, nisi manum ipsam à cane nigro huc deferri videro.

Cvmqve de strepitu hominum Rex inquireret, & quid accidisset audiret, Apostolum ad se vocari fecit, ac vt filiam suam vnà cum sponso eius benediceret rogauit. Thomas itaque in thalamum vnà cum Rege intrauit, manum suam super amborum capita posuit; eísque in Dei nomine, memoratis Patriarcharum nominibus, orans benedixit. Cùm autem Apostolus è thalamo egressus abiret, & sponsus eum deduceret, ramus palmæ plenus dactylis grandibus in manu eius apparuit. Vnde gaudens iuuenis ad sponsam suam cucurrit, eique ad gustandum de fructu eius dedit. Cúmque ambo de fructu memorato gustassent, subitò soporati vnum somnium viderunt. Nam quasi Rex potens C gemmatus videbatur, & in medio eorum stans vtrosque amplectebatur, dicens: Apostolus meus benedixit vos, vt æternæ vitæ participes efficiamini. Euigilantes autem, cùm mutuò sibi narrarent quæ vidissent, ecce Thomas apparuit eis, dicens: Rex meus, qui modò vobis locutus est in visione, ipse me ianuis clausis introduxit, vt benedictio mea super vos fructificet. Habetis enim integritatem, quæ est omnium Regina virtutum, & fructus salutis perpetuæ. Virginitas soror est Angelorum, & omnium possessio bonorum. Virginitas victoria libidinum, fidei trophæum, triumphus de inimicis, & æternæ securitas quietis. Nam de corruptione nascitur pollutio, de pollutione reatus, de reatu confusio.

Cvmqve Thomas hæc & multa alia de virginitatis laude, & libidinis fœditate disseruisset, multáque incongrua, quæ de carnali commixtione plerisque D oriuntur, retulisset: Dionysius & Pelagia gratanter omnia quæ docebantur ab Apostolo audierunt, eísque ibidem duo Angeli apparuerunt: Nos, inquiunt, Angeli sumus, qui vobis à Deo dati sumus, pro benedictione Apostoli eius: vt dum custodieritis monita eius, omnes Domino petitiones vestras offeramus.

His aliisque piis monitis sponsus & sponsa instructi sunt, & prostrati ad pedes Apostoli, dixerunt: Confirma nos in omni veritate, vt nihil nobis de scientia Dei desit. Quibus ait: Veniam ad vos sequenti nocte, & pleniùs vos instruens, proficiscar. Igitur iuxta promissum suum venit, de omnibus æternæ vitæ mysteriis ambos diligenter instruxit, & baptismatis eos vndâ sanctificauit. His itaque peractis, nauigauit: & post aliquod tempus vnum ex discipulis suis misit, quem Presbyterum ordinans ita constituit, vt in eadem ciuitate consisteret, & Ecclesiam ordinaret, in qua multus Deo populus est adquisitus. Ibi sedes est Thomæ Apostoli, fidésque Catholica vsque in hodiernum diem. Dionysius autem Episcopus factus est, sponsámque suam sacro velamine consecrauit, quæ post obitum eius duplex martyrium pertulit: quia virum habere contem-

psit, nec idolis sacrificare voluit. In Christi ergo confessione decollata est, & super tumulum eius Græcis sermonibus, & litteris ita scriptum est: IN HOC LOCO REQVIESCIT SPONSA DIONYSII EPISCOPI, ET FILIA THOMÆ APOSTOLI. A

CVM venisset Hieropolim Indiæ ciuitatem, ingressus Abbanes ad Gondaforum Regem, nunciauit Thomam adesse peritissimum artificem. Rex autem de fabricando Palatio cum eo tractauit, & ædificij locum illi ostendit. Thomas autem arundinem apprehendit, & metiendo dixit: Ecce ianuas hîc disponam, & ad ortum solis ingressum: primo proaulam, secundo salutatorium, in tertio consistorium, in quarto tricorium, in quinto zetas hyemales, in sexto zetas æstiuales, in septimo epicaustorium, & triclinia accubitalia, in octauo thermas, in nono gymnasia, in decimo coquinam, in vndecimo colimbos & aquarum lacus influentes, in duodecimo hypodromum, & per gyrum arcus deambulatorios. Rex autem considerans, ait: Verè artifex es, & decet te Regibus ministrare. Deinde infinitas illi pecunias relinquens, abiit.

APOSTOLVS siquidem cœpit Prouincias & ciuitates circumire, verbum Domini prædicare, credentes baptizare, & egenis abundanter donare. Innumerabilem itaque populum Domino acquisiuit, Clericos ordinauit, Ecclesias fabricauit; & per totum biennium, quo Rex Gundaforus absens fuit, Ecclesias firmauit. Cúmque Rex venisset, & Apostoli facta deprehendisset, ipsum cum Abbane ferro vinctos in ima carceris trudi præcepit. Et quoniam Gad frater Regis in extremitate vitæ languebat, interfectionem eorum distulit. Cúmque cogitaret vt viuentes excoriaret, & ita flammis traderet, moritur Gad germanus eius. Et quia multùm amabatur, fit intolerabilis luctus. Barbari mortuum pro ritu gentis purpura & bysso circumdant, totúmque corpus gemmis perornant. Rex quoque ex purpureis lapidibus memoriam eius extrui, & ipsum in labro purpureo poni. Intereà dum ab artificibus pomposa peragerentur opera, ideóque fieret eius sepulturæ mora; Gad ipse, qui mortuus fuerat, resurrexit, quarta die, hora diei prima. Et factus est pauor & stupor, & silentium omnibus, qui more Indico exhibebant regio funeri planctus. Porro Gad Gundaforum Regem redarguit, quòd amicum Dei, cui famulantur Angeli, disposuisset excoriare & incendere. Palatium etiam in cælo inenarrabile se vidisse retulit, eo factum ordine, quo Thomas disposuit; & de meritis eius, secretísque cælestibus plura reserauit. Deinde ad carcerem festinus perrexit, Apostolum à vinculis absoluit, pronus ad pedes eius plorauit, & indulgentiam fratri suo postulauit. B C

EGREDIENTI Apostolo, Rex ipse iam moderatior occurrit, & pedibus eius aduolutus veniam petiit. Tunc Apostolus, accepta occasione congrua, barbaros edocere cœpit: & veritatem annuncians, inter cætera dixit: Dominus meus Iesus Christus multum vobis præstitit, qui secreta sua vobis ostendit. Ecce, Prouinciæ vestræ Ecclesiis plenæ sunt. Parati ergo estote, vt sanctificemini. Hæc, & alia his similia Principibus intimauit, eósque de fide & sacra religione instruxit.

INGENS fama de virtutibus, quas Dominus per Apostolum operabatur, per Indiam diffusa est: & nimia congregatio populorum de longinquis & proximis ciuitatibus ad eum facta est. Vitulos ei & arietes more diuino sacrificare volebant, quia ipsum esse Dominum putabant. Porrò, Gundaforus Rex Apostolo suadente iussit, vt per vnum mensem expectarent, quousque totius Prouinciæ conglobatio fieret, & ita demum facerent quod ipse iuberet. Completis ergo XXX. diebus, in campo iuxta Gazi montis ascensum hominum multitudo congregata est, in qua variis ægritudinibus laborantium magna multitudo adest. Apostolus autem omnes infirmantes in vnum congregari præcepit, & ipse in medio eorum stetit: manúsque suas ad cælos expandens, pro eis orauit. Finita oratione Apostoli, choruscus super eos venit, & ita omnes, vt ictu fulguris perituros se formidarent, terruit. Omnes prostrati cum Apostolo, per mediam ferè horam iacuerunt; sibique gratissimam Dei bonitatem adesse senserunt. Multi enim febricitantes & surdi, cæci & claudi sanati sunt, aliæque infirmitates ab hominibus virtute Creatoris depulsæ sunt. Iubente Apostolo, de humo cuncti surrexerunt, & gaudentes pro recepta sanitate Dominum glorificauerunt. D

A TUNC beatus Thomas ascendit supra petram, vt omnes videret, & videri ab omnibus posset: factóque silentio, veram eis doctrinam vbertim exhibet. Sequenti Dominico baptizati sunt nouem millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus. Apostolus ad Indiam superiorem profectus est per reuelationem, & omnes populi festinabant ad eius opinionem. Signa & prodigia quæ faciebat videbant. Vnde mirantes, prædicationem eius contemnere non audebant. Dæmones enim expellebat, cæcos illuminabat, & leprosos mundabat. Omnes etiam dolores, & calores, & frigores pellebat: mortuos quoque suscitabat.

QUÆDAM mulier nomine Sintice, quæ cæca per annos sex fuerat, ita curata est, vt nec signum præteritæ infirmitatis haberet. Inde Migdonia vxor CARISII cognati Regis Mesdei valdè accensa est: & mutato habitu applicuit se inter ancillas suas, vbi de Deo vero saluberrimum sermonem faciebat sanctus Thomas. Docente Apostolo, vniuersa multitudo credidit, & post ieiunium septem dierum baptisma percepit. Migdonia verò, sermone audito ex ore Apostoli, noluit vltrà contingere thoronum viri sui. Iratus itaque Carisius, perrexit ad Regem; & impetrauit ab eo, vt tentus Apostolus mitteretur in carcerem. Sintice autem Migdoniam ad B carcerem duxit, & dato munere carcerario, ad eum intrauit. Apostolus, audita credulitate Migdoniæ, iussit vt in domum suam citò reuerteretur, ibíque in cubiculo clauso ipsum præstolaretur. Mediæ verò noctis tempore, Apostolus affuit, promissa complens cameram intrauit, Migdoniam confortauit, in fide erudiuit; septem diebus ieiunare præcepit. Octauo autem die iterum similiter rediit, & fidelem feminam, cum omnibus qui crediderant, baptizauit. Carisius autem, cuius sororem Mesdeus Rex habebat vxorem, petiit vt Treptia Regina mitteretur ad suam vxorem, quatenus per eam reuocaretur ad thorum maritalem. Mesdeus Rex concessit. Treptia Regina perrexit, astutis blanditiis Migdoniam conuenit, totóque nisu ad pristinam conuersationem retrahere studuit. Verùm illa iam in Christo fundata fortiter restitit, iámque fide fortis bellatrix repugnauit: & Reginam ratione victam ad Christum strenuè compulit. Dulci enim affatu ei respondit, eius animo amorem Apostoli solerter iniecit: & ita prædicando mulieris cor citò supposuit. Ait enim: O soror Treptia, si scires quæ ego didici, non hominem putares « C esse, sed Deum. Surdis enim auditum reddit, salutem omnibus ægrimoniis restituit: aliquando etiam mortuos ad vitam resuscitauit. Hîc ostendit alteram vitam « immortalem, nesciam omnis doloris, omnísque tristitiæ. In hac etiam nocte mortuus ab eo resuscitatus est. Nam Dux militum SIMFORUS ad carcerem abiit, à « carcerariis Apostolum in fide sua suscepit, & in domum suam duxit. Ipse autem « orationem fecit, & vnicum filium Ducis, qui mortuus fuerat, resuscitauit. Ecce « nunc in domo Ducis sedet, omnes ad se ingredientes docet, & vniuersas infirmitates curat. Respondit Treptia; Si ita est vt asseris, eamus, & si verè ita comprobauero, protinùs credam ei. Stultum est enim æternam vitam non appetere, & tantis « virtutibus non credere. Ducis itaque ad domum perrexerũt, ingressæ ad eum tunc loqui non potuerunt. Occupatus enim erat, manus imponens super infirmitates varias. Regina, vt tanta mirabilia vidit, obstupefacta dixit: Maledicti sunt à Deo, " qui non credunt operibus salutis. Tunc quidam elephantiosus aspectu nimis hor- " D ribilis, scabroso vultu, & voce raucissima, iubente Apostolo introductus est. Porrò in eum Apostolus aspiciens fleuit, & fixis genibus diutissimè orauit, eíque dexteram imponens, Dominum suppliciter inuocauit. Deinde puer quidam fulgido aspectu apparuit, leprosum à parte anguli secreti tulit, vestibus suis exuit: corio quoque quasi tunica corporali spoliauit, sicut qui excoriat vitulum, & reuocauit eum ad Apostolum. Ille verò consignans eum signo crucis baptizauit, nouísque & candidis indui vestimentis fecit. Hæc videns populus, Deum magnificauit, & Regina pedes eius osculans baptizari postulauit. Tunc Apostolus, quia tempus migrandi de corpore proximum esse præsciuit, Reginam cum omnibus qui ibi aderant baptizauit.

REVERSA Regina, Regem de fide commonuit, séque Christianam constanter ostendit. Tunc cor Regis expauit, & iratus contra Carisium clamauit. Cùm « studeo recuperare tibi vxorem tuam, perdidi meam. Nam Treptia peior facta est « mihi, quàm Migdonia tibi. Statim iussit ad Thomam mitti, & manibus à tergo liga- «

tis ante se adduci. Adducto autem præcepit, vt persuasione sua deceptas mulieres A restitueret thalamo coniugali. Quod cùm ille facere detrectasset, ipsósque persecutores saluare per fidem maluisset; iratus Rex iussit lanceas ferreas igniri, & Apostolum excalciari, vt nudis pedibus super stans hoc deficeret dolore. Protinùs prorupit aqua, & extinctæ sunt lances. Deinde consilio Carisij missus est in fornacem thermarum, sed thermæ vltra calere non potuerunt: & Apostolus altero die incolumis egressus est. Denique coegerunt illum, vt simulacro solis offerret sacrificium. Erat autem statua solis ex auro facta, habens quadrigam equorum auream, & currum, vbi habenis effusis, quasi cursu rapido agebatur ad cælos. In templo gentiles barbarico ritu choros ducebant, & virgines cum liris cantabant, cum tibiis & tympanis, cum titulis atque thuribulis. Cúmque Rex & amici eius illuc Apostolum introduxissent, & immolare simulacro Solis illi persuaderent: ipse dæmoni Hebraico sermone præcepit, vt exiret, sibíque apparens imperata perficeret. Egressus autem dæmon stetit ante eum, ita vt solus videret eum. Apostolus cum Zabulo Hebraicè loquebatur, & nullus sciebat quid diceret, vel cui loqueretur.

TANDEM cùm sanctus Thomas adorans Dominum in templo genua flexisset, B & dæmoni Rege præsente in Christi nomine præcepisset, vt neminem læderet, sed metallum simulacri comminueret: statim idolum liquefactum est quasi cera iuxta ignem posita, & resolutum. Omnes verò Sacerdotes leuauerunt mugitum. Tunc Pontifex templi Apostolum transuerberauit gladio. Rex autem fugit cum Carisio. Magna itaque facta est dissentio, quia maior pars populi clamabat pro Apostolo, itaut percussor eius quæreretur, quatenus viuus incenderetur. Corpus verò Apostoli cum laudibus & hymnis in Ecclesiam honorificè transtulerunt, & preciosis aromatibus condierunt: ibíque magna signa & prodigia facta sunt. Nam dæmoniosi liberabantur, & omnes ægritudines curabantur.

POST longum tempus Syri ab Alexandro Imperatore Romano, qui victor de prælio Persidis è Xerse Rege deuicto veniebat, supplicantes impetrauerunt, vt mitteret ad Regulos Indorum, vt ciuibus redderent defunctum. Corpus igitur Apostoli de India translatum est, & in Edessa ciuitate in locello argenteo ex catenis argenteis pendente positum est. Ibi nullus idolorum cultor, nullus hæreticus potest C viuere, nullus Iudæus.

ABGARVS Toparcha eiusdem vrbis Rex fuit, qui epistolam manu Saluatoris scriptam accipere meruit: quam infans baptizatus stans super portam ciuitatis legit, si quando barbara gens contra ciuitatem venerit. Eadem qua lecta fuerit, aut placantur barbari, aut fugantur eminati, tam Saluatoris scriptis, quàm orationibus sancti Thomæ Apostoli, siue Didymi, qui latus Domini contingens dixit: *Tues, Domine, Deus meus.*

GEORGIVS Florentius Gregorius Turonensis venerabilis Archiepiscopus scribit, quòd à Theodoro quodam de sancto Thoma audiuit, qui tunc temporis in Indiam peregrinatus fuerat, & inde reuersus hæc inter cetera narrabat:

» IN India, in loco vbi corpus beati Thomæ Apostoli priùs requieuit, habetur » Monasterium, & templum miræ magnitudinis diligenter exornatum atque com» positum. In hac igitur æde magnum miraculum Dominus ostendit. Lichinus inibi » positus, & illuminatus ante locum sepulturæ illius, perpetualiter die noctúque di- D » uino nutu resplendet, à nullo fomentum olei scirpíque accipiens: neque vento » extinguitur, neque casu dilabitur, neque ardendo minuitur. Habet incrementum » per Apostoli virtutem, quod nescitur ab homine, cognitum tantùm habetur di» uinæ potentiæ. In Edessa vrbe, in qua beatos artus tumulatos diximus, aduenien» te translationis eius festiuitate, magnus aggregatur populorum cœtus, ac de diuer» sis regionibus cum votis & negotiis venientibus, vendendi comparandíque per » XXX. dies sine vlla thelonei exaactione licentia datur. In his verò diebus, qui » in mense quinto habentur, magna & inusitata populis beneficia præbentur. Non » scandalum surgit in plebe, non musca incidit mortificatæ carni, non latex deest » sitienti. Nam cùm ibi reliquis diebus plus quàm centum pedum altitudinem aqua » hauriatur à puteis, nunc paululum si effodias, affatim lymphas exuberantes inue» nies. Quod non ambigitur, hæc virtute Apostoli impertiri. Decursis igitur solenni» tatis diebus, theloneum publico redditur, musca quæ defuit adest, propinquitas

A aquæ dehiscit. Dehinc emissa diuinitùs pluuia ita omne atrium templi à sordibus & diuersis squaloribus, qui per ipsa solemnia facti sunt, mundat, vt putares illud nec fuisse calcatum.

Vere Deus noster omnipotens, iustus & pius iudex, atque redditor patiens, sanctos suos mirè glorificat, & ineffabiliter honore perenni coronat: genus humanum terrendo castigat, & puniendo per pœnitentiam saluificat. Nos igitur ipsi gementes in valle plorationis supplicemus, pro ineffabilibus bonis suis gratias agamus, & mandatis eius inhærendo, ad illum festinemus. Beatum quoque Thomam Apostolum, qui Didymus dicitur, exoremus, eique fiducialiter canentes dicamus.

O Thoma Christi perlustrator lateris, per illa sancta te rogamus vulnera, quæ mundi cuncta diluerunt crimina, nostros reatus terge tuis precibus. Dira sentimus peccatorum vulnera, pro quibus damus anxij suspiria, flentes oramus, pro nobis potentia offer Tonanti clementer precamina, amen.

B Bartholomævs Syrum est, & interpretatur filius suspendentis aquas. Hic in sorte prædicationis Lycaoniam accepit, deinde in Assyria, Tarsia, & India euangelizauit. Ad vltimum in Albano maioris Armeniæ vrbe viuens est à Barbaris decoriatus, atque iussu Regis Astyagis decollatus: sicque IX. Kal. Septembris est terræ conditus. Huius sacratissimum corpus primùm ad insulam Lipparis, deinde Beneuentum, anno ab Incarnatione Domini DCCCIX. translatum, pia honoratur veneratione fidelium. Nunc totam seriem passionis eius libet solerter rimari, & ex antiquis codicibus huic nostræ breuiter inserere narrationi.

Indiæ tres esse ab Historiographis asseruntur, in quibus traduntur fuisse oppidorum quinque millia, populorum verò nouem millia. Prima India ad Æthiopiam mittit, secunda ad Medos, tertia finem facit: quia ex vno latere habet regionem tenebrarum, & ex alio mare Oceanum. In hanc ergo Indiam Bartholomæus Apostolus venit, & in templum, in quo idolum Astaroth erat, intrauit, ibique quasi peregrinus manere cœpit. Apostolo itaque adueniente, Astaroth obmutuit, nec consulentibus responsa dedit, nec his quos læserat subuenire potuit. Cúmque iam C plenum esset languentibus templum, & quotidie sacrificantibus nullum daret Astaroth responsum, morbidi verò, qui de longinquis regionibus adducti fuerant, suos dolores miserabiliter plangerent, idolique cultores, neque sacrificando, neque seipsos more suo laniando proficerent: in aliam ciuitatem, vbi aliud dæmonium nomine Beerith colebatur, perrexerunt, & illic sacrificantes, de taciturnitate Dei sui, & aliis euentibus suis consuluerunt. Quibus ille dixit: Quia Deus vester sic captiuus, & catenis habetur igneis strictus, vt neque suspirare, neque loqui audeat, ex quo illuc ingressus est Apostolus Dei Bartholomæus. Interrogantibus autem, quis ille Bartholomeus esset, dæmon respondit: Amicus est Dei omnipotentis, & ideò in istam venit Prouinciam, vt numina quæ colunt Indi euacuet. Astarothitæ autem dixerunt: Dic nobis signa eius, vt eum inter multa millia cognoscere possimus. At ille respondit: Capilli nigri capitis & crispi, caro candida, oculi grandes, nares æquales, & directæ, aures coopertæ crine capitis, barba prolixa habens canos paucos, statura æqualis, quæ nec breuis, nec longa nimium possit aduerti. Vestitur colobio albo clauato purpurâ, induitur pallio albo, per singulos an-D gulos singulas gemmas purpureas habens. Viginti sex anni sunt, ex quo numquam sordidantur vestimenta eius, neque veterascunt. Similiter & sandalia in pedibus eius per XXVI. annos numquam veterascunt. Centies flexis genibus per diem, centies per noctem orat Dominum. Vox eius quasi tuba vehemens est. Ambulant cum eo Angeli Dei, qui non permittunt eum fatigari, nec esurire. Semper eodem vultu, eodem animo perseuerat, omni hora lætus & hilaris permanet. Omnia prouidet, omnia nouit, omnem linguam omnium gentium & loquitur & intelligit. Ecce & hoc quod vos interrogatis, & quod ego do responsum de eo iam nouit. Angeli Dei famulantur ei, & ipsi nunciant ei. Hæc & alia plura dæmon locutus conticuit.

Revertentes omnium peregrinorum hospitia circumierunt, vultus & habitum singulorum aspexerunt: sed per duos dies Apostolum Dei non inuenerunt. Denique quidam dæmoniacus, nomine Seusticus, clamans, dixit: Apostole Bar-

„ tholomæ, incendunt me orationes tuæ. Apostolus autem dixit ei: Obmutesce, A
& exi ab eo. Et statim liberatus est homo, qui per multos annos fatigatus fuerat
ab eo.

Hoc vt Polemius eiusdem Prouinciæ Rex audiuit, ad eum misit, rogans
vt sanaret filiam suam, quæ lunatica erat, & omnes quos tenere poterat morsu at-
trectabat, aut scindebat, & cædebat. Exurgens itaque Apostolus cum nuncio Re-
gis perrexit, & puellam catenis strictam solui præcepit. Porrò, metuentibus mini-
„ stris ad eam accedere, dixit Apostolus: Vinctum teneo inimicum, qui erat in ipsa.
„ Ite, & eam soluite: lauate, & reficite, & crastina die manè ad me adducite. Euntes
fecerunt quod Apostolus iussit, eámque dæmon vltra vexare non potuit. Tunc
Rex onerauit camelos auro & argento, gemmis ac vestibus, & quæsiuit Aposto-
lum: sed eo non inuento, cuncta reportata sunt ad Palatium.

Cvmqve sequentis diei aurora inciperet, & Rex in cubiculo clauso esset, A-
postolus ei solus apparuit, ipsúmque vera fide & salutari doctrina instruxit. Nam
incarnationem Verbi Dei ex intemerata virgine Maria seriatim retulit, trimo- B
dámque tentationem, tripli cémque victoriam diligenter enucleauit.

Polemivs Rex Apostolicæ prædicationi adquieuit, & Pontifices idolorum in
crastinum sacrificare ex industria præcepit. Ipsis autem prima diei hora sacrifican-
tibus dæmon locutus est, & vexationes suas, quibus ab Angelis torquebatur, con-
questus est. Apostolo quoque præcipiente, deceptiones suas, quibus miseros vul-
nerabat, palam confessus est.

„ Tvnc Apostolus dixit ad plebem: Ecce quem Deum putabatis curare vos, au-
„ dite nunc verum Deum creatorem vestrum, qui habitat in cælis: & si vultis vt
„ orem pro vobis, & omnes infirmi qui adsunt sanitatem recipiant, hoc idolum de-
„ ponite & confringite. Quod cùm feceritis, hoc templum Christi nomini dedica-
„ bo, & vos omnes hîc baptismate Christi consecrabo. Regis itaque iussu omnes po-
puli funes & trocleas miserunt, & simulacrum euertere non potuerunt. Aposto-
„ lus autem dixit eis: Soluite vincula eius. Cúmque omnia exoluissent, ille dæmoni
præcepit vt exiret, & simulacrum confringeret. At ille statim exiuit, & omnia ge-
nera idolorum comminuit. Omnes ergo, qui hoc viderunt, vna voce clamaue- C
„ runt: Vnus est Deus omnipotens, quem prædicat Apostolus eius Bartholomæus.
Tunc beatus Apostolus ad Dominum manus suas expandit, & pro saluatione om-
nium qui aderant diutiùs orauit. Cúmque omnes respondissent, amen, Angelus
Domini sicut sol splendidus habens alas apparuit, & per quatuor angulos templi
circumuolauit, digitóque suo in quadratis saxis signum crucis sculpsit. Deinde
præcepit eis, vt digito suo signum crucis facerent in frontibus suis. Et ostendit eis
ingentem Ægyptium fuligine nigriorem, facie acuta, barba prolixa, crines vsque
ad pedes habentem, oculos igneos sicut ferrum ignitum, scintillas emicantes. Ex
ore verò eius & naribus egrediebatur flamma sulphurea. Pennas & alas spineas si-
cut Sphinx habebat, & vinctus erat à tergo manus, igneísque catenis strictus. Post-
quam malignus sathan ab omni populo visus est, & ab Angelo absolutus, præci-
piente vt in desertum locum abiret, vbi nulla hominum conuersatio esset, ibíque
diem iudicij expectaret, teterrimum diræ vocis vlulatum emisit, euolauit, & nus-
quam comparuit. Angelus autem Domini, videntibus cunctis, ad cælum euolauit.

Tvnc Polemius Rex, vnà cum vxore sua & duobus filiis, cum omni exercitu
suo, & omni populo qui saluatus est, cum omni populo ciuitatis suæ, & vicinarum D
vrbium, quæ ad eius pertinebant regnum, credentes *, baptizatus est: & deposi-
to diademate capitis cum purpura, cœpit Apostolo adhærere. Intereà cultores &
Pontifices vniuersorum templorum se collegerunt, ac ad Astyagem Regem fra-
„ trem maiorem ita conquesti sunt: Frater tuus magi hominis discipulus factus est,
„ qui templa nostra sibi vendicat, & deos nostros confringit. Cùm hæc flentes re-
ferrent, ecce & aliarum ciuitatum Pontifices eadem flentes retulerunt. Astyages
igitur Rex indignatus, misit mille viros armatos cum Pontificibus, vt vbi inueni-
rent Apostolum, vinctum sibi perducerent illum. Qui cùm perductus ad Regem
fuisset, & interrogatus de Deo vero constanter respondisset, nunciatum est Regi,
quòd Deus eius Vvaldach cecidisset, & minutatim abiisset. Tunc Rex purpuream
vestem, qua indutus erat, scidit, & sanctum Apostolum fustibus cædi fecit, cæsum

A autem decollari præcepit. Innumerabiles verò populi XII. ciuitatum, qui crediderant, venerunt, cum hymnis & omni gloria corpus eius abstulerunt, eíque Basilicam miræ magnitudinis construxerũt, & in ea sacratissimum corpus posuerunt. Tricesimo autem die depositionis eius, Astyages Rex, & omnes Põtifices, à dæmonio arrepti sunt: & venientes ad templum eius, Apostolum confessi sunt, & sic Deo iudicante mortui sunt. Ingens itaque timor super omnes incredulos irruit. Vniuersi verò manifestam Dei vltionem intuentes crediderunt, & à Presbyteris, quos Apostolus Bartholomæus ordinauerat, baptizati sunt.

POLEMIVS Rex per reuelationem, omni populo & clero acclamante, ab Apostolo Episcopus ordinatus est, & signa faciens, XX. annis in Episcopatu vixit: & perfectis omnibus, ac benè compositis, & benè constabilitis, ad Dominum migrauit.

PERACTO multorum annorum spacio, quando iterum Christianis aduenisset persecutio, & viderent gentiles omnem populum ad beati Bartholomæi sepulchrum concurrere, eíque assiduæ deprecationis incensa deferre: inuidiâ illecti corpus eius abstulerunt, in sarcofagum plumbeum posuerunt, & in mare proiecerunt. B Sed prouidentiâ Dei cooperante, sarcofagum plumbeum à loco illo aquis subuehentibus subleuatum est, ac ad insulam Lipparis delatum est; ibíque Christianis, vt illud honorificè susciperent, reuelatum est. Ibidem collectum & sepultum est, & templum magnum super illud ædificatum est, & Monachilis concio cultui diuino dedita est.

MATHÆVS Leui, vt ipse in Euangelio suo refert, thelonearius, seu ex publicanis est à Domino assumptus, & Apostolorum numero additus, multiplicíque gratiâ decoratus. Hic primum in Iudæa euangelizauit, postea in Macedonia prædicauit. Ad vltimum in Æthiopia, postquàm Eglippum Regem cum multis milibus suæ gentis conuertit, & in Christo baptizauit, sub Hirtaco Adelpho, dum Missam celebraret, martyrium pertulit: sícque felix XI. Kal. Octobris ad Dominum migrauit. Series verò prædicationis & passionis beati Euangelistæ sic in priscis voluminibus reperitur.

C MATHÆVS Apostolus, postquàm in Iudæa Euangelium Hebræo sermone descripsit, præcipiente Deo Æthiopes adiit, & agens diuina opera multos saluauit. Nam ingressus ciuitatem magnam Nadaber, detexit præstigia Magorum Zaroes & Arphaxath, qui se Deos esse dicebant, & sic Eglippum Regem, eiusque populum ludificabant. Homines tamdiu immobiles stare, quamdiu ipsi voluissent, faciebant. Visus quoque & auditus hominum à suo officio refrenabant. Serpentibus vt percuterent imperabant, ipsi rursus incantando curabant. Per totam ergo Æthiopiam opinio eorum ibat, & ex longinquis regionibus Æthiopiæ populos pertrahebat, vt ad Magos festinarent, deceptíque deceptores adorarent. Malignis itaque, vt vulgo dici solet, maior reuerentia exhibetur timoris, quàm benignis amoris.

CLEMENS igitur Dominus curam hominum gerens, Mathæum Apostolum misit, per quem Æthiopibus duplici nigredine tinctis subuenit. Hunc quando vidisset Æthiops Eunuchus nomine Candacis, qui fuerat à Philippo Apostolorum Diacono baptizatus, gaudens ad pedes eius procidit, & adorans eum in domum D suam suscepit. Omnes amici Candacis Eunuchi ad eum veniebant, & vitæ verbum audientes Christo Iesu Domino credebant, & plurimi baptizabantur: videntes quòd omnia mala, quæ Magi hominibus faciebant, Apostolus Dei euacuaret. Illi enim ideò vulnerabant quos poterant, vt vulnerati ipsos rogarent. Quíque ideò curare putabantur, quoniam à læsione cessabant. Mathæus autem Apostolus Christi, non solùm hos curabat quos illi lædebant, sed etiam omnes, qui ad eum afferebantur infirmitatibus diuersis obsessi, sanabat. Veritatem verò Dei populus prædicabat, itaut omnes de eloquentia eius mirarentur, quòd Græcam & Ægyptiacam, ac Æthiopicam sermocinationem optimè loqueretur. Candaci fiducialiter & affectuosè interroganti facundè intimauit, quomodo per præsumptionem hominum ad turrem Babel confusio linguarum facta fuerit: & rursus Diuinitas incarnata per humilitatem CHRISTI humanum genus redemerit, & antiquum hostem protriuerit, electósque clientes igne sancti Spiritus inflammauerit, & omnium linguarum scientiam, omniúmque sapientiam Scripturarum pleniter edocuerit. Cúmque san-

ctus Apostolus multa de thesauro sophiæ salubria populis libenter audientibus proferret, venit qui Magos cum singulis draconibus aduenire diceret. Dracones autem galeati erant, flatus eorum flammiferum ardorem emanabat: sulphureas naribus auras spargebant, quorum odor homines interficiebat. Tunc sanctus Mathæus sese consignauit, & prohibente Candaci Eunucho, exiuit. Illicò vt duo Magi astiterunt, ambo dracones ante pedes eius obdormierunt. Tunc Apostolus Magis dixit, Vbi est ars vestra? Si potestis, excitate illos. Illi autem arte magica dracones excitare conati sunt, sed penitus non potuerunt. Interea populi conuenerunt, & hoc videntes obstupuerunt. Tandem beatus Apostolus in nomine Domini præcepit senis anguibus, vt cum omni mansuetudine ad locum suum redirent, & sine alicuius læsione abirent. Protinus serpentes caput eleuauerunt, ire cœperunt, & apertis portis vrbem egressi, nusquam comparuerunt. A

TVNC sanctus Euangelista gaudentem populum allocutus est benigno sermone, & narrauit ei seriem de primi hominis conditione, & Paradisi amœnitate, de apostatæ Angeli liuore & deceptione, de casu protoplasti Adæ per præuaricationem, eiúsque reparatione per Filij Dei passionem. Cúmque plura de Verbi materia sermocinaretur Apostolus, ecce subitò luctuosus ortus est tumultus, in quo Euphranon filius Eglippi Regis plangebatur mortuus. Ad funus eius Magi stabant, & quia illum suscitare nequibant, hunc à diis raptum in collegio Regi asserebãt: suadentes vt vnus ex diis computaretur, eíque simulachrum & templum fabricaretur. Euphenisia verò Regina sanius consilium à fideli Candace accepit, Magísque abhominabiliter contemptis, per honoratos Barones ad Regem reuerenter Mathæum Apostolum accersiit: eóque ingrediente, ipsa protinus ad genua eius se prostrauit, & fideliter ac deuotè vt filium suum resuscitaret obsecrauit. Beatus autem Apostolus bonæ fidei eius congratulatus est, & pro resuscitatione defuncti cunctipotentem Dominum deprecatus est. Deinde pueri manum apprehendit, in nomine Iesu Christi exurgere præcepit, & confestim puer exurrexit. B

TANTO miraculo viso, cor Regis expauit, coronas ei & purpuram statim deferri iussit, & præcones per ciuitates & per diuersas Æthiopiæ Prouincias misit, dicentes: Venite ad ciuitatem, & videte Dominum in effigie hominis latentem. Cúmque venisset omnis multitudo cum cereis & lampadibus, cum thymiamate & diuerso sacrificiorum genere, sanctus Mathæus sic alloquitur omnes: Ego Dominus non sum, sed seruus Dei omnipotentis, qui me misit ad vos, vt errorem relinquatis, verúmque Dominum cognoscentes colatis. Aurum, & coronas aureas, & argentum ab oculis meis tollite. Ite, templum Domino fabricate, vt ibi congregemini, & pariter audiatis verbum Dei. C

QVO audito, gaudentes abierunt, templum Deo LX. milia hominum fabricare cœperunt, & intra XXX. dies sanctam Ecclesiam consummauerunt. Mathæus illam, pro resuscitatione filij Regis RESVRRECTIONEM vocauit, ibique XXIII. annis sedit, Presbyteros & Diacones constituit, Episcopos per ciuitates & castella ordinauit, & multas Ecclesias fabricauit. Rex & Regina, & variæ plebes Æthiopum baptisimum Christi susceperunt: & Magi timentes ad Persidas fugerunt. Innumera per beatum Mathæum miracula facta sunt, quæ singillatim omnia enarrari non possunt. Nam multi cæci sunt illuminati, paralytici curati, dæmoniaci saluati, mortui etiam suscitati. D

CHRISTIANISSIMVS Rex Eglippus expleta senectute perrexit ad Dominum, & Hirtacus Adelphus accepit eius imperium. Hic dum Ephigeniam defuncti Regis filiam, quæ iam Christo dicata sacrum velamen de manu Apostoli acceperat, támque virginum ampliùs quàm ducentarum præposita erat, vxorem accipere vellet; sperans quòd per Apostolum eius animum commouere posset, cœpit cum illo agere, dicens: Dimidium regni mei accipe, tantùm vt Ephigeniam possim matrimonio meo copulare. Tunc beatus Mathæus iussit Regem, & Ephigeniam, & omnem populum sabbato adesse in Ecclesia, vt omnipotentis Dei audirent verba. Quod & factum est. Facto autem in congregatione magno silentio, loqui cœpit, & de continentia bonóque coniugio, rationabilíque operatione sapienter ac disertè disseruit. Luculenter enim demonstrauit, quòd edacitas carnium vel commixtio coniugalis pollutionem habet, sed crimine caret. Sordes quippe cor-

A porum adeò per eleemosynas & opera misericordiæ lauantur, non crimina, quæ per lacrymas pœnitentiæ non lauantur. Si quis ipso die, postquàm cibum carnalem percepit, Dominici corporis spirituali cibo refici præsumpserit, ex vtróque reus efficitur criminis, & inhonestatis, & præsumptionis: non quia manducauit, sed quia contra ordinem, & iustitiam, Deique regulam, Eucharistiæ bonum vsurpauit. Sic homicidium & mendacium, quamuis sint per naturam suam mala, bona tamen fieri videntur ex causa. Nam si quis mentitur vt innocentem abscondat, & ab inimico per mendacia protegat; aut si iudex vnum sceleratum iudicio condemnat, ne ille multos innocentes interimat: bonus & vtilis indè fructus prorumpit. Quod liquidò apparet in occisione Goliæ & Sisaræ, Aman & Olophernis. Sic matrimonia dum copulantur, boni operis honestate oriuntur: sic sanctè & iustè copulentur. At si seruus Regis desponsatam Domini sui vsurpare audeat, non solùm offensam, sed etiam crimen tam grande incurrisse dinoscitur, vt meritò viuens flammarum incendiis tradatur. Hoc ideò fit, non quia vxorem duxit, sed quia meliori se iniuriam fecit. His aliísque manifestis exem-
B plis Mathæus Apostolus Hirtaco Regi dissuasit Deo dicatæ nuptias Ephigeniæ, ne cælestis iram Regis incurreret, si eam suo matrimonio temerè copularet. Hirtacus igitur irâ accensus recessit, Apostolus autem constans & alacris doctrinæ & orationibus institit. Tunc Ephigeniam ad pedes eius prostratam coram omni populo benedixit, & velamen capitibus omnium virginum, quæ ibidem erant, imposuit. Cúmque mysteria Domini, celebrata Missâ omnis Ecclesia suscepisset, & vnusquisque ad propriam domum remeasset: ipse iuxta altare, vbi corpus Domini confecerat, remansit, ibique manibus expansis orans martyrium recepit. Spiculator enim ab Hirtaco missus Apostolum à tergo punctum gladio percussit, & sic Christi martyrem fecit. Quo audito, cum igne ad Palatium pergebat omnis populus, sed vix à Presbyteris & Diaconibus, aliísque religiosis viris coërcitus est sacris admonitionibus, ne Regem comburerent cum suis omnibus. Porro Ephigenia, quicquid in auro & argento & gemmis habere potuit, Sacerdotibus & Clero contulit: vt indè dignam Apostolo Basilicam fa-
C bricarent, & residuum pauperibus erogarent. Hirtacus verò per nobilium vxores illam priùs temptauit, deinde per Magos seducere sategit. Ad extremum, quando nihil ad suum profecisset libitum, fecit igne circumdari Prætorium, in quo cum virginibus Christi commorabatur, die noctúque Deo suo famulabatur. Sed cùm per circuitum ignis arderet, Angelus Domini cum sancto Mathæo Apostolo apparuit, sacras virgines confortauit, celerémque liberationem promisit. Mox Deus ventum validissimum excitauit, omne incendium à domo virginis suæ mutauit, & Palatium Regis cum facultatibus eius consumpsit. Ipse autem cum filio vnico vix euasit, sed inde nullum ei gaudium prouenit. Nam filium eius vehementissimus dæmon impleuit, rapidóque cursu ad Mathæi Apostoli sepulturam adduxit: & à tergo manibus ab ipso diabolo colligatis, paterna eum crimina confiteri compulit. Ipse verò elephantiosus factus in se gladium imponens occubuit, propriáque manu perforato stomacho Apostolicæ mortis pœnas luit. Omnis autem populus morti eius insultauit, & BE-
D HOR fratrem Ephigeniæ ab Apostolo baptizatum comprehendit, sibíque Regem sublimauit. Hic XXV. anno ætatis suæ regnare cœpit, & per annos LXII. regnauit, pacémque firmissimam cum Romanis & Persis habuit. Omnes Æthiopum Prouinciæ Catholicis Ecclesiis repletæ sunt, ac ad confessionem beati Mathæi Apostoli mirabilia magna fiunt. Hic primus Euangelium Domini nostri IESV CHRISTI Hebræo scripsit sermone, quod tempore Zenonis Imperatoris inuentum est, ipso reuelante. Huius nimirum memoriam sancta mater Ecclesia XI. Kal. Octobris festiuè celebrat, eíque vocis & mentis dulci modulamine cantat.

MATHÆE sancte, bino pollens munere, sedulis Iesum interpella vocibus: vt nos in mundi gubernet turbinibus, ne post æternus sorbeat interitus.

SIMON Chananæus, idem Zelotes, ad distinctionem Simonis Petri, & Iudæ traditoris, qui & ipse Simon Scariothes dictus est, de Chana vico Galilææ fuit, vbi Dominus aquam in vinum mutauit. Hic Principatum in Ægypto accepit.

IVDAS Iacobi trinomius fuit. Iudas enim, & Taddæus, & Lebbeus dictus A est. Hc in Mesopotamia, & in interioribus Ponti prædicauit. Inde simul ambo Persidem ingressi, cùm innumeram gentis ipsius multitudinem Christo subdidisdissent, v. Kal. Nouembr. martyrium consummauerunt.

CRATON Apostolorum discipulus, quæ per annos XIII. egerunt, & quæ in Perside passi sunt, longa enarratione scripsit, & in decem voluminibus vniuersa comprehendit, quæ Africanus Historiographus in Latinam linguam transtulit Abdias etiam Episcopus Babyloniæ, qui ab ipsis ordinatus est, sermone de illis scripsit Hebraico, quæ omnia in Græcum translata sunt ab Eutropio eiusdem discipulo: quæ vniuersa nihilominus Latinis interpretata sunt ab Africano. Inde adbreuiatio excerpta est, grata volentibus scire quæ principia prædicationis eorum fuerint, vel quo fine mundum dereliquerint, & ad cælestia regna migrauerint.

SANCTI igitur Apostoli Simon & Iudas per reuelationem Spiritus sancti Persidem ingressi sunt, ibique duos Magos, Zaroem & Arfaxat, qui à facie sancti B Matthæi Apostoli de Æthiopia fugerant, inuenerunt. Erat autem doctrina eorum praua, & contra Dominum atque Prophetas lethalis blasphemiæ plena. Ingredientibus in Persidem Apostolis, Vvarardach Præfectus, & dux Regis Babyloniorum nomine Xerxis occurrit, qui contra Indos finium Persidis inuasores bellum susceperat. Aduenientibus autem Apostolis, dæmonia, quæ singulis mansionibus dabant responsa suæ fallaciæ sacrificantibus, obmutuerunt. Vndè cultores eorum ad fanum vicinæ ciuitatis pergentes consuluerunt. Porrò dæmon mugitum consulentibus dedit, & quòd præsentibus Apostolis Dei Simone & Iuda dij eorum loqui non possent, intimauit. Tunc Vvarardach dux Apostolos inquiri fecit, inuentos qui essent, vel vnde venissent interrogauit: eósque de genere Hebræorum communis causâ salutis illuc aduenisse audiuit. Cúmque illo rogante, vt diis suis potestatem respondendi darent, & illi fusa oratione permisissent; Fanatici eorum protinus à dæmonibus arrepti sunt, & grande bellum futurum, atque multos ex vtraque parte casuros esse vaticinati sunt. Ridentibus autem Apostolis, dux territus est, sed ipsis persuadentibus, legatos pacis vsque C in crastinum ibidem præstolatus est. Porrò profanis Pontificibus in Apostolos stomachantibus, & pannosos, vilésque personas inter diuitias Babylonicas non debere loqui, vel audiri asserentibus, dux Apostolos & Vesanos Flamines vsque in crastinum custodiri præcepit, ibique Apostolico consultu exitum rei considerauit.

SEQVENTI die verbum Apostolorum completum est. Nuncij enim Ducis cum legatis Indorum velocissimo cursu in Dromedis reuersi sunt, & omnia ita esse sicut Apostoli prosecuti fuerant nunciauerunt. Nam terras inuasas restituerunt, tributa soluerunt, firmissimúmque pacis pactum stabilierunt. Denique Dux, postquàm Apostolus, manifesto euentu attestante veridicos comprobauit, iratus Pontificibus ignem copiosum accendi iussit, ipsóque cum complicibus eorum in ignem præcipitari præcepit.

APOSTOLI autem Dominicæ iussionis memores Duci prostrati sunt, & puluerem super caput suum spargentes, pro inimicis ne perirent supplicauerunt: & D mirantibus cunctis, hanc esse disciplinam Dei nostri luculenter annunciauerunt.

TANDEM Vvarardach imperauit Pontifices computari, & omnem facultatem eorum, vt Apostolis daretur, inquiri. Inuenti sunt autem Pontifices templorum CXX. & vnusquisque in vno mense de fisco consequebatur vnam libram auri: summus verò Pontifex quadruplum in auro adipiscebatur quàm cæteri. Tanta erat facultas eorum in auro & argento, in vestibus & iumentis, vt dinumerari non posset. Quæ Dux Apostolis obtulit, sed ipsi penitùs respuerunt, immò indigentibus erogari iusserunt.

DENIQVE Duce Regi Xerxi euentus suos & Apostolorum præconia magnificante, Zaroes & Arfaxat, qui erant cum Rege, Apostolis cœperunt derogare, & omnes contra eos, nisi deos eorum adorarent, conati sunt commouere. Dux autem pro Apostolis semper benè locutus est. Tandem in præsentia Regis altercatio statuta est. Cúmque Magi palam cunctis locuti essent, omnis aduocatio muta facta est,

A est, & sic spatium transiit ferè vnius horæ, vt nullus ex eis, qui dudum clamosi & eloquentes extiterint, aliquid posset exprimere. Deinde loqui à Magis permissi sunt, sed ambulare non potuerunt: itémque recepto gressu, apertis oculis nihil viderunt. Hæc videntes expauerunt, Magósque magis pro timore quàm amore reueriti sunt. Huiusmodi spectaculum à primo mane vsque ad horam sextam explicitum est, & tristes aduocati cum confusione ad domos suas remeauerunt.

PORRO Dux Apostolis, quos valdè diligebat, hæc omnia enarrauit, & præfatam aduocationem in domum suam conuocauit, & Apostolos Dei Simonem & Iudam eis protulit, per quos vincere Magos possent, si monitis eorum obsecundarent. Aduocati verò vt viderunt homines vilissima indutos veste, quasi despectui eos cœperunt habere, quorum turgentem proteruiam Simon saluberrima redarguit sermocinatione. Planè enim demonstrauit, quòd in aureis & gemmatis scriniis quædam clauduntur vilia, & in vilissimis ligneísque capsis reponan-
B tur pretiosa monilia, pulcherrima etiam vasa aceto repleantur, fœdissima verò aspectu optimo vino imbuantur. Sic in personis visu despicabilibus nonnumquam magnæ virtutes pollent, meritísque præclaris summo Creatori per omnia placent.

DEINDE sancti Apostoli aduocatos salutaribus monitis instruxerunt, sacrísque precibus Deo commendauerunt, & signo crucis in frontibus signauerunt. Zebedeus, aliique Aduocati constanter ad Regem ingressi Magis insultauerunt: sed Magi nulla ratione illos lædere potuerunt. Irati igitur Magi multitudinem serpentium venire fecerunt, vnde omnes hoc intuentes admodum territi sunt, & iubente Rege cursim Apostoli accersiti sunt. Qui venientes pallia sua de serpentibus impleuerunt, & eosdem in Magos audacter miserunt, statimque serpentes comedere carnes eorum cœperunt. Illi autem sicut lupi vlulabant, gaudentibus cunctis, qui cruciatus impiorum palam spectabant. Rex & omnes Apostolis dicebant: Permittite vt moriantur. At illi responderunt: Nos missi sumus à morte ad vitam reducere, non à vita in
C mortem præcipitare. Deinde orauerunt, & serpentibus iusserunt, vt omne venenum suum à Magis auferrent, ac ad loca sua redirent. Maiores itaque cruciatus passi sunt, quando vniuersi serpentes iterum carnes eorum ederent, & sanguinem sugerent, & venena sua tollerent. Cúmque serpentes abiissent, & Apostolorum sententia Magi triduo anxij non manducarent, nec biberent, neque dormirent, Apostoli visitandi gratia ad eos venerunt, & malum pro maledicto non reddentes ipsos sanauerunt. Illi profecto in perfidia permanserunt, & sicut à facie sancti Matthæi Apostoli de Æthiopia fugerunt: sic ab his duobus confusione operti recesserunt, & simulachrorum cultores per totam Persidem ad Apostolorum inimicitias suscitauerunt. Ipsi autem per cuncta templa eorum sacrificabant, hominésque præstigiis suis subitò fixos, subitóque solutos faciebant, subitò cæcos & iterum videntes, subitò surdos & iterum audientes. Sic de his ludificabant, qui idolis immolabant, suíque similes erant.

APOSTOLI à Rege & Duce rogati morabatur in Babylonia, in nomine Domini facientes mirabilia magna, surdis reddentes auditum, claudican-
D tibus gressum, cæcos illuminantes, leprosos mundantes, dæmones ex obsessis corporibus fugantes. Multos ergo discipulos habebant, ex quibus Presbyteros & Diacones, & Clericos in Ecclesiis ordinabant.

IBI filia ditissimi Satrapæ corrupta parturiens periclitabatur, & Eustosinus Diaconus de incesti crimine impetebatur. Hoc audientes Apostoli, iusserunt parentes puellæ & Diaconem adesse, & infantem, qui eiusdem diei hora prima natus est, deferri. Cúmque iussissent infanti vt loqueretur, ille absolutissimo sermone ait: Hic Diaconus vir sanctus & castus est, & numquam inquinauit carnem suam. Cúmque insisterent parentes, vt de persona incesti percunctaretur, Apostoli dixerunt: Nos innocentes absoluere decet, nocentes verò prodere non decet.

HICHARON amicus Regis, dum exercitium belli ageretur, sagittam in

Nicanor

genu accepit, quæ nulla ratione ex osse poterat euelli. Tunc beatus Simon Dominum IESVM inuocauit, & mox vt manum applicauit, sagittam abstulit, atque statim homo sanatus est; itaut nec signum vulneris appareret. A

DVÆ tigrides ferocissimæ de singulis caueis fugerunt, & quicquid inuenire poterant deuorare cœperunt. Tunc omnis populus ad Apostolos Dei confugit. Apostoli verò nomen Domini IESV inuocauerunt, & feræ, quæ numquam mansuescere consueuerant, quasi agni mites factæ sunt. Diebus siquidem vt oues in medio populi commanebant, vespere verò in cellulam Apostolorum remeabant: & Apostolis ad alias ciuitates migrantibus, ipsæ habitaculi eorum custodes erant. Almi ergo Prædicatores materiam inde sermocinandi sumpserunt, populósque quid homines rationabiles agere, vel qualiter obedire Deo deberent, docuerunt; exemplúmque brutorum animalium digito præ oculis ostenderunt.

REGE populisque petentibus, vno anno & mensibus tribus Babyloniæ commorati sunt. Quo in tempore ampliùs quàm LX. milia virorum, exceptis paruulis & mulieribus, baptizati sunt. Priùs Rex, & vniuersæ dignitates eius fidem susceperunt. Videbant enim omnes infirmitates verbo curari, B cæcos illuminari, & mortuos suscitari. Abdias, qui cum ipsis à Iudæa venerat, & ipse oculis suis Dominum Iesum viderat, Episcopus ordinatus est, & ciuitas Ecclesiis repleta est. Quibus ritè ordinatis, profecti sunt. Sequebantur autem eos turbæ Discipulorum, ducenti & eo ampliùs viri. Circumierunt XII. Prouincias Persidis, & vrbes earum. Amodo tempus est enarrandi, qualiter passi sunt sancti Apostoli.

MEMORATI igitur Magi Zaroës & Arfaxat scelera per ciuitates faciebant, séque de genere eorum esse dicebant, & semper à facie Apostolorum fugiebant. Tamdiu manebant in quacumque ciuitate, donec agnoscerent Apostolos illuc aduenire. In Sanir LXX. templorum Pontifices erant, qui singulas auri libras à Rege quater in anno consequebantur, quando Solis epulum celebrabant: in introitu scilicet veris & æstatis, autumni & hiemis. Præfati Magi quoscumque poterant contra Apostolos vbique commouebant, & hoc præeuntes obnixè procurabant.

POSTQVAM sancti Apostoli vniuersas Prouincias peragrassent, & Sanir in C domo Sennis discipuli sui hospitati fuissent: ecce circa horam primam omnes simul Pontifices irruerunt, & horribiliter ad Sennem vociferantes, inimicos deorum suorum produci iusserunt. Interea sancti Apostoli tenentur, ac ad templum Solis ducuntur. Illis autem ingredientibus, dæmones clamant per inergumenos: » Quid nobis & vobis Apostoli Dei viui? in ingressu vestro flammis » exurimur. In vna æde templi ab Oriente quadriga equorum fusilis ex auro stabat, in qua radietas Solis æquè fusilis consistebat. In alia verò æde Luna stabat fusilis ex argento, habens bigam boum fusilem similiter ex argento. Pontificibus & Magis cum populo cogentibus Apostolos vt adorarent, ipsi de visione Domini nostri IESV CHRISTI, quem vocantem se in medio Angelorum contemplabantur, mutuò Hebraicè loquebantur. Angelus quoque Domini eis apparuit, & confortauit. Deinde facto silentio, ad populum locuti sunt, & errorem suum rationabiliter ostenderunt, qui honorem soli Deo debitum creaturæ inutiliter impendebant: nec sine iniuria Solem & Lunam in manufactis mansionibus includebant, quos Deus ab initio in cœlo creauit, & omni seculo patere & lucere constituit. Stupentibus cunctis, Simon D dæmoni præcepit, vt egressus indè, simulachrum Solis & quadrigam eius comminueret. Similiter Iudas iussit simulachrum Lunæ confringi. Tunc duo Æthiopes nigri & nudi, horribilésque vultu, egredi ab omni populo visi sunt: & simulachra confringentes, vlulatum diræ vocis emittebant. Vesani ergo Pontifices in Apostolos irruerunt, eósque gaudentes, Deóque gratias agentes interfecerunt. Sennes quoque hospes eorum cum eis passus est, quia idolis sacrificare contempsit. Ipsa horâ, quando cœli esset serenitas magna, fulgura extiterunt nimia, itaut trifariè scinderetur templum à summo tecti fastigio vsque in vltimum fundamentum. Zaroës autem & Arphaxat ictu fulminis adusti,

A & in carbonem conuersi sunt.

POST mensem tertium Rex Xerxes omnes Pontifices confuscauit, & Apostolorum corpora cum ingenti honore ad suam ciuitatem transtulit; in qua extruxit Basilicam in octogono circlo octo angulorum octogenum pedum: ita vt octies octogenum pedum numerus numeraretur per girum, in altum autem pedum centum viginti. Omnia ex quadratis marmoribus & sinmaticis extruxit, cameras verò laminis aureis affixit. In medio autem octogono sarcofagum ex argento puro instituit. Per quatuor annos fabricam incessanter exercuit, & consummans eam die natalis eorum, id est v. Kal. Nouembris, Basilicam in honorem Sanctorum dedicare meruit. In quo loco beneficia diuina credentes consequuntur, qui martyria eorum, quæ Domino nostro Iesu Christo vsque ad mortem perhibuerunt, venerantur. Nos etiam, qui sperantes in Domino hæc scribendo recolimus, beatos Apostolos summi Regis comites & conuiuas tripudiantes laudamus: eisque in atriis Ierusalem, quæ est mater nostra, cum pueris Osanna Redemptori clamantibus deuotè B psallimus.

BEATE Simon & Taddæe inclyte, cernite nostros gemitus cum fletibus: quique per lapsum meruimus barathrum, per vos cœlorum mereamur aditum, amen.

MATHIAS de LXX. Discipulis vnus sorte in locum Iudæ ab Apostolis electus est, & in Iudæa prædicauit, ibique pro Christo passus est. Huius festiuitas VI. Kal. Martij celebratur, & consecrata cohors deuotè accedens, modulando sic eum precatur: Mathia iuste, duodeno solio residens, sorte nos à cunctis nexibus solue reatus: Veræ lucis gaudiis quo perfruamur, tuis sacris precibus, amen.

IVDAS SIMON SCARIOTHES de tribu Isachar ortus est, & inter duodecim Apostolos computatus est. Sed quia lethali cupiditate inflammatus, Iudæis specialem magistrum Dominúmque suum XXX. argenteis vendidit, Apostolatus dignitatem perdidit; & malè pœnitens miser laqueo se suspendit. Sequaces eius adhuc in Ecclesia multi sunt, qui sacro nomine sine iustis actibus nuncupari volunt. Digna quidem indignus, & mystica Iudas habuit nomina, quibus falsi C Christiani typicè denotatur Ecclesia. Iudas enim confitens interpretatur, quo nomine illi protenduntur, qui, vt ait Apostolus, confitentur se nosse Dominum, factis autem negant. Porro Simon obediens interpretatur, per quod vocabulum hypocritæ, & fraudulenti, falsique obedientes figurantur: qui non pro amore Dei desiderióque cœlesti Dominicis præceptis famulantur, sed pro inani gloria humanóque fauore, transitoriáque mercede, maiorum mandatis specie tenus obsequuntur. E quibus plures, vt Iudas Scarioth, nimia cupiditate excæcantur, & relicto bonorum studio consortióque, in detestabiles reatus vltrò labuntur, funibúsque peccatorum indissolubiliter illaqueati periclitantur. Transitoria quippe mercede in præsenti seculo gaudent, & hîc pro quibusdam honestatibus & manifestis obseruationibus recepta recompensatione elati turgent: sed in futuro inextricabili nexu constricti, tartareis in cloacis lugebunt, & inedicibili suppliciorum genere pro perpetratis sceleribus cruciati, omni spe remissionis carebunt.

RECEDENTE de cœtu Apostolico Iuda proditore, quid residui meruerunt, D qui cum Domino IESV permanserunt? ineffabile decus & sempiternam beatitudinem. Sancta mater Ecclesia credit, & omnis Catholicus fideliter asserit, quòd XII. Apostoli verè beati sunt & sublimes, æternæque felicitatis participes. Sal enim terræ, & lux mundi, XII. horæ perennis diei, fructiferæ vitis fœcundi palmites, Christi cooperatores, eiusque in regno cœlesti cohæredes, celebri memoriâ fidelium passim recoluntur; & in cunctis nationibus, vbi vera fides imperat, honorantur, magistriq; gentium & rectores Ecclesiarum veneranter vocitantur: vtpote Orbis à Christo constituti Iudices, reproborum districti censores, & deuotorum pij adiutores, assiduique intercessores. Despectis enim omnibus quæ mundana sunt, Christo, qui vera vitis & vita est, indissolubiliter inhæserunt. Nunc in cœlis cum eodem Rege Regum regnant, in eius perenni laude cum Angelis tripudiant, & super XII. thronos residentes XII. tribus Israël cum Domino iudicant. Horum siquidem gesta, quæ leguntur in Ecclesia, perscrutatus sum,

eadémque prout in priscis inueni Codicibus, mihi adbreuiando exercitatus sum. A

AMODO de sociis & successoribus eorum tractare desidero, & quorumdam mentionem opitulante Deo huic Operi deuotè commendabo. Id agam, non quòd ipsi mea indigeant laudatione, quorum laus est Deus ipse, qui trinus & vnus regnat in æternitate, suósque secum beatificat æterna remuneratione: sed vt eis hoc agendo exhibeam meam deuotionem, obtineámque fauorem eorum ad meam saluationem piè nanciscendam per eorum interuentionem.

IOSEPH igitur, qui Barnabas, id est filius consolationis cognominatus est, natione Cypræ ciuitatis, quæ à Cyro Rege Persarum fundata est, tertio post passionem Domini anno cum Paulo in Gentibus Apostolatum adeptus est. Hic ex LXXII. Discipulis Christi vnus fuit, & in lætis vel tristibus cum Apostolis deguit: & secundum nomen suum consolationem maximam credentibus præbuit.

INPRIMIS quando haberet agrum vendidit, & precium ante pedes Apostolorum posuit. B Paulum post conuersionem amicabiliter apprehendit, ac ad Apostolos, quibus adhuc ignotus & suspectus erat, duxit, seriémque vocationis eius nescientibus enarrauit. Ab Apostolis Antiochiam missus est, ibíque gratiam Dei videns in Discipulis gauisus est, & hortante illo multa turba Domino apposita est. Inde profectus Tarsum quærere Saulum, inuentúmque perduxit Antiochiam, & ibidem per totum annum conuersati docuerunt turbam multam. Tunc ibi Discipuli primùm vocati sunt Christiani.

BARNABAS & SAVLVS quia misericordes erant & beniuoli, eleemosynas credentium ex gentibus in Iudæam fratribus detulerunt. Postquam ab Hierosolymis reuersi sunt expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus; erant Antiochiæ inter Prophetas & Doctores. Ministrantibus » illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barna» bam & Saulum in opus, ad quod assumpsi eos. Missi quidem à Spiritu sancto Seleuciam venerunt, & inde Cyprum nauigauerunt. Postquàm Barjeu magum, C qui & Elimas dicebatur, lumine ad tempus priuarunt, & Sergium Paulum Proconsulem ad veram fidem conuerterunt, plurimam gentium multitudinem ad lucem veritatis perduxerunt.

ELECTIS itaque currentibus ad fidem & iustitiam, indè reprobi magis inflammati ad iram, seditionem fecerunt, & Apostolos de finibus suis eiecerunt. Illi autem gaudentes Spiritu sancto repleti verbum Dei prædicauerunt, & copiosam multitudinem Iudæorum, & Græcorum ad Dominum conuerterunt.

VENIENTES in Listris claudum ex vtero matris suæ curauerunt: quod miraculum turbæ conspicientes, Deos illos existimauerunt, dicentes: Dij similes » facti hominibus descenderunt ad nos. Barnabam quidem vocabant Iouem, Paulum verò Mercurium. Et sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas deferens, cum populis volebant sacrificare. Verùm Apostoli tale facinus omninò abhominantes expulerunt, ac scissis tunicis suis in turbas exilientes clamauerunt, & multis rationabilibus dictis turbas ne sibi immolarent vix sedauerunt. D

INDE Derben peruenientes euangelizabant, multósque docentes virtutibus instruebant, plurimas Prouincias peragrantes verbum Domini annunciando, tandem peruenerunt Ierosolymis: susceptique à sanctis Apostolis annunciabant gaudentes, quanta Deus cum eis mirabiliter fecisset. Tunc in Antiochia quidam improbi de circumcisione agenda quæstionem commouerunt. Vnde sancti Apostoli consilium inierunt, ac ad tale facinus extirpandum Barnabam & Paulum destinauerunt. Illi autem Antiochiam cum Apostolica Epistola properauerunt, & prædicantes impiam hæresim destruxerunt.

VT veri pastores verbum Dei euangelizabant, ignaros docebant, ægrotos curabant, omnémque sollicitudinem erga sanctam Religionem habebant: & ne in aliquam hæresim neophyti inciderent, summoperè præcauebant, ideóque frequenter Ecclesias visitabant, in quibus verbum Dei prædicauerant. Callidam enim Sathanæ astutiam esse sciebant, ideóque ne corda renouata sanctorum lethifero germine zizaniorum fœdaret prouidebant. Postmodum, vt Lucas ait Euangelista, visum est eis, vt Paulus reuerteretur Hierosolymis,

A Barnabas autem repeteret Cippum ciuitatem suam, de qua ortus erat. Ioannem verò cognomento Marcum in ministerio secum habebat. Hic nimirum, quando ethnicus esset, & cum Orduone socio suo Cyrillo Pontifici nefandissimi Iouis ministraret, in loco qui dicitur Iconium per Barnabam & Paulum baptizatus est, & fideliter ipsos per plurima loca comitatus est.

DENIQVE dum prædicti Apostoli in Pamphilia prædicarent, & multi Iudæorum atque Gentilium Domino credidissent, Angelica per noctem visione visum est Paulo, vt Hierusalem celeriùs properaret, & Barnabam ire Cyprum permitteret. Relicta verò visione, positis genibus orauerunt, & osculantes se inuicem cum multis fletibus vale fecerunt, & diuisi corpore numquam in hac vita postmodum sese viderunt.

BARNABAS & Ioannes Laodiciam descenderunt, & indè in ciuitatem, quæ Anemoria vocatur, venerunt; ibíque ab eis quidem ethnici sagaces & beniuoli audita prædicatione Christo crediderunt, & baptizati virtutem Spiritus sancti acceperunt. Deinde nauigantes Cyprum peruenerunt, ibíque Timonem & Anstionem famulos Domini inuenerunt. Timon autem vrebatur ma-
B gnis febribus. Cui quando Barnabas imposuisset manus, & sacrum Euangelium per inuocationem Domini nostri IESV statim febris fugata est, & vir adeò corroboratus est, vt continuò Sanctos Dei sequeretur cum gaudio.

Ex doctrina Apostolorum beatus Barnabas Euangelium sancti Mathæi Apostoli secum ferebat, & vbicumque infirmos inueniebat, illud super ipsos ponebat, & protinus sanabantur, à quocumque languore tenebantur. Eraclium verò, quem Paulus Apostolus baptizauerat, Barnabas ad commonitionem fidelium Episcopum ordinat. Deinde dum Paphum introire voluisset, & Barjeu maleficus Iudæus, quem Paulus iamdudum ad tempus lumine priuauerat, Apostolum cognouisset: malitiâ commotus obstitit quantum potuit, & Paphum ingredi prohibuit. Proindè beatus vir in quendam locum diuertit, in quo Ethnicos viros nudos, & mulieres ludendo currere vidit. Indignatus ergo Barnabas, mox templum maledixit, statímque pars templi funditus corruit, cuius ruina multos ex Ethnicis contritione interemit. Ceteri autem, qui euaserunt, in templum Apollinis fugerunt. Insignis athleta Christi Salaminam
C vrbem introiuit, ibíque Synagogam Iudæorum inuenit, cui Euangelium Christi constanter prædicauit, & plurimos Iudæorum ad fidem Christi conuertit. Quod comperiens Barjeu, omnem malitiam suam ostendit, & seditionem in sanctum Dei Apostolum concitauit. Iudæi verò comprehensum Consuli Salaminæ tradere voluerunt, sed antea multis suppliciis, variisque cruciatibus ipsum afflixerunt. Dehinc, quando maceratum & quassatum pœnis ad iudicandum ducerent, compererunt quòd Eusebius vir magnus & præpotens, de progenie Imperatoris, in Insulam deueniret: nimiúmque verentes ne illum de manibus eorum eriperet, funem in collo eius ligauerunt, noctúque dilaceratum à synagoga in hypodromum, & indè foris portam pertraxerunt. Posthæc illum igne circumdederunt, & crudeliter cremauerunt. Sic beatus Apostolus post multos agones, & diuturna certamina, pro Christi amore adustus migrauit ad gaudia sempiterna. Impij autem Iudæi non satiati de nece illius, tulerunt corpus eius, & in locello plumbeo recludentes in mare dis-
D posuerunt præcipitare. Interim Ioannes Marcus cum Timone & Rodone sanctum corpus nocturnis horis occultè tulit; & in cripta, quæ olim habitatio Iebusæorum fuerat, III. Idus Iunij collocauit. Ob hanc itaque occultationem plurimis annorum curriculis venerabile corpus latuit, nec inueniri à Christicolis valuit. Tandem tempore Zenonis Imperatoris, & sancti Gelasij Papæ, eodem sancto Apostolo reuelante inuentum est, & cum hymnis & laudibus ad honorem Dei mirificè collocatum est. Pro sancti Barnabæ Apostoli meritis multa piè poscentibus impenduntur beneficia, quorum etiam nos participes faciat exuberans Dei nostri gratia, quæ infatigabiliter operatur, suísque, quos ad vitam prædestinauit, efficaciter suffragatur per cuncta secula, amen.

MARCVS Euangelista beati Petri Apostoli discipulus & interpres,

& in baptismate filius fuit, Euangeliúmque Domini nostri Iesu Christi eius ab ore A scripsit. Qui, sicut fertur, pollicem sibi abscidi fecit, vt sacerdotio reprobus haberetur, nec tamen ab Apostolis repudiatur, quin eorum electione Episcopus Alexandriæ præficeretur. Hunc beatus Petrus, quando in vrbe Roma esset, vocauit, & in Italiam ad prædicandum gentibus destinauit. Quid hîc, inquit, nobiscum moraris? Ecce de omnibus, quæ fecit Iesus Nazarenus, eruditus es. Surge & Aquileiam perge, ibique populis dogmata veræ salutis sparge. Tunc Marcus primam sortem prædicationis, & baculum Pontificatus accepit, iniunctum iter arripuit, & Aquileiam, quæ ex ciuitatibus Italiæ prima est, venit. Ibi quendam iuuenem leprosum, nomine Ataulfum, Vlfini illustris & primi ciuitatis filium inuenit, cum quo locutus manum eius & brachium apprehendit. Mox lepra de manu eius & brachio mundata est. Hoc videns iuuenis, citiùs ad patrem cucurrit, & omnia quæ Marcus ei fecisset lætus enarrauit. Vlfinus ergo cum magna turba celeriùs venit, & Marcum residentem ad portam Occidentalem inuenit, cúmque vt filium B suum sanaret rogare cœpit. Sanitatem verò promittenti, si crederet, se in Dominum Iesum credere perhibet. Tunc Marcus iuuenem baptizauit, & omnis ab eo lepra recessit. Illo itaque sanato, Vlfinus cum tota familia sua baptizatus est. Multitudo quoque populi in illa die baptizata est. Post aliquantos annos Marcus desiderauit Petrum videre, voluítque occultè plebem dimittere, & Romam adire. Quod nutu Dei comperientes populi diluculò cucurrerunt, & vociferantes vt Pastorem eis daret petierunt. Tunc HERMAGORAS à populo electus est, & à beato Marco Romam perductus est. Ibi à beato Petro Apostolo proto-Episcopus Prouinciæ Italiæ factus est, & post multa miracula, quæ Deus in populo per illum operatus est, Nerone imperante, sub Seuasto Præside, cum Fortunato Archidiacono III. Idus Iulij martyrizatus est.

BEATVS verò Marcus, sancto Petro Apostolo præcipiente, regimen Alexandriæ sedis suscepit, & primus in terra Ægypti Christum prædicauit: in regione quoque Libyæ Marmaricæ & Ammoniacæ, vel Pentapolim, veram fidem annunciauit. Cuncti nimirum, qui tunc in his terris habitabant, incircumcisi & idololatræ, & omni spurcitiâ repleti erant. Cùm ergo Marcus Cirenem, quæ est apud Pentapolim, peruenisset, & indigenas execrabiles pro nimiis sceleribus inuenisset: exordium faciens diuini sermonis in nomine Domini medelam contulit infirmis. C Nam leprosos mundabat, multósque nequissimos spiritus solo sermone pellebat. Plurimi siquidem hæc videntes crediderunt, idola sua destruxerunt, lucósque succiderunt, & in nomine Domini, qui est trinus & vnus, baptizati sunt.

DEHINC reuelatur ei per Spiritum sanctum, vt pergeret ad Alexandriæ fanũ. Marcus igitur fratribus vale dixit, & quod ei diuinitus reuelatum fuerat detexit. At illi vsque ad nauem ipsum persecuti sunt, & cum eo panem manducantes dimiserunt. Dominus, inquiunt, Iesus Christus prosperum faciat iter tuum. Die autem septimo Alexandriam peruenit, & de nauicula egressus ad vrbem, properauit. Mox vt ciuitatem ingressus est, calciamentum eius disruptum est. Verè, inquit, iter meum expeditum est.

DEINDE beatus vir calciamentum cuidam sutori veterum nomine Aniano corrigendum tradidit: qui cùm iniunctum opus faceret, sinistram manum suam fortiter vulnerauit, & protinus exclamauit: Vnus est Deus. Quod vt beatus Marcus audiuit, gaudens intra se dixit: Prosperum fecit iter meum Dominus. Continuò in dexteram suam expuit, manúmque viri perunguens dixit: In nomine Iesu D Christi filij Dei viui sanetur manus ista. Et confestim sanata est. Sutor itaque considerans tanti viri potentiam, & verbi eius efficaciam, vitæque continentiam, obsecrauit eum vt in domum suam declinaret, panémque cum eo comederet. Lætus ergo Marcus ingressus domum benedictionem dedit, & orationem fudit, verámque fidem audientibus euangelizauit, & sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Dominum asseruit. Veracibus quoque verbis signa & prodigia in nomine Domini consequenter addidit. Et Anianus cum tota domo sua & multitudine vicinorum credidit, atque baptizatus in prædicatione Magistri adiutor extitit.

PORRÒ, idololatræ Alexandrini, postquàm per Galilæum prædicatorem suos ritus cærimoniásque destrui viderunt, illum interficere quæsierunt, & plurimas in-

A sidias ei posuerunt. Beatus autem Marcus agnoscens consilia eorum, Anianum ibidem ordinauit Episcopum, & tres Presbyteros, Melinum, Sauinum, & Cerdonem: & VII. Diacones, aliósque XI. ad Ecclesiasticum ministerium pertinentes. Deinde Pentapolim pergit, & ibidem duobus annis deguit, atque fratres, qui antea illic crediderant, confortauit. Episcopos per regiones illas & Clericos ordinauit. Iterum Alexandriam venit, & fratres in gratia & fide multiplicatos reperit. Ecclesiam verò videns constructam ab eis in loco, qui vocabatur Bucoliæ, id est bubulci, sub rupibus iuxta mare, lætatus est valde: positísque genibus Dominum glorificauit, opémque suam in verbis & orationibus benigniter adiecit.

CVMQVE iam tempus compleretur, & in fide Christiani multiplicarentur, atque simulacra deiicerentur, Gentiles sanctum aduenisse cognouerunt: nimióque liuore propter miracula, quæ ab eo fieri compererant, repleti sunt. Infirmos enim sanabat, incredulis prædicabat, auditum surdis reddebat, visúmque cæcis condonabat. Illum igitur apprehendere quærebant, nec inuenire poterant. Vnde in spectaculis idolorum suorum dentibus suis fremebant, factísque comessationibus suis clamabant: Magna vis huius magi. Tandem Dominico Paschæ, id est, B VIII. Kal. Maij, quo tempore Serapiaca celebritas agebatur, insidiatores adunati protinus diriguntur, à quibus vir Dei sacratissimam oblationem diuinæ Maiestati celebrans reperitur. Continuò profani seruum Dei rapuerunt, funem in collo eius miserunt, ipsúmque per saxa tam crudeliter traxerunt, vt in terram defluerent carnes eius, & saxa inficerentur cruore eius. Illis itaque insanientibus, & dicentibus: Trahamus bubalum ad loca Bucoliæ: sanctus Marcus Deo gratias referebat, dicens: Gratias tibi ago, Domine meus, Iesu Christe: quia dignus habitus sum hæc pro nomine tuo pati.

ADVESPERASCENTE die, miserunt eum in carcerem, vsque pertractarent, qua eum morte disperderent. Circa mediam verò noctem, clausis ostiis, & custodibus ante foras dormientibus, ecce terræmotus factus est magnus. Angelus autem Domini de cælo descendit, & tangens eum dixit: Famule Dei Marce, princeps ac propagator sanctissimorum per Ægyptum decretorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœlestis ascriptum est, & memorabile tuum non derelinquetur in sæculum. Socius enim factus es supernarum virtutum. Nam & in cælis spiri- C tum tuum colligent, & in te requies non peribit. Hæc audiens beatus Marcus, suas ad cœlum extendens manus dixit: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quia non me dereliquisti, sed cum sanctis tuis commemorasti. Obsecro te, Domine Iesu Christe, suscipe animam meam in pace, & non me patiaris diutius separari à te. Hæc cùm dixisset, Dominus IESVS venit ad eum in habitu & forma, qua fuerat cum discipulis suis antequam pateretur, & ait: Pax tibi Marce noster Euangelista. At ille: Gratias, inquit, tibi ago, Domine Iesu Christe. Mane autem facto, conuenit multitudo ciuitatis, & eiicientes eum de custodia, miserunt iterum funem in collo eius, & trahebant, dicentes: Trahite bubalum ad loca Bucoliæ. Cúmque traheretur, Deo gratias agens, ait: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Hæc dicens, tradidit spiritum. Immanis autem turba Gentilium in loco, qui vocabatur ab Angelis, ignem succendit, & reliquias sanctas comburere voluit. Tunc prouidentia Dei valida tempestas exorta est, veheménsque procella venti facta est: suósque sol subtrahit radios, & tonitrua facta sunt grauia. Imber etiam plurimus à mane vsque ad vesperam efflu- D xit, itaut habitacula multorum corruerent, & plurimi morte perirent. Metuentes verò custodes sanctum corpus dimiserunt, & fugerunt. Alij deridentes dicebant, quòd Serapis hæc ageret, & sic in sua festiuitate inimicum suum inuiseret.

TVNC religiosi viri venientes iustum corpus tulerunt, & in loco lapidis excisi cum gloria VII. Kalend. Maias sepelierunt. Sic beatus Marcus Euangelista primus Alexandriæ Præsul pro Christo passus est, & corpus eius Orientali parte repositum est. Quod post multorum curricula annorum, propter incursiones paganorum, qui totum Orientem vt locustæ operuerunt, sibíque maximam partem mundi ad Austrum & ad Aquilonem subegerunt, fideles Christiani Aquileiam, vbi primus Christum annunciauit, transtulerunt. Aquileiensis igitur Præsul stemma Patriarchatus, quo Alexandrinus Pon-

tifex olim potitus est, nunc retinet: & quartus Primas ob reuerentiam eius in orbe renitet: sancti videlicet Marci, quem Petrus clauiger regni cælorum in Ægyptum destinauit: & meridiani climatis Principatum ad multarum salutem animarum commisit. Venetiarum indigenæ, & Occidentales populi, habito corpore beati Euangelistæ gratulantur: & indesinenter illud ad laudem cunctipotentis Dei venerantur, deprecantes vt in Collegio beatorum computari in æternum mereantur, amen. A

LVCAS Euangelista natione Syrus, apud Antiochiam Medicinæ artis egregius, & Apostolorum Christi discipulus, postea vsque ad confessionem Paulum Apostolum secutus, sine crimine permanens in virginitate, Domino maluit seruire. Hic diuino stimulatus imperio, in Achaiæ partibus Euangelium scripsit, Græcisque fidelibus incarnationem Domini fideli narratione ostendit, eundémque de stirpe Dauid descendisse monstrauit. Deinde alium librum specialem edidit, in quo actus Apostolorum, & primordia nascentis Ecclesiæ luculenter enucleauit. Sic geminos Lucas Theophilo, id est, Dominum diligenti libros condidit, cunctisque, gemina charitate flagrantibus inspirante Spiritu sancto exhibuit. In priori quippe libro verum Christi sacerdotium descripsit, quo Agnus Dei pretioso sanguine effuso mundi piaculum expiauit. In sequenti verò sublimitatem ineffabilis deitatis deprompsit, qua Filius Dei ad dexteram Patris in assumpto homine ascendit, aduentum quoque Spiritus paracliti super Apostolos in igneis linguis enarrauit, quo primitiua Ecclesia illustrata gloriosè splendescit. In his duobus Libris Lucæ spiritualis Archiatri vera Medicina inuenitur, qua lethales morbi peccatorum depelluntur, & vitalis iustitiæ remedium piè quærentibus ingeritur. Scriptis itaque & eloquiis beatus Lucas Dominum enunciauit, & lumen veritatis ignorantibus intimauit. Inter cetera miracula quæ fecit, fertur quòd mortuum in nomine Domini resuscitauerit. Tandem quando octoginta & trium esset annorum, in Bithynia Spiritu sancto plenus XV. Kal. Nouembris obiit: cuius ossa cum ossibus sancti Andreæ Apostoli, & Timothei discipuli Pauli Apostoli, XX. Constantij Imperatoris anno Constantinopolim VII. Idus Maij translata sunt. B

ECCE sanctorum Apostolorum & Euangelistarum, qui conuiuæ Saluatoris fuerunt, & socij, eodem Domino largiente iuuamen, mentionem libenter iam feci: & eorum pia gesta, prout potui, breuiter atque veraciter de diuersis Codicibus collegi, & in vnum mihi congessi. Adhuc restat, vt de beato Martiali Lemouicensi aliquid memorem: qui præcipuis pollens virtutibus inter maximos habetur post Apostolos clarissimus, multa quidem de illo Aurelianus, quem à mortuis in nomine Domini resuscitauerat, veraci stylo & diligenti cura seriatim enarrat. Inde quædam mihi colligere cupio, atque colligenda Spiritum sanctum inuoco, vt opem suam meo dignetur conferre studio. C

APVD Iudæam, dum Dominus noster Iesus Christus prædicaret, ac ad eum multa turba Iudæorum conflueret, & ea quæ necessaria erant humanis vsibus deferret, atque salutis ab eo semitam solerter audiendo edisceret, quidam nobilissimus Iudæorum ex Tribu Benjamin, nomine Marcellus ad eum venit, & vxorem suam Helizabeth, vnicumque filium Martialem XV. annorum secum duxit. Videntes autem insolita quæ ipse faciebat, & audientes salubria quæ prædicabat, compuncti corde in eum crediderunt: ipsóque iubente à beato Petro Apostolo baptizati sunt. Omnibus verò ad propria repedantibus, Martialis totum se Domino Iesu commendauit, & eius discipulatui iugiter inhæsit. Apostolo quippe Petro, qui ei proxima affinitate iungebatur, indesinenter sociatus Dominum Iesum sequebatur. Resuscitationem quatriduani Lazari vidit, multísque aliis miraculis interfuit. Ministerio sacræ Cœnæ, aliísque mysticis seruitiis cum Cleopha ministrauit, & certis apparitionibus post resurrectionem, & gloriosæ Ascensioni cum aliis discipulis interfuit. Aduentum quoque Spiritus paracliti feliciter persensit, & diuinis charismatibus affluenter imbutus emicuit, atque ad euangelizandum fide & gratia instructus viriliter viguit. D

POST dispersionem Apostolorum Martialis cum beato Petro Apostolo propinquo suo Antiochiam perrexit: & inde post VII. annos Romam petiit. Ibi Petrus, & socij eius à Marcello Consule in hospitium suscepti sunt, & in domo eius

A multis diebus habitauerunt, & Romanis saluberrima vitæ præcepta publicè prædicauerunt. Tunc ibi Dominus Iesus beato Petro apparuit, & Martialem ad prædicandum prouinciis Galliarum dirigere præcepit. Ille verò Martialem ad se accersiit, eíque à Deo imperata per ordinem enarrauit. Quo audito, grauiter fleuit, quia longinquam regionem, hominúmque barbariem valdè pertimuit. Quem beatus Petrus blandè consolatus est, ac ad prædicandum mittens, diuina ei monimenta rememoratus est. Nec mora Martialis cum duobus Presbyteris, Alpiniano, & Austricliniano iniunctum iter arripuit. Sed incœpto itinere, Austriclinianus obiit. Mœstus ergo Martialis Romam repedauit, & sodalis mortem Petro nunciauit. Petro autem præcipiente, ad defunctum fratrem remeauit, & Apostoli bacterio defuncti sacerdotis cadauer tetigit, qui meritis & orationibus Sanctorum rediuiuus extemplo surrexit.

Deinde Martialis cum discipulis suis Tullum castellum venit, ibíque ab Arnulpho diuite hospitio receptus binis mensibus mansit, & verbum Dei annunciare studuit. Multus verò populus ad eum quotidie confluebat, & ab eo salubria B monita gratanter audiebat, insolitáque sibi signa videbat. Tunc Arnulfi filia, quæ à dæmonio quotidie vexabatur, immundum spiritum præcipiente Martiali euomuit, & quasi mortua facta est. Sed vir Dei manum eius tenens eam erexit, & incolumem patri reddidit. Sanctitas enim, & benignitas, ac humana humilitas erat in eo, & oratio assidua.

Princeps præfati castelli nomine Nerua consanguineus erat Neronis Imperatoris, cuius filius à diabolo suffocatus est. Pater autem & mater defuncti, & omnis populus qui aderat, ante pedes sancti Martialis se prostrauerunt, & corpus adolescentis cum magno planctu & eiulatu omnium ante eum proiecerunt, atque cum lacrymis dixerunt: Homo Dei, adiuua nos. Sanctissimus itaque Pontifex populi fletibus condoluit. Ipse etiam cum discipulis suis fleuit, & pro resuscitatione defuncti omnipotentem Dominum cum suis exorauit. Denique finita oratione, quùm sanctus Præsul præcepisset, vt mortuus in nomine Crucifixi Saluatoris sanus resurgeret, ille statim resurrexit, ac ad pedes beati viri se proiecit, & clamare cœ-C pit: Baptiza me homo Dei, & consigna me signo fidei. Deinde adiecit: Duo Angeli ad me venerunt cum magno impetu, dicentes quòd precibus beati Martialis suscitandus essem. Infernus nullam habet mensuram, ibi est fletus & amaritudo, ibi sunt tenebræ, mugitus & planctus, & tristitia magna: frigus & ignis magnus & horribilis, nec vnquam deficiens: morsus serpentium, & fœtor intolerabilis, putredo & miseria, & vermis qui non moritur. Ibi sunt carcerarij infernales, qui animas quas rapiunt diuersis flagellis cruciant. Cúmque hæc & his similia diceret, cunctus populus Dominum confiteri cœpit, ibique tunc hominum vtriúsque sexus tria milia sexcenti baptizati sunt. Multa quoque munera beato viro obtulerunt, quæ omnia iussit dari pauperibus. Post hæc ad similitudines idolorum abiit, & simulacrorum cuncta sculptilia confregit, & in nihilum redegit.

Deinde beatus Antistes cum discipulis suis ad Agedunum vicum venit, & idololatris diabolico errore deceptis veram fidē prædicauit. Porro sacerdotes idolorum aduenerunt, & sanctos prædicatores grauiter percusserunt. Illis autem Do-D minum benedicentibus, & patienter aduersa pro ipso sustinentibus, eiúsque suffragium contra imminentem tribulationem fiducialiter postulantibus, percussores eorum subitò cæci facti sunt: trahentésque se manu ad manum Mercurij simulacrum expetierunt. Secundum morem consulentibus nullum dedit responsum Mercurius, eò quòd ab Angelis Dei dæmon esset religatus. Euntes ad aliud idolum, audierunt, quòd Deus suus respondere illis non posset, quia ab Angelis Dei catenis igneis religatus esset.

Tunc cæcati sacerdotes ad sanctum Martialem venerunt, & prostrati ad pedes Sanctorum veniam postulauerunt. Beatus verò Præsul visum eis restituit, ac ad statuam Iouis cum omni populo abiit, & dæmonem in nomine Domini adiurauit, vt indè statim exiret, & coram omni populo statuam confringeret. Qui iussa perfecit, & simulacrum minutatim confregit. Tunc ibi duo milia sexcenti baptizati sunt.

Hoc miraculum paralyticus quidam vt audiuit, deferri se ad hominem Dei

fecit. Erat enim ex magno genere hominum, multúmque diues auri, & argenti, & A possessionum. Cúmque vir Dei preces eius audiret, & fidem eius agnosceret, manum illius tenuit, ipsúmque facta oratione sanauit. Sanatus autem Dominum glorificauit, & beato viro munera obtulit, quæ ipse accipere noluit, sed omnia dari pauperibus præcepit.

DVM ibi commoraretur sanctus Martialis, apparuit ei Dominus in visu, & dixit: » Ne timeas descendere ad vrbem Lemouicam, quia ibi te glorificabo, & sem» per tecum ero. Tunc beatus Pontifex illos quos baptizauerat confortauit, Domi- nóque commendauit, & cum discipulis suis ad vrbem perrexit. In domo nobilis matronæ Susannæ hospitati sunt, & in crastinum publicè Dominum prædicare cœperunt.

IN hospitio viri Dei quidam freneticus catenis constrictus erat, quem soluere nemo audebat. Pro quo Susanna rogauit Episcopum, vt ipsum quoque sicut alios sanaret infirmum. Ille verò supplicanti annuit, & signum crucis super ægrum fecit: mox catena confracta est, & homo sanus factus est. Nobilis itaque mater, & filia eius VALERIA, hoc signum videntes, crediderunt, & à beato Præsule cum B sexcentis de familia sua baptizatæ sunt.

SANCTIS in theatro prædicantibus, sacerdotes idolorum indignati sunt, eósque flagellis grauiter cæciderunt, & in carcerem miserunt. Sanctus verò Martialis cum sociis suis, illata sibi patienter pertulit, Deóque gratias egit. Circa horam sequentis diei tertiam Martialis orauit, & continuò lux magna velut splendor solis in carcere refulsit. Cunctorum catenæ confractæ sunt, & ostia aperta sunt: & omnes qui aderant, baptizari rogauerunt. Terræmotus etiam in ciuitate factus est, fulgura & tonitrua sonuerunt: Ethnici ad templa idolorum frustrà fugerunt, & sacerdotes qui sanctos Dei percusserant, ictu fulminis necati sunt. Omnes ergo ciues terrore vnanimiter percussi ad carcerem perrexerunt, pedibúsque Præsulis prouoluti reatuum veniam, auxiliúmque sibi postulauerunt. Orãte cum suis Collegis beato Pontifice, Aurelianus & Andreas resuscitati sunt, & indulgentiam proni petierunt: verúmque Dominum cum omni populo, qui insolita admirans intuebatur, confessi sunt. Sequenti die beatus Martialis à minimo vsque ad maximum conuo- C cauit, & facta competenti exhortatione vniuersos baptizauit. Tunc ibi viginti duo millia in Dominum crediderunt, & salutari Theusebiæ grauiter sese submiserunt.

SACER Præsul cum omni populo ad templum, in quo statua Iouis & Mercurij, ac Dianæ & Veneris erat, venit: idolísque confractis, ibi Ecclesiam in honorem sancti Stephani protomartyris dedicauit.

BEATA verò Susanna feliciter in Domino defuncta est, & à B. Martiale cum magna veneratione sepulta est. Multa etiam dona & innumera beneficia beato viro contulit, seruorúmque multitudinem subegit. Porrò Valeria eius filia virginitatem suam Domino vouit, & Spiritu sancto repleta, in cunctis operibus bonis se semper probabilem exhibuit. Quæ vt sponsum suum Stephanum Ducem ad vrbem Lemouicam venire audiuit, sciens pro certo, quòd ipsa integritatis voto grauiter eum offenderet: omnes diuitias suas in auro & argento, atque multiplicibus vestimentorum generibus, lapidibúsque pretiosis pauperibus distribuit. Possessiones quippe ac mancipia & vernaculos iam olim cum matre sua sancto Præsuli con- D cesserat: vt post discessum eius inibi sancta ipsius tumularentur membra.

STEPHANVS siquidem dux Principatum à fluuio Rhodani vsque ad mare Oceanum tenebat, omnémque citra Ligerim regionem, & omnem Aquitaniam, seu Vvasconum & Gothorum gentem possidebat. Rex tamen non vocabatur, quia nullus sibi hoc nomen vindicabat, nisi solummodo Nero, qui Romanum tenebat Imperium. Hic Lemouicam ciuitatem introiuit, & Valeriam sponsam suam ad se venire præcepit. Ex cuius colloquio quando repudium sui didicisset, ac pro certo probasset, quòd eam, quia ipsa nollet, sibi coniugio sociare non posset: frendens nimis, non eam diutiùs passus est secum confabulari, sed furore repletus, iussit eam extra vrbem duci, & protinus decolari. Ducta verò ad locum decollationis spiculatori proximam mortem prædixit, & expansis manibus in cælum, orauit, Dominóque Deo sese fiducialiter commendauit. Qua orante, vox desursum audita est: » Noli timere Valeria, quia expectant te in claritate, quæ nullo fine claudetur. Hanc

A vocem audiens virgo exultauit, & eleuatis in cælum oculis dixit: Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Hæc effata, vltrò collum tetendit, & lanistæ vno ictu capite truncata est. Fulgidam instar solis animam eius de corpore egressam multi viderunt in igneo globo deferri in cælum, cum hymnidico Angelorum concentu dicentium: Beata es Valeria martyr Christi, quæ mandata Domini custodisti. Eris iugiter permanens in conspectu eius, in splendore lucis quæ terminum non cognouit.

Hæc audiens armiger Stephani Ducis, qui eam decollauerat, cum summa festinatione Domino suo nunciauit omnia quæ viderat vel audierat. Ad vltimum, vt verbum virginis de imminenti morte sua protulit, ab Angelo percussus ad pedes Ducis cecidit, & mox expirauit. Timor autem & tremor magnus Ducem & cunctum populum eius inuasit, ideóque Dux cilicio indutus ad se beatum Martialem venire rogauit. Qui quãdo in præsentia eius venisset, prosternens se Dux ad pedes eius, cum magno fletu cœpit dicere. Peccaui, ô vir sanctissime, fundens
B sanguinem iustum: sed precor te, vt resuscites hunc armigerum meum, & me facias credere in Deum tuum. Tunc sanctus Pontifex omnem populum Christianorum conuocauit, & omnes vt Dominum pro resuscitatione mortui deprecarentur admonuit. Deinde facto silentio, ipse clara voce orauit, & finita oratione ad defuncti corpus abiit: tenénsque manum eius, vt resurgeret in nomine Domini præcepit. Qui confestim surrexit, & prouolutus Episcopi pedibus baptizari petiit. Stephanus etiam Dux vt hoc signum vidit, similiter sancti vestigiis procubuit, & indulgentiam pro commisso facinore implorauit. Beatus autem Pontifex pœnitentiam ei pro interfectione virginis & martyris indixit, ipsúmque & omnes Comites illius ac Duces, cunctúmque exercitum & omnem populum vtriusque sexus numero XV. milia baptizauit. Præfatus verò Dux Magistro suo dedit multa munera auri & argenti, vt exindè fabricaret Ecclesias in honorem Domini. Prædia etiam ingentia, & plura beneficia cum vineis & vernaculis in Prouincia Lemouicensi tradidit, vt exindè faceret nobilitatem Ecclesiarum, quas fabricaturus esset, & omnem indigentiam Clericorum, qui in eisdem Deo seruituri essent, supple-
C ret. Post hæc Hospitale pauperum in eleemosyna beatæ Valeriæ fecit, in quo CCC. pauperes omni die alendos instituit. Aliud quoque instituit, in quo turbam pauperum numero DC. quotidie refici decreuit: & super tumulum Valeriæ virginis & martyris Ecclesiam construxit.

Interea Stephanus Princeps Galliarum iussu Neronis Imperatoris Italiam perrexit, ibique cum IV. legionibus præliatorum sex mensibus ei seruiuit. In militari tamen exercitio diuinæ legis immemor non fuit, sed exercitum suum sic instituit, vt quisque suis contentus esset: & si quis aliquid raperet, capitalem sententiam subiret. Completo autem seruitij tempore, remeandi licentiam accepit: sed sua repetere, priusquàm beatum Petrum Principem Apostolorum videret, noluit. Romam ergò ipse, & omnis exercitus eius, properauerunt, & vrbem ingressi Apostolum in loco, qui Vaticanus dicitur, docentem multas turbas populorum inuenerunt. Protinus discalciatis pedibus in cilicio ad pedes eius prostrati sunt, & cum magna humilitate benedictionem ab eo postulauerunt. Petrus autem, vt tam præclaram de Gallia generationem vidit, & omnes Euangelio Dei edoctos,
D & à beato Martiale baptizatos esse audiuit: admodum lætus gratias agens, Dominum benedixit. Apostolo sollicitè percunctanti de moribus & gratia vel conuersatione præfati Antistitis, deuotus Dux multa benignè retulit de virtutibus eius & prodigiis, & de conuersione populorum ad fontem cocnurrentium sacri baptismatis.

Postquam Dux ab Apostolo pro effusione sanguinis innocentis Valeriæ absolutionem promeruit, auri libras ducentas, quas à Nerone Imperatore dono acceperat, ei obtulit. Sed ille eidem Duci præcepit, vt memoratum aurum sancto Præsuli deferret, vt Ecclesias indè construeret, vel pauperibus erogaret. Denique accepta benedictione Apostoli, pariter in Gallias reuersi sunt: consultúque Ducis, priusquam proprios lares reuiserent, communem patronum repetierunt. Cúmque ad quoddam Palatium Regale vocabulo Iocunciacum venissent, tentoria & papiliones super Vinzennam fluuiũ fixerunt. Qui dum calore solis æstuantes ad

fluuiuum irent, vt ardorem simul & sudorem deuitarent: HILDEBERTVS ARCHADII Pictauensis Comitis filius ad locum, qui Garricus dicitur, venit, ibique à diabolo suffocatus interiit, & omnis exercitus cadauer eius quærens non inuenit. Tunc Archadius cum omni exercitu suo nimio mœrore affectus est, lacrymánsque Lemouicam ad beatum Martialem venit, ipsúmque humiliter pro filio suo deprecatus est. Tunc multæ turbæ Gothorum & Vvasconum Lemouicam venerant, & ex diuersis regionibus plures illuc populi confluxerant, ac à beato viro verba veræ salutis audire cupiebant. Archadius, & omnis populus ad pedes hominis Dei se proiecerunt, & cum magno fletu pro adolescente in flumine demerso obsecrauerunt. Ipse quoque flere cœpit, & in cilicio discalciatis pedibus ad locum perrexit. Orantibus verò cunctis, vir Dei dæmones in fouea latitantes adiurauit, præcipiens vt corpus adolescentis ad ripam fluminis deferrent, & ipsi in conspectu plebis manifesti apparerent. Statim corpus ad ripam fluuij proiectum est, quasi sex stadiis in siccum: & dæmones visi sunt in similitudine porcorum. Deinde populo deprecante, & Episcopo imprecante, de flumine cum magno impetu exierunt, & ante pedes sancti Martialis venerunt. Erant autem quasi Æthiopes nigriores fuligine, pedes eorum magni, terribiles oculi & cruenti: capilli totum tegebant corpus, atque per os eorum & nares ignis emanabat sulphureus. Loquentes verò coruinam vocem imitari videbantur. Præsule nomina eorum interrogante, vnus eorum dixit: Ego vocor Mille-artifex, quia mille habeo artes ad decipiendum genus humanum. Alter dixit: Neptunus nuncupor, quia multos homines in hac fouea præcipitaui, & in inferni pœnas demersi. Sanctus Pontifex dixit: Vt quid gestatis igneas catenas in naribus vestris? Dæmones dixerunt: Quando animas hominum decipimus, ad Magistrum nostrum cum his catenis ducimus. Præsuli verò interroganti, quomodo Magister eorum vocaretur, dixerunt: RIXALDVS, quia rixam semper desiderat, & cum ira & indignatione permanet. Denique deprecantibus illis, ne Latino sermone cum eis vltrà loqueretur, nec illos in abyssum vel in mare Oceanum mitteret: Hebraïcè præcepit, vt in desertum locum irent, nec vllam vsque in diem iudicij creaturam læderent. Dæmones statim per inane volantes numquam comparuerunt. Dux autem & omne vulgus, cunctúsque exercitus ex diuersis prouinciis adunatus, atque ad hoc spectaculum congregatus, proiecerunt se ad pedes sancti Antistitis, pro resuscitatione mortui rogantes cum lacrymis. Ipse verò tot fletibus commotus, omnes pariter Dominum deprecari præcepit, tenénsque manum defuncti, dixit: HILDEBERTE, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge. Qui statim surrexit, & XXVI. annis postea religiosè vixit: cunctis Dominum glorificantibus, qui tam gloriosum miraculum viderant. Sanctus Martialis Hildebertum vocauit, & ab eo de his, quæ iam exanimis viderat, pro ædificatione audientium inquisiuit. Cunctante, plura ille narrauit.

CVM fatigatus, inquit, ardore solis, à sudore corpus meum abluerem, continuò dæmones in foueam præcipitantes me suffocauerunt. Cúmque igneis catenis me constringere voluissent, protinus astans Angelus Domini de manibus eorum abstraxit me. Cúmque ad Orientem pergere cœpissemus, duo cunei dæmonum contra nos veniebant, & igneas sagittas iaciebant. Vnus eorum ante nos, & alius retrò pergebat. Ast ego nimiò pauore perterrebar, sed ab Angelo comitante mihi blandè confortabar. Sonora etiam voce ac dulci modulatione cœpit Angelus Domino canere, dicens: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & redimet de inferno vitam tuam. Deinde ad ignem purgatorium peruenimus, in quo Christiani cruciantur pro quotidianis excessibus, qui non grauantur criminalibus. Purgatorius quippe ignis fluuius est, & pons superpositus, in quo me ducens Angelus Domini, ac statuens illuc, apprehensa manu mea dixit: Hîc stabis, quousque ab omnibus peccatis emundatus, cœlestis regni merearis esse particeps. His expletis, ad portam Paradisi venimus, iuxta quam multitudinem dæmonum congregatam reperimus, quorum sæuitiam & calumniam pertimescebam vehementius. Tunc vox de cœlo audita est: Reuertatur anima pueri huius in viscera eius, & viuat annos viginti & sex. Angelus autem, qui me ducebat, incredibilis pulchritudinis

A nis erat, & humanam naturam aspectu suæ visionis excedebat. Percunctanti etiam mihi de doctore nostro Martiale, respondit Angelus: Magnum in cælis meritum possidet, quia virgo permanet, & sine concupiscentia feminarum est, & esse deliberat. A iuuentute Domino cœpit deseruire, & beato Petro adhærere. Ad paternam domum reuersus non est. Sicut à concupiscentia carnis noscitur alienus, sic à dolore mortis erit extraneus. Angeli XII. ei à Domino deputati sunt, qui semper cum eo gradientes eum fatigari non permittunt, nec esurire, nec sitire; sed ab omni malo eum custodiunt, & ab omni contagione doloris prorsus extraneum reddunt.

HÆC & alia his similia Hildeberto referente, Pontifex & Dux cum omni coadunata plebe lætati sunt, Dominóque pro collatis beneficiis gratiarum actiones reddiderunt. Hildebertus autem Angeli monita tenens, caput suum totundit: & beato Præsuli adhærens, in Dei seruitio permansit, vinum non bibens, & carnem non comedens. Indumentis pedum non est vsus. Pane &
B aqua solummodò contentus fuit in cibo, & cilicio in indumento. Erat enim deditus in assiduis orationibus, in ieiuniis frequentioribus, & continuis bonorum operum exhibitionibus. Data verò sibi à parentibus, distribuebat indigentibus: nihil in crastinum sibi reseruabat. Exemplum verò eius multi secuti sunt, propriisque renunciantes voluntatibus, per arctam viam ad Christum cucurrerunt.

STEPHANVS Dux decretum fecit, & per omnes gentes, quæ ditioni eius subiacebant, direxit: vt omnia templa & idola minutatim confringerent, & igni cremarent, solique Deo vacarent, & seruire studerent. Ipse religiosam vitam, sicut à bono magistro didicerat, diligenter Deo seruabat. Eleemosynis enim erat deditus, in iudicio iustus, circa pauperes sollicitus. Sacerdotibus atque cunctis Dei ministris supplex erat ac deuotus, prudentissimus pater Christianorum, ac ferocissimus persecutor paganorum. A die quo baptisma suscepit, cum femina pollutus non fuit: sed in castitate vsque in diem obitus sui vixit.

IN Burdegala ciuitate, Sigibertus Comes erat, qui per sex annos paralysi
C morbo grauiter ægrotauerat. Qui vt mirabilia, quæ per beatum Martialem agebantur, audiuit, coniugi suæ Benedictæ præcepit, vt festinanter ad hominem Dei pergeret, & XXVI. libras auri, & argentum sufficiens secum deferret, factaque petitione propiciationem Dei per eius amicum sibi obtineret. At illa cum summa velocitate imperata competenter parauit, & cum duobus millibus octingentis equitibus ad virum Dei perrexit. Perueniens autem ad illum fiducialiter pro viri sui salute petiit. Super cuius fide beatus vir exhilaratus, sanitatem ægroto promisit. Tunc baculum suum matronæ tradidit, ac vt super maritum suum poneret, vt sanaretur præcepit. Aurum autem & argentum accipere noluit, sed diuina secundum Domini præceptum beneficia gratis erogauit. Nobilem verò Benedictam, & omnes itineris eius comites baptizauit, & omnes in fide confirmatos ad propria remisit.

INTEREA Burdegalæ dum ciuitatis populus ad delubra idolorum venisset, & Pontifex thura cremaret, dæmon per quendam Hebræum nomine Martialem ei se egressurum dixit: & magnas virtutes sancti Præsulis, atque
D dignitates, apud Dominum mœstus palam promulgauit. Tandem matrona vrbem ingrediente, seniores populi obuiam ei processerunt, & omnia, quæ à Ioue audierant, narrauerunt. Tunc primum Pontificem idolorum ad se Comitissa vocauit, eique præcepit vt per omnia templa pergeret, & excepto templo Dei ignoti, minutatim ea confringeret. Deinde cum sociis Christianis Dei clementiam exorauit, & in eius nomine ad lectum mariti peruenit: ac super eum beati Pontificis baculum imposuit. Porrò membra, quæ contractione neruorum, ac vitiosa febrium compagine fuerant sauciata, extemplo efficiuntur, ac si numquam propria virtute fuissent priuata. Postquam præfatus Comes Sigibertus sanatus est, cum multo apparatu populi ad sanctum Antistitem profectus est, & ab ipso sacri baptismatis vndâ cum cunctis sequacibus suis regeneratus est. Copiosa verò precum & gratiarum exenia pro collatis sibi cælestibus beneficiis retulit, & multis postea diebus in Dei seruitio feliciter vixit.

QVONDAM, cùm exigentibus hominum insolentiis denominata ciuitas ignis incendio iam consumenda cremaretur, ac penè sui interitum arsura minari videretur: religiosa Benedicta baculum viri Dei fideliter igni opposuit, & omnipotentiam Creatoris confessa, eius auxilium inuocauit. Protinus incendium ita sopitum est, vt vestigia ignis nullomodo apparerent. A

IN illo tempore, instinctu diuino admonitus Præsul Christi Martialis, ad Garonam fluuium perrexit, & in loco, qui Mauritania dicitur, multis, qui illuc confluxerant, verbum Dei prædicauit: ibíque pro saluberrima occupatione diuini operis tribus mensibus mansit. Nouem dæmoniaci catenis constricti ex Burdegala ciuitate à parentibus deducti, à sancto Martiale dæmonibus expulsis sunt sanati. Dæmones enim, qui pro fidei Christianæ virtute de Burdegala vrbe eiecti fuerant, irati contra suos, quos subiugauerant, miseros idololatras inuaserant; & in eorum corpora crassantes nimis illos vexabant. A parentibus itaque ad virum Dei pertracti sunt, quo orante & præcipiente, maligni hostes per ora eorum cum sanguine egressi nusquam comparuerunt. B

QVONDAM dum beatus Martialis Mauritaniæ prædicaret, & maxima populorum multitudo, vt audirent vera dogmata, concurreret: SIGIBERTVS Comes decreuit cum magno militum exercitu ad eum venire, eíque congruentem apparatum ciborum & potus amicabiliter exhibere. Copiam ergo piscium concupiuit, & ministros in pontum piscandi gratia misit. Tandem piscatoribus multa secum genera piscium deferentibus, & optata inuisere littora cupientibus, subitò tempestas exorta est in mari, quæ ipsis interitum & nauibus naufragium cœpit minari. Porro Benedicta Comitissa, quæ cum multitudine plebis ad litus stans expectabat, metuendum trepida periculum videbat. Cúmque iam mergi cœpissent homines cum nauibus, religiosa mulier extendit in cœlum manus, & voce magna exclamans Dominum inuocauit, & continuò sedata tempestas cessauit. Piscatores autem cum nauibus & piscibus ac retibus incolumes ad portum peruenerunt: & cuncti hoc videntes mirabilem Dominum glorificauerunt.

ALMVS verò Præsul à Mauritania reuersus Lemouicam repedauit, & indè ad vicum nomine Asiacum perrexit. Ibi Iouis idolum venerabile paganis erat, ibíque multitudo magna languentium diuersis oppressa infirmitatibus iacebat. Tunc adueniente Pontifice dæmon obmutuit, sed vir Dei rogantibus incolis de simulacro illum egredi præcepit, statuam confringere, & visibiliter populis apparere. Protinus de statua exiuit quasi niger puerulus obscurior fuligine, cuius capilli tetri & densissimi vsque ad pedes erant: & per os illius ac nares & oculos cum fœtido ardore emanabat. Denique Sancto populis ostendente quem Dominum coluerant, eíque rursus vt statuam comminueret præcipiente, confractam statuam in puluerem redegit, & postea nusquam comparuit. Venerabilis autem Episcopus cunctos ægrotos ad se congregari fecit, & facto super eos signo crucis in Dei nomine sanauit: & cunctos, qui ibi commanere videbantur, baptizauit. Inde reuersus ad propriam sedem, Oratoria construi fecit, & insignibus ornamentis diligenter decorauit. Vnum in honore sancti Stephani protomartyris consanguinei sui consecrauit, & aliud in honorem sancti Petri Apostoli ac magistri sui constituit, & totum altare per circuitum laminis aureis vestiuit. Constructis autem Basilicis, beatus Præsul certum dedicationis diem denunciauit: & Stephanus Dux sufficientem apparatum cunctis venientibus ad sacra solemnia præparari commendauit. Porro dum sanctus Pontifex celebraret Missarum solemnia, ARVEVS Comes Turonicæ ciuitatis arreptus est à diabolo cum coniuge Christiana. Vir autem Domini diu fatigari homines passus non est, sed eos ad se iussit venire, & dæmones increpauit, cur ausi fuissent in illos intrare. Dæmones verò dixerunt hoc sibi permissum fuisse pro transgressione, quia contra præceptum eius immundicia carnali commaculassent se tota nocte. Duce cum populo rogante pro vexatis, sanctus Præsul dæmonium expulit in nomine Saluatoris, hominésque restituit vigori pristinæ sospitatis. Basilica siquidem sancti Petri VI. Nonas Maij tempore Neronis Imperatoris consecrata est, & tanta claritas in die consecrationis eius ibidem emi-

A cuit, vt alter alterum sibi proximum vix videre quiuisset.

His ritè peractis, beatus Martialis Aurelianum ordinauit, & post suum discessum vrbi Lemouicensium præfecit. Andream verò Presbyterum Ecclesiæ sancti Petri Apostoli præfecit, ibique cum eo HILDEBERTVM Archadij Comitis filium, & alios XXXVI. Clericos constituit: eisque Stephanus Dux ex suo reditus ad victum & vestitum vbertim donauit. Multa quidem de operibus beati Martialis scripta sunt, sed tamen omnia sigillatim proferri nequeunt. Erat enim diuina eruditione repletus, religione insignis, morum probitate pollens, miraculorum exhibitione admirabilis. Erat contemptor seculi, amator Dei & proximi, & cui viuere Christus erat, & mori lucrum. Reddebat, vt sæpè iam diximus, cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, ac mortuos reuocabat ad vitam. Sunt & alia multa, vt Aurelianus dicit, commemoratione digna, quæ per eum operata est Christi gratia; quæ si literis scriberentur, à non credentibus apocrifa dicerentur.

B ANNO Dominicæ Resurrectionis XL. quando beatus Pontifex Martialis oraret solitò, ecce Dominus Iesus Christus cum discipulis suis in splendore ei apparuit, & amicabiliter eum salutans vocauit, eique quintumdecimum diem migrationis eius de mundo terminum esse prædixit. Sanctus ergo vir gaudio magno repletus Deo gratias egit, & exitum suum per binas hebdomadas assiduis ieiuniis & vigiliis ac orationibus præparauit. Statuto enim tempore noctis, post modicam pausationem, quæ fessos artus recreabat, ad orationem surgebat, & vsque in horam secundam diei precibus & diuinis laudibus insistebat. Deinde sacrificium Domino in hora secunda pro se & omni Ecclesia offerebat, & postea vsque in vesperum assiduè prædicabat. Nocte verò iam incumbente arduam sibi impositam victus alimoniam, panem scilicet & aquam, percipiebat.

APPROPINQVANTE vocationis termino, vir Dei fratres conuocauit, & obitus sui diem imminere indicauit: nunciósque per vniuersas regiones & prouincias, quas ipse Domino adquisierat, destinauit. Multi autem cum magno
C eiulatu conuenerunt, populus scilicet Pictauensium, Biturigensium, Aruernorum, Vvasconum, vel Gothorum. Appropinquante autem obitus sui die, rogantibus cunctis, extra ciuitatis portam, quæ Calcinea dicitur, perrexit: ibique sermonem de vera fide & diuinis operibus edidit, atque beatas virtutes, quibus salutiferi mores decorantur, vtiliter recusauit. Postquàm exhortatione finita populum benedixit, Dominóque Deo piis precibus commendauit, portari se in Oratorium beati Stephani fecit: ibique in cinere & cilicio recubans finem suum expectauit, genibúsque flexis, & manibus ad cœlum intentis, orationibus exitum suum muniri curauit. Ad vltimum verò hanc ad Dominum vocem fudit: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Cunctis autem flentibus & orantibus, ipse manu innuens vt silerent, dixit: « Tacete, numquid non auditis, quantæ veniunt laudes de cœlo? « Certè Dominus venit sicut promisit. Continuò lux magna ibidem refulsit, & vox Domini vocantis eum personuit: « Egredere, benedicta anima. Deinde cum ipso splendore in cœlum perrexit, & « concentus interim Angelorum auditus est. In crastinum hora tertia paralyticus quidam tetigit feretrum eius, & statim factus est sanus. Cúmque ad sepeliendum
D corpus illius deferretur, in hora egressionis ad sancti Stephani Basilicam cœli aperti sunt: & baiulis sancti corporis pergentibus vsque ad locum sepulturæ semper aperiebantur. Præterea multis ad exequias confluentibus infirmis, beatus Alpinianus accipiens sudarium beati Pontificis, ægrotorum corpora tangebat, & cunctos ad inuocationem Christi sanabat. Inter reliquos hydropicus quidam ex Tholosana vrbe aduectus est cum sex cæcis, & quatuor dæmoniacis: qui sequenti die post obitum sancti Præsulis ad sepulcrum illius repræsentati sunt, & sacri sudarij tactu sanati sunt.

INNVMERA per sanctissimum Præsulem post tumulationem eius miracula facta sunt, quæ sigillatim omnia præ ingenti copia scripto comprehendi non possunt. Fortassis cui hæc non sufficiunt, nec ampliora, si scriberentur, volumina sufficerent.

» INTERVENIAT pro nobis almus Præsul Martialis de se loquentibus, qui A
» conuiua Christi fuit,& Apostolorum socius, qui pius Pastor extitit Lemouicensi-
» bus,& primus prædicator populis Occidentalibus: vt sacris eius orationibus mu-
» niti, hæreditatis æternæ mereamur participes ascisci, amen.

QVIA Chronographiam secundum scripta priscorum contexere decreui, & Ecclesiasticam incipiens narrationem, in eius capite de sanctis Apostolis quædam breuiter apposui: nunc adiuuante Deo de Romanis Præsulibus continuatam seriem edere nitor,& à beato Petro Apostolo, cui Christus claues regni cœlorum commisit,inchoare conabor. Hoc enim opus necessarium duco, ac studiosis clientibus sibi aliisque docilibus commodum autumo. Iam vt veraciter rimatus sum per mille & centum annos,ex quo fortis Emmanuel per intemeratam Virginem nube carnis trabeatus venit ad nos;in vrbe Roma, quæ ab ipso sui primordio super omnes vicinos mollita est efferre fasces suos, & vsque ad Eufratem Oceanúmque disponente Deo dilatauit fines suos,plures opitulante Deo eximij athletæ tenuerunt Ecclesiastici regiminis frena, quorum triumphales cursus perscrutari bonis delectabile est inter fluctus mundanos; vt per Heroum vestigia gradientes, desudent imitari strenuos actus atque saluificos. B

BEATVS Simon Petrus,Princeps Apostolorum, filius Ioannis, vico Bethsaida Prouinciæ Galileæ ortus,primùm in Antiochia VII. annis sedit: deinde sub Claudio contra Simonem Magum Romam pergit,ibíque XXV. annis Euangelium prædicans Ecclesiam rexit. Contra Simonem multoties coram Nerone & populo disputauit,& eo deuicto à Nerone XXXVI. anno à passione Domini, IV. Kal. Iulij cum Paulo martyrizatur.

LINVS de Tuscia ex patre Herculano,sedit annis XI. mensibus III. diebus XII. & martyrizatus est VI. Kal. Decembris. Hic ex præcepto Petri Apostoli constituit, vt mulier in Ecclesiam velato capite intraret.

CLETVS Romanus sedit annis XII. mense vno,diebus XI. & sub Domitiano passus est VI. Kal. Maij: & cessauit Episcopatus diebus XX. Rufinus Aquileiensis Presbyter de Lino & Cleto dicit in procemio Historiæ Clementis,quòd ipsi viuente Petro Apostolo ministrauerint,sibíque successerint. Valdè miror,quòd tam prudens interpres & Historiographus,& tam Græcis quàm Latinis admodum eruditus,non considerauerit,quòd ambo felicem cursum martyrio consummauerint, nec aliqui persecutionem in vrbe pro Christo vsque ad tertiumdecimum Neronis annum post Simonis Magi præcipitium perpessi fuerint. Linus quippe tempore Vespasiani,Cletus verò persecutione passus est Domitiani. C

CLEMENS Romanus de Cœlio monte,ex patre Faustino, sedit annis X. mensibus II. diebus X. & sub Trajano in mare præcipitatus est IX. Kal. Decembris: & cessauit Episcopatus diebus XXI. Hic disciplinam beati Petri Apostoli secutus, bonorum ornamentis morum insigniter pollebat, & ob hoc Iudæis, & Gentilibus, & omnibus Christianis complacebat: quorum inopes nominatim scriptos habebat; nec sanctificatione baptismatis mundatos publicæ mendicitati subiectos esse sinebat. Flauiam Domicillam virginem, Domitiani Cæsaris neptem, & Aurelij sponsam, sacro velamine consecrauit: & Theodoram Sisinnij Comitis coniugem in proposito castitatis confirmauit. Quam vir suus zelo ductus Ecclesiam intrantem occultè prosecutus est: sed à Clemente facta oratione, statim cæcus & surdus effectus est. Cúmque serui eius vellent eum de Ecclesia eiicere, diu girantes per circuitum ianuam non potuerunt inuenire, donec Theodora pro viro suo fusa obtinuit oratione, vt ipse cum pueris suis indè potuisset exire. Ille tandem ad domum perductus, in cæcitate permansit, & Theodora post Missas sancto Clementi Papæ ordinem rei gestæ insinuauit. Ipse verò populum, vt Dominum orarent,admonuit. Deinde cum muliere ad ægrotum perrexit, & orationem faciens, visum & auditum ei statim restituit. Ille autem receptis sensibus corporis amens factus est,& Clementem Episcopum,quem ad coniugem suam ingressum esse putabat, teneri & trahi præcepit. Serui verò eius saxeas columnas ligabant, & nunc deintus foras, nunc deforis intus trahebant. Sisinnio itaque cum seruis suis insaniente, Clemens recessit, & Theodora pro marito suo tota die cum lacrymis orauit. Tandem ad vesperum Petrus Apostolus ei apparuit, D

A & confortans ait: Per te saluus erit Sisinnius, vt impleatur hoc quod dixit frater meus Paulus Apostolus: *Sanctificabitur vir infidelis per fidelem mulierem.* Statim Sisinnius, recepto sensu, per Theodoram Clementem accersiit, & amentiam suam confessus omnipotenti Deo credidit: & corroboratus proximo Pascha cum CCCXXIII. promiscui sexus baptismum suscepit. Multi nobiles & illustres Domino per eum crediderunt, & veram fidem suscipientes baptizati sunt.

PVBLIVS TORQVEANVS sacrorum Comes multitudini Christianorum inuidit, dataque pecunia patronis regionum nomini Christiano seditionem excitauit. Administrante Mamertino præfecturam populi Romani, seditio facta est: & Publio Torqueano iubente Clemens secretò ad eum perductus est, ipsúmque iudicem rationabilibus responsis ad veram fidem inflectere conatus est. Denique seditiosis tumultuantibus, ad Neruam pariter & Trajanum de illo relatio missa est.
B Trajanus verò rescribens iubet, si Clemens sacrificare nollet, trans Pontum maris, quod ciuitati Cersonæ adiacet, exilium subiret: tantam gratiam Dominus beato Clementi tribuit, vt pagani etiam Præsides super illo flerent. Iulianus Præses illum Deo plorans commendauit, eíque nauem omnibus necessariis onustam delegauit. Multi eum religiosi viri de plebe & Clero secuti sunt. In exilio plus quàm duo milia Christianorum ad marmora secanda damnatos beatus Papa inuenit, quos cùm pro Dei nomine relegatos cognouisset, exultauit; eísque copiosam de seruanda fide & patientia doctrinam erogauit. Deinde vt cognouit, quòd aquam humeris suis à sexto miliario deportarent, Dominum orauit, & aquam petiit. Completa verò oratione, agnum stantem super montem vidit: & locum, quem agnus erecto pede dextro monstrauerat, breui sarculo leuiter percussit, & fontem affluentibus venis ornatum aperuit, qui subito impetu vomens fluuium fecit. Ad hanc famam confluxit omnis Prouincia, atque doctrinam sancti Clementis suscepit multitudo maxima: itaut in die vna quingentæ animæ vel ampliùs baptizatæ essent,
C ibíque intra vnum annum confractis idolis à credentibus LXX. & V. Ecclesiæ factæ essent.

POST annos tres, paganis insistentibus, ad Trajanum Imperatorem inuidiosa relatio cucurrit; & Aufidianus Dux ab eo missus diuersis pœnis multos Christianos peremit. Cæsa verò multitudine, solum Clementem iussit ad mare perduci, & anchoram ad collum eius ligari, & in medium maris præcipitari: ne à Christianis posset inueniri, & pro Deo venerari. Quod quando factum esset, Phebo & Cornelio discipulis sancti Clementis cum multitudine Christianorum ad littus stantibus, & cum fletu orantibus: recessit mare in sinum suum per tria ferè milia, & ingressi per siccum populi videre mirabilia. Habitaculum namque inuenerunt in modum templi marmorei Angelicis manibus paratum, ibíque in arca saxea corpus sancti Clementis positum ministerio Angelorum: itaut anchora, cum qua missus est, posita esset iuxta eum. Discipulis autem eius reuelatum est, ne eum tollerent: quia omni die passionis eius mare recederet, & per septem dies aduenientibus siccum iter præberet. Multis ibi mirabilibus factis, omnes gentiles per girum crediderunt
D Christum, & famulantur ei qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, amen.

CLEMENS constituit, vt altaris palla, cathedra, candelabrum, si vetustate consumpta fuerint, concrementur.

ANACLETVS Græcus de Athenis, sedit annis IX. mensibus II. diebus X. Quo defuncto III. Idus Iulij, cessauit Episcopatus diebus XVI. Hic decreuit, vt accusatio sacerdotum non fieret, nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui suspicionibus careant.

EVARISTVS Iudæus, de Bethleem, ex patre Iuda, sedit annis IX. mensibus X. diebus II. temporibus Domitiani, Neruæ, & Trajani. Post martyrium eius cessauit Episcopatus diebus XVIII. Hic VII. Diacones ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem per stylum veritatis, eíque velut oculi essent in omnibus locis. Is etiam constituit vt vir vxorem, vel mulier maritum non dimittat, nec Ecclesia Episcopo suo viuente alium accipiat.

ALEXANDER Romanus, de regione Caput-tauri, ex patre Alexandro, annis X. mensibus VII. diebus XI. Hic aspersionis aquam cum sale in habi-

taculis hominum benedixit, & passionem Domini in precatione sacerdotum, dum A Missæ celebrantur, miscuit. Multa per eum Dominus miracula fecit, & multis salutem animabus dedit. Tandem via Numentana v. Nonas Maij decollatus est, & cessauit Episcopatus diebus xxxv.

SIXTVS Romanus, ex patre Pastore, de via lata, sedit annis x. mensibns II. die vno. Hic decreuit, vt ministeria sacrata non tangantur nisi à ministris. Presbyter intra actionem in populo hymnum Angelorum & hominum decantet; *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cæli & terra gloria tua, osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.* Accusatoris primò persona, fides, vita, & conuersatio enucleatim perscrutetur. Accusatoribus enim, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conuersationis vitam deducunt, seu qui de inimicorum domo exeunt, credendum non est. Denique Nonis Aprilis martyrizatus est, & cessauit Episcopatus diebus XIIII.

THELESPHORVS Græcus sedit annis XI. mensibus III. diebus XXI. tempore Antonini & Marci. Hic decreuit vt septem Hebdomadis ieiunium ante Pascha celebretur, in natale Domini noctu Missa canatur, in ingressu sacrificij hymnus B Angelorum, id est, *Gloria in excelsis Deo*, dicatur. Tandem martyrizatus est Nonis Ianuarij, & cessauit Episcopatus diebus VII.

YGINVS Atheniensis, ex Philosopho, sedit annis IIII. mensibus III. diebus IIII. tempore Veri, & Marci. Hic nimirum sanxit, vt Metropolitanus absque omnium Prouincialium Episcoporum præsentia causas aliorum non audiat. Episcopus autem absque Clericis suis nullius causam definiat: alioquin vtriusque sententia irrita erit. Hic sepultus est III. Idus Ianuarij, & cessauit Episcopatus diebus III.

PIVS Italus, de Aquileia, sedit annis XIX. mensibus IIII. diebus III. tempore Antonini Pij. Hic in habitu pastoris edoctus, Pascha Dominico fieri iussit. Quinto Idus Iulij obiit, & cessauit Episcopatus diebus XIIII.

ANICETVS Syrus sedit annis XI. mensibus IIII. diebus III. tempore Seueri & Marci. Hic constituit, vt Clericus comam non nutriat. Episcopus à minus quàm à tribus Episcopis non ordinetur. Metropolitanus autem consecretur ab omnibus, quibus præesse debet. Martyrizatus est autem XII. Kal. Maij, & cessauit Episcopa- C tus diebus XVII.

SOTHER Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundis, sedit annis IX. mensibus VII. diebus XXI. tempore Seueri. Defunctus est verò XV. Kal. Maij, & cessauit Episcopatus diebus XXI.

ELEVTHER Græcus, ex patre Abundio, sedit annis XV. mensibus III. tempore Antonini & Commodi. Hic definiuit, vt absens non iudicetur, nec in eum proditoris calumnia vel vox audiatur. Nulla esca, quæ tamen humana & rationalis est, à Christianis repudietur. Deinde VII. Kal. Iunij obiit: & cessauit Episcopatus diebus V.

VICTOR Afer sedit annis X. mensibus II. diebus X. Martyrio coronatus est Kal. Augusti, & cessauit Episcopatus diebus XII. Hic decreuit, vt nemo de incertis iudicetur.

ZEPHYRINVS Romanus sedit annis VIII. mensibus VII. diebus X. tempore Antonini & Seueri. Via verò Appia VII. Kal. Septembris sepultus est, & cessauit D Episcopatus diebus VII. Hic constituit, vt iniustè expoliatus sua primò recipiat, & post legitimè accusantibus respondeat, induciásque, si ei necesse fuerit, non modicas accipiat.

CALIXTVS Romanus, de regione Rauennati, sedit annis VII. mensibus II. diebus X. sub Martiano & Heliogabalo. Hic decreuit, vt Episcopus alterius parrochianum non iudicet, nec excommunicet. Nullius enim nisi sui Præsulis iudicio tenebitur, aut damnabitur. Lapsus in peccata, si dignam pœnitentiam gesserit, honore pristini officij non priuetur; sed etiam si nec dum habuit, adipisci poterit. Ieiunium sabbati ter in anno fiat, frumenti, vini, & olei, secundum Prophetiam quarti, septimi, & decimi. Denique martyrizatus est II. Idus Octobris sub Alexandro Imperatore, & cessauit Episcopatus diebus VI. Tunc Calepodius Presbyter, & Asterius, ac Palmatius Consul, cum CC. de familia sua passi sunt.

VRBANVS Romanus sedit annis IIII. mensibus X. diebus XII. Hic decre-

A uit, vt omnes fideles per impositionem manus Episcoporum post baptismum Spiritum sanctum accipiant, vt pleni Christiani sint. Tunc passi sunt Tiburcius, Valerianus, Maximianus, Cæcilia. Ipse verò VIII. Idus Iunij martyrizatus est.

PONCIANVS Romanus sedit annis IX. mensibus V. diebus II. tempore Alexandri, à quo in Sardiniam cum Hippolyto Presbytero exulare coactus est. Tertio autem Kal. Nouembris defunctus est, & cessauit Episcopatus diebus X.

ANTEROS Græcus sedit annis XII. mense I. diebus XII. Martyrizatus est verò III. Nonas Ianuarij, & cessauit Episcopatus diebus XIII.

FABIANVS Romanus sedit annis XIIII. mensibus XI. Hic inter cetera dixit: Conuitium irati pro accusatione habendum est. Omnis qui crimen obiicit probet: & qui non probauerit, patiatur pœnam quam inferre voluit. Passus est autem XIIII. Kal. Februarij, & cessauit Episcopatus diebus VII.

CORNELIVS Romanus sedit annis II. mensibus II. diebus III. Hic Apostolorum corpora rogatu sanctæ Lucinæ noctu leuauit. Beati Pauli corpus in via Hostiensi posuit, & Petri in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano condidit. Sub Decio autem Centumcellis exulauit. Deinde Romam adductus, plures saluauit, & decollatus est XVIII. Kal. Octobris, & cessauit Episcopatus diebus XXXV. Hic decreuit vt Sacerdotes, nisi pro fide, Sacramentum non faciant.

B

LVCIVS Romanus sedit annis III. mensibus III. diebus III. tempore Galli & Volusiani. Hic de exilio Dei nutu rediit. A Valeriano III. Nonas Martij capite truncatus est, & cessauit Episcopatus diebus XXXV. Hic constituit, vt duo Presbyteri & tres Diaconi semper vbique pro Ecclesiastico testimonio cum Episcopo sint.

STEPHANVS Romanus sedit annis VII. mensibus V. diebus II. tempore Valeriani, Gallicani, & Maximi. Lucillam, quæ à cunabulis cæca erat, illuminauit, & Nemesium Tribunum patrem eius, aliósque promiscui sexus LXII. baptizauit. Post martyrium Simpronij, Olimpij, Exuperiæ & Theodoli, XII. Presbyteros; Bonum, Faustum, Maurum, Primitium, Calumniosum, Ioannem, Exuperantium, Quirillum, Honoratum, aliósque plures per martyrium præmisit Kal. Augusti, & ipse celebrata Missa decollatus est, IIII. Nonas Augusti, & cessauit Episcopatus diebus XXVII. Hic decreuit vt infames personæ Sacerdotes non accusent. Sacerdos & Leuitæ sacratis vestibus in vsu quotidiano, nisi in Ecclesia, non vtantur.

C

SIXTVS Græcus, ex Philosopho, sedit anno vno, mensibus X. diebus XXIII. tempore Galieni & Decij. Hic statuit, vt spreto proprio iudice ad alium recurrens excommunicetur. Tandem VIII. Idus Augusti decollatus est cum sex Diaconibus, Felicissimo, Agapito, Ianuario, Magno, Vincentio & Stephano: & cessauit Episcopatus diebus XXXV. Tunc Laurentius Archidiaconus & Hippolytus cum familia sua, Abdon & Sennes sub Regulis Persarum, aliíque multi diuersis suppliciis martyrizati sunt.

DIONYSIVS ex Monacho sedit annis VI. mensibus II. diebus IIII. Hic Presbyteris Ecclesias dedit, cimiteria, parrochias, & diœceses constituit. Martyrizatus est VI. Kal. Ianuarij, & cessauit Episcopatus diebus V. In decretis Dionysij hoc reperitur: Confessio ex necessitate veniens, credibilis non est. non enim debet extorqueri, sed potiùs spontè proferri.

D

FELIX Romanus sedit annis IIII. mensibus III. diebus XXV. tempore Claudij & Aureliani. Deinde martyrio coronatus est III. Kal. Iunij, & cessauit Episcopatus diebus V. Hic decreuit vt Episcopatus Episcopo non adimatur, antequam causa eius discutiatur.

EVTYCIANVS Tuscus de Lunis sedit anno vno, mense vno, die vno, tempore Aureliani. Obiit VI. Kal. Augusti, & cessauit Episcopatus diebus VIII.

GAIVS Dalmata sedit annis XI. mensibus IIII. diebus XII. tempore Carini, Diocletiani, & Constantij. Hic constituit septem gradus Ordinum, vt esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus. Martyrizatus est X. Kal. Maij, & cessauit Episcopatus diebus XI.

MARCELLINVS Romanus sedit annis IX. mensibus IIII. diebus XVI. tempore Diocletiani & Maximiani. Hic decreuit, vt maior à minore non iudicetur,

laïcus Clericum non accuset: Clericus verò cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu ad seculare iudicium neminem attrahat. Martyrizatus est autem VII. Kal. Maij. Cum ipso intra XXX. dies XVIII. millia hominum pro fide Christi perempti sunt. Tunc nimia persecutio Christianorum fuit, & cessauit Episcopatus annis VII. mensibus VII. diebus XXV. A

MARCELLVS Romanus de via lata sedit annis X. mensibus VII. diebus XXI. tempore Maxentij & Maximini. Qui in catabulo iussu tyranni equis diu seruiuit, & tandem XVII. Kal. Februarij migrauit. Tunc cessauit Episcopatus diebus XX.

EVSEBIVS Græcus ex medico sedit annis VI. mense I. diebus III. tempore Constantini, VI. Non. Octobris obiit, & cessauit Episcopatus diebus VII. Huius tempore crux Domini nostri Iesu Christi V. Non. Maij inuenta est, & Iudas Quiriacus baptizatus est.

MELCHIADES Afer sedit annis IV. Hic constituit vt nullus fidelium Dominico ieiunaret, nec feria V. pro ritu paganorum. Sepultus est autem in cimiterio Calixti via Appia, IV. Idus Decembris, & cessauit Episcopatus diebus XVI. B

SILVESTER Romanus ex patre Rufino & matre Iusta sedit annis XXIII. mensibus X. diebus XI. Hunc Cirinus Presbyter Romæ docuit, cuius vitam imitatus & mores, ad summum apicem Christianæ religionis attigit. Siluester à iuuentute hospitalitati, aliisque bonis actionibus piè studuit. Timotheum ab Antiochia venientem hospitio Romæ suscepit, & Christum publicè prædicantem totis nisibus adiuuit. Dehinc eundem post annum & menses tres pro veritate à Tarquinio vrbis Præfecto martyrizatum noctu rapuit. Melchiadem Episcopum cum sanctis Presbyteris & Diaconibus, vt testem Christi sepelirent, ad domum suam perduxit. Timotheus itaque in horto Theonæ Christianæ mulieris iuxta Pauli Apostoli sepulturam venerabiliter tumulatus est: & Siluester à Perpenna Tarquinio tentus est, & in carcerem vt in crastinum pro confessione deitatis torqueretur missus est. Interea Præfectus dum pranderet, osse piscis in gutture versato interiit, & Siluester, dum persecutor eius ad tumulum cum luctu duceretur, de carcere cum gaudio exiuit. Qui quando tricenarius esset, Diaconus factus est, & paulò post omni populo poscente Presbyter à sancto Melchiade Episcopo ordinatus est: quo migrante Siluester ab omnibus Papa concorditer electus est. Cunctis virtutibus ipse rutilabat, meritóque sanctitatis omnibus idem complacebat. Immanis erat draco in monte Tarpeio, in quo Capitolium est collocatum, ad quem Magi cum sacrilegis virginibus semel in mense cum sacrificiis & listris descendebant CCCLXV. gradibus quasi ad infernum. Hic ex improuiso ascendebat, & licèt non egrederetur, vicinum tamen aërem flatu suo viciabat, quo mortalitas hominum, & maximus de morte infantium luctus veniebat. Tandem paganis à Siluestro poscentibus auxilium, ipse Christianis triduanum indixit ieiunium, post quod à beato Petro Apostolo in visione edoctus cum tribus Presbyteris & duobus Diaconibus descendit; & in virtute Dei draconem penitus inclusit, à cuius flatu tota ciuitas ex illa die & deinceps liberata Deo gratias egit. Hæc vt plurimi gentilium Romæ viderunt, à peste draconis erepti, Christo credentes baptizati sunt. C

CONSTANTINO Imperatore Christianos cogente idolis sacrificare, & plurimas strages agente de illis, qui simulacra nolebant adorare: Siluester ab vrbe cum Clericis suis recessit, & in monte Soracte ieiuniis & orationibus insistens aliquamdiu delituit. Vltrix verò Dei manus elephantina Constantinum leprâ percussit, & sic illum ab effusione sanguinis seruorum suorum compescuit. Augustus ergo pro tanta mœstus calamitate, quid sibi prodesset obnixè studuit indagare. Tunc nefariorum Capitolij consilio Pontificum, iussit perimi turmam ad tria milia infantium, vt fuso sanguine illorum fieret balneum, & in ipso fumanti cruore intinctus impetraret sibi lepræ remedium. Cúmque Constantinus à Palatio egrederetur ad balneum, & vidisset multitudinem mulierum amarissimè flentium pro interfectione pignorum, tanti luctus occasionem inquisiuit, facinúsque vt cognouit, protinus exhorruit. Longa etiam & subtili concionatione barbaricam crudelitatem damnauit, imperiique Romani pietatem extulit. Filios itaque matribus incolumes reddi præcepit, & amplissima dona cum vehiculis & annonis addidit, & sic eas alacres ad propria remisit. D

A SEQVENTI nocte in visione beatos Apostolos Petrum & Paulum vidit, & ab eis admonitus Siluestrum cum Clericis suis reuocauit; & ab ipso veræ salutis eruditionem audiuit, eique libenter in omnibus adquieuit. Deinde Papa ipsi & omni populo Christiano ieiunium vnius hebdomadæ indixit: quo peracto, vespere sabbati salutare lauacrum in Palatio Lateranensi parari præcepit, & ex more sanctificauit. Tunc Constantinus baptizatus est, subitóque per mediam ferè horam nimia luce emicante à lepra mundatus est, & Christum se vidisse confessus est.

CONSTANTINO imperante Concilium XLIV. Episcoporum in vrbe Roma factum est. Ibi Siluester Papa contra XII. peritissimos Iudæorum Principes disputauit, & opitulante Deo cõtradicentes sibi autenticarum imbre sententiarum superauit. Contra Abiatar & Ioasi Rabites dissertum est, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus Deus est. Contra Godoliam & Annam scribas ex Prophetarũ libris liquido manifestatum est, Christum de Virgine natum, à diabolo tentatum, à discipulo traditum, ab hostibus tentum, illusum, flagellatum, aceto potatum, venditum, spinis coronatum, spoliatum, vestimenta eius in sortem cecidisse, cruci affixum, mortuum, & sepultum. Contra Dohet, & Chusi didascalos, & Bourim &
B Arohel interpretes legis, maxima vtilitas incarnationis Christi, & tentationis ac passionis ostensa est. Contra Iobal & Thara Pharisæos autenticè propalatum est, quòd Iesus Christus perfectus Deus & perfectus homo est, qui secundum humanitatem vt omnibus salutem exhiberet temptatus, passus, atque mortuus est: sed omnipotens deitas omnis passionis, sicut splendor solis super arborem, dum ferro cæditur, incisionis expers est. Seleon Presbytero copiosa ratio publicata est, quòd Filius Dei Agnus immaculatus iure vocatus est, quia ipse pro totius populi offensa immolatus est. Ex virgine quoque natus est, vt nos ex Ecclesiæ virginis vtero nasceremur. Tripliciter tentatus est, vt nos à simili tentatione liberaret: tentus, vt nos dimitteremur: ligatus, vt nos à nodo maledictionis absolueremur: illusus, vt nos ab illusione dæmonum erueret: venundatus, vt nos redimeret: humiliatus, vt nos exaltaret: captus, vt nos de captiuitate dæmonum auferret: spoliatus, vt nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, tegeretur: spinis coronatus, vt spinas ac tribulos primæ maledictionis à nobis auferret: felle cibatus, & aceto potatus, vt nos in terram lacte & melle manantem introduceret. Postremò in alta-
C ri crucis sacrificatus, vt totius mundi peccata deleret. Hîc defecit argumentum diaboli, qui vitulum contra vitulum, & hircum contra hircum fecerat, agnum contra agnum immaculatum inuenire non potuit. Mortuus itaque Rex noster est, vt mortis imperium captiuaret: sepultus est, vt sepulturas sanctorum benediceret: resurrexit, vt mortuis vitam redderet: ascendit in cælos, vt homini non solùm paradisum, quem amiserat, restitueret, verumetiam cælorum ianuas aperiret. Sedet nunc ad dexteram Patris, vt credentium precibus annuat. Venturus est autem iudicare viuos & mortuos, vt reddat vnicuique secundum opera sua. Hæc est vera fides Christianorum.

CVMQVE Siluester hæc & multa alia validè disseruisset, & Seleon aliis Iudæis tacentibus allegationes Papæ laudibus extulisset, duodecimus Zambri, qui Magus erat artificiosissimus, restitit: nec autenticis Scripturarum sermonibus, sed magicis actibus confligere optauit, taurúmque ferocissimum sibi coram omnibus adduci petiit. Mox Papa & Augusto præcipiẽtibus, taurus Terentij, quem vix centum fortissimi milites tenere potuerunt, est adductus. In cuius aurem vt Zambri quod-
D dam secretum dixit, statim miser mugitum dedit, & violentissimè eiectis oculis expirauit. Tunc omnes Iudæi nimium insultauere Siluestro, & per duarum ferè horarum spatia personuit tumultuatio. Denique Augusto imperante silentium, Siluester conuenit maleficum, poscens vt sicut taurum interfecerat viuum, sic eundem in Dei nomine resuscitaret mortuum. Quod ille nequiuit facere, sed palam cœpit deuotare, & per salutem Augusti asserere, quòd si Siluester taurum erigeret à morte, omnes Iudaïcam legem dimitterent, & Christianæ religioni se traderent. Tunc sanctus Papa manus suas expandit, & positis genibus cum lacrymis diutissimè orauit. Finitis verò precibus, ad iuuencum accessit, & cum ingenti clamore dixit: In nomine Iesu Christi, qui à Iudæis sub Pontio Pilato Præside cru- «
cifixus est, surge, & sta cum omni mansuetudine. Protinus surrexit, & sanctus «

» Præsul accessit, & omnia vincula de cornibus eius soluit. Vade, inquit, cum om- A
» ni mansuetudine ad armentum tuum. Et mox taurus cum mansuetudine rediit ad gregem suum. Tunc omnes Iudæi pedibus eius prouoluti, postulauerunt vndâ baptismatis regenerari.

IPSA etiam Helena Augusta publicis se aspectibus leuatis aulæis exhibuit, & palam omnibus Papæ genua exosculans, sibi locum pœnitentiæ dari rogauit. Eadē hora multi dæmones ex obsessis corporibus egressi sunt, sanctique Siluestri iussu se coactos exire confessi sunt.

IN præfata Christianorum & Iudæorum altercatione, Zenophilus & Craton præcipui censores & ordinarij ab Augusto & Senatu electi fuerunt, quorum vnus erat Græcus, & alter Latinus. Ambo peritissimi erant Oratores, & dicaces veritatis amatores, & in Romana Curia per longum tempus probatissimi rectitudinis seruatores, auaritiæque contemptores. Ambo Gentiles erant, vt neutri patri pro Religione fauerent, sed iustitiæ solummodò famulari studerent, & ne Christiani B vel Iudæi pro sua secta illos suspectos haberent.

TRIVMPHANTE autem Christo per sanctum Siluestrum, multi Iudæorum & Gentilium crediderunt. Et quia inter initia primi mensis hæc gesta sunt, dato nomine in Pascha baptizati sunt. Extunc cœpit nomen Domini ab omni populo Romano magnificari, & fidelium grex in toto mundo confortari, & vbique Dei virtute admodum exaltari.

SILVESTER Papa ex præcepto Constantini CCCXVIII. Episcopos in Nicæa Bithyniæ congregauit, & in vrbe Roma CCLXXVII. Præsules ad Concilium asciuit. Hic constituit, vt nullus laïcus Clerico crimen inferat. Oppressus iudices quos elegerit habeat. Diaconi dalmaticis vtantur, & pallio linostimo eorum læua tegatur. Nullus Clericus pro causa qualibet in Curiam introeat, nec ante iudicem nisi in Ecclesia causam dicat. Sacrificium altaris ad Missam non serico neque panno tincto celebretur, sed in lineo tantum, sicut à Ioseph corpus Domini sepultum legitur. Si quis vult in Ecclesia militare vel proficere, sit Lector annos XX. Exorcista dies XXX. Acolytus annis V. Subdiaconus annis V. Diaconus annis VII. Presbyter annis III. Et postea, si meretur, fiat Episcopus. Denique Siluester post innumera bona II. Kal. Ianuarij obiit, & cessauit Episcopatus diebus CLXV. C

MARCVS Romanus ex patre Prisco, sedit annis II. mensibus VIII. diebus XX. Hic duas Basilicas fecit, vnam via Ardeatina in cimiterio Balbinæ, vbi requiescit, aliámque in vrbe Roma iuxta Palatinas. Episcopos per diuersa loca XXVII. ordinauit. Nonas Octobris defunctus est, & cessauit Episcopatus diebus XX.

IVLIVS Romanus ex patre Rustico sedit annis XV. mensibus II. diebus VII. Hic tempore Constantini hæretici multas tribulationes sustinuit, & pro fide Catholica mensibus X. in exilio fuit. Sed post mortem Tyranni ad sedem suam cum gloria remeauit. Duas Basilicas fecit, & Cimiteria tria. Episcopos IX. ordinauit. Pridie Idus Aprilis obiit, & cessauit Episcopatus diebus XXV.

LIBERIVS Romanus ex patre Augusto sedit annis VI. mensibus III. diebus IV. tempore Constantij. Tribus annis pro fide in exilio fuit. Postea consentiens Arrianis, per Vrsatium & Valentem hæreticos Presbyteros reuocatus est, & Catholicos vehementer persecutus est. Denique VII. Kal. Maij via Salaria in cimiterio Priscillæ sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus VI.

FELIX Romanus, ex patre Anastasio, sedit anno I. mensibus III. diebus III. Liberio exulante. In Concilio XLVIII. Episcoporum Constantium Augustum ab D Eusebio Nicomediensi rebaptizatum, & Vrsatium ac Valentem hæreticos anathematizauit. Depositus est ergo, & passus in ciuitate Corona, III. Idus Nouembris, & cessauit Episcopatus diebus XXXVII. Hic Episcopos XIX. ordinauit, & dies eius in ordinatione Liberij dinumerantur. Statuta quippe, quæ Liberius ante exilium fecerat, autentica sunt: quæ verò post reditum, quia consenserat hæreticis, irrita sunt.

DAMASVS natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annis XVIII. mensibus III. diebus XI. Cum eo sub intentione Vrsinus ordinatus est, sed ab vrbe eiectus in Neapoli Episcopus constitutus est. Damasus verò in virtutibus laudabilis factus est. Multa corpora Sanctorum requisiuit & inuenit, quorum monumenta versibus de-

A claranit. A duobus autem Diaconibus Concordio & Calixto de adulterio inuidiosè accusatus est, & facta Synodo à XLIV. Episcopis accusatores condemnantibus purgatus est. Psalmos die noctúque in Ecclesia cantari statuit, & decretum indè Presbyteris, Episcopis & Monasteriis direxit. Hieronymum diuinæ legis interpretem amauit, Pontificali auctoritate admodum corroborauit, ac ad indagandam Scripturarum certitudinem instigauit. Episcopos per diuersa loca LXII ordinauit. Via Ardeatina in Basilica, quam ipse construxit, III. Idus Decembris iuxta matrem suam sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXXI.

SIRICVS Romanus, ex patre Tiburcio, sedit annis XV. Hic multa commoda statuta fecit, & per vniuersum mundum expersit quia circa gregem Dominicũ valde sollicitus fuit. Episcopos per diuersa loca XXXII. consecrauit. In Cimiterio Priscillæ viâ Salaria VIII. Kal. Martij sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XX.

ANASTASIVS Romanus, ex patre Maximo, sedit annis III. diebus X. Hic constituit vt quotienscumque sancta Euangelia recitantur, sacerdotes non sedeant, B sed curui stent. Nullus Clericus transmarinus sine chirographo Episcopi sui ordinetur. Crescentianam Basilicam in regione secunda vrbis Romæ fecit & Episcopos XI. consecrauit. In cimiterio autem suo ad Vrsipilatum V. Kal. Maij sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXI.

INNOCENTIVS Albanensis, ex patre Innocentio, sedit annis XV. mensibus II. diebus XXI. Hic multa statuta fecit, multos Katafrigas inuenit, & exilio relegauit. Pelagium & Cœlestinum hereticos damnauit. Constituit vt qui natus esset de muliere Christiana baptizetur, quod Pelagius damnabat. Basilicam sanctorum Martyrum Geruasij & Prothasij dedicauit, ex deuotione testamenti Vestinæ illustris feminæ, & multis muneribus honorauit. Episcopos LIV. ordinauit. Ieiuniũ sabbato constituit celebrari, quia sabbato Dominus in sepulchro positus est, & discipuli ieiunauerunt. Ad Vrsum pileatum V. Kal. Augusti sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXII.

ZOZIMAS Græcus, ex patre Abramio, sedit anno I. mensibus III. diebus XI. Hic multa constituit in Ecclesia, iussit Diacones læuam pallis linostimis opertam habere, & per parrochias cereum benedici. Episcopos VIII. consecrauit.

C BONEFACIVS Romanus, ex patre Iocundo Presbytero, sedit annis III. mensibus VIII. diebus VII. Hic sub intentione cum Eulalio ordinatur vno die, & dissensio fuit in Clero menses VII. & dies XV. Eulalius in Basilica Constantiniana, Bonefacius verò in Basilica Iulij ordinatus est. Sed auctoritate Honorij Augusti, & Valentiniani Placillæ Augustæ filij vterque eiectus est. Veniente Pascha, Eulalius vrbem intrauit, in Basilica Constantiniana baptizauit, & Pascha celebrauit. Imperatores ergo pro tanta præsumptione irati, Eulalium in Campaniam expulerunt: Bonefacium verò in vrbem Romam reuocantes Episcopum constituerunt. Hic decreuit, vt nulla Monacha vel mulier contingat pallam sacratam, aut lauet: vel incensum in Ecclesia nisi minister ponat. Seruus, vel obnoxius Curiæ, seu cuiuslibet rei, Clericus non fiat. Bonefacius Papa in Cimiterio sanctæ Felicitatis martyris iuxta corpus eius Oratorium fecit, & Episcopos per diuersa loca XXXVI. ordinauit. Deinde viâ Salaria iuxta corpus sanctæ Felicitatis, VIII. Kal. Nouembris sepultus D est, & cessauit Episcopatus diebus IX. Tunc Clerus vel plebs petierunt Eulalium reuocari, sed ille non consensit Romam reuerti.

CELESTINVS Romanus, ex patre Prisco, sedit annis VIII. mensibus X. diebus XVII. Hic multa bona constituit. Antiphonatim CL. Psalmos Dauid ante sacrificium statuit modulari. Nam antea Pauli tantum Epistola recitabatur, & sanctum Euangelium, & Missæ fiebant. Episcopos XLVI. consecrauit. In Cimiterio Priscillæ IV. Idus Aprilis sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXI.

SIXTVS Romanus, ex patre Xisto, sedit annis VII. diebus IX. Hic à quodam vasso incriminatus est. Valentinianus igitur Augustus synodum LVI. Episcoporum cõgregauit, à quibus Papa purgatus, & vassus condemnatus est. Idem infra III. menses obiit, cuius corpus ad beatum Petrũ Papa sepeliuit. Sixtus Papa Basilicas Sanctorum pluribus ornamentis decorauit & Episc. LII. ordinauit. Viâ Tiburtina in cripta iuxta corpus beati Laurentij sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXII.

LEO Tuscus, ex patre Quintiano, sedit annis XXI. mense I. diebus XIII. Hic in

Calcedonia CCLVI, sacerdotes, Martiano Principe Catholico iuuante, aggregauit, A & CCCCVI. Episcoporum cirographa suscepit, comprobauit: & exposita fide Catholica Eutychium & Nestorium hæreticos damnauit. Multas Epistolas fidei solerter edidit, quibus Synodum Calcedonensem frequenter firmauit. Ad Martianum Principem fecit Epistolas XII. ad Pulcheriam Augustam IX. ad Episcopos Orientis XVIII. Studiosus in sacris multa bona egit. Episcopos CLXXXV. ordinauit. Sepultus est apud beatum Petrum Apostolum III. Idus Aprilis, & cessauit Episcopatus dies VII.

HILARVS Sardus, ex patre Crispino, sedit annis sex, mensibus III. diebus X. Hic epistolas de fide Catholica per vniuersum Orientem sparsit, & tres Synodos, Nicænam, Ephesianam, & Calcedonensem confirmauit, & omnes hæreses anathemate damnauit: multa preciosa ornamenta in Basilicis sanctorum perpetrauit, & Episcopos XXII. ordinauit. Post multa bona opera sepultus est ad beatum Laurentium in cripta, iuxta corpus sancti Episcopi: & cessauit Episcopatus diebus XV. B

SIMPLICIVS Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annis XV. mense vno, diebus VII. Episcopos XXXVI. ordinauit. In Basilica sancti Petri Apostoli VI. Nonas Maij sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus VI.

FELIX Romanus ex patre Felice Presbytero de regione Fasciolæ, sedit annis VIII. mensibus XI. diebus XVII. temporibus Zenonis Augusti & Odoacris Regis Gothorum vsque ad Theodericum Regem. Hic PETRVM Alexandrinum Episcopum, & ACHATIVM Constantinopolitanum à recta fide deuiantes excommunicauit; & contra illos à sede Apostolica duos Episcopos, Mesenum & Vitalem misit. Qui vt in ciuitatem Eracleam intrauerunt, pecuniâ corrupti præceptum Papæ non fecerunt. Felix Papa vt illud agnouit, facta discussione ambos à communione eiecit. Episcopos XXXI. ordinauit. In Basilica sancti Pauli Apostoli sepultus est, tempore Theoderici Regis, & Zenonis Augusti: & cessauit Episcopatus diebus V. C

GELASIVS Afer, ex patre Valerio, sedit annis VIII. diebus XVIII. Hic amator pauperum fuit, Clerum ampliauit, Romam à fame & periculo liberauit. De omni Ecclesia constitutum fecit. Tractus & Hymnos sicut Ambrosius composuit, & libros contra Eutychem & Nestorium, qui nunc vsque Bibliothecæ archiuo tenentur reconditi, edidit. Manichæos, quos in vrbe Roma inuenit, exilio deportari præcepit, & Codices eorum ante fores Basilicæ sanctæ Mariæ concremauit. Petrum & Achatium in perpetuum damnauit, si non pœniterent, eò quòd multa mala & homicidia per eos fierent. Episcopos LXVII. ordinauit. In Basilica beati Petri Apostoli XI. Kal. Decembris sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus VII.

ANASTASIVS Romanus, ex patre Petro, de regione quinta Caput-tauri, sedit anno vno, mensibus XI. diebus XXIV. Multi ex Clero à communione eius se subtraxerunt, quia volebat Achatium clam reuocare: sed non potuit, quia Dei nutu percussus est. Episcopos XX. consecrauit. In Basilica sancti Petri Apostoli XIII. Kal. Decembris sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus IV. D

SYMMACHVS Sardus, ex patre Fortunato, sedit annis XV. mensibus VII. diebus XXVII. Theoderici Regis, & Anastasij Augusti tempore. Hic sub intentione cum LAVRENTIO Nucerino Episcopo ordinatus est: sed iudicio Theoderici, quia priùs, & à maiori parte ordinatus fuisset, in Sede Apostolica confirmatus est. Post triennium verò ex inuidia Romanorum falsò incriminatus est, & Petrus Altinæ ciuitatis Episcopus contra Canones Sedem Apostolicam inuasit. Tunc nimium schisma in Ecclesia factum est, & Clerus iterum diuisus est. Symmachus Papa Synodo aggregata CXV. Episcoporum, purgatus est, & Petrus Altinas inuasor Apostolicæ Sedis, ac Laurentius Nucerinus, damnati sunt. Tunc ab omnibus Episcopis, & omni Clero vel Plebe, Symmachus apud beatum Petrum cum gloria Sedi Apostolicæ redintegratus est. Festus autem caput Senatus & Probinus exconsules in vrbe cum aliis Senatoribus pugnare cœperunt, & omnes qui Symmacho communicabant ex inuidia tam mirabiliter persecuti sunt, vt etiam Sanctimoniales de Monasteriis vel habitaculis suis deponerent, sexúmque femineum denudarent,

A darent, & cædibus plagarum affligentes vulnerarent. In media vrbe contra Ecclesiam quotidie pugnabatur, & multi Sacerdotes aliique fideles occidebantur: inter quos Dignissimus & Gordianus Presbyteri capti sunt, & fustibus gladióque, aliique plures Christiani perempti sunt. Nullus itaque de Clero die vel nocte in vrbe securus erat. Solus Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. Symmachus tamen perdurauit à Consulatu Paulini vsque ad Consulatum Senatoris. Hic Manichæos, quos in vrbe Roma inuenit, exilio relegauit, & eorum simulacra codicésque ante fores Basilicæ Constantinianæ combussit. Basilicas Sanctorum multimodis ornamentis decorauit, & Episcopos CXVII. ordinauit. Constituit, vt omni die Dominico Hymnus Angelorum caneretur. Omni anno per Africam & Sardiniam Episcopis, qui in exilio reuersi erant, pecunias & vestes ministrabat. Captiuos per Ligurias, & per diuersas prouincias pecuniis redemit, & egenis multa dona dedit. Post multa bona opera sub die XIX. mensis Iulij sepultus est in Basilica sancti Petri, & cessauit Episcopatus diebus VII.

B HORMISDA Campanus, ex patre Iusto, de ciuitate Frisione, sedit annis VIII. diebus XVII. Hic consilio Theoderici Regis Ennodium Ticinensem, & Fortunatum Catinensem Episcopum Constantinopolim misit, & Græcos absoluit, qui pro hæreticis Petro Alexandrino & Achatio Constantinopolitano anathematizati erant. Sed Anastasius Augustus, quia hæresi Euticianæ fauebat, temerè eos eiecit, & Papæ inter cætera rescribens superbè dixit: Nos iubere volumus, non iuberi. Non « multò post nutu Dei fulmine percussus interiit. Iustinus verò Catholicus post eũ regnauit, & Papæ iussis libenter in omnibus paruit: & Germanum Capuanum Episcopum, aliósque à Sede Apostolica missos honorificè suscepit: atque cum Vitaliano Consule, & multitudine Monachorum, & illustrium virorum, à Castello-rotundo vsque Constantinopolim duxit. Tunc quidam de Clero complices Achatij tali gloriæ nequiter inuiderunt, & in maiori Ecclesia sanctæ Sophiæ se concluserunt, consilióque facto Imperatori mandauerunt, quòd nisi Achatius eorum Episcopus eis absolutus redderetur, Apostolicæ Sedi non obsequerentur.

C Tunc CLODOVEVS Rex Francorum Christianus factus est, & donum beato Petro Apostolo cum gemmis preciosis misit. Præfatus Papa à Consulatu Senatoris vsque ad Symmachũ & Boëtium floruit, & episcopos per diuersa loca numero LV. ordinauit. In Basilica beati Petri Apostoli VIII. Idus augusti sepultus est, & cessauit Episcopatus dies VII.

IOANNES Tuscus, ex patre Constantio, sedit annis II. mensibus IX. diebus XVI. à Consulatu Maximi vsque ad Olibrium. Tunc Iustinus orthodoxus omnes hæreticos voluit extinguere, & Ecclesias eorũ Deo consecrare. Pro qua re Theodericus Gualamer, quia hæreticus erat, nimis exarsit, totámque Italiã gladio perimere decreuit. Ioannes itaque Papa Rauennæ rogatus à Rege legationem suscepit, atque licèt æger Constantinopolim adiit, ibiq; cæcum illuminauit. Tunc cum gloria susceptus Iustinum Augustum coronauit, ac ab eo indulgentiam hæreticis pro ereptione Italiæ impetrauit. Interea Rex hæreticus præclaros senatores & exconsules Symmachum & Boëtium gladio peremit. Ioannem quoque Papam,

D & Senatores, qui Constantinopoli ab Augusto honorificè suscepti sunt, reuertentes dolosè cepit, & Papam in custodia Rauennæ XV. Kal. Iunij martirizauit, & ipse nutu Dei XCVIII. die subito* intrauit. Ioannes Papa XV. Episcopos consecrauit. *f. expirauit. Corpus verò eius de Rauenna translatũ est ad B. Petrũ, & cessauit Episc. dies LVIII.

FELIX Samius, ex patre Castorio, sedit annis IV. mensibus II. diebus XIII. temporibus Theoderici, & Athalarici nepotis eius, & Iustiniani Augusti, à Cõsulatu Tiburcij vsque ad Consulatum Lampadij & Orestis. Hic cum quiete ordinatus est, & Episcopos XXIX. consecrauit. In Basilica beati Pauli Apostoli IIII. Idus Octobris sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus III.

BONEFACIVS Romanus, ex patre Sigibuldo, sedit annis II. diebus XXV. tempore Athalarici hæretici, & Iustiniani Augusti. In huius ordinatione per dies XXVIII. in Clero & Senatu dissentio magna fuit. Nam DIOSCORVS cum eodem in Basilica Constantiniana ordinatus est. Sed paulò post, nutu Dei, II. Idus Octobris defunctus est. Hunc nimirùm plurima multitudo sequebatur. Bonefacius Presbyteris, & Diaconis, notariísque scutellas de hæreditati-

bus obtulit, & alimoniis multis in periculo famis Clero subuenit. In Basilica A sancti Petri Apostoli Synodum congregauit, & Vigilium Diaconem sibi successorem elegit: sed indè postea pœnitens suæ subscriptionis chirographum in præsentiâ Cleri & Senatus incendit. In Basilica sancti Petri Apostoli sub die XVII. mensis Octobris sepultus est, & cessauit Episcopatus menses duos, dies quindecim.

IOANNES MERCVRIVS Romanus, ex patre Proiecto de Cœlio monte, sedit annis II. mensibus IV. diebus VI. temporibus Athalarici & Iustiniani. Religiosus Augustus summo amore Christianæ Religionis fidem suam scripsit, propriumque chirographum cum pretiosis muneribus per Eparchium & Demetrium Sedi Apostolicæ misit. Ioannes Episcopos XXI. consecrauit. In Basilica beati Petri Apostoli VI. Kal. Iunij sepultus est; & cessauit Episcopatus dies VI.

AGAPITVS Romanus, ex patre Gordiano Presbytero, sedit mensibus XI. diebus XVIII. Hic à Theodato Rege Gothorum, qui Reginam AMALASVINTAM Theoderici Regis filiam occiderat, ad Iustinianum Augustum missus est, B à quo Constantinopoli honorificè susceptus est. Ibi ANTHEMIVM eiusdem vrbis Episcopum, quia duas naturas in Christo negabat, in exilium expulit: Catholicum Menam Episcopum consecrauit. Deinde Constantinopoli X. Kal. Maij obiit, & corpus eius in loculo plumbeo Romam translatum est, ac ad beatum Petrum XII. Kal. Octobris sepultum est; & cessauit Episcopatus mense I. diebus XXVIII.

SILVERIVS Campanus Hormisdæ Episcopi Romæ filius sedit anno I. mensibus V. diebus VI. Hic à Theodato tyranno per precium non legitimè, sed vi & metu leuatus est. Post duos verò menses Theodatus Dei nutu extinctus est, & Guitigis intulit * filiam Amalasuintæ sibi vxorem ducens, in Regem leuatus est. Iustinianus Augustus Belisarium Patricium contra Gothos misit. vt Italiam liberaret. Patritius itaque Nepolim sibi resistentem cepit, & omnes Gothos ac ciues peremit: itaut nec in Ecclesiis Sacerdotes vel Sanctimoniales saluarētur. Guitigis verò exercitum Gothorum citò colligens, vno anno Romam obsedit, & innumerabiles gla- C dio vel fame, quæ tunc nimia per totum mundum erat, necauit. Nulli licebat Romam intrare vel exire. Tunc omnes possessiones priuatæ, vel fisci, vel Ecclesiæ, incēdio consumptæ sunt. Homines verò gladio trucidati sunt, alij autem fame vel morbo perierunt. Tandem gratia Dei per Belisarium Gothos fugauit, & Romam protexit. Augusta rogante Siluerium, vt Anthemium reuocaret hæreticum, ille fideliter in Deo persistens, non adquieuit; sed antecessorum suorum sententiam sua quoque auctoritate obnixè corroborauit. At illa iussit Belisario Patritio, vt Siluerium Papam in exilium mitteret, & Vigilium Apocrisiarium ei subrogaret. Belisarius autem inuitus iussa compleuit, & quibusdam falsis testibus Papam accusantibus, quòd vrbem Romam Regi Gothorum per portam Asinariam iuxta Lateranis tradere disposuisset, eum in Palatio Pincis comprehendit. Tunc Antonina Patritia grauiter Papam redarguente, Ioannes Subdiaconus pallium de collo eius tulit, & in cubiculo expoliatum veste Monachica induit. Siluerius itaque in Poncias exul missus est, ibique pane tribulationis & aquâ angustiæ sustentatus, XII. Kal. Iu- D lij sepultus est. Hic Episcopos XVIII. consecrauit, & post obitum multa sanitatum miracula fecit: & cessauit Episcopatus diebus XIV.

VIGILIVS Romanus, ex patre Ioanne Consule, sedit annis XV. mensibus VI. diebus XXVI. Tunc Belisarius bello Guitigem deuicit, & Ioannes Sanguinarius Magister militum noctu insecutus eum cepit. Quem ductum Constantinopolim Iustinianus Imperator lætus suscepit, Patricium & Comitem fecit, ac iuxta fines Persarum transmisit, vbi vsque ad mortem permansit. Belisarium quoque Patricium data ei dignitate militum Augustus sublimauit, & in Africam misit. Ille verò Guittarith Vuandalorum Regem sub dolo pacis interfecit, & Africam post annos XCIX. sub Republica redegit: Romámque veniens, de spoliis Vuandalorum multa Deo & sancto Petro pauperibúsque tribuit. Theodora Augusta Vigilium Papam scriptis vrguet, vt Anthemium Hæresiarchā reuocet. Quod ille omninò renuit, imò sententiam prædecessorum irrefragabiliter tenuit. Suggerētibus igitur inuidis Romanis, & Papā de morte Siluerij velut homicidā accusantibus,

A Anthemus scribo mittitur, & Vigilius Papa in Ecclesia sanctæ Ceciliæ capitur, ac per Siciliam nauigio Constantinopolim ducitur. Per biennium Græci contenderunt augustali potestate, vt hæreticus reuocaretur, sicut promiserat dum esset in Diaconatus honore. Sed Papa nullatenus voluit concedere, optans magis benè mori, quàm malè viuere. Tandem, vt ante Iustinianum & Theodorum constanter locutus fuit, & quidam cum probris in faciem eius alapam dedit; Papa in Ecclesiam sanctæ Euphemiæ ad columnam altaris fugit. Sed indè foris eiectus, & fune misso in collo eius, per totam vrbem vsque ad vesperum tractus est. Deinde in arcta custodia missus est, & Clerus Romanus, qui cum eo venerat, per diuersa metalla dispersus est. Tunc Gothi Vaduam Totilam Regem sibi fecerunt, nec multò post Romam obsederunt. Fames verò in vrbe talis facta est, vt etiam mulieres natos suos vellent comedere. Tandem Totila vrbem intrauit, & populo per Ecclesias delitescente, aliquandiu obtinuit. Tunc Narses Eunuchus & cubicularius ab Augusto in Italiam missus est, & perempto Totila Rege cum exercitu suo, victoriam nactus est. Quod audiens Iustinianus Imperator admodum exultauit, & petentibus Romanis cum Narsete, Vigilium Papam B cum Clero suo remisit: sed ipse dolore calculi Siracusis obiit. Denique via solaria ad sanctum Marcellum sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus III. diebus V. Hic Episcopos LXXXI. consecrauit, & ad gubernandum Clerum tempore, quo exulauit, Ampliatum Presbyterum ac Vicedominum suum, & Valentinum Episcopum de Sicilia Lateranis destinauit.

PELAGIVS Romanus, ex patre Ioanne Vicariano, sedit annis XI. mensibus X. diebus XXVII. Duo Episcopi, Ioannes de Perusia, & Bonus de Remerentino, & Andreas Presbyter de Hostiis ipsum Pontificem ordinauerunt. Multitudo enim Religiosorum, sapientum, & nobilium, ab eius communione se subtraxerat: dicens quòd Pelagius in morte Vigilij Papæ se immiscuit, vt tantis pœnis affligeretur. Pelagius ergo Papa, & Narses, consilium inierunt, dataque Letania ad sanctum Pancratium, cum hymnis & canticis spiritualibus venerunt ad sanctum Petrum Apostolum. Pelagius verò Papa tenens Euangelium & crucem Domi-C ni super caput suum, in ambone ascendit, & sic omni populo satisfecit, quia nullum malum peregisset contra Vigilium. Episcopos XLIX. consecrauit. In Basilica beati Petri Apostoli VI. Nonas Martij sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus III. diebus XXV.

IOANNES Romanus, ex patre Anastasio illustri, sedit annis XII. mensibus XI. diebus XXVI. Tunc Heruli Sindual sibi Regem fecerunt, & omnem Italiam opprimere cœperunt. Sed Narses occiso Rege viriliter illos subiugauit. Amiugum quoque, & Bucelinum Duces Francorum prementes Italiam iuuante Deo peremit, & omnem Italiam in pace & lætitia custodiuit. Romani verò per inuidiam eum apud Iustinianum accusauerunt, & iniustè contra illum commouerunt. Narses autem, vbi se ab Augusto pristina dignitate nudatum sensit, Guinilos Langobardos, qui Pannoniam colebant, vt Italiam inuaderent accersiit. Quod & factum est. Non multò post Narses mortuus est, & in loculo plumbeo cum omnibus diuitiis suis Constantinopolim delatus est. Ioannes Papa Epi-D scopos LXI. consecrauit, & in Basilica sancti Petri Apostoli III. Idus Iulij sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus X. diebus III.

BENEDICTVS Romanus, ex patre Bonefacio, sedit annis IV. mense vno, diebus XXVIII. Anno ab Incarnatione Domini DLXVIII. Alboin Rex Langobardos in Italiam adduxit. Tunc etiam fames Italos inuasit, & Guinilis se tradere coëgit. Iustinianus verò Imperator hoc audiens in Ægyptum misit, & oneratas frumento naues Romam transmisit, & periclitantibus fame subuenit. Is pro victoriis aduersarum frequentibus gentium, Almannicus, Gothicus, Alanicus, Guandalicus, & Africanus est agnominatus. Hic intra vrbem Constantinopolim Christo Domino templum extruxit, quod Græco vocabulo Agiam Sophiam nominauit. Cuius opus adeò cuncta ædificia excellit, vt in totis terrarum spatiis huic simile inueniri non possit. Erat enim idem Princeps fide Catholicus, & in operibus rectus, in iudiciis iustus: ideóque prospera illi concurrebant in omnibus. Huius tempore Cassiodorus Senator, postea Monachus, in vrbe Roma tam seculari

quàm diuina scientiâ claruit: qui inter cetera, quæ nobiliter scripsit, Psalmorum A præcipuè occulta potentissimè reserauit.

TVNC etiam Dionysius Abbas in vrbe Roma constitutus Paschalem calculum miranda argumentatione composuit.

PRISCIANVS quoque Cæsariensis, apud Constantinopolim Grammaticæ artis, vt ita dixerim, profunda rimatus est.

ARATOR nihilominus Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, Poëta mirabilis, Apostolorum Actus exametris versibus exarauit.

TVNC etiam beatissimus pater BENEDICTVS, & priùs in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab vrbe XL. milibus abest; & postea in castro Cassino magnis vitæ meritis, & Apostolicis virtutibus effulsit: cuius vitam, vt notum est, beatus Papa Gregorius in suis dialogis suaui sermone composuit.

BENEDICTVS Papa in multis laboribus & afflictionibus fatigatus obiit, & in Basilica sancti Petri Apostoli II. Kal. Augusti sepultus est. Hic Episcopos XXI. consecrauit, & cessauit Episcopatus mensibus III. diebus X. B

PELAGIVS Romanus, de patre Vvinigildo, sedit annis X. mensibus II. diebus X. Hic absque iussione Augusti ordinatus est, eò quòd Langobardi Romam obsiderent, Italiámque nimis deuastarent. Tunc nimiæ clades & pluuiæ fuerunt. Inguinaria pestis Papam subitò percussum, VII. Idus Februarij extinxit, qui apud beatum Petrum sepultus est. Hic Episcopos per diuersa loca XLVIII. ordinauit, & cessauit Episcopatus mensibus VI. diebus XXV.

GREGORIVS arte Philosophus, Gordiani Prætoris Romani viri clarissimi, & beatæ Siluiæ filius, præfuit annis XIII. mensibus VI. diebus X. temporibus Tiberij, Constantini, Mauricij, & Focæ Augustorum. Hic exposuit Homelias Euangeliorum numero XL. Iob, Ezechielem, Pastoralémque edidit Librum & Dialogum, & multa alia quæ enumerare non possumus. Doctor enim incomparabilis enituit, & multa sagacitate, ingentíque studio dicendi & scribendi vtiliter laborauit, Ecclesiæque Dei filij admodum profuit. Hic augmentauit in precatione Canonis, *Diésque nostros in tua pace disponas, &c.* Romanus Patricius & Exarchus Romam venit, & perturbationem magnam Romanis ciuibus excitauit. Nam dum Rauennam C reuerteretur, tenuit ciuitates quæ à Langobardis tenebantur, Sutrium videlicet, ac Polimarcium, Amerusiam, Perusiam, & alias plures. Vnde Agilulfus Rex valdè iratus, cum valido exercitu Perusiam petiit, ibíque Maurisionem Langobardorum Ducem, qui se Romanis tradiderat, obsedit, & post aliquot dies captum confestim peremit. Non multò pòst vbi Ticinum repedauit, beato Papa Gregorio procurante cum Romanis firmissimam pacem pepigit.

EODEM tempore beatus Papa Gregorius misit seruos Dei, Mellitum, Augustinum, & Ioannem, & alios plures cum eis timentes Dominum in prædicatione ad gentem Anglorum, vt conuerteret eos ad Dominum nostrum Iesum Christum. Post multa & magna opera in Basilica beati Petri Apostoli ante Secretarium IV. Idus Martij sepultus est. Hic ordinauit Episcopos per vniuersa * loca LXII. & cessauit Episcopatus mensibus V. diebus XVIII.

* diuersa.

SABINIANVS Tuscus de ciuitate Blesa, de patre Bono, sedit anno vno, mensibus V. diebus IX. Tunc grauis in vrbe Roma fames fuit. Papa verò pace cum gente Langobardorum facta, iussit aperire horrea Ecclesiæ, & venundari frumenta D per solidum vnum tritici modios XXX. In Ecclesia beati Petri Apostoli VI. Kal. Martij sepultus est. Hic ordinauit Episcopos XXVI. & cessauit Episcopatus mensibus XI. diebus verò XXIII.

BONEFACIVS Romanus, ex patre Ioanne Capadoce, sedit mensibus VIII. diebus XXII. Hic obtinuit apud Focam Principem, vt Sedes Apostolica caput esset omnium Ecclesiarum, quia Constantinopolitana Ecclesia se Romanæ præferebat, & primam se omnium Ecclesiarum scribebat. Sepultus est autem in Ecclesia sancti Petri Apostoli II. Idus Nouembris. Hic consecrauit Episcopos XXI. & cessauit Episcopatus mensibus X. diebus VI.

BONEFACIVS natione Marsorum, de ciuitate Valeria, ex patre Ioanne Medico, sedit annis VI. mensibus VIII. diebus XIII. Huius tempore fames, & pestilentiæ, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt. Tunc petiit Papa Bonefacius à

A Foca Principe templum, quod appellatur Pantheon: & impetratum dedicauit in honorem omnium Sanctorum. Hic apud beatum Petrum Apostolum, VIII. Kal. Iunij sepultus est. Episcopos ordinauit XXXVI. & cessauit Episcopatus mensibus VI. diebus XXV.

DEVSDEDIT Romanus, ex patre Stephano Subdiacono, sedit annis III. diebus XXIII. Hic Clerum valdè dilexit & honorauit. Tunc Eleutherius Patricius & Cubicularius Neapolim expugnauit, & Ioannem Compsinum, qui multos occiderat, rebellantem peremit. In tota itaque Italia pax facta est. Tunc terræmotus magnus factus est. Percussio scabierum in populo talis secuta est, vt nullus mortuum suum posset cognoscere. Deusdedit Papa, VI. Idus Nouembris ad beatum Petrum Apostolũ sepultus est, & pro exequiis suis omni Clero togam * integram I. dimisit. Hic Episcopos ordinauit XXIX. & cessauit Episcopatus mense vno, diebus XVI. * l. v. rogam.

BONEFACIVS Campanus de ciuitate Neapoli, ex patre Ioanne, sedit annis V. Hic mitissimus hominum fuit, & multa bona in Ecclesia constituit. Tunc Eleutherius Patricius in Tharsia regnum inuasit, sed Romam veniens Luceolis à Rauennatibus militibus interemptus est. Papa verò apud beatum Petrum Apostolum VIII. Kal. Nouembris sepultus est. Hic Episcopos XXIX. ordinauit, & cessauit Episcopatus diebus XIII.

B

HONORIVS Campanus, ex patre Petronio Consule, sedit annis XII. mensibus XI. diebus XXII. tempore Eraclij Imperatoris. Hic multa bona fecit & docuit, & Basilicas Sanctorum multis ornamentis decorauit. Hic constituit, vt omni Sabbato Letania à beato Apollinari exeat, & ad beatum Petrum cum hymnis & canticis spiritualibus omnis populus occurrat. Episcopos verò LXXXI. consecrauit, & IV. Idus Octobris sepultus est in Ecclesia beatæ martyris Agnæ, quam ipse à solo construxit: & cessauit Episcopatus anno vno, mensibus VII. diebus XVII.

SEVERVS Romanus, ex patre Abieno, sedit mensibus II. diebus II. sub Eraclio Imperatore. Hic mitis & largus fuit, Clerum & pauperes multùm amauit. Tunc à Mauricio Chartulario, & Isacio Patricio & Exarcho, ac exercitu Romano Episcopium Lateranense violenter deuastatum est. Præfatus verò Papa postquam Episcopos IV. ordinauit, apud beatum Petrum IV. Nonas Augusti sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus III. diebus XXIV.

C

IOANNES Dalmata, ex patre Venantio Scholastico, sedit anno vno, mensibus IX. diebus XVIII. Hic per omnem Dalmatiam & Histriam multas pecunias pro redemptione captiuorum, per sanctissimum Abbatem Martinum misit, & indè reliquias Sanctorum decenter transferri fecit. Ipse IV. Idus Octobris apud sanctum Petrum sepultus est, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus XIII.

THEODORVS Græcus, ex patre Theodoro Episcopo, de ciuitate Hierosolyma, sedit annis VI. mensibus V. diebus XVIII. Tunc nefandus Mauricius Chartularius contra Isacium Patricium intartizauit, & omnes Iudices cum exercitu sacramẽtis secum strinxit. Isacius verò Donum magistrum militum & Sacellarium suum contra eum misit, captúmque decollari, & caput eius in stipite in Circo Rauennatis poni fecit, & imboiatos in arcto carcere vt punirentur seruauit. Ipse autem paulò pòst nutu Dei subitò periit, & Theodorus Caliopa ab Imperatore missus ad regimen Italiæ successit. Theodorus Papa multùm pius & bonus fuit, & Pirrum ac Paulum hæreticos Episcopos Constantinopolis deposuit. Hic Episcopos XLVI. ordinauit. Idus Maij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus XVI.

D

MARTINVS Tudertinus, sedit annis VI. mense vno, diebus XXVI. Huius tempore Paulus Constantinopolitanus Episcopus, contra Catholicum dogma insurrexit, & Romanæ Sedis altare, quod in domo Placidiæ consecratum erat, temerè subuertens diripuit: prohibens ne Apocrisiarij Romani adorare, vel immaculatam hostiam Deo ibidem offerre valerent, nec communionis sacramenta perciperent. Ab eisdem ergo, & ab aliis orthodoxis Præsulibus commonitus, insaniuit in peius, ita vt quosdam eorum in custodiã retruderet, alios in exilium deportaret, alios autẽ verberibus submitteret. Tunc Martinus Papa in vrbe Roma C. & V. Præsules congregauit, & damnatis hæresibus, Ecclesiam Dei confirmauit. Postea instinctu Pauli, Constantinus Imperator Theodorum Exarchum in Italiam misit,

& Martinum Papam per eum Chersonam in exilium duci fecit, vbi sanctus Præsul xv. Kal. Octobris obiit. A

EVGENIVS Romanus, de regione prima Aduentinensi, Clericus à cunabulis, ex patre Rufiniano, sedit annis II. mensibus IX. diebus XXIV. Hic multum bonus fuit, & Petrum Constantinopolitanum Episcopum pro hæresi anathematizauit. Episcopos XXI. ordinauit. Sepultus est autem IV. Nonas Iulij, ad beatum Petrum Apostolum, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus XXI.

VITALIANVS Signensis Campanus, de patre Anastasio, sedit annis XIV. mensibus VI. Hic benè regularis fuit, & Episcopos XCVII. consecrauit. Tunc Constantinus Augustus Romaldum Grimoaldi Regis filium in Beneuento obsedit, sed indè victus fugiens, Romam venit. Ibi verò à Papa cum Clero honorificè susceptus XII. diebus perseuerauit, & omnia quæ in ære ad ornatum ciuitatis erant, deposuit. Italis quoque, & aliis gentibus sibi subditis multa mala fecit, & à suis postmodum in Sicilia, dum balnearetur, occisus est. Post quem Mezentius tyrannus regnum inuasit. Tunc Sarraceni magnam stragem Christianorum in Sicilia fecerunt. Porrò Vitalianus Papa VI. Kal. Februarij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus II. diebus XIII. B

ADEODATVS Romanus exmonachus, de patre Iobiano, sedit annis IV. mensibus II. diebus V. Tunc in vrbe Siracusana Mezentius ab exercitu Italiæ interemptus est, & multis ex Iudicibus truncatis caput eiusdem Constantinopolim delatum est. Deinde Sarraceni prædictam vrbem obtinuerunt, multámque in populo occisionem fecerunt; nimiámque prædam, quam illuc nuper Constantinus Imperator secum detulerat, auferentes, Alexandriam reuersi sunt. Præfatus Papa Episcopos XL. & VI. ordinauit, & apud beatum Petrum VI. Kal. Iulij sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus III. diebus XV. Tunc inauditæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, legumina colligi nequiuerunt, sed alio anno sponte renata sunt.

DONVS Romanus, ex patre Mauricio, sedit anno vno, mensibus V. diebus X. Tunc Cometes in Oriente Augusto mense apparuit, & per tres menses à galli cantu vsque manè in multis regionibus intuentes terruit, & mors hominum ab Oriente successit. Donus Papa diuersis honoribus ampliauit *, & Episcopos VI. consecrauit. Deinde apud beatum Petrum Apostolum, III. Idus Aprilis sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus II. diebus XV. C

AGATHO Siculus sedit annis II. mensibus VI. diebus IV. tempore Constantini, Eraclij, & Tiberij Augustorum. Tunc Luna eclypsim mense Iunio per dies XVIII. passa est, & mirabilis mortalitas secuta est. Parentes & filij bini vel terni ad sepulchra ducebantur. Tunc Legati Apostolicæ Sedis ab Imperatoribus in vrbe regia honorificè suscepti sunt, & CL. Episcopos Orientalium partium ad disserendam fidem Catholicam in Synodo generali congregauerunt. Ibi Georgius Constantinopolitanus, ab hæresi conuictus quieuit. Pertinax verò Macharius Antiochenus cum suis sequacibus damnari meruit. Nam generali iudicio depositus est, & in exilium Romam directus est. Theophanius verò Abbas de Insula Siciliensi constitutus est. Agatho Papa XVIII. Episcopos consecrauit. Hic IV. Idus Ianuarij apud beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus anno vno, mensibus VII. diebus V. D

LEO iunior natione Siculus, de patre Paulo, sedit mensibus X. diebus XVII. Hic multùm fuit eloquens, in diuinis Scripturis instructus, Græca & Latina lingua eruditus, cantilenâ & psalmodiâ præcipuus, & in cunctis operibus bonis multùm strenuus. Sextam Synodum intra Palatium Constantini Augusti, quod Trullus appellatur, celebratam suscepit, & de Græco in Latinum studiosissimè transtulit. Tunc XVI. die mensis Aprilis, Indictione XI. post Cœnam Domini Luna eclypsim pertulit, & penè tota nocte in sanguineo vultu elaborauit, & post galli cantum paulatim elimpidare cœpit. Leo Papa XXIII. Episcopos ordinauit. Deinde V. Nonas Iulij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus XI. diebus XXII.

BENEDICTVS iunior Romanus, de patre Ioanne, sedit mensibus X. diebus XII. Hic ab infantia Ecclesiæ militauit, & bonis operibus studuit. Tempore Iustiniani & Eraclij floruit. Tunc Luna velut sub nube omninò obumbrata est, cælo se-

A reno in Theophania. Februario autem in die stella ab occasu exiit, & in partes Orientis declinauit. Post hæc in Martio mons Brauius in Campania per dies x. eructauit, & omnia vicina præ cinere ipsius exterminata sunt. Præfatus Papa xii. Episcopos ordinauit, & ipse viii. Idus Maij ad beatum Petrum sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus ii. diebus xv.

IOANNES Sirus, de Antiochia, ex patre Ciriaco, sedit anno vno, diebus ix. tempore Iustiniani Augusti. Hic dum esset Diaconus, ab Agathone Papa cum aliis sacerdotibus in Regiam vrbem missus est. Quarto Nonas Augusti ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus ii. diebus xviii. Hic diutina infirmitate detentus est, & Episcopos xiii. ordinauit.

CONON Siculus, de patre Traceseo, sedit mensibus xi. In eius electione magna contentio facta est. Nam Clerus in Petrum Archipresbyterum intendebat, & exercitus in sequentem eius Theodorum Presbyterum. Sed repentè nutu Dei derelictis Petro & Theodoro, omnes domnum CONONEM pulchum senem & religiosum elegerunt. Hic diutina infirmitate detentus est, & Episcopos xvi. ordinauit. Ad beatum Petrum Apostolum x. Kal. Octobris sepultus est, & cessauit Episcopatus mensibus ii. diebus xxiii.

B

SERGIVS Sirus, ex Antiochia, de patre Tiberio, in Panormo Siciliæ, sedit annis xiii. mensibus viii. diebus xxiii. tempore Iustiniani Augusti, filij Constantini. Defuncto Conone Papa, pars populi elegit Theodorum Archipresbyterum, pars altera Paschalem Archidiaconem. Sed dum nimia dissentio fieret, Sergius à Clero electus est. Paschalis verò Ioanni Plautino Exarcho clam pretium dedit, per eum violenter Papatum inuadere volens, sed frustrà. Non multò post, pro quibusdã incantationibus quibus inhærebat, ab Archidiaconatu eiectus est, & post quinquennium impœnitens mortuus est. Iustinianus Imperator Conciliũ in vrbe Regia fieri iussit, quod Imperiali manu firmatum, Romam Sergio Papæ per Sergium Magistrianum misit. Sed ille, quia quædam contraria Ecclesiastico dogmati ibidem inserta erant, subscribere noluit. Inde turbatio magna orta est. Zacharias enim Protospatarius ab Augusto Romam missus est, vt Pontificem comprehenderet, & Constantinopolim deportaret. Verùm, Deo excitante, Rauennas militia, & Pentapolitani Romam conuenerunt, & portas ciuitatis vt Zachariam occiderent, clauserunt. Ipse verò tremebundus in cubiculum Pontificis fugit, & sub lecto pro timore mortis meticulosus delituit. Cúmque Rauennæ exercitus per portam beati Petri Apostoli cum armis in Lateranense Episcopium venisset, & fores Patriarchij, quæ clausæ erant, nisi aperirentur, in terram mittere minaretur: beatus Papa egressus, milites & populum, qui pro illo cucurrerant, honorificè suscepit, datóque suaui responso, eorum corda liniuit. Illi autem zelo Dei & amore Præsulis accensi, à Patriarchij custodia non recesserunt, quousque denominatum Spatarium cum iniuriis ab vrbe depellerent. Porrò is, qui illum miserat, ipso in tempore Domino retribuente, iure regno priuatus est, & Ecclesia Dei cum suo Præsule incolumis, Christo fauente, conseruata est. Sergius Papa in sacrario sancti Petri in capsa argentea magnam portionem sanctæ Crucis, Deo monstrante, reperit: & in die Exaltationis eiusdem à populo singulis annis adorari constituit. Hic confractionis tempore Dominici corporis, *Agnus Dei*, à Clero & populo ter cantari statuit. Damianum verò Rauennæ Archiepiscopum, & Bertoaldum Doroberniæ Archiepiscopum, & Clementem Guillebrordum in gente Fresionum, aliósque per diuersas Prouincias Episcopos xcvii. ordinauit. In Basilica beati Petri Apostoli vi. Idus Septembris sepultus est, sub Tiberio Augusto, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus xx.

C

D

IOANNES Græcus sedit annis iii. mensibus ii. diebus xii. Theofilatium Exarchum Italiæ, ne perimeretur à tumultuante populo in vrbe Roma, suis monitis saluauit. Guisulfum quoque Ducem Longobardorum, qui in Campania incendia & multa mala faciebat, pro captiuis multis muneribus datis, ad sua redire fecit. Hic Episcopos xv. consecrauit, & sepultus est ad beatum Petrum, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus xviii.

IOANNES Græcus, de patre Platone, sedit annis ii. mensibus vi. diebus xvii. Hic eruditissimus & facundus tempore Tiberij & Iustiniani floruit, & in cimiteriis sanctorum, Ecclesiísque, multa, quæ diruta vel detecta fuerant, diligenter

emendauit. Tunc ARIPERTVS Raginberti Taurinensium Ducis filius, Rex A Langobardorum, Alpes Cottias sancto Petro reddidit, & donationem litteris aureis exaratam reformauit. Iustinianus Imperator, auxilio Terbelli Bulgarorum Regis regnum quod amiserat recuperauit, Imperiique inuasores Leonem & Tiberium in Circo coram omni populo iugulari fecit. Ioannes Papa XIX. Episcopos ordinauit. Sepultus est autem ad beatum Petrum Apostolum ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, quod ipse construxit, XV. Kal. Nouembris, & cessauit Episcopatus mensibus II.

SISINNIVS Sirus, ex patre Ioanne, sedit diebus XX. Hic animo constans, & de Romanis sollicitus erat, sed podagra detentus nimis anxiabatur. Vicesima die ordinationis suæ subitò expirauit, & ad beatum Petrum sepultus est: & cessauit Episcopatus mense vno, diebus XVIII.

CONSTANTINVS Sirus, ex patre Ioanne, sedit annis VIII. diebus XV. Hic vir valdè bonus fuit. Tunc Romæ magna fames tribus annis facta est, quam maxima vbertas secuta est. Iustinianus Imperator Theodorum Patricium in Italiam misit, B Rauennam cepit, & superbum Felicem Archiepiscopum luminibus priuatum in Ponto exulare fecit. Papa verò rogatu præfati Principis, Constantinopolim cum multis profectus est, & ibidem à Iustiniano & Tiberio filio eius ac populo multùm honorificè susceptus est. Non multò post Philippicus Iustinianum occidit, & regnum inuasit. Sed paulò post, ipso depulso, Anastasius Imperium suscepit, & veræ fidei consensit. Præfatus Papa LXIV. Episcopos consecrauit, & VI. Idus Ianuarij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XL.

GREGORIVS Romanus, ex patre Marcello, sedit annis XVI. mensibus IX. diebus XI. tempore Anastasij, Theodosij Leonis, atque Constantini Augustorum. Hic multas Ecclesias & Abbatias construxit, & multa alia bona, quæ enumerare impossibile est, fecit. Hic per Bonefacium Episcopum, Germaniam ad fidem Christi conuertit. Tunc Luna vsque ad mediã noctem cruentata visa est. Fluuius Tiberis inundauit, & per VII. dies Romam occupauit: itaut portã Flaminiam egressus transcenderet, & in via lata ad vnam & semis staturam aqua excresceret. Gregorio Papa cum Clero & plebe Letanias crebrò agente, post octauum diem iam misertus Deus C aquam amouit. Anastasius de imperio deiectus contra Tiberium pugnauit, sed victus & Clericus factus est. Nefanda Agarenorum gens Hispaniam X. annis afflixit, quam Rodanum transire volentem ad Franciam Eudo Aquitanorum Dux vicit, & ex eis CCC. M. peremit. Mille verò & quingenti Francorum ibi tantummodò cecidisse leguntur. Tunc in quodam loco Campaniæ pluuia quasi ignea de cælo cadere visa est, & triticum, ac hordeum, atque legumen combussit.

LEONE Principe, Constantinopolis biennio ab Agarenis obsessa est, sed protegente Deo capta non est. De populo tamen vrbis CCC. fame vel peste perierunt.

LIVDPRANDVS Rex Langobardorum Romanos tunc grauabat; sed hortatu Præsulis, ac precibus & sanctitate coërcitus, postea quieuit.

BASILIVS Dux, & Paulus Exarchus, aliique maliciosi, iussu Leonis Augusti, Gregorium Papam perimere nitebantur. Sed Romani atque Langobardi nutu Dei totis nisibus resistebant, & beatum Præsulẽ protegebant. Iordanum Chartularium, & Ioannem Barionem, & Exclaratum Ducem, filiúmque eius Adrianum interfecerunt: & nefarios conatus Augusti penitus præpedierunt. Decreuerat enim D vt in nulla Ecclesia imago Saluatoris, vel eius sanctæ genitricis, aut cuiuslibet sancti Martyris, aut Angeli haberetur. Maledicta enim asserebat omnia. Sacras ergo imagines in vrbe regia deponi iussit, & in medio flammis concremari compulit. Prohibentes verò abscisione capitis, aut aliorum membrorum condemnauit. Germanum vtique Constantinopolitanum Antistitem, qui sibi in hoc obstabat, Præsulatu priuauit, & Anastasium Presbyterum subrogauit. Mense Ianuario, per X. dies stella, quæ Antefer dicitur, cum radiis in Occidente micuit. Post hæc Tiberius Petasius regnum inuadere nisus est, sed Euticio Exarcho, & Romanis pugnantibus occisus est. Gregorius Papa CL. Episcopos ordinauit, & post multa bona opera, III. Idus Februarij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus mense vno, diebus V.

GREGORIVS Sirus, ex patre Ioanne, sedit annis X. mensibus VIII. diebus XXV.

A Leone & Constantino imperantibus. Hic sanctitate, pietate, sapientiâ, Græca & Latina facundiâ admodum clarus fuit, multa condidit, & in multis Ecclesias Dei ornauit. In vrbe Roma Synodum XCIII. Episcoporum congregauit, contra hæreticos Imperatores Leonem & Constantinum, qui sacras Dei & sanctorum eius imagines ab Ecclesiis eliminabant, & irreuerenter vtebant. In Canone hoc à Sacerdote dicendum adiecit: *Quorum solemnitas hodie in conspectu Maiestatis tuæ celebratur, Domine Dominus noster, in toto orbe terrarum*, & in Oratorio in lapide scribi fecit. Liutprandus Rex Romam obsedit, pro qua re Papa à KAROLO Rege Francorum auxilium petiit. Tunc pro Transamundo Duce Spolitanorum, qui Romam confugerat, quatuor vrbes Romanis ablatæ sunt. Beatus Papa Episcopos LXXX. consecrauit. & IV. Kal. Deceb. in Ecclesia S. Petri Apost. sepultus est, & cessauit Episcop. d. VIII.

ZACHARIAS Græcus, ex patre Polochronio, sedit annis X. mensibus III. diebus XIV. Hic omnibus bonis ornatus, Ecclesiæ Dei profuit. Tunc Italia nimis turbata erat. Papa itaque Liudprandum Regem adiit, & pacem in XX. annos firmauit, captiuósque reduxit. Liudprãdus XXXII. anno regni sui obiit, & Ratchisus Pẽmonis Ducis Foroiulianorum filius regnum suscepit. Tunc dum Constantinus Imperator B contra Agarenos isset, quidam nomine Artanastus imperiũ furtim inuasit. Constantinus verò exercitum Orientis congregauit, vrbẽ viriliter expugnans Regem cepit, & rebellẽ cum suis cõplicibus oculis priuauit. Tunc KAROLOMANNVS Karoli Martelli Francorũ Regis filius in monte Cassino Monachus factus est. Ratchisus quoq. Rex, hortante Papa Romã venit, nutúq; Dei deposito diademate regni Monachus factus est. Zacharias Papa IV. Libros Dialogorum beati Gregorij Papæ de Latino in Græcum transtulit, & LXXXV. Episcopos ordinauit. Idus verò Martij ad beatum Petrum Apostolum sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XII.

STEPHANVS Romanus, ex patre Constantino, sedit annis V. diebus XXVIII. Tunc Stephanus Presbyter à populo electus fuit. Sed tertio die dũ à somno surrexisset, & sedens alacriter res suas disponeret, subitò alienatus obmutuit, & in crastinũ obiit. Deinde Stephanus est ordinatus Diaconus, cunctis virtutibus adornatus. Tunc Aistulfus Langobardorũ Rex, sanctã Ecclesiã nimis persequebatur, & Romã ditioni suæ omninò subiugare nitebatur. Quapropter Papa, dũ nil apud eum precibus vel muneribus valeret, coactus est pro sanctæ Ecclesiæ defensione Galliã adire. Pipinus C verò Rex cũ Francis eũ honorificè suscepit, & hiemare Parisius ad S. Dionysiũ fecit. Postea cũ exercitu Gallorũ Papiam obsedit, & Haistulfum Romanis pacẽ iurare coëgit. Sed postquã Pipinus ad sua reuersus est, Haistulfus peieratus est. Romã enim IV. mensibus obsedit, & multa sanctorũ corpora effodiens cimiteria violauit. Iterum Pipinus precibus Papæ ductus Papiã obsedit, & à periuro Rauennam, & Naruiũ, ac Ariminũ, & multa alia quæ ablata fuerant, beato Petro reddi cõpulit. Non multò post Haistulfus in venatu, diuino ictu percussus periit. & Desiderius Dux regnũ eius inuasit. Stephanus Papa XV. Episcopos ordinauit, ac Pipinũ Regẽ Francorum, atq; Bertradã Reginam, & filios eorũ Karolũ & Karlomannũ consecrauit. Deinde verò Kal. Maij ad beatum Petrum Apost. sepultus est, & cessauit Episcopatus dieb. V.

PAVLVS Romanus Stephani frater sedit a. X. mens. I. Hic tempore Constantini & Leonis multa bona operatus est. Episcopos LX. ordinauit, & post eius obitũ cessauit Episcopatus a. I. & m. I. quando Constantinus transgressor Apostol. Sedem inuasit.

STEPHANVS Siculus, ex patre Olibo, sedit a. III. m. V. dieb. XXVIII. Vir strenuus & bonus, ac sapiens, Ecclesiæ Dei admodũ præfuit. Ante electionẽ eius inaudita maD litia Romæ peracta est. Nam Toto Nepesinus Dux Constantinũ laicum fratrẽ suum ab inuito Georgio Prænestinæ Episcopo Papam cõsecrari coëgit. Post quam ordinationem Georgius in ægritudinem corruit, nimiúmque infirmatus nũquã postea Missam cantauit. Eius enim dextera manus aruit, & contracta est, quã nec ad os suũ ferre valuit; sed eodẽ anno ipse pessimo languore obiit. Post annum Roma Christoforo Primicerio & Sergio Sacellario tradita est, & Toto Dux à Demetrio & Gratioso fraudulenter occisus est. Post hæc Stephanus Papa legitimè à cunctis electus est. Non multò post à quibusdã malignis Constãtinus inuasor, & Passibius* frater eius, ac Theodorus Episcopus & Vicedominus capti & orbati sunt: & Christoforus ac Sergius filius eius, aliique multi, dolo & immissione Desiderij Regis periergũt. Inter hæc Stephanus Papa in ordinationis suæ exordio Sergiũ Secundicerium ad Karolũ Magnum, Regẽ Francorum direxit, & consilium, auxiliúmque ab eo poposcit. Cui

gratanter ille XII. Episcopos de Francis probatissimos, & in diuinis Scripturis, sanctorúmque Canonum institutionibus eruditos direxit. A

MENSE Aprili multorum Synodus Præsulum in Basilica sancti Saluatoris iuxta Lateranis aggregata est: atque Constantinus, qui de laico repentè Clericus & Pontifex effectus fuerat, omnium iudicio condemnatus est. Deinde generalis sententia sub anathematis interdictione prolata est, vt nullus laicorum, nec ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ad Præsulatum promoueatur; ac vt omnia, quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis ad diuinum cultum egit, iterarentur, præter baptisma, atque sacrum chrisma. Stephanus Papa Episcopos XXX. consecrauit, & apud beatum Petrum sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus VIII.

ADRIANVS Romanus, ex patre Theodoro, de regione via lata, sedit annis XXIII. mensibus X. diebus XVII. Hic nobilis, & pulcher, cōstans, pius, & sanctus fuit. Tunc Desiderius Langobardorum Rex, innumera mala Romæ & Rauennæ, & subditis earū faciebat. Karolus ergo Magnus rogatu Papæ in Italiā venit, Ticinū VI. mensibus obsedit, Deóque iuuante cepit, sabbatóque Paschæ cum suis honorificè Romæ susceptus est. Desiderium verò Regem captū cū vxore sua Franciam misit, & beato Petro quæ sibi ablata fuerant restituit. Adrianus Papa Ecclesias, & ornatus, & multa mira fecit: & Constantinū Augustū CCCL. Episcopos in Nicæa congregare suis precibus cōpulit, quā Synodū de Græco in Latinū transferri fecit. Tunc XX. anno eiusdē Papatus, Tiberis fluuius ad portā S. Petri venit, & multa dāna ciuibus intulit. Sed Papa Letanias instituit, & misert⁹ Dominus aquā amouit. Hic Episc. CLXXXV. ordinauit, & VII. Kal. Ian. ad B. Petrū sepultus est, & eodē die Leo Papa ei subrogatus est. B

LEO Romanus, ex patre Aizupio, sedit an. XX. mens. V: dieb. XVI. prædecessoribus suis in omnibus similis. Hic dū benè quæ bona sunt ageret, & quadā die in Letaniis ad beatū Petrum Apostolū cum populo pergeret, Paschalis Primicerius, & Cāpolus Sacellarius, cū armatis satellitibus suis de insidiis prosilierūt, populúmque inermem timore armorū fugauerunt, & Papam ante altare S. Petri oculis & linguâ priuare nisi sunt. Sed post aliquot dies Albinus Cubicularius cū de carcere eripuit: & Dominus omnipotens integrā sanitatē illi cōtulit. Vvinigis verò Dux Spoletanorū ei suppetias aduenit, & vidēs Papā, qui fustibus laniatus, & semiuiuus in sanguine reuolutus ante arā fuerat, mirabiliter sanatū, cum aliis fidelibus Dominū glorificauit. Post hæc Papa Karolū Magnū Regē adiit, & querimoniam de rebus gestis ei deprompsit. At ille tantū virum honorificè suscepit, & cum duobus Archiepiscopis Idilualdo & Arnone, atque VI. Episcopis & tribus Comitibus remisit. Ipse quoque Rex postea Romā venit, & ab eodē Papa in die Natalis Domini in Ecclesia S. Petri coronatus est, & ab omnib⁹ tā Romanis quā Frācis Imperator Rom. cōstitutus est. C

POST hæc, Indictione IX. II. Kal. Maij, terræmotus magnus factus est, & totā Ecclesiam S. Pauli Apostoli diruit, quam Leo Papa optimè reparauit. Letanias quoque idem Præsul tribus diebus ante Ascensionem Domini iussit celebrari. Nullus prædecessorum eius in Ecclesiis Sanctorum & ornamentis vel aliis necessariis rebus plus quàm ille operatus est. Hic Episcopos CXXVI. ordinauit. Sepultus verò est in Basilica sancti Petri Apostoli, II. Idus Iunij, & cessauit Episcopatus mense vno.

STEPHANVS Romanus, ex patre Marino, sedit m. VII. Hic pro confirmāda pace S. Ecclesiæ Galliā ad Ludouicū Imperatorē petiit, quæque voluit ab eo impetrauit, & exules pro reatu in B. Leonē Papā cōmisso, indè clemēter eduxit. Hic Episcopos V. cōsecrauit, & ad B. Petrum Apost. sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus XXVI. D

PASCHALIS Romanus, ex patre Bonoso, sedit annis VII. mensibus IV. diebus XVIII. Hic prædecessorum suorum sanctissimus æmulator extitit; & multa Ecclesiæ populóque pulchra & vtilia fecit. Episcopos XL. consecrauit. In Ecclesia verò beati Petri sepultus est, & cessauit Episcopatus diebus IV.

EVGENIVS Romanus, vir bonus & sanctus, sedit annis IV. Tunc magna vbertas & pax in orbe regnauit.

VALENTINVS Romanus, ex patre Petro, de regione via lata, cunctis pollens virtutibus, sedit diebus XL. Hic ab Episcopis centū, & Proceribus Romanorū, omníque populo in Palatio Lateranēsi electus est, & de Ecclesia S. Dei genitricis Mariæ assumptus, & in Pontificali throno positus est, sed paulò pòst sanctè defunctus est.

GREGORIVS Romanus, ex patre Ioanne, pulcher & nobilis, sapiens & sanctus, sedit annis XVI. Tunc Agareni de finibus suis exierunt, & insulas ac regiones Chri-

A stianorum grauiter desolauerunt: hominibúsque peremptis basilicas & habitacula fidelium despoliauerunt,& debacchantes destruxerunt. Gregorius ergo Papa muros Hostiæ fecit,quæ ob hoc postmodum Gregorianopolis dicta est. Hic alia innumera bona fecit. Multas enim Basilicas construxit, & multa Sanctorum corpora transtulit,& in locis opportunis diligenter aptauit. Episcopos CLXXXV. consecrauit, & in Basilica sancti Petri Apostoli sepultus est, & cessauit Episcopatus dies XV.

SERGIVS Romanus,ex patre Sergio,sedit annis III. Qui dum electus ex more fuisset, Ioannes Diaconus cum agresti manu bellicis telis armata ianuas fregit, & legis & ordinis traditionem transgressus,per vim in Patriarchium intrauit. Sed post vnam horā cuneus eius timore correptus fugit, & Ioannes inuasor captus & cæsus, ac Diaconatu priuatus est. In illo tempore LOTHARIVS Augustus Drogonē Archiepiscopum Metensem,& Ludouicum filium suum cum multis Episcopis & Abbatibus atque Comitibus Romam misit. Qui multas strages per vrbes & agros in via fecerunt, & indigenas colonos tyrannica crudelitate perterritos ad latebras confu-
B gere coëgerunt. Quadam itaque die atra densitas nubium facta est, & quidam Primates Drogōnis fulmine percussi perierunt. Ludouicus verò Romam venit,& Sergius Papa oleo sancto eum perunxit, & Regem Langobardorum consecrauit. Sergius Papa XXIII. Episcopos ordinauit, Abbatias plures & Ecclesias cōdidit. Ad beatum Petrum Apostolum sepultus est,& cessauit Episcopatus mēsibus II. diebus XV.

LEO Romanus, ex patre Radualdo, sedit annis VIII. mensibus III. diebus VI. Hic innumerabilibus bonis vt sol in mundo emicuit, & in ædificiis & ornamentis, aliísque vtilibus studiis Ecclesiæ Dei multipliciter profuit. Post mortem Sergij Papæ, mox Sarraceni Basilicas Apostolorum Petri & Pauli deprædati sunt. Sed dum ad Africam nauigio redire vellent, procellis in mari perierunt. Tunc terræmotus in vrbe Roma talis factus est, vt omnia elementa concussa viderentur. Leo Papa prohibuit laicos ad Missas in Presbyterio esse. In primo Papatus sui anno basiliscū meritis & precibus suis effugauit,qui in tetris cauernis Romæ latens flatu suo multos perimebat. Validum quoque ignem beatus Papa in vico Saxonum furentem signo crucis opposito extinxit. Ecclesias multas & ornamenta fecit, antiquas vrbes restaurauit, murum Romæ renouauit. Ecclesiam verò sancti Petri muro cinxit,
C & quasi vrbem, quæ à nomine eius Leoniana dicitur, firmauit,& cum omni populo Romano in magna lætitia omnium IIII. Kal. Iulij dedicauit.

ECCE mentionem centum Pontificum, qui post beatum Petrum Apostolicæ Sedi præfuerunt, in hoc Opusculo denotaui, prout in scriptis sancti Papæ Damasi ad Hieronymum, vel in gestis Pontificalibus inuestigaui. Porrò, de aliis XL. qui post Leonem IIII. vsque ad nostram ætatem præfuerunt Apostolicæ Sedi, huc vsque integra gesta non inueni: ideóque vix pauca de illis audeo profari. Nomina solummodò nitor eorum per ordinem proferre: sed de progenie vel actibus eorum compellor omnino silere, donec possim donante Deo pleniora de illis vt cupio scripta reperire.

BENEDICTVS Papa sedit anno I. mensibus VI. diebus X. NICOLAVS Papa annis IX. mensib. X. ADRIANVS Papa annis V. IOANNES Papa annis X.

MARINVS Papa anno I. mensib. IV. ADRIANVS Papa anno I. mensibus IV.

AGAPITVS Papa anno I.

BASILIVS, STEPHANVS anno I. Deinde FORMOSVS, IOANNES, &
D STEPHANVS, tempore Ludouici transmarini floruerunt. Ipsos quoque secuti sunt, Marinus, Agapitus, Octauianus, Leo, Benedictus, Ioannes, qui Othonem iuniorem benedixit: Benedictus, Benedictus, Gerbertus, Siluester, Agapitus,& Benedictus. Sic per annos ferè centum & x. patres XI.* præfuerunt Apostolicæ Sedi, quorum genealogiam seu certum tempus prælationis vel occasus nondum inueni.

CLEMENS Suidgerus, qui fuit Bauembergensis Episcopus, sedit annis IX. & Henricum Imperatorem benedixit, & Agnetem.

OPO Damasus, qui fuit Aquileiensis Præsul, sedit anno I.

LEO Lotharingus sedit annis V. Hic Bruno Tullensis Pontifex fuit. In Galliam venit, Remis ingens Concilium tenuit. Prisca sanctorum Patrum decreta, quæ deciderant, renouauit, & multa in vtróque ordine salubriter & vtiliter correxit.

GEBEHARDVS Victor sedit annis III.

FRIDERICVS Stephanus, filius Gothelonis Ducis, sedit anno I. A

GERARDVS NICOLAVS, qui de Francis primus assumptus est, sedit annis II.

ALEXANDER Lucensis sedit annis XI.

GREGORIVS Hildebrannus, à pueritia Monachus, sedit annis XIIII. Cuius tempore Henricus Imperator Guitbertum Rauenensem intrusit, & expulso Papa Romanam Ecclesiam valde turbauit.

DESIDERIVS Victor, qui Cassinensis Abbas fuit, sedit mensibus II.

VRBANVS Odo, qui Cluniacensis Monachus fuit, & Hostiensis Episcopus, sedit annis XII. exercitum Christianum in Hierusalem contra Paganos direxit.

PASCHALIS Rainerius, qui de valle Brutiorum fuit, Monachus, sedit annis XII.

GELASIVS Ioannes Gaditanus sedit annis II.

CALIXTVS Guido, filius Guillelmi Burgundionum Ducis, qui Viennensis fuit Archiepiscopus, sedit annis VI.

HONORIVS Lambertus, qui fuit Hostiensis Episcopus, sedit annis V. B

INNOCENTIVS Gregorius Papiensis, sedit annis XII. qui nono Papatus sui anno ingens concilium Romę aggregauit, & multa, quãuis pauca seruentur, cõstituit.

FINIS HVIVS LIBRI.

Quæ sequuntur inserenda sunt suprà, pag. 376. ad hanc notam ***.

animæque credentium in illa die circiter tria millia appositæ sunt. Inde primitiua processit Ecclesia, quam cælestis copiosè profudit gratia.

MVLTA signa & prodigia per Apostolos in Ierusalem fiebant, & vniuersi videntes insolita metuebant. Omnes etiam, qui credebant, pariter habitabant, & omnia communia habebant. Possessiones & substantias vendebant, & omnibus, prout cuique opus erat, illa diuidebant. Cotidiè fideles crescebant virtutibus, Dominóque augente qui salui fierent, crescebat eorũ numerus. Petrus cum Ioanne horâ nona templum ascendit, ibique quadragenarium ex vtero matris claudum mendicantem respexit. Negans verò sibi esse diuitias, indigenti melius obtulit, eúmque apprehensa manu sermone mox in nomine IESV CHRISTI curauit. Qui protinus consolidatis basibus & plantis exiliens, & currens, cum illis templũ intrauit, & gaudens Dominũ publicè laudauit. Omnis autem populus vt speciale miraculum vidit factum in nomine Christi super claudum, qui cotidie ponebatur ad speciosam in porta tẽpli, repletus est stupore & extasi. Cùm tenerentur autẽ Apost. cucurrit popul' ad porticũ Salomonis, vt claudũ videret iã curatũ virtute nominis Christi. C

CONGREGATA verò multitudine, Petrus loqui cœpit, & laudem curationis à se penitus humili ratiocinatione abegit: sed virtuti diuinitatis Christi Iesu omninò ascripsit. Iudæos autem eius persecutores benigniter redarguit, sed postmodum, quia per ignorantiam fecerint, in infatigabili misericordia Magistri sui confidens, leniter excusauit. Ad postremum, ad pœnitentiam scelerum ipsos inuitauit, & Saluatorem ac verum Prophetam, vt Moyses & Samuel, & omnes Prophetæ deinceps prædixerunt, iam venisse liquidò manifestauit.

LOQVENTIBVS illis ad populum, Sacerdotes, & Magistratus templi, & Saducæi superuenerunt, & comprehendentes eos, in carcerem posuerunt. Fellis enim nequitie pleni dolebant, quòd populum docerent, & resurrectionem ex mortuis in IESV annunciarent. Multi eorum, qui audierant verbum, crediderunt; & factus est numerus virorum quinque millia.

IN crastinum ANNAS Princeps Sacerdotum, & CAIPHAS, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali: & Principes, & Seniores, & Scribæ, congregati sunt in Ierusalem. Et statuentes eos in medio, interrogabant: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Tunc Petrus Spiritu sancto repletus optimè testatus est, quòd in nomine Iesu Christi Nazareni æger sanatus est: nec aliud, in quo saluari oporteat, nomen sub cælo datum est. Aduersarij verò constantiam Petri & Ioannis videntes, comperto quòd homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & contristabantur. Ipsos vtique cognoscebant, quoniam cum Iesu fuerant. Hominem quoque qui curatus fuerat, cum eis stantem videbant, & nihil contradicere poterant: sed pro manifesto cunctis in Ierusalem signo præ ira tabescebant. D

DENIQVE consilio accepto, Apostolos conuocarunt; & ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, denunciarunt. Quorum præcepto Petrus & Ioannes auctoritate magna contradixerunt, dicentes: *Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire quàm Dominum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* At illi comminantes eos dimiserunt, non ausi punire, quos videbant populo pro ingenti miraculo admodum placere.

DIMISSI ad suos venerunt, & quæ sibi contigerãt eis annunciauerũt. Qui cũ audissent, vocẽ &c.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PARS SECVNDA.

Quâ bellici Normannorum euentus in Francia, Anglia, Apulia; Monasteriorum fundationes, Episcoporum & Abbatum totius penè Neustriæ series ac gesta, plurimæque aliæ res memoratu dignæ, sub Guillelmo II. Duce, cognomine Notho, luculenter exponuntur.

PROLOGVS.

AD LAVDANDVM Creatorem in cunctis Operibus suis indesinenter instare debemus, cuius ineffabilem potentiam & magnitudinem discutere non possumus: nec efficaciam qua sublimitas eius & infatigabilis benignitas à nobis enarrari poßit habemus. Inde veteris & noui Testamenti pagina tractat, indè omnis sapiens perscrutatur & cogitat: sed immensitatem & profunditatem Dei nemo penetrat. Scientia charitatis Christi supereminet omni humanæ prudentiæ: quam inuestigare, amplecti, & toto nisu sequi iustum est, & plenum salutis perpetuæ. Ob hoc beati homines, quorum laus est in autenticis Codicibus, & sociati Angelis gaudent in cælestibus. Contemptis transitoriis inhiabant perennibus, & abhorrentes carnalia salubriter fruebantur spiritualibus. Per arduum iter virtutum vestigia Saluatoris prosecuti sunt, & salutare nobis exemplum reliquerunt: vt sequaces eorum per iustitiæ semitam ad perennem hæreditatem festinemus: ad quod opus peccatis prementibus nimis desides & infirmi sumus. Sed tamen debemus quantum possumus veraciter niti, vt vestigia eorum sequamur: quatinus illorum meritis associati, quandóque beatorum collegio adiungi mereamur. De quibusdam itaque amicis Dei, Dominisque ac Rectoribus populi sui in superiori Parte libenter locutus sum: de quibus nimirum loqui fideliter, iocundum est animæ, & commodum pro interioribus morbis salubre remedium. Nunc autem à Magistris aliud mihi opus iniungitur, & de Normannicis euentibus materia porrigi-

tur: quoniam ipsi de Dacia prodeuntes, non litteris, sed armis studuerunt, & vsque A
ad GVILLELMI *Nothi tempora magis bellare quàm legere vel dictare laborauerunt. Bellicos siquidem actus trium Ducum* DVDO *Vermandensis Decanus eloquenter enarrauit; affluénsque multiplicibus verbis & metris Panigiricum super illis edidit: & Ricardo Gunnoridæ gratiam eius captans transmisit. Quem Guillelmus cognomento Calculus Gemmeticensis Cœnobita sequutus eleganter abbreuiauit: & de quatuor Ducibus, qui successerunt, breuiter & disertè res propalauit.*

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ
LIBER TERTIVS.

OPVS in primis arripiam de vinea Domini Sabaoth, quam ipse forti dextera colit & protegit in toto mundo contra insidias Behemoth. Hæc nimirum in regione, quæ olim NEVSTRIA, nunc verò vocatur NORMANNIA, laborantibus colonis sparsim suas propagines emisit: & multiplicem fructum hominum in sanctitate permanentium Deo obtulit. Multa enim à bonis cultoribus Cœnobia ibidem constructa sunt: vbi rami ipsius vitis, id est, boni Christiani, semetipsos contradiderunt: vt tutiùs contra insidias spiritualium hostium fine tenus decertarent. Nam beatus Præsul Audoënus, qui multa probitate tam seculari quàm spirituali tempore Dagoberti Regis Francorum & Lodouei filij eius floruit, vnum Cœnobium Sanctimonialium Fiscanni condidit, & aliud Monachorum Rotomagi: vbi ipse anno Dominicæ Incarnationis DCLXXVIII. tumulatus requieuit, ibique per annos CLXV. vsque Normanni Rotomagum deuastarent latuit. In diebus præfati Pontificis sanctus Vuandregisilus ingens Monachorum agmen Fontinellæ adunauit: & beatus Philibertus fortis signifer insignis aciei apud Gemmeticum emicuit.

678. B

PRÆCEDENTI quoque tempore, hoc est dum Hilpericus & Childebertus nepos eius Francis imperabant, & regali auctoritate insontes à peruersis defensabant: Baiocensis EBRVLFVS in Vticensi saltu Angelica demonstratione doctus Monasterium instaurauit: & agrestes incolas, qui rapinis & latrociniis ante deseruierant, correxit, & doctrinæ pabulo, ac miraculorum exhibitione ad melioris vitæ viam prouocauit. Sic Dominus aliis in locis per bonos agricolas vineam suam propagauit, & salutis suæ dulcedinem Gallorum cordibus vbertim infudit. C

POSTQVAM Regnum Francorum, fauente Deo, valde super vicinas gentes sublimatum est: & frequentibus triumphis Regum suorum Pipini Carolique Magni & Ludouici Pij dilatatum est: nimia cupiditas, & superbia, atque libido, proceres, & mediocres, infimósque inuaserunt: & in nequitiarum laqueos præcipitantes, contra salutis suæ auctorem, ne fideliter ei obedirent, duxerunt. Prædictis cladibus omnis Ordo Clericorum & laicorum impulsatus à pristino robore corruit; mundíque blandimentis succumbens omisso splendore pristini rigoris elanguit. Diuina autem pietas peccantibus diu pepercit, multisque modis ad pœnitentiam inuitauit. Resipiscentibus à malicie laqueis clementer veniam contulit: sed perseuerantibus in nequitiis iracundiæ suæ flagellum intulit. D

TEMPORE Caroli Regis Francorum, qui Simplex cognominatus est, Brier * cognomento Costa-ferrea filius Lobroci Regis Danorum, cum Hastingo nutritio suo, & ingenti iuuenum multitudine, ad depopulandas gentes, de vagina sua egressus est. Ex insperato de mari quasi turbo vehemens in Galliam intrauit, & oppida vrbésque cum Sanctorum Cœnobiis repente concremauit: & per triginta annos super Christianos cum suis complicibus insatiabiliter furuit. Tunc Rotomagus & Nouiomum, Turonísque & Pictauis,

*al. Bier

A aliæque præcipuæ vrbes combustæ sunt. Inermes populi occiduntur, Monachi ROLLO. & Clerici disperguntur, & Sanctorum corpora aut in suis tumulis iam destructis ædibus absque cultu relinquuntur: aut à piis cultoribus ad peregrina loca deuehuntur.

SED dispensante diuinæ pietatis arbitrio, ex eadem gente vnde venit Neustriæ desolatio: indè nimirum non multò post processit consolatio. Nam completis ferè XXX. annis post cladem Hastingi, Rollo Dux cum valida Danorum iuuentute Neustriam ingressus est, & Gallos diuturnis inuasionibus vehementer atterere nisus est. Nam conserto cum Gallis prælio, Rollandum signiferum eorum occidit, & Rainaldum Aurelianensium Ducem cum exercitu Francorum bello victum fugauit. Parisiorum vrbem quatuor annis obsedit; sed eam impediente Deo non obtinuit. Baiocas expugnauit & cepit, & Berengarium Comitem eius B interemit, Popamque filiam eius in coniugium accepit; ex qua Vvillelmum cognomento Longam-spatam procreauit. His aliisque innumeris conflictibus Gallos protriuit, assiduisque rapinis & incendiis penè totam Galliam vsque in Burgundiam deuastauit. Tantos impetus Gallis non ferentibus, cunctisque pro pace communiter supplicantibus, Carolus Rex Roloni filiam suam nomine Gislam dedit in matrimonium, totámque terram à flumine, quod Epta vocatur, vsque ad mare Oceanum, in perpetuum possidendam reliquit.

ANNO itaque ab Incarnatione Domini DCCCCXII. Rollo Dux à domno 912. Francone Rotomagensium Archiepiscopo baptizatus est: idolisque contemptis, quibus ante deseruierat, cum toto exercitu suo deuotè Christianitatem suscepit: completisque quinque annis, ex quo baptizatus est, obiit. VVILLELMVS autem filius eius, qui post eum XXV. annis Ducatum Normannorum tenuit, Gemmeticense Monasterium, quod sanctus Philibertus construxerat, sed Hastingus C destruxerat, in pristinum statum restituit. VVILLELMVS I.

ANNO autem Incarnationis Dominicæ DCCCCXLII. regnante Ludouico 942. Rege Francorum fraude Arnulphi Flandrensis Satrapæ Vvillelmus Dux occisus est: & RICARDVS filius eius, qui tunc decem annorum erat, Dux Normannorum factus est, & inter varios euentus nunc prosperos, nunc aduersos LIV. annis Ducatum fortiter adeptus est. Inter reliqua bona quæ fecit, tria Cœnobia construxit. Vnum Fiscanni in honore sanctæ Trinitatis, aliud monte Tumba in honore sancti Michaëlis Archangeli; tertium Rotomagi in honore S. Petri Apostoli, sanctique Audoëni Archiepiscopi. RICHARDVS I.

DEINDE anno Incar. D. DCCCCXCVI. defuncto Ricardo seniore RICARDVS 1030. Gunnorides filius eius successit, & Ducatum Normanniæ triginta annis religiosè tenuit. Hic verò Fontinellense Cœnobium, quod Sanctus Vuandregisilus ædificauerat, sed Hastingus dissipauerat, reædificauit: & Iudith vxor eius soror Gaufredi Britonum Comitis Cœnobium apud Bernaïcum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ condidit. RICHARDVS II.

D DEFVNCTO autem Ricardo Gunnoride, RICARDVS iuuenis filius eius successit: & vix anno vno & dimidio Ducatu potitus obiit. Deinde RODBERTVS frater eius Principatum Normanniæ suscepit, & septem annis ac dimidio insigniter tenuit: patrúmque suorum sequax Cerasiacensem Abbatiam instaurare cœpit. Timore verò Dei compunctus terrenum honorem reliquit: & spontanea peregrinatione arrepta sepulchrum Domini, quod est in Hierusalem, adiit; & indè rediens apud Nicenam vrbem Bithyniæ anno ab Incar. Domini MXXXV. obiit. Porro VVILLERMVS filius eius, qui tunc octo annorum erat, Ducatum Normannorum suscepit; & multorum insidiis æmulorum impetitus LIII. annis strenuè tenuit. Ipse parentum suorum studia sequi erga Dei cultum sategit, Deóque fauente diuitiis & potestate omnem patrum suorum gloriam transcendit. Apud Cadomum duo Cœnobia construxit, vnum Monachorum in honore sancti Stephani Protomartyris: aliud Sanctimonialium in honore sanctæ Trinitatis. ROBERTVS I.

BARONES Normanniæ Principum suorum tantum feruorem erga sanctam religionem videntes imitari affectarunt: & ad simile opus se, suósque ami-

ROBERTVS I. cos pro salute animarum suarum excitarunt. Vnus alium in bono opere festinabat A præire, eleemosynarúmque largitate digniter superare. Quisque potentum se derisione dignum iudicabat, si Clericos aut Monachos in sua possessione ad Dei militiam rebus necessariis non sustentabat.

IGITVR Rogerius de Toënio Cœnobium Castellionis, aliàs de Conchis, construxit: vbi Gilbertus Abbas vir magnæ honestatis & sapientiæ laudabiliter floruit.

GOSCELINVS de Archis extra muros Rotomagi in monte sanctæ Trinitatis Cœnobium, quod vulgo sanctæ Catharinæ dicitur, fundauit: cui venerandus Abbas Isembertus sapientia & religione pollens præfuit.

VVILLERMVS Aucensis Comes instinctu religiosæ coniugis suæ Lescelinæ Abbatiam sanctæ Mariæ super riuulum Diuæ construxit: cuius regimen Ainardus Teutonicus, vir sanctitate & litterarum scientiâ præditus, diu tenuit.

TEMPORE Rodberti primi Ducis Gislebertus Comes Brionniæ in pagum B Vimmacensem cum tribus armatorum milibus expeditionem fecit: sed ei iuxta desiderium suum prosperè non successit. Nam Ingelrannus Pontiui Comes cum valida manu ei obuius fuit, commissóque certamine victum cum suis in fugam coegit: & ex fugientibus multos cepit, vel occidit, vel vulneribus debilitauit. Tunc ibi quidam miles nomine Herluinus periculum metuens, totóque nisu pro salute sua fugiens, Deo deuouit, quòd si de imminenti periculo sospes euaderet, nulli vlteriùs nisi soli Deo militaret. Dei nutu discrimen honorificè euasit, votique sui memor seculum reliquit: & in patrimonio suo, in loco qui BECCVS dicitur, Cœnobium sanctæ Dei genitrici Mariæ condidit. Pastores autem sanctæ Dei Ecclesiæ præfatum virum pro nobilitate & religione elegerunt, nouóque Monasterio quod inchoauerat præfecerunt. Cuius regiminis tempore Lanfrancus & Anselmus, aliíque profundi Sophistæ illuc ad Scholas Christi perrexerunt: ibique Villermus Geroij filius, & Hugo Comes Mellenti, aliíque præclari milites militiam Christi assumpserunt. Ibi vsque hodie multi clericorum & laicorum sub Monachili scemate viuunt: & contra Zabulon dimicantes Deo laudabiliter seruiunt.

VNFRIDVS de Vetulis Turoldi filius duo Cœnobia, vnum Monachorum, C & aliud Sanctimonialium Pratellis inchoauit, quæ Rogerius de Bellomonte filius eius multum amauit: & de reditibus propriis gratanter ditauit.

VVILLERMVS Osberni filius duo Monasteria in proprio fundo condidit: vnum Liræ, & aliud Cormeliis, vbi ipse humatus quiescit. Alij etiam Normannorum Proceres plurimi prout poterant, Monachorum seu Monacharum domus in diuersis locis construebant.

HORVM exemplis Hugo de Grentemaisnilio & Rodbertus vehementer prouocati, deuouerunt & ipsi ex possessionibus, quas iure hæreditario possidebant, pro salute sua, & pro salute animarum antecessorum suorum Cœnobiũ construere.

IGITVR cùm apud Nuceretum villam suam prope Grentemaisnilium ædificare Cœnobium statuissent, iam iámque operi insisterent: ad aures Vvillermi filij Geroij auunculi sui peruenit, quòd nepotes sui Hugo & Rotbertus ædificare Cœnobium cœpissent. Hic nimirum in seculo miles fuerat magnæ sublimitatis, hostibus terribilis, & amicis fidelis. Filios & nepotes fratrésque multos in armis potentes habuit, hostibúsque vicinis seu longè positis valdè feroces. Hunc Vvil- D lermus cognomento Taluacius Vvillermi Belesmensis filius ad nuptias suas inuitauit, eúmque nil mali suspicantem sine reatu oculis priuauit; amputatísque genitalibus auriúmque summitatibus crudeliter deturpauit. Vnde pro tanto facinore perosus cunctis factus est; & post aliquot temporis à filio etiam suo nomine Arnulfo de toto honore suo eiectus est.

GEROIANVS Vvillermus omni vita sua Ecclesiam Dei dilexit, & Monachos ac Clericos, aliósque religiosos homines honorauit. Bis in Hierusalem sepulchrum Domini expetiit. Semel dum incolumis erat & prosperitate præditus, iterúmque post infortunium quod ei euenisse retulimus. Post reditum secundæ peregrinationis seculum reliquit, & Beccum expetens Monachilem habitum

A ibidem assumpsit: & Vticensem Ecclesiam S. Petri eidem loco deuotè tradidit. GVILLELMVS II.
Itaque Herluinus Abbas Lanfrancum Monachum (qui postea Cantuariorum Archiepiscopus extitit) cum tribus Monachis Vticum direxit: & per eos seruitium Dei, quod deciderat, inibi restaurari fecit. Tunc locus ipse desertus erat, & succrescens hedera maceriem Ecclesiæ cooperiebat. Duo soli senes Clerici Restoldus & Ingrannus ibidem morabantur: & in tanta heremo sub paupere vita Deo pro posse suo famulabantur.

POST aliquot temporis Vuillelmus, vbi vota nepotum suorum de construenda, vt prædiximus, Abbatia comperit; accessit ad eos, & dixit: Gaudeo valde, carissimi mei, quòd Deus omnipotens cordi vestro inspirare dignatus est, vt in ipsius nomine domum fabricetis. Sed videtis quia locus iste, vbi cœpistis ædificare, habitationi Monachorum aptus non est, quia ibi aqua deest, & nemus longè est. Certum est quod absque his duobus elementis Monachi esse non possunt. Sed si meis consiliis acquiescere vultis, aptiorem locum intimabo vobis. Est locus in Vticensi pago, vbi quondam amicus Dei Ebrulfus sanctus Abbas habitauit, ibique magnum gregem Monachorum aggregauit: & indè post multorum perpetrationem miraculorum ad Christum feliciter migrauit. Illius ergo Cœnobium ibi instaurate, quod destructum est à paganis, ibique nimiam aquam inuenietis. Nemus eidem loco contiguum habeo, vnde ad omnia necessaria Ecclesiæ sufficienter administrabo. Venite, & locum videte: & si vobis placuerit, Deo ibi domum communiter ædificemus; hominésque fideles, qui pro nobis piè intercedant, aggregemus: & de nostris possessionibus, iustísque redditibus tantum eis demus, vt liberè possint semper vacare diuinis laudibus. His auditis, Hugo & Rotbertus consilium eius laudauerunt: & prædictum locum perlustrare cum eo venerunt. Venientibus illis, libellus vitæ sancti Patris Ebrulfi oblatus est. Quam diligenter legit, & Hugoni aliísque sociis prudenter exposuit. Quid multa? Vticensis locus placuit ambobus fratribus. Sed quia idem locus Cœnobio Beccensi iam delegatus fuerat, aliquantíque Monachi ex eodem Cœnobio, vt iam diximus, illic conuersabantur: Abbati Herluino & Monachis Becci in mutua vicissitudine villam, quæ dicitur Rosseria, dederunt: sicque præfatum locum liberum reddiderunt.

C ANNO ab Incarnatione Domini ML. Indictione IV. firmato consilio de restaurando apud Vticum Cœnobio, Vuillelmus & Rotbertus filius Geroij, & Hugo ac Robertus filij Rotberti de Grentemaisnilio, Vuillelmum Ducem Normannorum adierunt, voluntatémque suam illi reserauerunt: atque vt principali auctoritate ad opus salubre sibi auxiliaretur postulauerunt. Locum etiam sæpè nominatum communi consensu ita liberum tradiderunt eius tutelæ; vt nec sibi, nec aliis quibuslibet aliquam adsuetudinem seu reditum, præter beneficia orationum, aliquando à Monachis liceret, vel hominibus eorum exigere. Dux autem bonæ voluntati eorum gratanter acquieuit, & testamentum de rebus, quas optimates sui sancto Ebrulfo dabant, confirmauit: & Malgerio Rotomagensi Archiepiscopo, suffraganeísque Episcopis subscriptionibus suis corroborandum tradidit. 1050.

DEINDE Hugo & Robertus à Duce accepta licentia eligendi Abbatem, Gemmeticum expetierunt, & à domno Rotberto eiusdem Ecclesiæ Abbate Theodericum Monachum ad Abbatiæ suæ regimen requisierunt. Abbas verò iustæ petitioni nobilium virorum libenter fauit, & Monachum, quem ad Pastoralem curam D idoneum nouerat, illis concessit. Illi autem gaudentes eum Duci præsentauerunt. At ille veneratione congrua eum suscepit, datóque baculo Pastorali, sicut moris est, Ecclesiæ Vticensi præfecit. Deinde Luxouiensis Episcopus Hugo, cum Osberno Archidiacono, aliísque Clericis suis, Vticum perrexit; & venerabilem Theodericum Cœnobitam secum duxit, eúmque ibi III. Nonas Octobr. die Dominico venerabiliter consecrauit.

ORDINATVS autem in superbiam elatus non est, sed religionis viam verbis & operibus ostendebat his, quibus prælatus est. Hic nimirum ab infantia in domo Domini nutritus fuerat, diutinóque sedimine religiosam vitam iugiter ducere didicerat. In sanctis orationibus atque vigiliis, nec non in abstinentia assiduus erat. Frigoribus etiam intantum corpus proprium affligebat, vt per

GVILLELMVS II. totam aliquando hiemem sine pellicia permaneret. Quadam itaque die dum secundum morem consuetum sibi sacrificium Deo offerre voluisset; pelliciam miri candoris super altare positam inuenit. Quam non manibus hominum, sed Angelorum illic eam esse positam non dubitans; Deo gratias egit, & indutus eam gratulanter seruitium diuinum peregit. Hoc ita gestum fuisse in Gemmeticensi Ecclesia, dum adhuc claustralis esset Monachus, à Monachis veracibus, qui tunc in supradicto Monasterio morabantur, audiuimus. Hunc venerabilis Theodericus Gemmeticensis Abbas de sacro fonte leuauerat, & sub Monachili iugo in Schola Christi educatum multum dilexerat. Quem, dum idem ad robur virile venisset, bonisque moribus laudabiliter polleret: vicarium sibi ad animarum lucra fratribus constituit: atque ad infantum Magisterium, & ad curam Claustralis Prioratus tuendam promouit. Deinde sicut supra dictum est, idem vir Domini, tempore Rotberti Abbatis de Gemmetico assumptus est: & Vticensi nouellæ
1050. plantationi Abbatiæ prælatus est anno ab Incarn. Domini M L. Ind. IV. qui erat annus XIX. Henrici Regis Francorum, & XV. Ducatus Vuillermi Ducis Normannorum.

AD constructionem verò nouæ domus Rodolfum nepotem suum, & Hugonem Cantorem, aliósque idoneos fratres, permissu patris sui de Gemmetico secum adduxit. Cum quibus, & per quos regularem obseruantiam, & modestum rigorem, aptámque seriem in diuino cultu feruenter erexit. Diuersæ autem ætatis & qualitatis ad conuersionem venientes suscepit: & secundum Regulam S. Patris Benedicti diligenter instituit. Nam ipse imprimis Gunfridum & Rainaldum & Fulconem filium Fulconis Decani, aliósque nonnullos Grammaticæ artis peritos in Schola Christi emendationem vitæ humiliter docuit. Riculfum quoque senem, & Rogerium rusticos Presbyteros, & Durandum hortolanum, & Goisfredum atque Olricum, aliósque simplices discipulos benigniter tractauit. Et quia profunda Scripturarum syntagmata percipere nequibant, lacte pij hortatus dulciter pauit: & sanctis actibus ostensis, in fide & religione salubriter corroborauit. Ipse etiam Herbertum & Berengarium, Goscelinum & Rodulfum, Gilebertum & Bernardum, Ricardum & Vuillelmum, aliósque plures bonæ indolis pueros diligenter instruxit in domo Domini ad benè legendum, ad canendum, & ad scribendum; & ad alia bona studia, quæ seruis Dei veram theoriam quærentibus competunt, vigilanter exercendum. Porrò, agrestes incolæ, vbi tantæ sanctitatis studium in rure sterili, olímque diu deserto viderunt, admirari cœperunt. Et indè quidam salutem, nonnulli verò detrimentum sibi sumpserunt. Nam quidam eorum conuersationem videntes eos imitati sunt, & alij inuidentes diuersis molestiis insecuti sunt: vtríque verò debitam mercedem æquissimo iudice Deo reddente adepti sunt. Nobiles & mediocres inspirante Deo illuc confluebant; & orationibus seruorum Dei sese cum deuotione commendabant; exhibitisque charitatis muneribus Deum, qui famulos suos in infructuoso cespite pascebat, benedicebant.

MERITIS itaque sancti Patris Ebrulfi Vticensi Ecclesia surgente, & per studium laboremque Geroianorum ad honorem Dei vndíque crescente: Rogerius de Monte-Gomeri Oximensis Vicecomes contribulibus suis cœpit inuidere, quòd eo plus feruerent in Dei amore: & omnino diffiniuit intra se quod pro salute animæ suæ faceret opus consimile. Vnde asciuit Gislebertum Castellionis Abbatem cum Monachis suis, qui Monachilem apud Nuceretum Ordinem tenere inchoauerant: sed mutato consilio Hugonis & Rotberti (sicut suprà retulimus) eorum velle sequi noluerant, immò pro immutatione constructionis eos leuitatis arguentes reliquerunt. Quos præfatus Rogerius accersiuit, eisque ad ædificandum Abbatiam Troarnum tradidit: & indè XII. Canonicos, quos Rogerius pater suus ibidem constituerat, eiecit. Expulsis autem Clericis (quia gulæ, & libidini, aliísque carnis voluptatibus deseruierant, & secularibus emolumentis) collocauit ibidem Monachos regularibus imbutos disciplinis. Porro Monachi iussu Patris Gisleberti strictam religionis viam in Ecclesia sancti Martini arripuerunt, & sequacibus suis seruandam vsque ad mortem commiserunt: quam successores eorum sub eruditis pa-

A tribus Gerberto, Durando, & Arnulfo, vsque hodie laudabiliter tenere fategerunt.

De Geroio Ernaldi Grossi de Corte Sedaldi Abonij Britonis filij filio, cuius progenies Vticensibus multa beneficia contulit, libet hîc posteris breuiter intimare quis qualisve fuerit. Hic ex magna nobilitate Francorum & Britonum processit: miráque probitate & audacia temporibus Hugonis Magni & Roberti Regum Francorum nobiliter viguit. Hildiardi verò sorori eius tres filij, & vndecim filiæ fuerunt, quæ honorabilibus viris nuptæ multos filios pepererunt, qui succedenti tempore in Gallia & Anglia atque Apulia hostibus in armis magno terrori fuerunt. Geroius inter reliqua fortia opera, quæ fecit, cum Vvillelmo Belesmensi contra Herbertum Cenomanensium Comitem pugnauit. Victo autem Vvillelmo, & fugiente cum suis Geroius stetit; bellúmque, donec Herbertum cum omnibus suis in fugam cogeret, viriliter sustinuit; victoriámque nactus vsque hodie ab his, qui norunt, laudari prome-B ruit. Huic quidam Normannorum potens miles nomine Helgo vnicam filiam suam in matrimonium obtulit: & Monasteriolum ac Escalfoium, totámque terram suam his duobus oppidis jacentem donauit. Ille verò Helgone paulò pôst defuncto, totum honorem eius possedit: & virgo, quæ firmata ei fuerat, immatura morte præuenta ante nuptias obiit. Deinde Vvillelmus Belesmensis Geroium Rotomagum ad Ricardum Ducem Normanniæ adduxit: quem liberalis Dux agnita virtute eius honorauit, eíque totam terram Helgonis hæreditario iure concessit. Geroius autē indè rediens Gislam Turstini de Basteburgo filiam in coniugio accepit, ex qua septem filios & quatuor filias genuit, quorum nomina sunt hæc. Ernaldus, Vvillelmus, Fulcoius, Radulfus Mala-corona, Rotbertus, Hugo, & Geroius: Hereburgis, Haduisa, Emma, Adelais.

Sæpenominatus Heros, quanquam prole & diuitiis, amplísque possessionibus in hoc mundo abundanter floruerit: Deum tamen, qui omnia præstat, fideliter amauit, & Ecclesiam eius, cultúmque & ministros coluit. Sex in nomine Domini Basilicas de propriis facultatibus ædificauit. Nam apud Vernucias C construxit duas Ecclesias, vnam sanctæ Dei Genitrici Mariæ, aliámque sancto Paulo Doctori Gentium in villa quæ Glos dicitur. In pago Lexouiensi tertiam condidit sancto Petro Apostolorum Principi. Apud Escalfoium quartam Andreæ Apostolo. Apud Monasteriolum quintam fabricauit S. Georgio Martyri. Apud Altam-ripam sextam instaurauit sancto Martino Confessori. Talibus patronis subuenientibus, & in hoc seculo prædictus vir diu honorificè vixit, & defunctus eorum meritis veniam peccaminum, & beatam requiem in societate fidelium vt credimus obtinuit.

Defuncto autem Geroio, filij eius in puerili ætate constituti erant: solíque duo Ernaldus & Vvillelmus milites erant. Gislebertus ergo Comes Brionniæ in sua confidens virtute, terminósque suos cupiens dilatare, super pupillos cum valida manu audacter irruit, eísque Monasteriolum auferre bellica vi voluit. Illi autem aggregata cognatorum & satellitum caterua, in aperto campo fortiter eidem restiterunt, eumque multa strage peracta victum in fugam coegerunt: seséque vlciscentes burgum, qui Sappus dicitur, non multo post ei violenter abstule-D runt. Sed Rodbertus Dux eos reconciliauit, orphanísque compatiens, & probitati eorum congratulans, vt firma pax fieret, Sappum eis à Gisleberto Comite consilio suo impetrauit. Porro idem Comes, quia post aliquot annos prædictis VII. Geroij filiis molestus fuit, eísque Sappum, quem illis consilio Rodberti Ducis concesserat, reauferre voluit: quamuis multa hominum stipatus multitudine fuerit, eorum audacia & viribus mortem suscepit.

Omnes enim isti fratres fuerunt strenui & dapsiles, in militia callidi & agiles, hostibus terribiles, sociísque blandi & affabiles. Diuersis euentibus creuerunt, & nihilominus (vt se habet humana conditio) deciderunt. Longum est & mihi & impossibile varios singulorum actus disserere: sed de fine tantum vniuscuiusque libet parumper posteris hîc intimare.

GVILLELMVS II. ERNALDVS, qui primogenitus erat, vir fortis & probus, quadam die dum apud Monasteriolum jocaretur, & cum quodam iuuene luctaretur, fortè super acutum scannum lapsus est; confractisque tribus costis post tres dies defunctus est. A

VVILLELMVS in ordine natiuitatis secundus diu vixit, omnique vita sua cunctis fratribus suis imperauit. Erat enim multum facundus & iocosus, largus & animosus, subiectis amandus, & obstantibus formidandus. Nullus vicinorum audebat terram eius vllomodo inuadere, nec aliquam inquietudinis consuetudinem ab hominibus eius exigere. Episcopales consuetudines Monasterioli & Escalfoij fundo habebat: nec vllus Archidiaconorum ibidem Presbyteros eiusdem honoris circumuenire audebat. Nam Geroius pater eius, postquam Helgonis fiscum (vt supradictum est) obtinuit: incolas illius patriæ, de quo Episcopatu essent inquisiuit. Illi autem dixerunt se nullius Episcopatus esse. At ille: » Hoc omnino iniu- » stum est. Absit à me, vt sim sine Pastore & iugo Ecclesiasticæ disciplinæ. Deinde quis vicinorum Præsulum religiosior esset inuestigauit. Agnitisque virtutibus Rogerij Lexouiensis Episcopi, ei totum honorem suum subiugauit: & Baldricum de Balgenzaio, generósque suos Vuascelinum de Ponte Erchenfredi, & Rogerium de Merula terras suas, quæ simili libertate abutebantur, præfato Pontifici similiter submittere persuasit. B Rogerius itaque Præsul videns quòd præfati Optimates sibi sponte sua humiliarentur, congratulatus est eis: deditque priuilegium vt Clerici terræ suæ non irent ad placitandum extra potestatem eorum, nec opprimerentur iniustis circumuentionibus Archidiaconorum. Hoc autem priuilegium Geroianus Vuillelmus fortiter tenuit, & à domno Hugone Episcopo Vticensibus Monachis obtinuit.

IPSE Hiltrudem filiam Fulberti de Beina (qui tempore Ricardi Ducis castrum Aquilæ construxerat) vxorem duxit: ex qua Ernaldum de Escalfoio genuit Deinde Emmam Vvalchelini de Taneto filiam in coniugium accepit: quæ Vvillelmum (qui post in Apulia bonus Normannus cognominatus est) peperit.

SÆPEMEMORATVS vir à Ducibus Normannorum Ricardo & Rodberto diligebatur, pro fide quam Dominis suis Roberto Belesmēsi, & Talauacio, & Goisfredo, aliisq; vel heris, vel amicis seruabat, plurima detrimenta & pericula patiebatur. C Nam ipse sponte destruxit castrū Montis acuti, quod erat suum, pro redēptione Domini sui Goisfredi de Meduana quem Vvillelmus Talauacius ceperat, nec exire de carcere permittebat, nisi prædictum deiiceretur castrum, quod valde metuebat. Postquam autem Goisfredus de vinculis Talauacij euasit, Geroiano Baroni pro magna fide quam in eo repererat, castrum sancti Serenici super Sartam ei erexit. Multa possem de Vvillelmo referre, sed quia pluribus occupor curis, cogor ad alia transire. De fine verò eius latiùs in sequentibus edisseram. Nunc de fratribus eius (vt suprà promisi) compendiosè detegam.

FVLCOIVS, qui tertius erat, medietatem Monasterioli habuit: duósque filios, Geroium & Fulcoium, ex concubina procreauit. Ipse post mortem Rodberti Ducis cum compatre suo Gisleberto Comite, quem conducebat, occisus est. Robertus castrum S. Serenici cum circumiacente Prouincia diu tenuit: eique Vvuillelmus Dux Adelaidem consobrinam suam in coniugium dedit, ex qua filium nomine Rodbertum (qui nunc Henrico Regi Anglorum militat) procreauit. Verùm D post multas mirandásque probitates, quas gessit, magnis simultatibus ortis inter Normannos & Andegauenses, castrum sancti Serenici contra Vvillelmum Ducem tenuit: ibique anno Ducatus eiusdem Ducis XXV. obsessus est: pomóque venenato, quod coniugi suæ vi rapuerat, comesto, post quinque dies mortuus est.

RADVLFVS autem quintus frater Clericus cognominatus est, quia peritia literarum, aliarúmque artium apprimè imbutus est. Hic & Mala-Corona vocabatur, eo quòd in iuuentute suá militaribus exercitiis & leuitatibus detinebatur. Artis Medicinæ peritissimus fuit, multarúmque rerum profunda secreta, vnde senes liberis & nepotibus suis adhuc pro admiratione loquuntur, agnouit. Denique relictis mundi lenociniis ad Maius-monasterium confugit, ibique sub Alberto Abbate Monachus factus Deum suppliciter rogauit, vt insanabilis lepræ morbo in corpore fœdaretur, quatinus à peccatorum sordibus in anima emundaretur. Quod piè deprecatus est obtinuit, & post conuersionis annos ferè sex feliciter decessit.

A HVGO sextus frater, iuuentute florens, fortuna inuidente raptus est. Nam dum quadam die de castro S. Scolasticæ cum fratribus suis multísque satellitibus rediret, secus Ecclesiam S. Germani in territorio Escalfoij cum consodalibus suis sese lanceando exercuisset; eum armiger eius dum incautè missile iaceret, grauiter percussit. Qui mox, vt erat mansuetus, eundem armigerum ad se vocauit, eique clam dixit: " Velociter fuge, quia grauiter vulnerasti me. Misereatur tui Deus. Fuge antequàm fratres mei hoc animaduertant, & te pro hoc euentu interficiant." Nobilis itaque iuuenis eo die occubuit. GVILLELMVS II.

GEROIVS iunior omnibus dum adhuc primo flore iuuentutis vernaret, prædam in terra Lexouiensis Ecclesiæ rapuit: & inde Monasteriolum regressus, & in amentiam versus interiit. Sic licet diuersis modis vna mors omnes Geroij filios rapuit: nec vllum ex eis ad senium vsque peruenire permisit.

PRIMOGENITA quoque filiarum Heremburgis data est Vvascelino de Ponte Erchenfredi; ex qua Vvillelmus & Radulfus orti sunt, qui postmodum in B Apulia & Sicilia Rotbertum Vviscardum Calabriæ Ducem multum iuuerunt.

DEINDE Hadu isa sociata est Rodberto de Grentemaisnilio, quæ peperit ei Hugonem & Robertum & Ernaldum, & totidem filias. Quo defuncto, coniuncta est Vvillelmo Roberti Archiepiscopi filio, & peperit ei Iudith, quæ postmodum Rogerij Comitis Siciliæ coniunx fuit.

TERTIA Geroij filia fuit Emma, quæ data est Rogerio de Merula: ex qua Radulfus, & Vvillelmus Rodulfi & Rogerij vicinorum nostrorum pater, orti sunt.

QVARTA Adelais sociata est Salomoni de Sabloilo, eique peperit Rainaldum, cuius proles nomine Lisiardus nunc Henrico, Regi Anglorum grande præstat in Andegauenses auxilium. Hæc de Geroiana progenie dixisse sufficiat. Nunc ad materiam, vnde aliquantisper digressi sumus, redeamus.

IN primo anno, quo Vticensis Abbatia fundata est, Vvillelmus & Rodbertus filij Geroij, & Hugo & Rodbertus nepotes eorum, cum filiis & nepotibus & Baronibus suis apud Vticum congregati sunt: & de vtilitate rudis Cœnobij quod inchoauerant, tractantes, communiter statuerunt, vt quisque sese cum omni parte substantiæ suæ sancto Ebrulfo in fine suo concederet: nec aliquis eorum decimam C vel Ecclesiam, vel aliud quidlibet ad Ecclesiam pertinens alicubi daret, nec etiam venderet, nisi priùs Vticensibus ad emendum offerret. Hoc libenter confirmauerunt Fulcoinus Presbyter, & Osmundus Basseth, Lupetius & Fulco filij Fredelendis, Odo Rufus, & Richardus filius Galberti, Rodbertus de Torp, & Geroius de Logis, & alij Barones eorum. Tunc & præfati Monasterij constructores possessionum suarum quantitatem computauerunt, & bonam portionem pro possibilitate sua Ecclesiæ, quæ inchoabatur, dederunt.

POSSESSIONES itaque, quas Rodbertus, & Hugo, & Ernaldus filij Rodberti de Grentemaisnilio pro salute sua Vticensi Ecclesiæ tradiderunt, hæ sunt. In Nucereto Ecclesia cum omni decima & terra Presbyteri cum arabili terra trium carrucarum, & villa quæ dicitur Solengiacus in Oillei, cum omni beneficio quod tenuit Tezscelinus Clericus, etiam decima molendinorum ipsius villæ. Anglisca quoque villa cum Monasterio. Ecclesia autem villæ, quæ Villaris dicitur, cum vno hospite. In villa verò, quæ nuncupatur Oth, Monasterium & terra Presbyteri cum vno hospite, & decima molendinorum eiusdem villæ: & in Monasterio de D Vuaiprato dederunt etiam talem partem, qualem tenuit Rodbertus pater eorum. Præterea decimam de Buinna: & in Belmeis tertiam partem molendini cum decima eiusdem, beneficiúmque Fulcuini Presbyteri, Ecclesiam scilicet & decimam de Grentemaisnil, ac decimam molendini Olíueti. Vnum hospitem in Collavilla cum decima totius villæ. Decimam quoque ceræ, necnon & denariorum S. Petri inter montes. Insuper Ecclesiam in vico, qui vocitatur Fogei: & decimæ partem Coluncellæ, quam tenuit Rodbertus pater eorum. Terram verò de Cueleio dedit Hugo, petentibus sponte dominis eiusdem villæ, quorum alodium erat, eidem Cœnobio: immò & decimam omnium carrucarum eius & pecorum: & decimam de monte Caluet, tam de theloneo quàm de annona. Ecclesiam autem de Louigneio cum terra Presbyteri. Præterea terram, quæ appellatur Noer Mainardi. In loco qui dicitur Maisnil Bernard, terram vnius aratri, & terram villæ Tanaceti,

GVILLELMVS II. Præter hæc Monasterium de Mācellis cum terra Presbyteri,& de Sappo decimam A
thelonei. Villam quoque quæ vocatur Maisnil Dode, & Ecclesiam de Limboth cum terra Presbyteri,& portionem quam tenuit Haduisa mater eorum in Veteri Maisnil. Ad nouum mercatum dedit Hugo quartam partem Monasterij S. Petri; & decimam medietatis thelonei totius villæ,& molendinorum similiter. In Seiri Fontana Monasterium & tertiam partem decimæ cum omnibus primitiis,& quinque cortilagia.

VVILLELMVS autem Geroij filius, consentientibus & condonantibus filiis suis Ernaldo & Vvillelmo,& fratribus Rodberto & Rodulfo Mala-Corona, Monasterium de Escalfo;decimámque eiusdem villæ thelonei prædicto Cœnobio cum terra Presbyteri Adelelmíque, & decimationem totius syluæ ad eandem villā pertinentis,tam de suibus quàm de nummis; ipsámque syluam ad omnia necessaria. Insuper & Monasteria omnia, quæ tunc in dominio suo habebat: quorum vnum in honore S. Georgij constructum est in villa, quæ Monasteriolus dicitur. Duo Vernuciis: vnum in honore S. Mariæ,alterum in honore S. Pauli. In Sappo duo:vnum in honore S.Petri,alterum in honore S. Martini. Hæc omnia largitus est B
cum decimis & terris ad ipsa pertinentibus. Ad hæc decimas theloneorum, omnésque consuetudines tam syluarum quàm aliarum rerum, quæ tunc debebantur illi in Escalfo,& in Monasteriolo, atque in Sappo.

IGITVR postquam Dei donante gratia est ordinatus prædicti Cœnobij Abbas Theodericus;emit ipse ab Ernaldo præfati Vvillelmi filio, consentiente Rodberto auunculo suo, & iubente Vvillelmo Comite terram de Balgenzaio, sicut eam tenuerat Baldricus eiusdem Comitis Archearius, & partem terræ Escalfo,quæ est sita inter Aquam nigram & Carenton, & exartum Henrici,& decimam molendini de Escalfo.

DEDIT præterea terram Altæripæ ipse Ernaldus eidem Cœnobio,& quæcumque ad eam pertinebant,cum omnibus Monasteriis suis & terris Presbyterorum;& terram de Dorthmusij. Denique Vvillelmus frater eius, filius supradicti Vvillelmi, annuente Geroio fratre eius, & cognatis, videlicet Geroio atque Fulcoio, tribuit memorato loco omnia Monasteria quæ in potestate sua habebat, accepta C
haud modica pecunia ab Abbate præfati Cœnobij. Ex quibus vnum erat situm in Maisnil Bernardi in honore S. Sulpitij,alterum in honore S. Leodegarij in Roilvilla: aliud verò in Mœnai in honore S. Mariæ: & medietatem eiusdem Mœnai, quam tenebat Rodbertus,ipso etiam annuente. Vnum etiam de Ternant,& in Exarz vnum in honore S. Petri. In Algerum vnum cum tota villa,& in bosco Heberti vnum. Hæc omnia libenter pro redemptione animarum suarum cum omnibus decimis & terris Presbyterorum, tam ipse Vvillelmus quàm domini eorumdem Monasteriorum, scilicet Rogerius Gulafret de Maisnil Bernardi, Herfredus de Roil villa,Robertus de Mœnaio,Heuredus de Teruanto,Vvillelmus Presbyter de Exarz,Vvillelmus Præpositus de Algeron,Rogerius Faitel de Bosco Heberti,prædicto Cœnobio tradiderunt.

ITEM Vvillelmus donauit eidem Cœnobio in Vernuciis terram vnius carrucæ ob redemptionem animæ Emmæ matris suæ. Dedit præterea molendinorum medietatem de Vernuciis,annuente fratre eius Ernaldo: & quæ inibi habebat in suo dominio: terram Vvarini,& lucum Landigulæ; & in Vernuciis terram Buruandi; & duos piscatores de Teruanto: & in Monasteriolo tres furnos & vnum D
burgensem. Deinde Vvillelmus filius Vvaselini de Ponte Erchenfredi dedit præfato Cœnobio Ecclesiam B. Mariæ: & quæcumque Osbernus Presbyter tenebat cum redecima thelonei: & decimam molendinorum & carrucarum, quas ibi & vbicumque habebat, & habiturus erat. In Roil-villa eam partem, quam habebat ipse.

POSTEA Rodbertus Helgonis filius, consentientibus & condonantibus eius dominis, Vvillelmo scilicet atque Rodberto, cum filiis ac nepotibus eorum, Ecclesiam S. Martini super fluuium Vvaioli Monachis præfati Cœnobij vendidit: & in eodem loco terram Presbyteri cum alia terra octo carrucarum, quam emerunt non modico precio. Dedit etiam medietatem Monasterij de Sappo Andreæ cum terra Presbyteri,& medietatem terræ suæ totius villæ. Rodbertus verò

A filius Theodelini dedit aliam eiusdem Monasterij medietatem cum medietate totius villæ. GVILLELMVS II.

DENIQVE Ecclesiam S. Mariæ de Bosco à supradicto Cœnobio prisco tempore constructam, cum silua ibi præsente comparauit Theodericus Abbas à Vuillelmo & Rodberto filiis Rodulfi cognomento Fraisnel, decem & octo libris: sicut tenuerat eam quidam Monachus nomine Placidus. Præterea vendidit Hubertus Deuncius prædicto Abbati Ecclesiam eiusdem villæ, & arpenta terræ. Hæc omnia supradicta concessit Dominus eorum Vuillelmus filius Osberni Senescalci.

POSTHÆC Rodbertus filius Geroij annuens & confirmans quæcumque fratres & nepotes ipsi, & eorum homines prædicto loco donauerant, dedit etiam de prædiis suis ipsi loco sanctum Serenicum, S. Petrum de Potestate-nidi*, & omnes decimas ad ipsa loca pertinentes: & dimidium virgulti S. Serenici, piscationésque in Sarta ad placitum Monachorum ibi habitantium, sanctámque Mariam de monte Vuantolen, decimámque Siralais totam, & de cunctis honoribus quos ipse adepturus erat. Deinde Radulfus filius Godefredi eius miles dedit eidem loco Ecclesiam de Radon, illo concedente. Inter hæc audiens quidam miles bonus de Drocis Vuado nomine condonauit Ecclesiam S. Michaelis sitam super Arua in pago Ebroicensi, consentientibus dominis suis, & filiis, & parentibus, & amicis.

B

* indi.

HÆ sunt donationes, quas Vuillelmus & Rodbertus, aliíque cognati eorum Vticensi Cœnobio dederunt: & Cartam indè facientes Vuillermo Duci Normannorum confirmandam præsentauerunt. Ille verò petitiones eorum libenter accepit, & donationes eorum prædicto Cœnobio benigniter concessit. Tituli quoque principalis priuilegio Vticensem Ecclesiam insigniuit: vt libera, & ab omni extranea subiectione in perpetuum maneat immunis. De electione autem Abbatis loci eiusdem, totum concessit consilio fratrum: salua tamen regularis disciplinæ ratione, id est vt non amicitiæ, aut consanguinitatis, aut certæ pecuniæ amor vota eligentium corrumpat. Denique præfatus Princeps in fine Testamenti hoc inseruit, & his illud verbis corroborauit. *Hanc donationis Cartulam ego Vuillelmus Normannorum Comes scribi feci: & manibus Archiepiscopi Rotomagensium, & Episcoporum, Abbatúmque ac Principum, quorum nomina & signa subterscripta habentur, sub excomunicatione confirmandam tradidi: quatinus inconuulsa & astipulata hinc & in reliquum permaneat: vt si quis eam infringere præsumpserit, aut aliquid per se vel per alium quocumque ingenio damnum inferre voluerit, ex auctoritate Dei & omnium Sanctorum omni Christianitate (si non emendauerit) excommunicatum, & in æternum maledictum se nouerit.* His dictis Vuillelmus Dux signo Crucis Cartam signauit. Deinde subscripserunt, Malgerius Archiepiscopus Rotomagensium filius Ricardi Gunnoridæ Ducis Normannorum: Hugo Episcopus Lexouiensis filius Vuillermi Comitis Aucensis: Odo Episcopus Baiocensis vterinus frater Vuillelmi Ducis: Vuillelmus Episcopus Ebroicensis filius Gerardi Flertelli: Gislebertus Abbas Castellionis: Vuillelmus & Rodbertus & Rodulfus filij Geroij: nepotes eorum Hugo de Grentemaisnilio, Rodbertus, & Ernaldus: & Vuillelmus filius Vuascelini, Rodulfus de Toenio, Rodulfus Taison, Rogerius de Monte-Gomeri, Vuillelmus Osberni filius, Ricardus de Belfou, Ricardus de sancta Scolastica, & alij quamplures Normanniæ Procerum: qui in Saltu Leonis ad Curiam Ducis super flumen Loiry ante Ecclesiam S. Dionysij aggregati sunt; & Vticensis Ecclesiæ Testamentum anno Dominicæ Incarnationis ML. Indict. IV. confirmauerunt. 1050.

C

D

EODEM anno Rodbertus de Grentemaisnilio secularem habitum mutauit, & sub regimine Theoderici Abbatis apud Vticum monachile scema subiit. Hic nimirum (vt supra tetigimus) Rodberti de Grentemaisnilio strenuissimi Baronis filius fuit ex Haduisa Geroij filia procreatus. In infantia litteras affatim didicit, quarum inter sodales tenaci memoria insigniter viguit. Sed postquam annos adolescentiæ attigit, spretis litterarum otiis ad armorum laborem cucurrit, & Vuillelmi Ducis armiger v. annis extitit. Deinde ab eodem Duce decenter est armis adornatus: & miles effectus pluribus exeniis nobiliter honoratus. Consideratis autem mortalium casibus elegit magis in domo Domini abiectus manere, quàm in tabernaculis peccatorum ad tempus vt fœnum florere. Nam sæpè recolebat secularis militiæ pericula, quæ pater suus, aliíque innumerabiles experti sint, qui dum hostes fortiter

GVILLELMVS II. inuaserunt, incidentes in laqueum quem aliis parabant occubuerunt. Rodbertus A enim pater eius cum Rogerio de Toënio contra Rogerium de Bellomonte dimicauit, in quo conflictu Rogerius cum filiis suis Elberto & Elinancio peremptus est: & Rodbertus in intestinis lethale vulnus suscepit. Inde reuectus tribus septimanis superuixit, terrámque suam filiis suis Hugoni & Rodberto diuisit. Deinde XIV. Kal. Iulij defunctus est, & secus Ecclesiam S. Mariæ apud Nuceretum sepultus est. Inde Rodbertus filius eius permotus est: & meliori militia exerceri nisus est. Cœnobium itaque in præfata villa (sicut satis suprà dictum est) pro salute sua suorúmque statuit construere: eíque totam partem patrimonij sui, Hugone fratre suo consentiente, liberaliter submittere.

SED mutato consilio per Vvillelmũ Geroij auunculum suum, facto generali Testamento, cum Hugone fratre suo, de rebus quas suprà memorauimus, venit Vticum: ibíque secundum Regulam S. Benedicti deuotè professus est Monachatum. Multos labores pro subuentione pauperis Ecclesiæ sustinuit, opésque parentum suorum, qui diuitiis abundabant, multotiens rapuit: & pro salute eorum ad subsidia fidelium charitatiuè distribuit. Haduisæ námque matri suæ datis LX. libris B Rodomensium, subripuit mariagium suum, hoc est Noer Mainardi, Vetus Maisnil, Tanesiam, & Maisnil-Dode, & Vticensi tradidit Ecclesiæ. Tunc etiam magnum Psalterium variis picturis decoratum dono matris suæ Vticensibus contulit: quod vsque hodie Monachorum concio Psalmodiis intenta frequenter ad laudem Dei reuoluit. Hoc volumen Emma coniunx Edelredi Regis Anglorum Rotberto Rotomagensium Archiepiscopo fratri suo præsentauerat: & Vvillelmus eiusdem Præsulis filius de camera patris sui familiariter sustulerat, dilectæque suæ coniugi Haduisæ omnimodis placere volens detulerat. Aliáque multa bona præfatus vir Ecclesiæ suæ acquisiuit, & tam in ornamentis Ecclesiasticis, quàm in necessariis subsidiis procurandis fratribus acceptabilis fuit.

VENERABILIS autem Theodericus Abbas Monasticæ religioni feruenter insistebat: & sibi commissæ Congregationi verbis & operibus prodesse studebat. Hic fuit natione Normannus, de Prouincia Calogiensi oriundus, statura mediocris, eloquio suauis, facie rubicundus, sacris litteris eruditus, & ab infantia vsque C ad canos diuino cultui mancipatus. Sed sicut zizania in messe triticea importunè oriuntur, quæ tempore messionis à diligenti messore funditus eradicabuntur, igníque non parcenti tradentur: sic filij nequam succrescentes agmini piorum inseruntur, sed à iusto iudice præfinito tempore detegentur, meritísque suppliciis districtè subdentur. Sub præfato Abbate Monachus quidam nomine Romanus in Vticensi grege conuersabatur, qui instinctu dæmonis staminia, femoralia, & cetera huiusmodi furabatur. Qui dum à Patre Theoderico cur talia facinora perpetraret, sæpiùs corriperetur; omnino furtum se fecisse denegabat, quod multoties paulòpost confitebatur. Quadam autem nocte dum in lecto suo iaceret, arreptus est à dæmonio, vehementérque vexatus. Hunc cùm Monachi horribiliter clamantem audirent, ad illum accesserunt, illúmque propulsantes, & aquam benedictam super illum spargentes, vix aliquando à vexatione dæmonica eruere quiuerunt. Qui ad se reuersus intelligit propter furta quæ egerat diabolum talem potestatem super se accepisse, promisitque quod ab hac nequitia de cetero custodiret se. Sed D postea more canis ad suum vomitum reuersus est: vnde capitium illi Abbas Theodericus abscidi fecit, eúmque de Cœnobio expelli. Eiectus autem de Collegio fratrum, iter (vt dicunt) in Hierusalem arripuit: sed omnino nescimus qualem postea finem sortitus fuerit.

QVIDAM Presbyter Anseredus nomine in territorio villæ, quæ Sappus dicitur, commanebat, qui vitam leuem pluribus modis ducebat. Hic dum ab ægritudinis incommodo fatigaretur; à Monachis supradicti Cœnobij habitum S. Benedicti sibi dari poposcit. Quod cùm adeptus fuisset, ad Cœnobium est delatus, atque in infirmaria positus. Qui postquam ab eadem ægritudine conualuit, illam leuitatem, quam in seculari conuersatione agitauerat, in quantum poterat resumebat. Et sicut quidam sapiens de talibus dicit,

Cælum, non animam mutat, qui trans mare currit.

iste habitum tantummodò, non mores mutauit. Cuius vitam & conuersationem cùm

GVILLELMVS II.

A cùm Abbas Theodericus valdè reprehensibilem cerneret, illúmque sacrum ordinem odio habere audiret, (mandauerat enim patri suo & matri vt ipsum calumniarentur, & de Monasterio extraherent) timens ne illius miseria alij fratres vitiarentur, Apostolicum præceptum in illo adimplere voluit, ita dicentis: *Auferte malum ex vobis.* Et illud, *Infidelis si discedit, discedat.* Permisitque illum de Cœnobio exire, & ad seculum redire. Qui peccatis suis peccata accumulans, cuidam mulierculæ seipsum copulauit. Sed cùm illa ei non sufficeret, alteram vocabulo Pomula in amorem sui asciuit: pactúmque vt secum ad sanctum Egidium illam deduceret cum ea fecit. Volebat enim parentibus & amicis suis incognitum esse quòd eam diligeret. Cúmque illi mulieri locum designasset vbi simul iungerentur, pariterque proficiscerentur, cum quibusdam peregrinis ad S. Egidium euntibus iter arripuit. At illa ipso ignorante ab hac pactione resiluit, & alteri Clerico se sociauit. At verò Anseredus, cùm ad locum quem mulieri designarat, peruenisset, eámque non reperisset, dixit his cum quibus gra-
B diebatur: Oportet me ad domum meam reuerti, quia rem mihi necessariam obliuioni tradidi. Vos verò in eundo moras innectere nolite, quia celeriter prosequar vos. Qui cùm domum, in qua illa mulier manebat, nocte ingressus esset, inuenit illos discumbentes. At illa statim dilectori suo aduentum eius intimauit. Qui securi manu arrepta in capite illum percussit, & exanimem reddidit. Deinde in saccum intromisit, & longiùs pertraxit: atque humo cooperiens occuluit. Qui cùm post multos dies inuentus fuisset (denudauerant enim eum bestiæ, & coxam illius & tibiam comederant) tantus fœtor de eo ebulliebat, vt nullus ad eum accedere posset. Nam per fœtorem, qui longiùs sentiebatur, inuentus est. Et accipientes eum pater eius & mater, qui plus ceteris amabant, extra polyandrum Ecclesiæ sepelierunt. Ecce quali morte iste multatus est, qui ad seculi vanitatem redire maluit, quàm inter seruos Dei vitam ducere, per quam posset ad cœleste regnum conscendere.

ALIVS Presbyter Adelardus nomine, cùm per infirmitatem habitum Monachicum sumpsisset, Ecclesiam de Sappo cum decima, quam in feudo tenebat, Deo
C & S. Ebrulfo ac Monachis ipsius in perpetuum possidendam tradidit. Qui postea cùm ad sanitatem rediisset, pœnitere de eo quod egerat cœpit, atque ad seculum redire statuit. Quod cùm Abbas Theodericus audisset, Regulam S. Benedicti recitari eidem fecit, dixítque illi: Ecce lex, sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede. Nolebat enim aliquem huiusmodi hominem vi retinere. At ille in sua pertinacia malè induratus, de Cœnobio exiuit, & habitum secularem, quem reliquerat, reassumpsit. Cúmque Ecclesiam de Sapo, quam Monachis dederat, iterum accipere voluisset: Hugo de Grentemaisnilio, qui tunc honorem de Sapo obtinebat, ei non permisit. Qui Friardellum ad suos parentes (erat enim de bonis parentibus) abiit, & postea ferè XV. annis ibidem vixit. Numquam tamen postmodum integrè fuit sanus, sed assiduis fatigabatur infirmitatibus. Denique cùm mortem sibi imminere cerneret, & æterna propter apostasiæ reatum supplicia metueret: Abbati Mainerio, qui post venerabilem Theodericum quartus idem rexit Cœnobium, supplicauit; vt habitum S. Benedicti, quem peccatis suis
D facientibus reliquerat, sibi redderet. Quem cùm adeptus fuisset, tribus hebdomadibus superuixit, & ibidem vitam finiuit. Infirmitas enim illius tam grauis erat, quæ officio mulieri carere nõ poterat: ideóque viuus deferri nequiuit ad Monasterium vnde discesserat.

IN diebus Vuillelmi Ducis Normanniæ Iuo filius Vuillelmi Belesmensis Sagiensem Episcopatum regebat, & hæreditario iure ex paterna successione fratribus suis Vuarino & Rodberto atque Vuillelmo deficientibus, Belesmense oppidũ possidebat. Hic erat litteram peritus, & corpore decorus, sagax & facundus, facetus multúmque iocosus. Clericos & Monachos vt pater filios amabat, & inter præcipuos amicos Abbatem Theodericum venerabiliter colebat. Sæpè conueniebat ad priuata colloquia. Nam Sagiorum vrbs septem solummodo leugis distat ab Vti-

GVILLELMVS II. censi Abbatia. Præfati Præsulis neptem nomine Mabiliam Rogerius de Monte-Gomerici Oximensium Vicecomes in coniugium habebat; per quam magnam partem possessionis Vvillelmi Belesmensis obtinuerat. Qui prædicti Pontificis instinctu & consilio Ecclesiam S. Martini apud Sagium Theodercio Abbati S. Ebrulfi tradidit, eúmque vt ibidem Cœnobium monachile construeret cum coniuge sua, summoperè rogauit. At ille haud segniter assignare opus in nomine Domini inchoauit: ibique Rogerium Vticensem Monachum Sacerdotem, & Morinum & Engelbertum, aliósque ex discipulis suis constituit. Ipse quoque sæpiùs eundem locum visitabat: & aliquando tribus seu quatuor septimanis commanebat, & incœpti operis perfectioni pro amore Dei & vtilitate sequentium totis nisibus insistebat. Præfata verò Mabilia multum erat potens & secularis, callida & loquax, nimiúmque crudelis. Valdè tamen virum Dei Theodericum diligebat, eique (licet aliis Religiosis hominibus nimis dura esset) in quibusdam obediebat. Rodbertum quoque de Belesmia primogenitum filium suum (cuius crudelitas in diebus nostris super miseras plebes nimium efferbuit) ipsi & Rogerio, aliisque Monachis apud Sagium commorantibus, ad abluendum sacro baptismatis fonte obtulit.

VERA charitas illum, in quo regnat, bonis facit amabilem, & peruersis formidabilem. Ideò sæpe nominatus Abbas à bonis meritò diligebatur, & à prauis timebatur. Exteriores enim curas inquantum poterat deuitabat, seséque diuino cultui feruenti sedulitate mancipabat. Assiduus nempe in orationibus erat, & in opere manuum quod sibi competebat. Nam ipse scriptor erat egregius, & inclyta insitæ sibi artis monimenta reliquit Vticanis iuuenibus. Collectaneum enim & Gradale ac Antiphonarium propria manu in ipso Cœnobio conscripsit. A sociis etiam suis, qui secum de Gemmetico venerant, preciosos diuinæ legis codices dulcibus monitis exegit. Nam Rodulfus nepos eius Eptaticum conscripsit, & Missale, vbi Missa in Conuentu quotidie canitur. Hugo autem socius eius expositionem super Ezechielem, & Decalogum, primámque partem Moralium. Rogerius verò Presbyter Paralipomenon, librósque Solomonis, tertiámque partem Moralium.

PRÆFATVS itaque Pater per supradictos, & per alios, quos ad hoc opus flectere poterat, antiquarios, octo annis, quibus Vticensibus præfuit, omnes libros veteris & noui testamenti, omnésque libros facundissimi Papæ Gregorij Vticensium Bibliothecæ procurauit. Ex eius etiam schola excellentes librarij, id est Berengarius, (qui postmodum ad Episcopatum Venusiæ prouectus est) Goscelinus & Rodulfus, Bernardus, Turchetillus, & Richardus, aliíque plures processerunt: qui Tractatibus Hieronymi & Augustini, Ambrosij & Isidori, Eusebij & Orosij, aliorúmque Doctorum Bibliothecam sancti Ebrulfi repleuerunt: & exemplis suis ad simile studium secuturam iuuentutem salubriter exhortati sunt. Hos vir Domini Theodericus docebat, & sæpè commonebat, vt vagæ mentis ocia omnino deuitarent, quæ corpori & animæ valdè nociua esse solent. Hoc etiam eis referre solitus erat: Quidam frater in Monasterio quodam de multis transgressionibus Monasticæ institutionis reprehensibilis extitit: sed scriptor erat, & ad scribendum deditus, quoddam ingens volumen diuinę legis spontè conscripsit. Qui postquàm defunctus est, anima eius ante tribunal iusti Iudicis ad examen adducta est. Cúmque maligni spiritus eam acriter accusarent, & innumera eius peccata proferrent: sancti Angeli econtra librum, quem idem frater in domo Dei scripserat, ostentabant: & singillatim litteras enormis libri contra singula peccata computabant. Ad postremum vna sola littera numerum peccatorum excessit, contra quam dæmonum conatus nullum obiicere peccatū præualuit. Clementia itaque iudicis fratri pepercit, animámque ad proprium corpus reuerti præcepit, spatiúmque corrigendi vitam suam benigniter concessit. Hoc, charissimi fratres, frequenter cogitate, & ab inanibus noxiísque desideriis corda vestra emundate: manuúmque vestrarum opera Domino Deo iugiter sacrificate. Ocia velut lethale virus totis nisibus deuitate, quia sicut sanctus Pater noster Benedictus dicit, ociositas inimica est animæ. Illud e-

A tiam sæpè vobiscum reuoluite, quòd in vitis Patrum dicitur à quodam probato Doctore, quia vnus solummodò dæmon tentando vexat laborantem in bonis Monachum: mille verò dæmones impugnant ociosum, innumerisque tentationum iaculis vndique stimulatum cogũt fastidire Monasteriale claustrum, & appetere damnosa seculi spectacula, & noxiarum experientiam voluptatum. Et quia largis sustentare pauperes eleemosynis non potestis, quoniam terrenas opes non habetis, nec ingentia templa, sicuti Reges aliique Potentes seculi faciunt, erigere potestis: qui regularibus claustris septi, omníque potestate priuati estis: saltim secundum Salomonis hortatum, omni custodia corda vestra seruate, Deóque placere totis nisibus indesinenter contendite. Orate, legite, psallite, scribite; aliisque huiusmodi actionibus insistite, eisque contra dæmonum tentamenta vos sapienter armate.

TALIBVS monitis pater Theodericus discipulos suos instruebat, & arguendo, B obsecrando, increpando, ad bonum opus vigilanter incitabat, ad quod ipse priùs tam orando quàm scribendo, vel alia bona faciendo consurgebat. Pro huiusmodi studiis à quibusdam blasphemabatur Monachis, qui mundiales curas diuinis præponebant officiis. Proh dolor! vnde illum venerari debebant, indè magis illi detrahebant. Dicebant enim: Talis homo non debet Abbas esse, qui exteriores curas nescit, negligítque. Vnde viuent oratores, si defecerint aratores? Insipiens est qui plus appetit in claustro legere vel scribere, quàm vnde fratrum victus exhibeatur procurare. Hæc itaque & his similia quidam superbi dicebant, & seruo Dei plures iniurias faciebant. Sed Vuillelmus filius Geroij pro sanctitate eius eum semper obseruabat; & tumultus insurgentium (quos hîc nominare nolo) competenti seueritate compescebat: atque pro viro Dei contra omnes querelas intus & foris ratiocinia promptè reddebat. Post aliquot temporis præfatus heros pro vtilitatibus Vticensis Ecclesiæ in Apuliam ire decreuit: quo abeunte, nec postmodum redeunte, vir Dei Theodericus in Normannia valde desolatus remansit.

C SICVT bonis valdè displicet vita malorum: sic prauis moribus grauis esse solet vita bonorum. Vnde sicut boni diuino spiritu inflammati prauos ad rectitunem multis modis student incitare: sic peruersi dæmonica malignitate instigati rectos ad prauitatem frequẽter nituntur incuruare. Et quamuis eos non possint funditus prosternere; nonnunquam tamen solent eos in via Dei perturbare, diuersisque modis vexãdo plerúmque in operatione sancta tardiores efficere. Sic quidam infideles homines, dum Vticensis Ecclesia consurgeret, & in bonis operibus aucta coram Deo & hominibus effulgeret: cœperunt varias simultatum causas contra ipsam colligere, & turbatis rebus, quæ ad victum & vestitum & agapen seruorum Dei datæ erant, ipsam affligere. Sed benignus Iesus, qui est verus Ecclesiæ sponsus, quamuis sæuirent ad deprimendam Ecclesiæ nauem maris fluctus: ipse mirabiliter emicuit in ereptione suorum, comprimendo contrarios conatus.

QVID tunc temporis contigerit MABILIÆ Vuillelmi Talauacij filiæ, vera- D citer explicabo, licèt præpostero ordine. Ipsa, dum apud Vticum in initio Monasticus Ordo regulariter seruaretur, & omnibus aduenientibus charitatis officia (vt hactenus ibidem mos est) exhiberentur; propter odium, quod erga fundatores illius Cœnobij ferebat, plures molestias nequiter excogitatas eidem loco inferebat. Quippe contra Geroienses pater eius & ipsa, omnísque illius progenies diu perdurans odium habuerunt. Vnde quia Rogerius de Monte-Gomerici vir eius Monachos amabat & honorabat, nec ipsa eis aperta malitia nocere audebat; crebriùs cum multitudine militum quasi hospitandi gratia ad Monasterium diuertebat; sicque Monachos, qui paupertate in sterili rure affligebantur, grauabat. Quondam cùm ibidem cum centum militibus hospitaretur, & à domno Theoderico Abbate redargueretur; cur cum tanta ambitione ad pauperes Cœnobitas venisset: eámque admoneret, vt ab hac stultitia se coërceret; illa inflammata respondit: Maiorem numerum mili-

GVILLELMVS II.

tum adducam de extero quàm adduxi. Ad hæc Abbas ait. Crede mihi, nisi ab A hac stultitia resipueris, quod nolles pacieris. Quod & ita contigit. Nam in subsequenti nocte passio illam inuasit, & fortiter vexare cœpit. At illa mox inde sese iussit efferri. Quæ dum fugere de terra sancti Ebrulfi territa festinaret: & ante domum cuiusdam burgensis nomine Rogerij Suisnarum transiret; inde quandam infantulam lactentem assumi præcepit, orique eius maxillam suam, in qua maxima pars infirmitatis collecta erat, ad suggendum tradidit. Infans itaque suxit, & paulo post mortua est: mulier verò conualescens ad propria reuersa est. Postea ferè x v. annis vixit, sed Vticum, postquàm ibidem, sicut suprà diximus, flagello Dei castigata est, numquàm adire præsumpsit: & ne habitatoribus illius Cœnobij vllatenus noceret seu prodesset, toto nisu se custodiuit, quamdiu in ærumnosis huius vitæ felicitatibus postea vixit. Abbatem tamen Theodericum dilexit, eique magis quàm Vticensi Ecclesiæ cellam S. Martini, vt per anticipationem diximus, commendauit.

In sede Apostolica Benedicto Papa residente, Sarraceni de Africa in Apuliam B nauigio singulis annis veniebant, & per singulas Apuliæ vrbes vectigal quantum volebant à desidibus Langobardis & Græcis Calabriam incolentibus impunè accipiebant. His diebus Osmundus cognomento Drengotus Vuillelmum Repostellum, qui sese de stupro filiæ eius in audientia Optimatum Normanniæ arroganter iactauerat, inter manus Rodberti Ducis in silua, vbi venabatur, occidit: pro quo reatu à facie eius priùs in Britanniam, deinde in Angliam, postremò Beneuentum cum filiis & nepotibus aufugit. Hic primus Normannorum sedem in Apulia sibi delegit: & à Principe Beneuentanorum oppidum ad manendum sibi suisque hæredibus accepit. Deinde Drogo quidam Normannus miles cum centum militibus in Hierusalem peregrè perrexit: quem indè reuertentem cum sociis suis Vvaimalchus Dux apud Psalernum aliquantis diebus causa humanitatis ad refocillandum retinuit. Tunc viginti milia Sarracenorum Italico littori applicuerunt, & à ciuibus Psalernitanis tributum cum summis comminationibus exigere cœperunt. Duce autem cum satellitibus suis vectigal à ciuibus colligente, de classe egressi sunt: & in herbosa planicie, quæ inter vrbem & mare sita est, C ad prandium cum ingenti securitate & gaudio resederunt. Cúmque Normanni hoc comperissent, Ducémque pro leniendis barbaris pecuniam colligere vidissent: Apulos amicabiliter increpauerunt, quòd pecuniâ sese vt inermes viduæ redimerent, non vt viri fortes armorum virtute defenderent. Deinde arma sumpserunt, Afros securè vectigal expectantes repentè inuaserunt: multísque milibus fusis reliquos cum dedecore ad naues aufugere compulerunt. Normanni itaque aureis & argenteis vasis, aliisque spoliis multis & pretiosis onusti redierunt, multúmque à Duce, vt ibidem honorificè remanerent rogati sunt: sed quia reuisendi patriam cupidi erant, poscentibus non acquieuerunt. Attamen promiserunt ei quòd ipsi ad eum redirent, aut de electis iuuenibus Normanniæ aliquos ei citò mitterent. Postquàm verò natale solum attigerunt, multa quæ viderant & audierant, vel fecerant seu passi fuerant, compatriotis suis retulerunt. Deinde quidam eorum promissa complentes reciprocato calle Italiam repedarunt, exemplóque suo leuia multorum corda ad sequendum se excitarunt. D Nam Turstinus cognométo Citellus, & Ragnulfus, Richardus Anschetilli de Quadrellis filius, filiique Tancredi de Alta-villa, Drogo videlicet atque Vmfridus, Vvillelmus & Hermannus: Rodbertus cognomento Vuiscardus, & Rogerius, & sex fratres eorum: Vvillelmus de Monasteriolo & Ernaldus de Grentemaisnilio, aliique multi Normanniam reliquerunt, & Apuliam non simul, sed diuersis temporibus adierunt. Illuc autem peruenientes, primò quidem Vvaimalchi Ducis, aliorúmque Potentum stipendiarij contra paganos facti sunt: posteáque exortis quibusdam simultatum causis, eos quibus antea seruierant impugnauerunt, & Psalernum atque Barum, Capuámque cum tota Campania & Calabria virilibus armis sibi subegerunt. In Sicilia quoque Panormum, vrbémque Cathanensem, castrúmque Ioannis cum aliis vrbibus & præclaris oppidis, quæ vsque hodie heredes eorum possident, obtinuerunt.

Inter Normannos, qui Tiberim transierant, Vvillermus de Monasteriolo

A Vvillermi Gerolani filius maximè floruit: & Romani exercitus Princeps militiæ factus, vexillum sancti Petri gestans vberem Campaniam subiugauit. Hic Vticensibus, (quorum frater & amicus erat; & quibus plura antequam de Normannia migrasset; vt suprà diximus, dederat) mandauit: vt ad se legatum fidelem mitterent pro deferendis muneribus quæ eis præparabat. Hoc Vvillermus pater eius vt audiuit, sese ad hanc legationem pro vtilitate sanctæ Ecclesiæ libenter præsentauit. Inde Theodericus Abbas & lætus & tristis effectus est. Lætus pro tanta Senioris deuotione, qua feruebat, & quæ eum tam laboriosum iter arripere monebat. Tristis pro magno solamine; quod in præfato Seniore amittebat, quia ad omne opus bonum promptus existebat. Denique vir Dei, & Rodbertus Prior, totúsque Conuentus, domnum Guillermum Deo commendauerunt, eique Gunfridum peritissimum Monachum; & Rogerium Gemmeticensem egregium Scriptorem; aliósque duodecim honorabiles famulos sociauerunt. Ille autem transcensis Alpibus Romam petiit; & inde iter carpens B in Apulia filium; aliósque amicos & affines ac parentes inuenit. Qui viso eo valdè gauisi sunt, cúmque cum magno honore aliquo tempore secum retinuerunt, eique ad sustentationem Ecclesiæ, pro qua mendicabat, multa & magna munera dederunt. Ipse verò egenis fratribus suis festinanter subuenire volens, Gunfridum Monachum cum magno censu remisit: sed occulto Dei iudicio aliter quàm sperabatur euenit. Nam Gunfridus Romam venit, ibique in Monasterio S. Pauli Apostoli hiemare decreuit. A Romanis autem pro cupiditate auri, quod ferebat, veneno infectus est: sicque venerabilis peregrinus in confessione Christi Idus decembris defunctus est. Vvillelmus quoque non multò post iter redeundi cum ingenti pecunia iniit: sed ad vrbem, quæ à Caieta nutrice Troiani Aeneæ Caieta vocatur, veniens lethiferam ægritudinem incurrit. Tunc duos milites, Anschetillum de Noerio Ascelini filium, & Theodelinum « de Tanesia ad se vocauit, eísque dixit: Ecce XII. socij vestri, qui nobiscum « alacres de Normannia exierunt, sicut videtis, in hac patria defuncti sunt: me « quoque grauis morbus nunc inuasit, & ad vltima impatienter compellit. Nunc « itaque tibi Anschetille sub testimonio Theodelini pecuniam quam procuraui com- « C mendo: vt eam sine fraude deferas domno Abbati Theoderico, & Rodberto « nepoti meo, aliísque Monachis S. Ebrulfi, pro quibus nunc exulo. Ambo S. E- « brulfi homines estis, eique fidem seruare debetis. Non vos vlla decipiat cupidi- « tas. Sagaciter perpendite quod defunctis omnibus sociis vestris, meritis S. Ebrul- « fi vos soli superstites estis, fortassis vt hoc ei seruitium fideliter exhibeatis. Vti- « censibus, quos in Christo sicut meipsum diligo, ex parte mea vltimum vale di- « cite! & vt pro me omnipotentem Dominum fideliter exorent, suppliciter rogita- « te. Hæc & alia multa dicens, aurum & pallia preciosa, calicémque argenteum, aliásque preciosas species protulit, diligenter numerauit, & Anschetillo tradidit. Non multò post, ingrauescente morbo nobilis heros in confessione Christi Nonas Februarij mortuus est, & in Ecclesia S. Erasmi Episcopi & Martyris, vbi sedes est Episcopalis, honorificè sepultus est. Deinde Anschetillus & Theodelinus Gallias adierunt, & ad propria prosperè reuersi sunt. Post aliquot dies Anschetillus Vticum adiit, fratribus obitum domni Vvillelmi & sociorum eius nunciauit: sed de commissa sibi pecunia, quam in vsus suos iam nequiter ipse distraxerat, omnino tacuit. Cœnobitæ autem audita morte fundatoris Ecclesiæ suæ nimium contristati D sunt, precésque & Missas, & alia beneficia pro anima eius Deo, cui viuunt omnia, fideliter obtulerunt, quæ successores eorum vsque hodie feruenter obseruare satagunt. Anschetillo domum suam repetente, Theodelinus socius eius Vticum venit, & à Monachis quid sibi de Apulia delatum fuisset inquisiuit. Cúmque nil nisi mœroris nuncium de morte amicorum eis delatum esse comperisset, obstupuit: & omnem rei veritatem de omnibus quæ sibi prosperè vel aduersè contigerant in peregrinatione intimauit. Mox Theodericus Abbas Anschetillum asciuit, cōmissamque pecuniam ab eo repetiit. At ille primò negare cœpit, sed postmodum à Theodelino conuictus rei veritatem recognouit. Pecuniam, inquit, quam reposcitis, à « Domino meo Vvillelmo suscepi: cuius aliquam partem ad vsus nostros distraxi, par- « tē verò Remis consilio domini mei Rodulfi Malæ-Coronæ, qui illic mihi obuiauit,

GVILLELMVS II.

VVILLEL-MVS. II. commendaui. Quod audientes Monachi Remis illum bis direxerunt priùs cum A
Raïnaldo Monacho de Sappo: deinde cum Fulcone ad Geruasium Archiepiscopum pro censu deposito. Præfatus autem Metropolitanus Monachum S. Ebrulfi gratanter suscepit, cúmque in negotio pro quo venerat adiuuit quantum potuit. Nam idem dum Cœnomanensium Episcopus erat, & Curiam Vuillelmi Ducis Normannorum, cui valde familiaris erat, crebrò expeteret, apud Vticum sæpè fuerat honorificè suceptus, & cum omni familia sua amicabiliter habitus. Viso itaque Fulcone Monacho, beneficia beneficiis recompensare voluit. Sed quia iam longum tempus effluxerat, & Anschetillus ea quæ repetebat insipienter deposuerat, vix potuit recuperare pauca & viliora ex his quæ in Apulia susceperat. Calicem solummodo argenteum, & duas casulas, dentémque elephantis, & vngulam grifis, cum aliis quibusdam rebus difficulter exegit. Deinde Monachi, consideratis fraudibus Anschetilli, in iudicio in Curia S. Ebrulfi eum statuerunt: vbi Ricardus de Abrincis filius Turstini, aliíque multi Proceres ad adiuuandum eum fuerunt. Sed Monachis rationabiliter conquerentibus, iusto iudicio determinatum est, vt omnem feudum, quem ipse de S. Ebrulfo tenebat, amitteret. Tandem suadentibus amicis vtriusque partis concordia talis facta est. Anschetillus B
reatum suum palam confessus vadimonium Abbati Theoderico dedit, Monachis vt sui misererentur humiliter supplicauit: & pro recompensatione damni, quod illis per ignauiam suam fecerat, Vticensis burgi tertiam partem, quam ex paterna hæreditate habuerat, S. Ebrulfo coram multis testibus concessit: & donationem per vnam palam ex serico, vnde cappa Cantoris facta est, super altare posuit. Monachi igitur pietate moti errata sua clementer ei indulserunt, & omnem reliquum feudum suum, præter hoc quod amicorum persuasione obtulerat, benigniter promiserunt. Ipse non multò post Apuliam expetiit, ibique occisus est.

ANTIQVVS hostis numquam cessat Ecclesiæ quietem variarum stimulis tentationum impugnare: & per eos quos potest, mundanæ vanitati subiugare, in simplicitate Catholicæ fidei prudenter vigilantes, & in virtutum culmine viriliter stantes atrociter molestare. Vnde dum vidisset regulare Monasterium in Vticensi saltu opitulante Deo surrexisse; & Theodericum Abbatem in verbo & operatione multis animabus iuuenum atque senum oppido prodesse: exardens in- C
uidia, qua protoplastum Adam per vetiti fructus gustum de Paradiso expulit: Rodbertum Priorem contra Abbatem suum post discessum Vuillelmi Geroiani insolenter excitauit; magnáque dissensione diu perdurante mobiles subiectorum annos grauiter inquietauit. Erat idem Rodbertus (vt superiùs satis dictum est) præclaræ nobilitatis, frater scilicet Hugonis de Grentemaisnil: cui adhuc erat puerilis leuitas, & indomitum robur, atque secularis ambitio. In castitate atque aliis quibusdam sacris charismatibus erat laudabilis: sed econtra (vt Flaccus ait)

----*nihil est ex omni parte beatum.*

in nonnullis erratibus erat reprehensibilis. Nam in bonis seu malis quæ cupiebat, velox ad peragendum erat ac feruidus: & auditis siue visis, quæ nolebat, ad irascendum festinus, magísque præesse quàm subesse, & imperare potiùs quàm obsecundare cupidus. Ad accipiendum atque ad dandum apertas habebat manus, & os promptum furori suo satisfacere inordinatis faminibus. Et quia ipse vt dictum est, excelsæ generositatis lampade renitebat, & ex patrimonio suo Cœno- D
bium illud fundauerat; & collectis vndecúmque ad cultum Dei fratribus, subsidiísque necessariis procuratis ditauerat: ideò regularis disciplinæ iugo in nouella domo coërceri non poterat. Frequenter itaque Patri suo clam detrahebat, eo quòd ipse vir Dei plus spiritualibus quàm secularibus negotiis intendebat. Nonnumquam apertè cum eo litigabat: & nonnullas eius constitutiones de rebus exterioribus simpliciter factas vituperabat. Vnde seruus Dei plerúmque ad Sagiense asylum secedebat: ibíque sex vel octo septimanis habitabat; & in pace opus Dei faciebat, hominúmque salutem pro posse suo diligenter procurabat. Sic expectabat emendationem contumeliosi fratris, & implebat Apostoli præceptum dicentis: *Date locum iræ.* Sed post quàm rancorem & scandala non

A deficere, sed magis ad detrimenta fratrum augeri perspexit, Vvillermo Duci Normannorum pastoralem baculum cum tota Abbatia reddere voluit. Dux autem sagaci vsus consilio, omnem huius rei ordinationem iniunxit Maurilio Rothomagensium Archiepiscopo, vt causam dissentionis sollicitè indagaret, & quid agendum esset cum consilio sapientum rectè diffiniret. GVILLELMVS II.

ANNO itaque Dominicæ Incarnationis MLVI. Indict. VIII. residente in Sede Apostolica Victore Papa, Henricus cognomento Bonus Imperator Romanorum filius Cononis Imperatoriis obiit, eique Henricus filius eius successit, & annis quinquaginta regnauit. Eodem anno Maurilius Episcopus, & Fulbertus sophista Consiliarius eius, & Hugo Luxouiensis Episcopus, & Ansfridus Pratellensis Abbas, atque Lanfrancus Beccensium Præpositus, & alij plures profundæ sagacitatis viri Vticum conuenerunt: ibique sollennitatem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli III. Kal. Iulij celebrauerunt. Tunc auditis & solerter discussis dissensionum fomentis, Theodericum Abbatem vt hactenus extiterat, præesse iusserunt: Rodbertum verò Priorem, vt paupertatem Christi sequeretur, Patríque suo spirituali pro Deo humiliter in omnibus obtemperaret, copiosa sermocinatione admonuerunt. Deinde præfatis monitoribus ad propria redeuntibus, Vticensis grex aliquantulum in pace quieuit: sed post vnum annum comperta Vvillelmi Geroiani morte, iterum rediuiua lis surrexit, & discordia corporum animarúmque saluti contraria Cœnobitas valde turbauit. Amator autem pacis Theodericus vndique angustiatus est. Nam apud Sagium nequibat animarum saluti proficere, nec Cellam ibi cœptam à Rogerio & vxore eius ad perfectionem erigere: quia ipsi pluribus secularium rerum curis tunc occupabantur, & ab inimicis suis vndique impugnabantur. Apud Vticum sibi vel aliis affatim vt vellet prodesse non poterat, propter importunitates quas à quibusdam potentioribus Monachis illatas tolerabat. 1056.

B

TANDEM postquàm diu secum quid secundum Deum ageret deliberauit, omnia relinquere, & sepulcrum Domini in Hierusalem adire decreuit. Deinde IV. Kal. Septembris, de Sagio, vbi tunc diu moratus fuerat, Vticum venit: conuocatis in Capitulum fratribus voluntatem suam aperuit, omnes admonuit, absoluit, benedixit, Deóque commendauit. Postea Luxouium adiit, & Hugoni Episcopo, à quo valdè amabatur, curam animarum reddidit, sicque multis flentibus amicis sanctam peregrinationem pro Christo suscepit. Herbertus autem de Monasteriolo primus Monachus, quem ipse in Vticensi Ecclesia susceperat, cum eo peregrè profectus est: & Vvillelmus Clericus cognomento Bona-anima Raodbodi Sagiensis Episcopi filius, qui succedenti tempore Rotomagensem Metropolim ferè XXXVI. annis nactus est.

C

IN diebus illis erat quoddam honorabile Xenodochium in confinio Baioariorum & Hunorum, quod fideles & potentes Christiani de circumiacentibus Prouinciis instituerant ad susceptionem pauperum & peregrinorum. Tunc Angotus Normannus huic Xenodochio electione indigenarum præerat. Is nimirum Rogerij Thoenitis, qui Hispanicus vocabatur, cognatus erat, & sub Ducibus Normannorum Ricardo & Rodberto nobiliter militauerat: sed timore Dei compunctus omnia mundi reliquerat, & peregrinationem atque spontaneam paupertatem omni vita sua tenendam pro Christo arripuerat. Hic vt Theodericum Abbatem cum sociis suis vidit, optimè recognouit: & aliquot diebus vt compatriotas amicabiliter retinuit, atque omnem humanitatem eis exhibuit.

D

INTEREA quidam religiosus Baioariorum Pontifex peregrè proficiscens illuc aduenit, quem Hospitalis Ansgotus cum omnibus suis clientibus more solito aliquot diebus ibidem retinuit. Deinde venerabilem Theodericum cum suis pedissequis ei suppliciter commendauit: & quantæ sanctitatis apud Deum, & sublimitatis erga homines in sua patria esset, luculenter enarrauit. Præsul autem audita viri sanctitate Deo gratias egit: eumque, vt decebat tantum virum, benigniter suscepit, secúmque reuerenter vsque Antiochiam deduxit. Ibi diuersa peregrinis voluntas oborta est. Nam quidam eorum terrestre iter, vt cœperant, vsque in Hierusalem tenere volebant. Alij verò barbariem gentium metuentes, naugio per pontum ire decreuerunt: quorum consilio Pontifex & Abbas, aliique plures as-

GVILLELMVS II. sensum præbuerunt. Cúmque Præsul nauem nautásque peritos perquireret, & quidam religiosus Archimandrita Cœnobij sancti Simeonis in portu Syriæ Theodericum cum suis comitibus honorabiliter detineret: Herbertus Vticensis Monachus iter accelerandi desiderio fatigabatur, magisque per terram quàm per mare sancta loca expetere nitebatur. Abbas itaque suus ei licentiam eundi quò vellet dedit. Ille autem terrestre iter carpens, cum turma peditum vsque Laodiciam peruenit, ibíque vehementer ægrotans sociis abeuntibus diu remansit. Et postquam vix de lectulo surrexit, non in antea pedem tetendit, sed Eois partibus relictis Occidentalem Normanniam quantociùs repetiit. A

DEINDE Præsul & Theodericus, & Vvillelmus Bona-anima, sociique eorum in portu sancti Simeonis nauem ascenderunt, & sulcantes æquora in Cyprum insulam nauigauerunt, ibíque in littore maris Abbatiam sancti Nicolai Confessoris Mirreorum Archipræsulis conditam inuenerunt. Cúmque Ecclesiam introissent, ibíque prout cælestis gratia singulis inspirauerat Deum orassent, Theodericus post multas lacrymas de oratione surrexit, & labore senectutis tædióque maris, aliisque incommodis fractus in Ecclesia anxius resedit: Tunc ab Episcopo sibi fidissimo comite quid sibi contigisset cùm interrogaretur, respondit: Terrestrem Hierusalem mi Pater, adire decreui, sed credo mihi aliter à Domino disponi. Anxietate corporis valde crucior: vnde cælestem magis quàm terrestrem Hierusalem appetendam esse arbitror. Cui Episcopus ait: Ego, carissime frater, nunc ibo hospitium tibi procurare, & tu interim hîc sedens requiesce. Episcopus itaque hospitium sibi quærere perrexit, & Theodericus ad altare accessit, ibíque diu Deum, cui ab infantia fideliter seruierat, orauit. Deinde coram altari se ad Orientem prostrauit: pannos circa se honestè composuit, super dextrum latus recubans, quasi dormire volens, caput suum super marmoreum gradum reclinauit: manúsque super pectus in modum Crucis aptauit: sícque Kal. Augusti fidelem spiritum Deo creatori reddidit. Episcopus autem hospitiò præparato ministrum hominis Dei accersiuit, eúmque pro viro Dei in Ecclesiam misit. Ille verò vt seruum Dei defunctum in Ecclesia inuenit, territus ad Antistitem rediit, euentúmque insperatum tremulus retulit. Sed Episcopus virum Dei tam subitò migrasse non credens, ait: Tædio maris nimióque æstu bonus senior valde fatigatus est; ideóque nunc in refrigerio Ecclesiæ super frigidum marmor suaui sopore detentus est. Eamus nunc eum visitare. Præsul itaque cum Clericis suis in Ecclesiam processit. Qui vt comparem suum diligenter tetigit, eúmque morte gelidum reperit, stupens condoluit. Mox omnes peregrinos, qui iam per diuersa hospitia prandere procurabant, in Ecclesia congregari præcepit, indigenis illius loci vitam defuncti peregrini fideliter retulit. Illi verò comperta eius religione, gauisi sunt: & obsequia sua impensásque cæteris peregrinis benigniter obtulerunt. Deinde Præsul defunctò exequias cum Clericis suis persoluit, eique sepulturam ante portas Ecclesiæ à reliquis peregrinis fieri iussit. Illi autem baculis suis vbi Pontifex præceperat fossam fecerunt, ad defuncti glebam præsente Antistite accesserunt, & deferre ad tumulandum voluerunt. Sed nutu Dei ita corpus aggrauatum est, vt à loco dormitionis nullatenus moueri potuisset. Quod cernens Episcopus cum omnibus qui aderant, valde miratus est; diutinóque cum sociis stupentibus quid agerent tractatu potitus est. Tandem diuina edoctus inspiratione ait: Vir iste magnæ sanctitatis fuit, & vita eius vt nunc lucidè manifestatur Deo placuit. Vnde, vt reor, digniori loco debet sepeliri, & à nobis celebriori reuerentia pro posse nostro debet amodo tractari. Nunc igitur ego cum Clericis nostris pro anima eius diuinæ maiestati persoluam celebrationem Missæ: vos autem iuxta altare congruã ei sepulturam præparate. At illi libenter obediere iubenti. Deinde Missa venerabiliter finita, & fossa diligenter præparata, tumulandum corpus sine grauamine sustulerunt, & secus aram decenter sepelierunt: vbi postmodum multi febribus aliisque incommodis laborantes meritis eius sanati sunt. Vticenses autem Monachi postquàm reuerendi Patris obitum relatu sociorum eiusdem Normanniam repetentium cognouerunt, valde contristati sunt: & debitum pro anima eius seruitium Deo fideliter celebrauerunt: & memoriam eius singulis annis vsque hodie Kal. Augusti celebriter exoluunt. Religiosa quoque instituta, quæ ipse ex doctrina venerabilium

A Abbatum Ricardi Veredunensis & Vvillermi Diuionensis atque Theoderici Gémeticensis didicerat,& nouellæ Ecclesiæ sibi commissæ fideliter tradiderat, diligenti studio vsque hodie obseruant : & Nouitiis ad Religionis conuersationem conuersis solerter insinuant. GVILLELMVS II.

ANNO ab Incarnatione Domini MLIX. Indictione XII. Vticenses Rodbertum de Grentemaisnilio sibi elegerunt Abbatem, rationabiliter considerantes in præfati viri electione multimodam commoditatem : tam propter eius claram generositatem,quàm ardentem Monasticæ rei procurationem , & in agendis rebus efficaciam & strenuitatem. Hunc itaque confirmato totius Congregationis consensu Ebroas duxerunt,ibique Vvillelmo Duci præsentauerunt,eique Monachorum electionem atque petitionem intimauerunt. Dux autem eorum petitioni acquieuit,& præfato viro,qui electus erat, per cambutam Iuonis Episcopi Sagiensis exteriorem Abbatiæ potestatem tradidit. Vvillelmus verò Ebroicensis Episcopus interiorem animarum curam per Pontificalem benedictionem XI. Kal. Iulij spiritualiter commendauit. Rodbertus itaque iam Abbas effectus res Monasterij cœpit diligenter tractare,& ex parentum suorum diuitiis necessarium seruis Dei subsidium sufficienter administrare,iustas obseruationes, quas pius prædecessor eius instituerat,non solùm non imminuit : sed etiam pro ratione & tempore,auctoritate maiorum,vel exemplo vicinorum parcitus augmentauit.Ipse quidem, dum adhuc neophytus erat,permissu venerabilis Theoderici Cluniacum perrexerat : vbi tunc Monasticæ phalangi Hugo Abbas temporibus nostris speciale Monachorum decus præerat. Vnde cùm post aliquot tempus rediret, magnanimi Hugonis munificentia Bernefridum illustrem Monachum (qui postmodum Episcopus factus est) secum adduxit; eúmque vt mores Cluniacensium Vticensibus intimaret, aliquandiu honorificè retinuit. Sub eo ad conuersionem Mainerius Gunscelini de Escalfoio filius venit: qui post aliquot annos eiusdem Cœnobij regimen suscepit, annisque XXI. & mensibus VII. vtiliter tenuit. 1059. B

EODEM tempore Rodulfus cognomento Mala-Corona Vticum venit, ibique cum Rodberto Abbate,suo videlicet nepote,diutiùs habitauit. Hic nimirum, vt paulò superiùs meminimus,ab infantia litteris affatim studuit,& Galliæ Italiæque scrutãdo scholas secretarum indaginem rerum insigniter attigit. Nam vt in Grammatica & Dialectica , in Astronomia quoque nobiliter eruditus est, & Musica. Physicæ quoque scientiam tam copiosè habuit,vt in vrbe Psalernitana , vbi maximæ Medicorum Scholæ ab antiquo tempore habētur, neminem in medicinali arte,præter quandam sapientem matronam sibi parem inueniret. At quamuis tanta literarum peritia polleret,non tamen otio,sed militiæ labori diu mancipatus est,& tam manu quàm cõsilio in bellico discrimine præclarus inter coessentes suos multoties probatus est. Multa adhuc,quæ nobis mira videntur Monsterolenses referunt , quæ de subtilibus experimentis eius contra morbos vel alios insperatos euentus vel ipsi viderunt,vel à patribus suis,quibus ipse longa comitate notissimus fuit,audierunt. Ipse tandem titubantis mundi ruinam metuens, & prudenti tergiuersatione præcauens, seculi luxu calcato, Maius Monasterium sancti Martini Turonensis expetiit : & sub Alberto venerabili Abbate Monachili Regulæ septem annis militauit. Qui postquàm in Ordine confirmatus fuit, Abbate suo permittente Vticum venit,nepotem scilicet solatiari suum,qui iam nouellæ regimen Ecclesiæ suscepit *. Et quia idem heros pro multis flagitiis, quibus se grauiter onustum sentiebat,à Domino morbum lepræ multis precibus sibi obtinuerat: quãdam in honore sancti Ebrulfi constructam Capellam à nepote suo recepit, ibique Guoscelinum Monachum,ad Dei seruitium suique solatium habens, plurimo tẽpore deguit, multisque, qui ad eum pro sapientia & nobilitate sua confluebant, consilio pietatis profuit. C D *susceperat.

IPSO multum hortante,Rodbertus Abbas Hugonem Luxouiensem Episcopum , Monachorum fidelem Magistrum & Patrem , accersunt,à quo prædictam Capellam,in honore sanctorum Confessorum Ebrulfi, Benedicti, Mauri, & Leufredi,secundo Nonas Maij dedicari fecit. Tradunt hanc Ecclesiam à temporibus sancti Ebrulfi conditam fuisse : ipsúmque , dum supernæ ardentiùs inhærere volelebat theoriæ, intermissis exterioribus curis ad ipsam confugere solitum fuisse.

Locus ipse est amœnus, & solitariæ vitæ satis congruus. Nam in valle riuus sterilis A Carentonæ defluit: & Luxouiensem Episcopatum ab Ebroicensi dirimit. In cacumine verò montis silua crebris frondibus ventorum flabra suscipit: in decliuo autem montis inter riuum & siluam viridiarium Ecclesiam circumcingit. Antè portas Ecclesiæ Vticus fons oritur: à quo omnis circumjacens regio Vticensis dicitur.

Ne miretur quis quod Luxouiensium Præsulem in Ebroicensi Præsulatu dedicationem fecisse diximus. In diebus illis tres generosi Præsules magnæque ciuitatis tribus præerant conterminis parrochiis. Hugo Vuillelmi Aucensis Comitis filius præerat Luxouiensibus: & Vuillelmus Gerardi Fleitelli filius Ecclesiastica iura dabat Ebroicensibus: & Iuo Vuillelmi Belesmensis filius æternæ salutis curam exhibebat Sagiensibus. Hi très in Normannia tunc maximè pollebant diuini cultus feruore & vnanimi consensu, tantóque nectebantur amore, vt quisquis eorum in diocesi confinis sui velut in propria (prout tempus & ratio poscebat) omne diuinum opus exerceret sine litigio & liuore.

Stimvlante Sathana, qui numquam humano generi nocere desistit, nimia B inter Francos & Normannos seditio exarsit. Henricus enim Rex Francorum, & Goisfredus Martellus fortissimus Andegauensium Comes Normannorum fines cum forti manu intrauerunt, & detrimenta quamplurima Normannis intulerunt. Porro Vuillelmus acerrimus Dux Normannorum iniurias multoties non segniter vltus est. Nam plerosque Gallorum & Andegauensium cepit, nonnullos occidit, multos autem in carcere diu clausos afflixit. Qui singulos conflictus & damna, quæ sibi vicissim intulerunt, diligenter voluerit perscrutari, legat Libros Vuillelmi Gémeticensis Cœnobitæ cognomento Calculi: & Vuillelmi Pictauini Lexouiensis Ecclesiæ Archidiaconi, qui de gestis Normannorum studiosè scripserunt: & Vuillelmo iam Regi Anglorum fauere cupientes præsentauerunt.

Svb ea tempestate Rodbertus Geroij filius contra Vuillelmum Ducem rebellauit: & accersitis Andegauensibus castra sua, sanctum scilicet Serenicum & Rupem Ialgiensem fortiter muniuit: & contra Ducem cum Normannico exercitu obsidentem aliquandiu tenuit. Sed quia mortalium robur labile est, subitóque ceu flos fœni marcessit; præfatus Heros post innumeras probitates, dum ad ignem in hyeme lætus sederet, coniugémque suam Adelaidem (quæ Ducis consobrina erat) quatuor mala manu gestare videret: duo ex illis familiariter jocando ei rapuit: & nesciens quòd venenata erant, vxore contradicente comedit. Qui mox veneno infectus est, & post v. dies cum multo mœrore suorum VIII. Idus Februarij defunctus est. Quo mortuo, Ernaldus Vuillelmi Geroiani filius in loco patrui sui surrexit, oppidanos precibus monitisque corroborauit: Ducique viriliter resistere pro paterna hæreditate imperauit. Cuius animositatem callidus Dux blandis hortatibus leniuit, pacémque secum facere cum pluribus promissis persuasit. At ille consilio ab amicis accepto Duci acquieuit, eíque fidelitatem fecit: & ab eo Monasteriolum & Escalfoium ac sanctum Serenicum, totámque patrum suorum hæreditatem recepit. Deinde Rodbertus Abbas pace facta à Duce requisiuit, vt auũculi sui corpus, quod apud sanctum Serenicum tribus septimanis humatum iacuerat, Vticum transferri concederet. At ille hostilis memor odij primò denegauit, D postmodum erubescens quòd in mortuũ sæuiret, concessit. Mox impiger Abbas Rodberti Geroiani glebam in trunco Vticum transtulit, ibique in claustro Monachorum honorificè sepeliuit. Cuncti, qui aderant mirabantur, quòd nullus de corpore tribus iam septimanis exanimi fœtor sentiretur. Tradunt quidam quòd vis veneni, quo idem interierat, omnem defuncti cadaueris humorem exsiccauerat, ideóque nullus indè fœtor viuorum naribus effundi molestè poterat.

Redevnte ad naturale ius Ernaldo Vticenses Monachi gauisi sunt, & in vicinos insolentes, qui inermes iniustè opprimebant, illius ope erecti sunt. Temporibus Theoderici Abbatis, & Rodberti successoris eius, Baldricus & Vvigerius de Balgenzaio, & homines sui contra Monachos insolenter agebant: & non solùm eis vt dominis obediebant, verumetiam plurimis inquietudinibus ipsos hominésque eorum sæpiùs contristabant. Quod Rodbertus, postquam Abbatiæ regimen suscepit, diutiùs ferre indignum duxit. Nam accepto fratrum consilio præfatos ro-

A belles pro contumacia Ernaldo consanguineo suo tradidit, vt ipse ceruicositatem eorum, qui Monachorum mansuetudinem pacificè pati dedignabantur, quandiu viueret, militari manu protereret. At ille multis diuersisque seruitiis eos aggrauauit, & ipsos hominésque eorum munitiones suas apud Escalfoium & sanctum Serenicum custodire coëgit. Vnde illi Rodbertum Abbatem & Monachos obnixè petierunt, vt iterum potestati eorum restitui mererentur; promittentes eis omnem subiectionem & emendationem. Abbas verò cum Monachis eorum precibus acquieuit: & Ernaldum, vt eos Ecclesiæ seruituti, quæ humilibus & mansuetis verè libera est, redderet, petiit. His diebus Rogerius primogenitus Engenulfi de Aquila filius occisus est. De cuius morte Engenulfus & Richuereda vxor eius valde afflicti Vticum venerunt, & beneficium atque orationes Monachorum pro sua filiique sui Rogerij salute petierunt & acceperunt: optimúmque eiusdem Rogerij equum Deo & Monachis pro eius anima obtulerunt. Hunc ergo equum, quia preciosus erat, Ernaldus vt sibi donaretur petiit: & Baldricum hominésque suos, B & terram de Balgenzaio pristinæ Monachorum potestati concessit. Quod & ita factum est. Ernaldus equum consobrini sui Rogerij à Rodberto Abbate accepit, & Baldricum totámque terram de Balgenzaio Ecclesiæ dominio reddidit. Baldricus autem quod grauia euaserat Ernaldi seruitia gaudens, dominatum suum, quem in villa sancti Ebrulfi habebat, Monachis dedit: & terram, quam supra riuulum ductus villaris habebat, & terram Normanni Micæ & Benigni tradidit. Tunc Baldricus Rodberto Abbati iunctis manibus fidelitatem fecit, & subiectionem iustitiámque de se suisque hominibus promisit: & summoperè ne honorem eius de potestate Monachorum ampliùs proiiceret, poposcit. Hoc itaque Monachis confirmantibus ratum fuit: & tam ipse quàm Rodbertus filius eius vsque in hodiernum diem pro terra de Balgenzaio solummodo Monachis militauit. Vticensis quippe Abbatia in feudo de Balgenzaio consistit: & sæpefatus Baldricus magnæ nobilitatis fuit. Nam Gislebertus Comes Brionnæ nepos Ricardi Ducis Normannorum Baldrico Teutonico (qui cum Vvigerio fratre suo in Normanniam venerat Ricardo Duci seruire) neptem suam in coniugium dedit, ex qua nati sunt sex filij & plures filiæ: Nicolaus scilicet de Bascheuilla, & Fulco de Alnou, Rodbertus de Curceio, C & Ricardus de Noua-villa, Baldricus de Balgenzaio, & Vvigerius Apuliensis. Hi nimirum sub Duce Vvillelmo magna strenuitate viguerunt, multísque diuitiis & honoribus ab eo ditati fuerunt, & hæredibus suis amplas possessiones in Normannia dimiserunt.

Baldricvs, qui honorem de Balgenzaio cum Vvigerio fratre suo possedit, Helizabeth sororem suam Fulconi de Bona-valle strenuo militi in coniugium dedit, & Ecclesiam sancti Nicolai, quam pater suus construxerat, cum adjacenti fundo in mariagio concessit. Fulco autem futuri temporis memor Theodericum filium suum, quem Theodericus Abbas de sacro fonte leuauerat, Deo ad Monachatum in Cœnobio Vticensi obtulit: ipsúmque puerum & præfatam Ecclesiam sancti Nicolai pro anima sua, amicorúmque suorum salute in præsentia Rodberti Abbatis sancto Ebrulfo concessit. Hoc etiam Baldricus & Vvigerius, & Vvillelmus de Bona-valle, aliique parentes eorum gratanter concesserunt: & ipsi, aliique multi qui affuerunt, legitimi testes suprascriptæ concessionis ad vtilitatem Ecclesiæ extiterunt. Tunc Rogerius Tancredi de Alta-villa filius in Italiam pergens D ibidem affuit, qui postea iuuante Deo Siciliam magna ex parte obtinuit: & Afros Siculósque & alias gentes in Christũ non credentes, quæ præfatam insulam deuastabant, armis inuasit, protriuit, & superauit. Puer autem Theodericus mundo subtractus, Deóque donatus, LVII. annis in Monachili schemate vixit, & per singulos gradus vsque ad sacerdotium legitimè ascendens honestè Deo militauit.

Eodem tempore Vvido cognomento Bolleim senioris Geroij pronepos cum Hodierna coniuge sua in pago Corboniensi honorabiliter vigebat: & in ordine militari diuitiis ampliatus rem suam honestè regebat. Huic erant plures filij, Normannus & Vvalterius, qui militiæ laboribus deseruierunt: Goisfredus quoque & Vvillelmus cognomento Gregorius, qui litteris imbuti stemma sacerdotij nacti sunt. Præfatus Vvido nutu Dei & instinctu Rodberti Abbatis, cognati videlicet sui, Vticenses multum dilexit: & Vvillelmum filium suum, qui tunc fermè nouem

Gvillelmvs II.

GVILLELMVS II. annorum erat, mundo sibique abdicauit: Deóque sub Monachili iugo in Ecclesia Vticensi seruiturum, in die festiuitatis omnium Sanctorum tradidit. Tunc Vuillelmus Præpositus miles egregius, prædicti pueri auunculus, Ecclesiam de Algeron cum tota villa sancto Ebrulfo dedit; & se totámque substantiæ suæ partem in fine suo eidem patrono fideliter deuouit. Gratia Dei Vuillelmum puerum bonis moribus adornauit, & in bonis studiis vigilantem effecit: vnde à Prælatis suis Gregorius cognominari meruit. Hic in gremio sanctæ matris Ecclesiæ diligenter educatus, & omnino à mundi strepitu & carnali luxu remotus, vtili scientia, quæ huiusmodi Ecclesiæ filiis maximè competit, nobiliter floruit. Nam peritus Lector fuit, & Cantor, præcipuúsque Scriptor, & Librorum illuminator. Opera manuum eius ad legendum & canendum nobis adhuc valde prosunt, & per similis exercitij probitatem nos à nobis ociositatem depellere erudiunt. In orationibus & vigiliis ab infantia fuit assiduus, & vsque ad senectutem ieiuniis aliísque macerationibus carnis moderatè intentus. Obseruator Monastici Ordinis diligens, & ad redarguendum sanctæ Regulæ transgressores feruens. Epistolas Pauli, & Prouerbia Salomonis, aliáque quamplura sanctæ Scripturæ syntagmata tenaci memoria tradiderat, & in quotidianis locutionibus suis ad exhortationem eorum, quibus confabulabatur, proferebat. Huiuscemodi studiis intentus iam LIV. annos in Monachili Ordine transegit: & adhuc vt per bonum finem ad æternæ quietis stabilitatem pertransire possit, sub Rogerio Abbate bonis actibus solito more insistit.

DVM Vticense Cœnobium aucto Conuentu XL. Monachorum gloriosè corroboraretur, & Ordo Monasticus secundum Normam diuinæ Legis ibidem regulariter obseruaretur, longè latéque procedens fama volitabat, & multos ad amorem eiusdem Ecclesiæ inuitabat. Quidam autem pestifero liuore inficiebantur, propriæque malitiæ vulnifico missili puniebantur. Rodbertus verò Abbas genuina largitate præditus, vndecúmque venientes ad conuersionem libenter suscipiebat, & quæque fratribus ad victum seu vestitum necessaria erant viriliter procurabat. Redditus nimirum Vticensis Ecclesiæ, quæ in sterili pago surgebat, ad tantam dapsilitatem præfati Patris non sufficiebat: sed ipse, vt diximus, ex generosis parentibus prodierat, & opes eorum ad vsum Monachorum prout volebat, amica familiaritate consentiente, plerumque accipiebat.

IDEM in primo anno sui regiminis (quia vetus Ecclesia, quam sanctus Ebrulfus construxerat, parua & rusticani operis erat) ingentem basilicam insigni opere cœpit, quam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construere, multisque Sanctorum altaribus ampliare decreuit. Nam propter reliquias Sanctorum, quæ in veteri Ecclesia temporibus sancti Ebrulfi conditæ sunt: sed eorum nomina, vel gesta, seu loca depositionis pro antiquitate ignorantur ab his qui supersunt: disposuit nouam ædem tam magnam facere, vt vetustã omnino circumdaret, & ossa seu mausolea Sanctorum, quæ ibidem latent, semper honorificè contineret. Sed procellis tribulationum incumbentibus cessare ab incœpto opere coactus est, quod nullus successorum eius ea mensura vel ordine seu loco, quo ipse destinauerat, prosequi ausus est.

1059. ANNO ab Incarnatione Domini MLIX. Indictione XIII. Henricus Rex Francorum post multas probitates, quibus in regno gloriosè viguit, potionem à Ioanne Medico Carnotensi, qui ex euentu Surdus cognominabatur, spe longioris & sanioris vitæ accepit. Sed quia voto suo magis quàm præcepto Archiatri obsecundauit, & aquam, dum veneno rimante interiora nimis angeretur, clam à Cubiculario sitiens poposcit, Medicóque ignorante ante purgationem bibit: proh dolor! in crastinum cum magno multorum mœrore obiit. Sceptra Francorum Philippo filio suo, qui adhuc puerilibus annis detinebatur, reliquit: & Balduino Flandrensium Duci puerum cum regno ad tutandum commendauit. Huiusmodi tutela tanto Duci benè competebat, quippe qui Hadalam Rodberti Regis Francorum filiam in coniugium habebat: ex qua Rodbertum Fresionem, Reginam Anglorum & Vdonem Treuerensium Metropolitam, aliósque magnæ nobilitatis viros genuerat.

EODEM anno Fridericus filius Gothelonis Ducis, qui & Stephanus Papa dictus est, obiit: cui Gerardus, qui & Nicolaus, successit. Hic annus erat tertius Henrici

A rici quarti, filij Henrici Cōradi Imperatoris; & Agnetis Imperatricis, qui LXXXVII. loco ab Augusto regnare cœpit, & annis quinquaginta regnauit.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXIII. Nicolaus Papa obiit; cui Alexander Lucensis Episcopus successit. Quo tempore Sigifridus Magonciæ, & Gunterus Babenbergæ, aliique quamplures Episcopi vel nobiles multo comitatu Hierusalem perrexerunt. 1063.

EODEM tempore inter Vuillelmum Normanniæ Ducem & Proceres eius dissentio grauis exorta est. Nam cupiditate furente vnus alium supplantare conabatur, grauésque seditiones ad detrimenta miserorum diuersis ex causis oriebantur: vnde quidam crudelioris animi lætabantur: alij pietatis & modestiæ amatores nimis contristabantur. Tunc Rogerius de Monte-Gomerici & Mabilia vxor eius exorta simultate gaudebāt, & blandis adulationibus sibi Ducem alliciebant, & contra vicinos suos callidis factionibus commotum acriùs ad iram concitabant. Animosus autem Dux plus æquo iræ fræna relaxans, præcipuos milites Rodulfum de B Toënia, & Hugonem de Grentemaisnilio, atque Ernaldum de Escalfoio, & Barones eorum exhæreditauit; & sine probabilibus culpis diu exulare coëgit. Tunc etiam Rodbertus Vticensium Abbas ad Curiam Ducis accitus est: & ad diem statutum de quibusdam reatibus, vnde falsò accusatus fuerat, respondere iussus est. Hunc nimirum Rainerius Castellionensis Monachus (quem ipse Priorem Vticensibus præfecerat: & ad intima consilia sua velut fidelem amicum indubitanter accersierat) de quibusdam ludibriis & improuidis dictis, Ducique priuatim derogantibus apud ipsum accusauerat. Ille verò vt Ducem contra se, totámque suam parentelam vehementer furentem & nocere cupientem sensit, indicióque amicorum suorum maliuolentiam Ducis sibi damna membrorum inferre volentis veraciter agnouit: consilio Hugonis Lexouiensis Episcopi imminentem furiam declinare priùs, quàm damnum irreparabile pateretur, elegit. Tertio itaque regiminis sui anno VI. Kal. Febru. postquàm sabbato ad vesperas Antiphonam, *Peccata mea Domine*, pronunciauerat, discessit: ascensísque equis cum duobus Monachis Fulcone & Vrso Galliam expetiit: & indè Nicolao Papæ euentus suos reuelaturus adiit.

C INTEREA Normannicus Dux per consilium venerabilis Ansfridi Pratellensium Abbatis, & Lanfranci Beccensium Prioris, aliarúmque personarum Ecclesiasticarum Osbernum Cormeliensium Priorem à Rainerio Abbate sanctæ Trinitatis de Monte Rothomagi requisiuit: eíque nil tale suspicanti per cambutam Maurilij Archiepiscopi in Synodo Rothomagensi curam Vticensis Abbatiæ commendauit. Deinde Hugo Episcopus iussu Ducis eum Pratellis adduxit, ibíque subito nescientibus Monachis sancti Ebrulfi, ad Abbatem consecrauit, secúmque postea Vticum adduxit, & mœstis Vticensibus ex imperio Ducis imposuit. Illi autem ancipiti discrimine anxiati sunt. Nam viuente Abbate suo, qui præfatam Ecclesiam fūdauerat, eósque ad Monachatum susceperat: & sine probabilibus culpis non per iudicium Synodi, sed per tyrannidem furentis Marchisi expulsus fuerat, alium Abbatem suscipere dubitabant; nec palam refutare propter Ducis animositatem audebant. Tandem consilio prædicti Præsulis elegerunt pati violentiam, gratísque dato sibi magistro exhibere obedientiam, ne si sine iugo permanerent, Dei offenderent potentiam, & ad destructionem nouelli Cœnobij grauiorem Ducis contradicendo excitarent maleuolentiam.

D PORRO Ernaldus de Escalfoio iniuriam exhæreditationis suæ acriter vindicabat, & rapinis incendiisque, hominúmque capturis vel occisionibus Lexouiensem pagum per triennium inquietabat. Quadam nocte cùm quatuor militibus Excalfoium venit, & in castrum cum suis clam ingressus, in magnam vociferationem prorupit. Quam vt LX. milites Ducis audierunt, magnum cum Ernaldo exercitum adesse putauerunt: territique castrum quod custodire debebant relinquentes aufugerunt. At ille ignē iniecit, & damnum ingens hostibus suis intulit. Burgum quoque Vticensem igne combussit, & per omnes angulos Ecclesiæ cum satellitibus suis nudos enses in dextris vibrātibus Osbernū Abbatem ad occisionē diu quæsiuit. Sed ille Dei nutu defuit. Post aliquot autem dies Hermānus Celararius Ernaldum priuatim adiit, ipsúmque quòd Abbatiam, quam pater suus pro salute animæ suæ construxerat, destruere niteretur, benigniter redarguit. At ille monita serui Dei piè suſ-

GVILLELMVS II. cœpit, memórque paternæ pietatis pro malefactis contra Cœnobium sancti Ebrulfi plorauit, pœniténsque congruam emendationem promisit. Non multo post Vticum venit, pro malè gestis super aram vadimonium posuit, indulgentiam petiit, Abbatique Osberno securitatem dedit. Præfatus enim Monachus subtili relatu ei veraciter intimauit: quod prædictus Abbas cognati sui locum non per cupiditatem inuaserit, sed vi Principis & instinctu magistrorum suorum compulsus desolatæ Ecclesiæ regimen inuitus susceperit. A

DENIQVE Rodbertus Abbas Nicolaum Papam Romæ inuenit, eique causam itineris sui diligenter intimauit. At ille compatriotam suum (nam genere Francus erat) benigniter suscepit: querimoniam eius cum pietate audiuit, fidúmque suffragium in sua necessitate spopondit. Rodbertus autem ad parentes suos in Apuliam, vbi vrbes & oppida quamplura vi obtinuerant armorum, transiuit: & completa cum eis locutione, cum litteris Apostolicis, & duobus Cardinalibus Clericis Normanniam repetiit: Iuliam-Bonam, vbi tunc temporis Vvillermus Dux Curiam suã tenebat, audacter adiit. Audiens verò Dux, quòd Rodbertus Abbas cum Legatis Papæ Abbatiam Vticensem quæsiturus aduenisset, & Osbernum Ducis iussu substitutum Abbatem velut inuasorem alieni iuris calumniaturus esset: vehementer iratus dixit, se quidem legatos Papæ de fide & religione Christiana, vt communis Patris libenter suscepturum: sed si quis Monachorum de terra sua calumniam sibi contrariam inferret, ad altiorem quercum vicinæ siluæ per capitium irreuerenter suspensurum. Quod audiens Hugo Præsul Rodberto intimauit, & vt furibundi Principis præsentiam declinaret admonuit. At ille festinanter indè discessit, & in pagum Parisiensem ad venerandum Hugonem Abbatem Cœnobij sancti Dionysij Gallorum Apostoli secessit: & apud ipsum (cognatus quippe suus erat) & apud alios amicos ac parentes suos, qui inter Gallorum Proceres pollebant, aliquandiu honorificè habitauit. Inde Osberno Abbati mandauit, vt coram Romanis Cardinalibus in pago Carnotensi ambo adessent: ibique negotio vtriusque diligenter indagato à personis Ecclesiasticis diffinitum iudicium secundum ordinationem sanctorum Canonum indubitanter subirent. Diem quoque & locum quando & vbi conuenirent designauit. At ille mandatum quidem suscepit, & ad Curiã Romanã se libenter iturum dixit: sed alio consilio accepto, ad statutũ tempus & locũ minimè accessit. Vnde Rodbertus per quedã famulũ Vticẽsium, quẽ Ernaldus ceperat, litteras misit, in quibus ex auctoritate Papæ Osbernũ inuasorẽ excõmunicauit, omnésq; Monachos Vticẽsis Cœnobij vt se sequerẽtur imperiosè inuitauit. B C

QVIS referre potest, quot tribulationibus Vticensis Ecclesia intus & exteriùs tunc quatiebatur? En Rodbertus eiusdem fundator & rector de Sede sua iniustè fugatus, cogebatur vagari per externas domus, & eiusdem in loco seculari potestate successit vir extraneus: qui licet solers esset ac religiosus, & in ordine feruidus, suspectus tamen & meticulosus non satis credebat indigenis fratribus. Vnde quidam ex ipsis audita excommunicatione, qua suffectus Abbas percussus fuerat, & hortatu Patris Rodberti, quo filios suos ex consensu Papæ post se venire iusserat: Normanniam relinquentes Abbatem suum comitati sunt, & Apostolicam Sedem expetierunt. Pene omnes discedere voluerunt: sed infantes & infirmiores, qui artiori custodia constringebantur, inuiti remanserunt. Alij verò qui fortiores erant, & maiorem licentiam vsurpabant, Patrem suum sequuti spontè exularunt, quorum nomina sunt hæc. Herbertus & Hilbertus de Mosteriolo, & Berengarius Ernaldi filius Scriptor præcipuus. Hi tres à pueritia in domo Domini solerter educati, studiísque bonis imbuti, omni vita sua vtiles permãserũt diuino cultui. Rainaldus magnus Grammaticæ artis peritus, & Thomas Andegauensis nobilitate famosus, & Rodbertus Gamaliel Cantor egregius: Turstinus, Rainaldus, Capreolus, & Vvalterius paruus. Hi Neustriam natale solum deseruerunt, varióssque casus perpessuri Sicaniam expetierunt: vnde quidam eorum postmodum redierunt, nonnulli verò Pastorem suum fine tenus iuuantes in Calabria vltimum diem clauserunt. D

PORRO domnus Mainerius, quem Rodbertus Abbas ante primam discessionem suam Priorem claustralem constituerat, quia post paucos dies profectionis eius Beccum perrexerat, primúsque de substituendo alio Abbate cum Lanfranco Beccensium Priore tractauerat, eundem cui professionẽ fecerat implacabiliter offẽ-

A derat. Vnde minis eius territus,& improperiis fautorum eius cum dedecore lacessitus; consilio & permissu Osberni Abbatis Cluniacum perrexit: ibique per vnum annum rigorem Cluniacensium experiri sub venerando Hugone Archimandrita feruenter edidicit. GVILLELMVS II.

VTICENSIS autem Ecclesia in huiusmodi mutatione vehementer desolata est: multisque possessionibus,quas priùs possederat,spoliata est. Vicini enim milites,qui homines seu cognati Geroianorum fuerant,naturalibus expulsis hæredibus,Monachis sancti Ebrulfi graues molestias & damna inferebant. Nam vnusquisque terram, vel Ecclesiam seu decimam auferebat: & nouus Abbas vt aduena rerum dominationes ignorabat: & indagare ab his,in quibus minimè confidebat, certitudinem rerum,quas Rodbertus filius Helgonis,& Geroius filius Fulcoij de Monsterolo,seu Rogerius Gulafra,aliique peruersi affines rapiebant, dubitabat. Vnde multa Vticensis Ecclesia tunc perdidit,quæ vsque hodie recuperare nullatenus potuit.

DEFVNCTO Nicolao Papa Alexander successit, ad quem Rodbertus Abbas B cum XI. Monachis sancti Ebrulfi accessit, eique suas, suorúmque iniurias luculenter deprompsit. At ille paterno solamine benigniter eos refocillauit, eisque in vrbe Roma Ecclesiam sancti Pauli Apostoli tradidit: vt ibi habitantes Ordinem suum tenerent,donec sibi congruam habitationem inuenirent. Deinde Rodbertus Vvillelmum de Mosterolo cōsobrinum suum ad auxilium suum requisiuit,prōptissimúmque ad subueniendum inuenit. Prædictus quippe miles Papæ signifer erat,armisque Campaniam obtinuerat, & Campanos,qui diuersis scismatibus ab Vnitate Catholica dissidebant,sancto Petro Apostolo subiugauerat. Hic exulanti consanguineo cum Monachis suis medietatem antiquæ vrbis, quæ Aquina dicitur, dedit. Postea Rodbertus Ricardum Principem Capuæ filium Anchetilli de Quadrellis adiit. Ipse verò multis blanditiis ei fauit: sed promissorum blandimenta operum completione non peregit. Rodbertus autem vt friuolis promissionibus delusum se perspexit; iratus degenerem parentelam eius, quam benè nouerat, ei exprobrauit, ipsúmque relinquens ad Rodbertum Vviscardum Calabriæ Ducem se contulit. Ille verò vt Dominum naturalem eum honorificè suscepit: C multúmque,vt ipse cum Monachis suis semper secum permaneret,rogauit. Huius pater Tancredus de Alta-villa de Pago Constantino extitit: qui de duabus legitimis vxoribus, quas desponsauerat, XII. filios,pluresque filias habuit: quorum vni nomine Goisfredo paternæ hæreditatis agros concessit,aliósque omnes vt extra solum ea quibus indigerent, viribus & sensu sibi vendicarent,admonuit. Illi autem non simul,sed diuerso tempore sub specie peregrinorum peras & baculos portantes (ne à Romanis caperentur)in Apuliam abierunt: omnésque variis euentibus aucti, Duces aut Comites in Apulia seu Calabria vel Sicilia effecti sunt: de quorum probis actibus & strenuis euentibus Goisfredus Monachus cognomento Mala-Terra hortatu Rogerij Comitis Siciliæ elegantem Libellum nuper edidit. Horum sublimior & potentior Rodbertus Vviscardus extitit: qui post obitum fratrum suum Drogonis & Vnfridi Principatum Apuliæ diu tenuit: & Langobardis Græcisque, qui magnis in oppidis & vrbibus confidentes ius antiquum pristinámq; libertatem defendere nitebantur, virtute bellica subactis, Ducatum Calabriæ obtinuit. Ionio D mari transfretato cum modica, sed forti Normannorū Cisalpinarúmque gentium manu,Macedoniam inuasit: contra Alexium Imperatorem Cōstātinopolitanorum bis conflixit:ipsúmq; terrâ maríque victum bello,cum ingenti multitudine fugauit.

PRÆFATVS Heros(vt diximus) Rodbertum Abbatem cum Monachis suis honorabiliter suscepit: & Ecclesiam sanctæ Eufemiæ, quæ super litus Adriatici maris,vbi ruinæ antiquæ vrbis, quam Brixiam nominabant, adhuc parent, sita est, ei tradidit: ibique Monachile Cœnobium in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ construi præcepit. Magnas possessiones tàm ipse Dux quàm alij Normanni prædictæ Ecclesiæ dederunt & orationibus fidelium, qui illic congregati seu congregandi erāt,ad militiam Christi sese commendauerūt. Ibi Fredesensis vxor Tancredi de Alta villa sepulta est:pro qua Vviscardus filius eius quendā magnum feudum eidē Ecclesiæ largitus est. Idē Princeps Cœnobiū sanctæ Trinitatis in ciuitate Venusia prædicto Patri commendauit. Ille autem Berēgariū filiū Ernaldi filij Helgonis Vticēsem Monachū elegit:& ad suscipiēdū regimen Venusiēsis Cœnobij Ale-

GVILLELMVS II. xandro Papæ præsentauit. Qui post perceptam benedictionem, quamdiu Alexander & Gregorius, ac Desiderius Apostolicam Sedem rexerunt, curam Venusiensis Abbatiæ honorabiliter tenuit: deinde temporibus Vrbani Papæ à plebe electus Episcopatum eiusdem vrbis suscepit. Hic nobili parentela exortus, ab infantia sub Theoderico Abbate apud Vticum Christo militauit, peritiáque legendi & canendi, optiméque scribendi floruit. Deinde vt diximus, Abbatem suum sequutus, & ab ipso ad pastoralem curam adsumptus, pusillum gregem xx. Monachorum quem recepit, mundanisque vanitatibus vehementer occupatum, & in Dei cultu valdè pigrum inuenit, postmodum gratiâ Dei iuuante, ad numerum centum Monachorum augmentauit. Tanto etiam bonarum studio virtutum nobilitauit eos; vt ex ipsis plures Episcopi & Abbates assumerentur, sanctæque matri Ecclesiæ ad honorem veri Regis pro salute animarum præficerentur. Præterea magnanimus Dux tertium Cœnobium in honore sancti Michaëlis Archangeli in Vrbe Mellito constructum Rodberto Abbati tradidit, quod ipse Vvillelmo Ingranni filio, qui apud Vticum natus, & ad Clericatum promotus fuerat, sed apud sanctam Euphemiam Monachatum susceperat, commendauit. In his itaque tribus Monasteriis Italiæ Vticensis cantus canitur, & Monasticus Ordo vsque hodie, prout opportunitas illius regionis, & amor habitantium permittit, obseruatur.

DVÆ sorores vterinæ Roberti Abbatis, Iudith, & Emma, apud Vticum in Capella sancti Ebrulfi morabantur: & sub sacro velamine mundo renunciasse, Deóque soli per mundiciam cordis & corporis inhærere credebantur. Quæ cùm Rodbertum fratrem suum in Apulia seculari potentia sat vigere audissent, seséque in Normannia despicabiles & sine adiutorio perspexissent: iter in Italiam inierunt, & relicto velamine sanctitatis totis nisibus mundum amplexatæ sunt, & ambæ maritis ignorantibus quòd Deo dedicatæ essent nupserunt. Nam Rogerius Siciliæ Comes Iudith in coniugium accepit, aliusque Comes, cuius nomen non recolo, Emmam matrimonio suo coniunxit. Sic ambæ velamen sanctæ Religionis specimen pro mundi amore reliquerunt: & quia primam fidem irritam fecerunt, ambæ in hoc seculo steriles permanserunt, & in breui puncto temporali felicitate functæ cælestem Sponsum offenderunt.

POST discessionem Rodberti Abbatis, Rodulfus cognomento Mala-Corona auunculus eius videns acerbam tribulationem in parentes suos grauiter sæuire, & extraneos in Vticensi domo, quam ipse, fratrésque sui Deo construxerant, dominationem exercere; relicta Capella sancti Ebrulfi, vbi suprà diximus eum habitasse, Maius-Monasteriũ, in quo Monachilẽ professionẽ fecerat, expetiit: ibiq; non multo post completis in Ord. Monastico VII. annis XIV. Kal. Febr. glorioso fine quieuit.

PER idem tempus Goisfredus Martellus Andegauensium Comes, post multa in rebus seculi fortia gesta obiit: & quia liberis caruit, Goisfredo nepoti suo Alberici Vvastinensium Comitis filio honorem suum reliquit. Quem Fulco frater eius cognomento Richinus post aliquot tempus fraudulenter cepit, Principatum eius arripuit, ipsúmque in castro, quod Chinon vocatur, per triginta annos carceri mancipauit.

HIS temporibus Vvillelmus Normanniæ Dux probitate & potestate valde crescebat, cunctisque vicinis suis liberalitate & magnificentia supereminebat. Hic generosam Matildem Balduini Ducis Flandrensium filiam, neptem scilicet ex sorore Henrici Regis Francorum, coniugem accepit: ex qua dante Deo filios & filias habuit: Rodbertum videlicet & Ricardum, Vvillelmum & Henricum, Adelizam & Constantiam, Ceciliam & Hadalam. De his ingentem Historiam dicaces Historiographi texere possunt, si otio remoto studióque admoto varios illustrium euentus posteris promulgare satagunt. Nos autem, quia secularibus Curiis non insistimus, sed in Claustris Monasterij degentes Monasticis rebus incumbimus, ea quæ nobis competunt breuiter adnotantes, ad incœptam materiam redeamus.

BELLO Normannis contra vicinos Britones & Cenomanenses insurgente, Vvillelmus Dux consilio Seniorum statuit inter dissidentes Proceres suos pacem firmare, & exules reuocare. Igitur Optimates suos Rodulfum de Toënia & Hugonem de Grentemaisnilio, quos suprà diximus eum exhereditasse, & extra

A solum cum suis satellitibus fugasse, supplicationibus Simonis de Monteforti, & Vvalleranni de Britolio Beluacensi, aliorũque potentum amicorum & vicinorum delinitus reuocauit, eisque paternas hæreditates restituit. Ernaldus quoque post triennalem guerram treuias à Duce accepit, & in Apuliam ad amicos & parentes suos, qui magnis ibidem opibus pollebant, perrexit: vnde non multò pòst cum ingenti pecunia rediit, Ducisque pallam preciosam detulit. GVILLELMVS II.

SEDATIS aliquantulum procellis, quibus Vticensis Ecclesia grauiter impulsabatur, Osbernus Rector eiusdem, qui magnis curarum tumultibus angebatur, & mordaci conscientia pro Apostolico anathemate, quo percussus fuerat, intus affligebatur, consilio consensũque fratrum, domnum Mainerium Cluniaco reuocauit: & eum Fulcherio, quem Rodbertus Abbas Priorem constituerat, deposito subrogauit. Erat idem Osbernus Erfasti filius, de pago Calcegio oriundus, ab infantia litteris admodum eruditus, sermone facundus, ingenio acer ad omnia artificia, scilicet sculpendi, fabricandi, scribendi, & multa his similia faciendi. Statura mediocris, perfectæ ætatis, capite affatim onusto, nigris canisve capillis. Asper erat ineptis B & contumacibus, misericors infirmis & pauperibus, & competenter largus priuatis & extraneis. In ordine feruidus, & eorum quibus fratres corporaliter seu spiritualiter indigebant, procurator solertissimus. Iuuenes valde coërcebat, eósque benè legere & psallere atque scribere verbis & verberibus cogebat. Ipse propriis manibus scriptoria pueris & indoctis fabricabat, operisque modum singulis constitutum ab eis quotidie exigebat. Sic otia depellens iuueniles mentes intentione vtili sagaciter onerabat, easque futuro tempore scientiæ diuitiis ditatas præparabat. Hic Canonicus Lexouiensis sub domno Herberto Antistite fuerat: postea volens artiori norma constringi, habitum secularem reliquerat: & ad nouum Cœnobium quod Goscelinus de Archis in monte Rodomi sanctæ Trinitati constituerat, vbi tunc venerabilis Isembertus Abbas vir miræ peritiæ nostris temporibus incomparabiliter pollebat, mores emendare secundum beneplacitam voluntatem Dei confugerat. Hunc Rainerius Abbas Isemberti successor iam in Ordine probatum ad construendum Cœnobium Cormelias misit, vbi tunc temporis præclarus Heros C Vvillelmus Osberni filius Dapifer Normannorum Abbatiam sanctæ Dei genitrici Mariæ cōdere cœpit. Deposito * autem Rodberto Abbate de loco suo, vt supra satis dictum est, Osbernus ignarus & inuitus ad regimen Vticensis Ecclesiæ assumptus est: quo per quinque annos & menses tres, prout sæuitia iniqui temporis permisit, diligenter & vtiliter potitus est. *al. Depulso.*

HIC quendam Ecclesiæ suæ Monachum valde sapientem & religiosum nomine Vvitmundum permissu Abbatis sui secum adduxit, cuius monitis & auxiliis vsus est quandiu apud Vticum vixit. Præfatus Monachus Grammaticæ artis & Musicæ peritissimus erat: quod nobis adhuc testantur Antiphonæ & Responsoria quæ ipse condiderat. Plures enim dulcisonos cantus in Tropario & Antiphonario edidit. Hic historiam sancti Patris Ebrulfi, additis nouem Antiphonis & tribus Responsoriis, perfecit. Nam ad Vesperas super Psalmos quatuor Antiphonas condidit, & in secundo Nocturno tres vltimas adiecit, quarum etiam Responsorium & octauum & duodecimum, & Antiphonam ad Cantica & ad secundas Vesperas, D ad Canticum de Euangelio pulcherrimam Antiphonam condidit. Ipsam nimirum historiam Arnulfus Cantor Carnotensis Fulberti Episcopi discipulus secundum vsum Clericorum hortatu Rodberti Abbatis iam ediderat: & duobus iuuenibus Monachis Huberto & Rodulfo à prædicto Patre Carnotum missis primitus cantauerat. Porro Rainaldus Caluus Responsorium ad laudem Domini, quod ad Vesperas canitur, & septem Antiphonas edidit, quæ in Vticensibus Antiphonariis scriptæ reperiuntur. Hymnos quoque plures de eodem Patre Rogerius de Sappo, aliique studiosi fratres ex deuotione pia dictauerunt, suisque posteris in Bibliotheca Vticensi commendauerunt.

NIMIA sollicitudine anxius Osbernus Abbas propter Apostolicum anathema, cui coactus erat subjacere, consilio sapientum decreuit Legatum Romam mittere, & Apostolicæ Sedis benedictionē humiliter expetere. Vvitmundo itaq; sapiēti Monacho supplices iussit litteras dictare: & Bernardo iuueni cognomēto Mathæo nobili Antiquario diligenter scriptitare. Textus autem Epistolæ huiusmodi est.

GVILLELMVS II.

DOMINO *Apostolico Alexandro vice beati Petri, totius Orbis Patri excellentissimo, quidam Abbas longe positus nomine* OSBERNVS *Cœnobij sancti Ebrulfi in Normannica patria, salutem veram, subiectionem humillimam, & orationem pro posse deuotam. Quoniam ante omnes, & super omnes Ecclesiæ Prælatos, Domine Pater, vestrum est in vniuerso Orbe totius Christianitatis sollicitudinem gerere, animarum lucra ardenti desiderio quærere, discordantes ad concordiam vestram auctoritate reuocare: idcirco ego Abbas ignotus, intra gremium tamen vestræ custodiæ manens, ad vos tanquam ad clementissimum consolatorem, aperta voce, ex toto nisu mentis exclamo, preces fundo, solatium imploro, vt me per gratiam vestram à quadam Ordinis nostri fluctuatione, quam patior, secundum rectitudinem auctoritatis eripere dignemini. Cuius fluctuationis causa hæc est. Sancti Ebrulfi Abbatiam (quam ego nunc teneo) quondam ante me domnus Abbas Rodbertus consanguineus Vuillermi Normanni militis fidelis vestri tenuerat: sed quodam contrario sibi contingente eam reliquit & discessit. Princeps autem Prouinciæ & Prælati Ecclesiæ me in eodem loco Abbatem constituerunt. Et vt mihi super hoc trepidanti asseruerunt & asserunt, rectè ac secundum Deum me ordinauerunt, nescio si verum dicunt. Hoc solùm ex mea conscientia firmiter scio, quia non prece, non pretio, non familiaritate, non obsequio, nec vllius calliditatis ingenio; sed solo obedientiæ præcepto (quantum ad me) Abbatis nomen & onus suscepi, & suscipiendo nullam calumniam audiui. Præfatus ergo Rodbertus Abbas à nobis longè transportatus in Prouincia Calabriæ cuiusdam Monasterij Pater est effectus: & ibi grauiter aduersum me ira odióque mouetur, calumniatur, comminatur, dicens me locum suum inuasisse contra Deum. Ex qua dissentione & animæ subditorum vtique periclitantur: & ego inter vtramque partem valde fluctuans hæsito. Videlicet quia & Prælatis meis me benè loco stare asseuerantibus ac persistere iubentibus inobediens fore non audeo; & fratris calumniantis iram odiúmque vehementer formido; præsertim cùm sacerdotes & Monachi simus ambo. Dum enim vox Apostolica terribiliter omnibus intonet dicens,* Omnis qui odit fratrem suum homicida est, *quis enarrare sufficit quàm graue homicidium perpetrat Monachus Sacerdos fratrem suum odiens? Et si ita ad altare sacrificat, eum animam suam damnare quis ignorat? Proinde, Domine Apostolice, totius Christianitatis Pater reuerendissime, terra tenus prostratus ad pedes misericordiæ vestræ lacrymosis gemitibus præcordialiter efflagito, vt vos, qui in loco beati Petri summa vigilantia oues Dominicas alere, & à luporum insidiis custodire debetis: huius lupinæ discordiæ malum inter me & fratrem hunc, de quo loquor, Rodbertum ex Zelo Dei per iudicium æquitatis abolere festinetis, & omnem hanc fluctuationem à corde meo penitus auferatis. Ita scilicet vt ex imperio vestræ auctoritatis, & me & ordinationis meæ autores, & eundem Rodbertum calumniatorem ad iustissimam rei discussionem coram idoneis legitimisque iudicibus in vnum conuenire faciatis; quatinus si in Abbatia benè positus repertus fuero, persistam: si malè, discedam. Quod si per gratiam vestram feceritis, & officium quidem vestrum laudabiliter implebitis, & nos ambos fratres in pacis dulcedinem conducetis. Nam siue persistere, siue discedere mihi contingat: profectò & fratris iracundia ex iudicij definitione mitigata quiescet: & ego à fluctuatione liberatus, Deo postmodum famulari potero securus. O Rectorum Ecclesiæ Rector, & Patrum Pater, qui omnibus tribulatis ad refugium constitutus estis: per beatam potestatem ligandi & soluendi, quam suprà omnes terrigenas possidetis, hæc verba mea cordis aure percipite, & in quantum rectè sonant agite quod poscunt. Et vt me simpliciter loqui credatis, ad testimonium conscientiæ meæ omnia scientem Deum appello: qui me ex corde & ore quæ loquor intuetur proferre. Hoc tandem in fine verborum, pie Domine, pronus & supplex summopere deposco, vt per hunc eundem quem vobis dirigo Legatum, in litteris sigillo vestro signatis mihi remandare paterna pietate curetis, qualiter hæc verba mea sentitis vel recipitis, & quid indè acturus estis, & quando & vbi; quatinus dum certum dederitis responsum fluctuationi meæ, ad clementissimum consolatorem me gaudeam exclamasse. Valete, Pater gloriose, Rector excellentissime, summum in terra Caput Ecclesiæ. Valete, & super ouilia Dominica vigilate. Quod vtinam sic agatis, vt ad vltimum iudicium securus veniatis, Amen.*

HANC Epistolam Vuillelmus Presbyter sancti Andreæ de Escalfoio detulit, Romæque Alexandro Papæ præsentauit. Qua coram Romano Senatu perlecta, & prudenti examinatione diligenter discussa, venerandus Papa rogante Rodberto Abbate, qui præsens erat, Osbernum absoluit: & præfatæ legationis baiulum cum benedictione Apostolica gaudentem ad suos remisit. Rodbertus enim iam de reditu in Normanniam propter ferocitatem Vuillelmi Ducis diffisus, & in Calabriæ partibus, vt supra diximus, à Guiscardo aliisque Normannis alienas diuitias vsurpantibus honorabiliter retentus, mitigato furore, quem contra Osbernum prius

A habuerat, nunc apud Papam pro eo benignus intercessor existit, quem antea subtiliter accusando crudeliter impugnauerat. Completa verò legatione Vuillelmus Presbyter ad eos, à quibus directus fuerat, prosperè remeauit: & relatis quæ Romæ viderat vel audierat, Vticenses lætificat. GVILLELMVS II.

SECVRIOR itaque Osbernus curam Ecclesiæ, quam susceperat, intus & exteriùs laudabiliter exercebat. Neophytos ad conuersionem nonnisi quatuor susceperat, propter procellas persecutionum quas perpessus fuerat: sed illos, quos à prædecessoribus suis susceptos inuenerat, diligenter & vtiliter in sanctis artibus educabat. Hic constituit generale anniuersarium fieri singulis annis VI. Kal. Iulij pro patribus & matribus, pro fratribus & sororibus omnium Monachorum Vticensis Cœnobij. In rotulo quidem longissimo omnium fratrum, dum vocante Deo ad Ordinem veniunt, nomina scribuntur: deinde patrum & matrum eorum, fratrúmque ac sororum vocabula subscribuntur. Qui rotulus penes aram toto anno B seruatur, & sedula commemoratio inscriptorum in conspectu Domini agitur, dum ei à sacerdote in celebratione dicitur. *Animas famulorum famularúmque tuarum, quorum nomina ante sanctum altare tuum scripta adesse videntur, electorum tuorum iungere digneris consortio.* Anniuersarium verò de quo loquimur, VI. Kal. Iulij sic agitur. Omnia signa serò & mane ad officium defunctorum diu pulsantur: volumen mortuorum super altare dissolutũ palam expanditur, & deprecatio priùs pro defunctis, postea pro viuis parentibus & benefactoribus, cunctísque fidelibus Deo fideliter offertur. Missa verò matutinalis ab Abbate celebriter canitur, cum quo sacratis indumentis omnes ministri reuestiuntur. Ab Eleemosynario autem tot pauperes, quot Monachi sunt; ipsa die in Cœnobio colliguntur: & in Xenodochio pane & potu vinoque generali sufficienter à Celarario pascuntur, & post Capitulum ab omni Conuentu mandatum pauperum sicut in Cœna Domini peragitur. Hoc sicut Osbernus Abbas constituit, Vticensis Ecclesia vsque in hodiernum diem vigilanter custodit, & Nogiomensibus atque Balcherensibus, aliísque sequacibus suis ardenter tradidit.

SÆPENOMINATVS vir Dei pauperes, vt supradiximus, & ægrotos valdè amabat, & eorum indigendo * & necessaria largiendo subueniebat. Vnde consti- C tuit vt septem leprosi pro amore Dei perenniter ab Vticensibus alerentur, eísque de Cellario fratrum panis & potus septem Monachorum quotidie largiretur. Quod ipse & Mainerius successor eius libenter tenuerunt, quamdiu in regimine vitales auras hauserunt. Sed hæc à Serlone successore eorum, prout voluntas hominum variatur, constitutio postea mutata est: iterúmque à Rogerio, qui successit eis, ternarius infirmorum numerus in nomine Domini reformatus est.

ANNO ab Incarn. Domini MLXIV. post mortem Herberti iuuenis Cœnomanensium Comitis, Vuillelmus Dux cum valida manu armatorum Sartam fluuium transiit, multósque Cœnomannorum sese illius manui subdentes clementer suscepit; & quamdiu postea vixit, (annis scilicet XXIV.) subiectos iure possedit. Præfatus nimirum iuuenis post obitum Herberti senioris patris (qui vulgo Euigilans-canem cognominabatur, propter grauissimas infestationes, quas à perfidis affinibus suis Andegauensibus incessanter patiebatur) consilio Bertæ matris suæ, se suúmque patrimonium fortissimo Duci Normannorum commendauerat; & Margaritam sororem suam Rodberto eiusdem Ducis filio in coniugium dederat: cum qua hæreditatem suam, Comitatum scilicet Cœnomanensem, si sine liberis obiret, con- D cesserat. Sed quia Vualterius Pontesiensium Comes, filius Drogonis Comitis, qui cum Rodberto seniore Normannorum Duce in Hierusalem ierat, & in illo itinere peregrinus obierat, Biotam Hugonis Cœnomanensium Comitis filiam, quæ amita prædicti iuuenis erat, in coniugium habebat; totum Comitatum Cœnomanensem calumniabatur, & ex parte possidebat. Nam ipsam vrbem, quæ caput est Prouinciæ, Goisfredus de Meduana, & Hubertus de sancta Susanna, aliíque potentes in fidelitate Vualterij acriter tenebant: quia Normannicum iugum his, quibus imminet grauissimum est, subire nimis formidabant. Itaque dum magnanimus Dux frequenti expeditione rebelles impeteret, & ipse (vt bellica sors expetit) damna pateretur, & damna hostibus inferret: prædictus Comes Vualterius & Biota coniunx eius per inimicorum machinamenta simul (vt ferunt) lethali vene- 1064.

GVILELMVS II. no fraudulenter infecti obierunt. Quibus defunctis, securior Dux cum magno robore rebelles expetiit; Cœnomannicam vrbem ciuibus vltro sese dedentibus cum ingenti tripudio recepit, eique domnus Ernaldus eiusdem vrbis Præsul cum Clericis & Monachis reuestitis textus crucésque ferentibus honorabiliter obuiam processit. A

PORRO Goisfredus de Meduana tantæ felicitati Ducis inuidit, eique quantum potuit aduersarios excitando, aliísque mala machinando nocere studuit. Vnde Dux, postquam proteruiam eius, vt per se sine multorum detrimento corrigeretur, aliquandiu tolerauit: contra perseuerantem in nequitia ingentem exercitum mouit, Ambreras oppidum eius cepit, & Meduanam post diutinam obsidionem combussit. His itaque duobus castellis sibi subactis, Goisfredi contumaciam fregit: sibique ipsum, qui fortissimus Cœnomannorum alios tumentes secum resistere suadebat, seruire coëgit. Quo superato, pene omnes illius complices, & ad rebellandum fautores, terrore curuati sunt: & Vvillelmum Principem, quem diuina manus protegebat, timere, eique obsecundare coacti sunt. Ipse speciosam virginem Margaritam Stigaudo potenti viro de Mansione Odonis ad nutriendum commendauit: sed ipsa priùs quàm nubiles annos attingeret seculi ludibriis erepta feliciter obiit, & Fiscanni, vbi Monachile Cœnobium sanctæ & indiuiduæ Trinitatis gloriosè pollet, humata quiescit. B

EODEM tempore Rodbertus de Vvaceio filius Rodulphi filij Rodberti Archiepiscopi sine liberis mortuus est: & Vvillelmus Dux cognatus eius totam hæreditatem eius in dominio suo nactus est. Tunc ipse terram Rodberti de Vvitot, qui propter occisionem Gisleberti Comitis exulabat, Goisfredo Mancello fratri Vicecomitis Huberti dedit: à quo domnus Osbernus Abbas S. Ebrulfi villam, quæ Ductus Ertu dicitur, & Trunchetum, & Maisnil Roscelini emit. Hoc Vvillelmus Dux concessit, & in Charta confirmauit coram Optimatibus Normaniæ, Vvillelmo Osberni filio, Ricardo de Abrincis Turstini filio, Rogerio de Monte-Gomerici, & multis aliis in Charta notatis.

RODBERTVS verò de Vvitot post longum tempus Duci reconciliatus est, & honore suo recuperato præfatam terram S. Ebrulfo calumniatus est. Sed non multo post bello Anglico, vbi & ipse in genu vulneratus est, peracto, letiferam ægritudinem incurrit. Qui dum mortem sibi appropiare sensit, totam terram, quam ab ipso calumniatam esse iam diximus, bono animo fidelibus Dei pro redemptione animæ suæ concessit. Hoc autem apud Doueram coram Odone Baiocensi Episcopo, & Hugone de Grentemaisnilio, Hugone quoque de Monte-forti, & Hugone filio Fulcodi, aliísque multis magnis & mediocribus S. Ebrulfo concessum est. C

DEINDE quia idem miles ferè XI. nepotes militiæ titulis feroces habuit: ipsis inter se sæuientibus vix vnquam vsque in præsentem diē hæreditas eius in pace permanere potuit. Nam Mathiellus, & Richardus frater eius, ac Nigellus, atque Rualodus Brito Nigelli gener, diuersis temporibus successerunt, multásque malitias infortuniis comitantibus exercuerunt. Vnusquisque eorum præfatam possessionem S. Ebrulfo calumniatus est: sed iudicio Dei, qui Ecclesiam suam potenter vbique protegit, imminente, ab iniusta calumnia cessare coactus est. Mathiellus enim sub magno Duce Vvillelmo, & Ricardus, aliíque calumniatores sub Duce Rodberto, eiúsque fratribus Vvillelmo Rufo & Henrico, Ecclesiam Dei rebus habitis spoliare cum multis minis conati sunt: sed Rege Regum suos adiuuante, quod nequiter optabant perpetrare nequiuerunt. D

ERNALDVS de Escalfoio Vvillelmi Geroiani filius, postquàm de Apulia prosperè remeauit, Vvillelmum Ducem adiit, eique preciosissimam pallam præsentauit, suámque ab ipso humiliter hæreditatem requisiuit. Dux autem considerans nobilitatem viri, & ingentem probitatem, recolénsque suam contra Cœnomannos & Britones, aliósque sibi resistentes proborum militum paucitatem; iam lenior effectus ei reatus indulsit, datísque induciis patrimonium suum se illi redditurum spopondit, & vsque ad statutum terminum per terram suam eundi & redeundi liberam securitatem concessit. Ernaldus itaque vana Ducis promissione percepta lætatus est: sed frustrà, vt paulò pòst dilucidatum est. Nam Mabilia Talauacij filia lethali veneno cibum & potum infecit: eúmque dum de Curia ducis in Gal-

A liam remearet, refici iussit: sed illi per quendam amicum suum doli conscium tantum nefas innotuit. Vnde dum apud Escalfoium ad quosdam amicos suos colloqueretur, & à clientibus præfatæ mulieris ad conuiuium cum summa prece inuitaretur: memor amici iussionis nullatenus acquieuit, sed omnino cibum & potum, in quo lethum inesse metuebat, repudiauit. Verùm Gislebertus frater Rogerij de Monte-Gomerici, qui prædictum Ernaldum conducebat, vtpote qui penitus doli nescius erat, cifum accepit, super equum residens merum bibit, & veneno infectus apud Raimalastum tertia die obiit. Sic perfida mulier dum mariti sui æmulum extinguere putauit, mariti sui vnicum fratrem, qui multa honestate in annis adolescentiæ, & equestri probitate pollebat, occidit. Non multò pòst, dum primo conatu se delusam esse ingemuit, ad cõcupitum facinus perpetrandum alio nisu non minus ferali denuo insurrexit. Nam Rogerium militem cognomẽto Gulafram, qui Ernaldi Cubicularius erat, precibus & promissis circumuenit, citóque fraudulentũ satellitem nefariis votis inclinauit. Deinde pestiferas potiones hæc præparauit: ille autem B Ernaldo Domino suo & Geroio de Corbe-villa, atque Vvillelmo cognomẽto Goiet de Monte-Miralio propinauit. Sic vna tabe tres Proceres apud Corbe-villam simul infecti sunt. Sed Geroius atque Vvillelmus, qui ad proprias domus delati sunt, ibique sui curam ad libitum suum exercere potuerũt, Deo effectum remediis Medicorum præstante conualuerunt. Porro Ernaldus, qui exulabat, nec sui curam in extraneis Penatibus sufficienter exercere poterat, aliquantis diebus ægrotauit, tandémque ingrauescente morbo Kal. Ianuarij expirauit. Hic pridie quàm obisset, dum solus in camera lecto decumberet, quendam seniorem pulcherrimum (quem S. Nicolaum Præsulem ratus est) manifestè, non in somniis vidit; à quo huiuscemodi mandata audiuit: De sanitate corporis tui, frater, sollicitus esse noli, quia cras sine dubio morieris: sed toto nisu procura qualiter anima tua saluetur in examine iusti & æterni iudicis. His dictis senex repentè disparuit, & æger mox Vticum misit, & ab eiusdem loci fratribus visitari rogauit. Illi autem Fulconem de Vvarlenuilla citò miserunt Corbeuillam. Ibi nempe præfatus miles cum Geroio eiusdẽ oppidi domino, cuius propinquus & amicus erat, exulationis suæ tẽpore per C triennium moratus fuerat, & inde per Corbonienses & Drocenses atque Morinos, aliósque quos in auxilium sui aduocare potuerat, iniuriam expulsionis suæ forti guerra vindicauerat. Illuc Fulcone confestim adueniente æger valde gauisus est, & manifestata reuelatione quam pridie viderat, seculóque relicto cum benigna deuotione animi Monachus effectus est. Deinde peccata sua lugens, & in Deo gaudens eodem die mortuus est, & corpus eius Vticum delatum est, ibique in Claustro Monachorum à domno Abbate Osberto, & à Conuentu S. Ebrulfi honorificè sepultum est.

Gvillel-mvs II.

Defvncto itaque Ernaldo, tota Geroianorum nobilitas pene corruit, nec vllus posterorum stemma priorum ex integro vsque hodie adipisci potuit. Hic Emmam Turstini cognomento Halduc filiam vxorem duxerat, ex qua Vvillelmum & Rainaldum, ac Petronillam atque Geuam, aliósque filios & filias habuerat. Qui patre, dum adhuc viridi iuuenta maximè floreret, in teneris annis destituti: & in externis domibus (vt supra satis ostendimus) constituti, coacti sunt inopias, plurésque iniurias ab infantia perpeti. Mater ad Eudonem fratrem suum Normannici D Ducis Dapiferum, qui in pago Constantino diuitiis & potestate inter Normanniæ Proceres eminebat, secessit: & tam apud illum quàm apud alios amicos suos in viduitate pene xxx. annis honestè vixit. Castitate & mansuetudine, aliisque bonis honestatibus laudabilis extitit: ac ad vltimum propè finem suum seculare schema reliquit: & à domno Rogerio Abbate Exaquij sacrum velamen cum deuotione accepit.

Gvillermvs de Excalfoio primogenitus Ernaldi filius, vt annos adolescentiæ attigit, Curiam Philippi Regis Francorum adiit; Regísque armiger factus ei seruiuit, donec ab eo arma militaria accepit. Deinde Apuliam, vbi parentes magnæ sublimitatis habebat, appetiit: à quibus amicabiliter retentus, per plurimas probitates multipliciter excreuit. Ibi nobilem de genere Langobardorum coniugem accepit: & possessionem triginta castellorum sub Rodberto Comite Lorotelli, nepote scilicet Vviscardi, obtinuit. Ex secunda muliere multiplicem vtriúsque

GVILLELMVS II. sexus sobolem recepit, & Normannorum oblitus, inter Vuinilos ferè XL. annis honorabiliter vixit. A

RAINALDVS autem minimus filiorum Ernaldi tribus mensibus ante patris obitum Osberno Abbati traditus est, & in Vticensi Ecclesia sub regulari disciplina diligenter educatus est, & à præfato Abbate Benedictus dulcedinis gratia cognominatus est. Pater eius, dum ipsum Deo ad Monachatum obtulit, terram vnius carrucæ apud S. Germanum in patrochia Escalfoij S. Ebrulfo concessit: quam pro infortuniis, quæ ipsum hæredésque eius perpessos esse retulimus, Ecclesia iamdudum perdidit. Præfatus puer quinquennis erat cùm Monachile iugum subiit, & LII. annis sub quatuor Abbatib. per aduersa & prospera fortiter portauit. Eruditionem legendi & canendi & ipse affatim didicit: & aliis, postquam ad virile robur peruenit, sine fraudis litura gratis intimauit. Memoria verò narrandi quæ viderat vel audierat magnificè viguit: delectabilíque relatu rerum, quas in diuinis voluminibus seu peritorum assertionibus rimatus est, socios multoties leniuit. Mitibus & modestis indoctísque Neophitis affabilitate & obsequiis semper placere B studuit: sed superbis & simulatoribus, nouitatúmque commentoribus audaci contradictione viriliter resistere decreuit. Bis in Apuliam permissu Rogerij Abbatis propter vtilitatem Vticẽsis Ecclesiæ perrexit, ibique Vuillermum fratrem suum, aliósque multos, ex parentela sua, qui in extera regione diuitiis abundabant, inuenit. Cum Vuillelmo Abbate S. Eufemiæ filio Vnfridi de Telliolo ferè tribus annis in Calabria mansit, & indè remeans prædicti Abbatis, cuius ipse consobrinus erat, dono cappam ex alba purpurea S. Ebrulfo detulit. Hic ab infantia Monasticas obseruationes laudabiliter tenuit, diuinóque cultu nocte diéque feruenter inhæsit. Psalmodiam tam infatigabiliter vidimus eum plerúmque tenere, vt vix vnus versiculus ab aliis in Choro suo psalleretur ipso tacente. Sed sicut scriptum est, *Multæ tribulationes iustorum*, hic multas aduersitates propessus est importunitate tumultuum interiorum & exteriorum. Nam quia rigidus & asper erat temerariis, atque adulari dedignabatur hypocritis; sæpè conturbatus est eorum infestationibus multimodis. Et quia oculus Dei omnia intuetur, subtilíque iudicio redarguit ea etiam, C quæ hominibus laudabilia videntur, prædictum fratrem ab infantia infirmitate corporis corripuit: & huc vsque (vt iustus iustificetur adhuc) membrorum debilitatem augmentare non desistit. Is enim in pueritia, quia immoderatus erat, & ad omne opus, vt reliquis fratribus fortior videretur, toto nisu insurgebat: ruptura intestinorum, dum terram gestaret, læsus est, ipsóque sibi non parcente læsura eadem insanabilis effecta est. Denique iam per septem annos tam graui oppressus est passione, vt nec manum ad os nunc possit erigere, nec propria vi quodlibet officium sibi exhibere. Summe Deus, qui sanas contritos corde, clementer illius miserere: ipsúmque ab omni expurgans scelere, ereptum de carnis molesto carcere, in æterna requie famulorum tuorum collegio insere.

DVÆ Ernaldi filiæ post mortem patris, & desolationem suorum optauerunt magis Deo placere modesta compositione morum, quàm seculo subiacere corruptibili pulchritudine corporum, Vnde virginitatem ambæ Deo dicauerunt, mundóque spreto Sanctimoniales effectæ sunt. Nam Petronilla in Cœnobio S. Mariæ Andegauis velum suscepit: diúque secundum morem aliarum Virginum diligenter sacrum Ordinem seruauit: ac deinde per x. annos iam inclusa, fama sanctitatis D & virtutis exemplo longè latéque multis innotescit. Porro Geua soror eius in Cœnobio S. Trinitatis, quod Mathildis Regina apud Cadomum construxit, sub Beatrice Abbatissa sacram seriem diu gerendo & docendo, sibi & aliis laudabiliter profecit. Hæc de fundatoribus Ecclesiæ nostræ, & eorum dicta sunt progenie. Nunc ad narrationem redeamus Historiæ.

INCLYTVS Normanniæ Marchio Vuillermus, contra Beluacenses, qui fines suos depopulari conabantur, castrum quod Nouus-Mercatus dicitur, expulso pro quodam leui offensa Goiffredo naturali herede, ad tuendum plurimis Baronum suorum commendauit: sed vix vllus eorum propter infestantes Milliacos & Gerberritos aliósque confines vno anno tutari potuit. Tandem magnanimus Dux Hugoni de Grentemaisnilio, qui audaci probitate & dapsilitate præcipuus erat, consilio Rogerij de Monte-Gomerici, qui sibi nimis vicinæ fortitudini eius inuidebat,

A eique scandalum qualibet arte vel euentu præstruere cupiebat, prædictum oppidum cum Geroldo Dapifero commendauit, & medietatem dedit. At ille tuitionem præfatæ munitionis gratanter suscepit, Deóque iuuante intra vnum annum duos Beluacensium maximos Optimates cepit, conterritísque reliquis hostibus totam regionem in illo climate pacificauit. GVILLIELMVS II.

NOVO-MERCATO quatuor Canonici Ecclesiam S. Petri Apostoli possidebant, sed Dei cultum negligenter agebant, vitámque suam multum seculariter ducebant. Vnde magnanimus Hugo medietatem, quæ sibi competebat Ecclesiæ, Monachis S. Ebrulfi concessit tali tenore, vt dum morte vel alio quolibet casu Canonici deficerent, Monachi succederent. Quod & ita factum est. Nam duobus Canonicis, qui in parte Hugonis erant, indè discedentibus, Monachi successerunt, & Ecclesiæ medietatem vsque hodie possederunt: ibíque Rodbertus Caluus, & Radulfus de Rosseria, necnon Ioannes de Belnaio, alijque probi modo habitauerunt.

QVODAM tempore inter sæpenominatum Hugonem & Radulfum Comitem Medantensium Philippi Regis Francorum vitricum grauis seditio exorta est. Cúmque Hugo cum prædicto Consule audacter congressus est, quia militum impar ei numerus erat, fugere compulsus est. In hac fuga Ricardus de Heldrici-Corte nobilis miles de pago Vvilcassino vulneratus est. Nam dum vadum Eptæ fluminis equo velociter fugiens ingressus est, persequentis militis lancea super equum à tergo acerrimè percussus est. Qui mox ad Nouum-Mercatum delatus est à commilitonibus suis; moríque metuens consilio Hugonis, in cuius familia seruierat in armis, deuouit amodo se militaturum sub Monachili norma virtutum exercitiis. Vticenses ergo Monachos accersiit, & Osberni Abbatis magisterio se mancipauit. Postea donante Deo, qui peccatores diuersis occasionibus de baratro perditionis retrahit, Ricardus aliquantulum, non tamen ex integro, conualuit, & ferè VII. annis in ordine feruidus vixit, atque pluribus modis Ecclesiæ profecit. Hic etenim patrimonium suum, quod in pago Vvilcassino possederat, quia vxorem & liberos non habuerat, post vulneris læsionem sancto Ebrulfo sponte secum contulit, & à Fulcone patruo suo atque Herberto Pincerna (qui capitalis Dominus erat) aliísque parentibus suis integram huius rei concessionem obtinuit. Ipse nimirum quamuis plaga eius numquam clausa esset, & inde sanies, quantum testa oui anseris capere posset (vt refertur ab his qui viderunt) quotidie deflueret, Conuentum ordinatè sequi ardenter studebat, & ministeria, quæ Ordini competebant, alacriter exhibebat. Eundo vel equitando quò sibi iubebatur ibat, & Ecclesiasticis vtilitatibus pro posse suo verbis & actionibus instanter deseruiebat. Hunc nimirum Osbernus Abbas plus aliis diligebat, & in ipso valde velut in suo proprio confidebat. Vnde ad nouam basilicam, quam inchoare disponebat, curam & impensas, magisteriúmque latomorum ei commendabat.

PRÆFATVS Pater huius Ricardi precibus & hortatu Franciam adiit, & Rodbertum eloquentem, ac Herbertum de Serranz, & Fulcoium de Caldreio, alióSque milites & plebeios Vvilcassinienses ad sui notitiam dulci colloquio inuitauit, fundúmque Heldrici-Cortis præfatis Proceribus & vicinis annuentibus & congaudentibus in dominium S. Ebrulfi recepit. Inde rediens in lectum decidit. Post aliquot dies morbo ingrauescente in Capitulum deductus venit, & Epistolam, quam Alexandro Papæ misisse eundem suprà diximus, palam recitari iussit. Quod ita factum est, vt cunctis manifestum fieret, quòd ipse Abbatiam Rodberto Abbati non surripuisset; sed inuitus ac violentia coactus regimen suscepisset. Denique fratres hortatu corroborauit, ac vt sibi errata indulgerent, suíque memores essent, obsecrauit. Sicque data confessione, ac sacro sancta Dominici corporis percepta communione, postquam moderamen Vticensis Ecclesiæ quinque annis & tribus mensibus tenuit, VI. Kal. Iunij inter manus fratrum letanias pro eo piè canentium obiit. In crastinum verò Vitalis Bernaicensium Abbas ad tumulandum amicum suum accessit, & in claustro Cœnobiali iuxta Ecclesiam S. Petri Apostolorum Principis sepeliuit: vnde Mainerius successor eius ipsum post annos X. & VII. cum ossibus Vvitmundi socij sui in Capitulum nouum transtulit.

ANNO ab Incarn. Do. MLXVI. Indict. IV. mense Aprili ferè XV. diebus à parte 1066.

GVILLELMVS II.

Circij apparuit stella quæ Cometes dicitur: qua vt perspicaces Astrologi, qui secreta Physicæ subtiliter rimati sunt, asseuerant, mutatio regni designatur. A EDVARDVS enim Rex Anglorum Edelredi Regis ex EMMA Ricardi senioris Normannorum Ducis filia filius paulo antè obierat: & HERALDVS Goduini Comitis filius regnum Anglorum vsurpauerat: iámque tribus mensibus ad multorum detrimentum periurio & crudelitate, aliísque nequitiis pollutus tenuerat. Iniusta nempè inuasio nimiam inter quasdam gentes dissentionem commouit: multísque matribus filiorum & coniugibus maritorum necem & luctum peperit. Eduardus nimirum propinquo suo Vuillelmo Duci Normannorum primò per Rodbertum Cantuariorum summum Pontificem, postea per eundem Heraldum, integram Anglici regni mandauerat concessionem: ipsúmque concedentibus Anglis fecerat totius iuris sui hæredem. Denique ipse Heraldus apud Rotomagum Vuillelmo Duci coram Optimatibus Normanniæ sacramentum fecerat: & homo eius factus, omnia quæ ab illo requisita fuerant super sanctissimas reliquias iurauerat. Tunc etiam Dux eundem Heraldum in expeditione secum contra Conanum Comitem Britonum duxerat; B armísque fulgentibus & equis, aliísque insigniis cum commilitonibus suis spectabiliter ornauerat. Erat enim idem Anglus magnitudine & elegantia, viribúsque corporis, animíque audacia, & linguæ facundia, multísque facetiis & probitatibus admirabilis. Sed quid ei tanta dona sine fide, quæ bonorum omnium fundamentum est, contulerunt? In patriam nempe suam vt regressus est, pro cupiditate regni Domino suo fidem mentitus est. Nam Regem Eduardum, qui morbo ingrauescente iam morti proximus erat, circumuenit; eique transfretationis suæ & profectionis in Normanniam ac legationis seriem retulit. Deinde fraudulentis assertionibus adiecit, quod Vuillelmus Normanniæ sibi filiam suam in coniugium dederit, & totius Anglici regni ius, vtpote genero suo concesserit. Quod audiens ægrotus Princeps miratus est, tamen credidit & concessit quod vafer tyrannus commentatus est.

POST aliquot temporis piæ memoriæ Rex Eduardus XXIV. anno regni sui Nonas Ianuarij Lundoniæ defunctus est, & in nouo Monasterio, quod ipse in Occidentali parte Vrbis condiderat, & tunc præcedenti septimana dedicari fecerat, C prope altare quod beatus Petrus Apostolus tempore Melliti Episcopi cũ ostensione signorum consecrauerat, sepultus est. Tunc Heraldus ipso tumulationis die, dum plebs in exequiis dilecti Regis adhuc maderet fletibus, à solo Stigaudo Archiepiscopo (quem Romanus Papa suspenderat à diuinis officiis pro quibusdam criminibus) sine communi consensu aliorum Præsulum & Comitum Procerúmque consecratus, furtim præripuit diadematis & purpuræ decus. Audientes autem Angeli temerariam inuasionem, quam Heraldus fecerat, irati sunt: & potentiorum nonnulli fortiter obsistere parati à subiectione eius omnino abstinuerunt. Alij verò nescientes qualiter tyrannidem eius (quæ iam super eos nimis excreuerat) euaderent: & econtrà considerantes quod nec illum deiicere, nec alium Regem ipso regnante ad vtilitatem regni substituere valerent, colla eius iugo submiserunt, virésque facinori, quod inchoauerat, auxerunt. Mox ipse regnum, quod nequiter inuaserat, horrendis sceleribus maculauit.

EDVVINVS verò & Morcarus Comites, filij Algari præcipui Consulis, Heraldo familiaritate adhæserunt; cúmque iuuare toto conamine nisi sunt, eò quod ipse D Edgiuam sororem eorum vxorem habebat, quæ priùs Gritfridi fortissimi Regis Guallorũ coniunx fuerat: eique * Blidenũ regni successorem, & filiam nomine Nest pepererat. Tunc Tosticus Goduini Comitis filius, aduertens Heraldi fratris sui præualere facinus, & regnum Angliæ variis grauari oppressionibus, ægrè tulit, contradixit, & apertè repugnare decreuit. Vnde Heraldus patris Consulatum, quem Tosticus, quia maior natu erat, longo tempore sub Eduardo Rege iam tenuerat, ei violenter abstulit, ipsúmque exulare compulit. Exul igitur Tosticus Flandriam expetiit, ibíque socero suo Balduino Flandrensium Satrapæ Iudith vxorem suam commendauit, deinde festinus Normanniam adiit, & Vuillelmum Ducem, cur periurum suum regnare sineret, fortiter redarguit: séque fideliter si ipse cum Normannicis viribus in Angliam transfretaret, regni decus obtenturum illi spopondit. Ipsi nempe iamdudum se inuicem multum amauerant, duásque sorores, per quas

*al. Blidelum.

A quas amicitiâ sæpè recalescebat, in coniugio habebant. Vuillelmus autem Dux aduenientem amicum cum gaudio suscepit: amicabili redargutioni eius gratias egit, eiúsque exhortationibus animatus Normanniæ Proceres conuocauit, & de tanto talique negotio quid agendum esset, palam consuluit. GVILLELMVS II.

EODEM tempore Normannia præclarè vigebat sapientibus Ecclesiarum Prælatis & Optimatibus. Nam sacer Maurilius ex Monacho Metropolitanus præsidebat Episcopus Cathedræ Rothomagensi, & Odo Vuillelmi Ducis vterinus frater Baiocensi: Hugo frater Rodberti Aucensis Comitis Lexouiési, & Vuillelmus Ebriocensi: Goisfredus Cõstantiniensi, & Ioannes filius Radulfi Baiocarũ Comitis Abrincatensi, atque Iuo Belesmensis Vuillelmi filius Sagiensi. Omnes hi pollebant & excellentia præclaræ generositatis, & claritudine religionis, multimodæq; probitatis. 1066.

B PERSONÆ nihilominus laici Ordinis præminebant, Ricardus Comes Ebroicensis, Rodberti Archiepiscopi filius: Rodbertus Comes, Vuillelmi Aucensis Satrapæ filius: Rodbertus Comes Moritoliensis, Vuillelmi Ducis vterinus frater: Rodulphus de Conchis Rogerij Toenitis filius, Normannorum signifer: Vuillelmus Osberni filius, Ducis cognatus & dapifer: Vuillermus de Vuarenna, & Hugo Pincerna: Hugo de Grẽtemaisnilio, & Rogerius de Molbraio: Rogerius de Bello-Monte, & Rogerius de Mõte-Gomerici: Balduinus & Ricardus Gisleberti Comitis filij, & alij plures militari stẽmate feroces, sensúque sagaci cõsilióque potentes: qui Romano Senatui virtute seu maturitate non cederent, sed ad laborem tolerãdum, hostémque tam ingenio quàm fortitudine vincendum æquiparari studerent.

OMNES hi ad commune decretum iussu Ducis acciti sunt, & audita re tam grandi, vtpotè diuersi diuersa senserunt. Animosiores cupido Duci fauere volentes, ad certamen ire socios incitabant: tantúmque negocium sine mora incipere laudabant. Alij verò laboriosum opus inire dissuadebant, nimiúmque ausis & in necem præcipitibus multa importuna & discrimine plena prætendebant: pericula maris & difficultatem classis opponebant, Normannorúmque paucitatem non posse vincere Anglorum multitudinem asserebant. Tandem Gislebertum Lexouiensem Archidiaconum Romam misit, & de his quæ acciderant ab Alexandro Papa C consilium requisiuit. Papa verò auditis rebus quæ contigerant, legitimo Duci fauit, audacter arma sumere contra periurum præcepit: & vexillum sancti Petri Apostoli, cuius meritis ab omni periculo defenderetur, transmisit.

INTEREA Tosticus in Angliam remeandi licentiam à Duce accepit: eique auxilium suum tam per se, quàm per omnes amicos suos firmiter spopondit. Sed sicut scriptum est, *Homo cogitat, Deus ordinat*, euenit multò aliter quàm sperabat. Nam de Constantino pelagus intrauit, sed Angliam attingere nullatenus potuit. Heraldus enim mare nauium militúmque copia munierat, ne quis hostium sine graui conflictu introiret in regnum, quod fraudulenter inuaserat. Tosticus itaque magnis vndique premebatur angustiis; vtpote qui nec Angliam per bellum cum paucis contra innumeros inuadere, nec Normanniam propter contrarietatẽ ventorum poterat repetere. Vnde Zephyro Notóque, aliisque ventis alternatim impellentibus angores multos pertulit, & per æquora vagabundus discrimina plura metuit: donec tandem post plurimos labores ad Heraldum Regem Nor-vvigenarum, qui Harafagh cognominabatur, accessit. Cui, cùm ab eo honorificè susce- D ptus fuisset; videns quod promissa, quæ Vuillelmo Duci fecerat, complere non posset, mutata intentione ait: Sublimitatem vestrã magnifice Rex supplex adeo, & me seruitiúmque meũ maiestati vestræ fideliter offero; vt possim restitui per vestrũ suffragium honori ex paterna successione debito. Nam Heraldus frater meus, qui iure mihi, vtpote primogenito, debuisset parere, fraudulenter insurrexit contra me, & regnũ Angliæ periuriis præsumpsit vsurpare. Vnde à vobis, quos viribus & armis, omniq; probitate præcipuè vigere cognosco, viriliter adiuuari, vtpote homo vester, exposco. Proteruiam perfidi fratris bello proterite, medietatem Angliæ vobis retinete, aliámque mihi, qui vobis inde fideliter seruiam, dum aduixero, retinete. His auditis, auidus Rex valdè gauisus est. Deinde iussit exercitum aggregari, bellica instrumenta præparari, & Regiam classem per sex menses diligenter in omnibus aptari. Erroneus exul ad tantum laborem tyrannum exciuit, eúmque callida tergiuersatione taliter illexit: ne ab eo quasi explorator regni sui caperetur, sed

GVILLELMVS II. vt per eum quoquomodo iniuriam expulsionis suæ de malefido fratre vlcisceretur. A

NIHILOMINVS Normannorum Marchio parabat suam profectionem nescius infortunij quod præoccupauerat suum præcursorem, & extra statutum cursum longè propulerat ad Septentrionem. In Neustria multæ naues cum vtensilibus suis diligenter paratæ sunt: quibus fabricandis Clerici & laïci studiis & sumptibus adhibitis pariter intenderunt. Exactione principali de Normannia numerosi bellatores acciti sunt. Rumoribus quoque viri pugnaces de vicinis regionibus exciti cõuenerunt, & bellicis instrumentis ad præliandum sese præparauerunt. Galli namque & Britones, Pictauini & Burgundiones, aliíque populi Cisalpini ad bellum transmarinum conuolarunt, & Anglicæ prædæ inhiantes variis euentibus & periculis terræ marique sese obtulerunt.

DVM hæc patrarentur Osbernus Abbas Vticensis, vt suprà retulimus, obiit: & Monachilis Conuentus de substituendo successore Ducem antequam transfretaret requisiuit. At ille apud Bonam-villam indè cum Proceribus suis consilium tenuit. Denique hortatu Hugonis Episcopi, aliorúmque sapientum, Mainerium B Priorem elegit, eíque per pastoralem baculum exteriorem curam tradidit, & prædicto Antistiti, vt ea quæ sibi de spirituali cura competebant suppleret, præcepit. Ille verò libenter omnia compleuit.

EODEM die Dux domnum Lanfrancum Beccensium Priorem coram se adesse imperauit: eíque Abbatiam, quam ipse Dux in honore S. Stephani Protomartyris apud Cadomum honorabiliter fundauerat, commendauit. Lanfrancus itaque primus Cadomensium Abbas factus est: sed paulò pòst ad Cantuariensem Archiepiscopatum promotus est. Erat idem natione Langobardus, liberalium artiũ eruditione affluenter imbutus: benignitate, largitate, & omni religione præditus, eleemosynis aliísque bonis studiis multipliciter intentus. Hic nimirum à die, quo primitus apud Bonã-villam (vt prælibauimus) Ecclesiæ regimen suscepit, XXII. annis & IX. mensibus multis in domo Dei fidelibus proficiens nobiliter claruit.

VENERANDVS Hugo Episcopus, magnanimum Dei clientem Mainerium iussu Ducis Vticum adduxit, cúmque secundum statuta Canonum ante altare sancti Petri Apostoli XVII. Kal. Augusti benedixit. Ille autem suscepto nomine Abbatis & onere laudabiliter vixit, & susceptum regimen XXII. annis & C VII. mensibus vtiliter tenuit, multísque modis Monasterium sibi commissum intus & exterius iuuante Deo emendauit. Fratres autem benigniter sedauit solertia & ratione, qui aliquantulum turbati fuerant in eius electione. Duos enim Monachos, qui religione, gemináque scientia pollebant, Rainaldum scilicet de Rupe, & Fulconem de Vvarlenuilla ad sui regimen elegerant: ideóque ab eo, qui per Pontificem & vicinos sine illorum consensu præferebatur, non modicum desciuerant. Sæpè in huiusmodi negocio per deteriores oriri solet turbatio. Nam dum improbi suam violenter præponere sententiam nituntur regularis Ordo, saniúsque consilium multoties impediuntur. Omnipotens verò Deus Ecclesiam suam in omni pressura potenter protegit, & errantes corrigit: ac necessarium solamen sicut vult & per quos vult clementer porrigit. Eius itaque prouidentia præfatum Mainerium (vt postea liquidò patuit) ad gubernandum Vticense Cœnobium, quod in sterili rure inter nequissimos compatriotas situm erat, promouit. Erat enim de contiguo castello, quod dicitur Escalfoium, oriundus, Grammatica, Dialectica & D Rhetorica affatim imbutus. Ad resecanda vitia solers & seuerus: ad inserendas & intimandas fratribus virtutes feruidus. Obseruator Monastici Ordinis assiduus commissis sibi viam vitæ monstrabat verbis & operibus: multorúmque ad operandũ in vinea Domini Sabaoth incitator factus est & præuius, Comésque sollicitus.

HIC cœpit nouam Basilicam in honore sanctæ Mariæ matris Domini, & sancti Petri Apostoli, ac sancti Confessoris Ebrulfi: ibique septem altaria sunt in honore Sanctorum consecrata diuinæ maiestati. Vetus enim Ecclesia, quam S. Ebrulfus Hilperico & nepote eius Hildeberto sceptra Francorum gestantibus Apostolorum Principi construxerat, antiquitate magna ex parte diruta erat, nec Conuentui Monachorum, qui quotidie augebatur, sufficiebat. Porro ædificium de lapidibus apud Vticum condere valde laboriosum est, quia lapidicina Merulensis, vnde quadrati lapides aduehuntur, ad sex miliaria longe est. Maxima ergo in colligendis equis & bobus & plaustris difficultas instabat procuratoribus, per

A quos congeries lapidum, aliique ad tantum opus agebantur apparatus. Præfatus itaque Abbas omni tempore regiminis sui non quieuit, sed multarum rerum sollicitudine anxius subiectis & posteris affatim profecit. Ecclesiam namque claram & amplam, Deique seruitium liberè celebrantibus aptam, Claustrum & Capitulũ, Dormitorium & Refectorium, Coquinam & Cellarium, aliásq; officinas competentes vsibus Monachorum auxiliante Deo perfecit, cum subsidio & largitione fratrum & amicorum. Lanfrancus enim Archiepiscopus dum dedicationi Cadomensis Ecclesiæ anno scilicet duodecimo post Anglicũ bellum interfuit: Mainerio Abbati XLIV. libras Anglicæ monetæ, & duos auri marcos erogauit: & postmodum de Cantia per domnum Rogerium de Sappo, qui sibi pro scientia litterarum notus & amicus erat, XL. libras sterilensium misit. His igitur datis Ecclesiæ turris erecta est, & monachile Dormitorium constructum est. Mathildis verò Regina preciosam infulam dedit, & cappam ad Dei seruitium: & centum libras Rodomensiũ ad agendum Tricorium. Vvillelmus autem de Ros Baiocensis Clericus (qui in eadem Ecclesia triplici erat honore præditus: erat enim Cantor, & Decanus, & Archidiaconus) XL. libras sterilensium dedit Vticensibus. Qui non multò pòst seculi pompas sponte relinquens Cadomensis Monachus factus est: & inde priusquàm vnum annum in Monachatu proficeret, ad Fiscanensis cœnobij regimen assumptus est. Nomen eius pro multis beneficiis, quæ Vticensibus contulit, in rotulo generali scriptũ est: & pro ipso Missas & orationes & eleemosynas sicut pro Monacho professo prorsus agi statutum est. Plurimis itaque fautoribus nouæ basilicæ fabrica sublimata est, & incœptum opus tam Ecclesiæ quàm domorum honorabiliter consummatum est. GVILLELMVS II. 1066. B

TEMPORE regiminis Mainerij Abbatis XC. Monachi diuersæ qualitatis & conditionis (quorum nomina conscripta sunt in volumine generalis descriptionis) secularem habitum in Vticensi Ecclesia * reliquerunt, & instinctu laudabiliq; bonorum exemplo per arduum ire aggressi sunt. Ex ipsis quidam ipso Patre adhuc viuente præmium bonæ conuersationis obtinuerunt: aliique in sancto proposito diu permanserunt, longámque militiam viriliter exercuerunt, Deóq; deuotione placere, & hominibus bonorum operum exhibitione prodesse studuerunt. Nonnulli C verò nobilitate pollẽtes Monasterio suo in multis subuenerunt, & à parẽtibus suis vel notis vel amicis decimas & Ecclesias, & ornamenta Ecclesiastica vtilitati fratrum obtinuerunt. Singillatim omnia, quæ domui suæ singuli contulerunt, omnino describere nequeo: sed tamen aliqua, prout competentem referendi facultatem videro, iuuante Deo veraciter intimare pro communi commodo posteritati cupio.

*schola

PRIMVS itaque Monachorum Rogerius de Altaripa, iussu præfati Abbatis in pagum Vvilcassinum perrexit, & Heldrici Cortem (quem sicut suprà retulimus, Ricardus vulneratus sancto Ebrulfo dederat) possedit; terramque incultam & penè vacuam culoribus inuenit. Vnde imprimis ibidem cõstruxit Oratorium de virgultis in honore S. Nicolai Mirreorum Præsulis, ideóq; vicus, qui nunc ibidem consistit, Capella S. Nicolai vsque hodie nuncupatur ab incolis. Frequenter contigit D sicut ipse nobis referre solebat, quòd nocturnis tẽporibus dũ in Capella virgea Matutinas cantabat, lupus econtra deforis stabat, & quasi psallenti murmurando respõdebat. Venerabilis itaque vir diuinitus adiutus Herbertũ pincernam amoris glutino sibi adiunxit: qui post mortem Herberti cognati sui, fratris videlicet Ricardi vulnerati, medietatem feudi eius sancto Ebrulfo concessit. Ibi Rogerius laborans beniuoli iuuamine patroni locum ipsum, qui diu antea propter guerram & alia infortunia desertus fuerat, excoluit: ibique Rogerius de Sappo post aliquot annos prædicto Seniori succedens, Ecclesiam de lapidibus ædificare cœpit. Præfatus enim miles in toto Vilcassino multum vigebat: opibusque & filiis validisq; parentibus & affinibus ampliatus, penè omnibus vicinis suis eminebat. Vxor ei erat nomine Rollandis filia Odonis de Caluimonte, quæ peperit ei Godefridũ & Petrũ, Ioanneq; & Vvallonẽ: & filias plures, ex quibus orta est copia magna nepotũ. Omnes isti, pater scilicet, & prædicti fratres, milites fuerunt magnæ probitatis, & (quantum exteriùs patuit) erga Deum & homines probatæ legalitatis. Mulier verò supradicta omni vita sua fuit eximiæ honestatis: & adhuc superstes est, viro liberísq; de mundo iamdudum sublatis. Horum benignitate & suffragio Capella B. Nicolai

GVILLELMVS II. Præsulis instaurata est: & habilis habitatio Monachorum, qui regulariter viuunt, A & pacem amant, vsque hodie facta est.

1066. EODEM tempore Fulcoius Radulphi de Caldrcio filius venerabilem Rogerium pro multimoda bonitate, qua vigebat, multùm adamauit: filiúmque suum ad leuandum de sacro baptismatis fonte benigniter ei obtulit, quem ille gratanter suscepit. Deinde cognitione & dilectione paulatim crescente in illis, Fulcoius compatri suo concessit Ecclesiam S. Martini de Parnis, ad quam parrochia statutis diebus congregabatur de septem adiacentibus vicis: vt vota sua Deo redderent, & laudes & præcepta Dei vt decet audirent. At ille Mainerium Abbatem accersiit. Postquàm autem præfatus pater Pernas aduenit: Fulcoius annuente Vvascelino fratre suo, sancto Ebrulfo Ecclesiam concessit, & omnes consuetudines ad ipsam Ecclesiam pertinentes, & in eadem villa terram vnius aratri, & decimam carrucæ suæ, & duarum possessiones domorum, & vnum molendinum, quod Tollens-viam nuncupabatur. Archidiaconatum quoque, quem in feudo ab antecessoribus suis de Archiepiscopo Rotomagensi tenebat, Monachis dedit: & dominatum omnium hospitum, qui Parnis degebant, ita Monachis concessit, vt si B eisdem forisfacerent, non eos per domos eorum, sed per alium fiscum castigaret. Parnenses autem exultabant, eo quòd Monachis subderentur: sperantes vt eorum patrocinio contra collimitaneos Normannos tutarentur, quorum vexationibus frequenter vexabantur. Succedenti quoque tempore dum Goisbertus Medicus haberet Prioratum, Fulcoius vt noua Basilica inchoaretur, totum dedit Cimiterium. Tunc fundamentum noui operis incœptum est, quod opus plurimis impedimentis per XXXIV. annos incumbentibus, nondum consummatum est. Præfatus enim miles erat fortis & magnanimus, & ad omnia quæ cupiebat feruidus. Ad iram velox, & in militaribus exercitiis ferox. Promptus erat aliena procaciter rapere, & sua imprudenter distrahere; vt mereretur friuolam dapsilitatis laudem habere. Hic habuit coniugem nomine Itam, filiam Heremari de Pontesia, quæ peperit ei Vvalterium, & Mainerium, Hugonem, & Geruasium, Hermarum & Fulcoium, & filiam nomine Luxouiam. Mainerius & Fulcoius à pueritia Monachili norma constricti sunt; alij verò quatuor militari licentia perfuncti C sunt.

FVLCOIVS Monachos (quia sicut iam dixi moribus instabilis erat) aliquando multùm diligebat, & contra omnes aduersantes obnixè muniebat; nonnunquam verò ipse grauiter opprimebat. Parnis senex Rogerius & Goisbertus Medicus, Rodbertus Caluus, & Haimericus, Ioannes & Isembertus, aliique plures in Monachatu Deo famulati sunt: ex quibus Bernardus cognomento Michael, & Rainaldus, Theodericus, & Vvalterius Caluus, & Vvillermus Cadomensis, qui Alexander est cognominatus, in magna religione vixerunt: ibíque finem vitæ sortiti venerabiliter tumulati sunt. Hæc omnia quæ Fulcoius dederat Monachis, concessit Rodbertus Eloquens de Caluimonte, qui capitalis dominus erat. Non multò pòst idem, dum prædam de terra sancti Audoëni violenter educeret, de equo armatus cecidit: galeáque humo fixa, collóque fracto miserabiliter obiit: cuius cadauer apud Alliarias Mainerius Abbas in Capitulo Flauiacensiū fratrum ibidem degentium sepeliuit. Tunc filij eius Otmundus de Caluimonte, & Vvazso de Pexeio, & Rodbertus Beluacensis concesserunt sancto Ebrulfo omnia, quæ supra retulimus data esse ab antecessoribus eorum, vel concessa. D

ECCLESIA itaque de Parnis Vticensibus Monachis commissa est, quæ in honorem S. Martini Turonensis Metropolitæ antiquitus constructa est: vbi corpus S. Iudoci Confessoris Christi iamdiu reuerenter seruatum est. Quis vel vnde fuerit iste, breuiter inseram huic relationi nostræ: veraciter hauriendo quædam de volumine scripto de sancta eius conuersatione.

BEATVS Iudocus, IVTHAIL Regis Britonum filius, & frater IVDICAIL Regis, dum ad regnum petebatur, relictis litteris quas apud Lanmailmon discebat, cum XI. peregrinis Romam euntibus peregrè profectus est. Haimo autem Pontiui Dux obiter eum, quem nobilem nouerat, detinuit; sibíque Capellanum Presbyterum ordinari fecit. Post annos verò septem Iudocus in heremo Braic ad

A riuum Alteiæ octo annis Deo seruiuit, vbi aues diuersi generis & pisciculos manu sua velut mansueta pecora pascebat. Pro vno pane, quem solum habuerat, & quatuor pauperibus, murmurante Vulmaro ministro eius, diuiserat, quatuor nauiculas copia cibi & potus onustas per Alteiæ riuos tractas à Deo recepit. Deinde Runiaco super flumen Quantiam Oratorium sancto Martino construxit, ibique XIV. annis habitauit. Aquila XI. gallinas ei rapuit, denique cùm gallum rapuisset, vir Dei signum crucis cum prece dedit. Mox Aquila rediit, gallum incolumem exposuit, & continuò expirauit. GVILLELMVS II.

QVONDAM dum Iudocus cum Duce Haimone in densa silua habitationem sibi congruam quæreret; & Dux venatu fessus, nimiáque siti æstuans dormiret; vir Dei baculum quo vtebatur humi defixit, & precibus ad Deum fusis fontem eduxit. Quem ægri illuc venientes venerantur, & indè bibentes citò sanantur.

SERVVS Dei duo manibus suis in silua ex lignis Oratoria construxit. Vnum eorum fecit Petro cæli clauigero, & aliud magnilogo Paulo. Postea Romam perrexit, & indè multas Sanctorum reliquias detulit. Iuliula puella à natiuitate cæca B per visum monita est, vt faciem suam ex aqua vnde Iudocus manus suas ablueret, lauaret. Quod vt fecit, visum recepit. Hoc dum vir Dei Roma rediret actum est, & crux lignea ibi posita est, vnde locus ipse Crux dictus est.

INTEREA dum Iudocus Romam perrexisset, Haimo Dux lapideam in heremo Ecclesiam construxit, quam post reditum hominis Dei in honore beati Martini dedicari fecit, & pro dote quandam villam proprietatis suæ cum omnibus appendiciis ad eam pertinentibus dedit. Ibi fidelis athleta Dei Iudocus diu Deo militauit, & sanctæ vitæ cursu feliciter consummato Idus Decembris ad Christum migrauit.

DVO nepotes eius Vuinnochus & Arnochus ibidem ei successerunt, & sanctum corpus, quod diu incorruptum mansit, frequenter aqua lauare & condere consueuerunt. Drochtricus Dux Haimonis successor hoc audiuit, sed credere dubitauit. Hoc igitur procaciter explorare volens, vi sacrum sepulchrum aperiri fecit, & intus irreuerenter intuitus, & mox exterritus ait: Ah sancte Iudoce! Statim surdus & mutus factus est, & vsque ad mortem omni corpore debilitatus C est. Vxor autem eius infortunio viri territa ad Deum ingemuit, & pro saluatione animæ duas villas Crispiniacum & Netreuillam sancto Iudoco dedit. Hæc itaque tempore Dagoberti filij Lotharij Magni Regis Francorum gesta sunt.

FLORIACENSIS Isembardus Herboldo Abbati instigante Adelelmo Monacho describit, quòd anno ab Incarn. Domini DCCCC. LXXVII. tempore Lotharij filij Ludouici Regis Francorum, corpus S. Iudoci sic inuentum sit. Rusticus quidam nomine Stephanus, qui ex officio molendini victum quæritabat, in somnis à quodam clari habitus viro admonitus, ad locum S. Iudoci venit, & relicta vxore cum filiis Clericus factus est. Corpus verò S. Iudoci, quod tunc à cunctis mortalibus vbi esset ignorabatur, vt per visum instigatus fuerat, intra Ecclesiam quærere cœpit, & insinuante Pridiano Sigemano, ad dexteram altaris S. Martini sarcofagum inuenit. Cunctis indè gaudentibus, & Deo laudes canentibus; defossum est cum sancto corpore mausoleum, & à terra sublatum. Hoc fama passim diuulgat, copiosa plebs vndique properat, vt sancti corporis leuationem videat, & ei vota cum D muneribus offerat. Multa ibidem facta sunt miracula, & multarum curata sunt infirmitatum genera. Tandem VIII. Kal. Augusti corpus sancti Iudoci veneranter positum est super altare sancti Martini.

IPSO anno ibidem Monasterium à fundamentis cœptum est, & Monasticus Ordo reparari cœptus est, & reuerendus Abbas Sigebrandus constitutus est. Quadam nocte dum corpus S. Iudoci seruaretur in Ecclesia S. Petri, VII. cerei ante reliquias erant, quorum vnus tantum ab æditus incensus erat: reliqui verò sex custodibus dormientibus cælitus accensi sunt.

SIC alia vice in Ecclesia sua corpus S. Iudoci erat: præsente Sigemano lumen, quod vi ventorum & inundatione pluuiarum extinctum est, diuinitus illuminatum est.

GVILLELMVS II.

DOMINICO, dum Pridianus Missam solenniter celebrabat; quidam vassus A HILDVINI Comitis nomine Guarembertus mala voluntate plenus erat, cupiens de rebus Sancti quæ vellet violenter auferre, & Sigemano depulso alterum suis moribus consentientem subrogare. Cùm ergo in Euangelio legitur*: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* cœpit miser altè vociferari, inuisibiliter percussus: tertiò vexatus, diuinitus tandem impulsus corruit, & sanguinis coagulum ab ore euomuit. Post Missam iussu Sigemani Æditui foras asportatus est, & in crastinum meritis S. Iudoci sanam mentem recepit. Hoc tempore Hugonis Magni contigit.

* l. v. legeretur.

EADEM die Ostrechildis mulier quædam egredi post Missam de Basilica conabatur: sed ita in limine ianuæ pedum eius plantæ hæserunt, vt nullatenus à quoquam diuelli posset: & nil mali, nisi quod à genibus vsque plantam pedis nimium frigus sentiebat. In crastino se Deo & S. Iudoco ancillam deuouit, statimque sanata piè vota compleuit. B

AVERACIBVS viris Adelelmo & Richerio Monacho narratur, quòd dum à Stephano reliquiæ S. Iudoci pro constructione basilicæ ad Monasterium S. Richarij deferrentur, inclita Bertsendis iam nubilis filia Alsindis passione renum vsque ad pedes per biennium est prægrauata: ita vt nusquam ire, nec etiam mouere sine baiulo sese posset. Fusa verò prece cum fide à matre & filia ante reliquias S. Confessoris, ægra sanata est: & mater visa filiæ sospitate admodum gauisa est, & pallium preciosum veloci archiatro largita est.

RODBERTVS quidam dum solus meridie iter faceret, viso spiritu erroris in specie hominis penitus cæcatus est. Qui post longum tempus S. Iudocum expetiit, & se coram Vvidone Abbate seruum contradidit: inundante ab oculis eius sanguine ipso die lumen recepit, & ad Vesperas Monachos in scamnis residentes se vidisse palam asseruit.

GVNZSO Lothariensis Presbyter per VII. ferè annos dira manuum & pedum infirmitate debilitatus est, quem in visu quidam Iudocum medicum in Pontiuo requirere monuit. Ille verò confestim iussis paruit. Dominico hora ferè tertia basilicam intrauit, prostratus orauit, pauimentum lacrymis humectauit, & peractis precibus incolumis surrexit. Deinde gaudens mox Missam cecinit, & populo saluationis suæ seriem cum gratiarum actione veraciter retulit. C

LOTHARIENSIS Vvandelmarus dextrum oculũ infirmitate amisit, & amicorum persuasu beatum Iudocum adire decreuit. Sed recti callis ignarus fortè cum socio ad fontem deuenit, quem Iudocus adhuc viuens meritis suis produxit. Vvandelmarus itaque fontem limpidissimum vidit, socium detinuit, ibi resedit, manus faciémque de fontis aqua abluit, & subito lumen amissum recepit. Sanatus deinde ad Monasterium gaudenter perrexit, & gaudentibus amicis Deo gratias egit.

DVO dæmoniaci homine Maginardi ad tumbam S. Iudoci mundati sunt, & diu postea sani in seculo vixerunt.

SIEBVRGIS vxor Bertranni clarissimi viri per X. continuos menses fluxum sanguinis è naribus patiebatur, quæ ab amicis vt sanaretur, ad ædem sancti Iudoci perducta est. Ibi orauit, sed non statim sanata est, ideóque basilicam egressa multas querelas locuta est. Denique dum ad sua cum rancore animi repedaret, & crucem quæ in via posita est pertransisset, mox sanguis è naribus fluere cessauit. Protinus illa gaudens retrogrado pede ad Monasterium sancti viri regressa est, & peractis gratiarum actionibus plenè sanata est. D

RODBERTVS Taruuanensis dum meridie solus in æstate agri sui operam reuiseret, subitò à dæmone arreptus est, & intantum vexatus vt penè incessanter homines deuorare, & quæque perfringere ab hoste stimularetur. Tres itaque fratres sui ieiunio quatuor temporum in Iunio ad tumbam S. Iudoci vinctum perduxerunt: ibique à quarta feria vsque ad sabbatum permanserunt. Exindè quietiùs se cœpit æger habere, & integra recepta sospitate perpetualiter in seruum sancto Iudoco tradidit se. Hoc eodem rogante, in festiuitate sancti Ioannis Baptistæ Vvido Abbas ambonem ascendens populo narrauit, ipsúmque præsentem & casus suos palam protestantem ostendit.

QVIDAM perfectæ ætatis per VII. annos ita surdus mansit, vt nihil peni-

A tus audiret. Hunc vxor eius ad tumbam sancti viri adduxit, ibique aliquantum orauit. Deinde mulier iubente Pridiano, virum ad fontem sancti Iudoci perduxit, & ter caput eius propriis manibus ex aqua fontis perfudit. Mox auditum recuperauit, ac ad Ecclesiam regressus, Missam, quam per VII. annos non audierat, audiuit.

HÆC omnia Floriacensis Isembardus gesta temporibus Hugonis Magni seu Rodberti Regis Adelelmo rogitante descripsit: sed postea beatus Iudocus multa petentibus magnalia (quamuis per incuriam scripta non sint) agere non desistit.

MVTATIS regni Principibus, & sese proceribus mutuo perturbantibus iterum corpus sancti Iudoci pro timore hostium terra coopertum est: & tamdiu ita iacuit, donec omnibus mortuis qui abdiderant, communis ignorantia inuoluerit. Tempore Henrici Regis Francorum, Monachis sæpè conquerentibus quòd ignorarent vbi patronus eorum requiesceret Iudocus: cuidam simplici laico diuinitus sanctum corpus insinuatur, quo detegente Abbatis fratrúmque studio solemniter leuatur. Deinde Monachi repertorem reliquiarum ad Monachatum susceperunt, & custo-B dem sacri fomitis eundem constituerunt, & oblationes fidelium ei commiserunt. Defuncto autem Abbate successor eius non (vt decuit) æditum dilexit: nec vt antecessor eius eum amicabiliter tractauit. Vnde grauiter commotus sanctum corpus noctu assumpsit, secúmque in Galliam asportauit. Goisfredus autem Gomercij municeps eundem, cum thesauro quem ferebat, honorificè detinuit: & magistratum Castellanæ Ecclesiæ, vbi quatuor erant Canonici, vsque ad mortem ei concessit. Post aliquod tempus Henricus Rex Francorum, ortis quibusdam bellorum tumultibus Gomercium obsedit, & viribus Gallici exercitus Goisfredum expugnauit, & oppidum incendit. Dum verò basilicam & castri ædificia edax flamma consumeret, & terribilis clamor impugnantium & expugnatorum (vt in talibus moris est) vndique personaret: Canonicus quidam ossa sancti Iudoci de feretro sustulit, & festinanter de incendio aufugit. Huic forte satelles Regius super pontem obuiauit, suffaciatum quid ferret interrogauit; fatenti quòd sacra vestiměta, codicésque suos gereret, cuncta violenter abstulit, & secum ad Parnense territorium huiusmodi thesaurum detulit. Idem vir Rodbertus vocabatur, & Meslebren, id est miscens fur-C furem cognominabatur: erátque de clientibus Radulfi de Caldreio, qui tunc temporis inter præcipuos milites habebatur in exercitu Gallico. Miles itaque præfatus tali præda valde gauisus est, & in Ecclesia sancti Martini à Presbytero & parrochianis studiosè collocatum est. Iamque ibidem plus quàm LXX. annis venerabiliter seruatum est. Innumera inibi super infirmos miracula facta sunt: & vsque hodie promerente petentium fide (vt tota vicinitas attestatur) frequenter fiunt.

DE translatione sacri corporis, quam breuiter hic modo tetigimus, & de plurimis quæ Parnis prouenerunt infirmorum sanitatibus, Merulensis Vvillermus venerabilis Monachus & Sacerdos egregium dictamen edidit, in quo veraciter & luculenter de miris euentibus ad sacra ossa gestis disseruit.

PHILIPPVS Rex Francorum biennio febricitauit, nec vlla Medicorum arte sanari potuit. Vnde post biennium Parnas venit, aquam tactu reliquiarum sancti Iudoci sanctificatam bibit, & binis noctibus ante sanctum corpus in orationibus pernoctauit, ibique sanitatem dolore cessante recuperauit. Sanatus autem Rex L. D solidos Pontesiensium sancto Iudoco obtulit, & nundinas feria tertia Pentecostes celebrari singulis annis ibidem in honore sancti Iudoci annuit, & regalis auctoritatis præceptione constituit.

PRÆTEREA meritis sancti Iudoci multa Parnis miracula facta sunt, quotidiéque fiunt, quorum nonnulla scripta sunt; & plura per incuriam scientium seu per imperitiam videntium vel expertorum silentio occultata sunt. Nos autem quãuis alia referre festinaremus, pauca de te sancte Iudoce perstrinximus, & charismata tibi cælitus data huic Opusculo inseruimus: & pro modulo paruitatis nostræ deuotè attollimus. Oramus itaque gloriose fili Regis Britonum & consors Angelorum, vt nos Deo commendes tuorum efficacia meritorum, obtineásque nobis societatem Sanctorum, cum quibus contemplantes in decore suo Creatorem cunctorum, læti collaudemus per omnia secula seculorum, Amen.

MENSE Augusto Heraldus Noricorum Rex cum Tostico & ingenti classe immensum pelagus intrauit, & Aparciate seu Borea flante ad Angliam applicuit, &

Gvillelmvs II. 1066. Eboracensem Prouinciam primitus inuasit. Porro Anglicus Heraldus vt Northuigenas in Angliam aduenisse audiuit, Hastingas & Peneuesellum, aliósque portus maris Neustriæ oppositos, quos toto anno illo cum multis nauibus & militibus callidè seruauerat, reliquit: & Septentrionalibus aduersariis ex improuiso emergentibus festinanter cum exercitu copioso occurrit. Deinde pugna vtrinque acerrima commissa est, in qua nimius sanguis ex vtraque parte effusus est, & innumerabilis hominum bestiali rabie furentium multitudo trucidata est. Denique instantibus Anglis victoria cessit, & Heraldus Noricorum Rex cum Tostico, & omnibus copiis suis occubuit. Locus etiam belli pertranseuntibus euidenter patet, vbi magna congeries ossium mortuorum vsque hodie iacet: & indicium ruinæ multiplicis vtriusque gentis exhibet. A

Interea dum Angli bello Eboracensi occupati erant, & custodiam maris, vt diximus, nutu Dei reliquerant, classis Normannorum (quæ spacio vnius mensis in ostio Diuæ vicinisque portubus Nothum præstolata est) zephyri flatu in stationem S. Galerici delata est. Ibi multa pro se & pro amicis vota facta sunt: & innumerabiles lacrymæ precésque effusæ sunt. Nam necessarij sodales, seu chari siue propinqui, qui domi remansuri erant, dum quinquaginta milia militum cum copia peditum per horrendum pelagus ad expugnandam in propria sede incognitam gentem ire certabant: fletibus & suspiriis, multisque curis metus & cupiditatis tam pro se quàm pro amicis anxij erant. Tunc ibi Dux Vvillermus, & omnis exercitus precibus & donis ac votis Deo se commendauerunt, & corpus sancti Galerici Confessoris Christi pro secundo flatu extra basilicam detulerunt. Denique dum prosper ventus multorum votis optatus Deo volente subitò spirauit, protinus ardens vehementia Ducis omnes ad puppes conuocauit, & nauigium viriliter inire imperauit. Normannicus itaque exercitus III. Kal. Octobr. mare transfretauit, nocte qua memoriam sancti Michaëlis Archangeli Catholica Ecclesia festiuè peragit; & nemine resistente littus maris gaudens arripuit. Deinde Peneuesellum & Hastingas occupauit, electisque militibus commendauit: quæ sibi forent receptaculo, & nauibus propugnaculo. B

Anglicvs autem Tyrannus effuso fratris & hostis sanguine lætus intumuit, & peracta multiplici strage victor Lundoniam rediit. Verùm Heraldus (quia prosperitas mundi vt fumus ante ventum citò deficit) imminente grauioris tribulationis pōdere lætitiam feralis trophæi citò perdidit. Nec de fratricidio diu gaudere vel securus esse potuit: quia legatus ei Normannos adesse mox nunciauit. Ipse verò vt Normannos in Angliam ingressos esse audiuit, iterum se ad agonem præparauit. Erat enim multum audax & probus, corpore fortis & pulcherrimus, eloquentia lepidus, & affabilis fautoribus. Porro matre sua Githa (quæ interitu Tostici filij sui valde erat lugubris) aliisque fidelibus amicis bellum ei dissuadentibus, dixit ei " Vvorth Comes frater suus: Oportet, carissime frater & Domine, vt probitas tua tē" peretur discretionis moderamine. Nunc ex prælio Northvvigenarum fessus veni" sti, iterúmque festinas contra Normannos nunc præliari. Quiesce quæso. Pruden" ter tractare tecum velis, quid cum sacramentis Duci Normannorum promiseris. " Caue ne periurium incurras, & pro tanto scelere tu cum viribus nostræ gentis cor" ruas: nostræque progeniei permansurum dedecus exinde fias. Ego liber ab omni " sacramento, Guillelmo Comiti nihil debeo. Audacter igitur contra illum pro nata" li solo certare paratus sum. Tu autem, frater mi, quouis in pace quiesce, & euentum " belli præstolare; ne clara libertas Anglorum corruat in tua pernicie. C D

His itaque auditis sermonibus, Heraldus vehementer est indignatus. Consilium istud, quod amicis salubre videbatur, spreuit; & germanum suum, qui fideliter ei consiliabatur, conuiciis irritauit: matrémque suam, quæ nimis ipsum retinere secum satagebat, pede procaciter percussit. Deinde per sex dies vndique populos ad bellum asciuit, innumeram multitudinem Anglorum contraxit, secúmque adducens ad pugnam in hostes festinauit. Nocturno siquidem, seu repentino incursu minus cautos opprimere cogitabat; & ne perfugio abirent, septingentas naues armatis onustas in mari opposuerat. Cuius accelerationem Vvillermus Dux vt audiuit, omnes suos armari mane sabbati iussit, & ipse Missam audiuit, & Dominicis sacramentis corpus & animam muniuit: reliquiásque sanctas, super quas Heraldus

A iurauerat collo suo humiliter appendit. Religiosi quoque viri pugnaturos è Normannia comitati fuerant. Nam duo Pontifices, Odo Baiocensis, & Goisfredus Constantinus, aderant cum Monachis & Clericis multis; quorum officium erat pugnare precibus & consiliis. Bellum secundo Idus Octobr. hora tertia commissum est: totáque die ad multorum milium perniciem ex vtráque parte acerrimè pugnatum est. Dux Normannorum pedites sagittis armatos & balistis in fronte locauit, item pedites loricatos secundo loco constituit: in vltimo turmas equitum, in quorum medio fuit ipse Dux cum firmissimo robore, vnde in omnem partem consuleret voce & manu. GVILLELMVS II. 1066.

ECONTRA ex omnibus vndique regionibus copiæ Anglorum ad locum, qui Senlac antiquitus vocabatur, conuenerant: studiúmque suum pars Heraldo, sed cuncti patriæ præstabant, quam contra extraneos defensare volebant. Ibi protinus equorũ opem reliquerunt, cunctíque pedites densiùs conglobati constiterunt. Turstinus filius Rollonis vexillum Normannorũ portauit. Terribilis clangor lituorum B pugnæ signa vtrinque cecinit. Normannorum alacris audacia pugnæ principium dedit. Pedites itaque Normanni propiùs accedentes Anglos prouocant, & in eo missilibus vulnera necémque dirigunt. Illi contra fortiter quo quisque valet ingenio resistunt. Aliquandiu summa vi certatur ab vtrisque. Pertinaci Anglorum sæuitia perteriti pedites pariter equitésque Britanni, & quotquot auxiliares erant in sinistro cornu auertuntur: & ferè cuncta Ducis acies eundem iam occisum credẽs cedit. Dux autem prospiciens multam partem aduersæ stationis prosiluisse, & insequi terga suorum, fugientibus occurrit, & hasta verberans aut minans obsistit. Nudato insuper capite detractáque galea exclamans: Me, inquit conspicite: viuo, & vincam, opitulante Deo. Protinus prolatis à Duce verbis audaciæ, cedẽtes animos receperunt: & circumuenientes aliquot milia insecuta se momento deleuerunt. Simili modo bis iterum fugam Normanni simulauerunt: & insequẽtes Anglos repẽte giratis equis interceperunt, & inclusos vndique mactauerũt. Anglos itaque periculosa simulatione deceperunt, disiunctos ab inuicem peremerunt: multísq; milibus trucidatis residuos alacriùs aggressi sunt. Institerunt eis Cœnomãnici, Franci, C Britanni, Aquitani, & miserabiliter pereuntes cadebant Angli.

INTERFVERVNT huic prælio, Eustachius Boloniæ Comes, Guillelmus Ricardi Ebroicensis Comitis filius, Goifredus Rotronis Moritoniæ Comitis filius, Guillelmus Osberni filius, Rodbertus Tiro Rogerij de Bellomonte filius, Haimericus Toarcensis præses, Hugo Stabulariorũ Comes, Galterius Giphardus, & Radulphus Thoenites: Hugo de Grẽtemaisnilio, & Guillelmus de Garenna, aliíq; quamplures militaris præstãtiæ fama celebratissimi; & quorum nomina Historiarũ voluminibus inter bellicosissimos cõmendari deceat. Vvillelmus verò Dux eorum præstabat eis fortitudine & prudentia. Nam ille nobiliter exercitũ duxit, cohibens fugam, dans animos, periculi socius, sæpiùs clamãs vt venirẽt, quã iubens ire. In bello tres equi sub eo confossi ceciderunt: ter ille intrepidus desiluit, nec diu mors vectoris inulta remansit. Scuta, galeas, & loricas irato mucrone, morámq; dedignante penetrauit: clypeóque suo nonnullos collisit, auxilióque multis suorum atque D saluti, sicut econtra hostibus pernicici, fuit.

AB hora diei tertia bellum acriter cõmissum est, & in primo militum congressũ Heraldus Rex peremptus est. Deinde Leofvvinus Comes frater eius cum multis milibus simili sorte perfunctus est. Denique inclinata iam die, videntes Angli quod Rex suus, & Primates Regni, multæq; legiones suorum interierunt, & quod Normanni adhuc procaciter steterunt, & terribiliter armis in obstãtes sæuierunt, in fugam conuersi quantocius abierunt, & euentus varios experti sunt. Alij raptis equis, nonnulli pedites, pars per vias, plerique per auia sese saluare conati sunt. Normanni autem dum Anglos fugere viderunt, tota nocte Dominica eos ad sui detrimentum obnixè persecuti sunt. Nam crescentes herbæ antiquum aggerem tegebant, vbi summopere currentes Normanni cum equis & armis ruebant; ac sese, dum vnus super alterum repentè cadebat, vicissim extinguebant. Ibi nimirum fugientibus Anglis rediit confidentia. Cernentes enim opportunitatem prærupti valli, & frequentium fossarum, in vnum collecti sunt, inopinato restiterunt, & Normannis magnam stragem fortiter intulerunt. Ibi Engenulfus Aquilensis oppida-

GVILLELMVS II. 1066. nus, aliique multi corruerunt, ac (vt fertur ab his qui interfuerunt) Normannorum fere quindecim millia perierunt. Sic omnipotens Deus pridie Idus Octobris innumeros peccatores vtriusque phalangis puniit diuersis modis. Nam sæuitie intolerabiliter grassante Normannorum in die Sabbati multauit multa milia Anglorũ: qui longè ante innocentem Alfredum cum suis pedissequis iniustè necauerunt: atque præcedẽte sabbato Heraldum Regem, & Tosticum Comitẽ, aliosque multos absque pietate trucidauerunt. Idẽ quoque Iudex Dominica nocte Anglos vindicauit, & furentes Normannos in cæcam voraginem pręcipitauit. Ipsi enim contra præceptum legis rem alienam immoderatè concupierunt: ac veloces (vt Psalmographus dicit) pedes eorum ad effundendum sanguinem fuerunt: ideóque contritionem & infelicitatem in viis suis offenderunt. A

DVX Guillelmus Anglorum cohortes inopinato conglobatas cernens non substitit: sed Eustachium Comitem cum militibus quinquaginta auersum, & receptui signa canere volentem, ne abiret virili voce cõpellauit. Ille contra familiariter in aurem Ducis reditum suasit, & proximã ei, si pergeret, mortem prædixit. Hæc inter verba percussus Eustachius inter scapulas ictu sonoro, (cuius grauitatẽ statim sanguis demonstrabat ore & naribus) quasi moribundus ope comitum euasit. Dux autẽ victoria consummata ad aream belli regressus est, ibiq; miserabilẽ stragẽ non absq; miseratione videndã intuitus est. Anglicæ nobilitatis & iuuentutis flos in cruore sordidatus latè solum operuit. Heraldus quibusdam signis est, non facie recognitus, & in castra Ducis delatus: ac ad tumulandum propè litus maris, quod diu cum armis seruauerat, Guillelmo agnomine Maleto, victoris iussu traditus. B

VERGIBILI fortuna mortalibus in terris suppeditãte valde aspera & inopinata, quidam de puluere prosiliunt ad magnarum potestatum culmina: aliique de summo apice subitò pulsi gemunt in ingenti mœstitia. Sic Githa Goduini Comitis relicta, quondam diuitiis gaudens & potentia, nunc nimio mœrore est affecta, quia grauibus infortuniis vehementer est afflicta. Nam septem filios viro suo peperit: Suenum, Tosticum Heraldum, Guorth, Elfgarum, Leofuinum, & Vvluodum. Omnes hi Comites fuerũt, magnóque corporis decore & seculari probitate viguerunt: sed diuersos & atroces euentus separatim experti sunt. Elfgarus & Vvluodus Deum diligentes piè legitiméq; vixerunt, & in vera confessione prior Remis peregrinus & Monachus, & alter Salesberiæ venerabiliter obierunt. Verùm alij quinque diuersis in locis, variisque studiis intenti armis interierunt. Mœsta igitur mater Guillelmo Duci pro corpore Heraldi par auri pondus obtulit, sed magnanimus victor tale commercium respuit; indignum ducens, vt ad libitum matris sepeliretur, cuius ob nimiam cupiditatem innumerabiles insepulti remanerent. Ipse suis ingentem sepeliendi curam exhiberi præcepit: Anglis quoque cunctis volentibus quosque ad humandũ liberam potestatem concessit. Suis autem prout tunc decuit sepultis, Romaneium accessit; & expugnatis his qui intus erant, cladem suorum vindicauit, quos illuc errore appulsos fera gens adorta prælio fuerat, & cum maximo vtriusque partis detrimento fuderat. C

DEINDE Dux contendit Doueram, vbi multus populus congregatus erat pro inexpugnabili, vt sibi videbatur, munitione: quia id castellum situm est in acutissima rupe mari contigua. Castellani autem dum obsidentem Ducem metuerent, supplicésque deditionem pararent, Normannorum armigeri pro cupidine prædæ ignem iniecerunt, & voraci flamma leuiter volitante pleraque correpta & combusta sunt. Dux autem damno eorum qui sibi subdere se volebant compassus est, preciúmque restituendarum ædium dedit, aliáque amissa recompensauit. Recepto castro, quo minus erat per dies octo muniuit. Milites verò recentibus illic carnibus & aqua vtentes, multi profluuio ventris extincti sunt, plurimíque vsque ad finem vitæ debilitati sunt. Dux inibi custodiam relinquens, & dissenteria languentes: ad perdomandum quos deuicit proficiscitur. Vltro Cantuarij non procul à Douera occurrunt, fidelitatem iurant, & obsides dant. D

INTEREMPTO Heraldo, Stigaudus Cantuariẽsis Archiepiscopus, & præclari Comites Eduinus & Morcarus, aliiq; Primates Anglorum, qui Senlacio bello non interfuerunt, Edgarum Clitonem filiũ Eduardi Regis Hunorum filij Edmũdi Irnesidæ, id est Ferrei-lateris, Regem statuerunt; & cum eo contra externos hostes pro

A patria & gente se fortiter pugnaturos minati sunt. Porrò Guillermus Dux vbi frequentiorem conuentum eorum audiuit, cum valida manu appropians non procul à Lundonia consedit, equitésque quingentos illò præmisit. Qui egressam de vrbe contra se aciem refugere intra mœnia compulerunt: & multa strage filiorum & amicorum facta, ciuibus ingentem luctum intulerunt. Incendium etiam vrbanæ cædi addiderunt, & quicquid ædificiorum citra flumen erat, cremauerunt. Dux autem Tamesim fluuium transmeauit, & ad oppidum Guarengefort peruenit. GVILLELMVS II.

ILLVC Stigaudus Archiepiscopus, aliique nobiles Angli aduenerunt. Edgarum abrogantes pacem, cum Guillelmo fecerunt, ipsúmque sibi Dominum susceperunt: & ipsi ab eo benigniter suscepti, pristinas dignitates & honores receperunt. Lundonij nihilominus vtile consilium percipientes sese in obsequium Ducis tradiderunt: & obsides quod & quot imperarat adduxerunt. Edgarus Adelinus, qui Rex fuerat constitutus ab Anglis resistere diffidens humiliter Guillelmo se regnúmque contulit. Ille verò, quia idem puer mitis & sincerus erat, & consobrinus Eduardi Ma-
B gni Regis, filius scilicet nepotis eius erat, amicabiliter eum amplexatus est, & omni vita sua inter filios suos honorabiliter veneratus est.

OMNIA disponente Deo in spatio trium mensium per Angliam pacata sunt, cunctique Præsules regnique Proceres cum Guillelmo concordiam fecerunt, ac vt diadema regium sumeret (sicut mos Anglici Principatus exigit) orauerunt. Hoc summoperè flagitabant Normanni, qui pro fasce regali nanciscendo suo Principi subierunt ingens discrimen maris & prælij. Hoc etiam diuino nutu subacti optabant indigenæ regni, qui nisi coronato Regi seruire hactenus erant soliti.

Eo tempore Adelredus Eboracensis Metropolitanus erat. Hic æquitatem valde amans, æuo maturus, sapiens, bonus & eloquens, multis virtutibus fulgebat, & per vestigia Patrum Regem Regum adire iugiter appetebat. Stigaudus autem Cantuariensis secularibus curis & actibus nimis intentus erat: & pro quibusdam reatibus ab Alexandro Papa interdictus fuerat.

DENIQVE anno ab Incarnatione Domini MLXVII. Indictione v. in die Natalis Domini, Angli Lundoniæ ad ordinandum Regem conuenerunt, & Normannorum turmæ circa Monasterium in armis & equis (ne quid doli & seditionis 1067.
C oriretur) præsidio dispositæ fuerunt. Adelredus itaque Archiepiscopus in basilica sancti Petri Apostolorum Principis, qui Vvestmonasterium nũcupatur, vbi Eduardus Rex venerabiliter humatus quiescit, in præsentia Præsulum & Abbatum Procerúmque totius regni Albionis, Guillermum Ducem Normannorum in Regem Anglorum consecrauit, & diadema regium capiti eius imposuit.

INTEREA instigante Sathana, qui bonis omnibus contrarius est, importuna res vtrique populo, & portentum futuræ calamitatis ex improuiso exortum est. Nam dum Adelredus Præsul alloqueretur Anglos, & Goisfredus Constantiniensis Normannos, an concederent Guillermum regnare super se: & vniuersi consensum hilarem protestarentur vna voce, non vnius linguæ locutione: armati milites, qui extrinsecus erant pro suorum tuitione, mox vt vociferationẽ in Ecclesia populi, & ignotæ linguæ strepitum audierunt, rem sinistram arbitrati flammam ædibus imprudenter iniecerunt. Currente festinanter per domos incendio, plebs quæ in Ecclesia
D lætabatur perturbata, & multitudo virorum ac mulierum diuersæ dignitatis & qualitatis infortunio perurgente, celeriter basilicam egressa est. Soli Præsules & pauci Clerici cum Monachis nimium trepidantes ante aram perstiterunt, & officium cõsecrationis super Regem vehementer trementem vix peregerunt: aliique pene omnes ad ignem nimis furentem cucurrerunt, quidam vt vim foci viriliter orarent, & plures vt in tanta perturbatione sibi prædas diriperent. Angli factionem tam insperatæ rei dimetientes nimis irati sunt: & postea Normannos semper suspectos habuerunt: & infidos sibi diiudicantes vltionis tempus de eis optauerunt.

SVSCEPTVM itaque imperium Guillelmus Rex in aduersis & prosperis strenuè vtiliterque rexit: eique XX. annis & VIII. mensibus, ac diebus XVI. laudabiliter præfuit. De cuius probitate & eximiis moribus ac prosperis euentibus, & strenuis admirandisque actibus Guillelmus Pictauinus Lexouiensis Archidiaconus affluenter tractauit: & librum pollito sermone & magni sensus profunditate præclarum edidit. Ipse siquidem prædicti Regis Capellanus longo tempore extitit, &

GVILLELMVS II. ea quæ oculis suis viderit,& quibus interfuerit, longo relatu vel copioso indubitanter enucleare studuit;quamuis Librum vsque ad finem Regis aduersis casibus impe- A
1067. ditus perducere nequiuerit. Guido etiam Præsul Ambiianensis metricum carmen edidit, quo Maronem & Papinium gesta Heroum pangentes imitatus Senlacium bellum descripsit, Heraldum vituperans & condemnans, Guillermum verò collaudans & magnificans.

IOANNES Vvigornensis à puero Monachus, natione Anglicus, moribus & eruditione venerandus, in his quæ Mariani Scoti Chronicis adiecit, de Rege Guillelmo,& de rebus quæ sub eo,vel sub filiis eius Guillelmo Rufo & Henrico vsque hodie contigerunt,honestè deprompsit. Marianus enim in Cœnobio sancti Albani Martyris apud Maguntiam Monachus fuit; ibique Cæsariẽsem Eusebium & Hieronymum,aliósque Historiographos pro modulo secutus sese benigniter exercuit, & dulcem fructum longi studij, magnorúmque laborum, quos in longinqua peregrinatione pertulit,filiis Ecclesiæ tanta rimari per se non valentibus charitatiuè obtulit. Solerter itaque perscrutatis veteribus & modernis Codicibus Chronographiam edidit,in qua ab initio mundi ex quo Deus Adam de limo terræ plasmauit, B
per omnes libros veteris & noui Testamenti, & Romanorum Græcorúmque Historias discurrens,optima quæque collegit,& enumeratis annis per Regum & Consulum tempora vsque in diem mortis suæ annalem Historiam laudabiliter distinxit. Quem prosecutus Ioannes acta ferè centum annorum contexuit,iussúque Venerabilis Vvlstani Pontificis & Monachi,supradictis Chronicis inseruit: in quibus multa de Romanis,& Francis,& Alemanis,aliisque gentibus, quæ agnouit vtiliter & compendiosè narratione digna reserauit. In his vtique Chronicis continentur omnes Iudices & Reges,Pontificésque Hebræorum à Moyse vsque ad subuersionem Hierosolymorum,dum sub Tito & Vespasiano pro nece Saluatoris & Martyrum eius iustè destructum est regnum Iudæorum. Omnes ibi nominantur Consules & Dictatores,Imperatores & Pontifices Romanorum. Omnes quoque Reges, qui regno Angliæ præfuerunt,ex quo Hengist & Horsa Vvortigerno Regi Britanniæ scandalo Guallorum militauerunt. His etiam Episcopi Chronicis annotati C
sunt,qui regimen Ecclesiasticum in Anglia tenuerunt,ex quo Gregorius Papa Augustinum & Mellitum,aliósque Prædicatores verbi Dei in Angliam misit; per quos Deus Adelbertum Regem Cantiæ & Eduinum Regem Nordanhymbrorũ, alióśque Principes eiusdem gentis ad fidem veritatis perduxit. Ex his Opusculis Engelbertus * Gemblacensis Monachus quædam præclara decerpsit,& multa de his,quæ de Insulanis Oceani scripta erant,in eisdem Insulis dimisit; & nihilominus de Gothis, & Hunis, ac Persis, aliisque barbaris gentibus multa adiecit. Hæc ideò huic Chartæ gratis indidi,vt istos Codices auidi Lectores inquirant sibi,quia magnum sapientiæ fructum ferunt, & vix inueniri possunt. A modernis enim editi sunt, & adhuc passim per orbem diffusi non sunt. Vnum eorum Vvigornæ vidi in Anglia,& alterum Cameraco in Lotharingia. Familiariter ostendit illic mihi Fulbertus prudens Abbas Cœnobij sancti Sepulchri,quod in Septentrionali Cameraci studio ædificatum est,ac sumptibus Liberti eiusdem vrbis Episcopi,vbi idem Præsul honorificè meruit sepeliri.

*Sigebertus.

AD requiem iam fessus anhelo,& Ecclesiasticæ Historiæ, quam de contemporaneis & collimitaneis Principibus atque Didascalis veraci deprompsi calamo, primum Libellum hîc terminare dispono. In sequentibus verò latiùs de Rege Guillelmo disseram,miserásque mutationes Anglorum & Normannorum sine adulatione referam: nullius remunerationis à victoribus seu victis expetens honorificentiam. D

ORDERICI

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER QVARTVS.

A TEMPORIBVS Alexandri secundi Papæ plurima per Orbem regna calamitatibus concussa sunt; & multiplices populorum concursus in sui perniciem debacchati sunt. Hæc in Occiduis partibus terrigenæ senserunt, & grauia subeuntes detrimenta nimis experti sunt. Defunctis enim optimis Regibus HENRICO Rege Francorum, & EDVARDO Anglorum, Franci & Angli diu luxerunt funus eorum, quia post illos vix adepti sunt dominos illis consimiles virtutibus & nectare morum. Patribus patriæ de medio sublatis, successere Tyranni abutentes freno regiæ dominationis. Anglia tunc Heraldi sæuitia periurióque polluta corruit: & genuinis heredibus orbata, externis prædonibus Guillelmo victori fauentibus subiacuit, vnde flebile thema de sua ruina piis Historiographis ad dictamen tribuit. GVILLELMVS II. 1067.

COPIOSAM faciendi plures libros materiam eloquentes Sophistæ habuerunt, qui Regis GVILLELMI Curiæ diutiùs interfuerunt, & gesta eius ac varios & præclaros euentus, ac intima & profunda consilia nouerunt, & diuitiarum eius partici-B pes vltra natales suos admodum promoti sunt. Ecclesiæ nempe, quæ sub eo, vel ab eo ad laudem Dei, in Neustria vel Anglia factæ sunt; deuotionis eius largitatísque in Dei cultu laudabile testimonium asserunt, boníque studij exemplum imitabile posteris pariunt. Cœnobia quoque plurima deuotè construxit, & ab ipso vel ab aliis condita multum emendauit, multimodísque gazis tripudians ditauit, & patrocinio suo contra omnes aduersarios defensauit. Hæc vtique palam attestantur in duobus Monasteriis Cœnobitæ Cadomenses: in vno Monachi, & in altero Sanctimoniales. Hæc duo Cœnobia in Ducatu adhuc æterno Regi fauens ædificauerat: in quorum vno sibi, & in altero coniugi suæ sepulturam elegerat.

POSTQVAM bello peracto fortiter hostes subegit, & diadema regium apud Lundoniam suscepit, Cœnobium sanctæ Trinitati Senlac, vbi bellum factum est, construxit: & multis opibus vel fundis (vt decet regalem munificentiam) ditauit. Ibi Goisbertum Maioris-Monasterij religiosum Monachum Abbatem constituit: quo C monitore Monasticus Ordo & regularis disciplina commodè viguit. Maius enim Monasterium à sanctissimo Martino Turonorum Archiepiscopo cœptum est, ibíque bonorum hominum religio creuit inspirante Deo, & multiplicata est. Nostris temporibus Albertus & Bartholomæus, Bernardus & Hilgotus, ac Guillelmus Nãticensis Abbates huic Monasterio præfuerunt, qui sanctitate & probitate multis profuerunt, & longè latéque famosi, vicinis & externis viriliter micuerunt. Post obitum Goisberti Henricus Cantuariensis Prior Abbatis officium suscepit, & Bellense Cœnobium honorificè tenuit. Quo defuncto Rodulfus Rofensis Prior Monachúsque Cadomensis successit: studióque sanctitatis, & salutaris doctrinæ sibi multísque coëssentibus prodesse satagit: & bona in senectute spiritualibus studiis feruidus adhuc insistit. Tandem anno Henrici Regis Anglorum XXV. religiosus senex feliciter ad Deum transiit è mundo.

GVILLELMVS Rex multa Lundoniæ postquam coronatus est, prudenter, iustè, clementérque disposuit: quædam ad ipsius ciuitatis commoda vel dignitatem, alia quæ genti proficerent vniuersæ: nonnulla quibus consuleretur Ecclesiis terræ.

GVILLEL-MVS II. 1067. Iura quæcumque dictauit, optimis rationibus sanxit. Iudicium rectum nulla persona necquicquam ab eo postulauit. Neminem nisi quem non damnare iniquum foret damnauit. Suis quoque Primatibus digna se & grauitate præcepit, & diligentia æquitatem suasit. Esse iugiter in oculis habendum æternum Regem, cuius vicerint præsidio. Nimium opprimi victos non oportere, victoribus professione Christiana pares, ne quos iustè subegerint, iniuriis ad rebellandum cogerent. Seditiones interdixit, cædem & omnem rapinam frenans, vt populos armis, ita legibus arma. Tributis & cunctis rebus ad regium fiscum reddendis, modum qui non grauaret imposuit. Latrociniis, inuasionibus, maleficiis locum omnem intra suos terminos denegauit. Portus & quælibet itinera negociatoribus patere; & nullam iniuriam fieri iussit. Sic omnino proba eius in regnando initia fuere, & incrementa probitatum ad vtilitatem subditorum liquidò fulsere, quæ in bonis perseuerantia laudabilísque finis euidentibus signis confirmauere. A

EGRESSVS Lundonia Rex dies aliquot in propinquo loco Bertingis morabatur, dum firmamenta quædam in vrbe contra mobilitatem ingentis ac feri populi perficerentur. Eduinus & Morcarus filij Elfgari Comitis ferè omnium Anglorum genere ac potentia maximi ad Regem veniunt, veniámque si qua in re contra eum senserint poscunt, & se cunctáque sua eius clementiæ tradunt. Deinde Coxo Comes fortitudine & probitate singularis, & Turchillus de Limis, Sivvardus & Aldredus filij Edelgari pronepotis Regis, Edricus quoque cognomento Guilda, id est siluaticus, nepos Edrici pestiferi Ducis cognomento Streone, id est acquisitoris[1], aliique complures nobiles & opibus ampli Guillelmo pacificantur: datisque sacramentis omnes possessiones suas cum honore adipiscuntur. Rex indè progrediens diuersas regni partes accessit, & vbique vtilia sibi & incolis terræ ordinauit. Custodes in castellis strenuos viros ex Gallis collocauit; & opulenta beneficia, pro quibus labores & pericula libenter tolerarent distribuit. B

INTRA mœnia Guentæ opibus & munimine nobilis vrbis & mari contiguæ validam arcem construxit; ibíque Guillermum Osberni filium in exercitu suo præcipuum reliquit: eúmque vice sua toti regno versus Aquilonem præesse constituit. Doueram verò totámque Cantiam fratri suo commendauit, qui multa liberalitate & industria seculari pollebat. His duobus præfecturam Angliæ commisit, & cum eis Hugonem de Grentemaisnilio, & Hugonem de Monteforti, Guillelmúmque de Garenna, alióſque acerrimos bellatores dimisit. Quidam eorum subiectos laudabiliter rexerunt: nonnulli verò modestia carentes immoderatè suos oppresserunt. C

REX itaque cura regni commissa, Peneuesellum se recepit: vbi multus ad eum equitatus Anglorum conuenit. Ibi militibus repatriantibus larga manu stipendia data sunt. Solutis itaque nauibus mense Martio Rex Guillelmus in altricem terram prosperè peruehitur, secúmque honorificè adduxit Stigaudum Archipræsulem, Edgarum Adelinum Eduardi Regis consobrinum, & tres clarissimos Comites, Eduinum, Morcarum, & Gualleuum; Egelnodum quoque Cantuariensem Satrapam, alióſque complures altæ nobilitatis & miræ pulcritudinis. Benigna calliditate est vsus, vt ipsis auctoribus nihil sub decessum suum nouaretur: gens verò tota minus ad rebellionem valeret spoliata Principibus. Denique diuitias suas & honores eis in Normannia ostendit; vt eos velut obsides in potestate sua secum teneret, quorum auctoritas vel salus propinquis & compatriotis maximi esset. D

ADVENIENTE Guillelmo Rege cum magna seculari gloria, admodum tota lætata est Normannia. Dies erant hiberni & quadragesimales: sed in Episcopiis & Cœnobiis, vbi nouus veniebat Rex, initiabantur Paschalia festa. Nihil relinquebatur, quod in studio talis honorificentiæ agi solitum est. Præterea si quid nouum adinueniri potuit addebatur. Quam pietatem ipse confestim multiplici dono recompensauit: donans pallia, libras auri, aliáque magna altaribus famulisque Christi. Ecclesias autem, quas præsentia sua non visitauit, muneribus missis lætificauit.

AD Cœnobium sanctæ Trinitatis Fiscanni Pascha celebrauit, vbi frequentia Præsulum & Abbatum, nobiliúmque virorum conuenit. Tunc Radulfus Comes, Philippi Regis Francorum vitricus, multáque nobilitas Franciæ affuit:

A & crinigeros Anglicæ Britanniæ alumnos curiosè intuebatur: & Regis Regiorúmque satellitum indumenta intexta atque crustata auro mirabatur. Vasa verò aurea vel argentea, seu bubalina cornua fuluo metallo circa extremitates vtrásque decorata laude attollebat. Denique plurima huiuscemodi competentia regali magnificentiæ Franci magna notabant, quæ reuersi domum ob nouitatem prædicarent. GVILLELMVS II. 1067.

CELEBRATA Paschæ solemnitate, Rex dedicari basilicam sanctæ Mariæ super Diuam præcepit, vbi ipse cum magno cœtu Optimatum & mediocrium Kal. Maij reuerenter interfuit: & vtillima totius populi commoditati edicta sub voce præconis promulgauit. Deinde Kal. Iulij Ecclesiam sanctæ Mariæ apud Gemmeticum dedicari præcepit, & ipse sacro mysterio veneranter affuit. Vtramque nimirum ex prædiis dominij sui largiter dotauit, suáque præsentia, dum sanctum mysterium celebraretur, deuotè sublimauit. Maurilius cum suffraganeis Episcopis hanc dedicationem humiliter & deuotè perpetrauit: & paulo post duodecimo Episcopatus sui anno in lectum decubuit. Peracto autem quicquid religioso Dei vernulæ competit, v. Idus Augusti ad Deum (cui diu seruierat) migrauit. B Corpus verò eius in Episcopali Ecclesia (quam ipse ante v. annos Indictione I. sanctæ Dei genitrici Mariæ dedicauerat) delatum est; & ante crucifixum honorificè tumulatum est. Epitaphium autem eius à Ricardo Herluini filio eiusdem Ecclesiæ Canonico editum est, & super ipsum in cupri laminis ex auro sic scriptum est.

Humani ciues lacrymam nolite negare
Vestro Pontifici Maurilio Monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix
Potauit trifido fonte Philosophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad vnguem,
Lætitia magna fecit & encenia.
Cùm tibi Laurenti vigilat plebs sobria Christi,
Transit, & in cælis laurea festa colit.

POST mortem Antistitis sui Rotomagensis Ecclesia Lanfrancum Cadomensem Abbatem sibi Præsulem elegit: & Rex Guillelmus cum Optimatibus suis, omníque populo libentissimè concessit. Sed vir Deo deuotus, & humilitati studens tanti Primatus sarcinam refutauit; & sibi ad hunc apicem toto conatu C Ioannem Abrincatensium Præsulem præferre sategit. Porrò vt Canonicè fieret ista coniugatio, Romam adiit, prædictæ ordinationis licentiam ab Alexandro Papa impetrauit: sacrum quoque pallium, vnde & ipsi & toti Normanniæ gloriandum erat, cum licentia deportauit.

IOANNES itaque de Sede Abrincatensi, quam VII. annis & III. mensibus rexerat, assumptus est: & Metropolitanus Rotomagensis factus est. Hic ardore virtutum in verbis & operibus multipliciter feruebat, nimióque zelo in vitia vt Phinees sæuiebat. Quantum verò ad seculi dignitatem attinet, magnæ nobilitatis lampade cluebat. Erat enim filius Radulphi Comitis Baiocensium, qui frater fuerat vterinus Ricardi senioris Ducis Normannorum. Decem itaque annis Metropolitanum regimen fortiter & diligenter gessit: multúmque contra impudicos Presbyteros pro auferendis pellicibus laborauit: à quibus dum in Synodo concubinas eis sub anathemate prohiberet, lapidibus percussus aufugit, fugiénsque de Ecclesia, *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, for- D titer clamauit.

IN loco eius Michaël natione Italicus, eruditione litterarum imbutus, studio religionis venerandus, ad culmen Abrincatensis Episcopatus electione legitima est promotus. Qui plus quàm XX. annis laudabilis Pastor floruit, & Rodberti Ducis tempore beatus senex obiit. Quo defuncto Turgisus successit: iamque Præsulatum fermè XXX. annis tenuit.

INTEREA Normannico fastu Angli opprimuntur, & Præsidibus superbis, qui Regis monitus spernebant, admodum iniuriabantur. Præfecti minores, qui munitiones custodiebant, nobiles & mediocres indigenas iniustis exactionibus multisque contumeliis aggrauabant. Odo nimirum Episcopus, & Guillelmus Osberni filius nimia ceruicositate tumebant, & clamores Anglo-

GVILLELMVS II. 1067. rum rationabiliter audire, eisque æquitatis lance suffragari despiciebant. Nam A armigeros suos immodicas prædas & incestos raptus facientes vi tuebantur; & super eos, qui grauibus contumeliis affecti querimonias agebant, magis debacchabãtur. Amissa itaque libertate Angli vehementer ingemiscunt, & vicissim qualiter intolerabile iugum sibique hactenus insolitum excutiant subtiliter inquirunt. Igitur ad Suenum Regem Danorum dirigunt, atque vt regnum Angliæ, quod Suenus & Chunutus aui eius armis obtinuerunt, reposcat, expetunt. Vltrò in exilium aliqui profugiunt, quo extorres vel à potestate Normannorum sint liberi; vel opibus alienis aucti contra eos ad recidiuum certamen reuertantur. Quidam autem ex eis pulchræ iuuentutis flore vernantes longinquas regiones adierunt, & militiæ Alexij Imperatoris Constantinopolitani sese audacter obtulerunt. Erat enim multum sapiens, & miræ dapsilitatis: contra quem Rodbertus Vviscardus Apuliæ Dux cum suis omnibus arma leuauerat in auxilium Michaëlis, quem Danai de throno Imperiali expulerant indignatione Senatoriæ potestatis. Exules igitur Anglorum fauorabiliter à Græcis suscepti sunt, & Normannicis legionibus, quæ nimium Pelasgis B aduersabantur, oppositi sunt. Augustus Alexius vrbem, quæ Cheuetot dicitur, Anglis vltra Bizantium cœpit condere; sed nimium infestantibus Normannis eos ad vrbem Regiam reduxit, & eisdem principale Palatium cum regalibus thesauris tradidit. Hac itaque de causa Saxones Angli Ioniam expetierũt, & ipsi ac hæredes eorum sacro Imperio fideliter famulati sunt: & cum magno honore inter Thraces Cæsari & Senatui, populóque chari vsque nunc perstiterunt.

MVLTIMODIS Normannorum oppressionibus Angli ad rebellionem lacessiti, Boloniam legatos miserunt, & Eustachio Comiti, vt cum classe diligenter militibus & armis instructa ad suscipiendam Doueram accelerarer, mandauerunt. Olim cum eodem inimicitias ingentes habuerant: sed nunc (quia simultates inter illum & Regem insurrexerant, eúmque bellandi peritum & in prælio felicem experimentis cognouerant) pacem cum illo fecerunt: & munitionem Doueræ contra Regem illi tradere conati sunt. Eustachius autem suscepto Cantiorum veredario classem paratam ascendit: noctisque conticinio (vt oppidum ex insperato præoccuparet) cum suis festinanter transfretauit. Milites multos secum C duxit, sed equos præter admodum paucos reliquit. Vicinia omnis fuit armata, & maximè Cantiorum caterua, quæ toto nisu suffragari Eustachio erat conata. Præsul Bajocensis, & Hugo de Monteforti, qui primi munitionis custodes erant, vltra flumen Tamesim abierant, & maiorem partem militum secum duxerant. Auctior hostium numerus ex vlterioribus accederet, si biduana obsidio fieret. Sed cum hostes vehementer impetum facere in oppidum molirentur, custodes ad defensandum reperti sunt, & feruentissimè qua locus poterat impugnari, restiterunt. Acerrimè per aliquas horas diei vtrinque certatum est. Sed dum Eustachius diffideret, eruptionémque propugnatorum, qua turpiùs abigeretur, timeret: receptui ad naues cani signa iubet. Denique oppidani confestim portas patefecerunt, auidéque & cautè sequentes nouissimos conciderunt. Fugientes verò Bajocensem Episcopum cum agmine copioso subito superuenisse rati sunt: eáque formidine velut amentes per auiæ rupis præcipitium se deiecerunt: & tali compendio fœdiùs quàm D ense virorum perierunt. In illa fuga diuersis generibus mortis multi periere. Plerique abiectis armis, acumine saxeo exanimati sunt, nonnulli telo suo se sociósque suos vnà labentes necarunt: & multi lethaliter vulnerati vel collisi spirantes ad mare deuoluti sunt. Plures etiam, qui ad puppes properè anhelant, dum salutis nimium cupidi trepidant, suáque multitudine naues deprimunt, subito submersi pereunt. Equites Normanni quantos consectari possunt, comprehendunt vel occidunt. Eustachium verò eripuit velocitas cornipedis, notitia tramitis, paratiórque nauis. Ibi nobilissimus tyro nepos eius captus est. Angli per diuerticula plura euaserunt: quia pauci multos insequi per diuersa Castellani nequiuerunt.

NON multo post Eustachius Consul Vvillermo Regi reconciliatus est; eiúsque amicitia longo tempore postmodum perfunctus est. Erat enim idem Comes magnæ nobilitatis, ex prosapia scilicet Caroli Magni Frãcorum strenuissimi Regis. Erat quoque magnæ potestatis; vt pote sublimis Princeps trium Comitatuum, Boloniensis, Githnẽsis*, & Tarvvanensis. Generosam & religiosam nomine Ittam ha-

* Guisnensis.

A buit vxorem, Godefridi Lotharingiæ Ducis sororem: quæ peperit ei tres filios, Godefridum, Balduinum, & Eustachium: & filiam, quæ nupsit quarto Henrico Imperatori Alemannorum.

DVM plurimi Anglorum pro amissa libertate pristina, quam repetere peroptabant, machinarentur rebellionem, multi ex eadem gente fuerunt Deo seruantes fidem, & constitutum ab ipso venerantes Regem: præcepto domni Apostoli dicentis, *Deum timete, Regem honorificate*. Coxo itaque Comes prosapia & potentatu inter Anglos præcelsus, animíq; magis singularitate prudentis & omnino honesti præcipuus, Guillelmo Regi fideliter fauebat, & eius causam multo fauore probabat. Satellites verò sui ab eo diffidebant, quia factionum deterrimi fautores ac socij erant. Diuersis igitur modis eum appetebāt, & precibus minísque ac obtestationibus inuadebāt, vt extraneos desereret, & bonorum hominum suæ nationis & consanguinitatis voluntati obsecundaret. Sed dum mens in tenore boni firmiter fixa non posset à rectitudine dimoueri, concitatis contra eum comprouincialibus per insidias occisus est
B pro integritate fidei. Sic asseruit casu suo vir eximius, quòd Maiestas Domini sui semper chara debeat esse subiectis fidelibus.

TVNC Addredus * Primas Eboracensis, aliíque Pontifices quidam vtilitati Regiæ intendebant, quia sapientis monitum scientes, æquitati obtemperabant. *Time*, inquit, *Deum fili mi, & Regem*. Tunc etiam aliquot sapientissimi ciuium vrbanorum, & nonnulli ex militibus ingenuis, quorum nomen & opes valebant: & multi ex plebeiis contra suos pro Normannis magnoperè insurgebant.

* Adelredus.
* al. studebant.

INTEREA Vuillelmus Rex dum moraretur in Normannia, tranquillitati eius in longum prospiciebat sollicitudine maxima. Iustas leges & recta iudicia ex consultu sapientum diuitibus & pauperibus æquè sanxit; optimósque Iudices & Rectores per Prouincias Neustriæ constituit. Sacra Cœnobia, & fundos illis datos Regalibus priuilegiis & tuitionibus ab iniustis exactionibus liberauit. Omnibus tam aduenis quàm indigenis pacem in tota terra sua præconis voce propalauit: & super fures ac seditiosos, patriæque quietis contemptores, graues iustásque vltiones rigidè promulgauit.

C RVMORES interim de transmarinis partibus diuersi aduolitabant, & optatis molesta permiscentes Regem inquietabant: & ex maliuolentia Anglorum, cum nisu Danorum, aliarúmque barbararum gentium, magnam cladem Normannis orituram intimabant. Rex igitur Mathildi coniugi suæ, filióque suo Rodberto adolescēti Principatum Neustriæ commisit, & cum eis Religiosos Præsules, & strenuos Proceres ad tuendam regionem dimisit. Deinde sexta nocte Decembris ad ostium amnis Deppæ vltra oppidum Archas accessit; primáque vigilia gelidæ noctis Austro vela dedit; & mane portum oppositi littoris (quem Vvicenesium vocitant) prosperrimo cursu arripuit. Iam aura hiemalis mare sæuissimum efficiebat: sed sancti Nicolai Mirreorum Præsulis solemnitatem Ecclesia Dei celebrabat, & in Normannia pro deuoto Principe fideliter orabat. Omnipotentia ergo Dei, qui omnes vbique & semper quos vult, prosperè gubernat, beniuolum Regem inter hiemales tempestates ad portum salutis cum gaudio dirigebat. Rex in illa transfretatione Rogerium de Monte-Gomerici (quem tutorem Normanniæ, dum ad bellum transmarinum proficisceretur, cum sua coniuge dimiserat) secum minauit: eíque primò Cestriam, & Arundellum; ac post aliquod tempus Scrobesburiensem Comitatum donauit.

D ADVENTVI Regis Angli occurrerunt, ipsumque tam honorificentia Monasteriali quàm secularibus officiis sublimauerunt. Ipse Lundoniæ Dominicam Natiuitatem celebrauit, ibique Pontificibus Anglis Proceribúsque multa calliditate fauit. Ipse omnes officioso affectu demulcebat, dulciter ad oscula inuitabat, cunctis affabilitatem ostendebat: benignè si quid orabant, concedebat: promptè si nunciabant aut suggerebant auscultabat. Desertores huiusmodi arte aliquoties reducuntur. Pari sedulitate & sollertia Guallos nunc instruebat, nunc vt contra omnes dolos & insidias singulorum semper vbique parati essent clam Anglis admonebat. Cunctæ vrbes & regiones, quas ipse adierat vel præsidiis occupauerat, ad nutum ei parebant. Circa terminos regni Occidentem aut plagam Septentrionalem versus effrenis adhuc ferocia superbiebat: & Angliæ Regi, nisi ad libitum suum, famulari, sub Rege Eduardo aliísque prioribus olim despexerat.

Gvillel-mvs II. 1067. Exonia libertatem vendicare prima contendit, sed fortissimis athletis fortiter eam inuadentibus seruituti subiacuit. Hæc vrbs diues est & antiqua, in plano sita, operosè munita, à littore marino, quo ex Hibernia vel Britannia minore breuissimo aditur spacio, distans miliaria circiter duo. Ciues eam tenebant furiosi, copiosæ multitudinis, infestissimi mortalibus, Gallici generis, puberes, ac Senatus. Hi nimirum socios è plagis finitimis inquietè arcessebant, mercatores aduenas bello habiles retinebant: & pinnas ac turres, & quæque necessaria sibi censebant, in munimentis addebant, vel restaurabant. Alias quoque ciuitates ad conspirandum in eadem legationibus instigabant: & contra Regem alienigenam toto nisu se præparabant, cum quo antea de nullo negocio egerant. Rex verò vbi hæc certiùs comperit, primoribus ciuitatis iurare sibi fidelitatem mandauit. At illi remandauerunt ei, » dicentes: Neque sacramentum Regi faciemus, neque in vrbem eum intromitte- » mus: sed tributum ei ex consuetudine pristina reddemus. Econtra sic eis remanda- » uit Rex, dicens: Non est mihi moris ad hanc conditionem habere subiectos. Deinde cum exercitu ad fines eorum accessit, & primos in ea expeditione Anglos eduxit. Maiores mox vt Regem cum exercitu appropinquare cognoscunt, obuiam ad- B uenienti procedunt, pacem poscunt, portas ei patere dicunt: imperata quælibet se facturos promittunt, & obsides ilico quantos Rex iubet, adducuntur. Reuersi ad conciues, qui supplicia pro reatu nimis metuebant, nihilominus machinantur hostilia quæ cœperant, multisque pro causis ad oppugnandum se se incitabant. Quod audiens Rex, qui ad quatuor miliaria consistebat ab vrbe, ira repletus est & admiratione.

Imprimis itaque Rex cum quingentis equitibus properè perrexit, vt locum & mœnia videret, & quid hostes agerent deprehenderet. Portæ offirmatæ erant, densæque turbæ in propugnaculis, & per totum muri ambitum prostabant. Denique regio iussu exercitus ad vrbem admotus est, & vnus ex obsidibus propè portam oculis priuatus est. Pertinacia furentis populi nullo timore, nec vlla reliquorum obsidum flectitur miseratione: sed acuitur ad defensandum se suósque lares tota obstinatione. Rex autem fortiter vrbem obsidione concludit, militari feritate inuadit, & per plurimos dies obnixè satagit ciues desuper impugnare, & subtus mu- C rum suffodere. Tandem municipes ingenti hostium instantia vtile consilium coacti capiunt, ad deprecationem descendunt: & formosissima iuuentus, maioresque natu cum Clero gestante sacros Libros & huiusmodi ornatum, ad Regem exeunt. Protinus Princeps moderatus humiliter prostratis clementer pepercit, confitenti populo reatus indulsit; ac si nesciisset quòd illi eidem proteruè restiterant, & quòd militibus crudeliter & contumeliosè illuserant, quos ipse de Normannia miserat, & tempestas ad portum illorum appulerat. Exonij gaudent, gratésque Deo referunt, quòd post tot iras, terribilésque minas spe melius alienigenæ Regi pacificati sunt. Rex autem à rebus eorum abstinuit, & portas vrbis valente fidáque custodia muniuit, ne gregarij milites repente introirent, & pecunias ciuium violenter diriperent. Locum verò intra mœnia ad extruendum castellum delegit, ibíque Balduinum de Molis filium Gisleberti Comitis, aliósque milites præcipuos reliquit, qui necessarium opus conficerent, præsidióque manerent. Ipse postea in Cornu Britanniæ vlteriùs contendebat. Composito vbique motu, quem deprehendit, exercitum dimisit; & Guentam ad vacandum illuc Paschali festo rediit.

1068. Anno ab Incarnatione Domini MLXVIII. Guillelmus Rex Legatos honorabiles in Neustriam direxit; & Matildem coniugem suam ad se venire præcepit. Pro- D tinus illa mariti iussis libenter obediuit; & cum ingenti frequentia virorum ac nobilium feminarum transfretauit. In Clero, qui ad diuina ei ministrabat, celebris Guido Ambianorum Præsul eminebat, qui iam certamen Heraldi & Guillelmi versificè descripserat. Adelredus Eboracorum Metropolitanus, qui maritum inunxerat, Matildem ad consortium regij honoris die Pentecostes anno II. regni præfati Regis inunxit. Decorata regio diademate matrona, priusquàm annus perficeretur, filium nomine Henricum peperit, quem totius terræ suæ in Anglia heredem constituit. Hic dum dociles annos attigisset, litterarum scientiam didicit, & post vtriusque parentis obitum militiæ agones fortiter exercuit. Tandem multimodæ probitatis clarus titulis, Principatum paternum tenuit pluribus annis.

A EODEM anno egregij iuuenes Eduinus & Morcarus filij Elfgari Comitis rebellauerunt, & cum eis multi alij ferociter insurrexerunt, quorum motus Albionis regnum vehementer turbauerunt. Guillelmus etenim Rex, quando Eduinus Comes cum eo concordiam fecerat, eique fratrem suum, & pene tertiam partem Angliæ subdiderat, filiam suam se in coniugem ei daturum spoponderat: sed postmodum fraudulento consultu Normannorum concupitam virginem & diu expectatam denegauit nobilissimo iuueni. Vnde iratus cum fratre suo ad rebellionem incitatus est: eúmque magna pars Anglorum & Gualorum secuta est. Feruens affectus erat præfatis fratribus erga Dei cultum, & bonorum reuerentiam hominum. Erat eis ingens pulchritudo, nobilis & ampla cognatio; latè valens potentatus, & nimia in eos popularium dilectio. A Clericis & Monachis crebra pro illis fiebat oratio, & à turbis pauperum quotidiana supplicatio. GVILLELMVS II. 1068.

ELFGARVS Comes Couentrense Cœnobium construxit, & magnis redditibus ad victum Monachorum inibi consistentium largiter ditauit. Godioua verò religiosa Comitissa omnem thesaurum suum eidem Ecclesiæ cõtulit, & accersitis aurifabris quicquid in auro & argento habuit, ad construendũ sacros textus & cruces, B ac imagines Sanctorum, aliáque mirifica Ecclesiæ ornamenta deuotè distribuit. Deuoti Deo dignique religionis laude parentes elegantem & multa laude dignam ediderunt sobolem: Eduinum, Morcarum, & vnam filiam nomine Aldit, quæ primò nupsit Guitfrido Regi Guallorum, post cuius mortem sociata est Heraldo Regi Anglorum.

TEMPORE Normannicæ cladis, quæ nimis oppressionibus Anglos immoderatè conquassauit, Blidenus Rex Guallorum ad auunculos suos suppetias venit, secúmque multitudinem Britonum adduxit. Congregatis autem in vnum multis Anglorum & Guallorum Optimatibus, fit generalis querimonia de iniuriis & oppressionibus, quibus intolerabiliter Angli affligebantur à Normannis, & eorum contubernalibus. Legationibus quoscumque poterant per omnes Albionis terminos in hostes clam palámque stimulabant. Fit ex consensu omnium pro vendicanda libertate pristina procax conspiratio, & obnixa contra Normannos coniuratio. Exoritur in finibus Trans-Humbranis vehemens perturbatio. Seditiosi siluas, paludes, æstuaria, & vrbes aliquot in munimentis habent. Eboracensis ciuitas ardentissimè furit, quam sanctitas Pontificis sui sedare nequit. Plures in tabernaculis morabantur: in domibus, ne mollescerent, requiescere dedignabantur: vnde C quidam eorum à Normannis Siluatici cognominabantur.

REX igitur secessus regni prouidentiùs perlustrauit, & opportuna loca contra excursiones hostium communiuit. Munitiones enim (quas castella Galli nuncupant) Anglicis Prouinciis paucissimæ fuerant: & ob hoc Angli, licet bellicosi fuerint & audaces, ad resistendum tamen inimicis extiterant debiliores. Rex itaque castrum apud Guareuicum condidit, & Henrico Rogerij de Bellomonte filio ad seruandum tradidit. Tunc Eduinus & Morcarus cum suis anceps prælij discrimen prependentes, gratiam Regis petierunt, & specie tenus obtinuerunt. Deinde Rex Snotingheham castrum construxit, & Guillelmo Peuerello commendauit.

HÆC Eboracenses vt audierunt, extimentes maturata deditione vim declinauerunt: Regíque claues ciuitatis cum obsidibus dederunt. Ipse tamen quia fidem illorum suspectam habuit, in vrbe ipsa munitionem firmauit, quam delectis militibus custodiendam tradidit. Tunc Archillus potentissimus Nordanhimbrorũ D cum Rege concordiam fecit, eique filium suum obsidem tradidit. Præsul quoque Dunelmi Regis in gratiam accessit: & pro Malcomo Rege Scotorum pacis mediator interuenit, & acceptas conditiones in Scotiam detulit. Malcomus autem licèt ab Anglis requisitus fuerit, & validam expeditionem in eorum auxilium facere parauerit, audita tamen legatione pacis quieuit, & cum Præsule Dunelmi nuncios suos ouanter remisit: per quos Guillelmo Regi fidele obsequium iurauit. Sic vtiliter sibi consuluit, populóque suo multùm placuit, quòd pacem bello præposuit. Nam Scotica gens, licet in prælio aspera sit, otium tamen & quietem diligit: nollet à vicinis inquietari regnis, Christianæ Religionis plus quàm armorum intenta studiis. Rex posthæc in reuersione sua Lincoliæ, Huntendonæ, & Gruntebrugæ castra locauit, & tutelam eorum fortissimis viris commendauit.

GVILLEL-MVS II. 1068. His temporibus quædam Normanniæ mulieres sæua libidinis face vrebantur; A crebrisque nunciis à viris suis flagitabant vt citò reuerterentur: addentes quòd nisi reditum maturarent, ipsæ sibi alios coniuges procurarent. Non enim ad maritos suos propter insuetam sibi adhuc nauigationem transfretare audebant, nec in Anglia eos expetere, vbi iugiter in armis erant, & quotidianas expeditiones non sine magna sanguinis vtriusque partis effusione frequentabant. Rex autem inter tot bellorum motiones secum milites suos retinere cupiebat: & terras cum redditibus & magnis potestatibus eis amicabiliter offerebat, & maiora dum totum regnum ab aduersariis vndique liberatum esset promittebat. Legitimi Barones, strenuíque pugiles multipliciter anxiabantur, dum Regem suum cum fratribus suis, & amicis, sociisque sedulis circundari bellis intuebantur: ipsique si discederent infidi proditores, timidique desertores palam censeri verebantur. Rursus honorabiles athletæ quid facerent, si lasciuæ coniuges thorum suum adulterio polluerent, & B progeniei suæ perennis maculæ notam & infamiam generarent? Vnde Hugo de Grentemaisnil, qui præsidatum Gevvissorum, id est, Guentanæ regionis iam habuerat, & sororius eius Vnfridus de Telliolo, qui Hastingas à prima die constructionis ad custodiendum susceperat, aliíque multi discesserunt: & Regem inter exteros laborantem tristes & inuiti deseruerunt. Deinde famulari lasciuis dominabus suis in Neustriam reuersi sunt: sed honores, quos iam nactos hac de causa reliquerunt, ipsi vel heredes eorum numquam postea recuperare potuerunt.

Mvltimodis desolationibus Anglia nimis attrita est, & tam ab indigenis quàm ab alienigenis valde aggrauata est. Incendia, rapinæ, & quotidianæ cædes, miseram gentem inuaserunt, percusserunt, deiecerunt, & conquassauerunt. Aduersa fortuna miseros tam victos quàm victores muscipula sua irretiuit: nunc ense, nunc fame, nunc peste irreuerenter præcipitauit, prout omnipotens arbiter vnicuique dispensauit. Rex verò perspectis importunitatibus terræ solidarios milites conuocauit, omnésque regali munificentia pro militari seruitute muneratos domum abire benigniter permisit.

Anno tertio regni sui Guillelmus Rex Dunelmensem Comitatum Rodberto C de Cuminis tradidit, qui mox cum militibus quingentis ciuitatem confidenter adiit. Prima verò nocte ciues collecti sunt, & ipsum cunctósque milites præter duos fuga elapsos mactauerunt. Fortissimi viri nequiuerunt defendere se, oppressi tempore, dolo, multitudine.

Non multò post Rodbertus Ricardi filius Eboracensis præsidij custos cum multis peremptus est. Fiducia deinceps Anglis creuit contra Normannos, à quibus videbant nimium vexari suos collegas & amicos. Fides, sacramentum, & salus obsidum vilia fuerunt iratis pro amissis patrum suorum prædiis, & occisis parentibus & compatriotis.

Marivs Sueuus, Gaius Patricius, Edgarus Adelinus, aliíque potentes & factiosi conuenerunt: & consociata manu ciuium ac finitimorum, munitionem Regis in Eboraco impugnare ausi sunt. Vvillelmus cognomento Maletus, Præses Castrensis Regi denunciauit se defecturum, nisi maturum fessis conferat auxilium. Rex ocius aduenit, in obsidentes ruit, nec vlli pepercit. Multi capti, plerique interfecti, ceteri sunt fugati. Rex autem dies octo in vrbe morans alterum D præsidium condidit: & Guillelmum Comitem Osberni filium, ad custodiendum reliquit. Ipse verò lætus Guentam rediit, & Paschale festum ibi celebrauit. Rursus Angli post Regis discessum contra vtrumque præsidium congregati sunt: sed Guillelmo Comite cum suis viriliter in quadam valle dimicante, non præualuerunt: sed pluribus eorum captis seu trucidatis, alij fuga mortem distulerunt.

Bellicis turbinibus vndique insurgentibus admodum occupatus, coniugem sibi multùm dilectam Matildem remisit in Normanniam Rex Guillelmus, vt ab Anglico tumultu seposita in pace religiosis actibus vacaret, incolumémque Prouinciæ statum Rodberto puero seruaret. Hæc consanguinea Philippi Francorum Regis erat, & ex Regibus Galliæ ac Imperatoribus Germaniæ originem ducebat, eximiáque tam generis quàm morum nobilitate cluebat. Egregio marito edidit vtriusque sexus optatam sobolem, Rodbertũ, & Ricardum, Guillelmum Rufum, & Henricum: Agatham, & Constantiam, Adelizam, Adelã, & Ceciliam: qui-

A bus in hac variabili vita sors diuersa prouenit: & dicacibus Sophistis ingentes libros condendi vberem materiam tribuit. Reginam hanc simul decorauere forma, genus, litterarum scientia, cuncta morum & virtutum pulchritudo, & quod his laude immortali dignius est, firma fides & studiosus amor Christi. Eleemosyna (cui quotidie hæc hera insistebat) marito agonizanti in procinctu bellico plus quàm fari norim succurrebat. GVILLELMVS II. 1068.

Dvo filij Heraldi Regis Angliæ mœsti pro patris occisione suique propulsione, confugerant ad Dirmetum Regem Hiberniæ. Eius & Principum regni suffragio adiuti sunt, & LXVI. naues armata manu oneratas ducentes Exonio appulerunt: Deinde progredientes à littore terram audacius depopulari cœperunt, & ferro ignéque furentes maxima patrare damna conati sunt. Protinus illis Briennus Eudonis Comitis Britanniæ minoris filius, & Guillelmus Gualdi cum armis obuij fuerunt: & duobus vno die conflictibus horrendam multitudinem in eam paucitatem redegerunt, vt residui duabus scaphis subtracti aufugerent, & Hiberniam luctu B replerent. At nisi nox prælium diremisset, ne nuncius quidem cladis repatriauisset. Iustè id omen comitatum est natos pro tyranno genitore vindictam quærentes, & huic intentioni opem ferentes.

Inter hæc Gisa Goduini vxor, Heraldi genitrix, ingentem gazam clanculum sumpsit, & pro timore Guillelmi Regis in Galliam non reditura transmeauit.

In illa tempestate Suenus Rex Danorum magnam classem Danis & Anglis accuratissimè instruxit, duósque filios suos, & Osbernum fratrem suum, Pontificésque duos, Comitésque tres dilectissimos præfecit, & in Angliam misit. Multotiens enim pecuniis Anglorũ & obnixis precibus fuerat sollicitatus, & ruina suorũ, qui nuper in Heraldi conflictu occisi fuerant motus: quin etiam proxima cognominatione ad regni cupiditatem incitatus, vt pote nepos Eduardi Regis Hardecunuti filius*. Hic ingenti potentia pollebat, vniuersas regni sui vires contrahebat: quibus à vicinis regionibus & amicis auxilia magna coaceruabat. Adiuuabant eum Polenia, Frisia, necne Saxonia. Leutecia quoque pro Anglicis opibus auxiliares turmas mittebat. In ea populosissima natio consistebat, quæ gentilitatis C adhuc errore detenta verum Deum nesciebat: sed ignorantiæ muscipulis illaqueata, Guodeuen & Thurum, Freámque, aliósque falsos Deos, immò dæmones colebat. Hæc gens terra maríque præliari perita erat, quam Suenus cum Rege suo sæpè vicerat, suæque ditioni subegerat. Multis itaque triumphis sublimatus, vt sibi adhuc augeret potentiam & decus, contra Guillelmum Regem (vt prædiximus) magnam classem in Angliam misit Suenus. Appulsos Doueram regiorum militum occursus repulit. Itidem apud Sanguicum abacti sunt, sed à Normannis repulsi sunt. Nacti opportunitatem egrediendi apud Gepesuicum in prædam diffusi sunt; sed Prouinciales congregati triginta necauerunt, & reliquos in effugium coegerunt. Egressos Northguici ad similem discursionem Radulfus de Guader inuasit, & multis ferro, multis aqua vitam ademit: & reliquos turpiter nauigium arripientes in pelagus abire compulit. Rex autem Guillelmus tunc in Dana sylua erat: ibíque pro more venatui vacabat. Illic audito aduentu Dacorum, statim nuncium direxit Eboracum: monens suos, vt sese cautiùs in eos præpararent, ipsúmD que si fortè necessitas posceret aduocarent. Remandauerunt custodes præsidiorum non indigeri subuentu eius ad annum. Iam Adelinus, Gualleuus, Siguardus, aliíque præpotentes Angli ad Danos contulerant se. Peruentum est ad Humbræ lati fluminis ostium. Adelinus ibi seorsum ab socia turba cum quibusdam suorum prædatum ierat. Quos insiliens familia Regis è Lincolia cepit omnes, exceptis duobus cum Adelino elapsis, & nauim confregit, quam custodia pauens deseruit.

*frater vterinus ex Emma.

Dani Eboracum accedunt, nimísque incolarum contubernio aucti sunt. Gualleuus enim, Gaius Patritius, Marius Sueuus, Elnocinus, Archillus, & quatuor filij Karoli antesignani erant: & Danos Northuuigenásque præcedebant. Castelliani obuiam eis inconsultiùs exeunt; & intra vrbis mœnia infeliciter confligunt. Non valentes resistere multitudini, omnes aut interimuntur, aut capiuntur. Castella desolata patent. Securo Regi casus suorum nunciatur, terribilitas hominum maior quàm sit amplificante fama refertur: & quòd cum ipso dimicaturi confidenter præstolentur. Rex ergo tam dolore quàm ira conturbatur, ac ad ho-

GVILLELMVS II. 1069. stes cum exercitu properare conatur. Illi verò metu magni bellatoris in Humbram aufugiunt, & ripæ, quæ Lindissem attingit applicant. Ipse illuc cum equitatu contendit, nefarios quosdam in paludibus penè inaccessibilibus reperit, gladióque puniit, & aliquot latibula diruit. In ripam alteram euadunt Dani, opperientes tempus quo se, sociósque suos possent vlcisci. A

EO TEMPORE Saxones Occidentales de Dorseta, & Summerseta cum suis confinibus Montem-acutum assilierunt, sed diuino nutu impediti sunt. Nam Guentani, Lundonij, Salesberij, Gaufredo Constantiensi Præsule ductore superuenerunt, quosdam peremerunt, partim captos mutilauerunt, reliquos fugauerunt. Gualli & Cestrenses præsidium Regis apud Scrobesburiam obsederunt; quibus incolæ ciuitatis cum Edrico Guilda potenti & bellicoso viro, aliísque ferocibus Anglis auxilio fuerunt. Idem apud Exoniam Exoniensis Comitatus habitatores fecere: & vndique coadunata turba ex cornu Britanniæ. Nam supremi fines Anglorum Occidentem versus & Hiberniam Cornu Britanniæ, id est, Cornuallia nuncupantur. Exoniæ ciues Regi fauebant, non immemores pressurarum quas olim passi fuerant. Protinus vbi Rex hæc accepit, Comites duos Guillelmum & Briennum laborantibus subuenire præcepit. Verùm priusquam illi Scrobesburiam peruenissent, vrbe combusta hostes discesserant. Defensores quoque Exoniæ subito eruperunt, & impetu in se obsidentes abegerunt. Fugientibus obuij Guillelmus & Briennus grandi cæde temeritatem punierunt. B

REX interim apud Estafort quamplurimos factiosarum partium facili prouentu deleuit. In tot certaminibus sanguis vtrinque multus effunditur; & tam inermis quàm armata plebs diuersis infortuniis hinc indè miserabiliter concutitur. Lex Dei passim violatur, & Ecclesiasticus rigor pene ab omnibus dissoluitur. Cædes miserorum multiplicantur, animæque cupiditatis & iræ stimulis stimulantur ac sauciantur, & cateruatim hinc indè ad inferna raptantur, damnante Deo, cuius iudicia esse iustissima comprobantur. Rex Guillelmus cùm à Lindisse reuerteretur, reliquit ibi germanum suum Rodbertum Moritoliensem Comitem, & Rodbertum Aucensem, qui Danorum excursiones arcerent. Dani aliquamdiu delituere. Verùm postquàm tuta sunt opinati, conuiuiis Prouincialium (quæ vulgò firmam appellant) illecti ad terram egrediuntur. Ambo Comites ex improuiso eos inuadunt, epulas cruore confundunt, instant trepidis: ad naues vsque cædendo fugientes persequuntur. Diuulgatur iterum eosdem latrunculos Eboracum aduenire, qua Natalem Dominicum celebrent, seséque ad præliandum præparent. Properans illò Rex è Snotingeham, præpeditur ad Fracti-pontis aquam impatientem vadi, nec nauigio vsitatam. Reditum suadentibus non acquiescit, pontem fieri volentibus id opportunum non esse respondet, ne hostis repentè super eos irrueret, & inferendæ cladis occasionem in ipso opere haberet. Tres hebdomades illic detinentur. Denique Lisois audax miles, quem de Monasteriis agnominabant, flumen summopere attentabat, & vadum suprà infráque quæritabat. Per multam demum difficultatem locum transmeabilem deprehendit, & cum LX. magnanimis equitibus pertransiuit, super quos hostium multitudo irruit; sed his acerrimè repugnantibus non præualuit. Postero die Lisois reuersus prodit vadum; nec mora traducitur exercitus. Itur per siluas, paludes, montana, valles: artissimo tramite, qui binos lateraliter ire non patiebatur. Sic Eboraco appropinquatum est, sed Danos aufugisse nunciatum est. Rex autem Tribunos & Præsides cum armatorum manu, qui restaurarent in vrbe castella direxit: & alios nihilominus in ripa Humbræ, qui Danis resisterent reliquit. Ipse verò in saltuosa quædam, & difficillimè accessibilia loca contendit, & abditos illic hostes persequi summoperè studuit. Spatio centum miliariorum castra eius diffunduntur. Pleró sque gladio vindice ferit, aliorum latebras euertit, terras deuastat, & domos cum rebus omnibus concremat. Nusquam tanta crudelitate vsus est Guillelmus, hic turpiter vicio succubuit, dum iram suam regere contempsit; & reos innocuósque pari animaduersione peremit. Iussit enim ira stimulante segetibus & pecoribus cum vasis & omni genere alimentorum repleri, & igne iniecto penitus omnia simul comburi; & sic omnem alimoniam per totam regionem trans-Humbranam pariter deuastari. Vnde sequenti tempore tam grauis in Anglia latè sæuit penuria, & inermem ac simplicem C D

A populum tanta famis inuoluit miseria, vt Christianę gentis vtriusque sexus & omnis GVILLEL-
ætatis homines perirent plus quàm centum milia. In multis Guillelmũ nostra liben- MVS II.
ter extulit relatio: sed in hoc quod vnà iustum & iniustũ tabidæ famis lancea æquè 1069.
transfixit, laudare non audeo. Nam dũ innocuos infantes iuuenésque vernãtes & floridos canicie senes fame periclitari video: misericordia motus miserabilis populi mœroribus & anxietatibus magis condoleo, quàm friuolis adulationibus inutiliter studeo. Præterea indubitanter assero, quòd impunè non remittetur tam feralis occisio. Summos enim & imos intuetur omnipotens Iudex, & æquè omnium facta discutiet ac puniet districtissimus vindex, vt palam omnibus enodat Dei perpetua lex. *iustissimus.

INTER bella Guillelmus ex ciuitate Guenta iubet adferri coronam, aliáque ornamenta regalia & vasa, & dimisso exercitu in castris Eboracum pergit, ibique
B Natale Saluatoris nostri concelebrat. Rursum comperit hostile collegium in angulo quodam regionis latitare, mari vel paludibus vndique munito. Vnicus aditus per solidum intromittit, latitudine tantùm viginti pedum latens. Prædam abundantem contraxerant, securi agitabant: nullam sibi vim nocere putabant. Attamen vt agmen regium approximare audierunt, noctu quantocius abierunt. Rex ardens infestos sibi hostes ad flumen Tesiam insequitur, & auia prorumpit: quorum asperitas interdum peditem eum ire compellit. Super Tesiam sedens quindecim dies transegit. Ibi reconciliati sunt Gualleuus præsens, & Gaius Patricius absens, sacramento per legatos exhibito. Horum paulò ante contubernales iam periclitabantur Dani, vt vagi Piratæ fluctibus & ventis iactati. Vrgebat eos non minus fames quàm tempestas. Pars naufragio periit. Residui vitam vilissima pulte sustentabant: nec solùm milites gregarij, verùm ipsi quoque Principes, Comites, atque Pontifices. Carnes penitus defecerant, quibus diu rancidis ac putridis vescebantur. Egredi ad comportandum rapinas non audebant, neque litus propter incolarum terrorem vspiam attingere. Tandem magnæ classis exiguæ reliquiæ Daciam repetierunt: & Sueno Regi suo magna discrimina quæ perpessi sunt, nimiámque ferocitatem hostium, suorúmque ruinam sodalium flebiliter re-
C tulerunt.

MENSE Ianuario Rex Guillelmus Haugustaldam reuertebatur à Tesia, via quæ hactenus exercitui erat intentata; qua crebrò acutissima iuga, & vallium humillimæ sedes, cùm vicinia serenitate verna gaudet, niuibus compluuntur. At ille in acerbissimo hiemis gelu transiuit, animósque militum confirmauit sua alacritate. Illud iter difficulter peractum est, in quo sonipedum ingens ruina facta est. Anxius pro sua quisque salute extitit, Domini´que parum aut amici meminit. In ea difficultate Rex cum senis tantum equitibus aberrauit: & noctem integram vbinam essent quos ductabat ignarus exegit. Eboracum reuersus complura illic castella restaurauit, & vrbi ac regioni commoda ordinauit. Deinde mouet expeditionem contra Cestrenses & Guallos, qui præter alias offensas nupertimè Scrobesburiam obsederunt. Exercitus autem qui dura tolerauerat, in hoc itinere multò duriora restare timebat. Verebatur enim locorum asperitatem, hiemis intemperiem, alimentorum inopiam, & hostium terribilem ferocitatem. Andegaui, Bri-
D tones, & Cœnomanni seruitiis, vt dicebant, intolerabilibus oppido grauabantur: vnde pertinaciter à Rege missionem petentes conquerebãtur. Sui nimirum ad expurgationem depromebant, non posse Domino semper noua & immoderata audenti, nimiáque præcipienti obsequi. Rex autem constantiam Iulij Cæsaris in tali necessitate secutus est, nec eos multo precatu seu nouis promissis retinere dignatus est. Audacter inceptum iter iniit, fidásque sibi cohortes se sequi præcepit: desertores verò velut inertes pauidósque & inualidos, si discedant, paruipendit. Post difficillimas fatigationes victoribus requiem promittit, nec ad honores posse pertingere nisi per labores asserit. Indefessim itaque, pergit via equiti nunquam ante experta, in qua sunt montes ardui, & profundissimæ valles, riui & amnes periculosi, & voraginosa vallium ima. In hac via gradientes sæpè nimio vexabantur imbre, mixta interdum grandine. Aliquando præstabant cunctis vsum equi in paludibus euecti. Ipse Rex multoties pedes cunctos agiliter præcedebat; & laborantes manibus impigrè adiuuabat. Tandem exercitum incolumem

GVILLELMVS II. 1069. vsque Cestram perduxit, & in tota Merciorum regione motus hostiles Regia vi compescuit. Tunc Cestræ munitionem condidit, & in reuersione sua apud Estafort alteram locauit: milites & alimonias abundè vtrobique imposuit. Perueniens inde Salesburiam præmia militibus ibi pro tanta tolerantia largissimè distribuit, benemeritos collaudauit, & cum gratia multa dimisit. Desertores autem ad dies XL. vltra discessum commilitonum per indignationem retinuit, eáque pœna delictum, quod peius meruit, castigauit.

POST HÆC Guillelmus Rex Dominicam Resurrectionem in vrbe Guenta celebrauit, vbi Cardinales Romanæ Ecclesiæ Coronam ei solenniter imposuerunt. Nam ex petitione ipsius Alexander Papa tres idoneos ei vt clarissimo filio legauerat vicarios, Ermenfredum Pontificem Sedunorum, & duos Canonicos Cardinales. Quos apud se annuo fermè spatio retinuit: audiens & honorans eos tanquam Angelos Dei. In diuersis locis, in plurimis negociis sic egere, sicut indigas Canonicæ examinationis & ordinationis regiones illas dinouere. Maxima verò ac vtilima
1070. Synodus Vvindressoris celebrata est anno MLXX. ab Incarnatione Domini. Rex & Cardinales eidem Concilio præsederunt: & illic Stigaudum pridem reprobatum anathemate deposuerunt. Periuriis enim & homicidiis inquinatus erat, nec per ostium in Archipræsulatum introierat. Nam à duobus Episcopis Norfulcano & Guentano nefanda gradatione ambitionis & supplantationis ascenderat. Suffraganei quoque aliquot deiecti sunt, indigni Pontificatu propter criminosam vitam, & curæ pastoralis inscitiam. Constituti sunt autem nominandi Præsules Normanni duo Regij Capellani, Guaschelinus Guentanorum, & Thomas Eboracorum: vnus in loco depositi, alter defuncti: vterque prudens, plenus mansuetudine, & humanitate, venerabilis hominibus, verens & amans Deum medullitus. Item alij subrogati sunt, traducti ex Gallia: litterati, decorati moribus, ac studiosi diuinorum amatores.

MVLTIMODÆ honestatis studio in multis Rex Guillelmus laudabilis claruit: maximéque in ministris Dei veram religionem (cui pax interdum & prosperitas mundi famulatur) semper amauit. Hoc fama multiplex attestatur, hoc operum exhibitione certissimè comprobatur. Nam dum Pastor quilibet completo vitæ suæ termino de mundo migraret, & Ecclesia Dei proprio rectore viduata lugeret, sollicitus Princeps prudentes Legatos ad orbatam domum mittebat, omnésque res Ecclesiæ ne à profanis dissiparentur, describi faciebat. Deinde Præsules & Abbates, aliósque sapientes Consiliarios conuocabat: & eorum consilio quis melior & vtilior tam in diuinis rebus quàm in secularibus ad regendam Dei domum videretur, summoperè indagabat. Denique illum, quem pro vitæ merito, & sapientiæ doctrina prouisio sapientum eligebat, beniuolus Rex dispensatorem & Rectorem Episcopatus vel Abbatiæ constituebat. Hanc nimirum obseruationem quinquaginta sex annis custodiuit, quibus regimen in Ducatu Normanniæ seu regno Angliæ tenuit: & indè religiosum morem & exemplum posteris dereliquit. Simoniacam hæresim omnimodis abhorrebat: & ideò in eligendis Abbatibus vel Episcopis non tam opes seu potentiam, quàm sanctitatem & sapientiam personarum considerabat. Probatas virtute personas Cœnobiis Angliæ præfecit: quorum studio & rigore Monachatus (qui iam aliquantulum tepuerat) reuixit; & qui defecisse videbatur, ad pristinum robur surrexit.

AVGVSTINVS enim & Laurentius, aliíque primi prædicatores Anglorum Monachi fuerunt, & in Episcopiis suis vice Canonicorum (quod vix in aliis terris inuenitur) Monachos piè constituerunt. Cœnobia multa & præclara construxerunt, & conuersis instituta regularia verbis & exemplis tradiderunt. Magnificè igitur Monachilis Ordo plus quàm ducentis annis in Anglia floruit: & Christiana Religio Reges Anglorum Edelbertum, Eduinum Osvvaldum, & Offam, aliósque plures feliciter coërcuit, & salubriter in montem virtutum sustulit; donec Edmundus Estanglorum Rex cum aliis duobus Angliæ Regibus paganorum gladio martyr occubuit. Tunc Ethnici Reges Danorum Oskiter & Gudrun, Hamund & & Halfdens, Inguar & Huba cum turmis suis Angliam inuaserunt, Ecclesias Monachorum & Clericorũ cõcremauerũt, populúmque Dei vt bidentes mactauerunt.

POST

A Post aliquot annos Elfredus Geuuissorum Rex filius Edeluulfi Regis in paganos surrexit, & virtute Dei hostes aut peremit, aut expulit, aut subegit: & primus omnium Regum Monarchiam totius Angliæ solus obtinuit. Probitate & liberalitate, laudabilísque prouidentia omnes Angliæ Reges præcedentes & subsequentes (vt reor) excellit; annísque XXIX. laudabiliter in regno peractis Eduardo seniori filio suo sceptra reliquit. Pacificato itaque regni statu, religiosi Principes & Episcopi Cœnobia iterum cœperunt restaurare. Et quia omnes Monachi totius Albionis perempti fuerant, aut fugati supradicta rabie gentilium, miserunt egregium iuuenem Osualdum ad Floriacense Cœnobium, quod in Gallia Leodebodus Aurelianensis construxit supra Ligerim fluuiū tempore Lodouei filij Dagoberti Regis Francorum. Locus ille admodum venerabilis est ossibus sancti Benedicti Patris & Magistri Monachorum, quem Aigulfus Monachus à Mummolo Abbate destinatus de Beneuentana Prouincia detulit in Aurelianensem pagum. Hoc nimirū contigit post depopulationem Cassinensis Monasterij, quam beatus Benedictus cum lacrymis prædixerat Theoprobo Monacho nobili seruo Dei; vt in II. Dialogorum B libro legimus, quem Petro Subdiacono edidit luculenter insignis Papa Gregorius. GVILLELMVS II. 1069.

Defuncto Clepone Rege, antequam Antharith filius eius ad imperandum esset idoneus, & tota gens Langobardorum sine rege subiugata esset XXXIII. Ducibus, prædones Guinilorum furibundi noctu impetum fecerunt, & Cassinense Monasterium depopulati sunt: sed omnes Monachi protegente Deo incolumes cum Bonito Abbate suo euaserunt. Deinde C. & X. annis eadem desolatio ibidem permansit; donec Petronax Brixensis Episcopus Cassinum montem adiit, & ibidem auxiliante Zacharia Papa nobile Cœnobium restaurauit: quod vsque in hodiernum diem magnificè sublimatum quotidie crescit. Dum præfata itaque desolatio perduraret, & Cassinus mons cultoribus careret: Floriacensis domus volente Deo ditata est precioso corpore præcipui Patris Benedicti: cuius translationem Cisalpini Cœnobitæ singulis annis solemniter & deuotè celebrant V. Idus Iulij. Illuc Osualdus reuerendus adolescens accessit vt Monachus fieret, & Monachilem normam edisceret: suámque vitam secundum voluntatem Dei salubriter coërceret, C aliósque huius Ordinis amatores per Apostolorum vestigia supernæ vocationis ad brauium pertraheret. Quod ita factum est.

Post aliquot annos Osualdus à Floriacense Archimandrita benigniter rogantibus Anglis redditus est. Et quia multiplici tam sagacitate quàm bonitate pollebat, omnibus Angliæ Cœnobiis præpositus est. Venerabiles quoque viri Dunstanus ac Adeluoldus eum summoperè adiuuerunt, & Glastoniam ac Abundoniam primitus institutis regularibus instruxerunt. His Doctoribus fideliter obedieruut Reges Anglorum Adelstanus, Ædredus, Edmundus, & præcipuè Edgarus Edmundi filius. Quo regnante Dunstanus Doroberniæ Metropolitanus factus est, ac Adeluoldus Guentoniensis Præsul inthronizatus est. Osualdus autem prius Guingornensem Episcopatum, ac postea rexit Eboracensem Archipræsulatum. Horum precibus Floriacensis Abbo sapiens atque religiosus Cœnobita missus est trans mare, & Monasticum vsum docuit Ramesiæ, & aliis Monasteriis Angliæ, sicuti tenebatur in Gallia eodem tempore. Studium sanctitatis, & totius honesta- D tis præfatos Antistites illuminauit, & dogmatibus eorum ac miraculis per eos exhibitis commodè irradiauit: multísque vulgaribus & literatis profuit.

Tunc Cœnobium Medeshamstede, quod pridem tempore Vulferi Regis Merciorum Sexuulfus Pontifex construxit, Adeluoldus Præsul sub Edgaro rege in vico, qui modò Burg dicitur, restaurauit: & basilicam in honore sancti Petri Apostolorum principis editam magnis opibus ditauit. Deinde Torneiense, Eligense, & alia multa Monasteria à pluribus in locis fabricata sunt: & Conuentus in illis Monachorum aut Clericorum aut Sanctimonialium solerter locati sunt. Copia redituum singulis Monasteriis largiter impartiebatur; vnde sufficiens victus & vestitus Theoricis administraretur: ne pro penuria rerum necessariarum in diuino cultu aliquatenus vacillantes frangerentur.

Sic in Anglia Monasticus Ordo renouatus est: & in multis Cœnobiis gloriosum agmen Monachorum contra satanam virtutum armis munitum est: & perseueranter dimicare in prælio Domini donec victoria potiatur, nobiliter edoctum est.

GVILLELMVS II. 1069. Verùm post aliquod tempus ad expurgandum triticum, vbi exuberantia zizaniorum nimis multiplicata est, iterum sub Egelredo Rege filio Edgari grauissima tempestas ab Aquilone Anglis oborta est. Nam vesanus idololatra Suenus Rex Danorum Angliæ cum valida classe paganorum applicuit: ac vt nimius turbo super improuidos ilicò irruit: pauidúsque Rex Egelredus cum filiis suis Eduardo, & Elfredo, & Emma Regina in Normanniam aufugit. Non multò pòst Suenus dum nimis in Christianos sæuiret, à sancto Edmundo iussu Dei peremptus est, & Egelredus audita morte inimici ad sua regressus est. Deinde Chunutus Rex Dacorum, vt diuersos euentus patris sui comperit, duos Reges, Lacmam Suauorum & Olauum Noricorum sibi asciuit, & cum ingenti exercitu Angliam adiit. Denique post multas strages defuncto Egelredo Rege, & Edmundo Irniside filio eius Angliam obtinuit: & ipse postmodum filiique eius Heraldus & Hardecunutus plus quàm XL. annis possedit.

HIS tempestatibus Cantuaria metropolis obsessa & combusta est: & S. Elfagus Archiepiscopus diuersis suppliciis à gentilibus Danis martyrizatus est. Tunc aliæ vrbes concrematæ sunt, & Episcopales ac Monachiles Ecclesiæ cum libris & ornamentis destructæ sunt. Grex quoque fidelium per diuersa loca tot procellis agitatus est, & luporum dentibus patens variis modis horribiliter dilaniatus est.

PROLIXAM digressionem, sed nisi fallor non inutilem protelaui, & de priscis Annalibus collecta recensui: vt causa manifestè pateat studioso lectori, cur Anglos agrestes & penè illiteratos inuenerint Normanni, quos olim optimis institutionibus solertes instruxerunt Pontifices Romani. Gregorius enim & Bonefacius eximios Doctores cum libris & omnibus Ecclesiasticis vtensilibus Anglis miserunt: ac vt charissimos filios ad omne bonum educantes erudierunt. Deinde Vitalianus Papa tempore Osuij & Egberti Regum sapientissimos viros Theodorum Archiepiscopum & Adrianum Abbatem in Angliam misit: quorum peritia studióque Anglicus Clerus tam Latina quàm Græca eruditione affatim imbutus mirabiliter viguit. His sequenti tempore florentes Albinus Abbas & Adelinus Præsul successerunt, quorum solertia & religio multos docuerunt; scriptísque laudabilia virtutum suarum monimenta posteritati effigiauerunt. Hos omnes & plures alios perspicax Beda laudibus extulit, & indagine liberalium artium rerúmque secretarum perfectis æquiparari laborauit. Salutiferum panem veteris & noui Testamenti pueris Ecclesiæ dilucidando confregit: abdita in explanatorum libris plusquam LX. reserauit: & sic tam apud suos quàm apud exteros perennem sibi memoriam promeruit.

PRECIOSIS lapidibus in muro cælestis Hierusalem feliciter collocatis, triticeisque granis in apotheca veri Ioseph diligenter reconditis: silices in plateis stratæ sunt, & paleæ in sterquilinium proiectæ, & irreuerenter à prætereuntibus conculcatæ sunt. Sic omnipotentis Dei iusto nutu, postquam electi de transitoriis ad æterna migrarunt: dum Daci, vt iam descripsimus, diuino & humano metu carentes per Angliam diu debacchati sunt: innumeræ contra Dei legem præuaricationes temerè patratæ sunt. Humana exercitia (quæ semper ad nefas prona sunt) subtractis Rectoribus cum virga disciplinæ, per infandos actus abominabilia facta sunt. Huiuscemodi dissolutio Clericos & laïcos relaxauerat, & vtrúmque sexum ad omnem lasciuiam inclinauerat. Abundantia cibi & potus luxuriem nutriebat, leuitas & mollicies gentis in flagitium quemquam facilè impellebat. Destructis Monasteriis Monastica religio debilitata est, & Canonicus rigor vsque ad Normannorum tempora reparatus non est. Per longum itaque retro tempus Transmarinorum Monachatus deciderat, & parum à secularitate conuersatio Monachórum differebat. Habitu fallebant, ac professionis vocabulo: dediti ganeæ, peculiis innumeris, fœdísque præuaricationibus. Hic itaque Ordo Guillelmi Regis instinctu ad instituta regularia corrigebatur, ac ad consuetudines beatificas perductus valdè honorabatur. Aliquanti Abbates à Rege nouiter ordinati sunt, & complures Cœnobitæ in Monasteriis Gallicis competenter edocti sunt. Qui regio iussu Anglis prælati disciplinam instituebant, & religiositatis exempla proponebant. Cœnobio Beati Petri Apostolorum Principis (quod Anglorum primus Doctor constru-

GVILLELMVS II. 1069.

A xerat Augustinus) famosus Abbas scientia & bonitate pollens prælatus est Scollandus. Hic ex nominato stemmate in Normannia natus, in Monte-Michaëlis Archangeli ad periculum maris regulariter educatus; ad emendationem morum Cantuariis à Normannis est prælatus. Similiter in aliis Monasteriis circa Magistrorum mutatio facta est, quæ quibusdam vtilis, & nonnullis periculosa tam magistris quàm subditis facta est.

CANTVARIENSIS Cathedra, in qua sedens Augustinus decreto Gregorij Papæ præfuit omnibus Episcopis Britanniæ, deposito Stigaudo decreta est Lanfranco Cadomensium Abbati, Regis & omnium Optimatum eius beniuola electione. Hic ex nobili parentela ortus, Papiæ vrbis Italiæ ciuibus, ab annis infantiæ in scholis liberalium artium studuit, & secularium legum peritiam ad patriæ suæ morem intentione laïca feruidus edidicit. Adolescentulus orator veteranos aduersantes in actionibus causarum frequenter præcipitauit, torrente facundia appositè dicendo senes superauit. In ipsa ætate sententias promere statuit, quas gratanter Iurisperiti, aut Iudices, aut Prætores ciuitatis acceptabant. At cùm in exilio velut Plato quondam Academicus philosopharetur, ignis æternus mentem eius incendit, & amor veræ sapientiæ cordi eius illuxit. Animaduertebat cum Ecclesiaste, (quod nondum Ecclesiasticæ lectionis vsu didicit) quia mundi bona vanitas. B Repentino itaque animi contemptu iactans mundum ac se, arripiénsque religionis professionem, iugo regulari subdidit se. Cœnobiolum Beccense in Normannia loci situ & paupertate elegit, quod prudentia ipsius vigilantissimáque cura locupletauit, & in statum pulcherrimi ordinis prouexit: dum seuera mitique disciplina regeret fraternum Collegium, humilique & vtili consilio sanctum Abbatem, nomine Herluinũ Neophitum exulem, dum sese viciis & mundo mortificaret, & pro intimis ac supernis maximè laboraret: publicauit Deus inspector cogitationũ vt lucerna poneretur super candelabrum, Domini que conuenienter illuminaret amplissimam domum. Coactu obedientiæ de claustrali quiete protractus magister processit, quo docente Philosophicarum ac diuinarum literarum Bibliotheca effulsit. In vtráque nodos quæstionum soluere potentissimus erat. Hoc Magistro primitus Normanni litteratoriam artem perscrutati sunt, & de Schola Beccensi eloquentes in diuinis & secularibus Sophistæ processerunt. Nam antea sub tempore sex Ducum Neustriæ vix vllus Normannorum liberalibus studiis adhæsit: nec Doctor inueniebatur, donec prouisor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancũ C appulit. Fama peritiæ illius in tota vbertim innotuit Europa: vnde ad magisterium eius multi conuenerunt, de Francia, de VVasconia, de Britannia, necne Flandria.

ADMIRANDVM cognoscerent ingenium sibi studiúmque Lanfranci, Herodianus in Grammatica, Aristoteles in Dialectica, Tullius in Rhetorica, Augustinus & Hieronymus, aliique legis & gratiæ expositores in sacra pagina. Athenæ quando incolumes florebant, & excellentissimæ ad præcipiendum sedebant, Lanfranco in omni genere eloquentiæ aut disciplinarum assurgerent: & perceptis ab eo commodis allegationibus instrui cuperent. Studiosus fuit idem Cœnobita gladio verbi perimere sectas, si quæ fidem lacesserent Catholicam. Profecto Beringerium Turonensem (quem nonnulli Hæresiarcham putabant, & eius dogma damnabant, quo de salutis hostia mortem animabus propinabat) spiritualis eloquij mucrone confodit in Synodo Romana & Vercellensi. Ibi sanctissimè exposuit, veracissimè comprobauit, panem & vinum, quæ Dominicæ mensæ superponuntur, post consecrationem esse veram carnem & verum sanguinem Domini Saluatoris. D Profundissimis disputationibus Beringerium Romæ Turonísque palam euicit, omnémque hæresim anathematizare, scriptóque veram fidem profiteri coëgit. Deinde blasphemus Hæresiarcha, quia mœstus erubuit, quòd libellos peruersi dogmatis Romæ suis, ne ipse cremaretur, manibus in ignem coniecerit: discipulus pecunia pariter ac fallacia corruptis recens scriptum domi condidit, & per eosdem peregrè transmisit, vt vetus error approbatius fulciretur, & in futuros perdurabilior annos porrigeretur. Ad quod destruendum Lanfrancus dilucidò edidit venústoque stilo libellum, sacris auctoritatibus ponderosum: & indissolubiliter constantem consequentiis rationum, veræ intelligentiæ astructione de Eucharistia copiosum, facundo sermone luculentum, nec prolixitate tædiosum. Multæ Ecclesiæ Abbatem

GVILLELMVS II. 1066. vel Pontificem incredibili desiderio sibi Lanfrancum petierunt, quem etiam Roma Christiani Orbis caput sollicitauit Epistolis, & precatu retinere conata est & vi. Sic omnibus emicuit honorabilis, quem virtus & sapientia decorarat specialis. A

SEDVNENSIS igitur Episcopus, postquam Stigaudum, vt iam dictum est, deposuit, Lanfrancum ad regimen Pontificale inuitauit: & in consilio Episcoporum ac Abbatum Normanniæ petitionem Ecclesiæ Dei denunciauit. Ille autem imperturbatus tam graue sibi onus extimuit, & inducias ad deliberandum petiit: indubitatum tenens quòd simul ire non posset Monachi ocium, & Archipræsulis negocium. Abbas Herluinus imperat, cui obsecundare velut Christo solebat. Regina cum filio Principe precatur. Maiores quoque ideò collecti studiosè hortantur. Non abnuit ille præcipiti sententia, quia omne factum & dictum eius discretionis dirigebat norma. Obedientiam offendere cauet, simul tantos qui rogant, fauent, hortantur. Mœstus ergo trans mare vadit excusatum se, sperans iocunditatem in reuersione. Rex cum gaudio adiutorem culturæ Christianæ reuerenter suscepit,
1070. & excusatione reluctantem humilitate & maiestate pulchrè pugnans deuicit. B

ANNO itaque Dominicæ Incarn. MLXX. Lanfrancus Cadomensium primus Abbas diuinitus Anglis institutor datus est: & honestissima electione ac fideli consecratione Cantuariensis Ecclesiæ Archipræsul IV. Kal. Septembris inthronizatus est. Cuius ordinationi multi Præsules & Abbates interfuere cum maxima Cleri populique multitudine. Præsentes & absentes totius Albionis incolæ tripudiarent, atque multùm læti Deo gratias agerent: si quantum boni cælitus sibi tunc impartiretur agnoscerent.

IN CADOMENSI Ecclesia Guillelmus Radbodi Sagiensis Episcopi filius Lanfranco successit: quem post nouem (vt reor) annos indè Rex Guillelmus ad regendam Rothomagensem Metropolim prouexit. Hic consobrinus Guillelmi Præsulis Ebroicensium filij Girardi Fleitelli fuit: cuius potentia tempore Ricardorum in Neustria maximè viguit. Canonicus & Archidiaconus Rotomagensis Maurilio Pontifici paruit: magísque Dei amore feruens, cum Theoderico Vticensi Abbate peregrè perrexit, & gloriosum Saluatoris sepulchrum in Hierusalem reuerenter adiit. Inde reuersus pristinos præcauens labores amittere, mundi lenociniis penitus subtraxit se, & in Beccensi Cœnobio diuinæ gratanter inhæsit militiæ. Dein cum Lanfranco ad instructionem neophitorum, qui in Cadomense castrum ad seruitutem Christi confluebant, protractus est: quorum ipse paulò pòst pater & magister laudabilis factus est. C

DEFVNCTO Guillelmo Ebroicensi Episcopo, Balduinus Ducis Capellanus successit, & Præsulatum ferè septem annis regulariter rexit. Quo defuncto Gislebertus Osberni filius Canonicus & Archidiaconus Lexouiensis successit, & Episcopatum plusquam XXX. annis vtiliter tenuit, & res Ecclesiæ multis modis auxit, solertiáque sua emendauit. Iuone verò Sagiensium Præsule defuncto, Rodbertus Huberti de Ria filius successit, qui ferè XII. annis prælatui præfuit: & ipse circa Dei cultum feruens Religiosos multùm dilexit.

HIS temporibus opitulante gratia Dei pax in Anglia regnabat, & securitas aliquanta procul repulsis latronibus habitatores terræ refouebat. Ciuiliter Angli cum Normannis cohabitabant in burgis, castris, & vrbibus: connubiis alteri alteros mutuò sibi coniungentes. Vicos aliquos aut fora vrbana Gallicis mercibus & mangonibus referta conspiceres: & vbique Anglos, qui pridem amictu patrio compti videbantur Francis turpes, nunc peregrino cultu alteratos videres. Nemo prædari audebat, sed vnusquisque sua rura tutò colebat, suóque compari (sed non per longum tempus) hilariter applaudebat. Fiebant, & reparabantur basilicæ; & in eis sacri Oratores obsequium studebant Deo debitum persoluere. Regnans in Rege diligentia boni vigilabat, & quoscúmque poterat feruenter ad bona excitabat. Anglicam locutionem plerúmque sategit ediscere: vt sine interprete querelam subiectæ legis posset intelligere, & scita rectitudinis vnicuique (prout ratio dictaret) affectuosè depromere. Ast à perceptione huiusmodi durior ætas illum compescebat, & tumultus multimodarum occupationum ad alia necessariò adtrahebat. D

Gvillelmvs II. 1070.

A Vervm, quia humani generis aduersarius tanquam leo rugiens circumit, quærens quem dente crudelitatis suæ comminuere possit; iterum ingens turbatio Anglis oritur atq; Normannis, atque ad multorum detrimentum diu perfida sæuit erinnys. Nam Rex Guillelmus consilio prauorũ malè vsus, laudi suæ damnum ingessit, dum fraudulenter inclytum Comitem Morcarum in Eliensi insula conclusit, sibique confœderatum, & nil mali machinantem vel suspicantem obsedit. Versipelles autem inter eos nuncij discurrerunt, & dolosam conditionem nequiter pepigerunt: scilicet vt se Comes Regi redderet, eúmque Rex pacificè vt fidum amicum susciperet. Obsessus nempe diu poterat sese ibidem inaccessibilitate loci defendere, aut nimia vi accidente, per circumfluens flumen vsque ad Oceanum nauigio diffugere. Sed ille falsis allegationibus simpliciter acquieuit, & cum suis ad Regem pacificè de Insula exiuit. Rex autem metuens ne Morcarus iniurias sibi & compatriotis suis nequiter illatas vlcisceretur, & per eum aliquæ seditiones in regno Albionis implacabiles orirentur, B illum sine manifesto reatu vinclis iniecit, omníque vita sua in ergastulo coërcuit; & cautelæ Rogerij oppidani Belmontis mancipauit. Quod formosissimus iuuenis Eduinus Comes vt audiuit, mori quàm viuere peroptauit, nisi Morcarum fratrem suum iniustè captum liberasset: aut vbertimo sanguine Normannorum sese vindicasset. Sex igitur mensibus à Scotis & Guallis vel Anglis auxilia sibi quæsiuit. Interea tres fratres, qui ei familiares præcipuíque satellites erant, Normannis eum prodiderunt, & ipsi eundem cum xx. equitibus toto nisu sese defendentem occiderunt. Tunc ad hoc facinus exæstuatio marina Normannos adiuuit, quæ ad riuulum quendam Eduinum morari coëgit, eíque fugam penitus ademit. Audita per Angliam Eduini morte, luctus ingens non solùm Anglis, sed etiam Normannis & Francis ortus est: qui eum velut socium & amicum seu cognatum cum multis fletibus planxerunt. Nam idem (vt suprà dictum est) fuerat ex religiosa parentela natus, multísque bonis deditus, prout poterat inter tanta secularium curarum impedimenta positus. C Corpus pulchritudine in multis millibus eminebat, & Clericorum atque Monachorum, pauperúmque benignus amator erat. Rex autem Guillelmus comperta proditione, qua sæpe fatus Merciorum Consul perierat, pietate motus fleuit; & proditores qui pro fauore illius ei caput Domini sui deferebant, seuerus in exilium expulit.

Hvc vsque Guillelmus Pictauinus Historiam suam texuit, in qua Guillelmi gesta (Crispi Salustij stilum imitatus) subtiliter & eloquenter enucleauit. Hic genere Normannus, de vico Pratellensi fuit, ibique sororem (quæ in Monasterio S. Leodegarij præerat Sanctimonialibus) habuit. Pictauinus autem dictus est, quia Pictauis fonte Philosophico vbertim imbutus est. Reuersus ad suos omnibus vicinis & consodalibus doctior enituit: & Lexouienses Episcopos Hugonem & Gislebertum Archidiaconatus officio in Ecclesiasticis rebus adiuuit. In rebus bellicis ante Clericatum asper extitit: & militaribus armis protectus terreno Principi militauit. Et tanto certiùs referre visa discrimina potuit: quanto periculosiùs inter arma diris conflictibus interfuit. In senectute sua taciturnitati & orationi studuit, & plus in D dictando seu versificando quàm sermocinando valuit. Subtiles & concinnos versus atque ad recitandum habiles frequenter edidit, studióque iuniorum, quibus ipsi emendarentur, sine inuidia erogauit. Contextionem eius de Guillelmo & eius pedissequis breuiter in quibusdam secutus: non tamen omnia quæ dixit, nec tam argutè prosequi conatus sum. Amodo iuuante Deo ea quæ succedenti tempore euenerunt nostris in viciniis notabo: indubitáter ratus, quòd sicut ego ea quæ à prioribus edita sunt libenter euoluo, sic iuniores, eósque qui nondum nati sunt, præsentis temporis euentus solerter inquisituros existimo.

Rex Guillelmus deiectis, vt diximus, Merciorum maximis Consulibus, Eduino scilicet interfecto, & Morcaro in vinculis constricto, adiutoribus suis inclytas Angliæ regiones distribuit: & ex infimis Normannorum clientibus Tribunos & Centuriones ditissimos erexit. Vvillelmo Dapifero Normanniæ Osberni filio insulam Vectam & Comitatum Herfordensem dedit: eúmque cum Gualterio de Laceio, aliísque probatis pugilibus contra Britones bellis inhiantes opposuit. Horum

GVILLELMVS II. 1070. audacia Brachauiannos primitus inuasit, & Guallorum Reges RISEN & CADVCAN, ac MARIADOTH, aliósque plures prostrauit. Cestram & Comitatum eius Gherbodo Flandrensi iamdudum Rex dederat: qui magna ibi & difficilia tam ab Anglis quàm à Guallis aduersantibus pertulerat. Deinde legatione coactus suorum, quos in Flandria dimiserat, & quibus hereditarium honorem suum cõmiserat, eundi citóque redeundi licentiam à Rege acceperat: sed ibi aduersa illaqueatus fortuna in manus inimicorum inciderat, & in vinculis coërcitus, mundanáque felicitate priuatus, longæ miseriæ threnos depromere didicerat. Interea Rex Cestrensem Consulatum Hugoni de Abrincis filio Ricardi cognomento Goz concessit: qui cum Rodberto de Rodelento & Rodberto de Malo-passu, aliísque Proceribus feris multum Guallorum sanguinem effudit. Hic non dapsilis, sed prodigus erat: non familiam secum, sed exercitum semper ducebat. In dando vel accipiendo nullam rationem tenebat. Ipse terram suam quotidie deuastabat, & plus aucupibus ac venatoribus, quàm terræ cultoribus, vel cæli oratoribus applaudebat. Ventris ingluuiei seruiebat, vnde nimiæ crassiciei pondere prægrauatus vix ire poterat. E pellicibus plurimam sobolem vtriusque sexus genuit, quæ diuersis infortuniis absorpta penè tota periit. Ermentrudem filiam Hugonis de Claromonte Beluacensi vxorem duxit, ex qua Ricardum Cestrensis Comitatus heredem genuit: qui iuuenis adhuc liberísque carens cum Guillelmo Adelino Henrici Regis Anglorum filio, & multa nobilitate VII. Kalend. Nouembris naufragio periit.

REX GVILLELMVS Rogerio de Monte-Gomerici in primis castrum Arundellum & vrbem Cicestram dedit: cui postea Comitatum Scrobesburiæ, quæ in monte super Sabrinam fluuium sita est, adiecit. Hic sapiens, & moderatus, & amator æquitatis fuit, & comitatem sapientum atque modestorum dilexit. Tres sapientes Clericos, Godebaldum, Odelerium, ac Herbertum diutiùs secum habuit, quorum consiliis vtiliter paruit. Vvarino autẽ Caluo corpore paruo, sed animo magno, Aimeriam neptem suam, & Præsidatum Scrobesburiæ dedit: per quem Guallos aliósque sibi aduersantes fortiter oppressit, & Prouinciam totam sibi commissam pacificauit. Guillelmum cognomento Pantulfum, & Picoldum atque Corbatum, filiósque eius Rogerium & Rodbertum, aliósque fideles, fortissimósque viros Comitatui suo præfecit: quorum sensu & viribus benigniter adiutus, inter maximos Optimates maximè effloruit.

REX GVILLELMVS Guallevo Comiti filio Siuardi potentissimo Anglorũ Comitatum Northtantoniæ dedit, eique Iudith neptem suam, vt firma inter eos amicitia perduraret, in matrimonio coniunxit: quæ duas filias speciosas marito suo peperit. Gualterio quoque cognomento Gifardo Comitatum Buchingeham, & Guillelmo de Guarenna, qui Gundredam sororem Gherbodi coniugem habebat, dedit Sutregiam. Odoni vero Campaniensi nepoti Theobaldi Comitis, qui sororem habebat eiusdem Regis, filiam scilicet Rodberti Ducis, dedit idem Comitatum Hildernessæ: & Radulfo de Guader genero Guillelmi filij Osberni Comitatum Northvvici. Hugoni verò de Grentemaisnilio municipatum Legrecestræ commendauit; aliisque nobilibus viris municipatus vrbium & Præsidatus cum magnis honoribus & potestatibus prouidè distribuit. Henrico Gualchelini de Ferrariis filio castrum Stutesburiæ (quod Hugo de Abrincis priùs tenuerat) concessit: aliisq; aduenis, qui sibi cohæserant, magnos & multos honores contulit; & in tantum quosdam prouexit, vt multos in Anglia ditiores & potentiores haberent clientes, quàm eorum in Neustria fuerant parentes.

QVID loquar de Odone Baiocasino Præsule, qui Consul Palatinus erat, & vbique cunctis Angliæ habitatoribus formidabilis erat, ac veluti secundus Rex passim iura dabat? Principatum super omnes Comites, & Regni Optimates habuit, & cum thesauris antiquorum Cantiam possedit, in qua iamdudum Edilbertus Irminrici filius, Eadbald, & Ercombertus, & Egbert atque Lotheris frater eius regnauerunt: primíque Regum Anglorum à discipulis Gregorij Papæ fidem Christi susceperunt, & diuinæ legis obseruatione perennis vitæ brauium mercati sunt. Permixta, ni fallor, in hoc viro vitia erant cum virtutibus: sed plus mundanis inhærebat actionibus, quàm spiritualis theoriæ charismatibus. Cœnobia Sanctorum

A valde conqueruntur, quòd multa eis Odo detrimenta fecerit; & fundos sibi antiquitus datos à fidelibus Anglis, violenter & iniustè abstulerit.

GAVFREDVS quoque Constantiniensis Episcopus, de nobili Normannorum progenie ortus, qui certamini Senlacio fautor acer & consolator interfuit; & in aliis conflictibus, qui postmodum aduenas & indigenas vtrimque contriuetant, Magister militum fuit, dono Guillelmi Regis ducentas & octoginta villas (quas à manendo manerios vulgò vocamus) obtinuit: quas omnes nepoti suo de Molbraio propter nequitiam & temeritatem suam non diu possessuro moriens dereliquit.

EVSTACHIVS quoque Boloniensis, & Rodbertus Moritoliensis, GVILLELMVS EBROICENSIS, & Rodbertus Aucensis, atque Goiffredus Rotronis filius Mauritaniensis, aliíque Comites & Optimates, quos singillatim nominare nequeo, magnos redditus & honores in Anglia receperunt à Rege Guillelmo. Sic extranei diuitiis Angliæ ditabantur, pro quibus filij eius nequiter interficiebantur, vel extorres per B extera regna irremeabiliter fugabantur.

IPSI verò Regi, vt fertur, mille & sexaginta libræ sterilensis monetæ, solidíque triginta & tres oboli ex iustis redditibus Angliæ per singulos dies redduntur: exceptis muneribus regiis, & reatuum redemptionibus, aliisq; multiplicibus negotiis, quæ Regis ærarium quotidie adaugent. Rex Guillelmus omne regnum suum diligenter inuestigauit, & omnes fiscos eius sicut tempore Eduardi Regis fuerant, veraciter describi fecit. Terras autem militibus ita distribuit, & eorum ordines ita disposuit, vt Angliæ regnum LX. millia militum indesinenter haberet, ac ad imperium Regis, prout ratio poposcerit, celeriter exhiberet.

ADEPTIS itaque nimiis opibus quas alij aggregarant, Normanni furentes immoderatè tumebant, & indigenas diuino verbere pro reatibus suis percussos impiè mactabant. Manciadæ Maronis disticon completum in illis cernimus.

Nescia mens hominis fati sortisque futura,
Et seruare modum, rebus sublata secundis.

Nobiles puellæ despicabilium ludibrio armigerorum patebant, & ab immundis C nebulonibus oppressæ dedecus suum deplorabant. Matronæ verò elegantia & ingenuitate spectabiles desolatæ gemebant: maritorum, & omnium pene amicorum solatio destitutæ magis mori quàm viuere optabant. Indociles parasiti admirabantur, & quasi vecordes è superbia efficiebantur, vnde sibi tanta potestas emanasset, & putabant quod quicquid vellent sibi liceret. Insipientes & maligni cur cum tota contritione cordis non cogitabant, quòd non sua virtute, sed Dei gubernantis omnia nutu hostes vicerant: & gentem maiorem, & ditiorem, & antiquiorem sese subegerant: in qua plures sancti prudentésque viri, Regésque potentes micuerant, multísque modis domi militiæque nobiliter viguerant? Sententia veritatis iugiter eis timenda, & cordi medullitus inserenda esset dicentis: *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.*

NONNVLLI etiam Ecclesiastici viri, qui sapientes & religiosi videbantur, Regali Curiæ pro dignitatibus cupitis obnixè famulabantur: & diuersis assentatio- D num modis non sine dedecore religiosæ opinionis adulabantur. Sicut Tironibus suæ à Principibus erogabantur stipendia militiæ: sic quibusdam coronatis pro famulatu suo dabantur à laicis Episcopatus & Abbatiæ, Ecclesiarũ Præposituræ, Archidiaconatus & Decaniæ, aliæque potestates & dignitates Ecclesiæ, quas meritum sanctitatis & sapientiæ doctrina solummodo debent obtinere. Clerici & Monachi nunc terreno Principi pro talibus stipendiis inhærebant, & pro temporali commodo multiplex seruitium, quod diuino cultui non competit, indecenter impendebant. Prisci Abbates secularis comminatione potestatis terrebantur, & sine synodali discussione de Sedibus suis iniustè fugabãtur: pro quibus stipendiarij non Monachi, sed tyranni contra sanctorum scita Canonum intrudebantur. Conuentio & profectus fiebat inter commissos greges & Archimandritas huiusmodi: qualis inter lupos & bidentes sine defensore solet fieri. Quod facile probari potest ab his qui interfuerunt in Turstino Cadomensi & Conuentu Glestoniensi. Nam dum proteruus Abbas cogeret Glestonios cantum quem Angli à discipulis beati Gregorij Papæ didicerant relinquere, & ignotum sibi nec auditum antea

GVILLELMVS II. 1070. cantum à Flandrensibus seu Normannis ediscere, orta est lis acerrima, quam A mox secuta est sacri Ordinis contumelia. Dum enim Monachi noua nollent suscipere instituta, & contumacis Magistri persisteret pertinacia, laici hero suo suffragati sunt ferentes spicula. A quibus ex insperato Monachorum concio est circundata, & pars eorum est crudeliter percussa, ac vt fertur lethaliter sauciata. Multa his similia referri possent, si Lectoris animum salubriter ædificarent. Verùm quia hæc sunt minus læta, his omissis stilum vertam ad alia.

GVITMVNDVS venerabilis Monachus Cœnobij, quod Crux Heltonis dicitur, vbi gloriosus Confessor Christi Leudfredus tempore Hildeberti & Hilperici iuniorum Regum Domino feliciter XLVIII. annis militasse legitur, regio iussu accersitus, pontum transfretauit: & oblatum sibi à Rege & Proceribus Regni onus Ecclesiastici regiminis omnino repudauit. Erat enim æuo maturus, & religiosus, ac scientia litterarum eruditissimus, cuius ingenij præclarum specimen euidenter patet in libro de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, & in aliis opusculis ipsius. Hic itaque cùm à Rege rogaretur vt in B Anglia secum moraretur, & congruum tempus eum promouendi præstolaretur, secum subtiliter deliberauit, suíque votum propositi aliud esse demonstrans, Regi respondit:

" MVLTÆ causæ me repellunt ab Ecclesiastico regimine, quas omnes singulatim " nolo nec decet exprimere. In primis imfirmitates meas, quibus in corpore & anima " incessanter premor, considero: quibus diligenter perspectis diuinum examen vehe" menter pertimesco, mœrens quod in via Dei quotidie laboro, & à veritate vacillo. " Et dum meipsum salubriter moderari nequeo, qualiter aliorum vitam ad salutis " viam dirigere valeo? Omnibus vigili mente perlustratis, non video, qua lege digni" ter præesse valeam illorum cuneo, quorum extraneos mores, barbarámq; locutio" nem nescio: quorum patres charósque parentes & amicos occidistis gladio, vel ex" heredatos opprimitis exilio, vel carcere indebito, vel intolerabili seruitio. Scruta" mini Scripturas, & videte si qua lege sancitur, vt Dominico gregi Pastor ab inimi" cis electus violenter imponatur. Ecclesiastica electio priùs debet ab ipsis subiectis " fidelibus cum sinceritate fieri: ac postmodum astipulatione Patrum & amicorum C " (si Canonica est) reuerenter confirmari. Alioquin cum charitate debet emendari. " Quod bello & effusione multi cruoris truculenter rapuistis, qua ratione mihi " aliisque contemptoribus mundi, qui sponte pro Christo nudati sumus propriis, " sine culpa impartiri potestis? Generalis omnium Religiosorum lex est, à rapinis " abstinere, & de præda etiam (si offertur) pro iustitiæ obseruantia nolle recipere. " Dicit enim Scriptura: *Immolans ex iniquo, oblatio est maculata.* Et paulò post: " *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris* " *sui.* Hæc & his similia diuinę legis præconia pertractans expauesco; & totam Angliã " quasi amplissimã prædam diiudico, ipsamque cum gazis suis velut ignem ardentem " contingere formido. Et quia Deus iubet, vt quisque proximum suum diligat sicut " seipsum: sine dolo dicam vobis id quod mihi cælitus est inditum. Quod mihi " vtile reor, vobis quoque salutare arbitor. Ergo quod amicabiliter loquar non " videatur amarum: sed tu, strenue Princeps, & commilitones tui, qui graue " tecum inierunt periculum, nostræ admonitionis benigno corde suscipite eloquiũ. D " Opera Dei cunctis diebus vitæ vestræ sagaciter considerate: & iudicia eius, quæ " incomprehensibilia sunt, in omnibus operibus vestris timete, & sic vestram vitam " æqua lance moderari ad voluntatem Dei satagite: vt ipse arbiter æternus, qui " omnia iustè disponit, placabilis sit vobiscũ in nullo discrimine. Non vos decipiant " adulatores vana securitate: nec insolenter pro secundis euentibus præsentis vitæ " vos lethaliter obdormire suadeant in mundana prosperitate. Si vicistis Anglos in " congressione, super hoc superbire nolite: sed spiritualis nequitiæ grauius ac peri" culosius certamen cautiùs agite, quod restat adhuc & imminet vobis quotidie. " Mutationes regnorum frequenter factæ sunt in orbe terrarum, sicut sparsim legi" mus multiplicium per campos Scripturarum, quibus liberalium à Deo impertita " est notitia litterarum. Babylonij sub Nabugodonosor Rege Iudæam & Ægyptum " & alia regna sibi plurima subegerunt: sed post LXX. annos ipsi cum Balthasar " Rege suo à Medis & Persis, quibus præerant Darius & Cirus nepos eius, victi &

A subiugati sunt. Deinde sub Alexandro Magno Macedones post CCXXX. annos Darium Regem Persarum cum multis legionibus deuicerunt: & ipsi nihilominus post aliquot annos Romanis per totum orbem phalanges suas destinantibus cum Perseo Rege suo deuicti sunt. Græci sub Agamemnone & Palamede Troiam obsederunt, & Priamum Regem Laomedontis filium, ac liberos eius, Hectorem & Troillum, Paridem & Deifebum Amphimacúmque trucidauerunt: & famosum Phrygiæ regnum post decennem obsidionem flamma & ferro depopulati destruxerunt. Troianorum vna pars sub Ænea Duce regnum Italiæ obtinuit: alia pars cum Antenore per longum iter ac difficile Daciam adiit: ibique sedem ponens vsque in hodiernum diem habitauit. Romani regnum Hierosolymorum, quod Dauid, aliique potentes successores eius spoliis allophilorum ditauerunt: & subactis barbaris gentibus, quæ in circuitu erant sublimauerunt, sub Vespasiano & Tito subuerterunt; & nobile templum post primæ ædificationis eius annos MLXXXIX. diruerunt, quando vndecies centena milia Iudæorum ferro seu fame perierunt. Franci Gallis tempore Sunnonis Ducis associati sunt, & Romanorum iugo de ceruice B sua viriliter excusso, super eos regnare cœperunt. Angli-Saxones Ducibus Hengist & Horsa Britonibus (qui nunc Gualli vocantur) imperium dolis & fortitudine iam ferè sexcentis annis abstulerunt. Guinili, qui de Scandinauia insula sorte eiecti sunt, regnante Albuino Rege filio Audonis, partem Italiæ, quæ nunc Langobardia dicitur, inuaserunt: & Romanis diutius resistentes nunc vsque tenuerunt. Omnes hi, quos victoria turgentes recolui, paulò pòst miseræ subiacuerunt perniciei, paríque cum victis contritione torti, irremediabiliter gemunt in cloacis erebi. Normanni sub Rollone Duce Neustriam Carolo Simplici subtraxerunt: iámque CXC. annis contradicentibus Gallis, & cum bellico tumultu sæpè calumniantibus tenuerunt. Quid de Gepidis & Vvandalis, Gothis & Turcis, Hunis & Herulis; quid de aliis loquar barbaris? quorum conatus ad nihil est aliud nisi furari & rapere, & conculcata pace iugiter furere? Terram turbant, ædes concremant, orbem vexant, opes dissipant, homines iugulant, omnia fœdant & inquietant. His itaque signis mundi portenditur finis, sicut ipsius patenter edocemur voce Veritatis: *Ex-* C *urget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum: & erunt terræmotus magni per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt.*

Cladibus innumeris premitur sic iugiter orbis.

HIS & multis huiuscemodi rotatibus in rebus humanis solerter inspectis, non in se glorietur victor de ruina comparis: quia nec ipse stabit, nisi quantum iusserit dispositio conditoris. Conuersionem locutionis meæ nunc ad te, ô Rex faciam: quam tu (quæso) tibi benigniter haurias propter salutem æternam. Nullus patrum tuorum ante te regale stemma gessit, nec hæreditario iure tantum decus tibi prouenit: sed gratuita largitione omnipotentis Dei, & amicitia Eduardi consanguinei tui. Edgarus Adelinus, aliique plures ex linea regalis prosapiæ orti, secundum leges Hebræorum aliarúmque gentium propinquiores sunt hæredes diadematis Anglici. Illis nimirum remotis sors tibi cessit prouectionis: sed Dei iudicium quantò occultius, tantò terribilius imminet tibi ad reddendam rationem commissæ villicationis. Hæc benigno ex corde sublimitati vestræ locutus sum, humiliter deposcens, vt mens vestra D semper sit memor nouissimorum, nec vos nimis implicet prosperitas præsentium, quam sequi solet intolerabilis dolor, & ingens luctus ac stridor dentium. Gratiæ Dei vos, & amicos atque fideles vestros commendo: Normanniámque cum vestra licentia redire dispono, & opimam Angliæ prædam amatoribus mundi quasi quisquilias derelinquo. Liberam paupertatem Christi amo, quam Antonius & Benedictus amplexati sunt: magis quàm diuitias mundi, quas Crœsus & Sardanapalus nimis amauerunt, & postmodum miserè pereuntes hostibus suis deseruerunt. Christus enim pastor bonus væh diuitibus huius mundi minatur, qui voluptatibus vanis & superfluis hîc perfruuntur. Pauperibus verò spiritu promittit beatitudinem in

GVILLELMVS II. regno cœlorum: quam nobis det ipse qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen. A

1070. ADMIRATVS Rex cum Proceribus suis insignis Monachi constantiam, supplex ac deuotus impendit ei decentem reuerentiam, & competenter honoratum iussit eum remeare in Neustriam, ibique quo vellet, suam præstolari præsentiam. Auditum est passim, postquam Guitmundus ad septa Monasterij sui remeauit, quod ipse Monachilem pauperiem diuitiis Episcoporum præposuerit, & quod obtentum Angliæ in præsentia Regis & Optimatum eius rapinam appellauerit: & quod omnes Episcopos vel Abbates, qui nolentibus Anglis in Ecclesiis Angliæ prælati sunt, rapacitatis redarguerit. Verba igitur eius per Angliam latè diuulgata sunt, & subtiliter ventilata multis displicuerunt: qui sequaces eius esse spernentes contra eum ingenti liuore exarserunt. Non multò pòst, defuncto Ioanne Rothomagẽsium Archiepiscopo, Rex & alij plures Guitmundum ad Archiepiscopatum elegerunt: sed æmuli eius, quos idem vituperauerat, ne Archipræsul fieret quantum potuerunt impedierunt. In tanto viro nil obiiciendum inuenerunt, nisi quòd filius esset Presbyteri. Ille autem ab omni auaritia purgari volens; & inter exteros paupertate premi, quàm inter suos dissensiones fouere malens, Odilonem Monasterij sui Abbatem reuerenter adiit, & humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit, & accepit. Porro illiteratus Abbas metiri nesciebat, quantus sapientiæ thesaurus in præfato Doctore latebat. Ideò desiderabilem Philosophum de Monasterio suo facilè dimisit: quem Gregorius VII. Papa venientem ad se gaudens suscepit, Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfecit: & Vrbanus Papa iam probatum in multis Metropolitanum Aduersis vrbis solemniter ordinauit. Hæc vrbs tempore Leonis IX. Papæ à Normannis, qui primò Apuliam incoluerunt, constructa est: & à Romanis, quia ab aduersis sibi cœtibus ædificabatur, Aduersis dicta est. Hæc vtique diuitiis, opulenta Cisalpinorum, prompta strenuitate bellicosa, hostibus metuenda, fidis clientibus sociisque colenda: Normannorum optione soli Papæ gratanter obedit, à quo Guitmundum Sophistam mystici decoris pallio insigniter redimitum Pontificem accepit. Præfatus Archipræsul Ecclesiam sibi commissam diu rexit, & Apostolicis priuilegiis ab omni mortalium exactione liber plausit. Plebem studiosè docuit, meritis & orationibus protexit, atque post multos agones in virtutum exercitiis ad Dominum perrexit. B C

1071. ANNO quinto regni sui Guillelmus Rex Guillelmum Osberni filium misit in Normanniam, vt cum Mathilde Regina tueretur Prouinciam. Tunc nimia dissentio inter Principatus hæredes in Flandria surrexit. Balduinus enim gener Rodberti Regis Francorum, fortissimus Flandrensium Satrapa fuit, & ex Hadala coniuge sua filios & filias plures multimoda indole pollentes habuit. Rodbertus Fresio, Arnulphus, Balduinus, Vdo Treuerorum Archiepiscopus, & Henricus Clericus, & Mathildis Regina, atque Iudith vxor Tostici Comitis, soboles Balduini & Hadalæ fuit. De quorum moribus & variis euentibus Sophistæ magna volumina componere possunt. Rodbertus primogenitus iamdudum patrem offenderat, à quo repulsus & eiectus ad Florentium Ducem Fresionum patris sui hostem secesserat: eique fauorabiliter seruiens filiam eius in coniugium acceperat. Vnde Flandrensis Dux vehementer iratus infremuit, Fresionem eum præ ira cognominauit: & eum omnino extorrem denuncians, Arnulfum iuris sui hæredem constituit. Non multo post Balduinus Dux defunctus est: & Arnulfus Morinorum Ducatum paruo tempore nactus est. Nam Rodbertus Fresio ingentem Fresionum aliarúmque gentium cateruam aggregauit, & Flandriam obnixè expugnauit. Philippus autem Rex Francorum (qui consanguineus erat eorum) ad auxilium Arnulfi exercitum Gallorum adunauit, & Guillelmum Comitem Normanniæ custodem accersiit. Ille verò cum decem solummodo militibus Regem adiit, & cum eo alacriter quasi ad ludum in Flandriam accessit. Rodbertus autem Fresio exercitum Henrici Imperatoris cuneis suis sociauit: & Dominico Septuagesimæ, x. Kal. Martij mane imparatos præoccupauit, & Philippo Rege cum Francis fugiente, Arnulfum fratrem suum, & Balduinum nepotem suum, & Guillelmum Comitem telis suorum occidit. Postea Morinorum Ducatum diu tenuit, moriénsque filiis suis Rodberto Ierosolymitano, & Philippo reliquit. D

A Guillelmi verò Comitis corpus in Normanniam à suis delatum est, & in Cœnobio Gvillelmvs II.
Cormeliensi cum magno suorum luctu sepultum est. Duo quippe Cœnobia Mo-
nachorum in suo patrimonio construxerat in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ. 1071.
Vnum quidem erat Liræ secus Risellam fluuium: vbi Adeliza vxor eius tumulata est: aliud verò Cormeliis, vbi ipse (vt diximus) conditus est. Normannorum maximum strenuitate Baronem valde omnes planxerunt, qui largitates eius & facetias, atque mirandas probitates nouerunt. Hæreditas eius à Rege Guillelmo filiis eius distributa est. Vuillelmus maior natu Britolium, & Paceium, & reliquam partem paterni iuris in Normannia obtinuit, & omni vita sua ferè xxx. annis tenuit. Rogerius autem iunior frater Comitatum Herfordensem, totúmque fundum patris in Anglia obtinuit: sed paulò post propter perfidiam & proteruiam suam (vt in sequentibus enodabitur) perdidit.

Reginæ Mathildi (licet potenter regnaret, & innumeris opibus abundaret) luctus ingens ortus est de morte patris, de desolatione matris, de crudelitate vnius fratris, qua ruina subitò facta est alterius fratris & chari nepotis cum multis amicis. Sic omnipotens Deus immemores sui terrigenas percutit, superbos deiicit, & quod
B dominetur excelsus super omnem terram lucidè ostendit. Rodbertus itaque Fresio totam sibi Flandriam subegit, & ferè xxx. annis possedit, amicitiámque Philippi Regis Francorum facilè promeruit. Ipsi nempe maiorum origine erant consobrini, & ambo coniuges habebant filias Florentij Fresionum Marchisi: & filij eorum vinculo huiusmodi necessitudinis huc vsque tenentur constricti. Porro inter Normannos & Flandritas recidiua dissentio prodiit, & propter necem fratris Reginæ, aliorúmque affinium, & maximè pro casu Guillelmi Comitis diu perdurauit. Turbatis in Normannia rebus Rex Angliæ regnum optimè disposuit, & ipse in Normanniam, vt ibidem omnia rectè & vtiliter edomaret, properauit. Audito vndique Regis aduentu pacis amatores læti sunt, sed filij discordiæ & fœdi sceleribus ex conscientia nequam aduenientе vltore contremuerunt. Tunc Cœnomanensium & Normannorum maiores congregauit, & omnes ad pacem & iustitiam tenendam regali hortatu corroborauit. Episcopos quoque & Ecclesiasticos viros admonuit vt benè viuerent, vt legem Dei iugiter reuoluerent, vt Ecclesiæ Dei communiter consulerent, vt subditorum mores secundum scita Canonum corrigerent,
C & omnes cautè regerent.

Anno igitur ab Incarnatione Domini MLXXII. congregatum est Concilium 1072.
in Metropolitana Rotomagensis vrbis Sede, in Basilica beatæ & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, cui Ioannes eiusdem vrbis Archiepiscopus præerat: & vestigia Patrum secutus vtilitati Ecclesiasticæ omnimodis consulebat, cum suffraganeis suis, Odone Baiocensi, Hugone Luxouiensi, Rodberto Sagiensi, Michaële Abrincatensi, & Gisleberto Ebroicensi. In primis disputatum est de fide sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, quam secundum Statuta sanctorum Conciliorum, scilicet Niceni, Constantinopolitani, primi Ephesini, Chalcedonensis Concilij corroborauerunt, sanxerunt, se toto corde credere professi sunt. Post hanc Catholicæ fidei professionem, annexa sunt hæc subscripta Catholicæ fidei doctrinæ Capitula.

In primis statutum est à nobis, vt secundum Statuta Patrum, chrismatis, & olei, baptismatis, & vnctionis consecratio, competenti hora, id est post Nonam secundum statuta sanctorum Patrum fiat. Hoc etiam debet Episcopus præuidere, vt in ipsa consecratione XII. sacerdotes sacerdotalibus vestibus indutos, vel quamplu-
D res secum habeat.

Item in quibusdam Prouinciis mos detestabilis inoleuit, quòd quidam Archidiaconi Pastore carẽtes ab aliquo Episcopo particulas olei & chrismatis accipiunt, & ita oleo suo commiscent, quod & damnatum est. Sed vnusquisque Archidiaconus chrisma & oleum suum totum Episcopo, à quo consecrabitur, vt proprio Episcopo præsentet.

Item chrismatis & olei distributio à Decanis summa diligentia & honestate fiat; itaut interim dum distribuerint, albis sint induti: & talibus vasculis distribuatur, vt nihil indè aliqua negligentia pereat.

Item statutum est vel nullus Missam celebret, qui non communicet.

Item nullus sacerdos baptizet infantem, nisi ieiunus & indutus alba & stolla, nisi necessitate.

ITEM sunt quidam, qui viaticum & aquam benedictam vltra octauum diem reseruant: quod & damnatum est. Alij verò non habentes hostias consecratas iterum consecrant; quod terribiliter interdictum est. A

ITEM donum sancti Spiritus vt non detur nisi ieiunis & à ieiunis, neque ipsa confirmatio absque igne fiat, statutum est. Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris Ordinibus Apostolicæ auctoritatis violatores inueniamur. Legitur enim in Decretis Leonis Papæ, quòd non passim diebus omnibus sacri Ordines celebrentur: sed post diem sabbati, in eius noctis exordio quæ in prima sabbati lucescit his qui consecrandi sunt, ieiunis à ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato sabbati ieiunio celebretur. A quo tempore præcedentis noctis initium non recedit: quò diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.

ITEM quatuor Temporum obseruatio competenti tempore secundum diuinam institutionem communi obseruantia à nobis seruetur, id est prima hebdomada Martij, secunda Iunij, tertia Septembris, eadem Decembris, ob reuerentiam Dominicæ Natiuitatis. Indignum enim valde est vt Sanctorum institutio aliquibus occupationibus vel mundiali sollicitudine destituatur. B

ITEM Clerici, qui non electi, nec vocati, aut nesciente Episcopo sacris Ordinibus se intromittunt: aliquibus verò Episcopus, vt Diaconibus, manum imponit: alij ceteros Ordines non habentes Diacones aut Presbyteri consecrantur, hi digni sunt depositione.

ITEM qui Coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, vsque ad dignam satisfactionem excommunicentur. Clerici qui ordinandi sunt, in VI feria veniant ad Episcopum.

ITEM Monachi & Sanctimoniales, qui relictis suis Ecclesiis per orbem vagantur, alij pro nequitiis suis à Monasteriis expulsi, quos pastorali auctoritate oportet compellere vt ad Monasteria sua redeant: & si expulsos Abbates recipere noluerint, victum eleemosynæ eis tribuant, quæ etiam manuum labore acquirant, quousque si vitam suam emendauerint videantur. C

ITEM emuntur & venduntur Curæ Pastorales, scilicet Ecclesiæ parrochianæ tam à laicis quàm à Clericis, insuper etiam à Monachis: quod ne amplius fiat, interdictum est. Item nuptiæ non in occulto fiant, neque post prandium: sed sponsus & sponsa ieiuni à sacerdote ieiuno in Monasterio benedicantur, & antequam copulentur, progenies vtrorúmque diligenter inquiratur. Et si infra septimam generationem aliqua consanguinitas iuuenta fuerit, & si aliquis eorum dimissus fuerit, non coniungantur. Sacerdos qui contra hoc fecerit, deponatur. De Sacerdotibus, & Leuitis, & Subdiaconibus, qui feminas sibi vsurpauerunt, Concilium Luxouiense obseruetur: ne Ecclesias per se, neque per suffraganeos regant, nec aliquid de beneficiis habeant. Archidiaconi, qui eos regere debent, non permittantur aliquam habere nec concubinam, nec subintroductam mulierem, nec pellicem: sed castè & iustè viuant, & exemplum castitatis & sanctimoniæ subditis præbeant. Oportet etiam vt tales Decani eligantur, qui sciant subditos redarguere & emendare, quorum vita non sit infamis, sed merito præferatur subditis. D

ITEM interdictum est, ne aliquis, qui viuente sua vxore de adulterio calumniatus fuerit, post mortem illius vnquam de qua calumniatus fuit accipiat. Multa enim mala indè euenerunt. nam plurimi de causa hac suas interfecerunt.

ITEM, nullus, cuius vxor velata fuerit, ipsa viuente vnquam aliam accipiat.

ITEM, si vxor viri, qui peregrè, aut aliàs profectus fuerit, alij viro nupserit: quousque prioris mortis certitudinem habeat, excommunicetur vsque ad dignam satisfactionem.

ITEM, statutum est, ne hi, qui publicè lapsi in criminalibus peccatis inueniuntur: citissimè in sacris Ordinibus restituantur. Si enim lapsis (vt ait B. Gregor.) ad suum Ordinem reuertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum per reuersionis spem prauæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Vnde hoc ratum manere oportet, vt in crimine publicè lapsus, ante peractam pœnitentiam in pristino gradu nullatenus restituatur, nisi summa necessitate post dignam quidem longæ pœnitentiæ satisfactionem.

ITEM,

A ITEM, si aliquis lapsus dignus depositione repertus fuerit, & ad eum deponendum tot Coëpiscopos quot auctoritas postulat: scilicet in Sacerdotis sex, in Diaconi depositione tres: vnusquisque, qui adesse non poterit, Vicarium suum cum sua auctoritate transmittat. GVILLELMVS II. 1072.

ITEM statutum est, vt nullus in Quadragesima prandeat, antequam hora nona peracta, vespertina incipiat. Non enim ieiunat, qui antè manducat.

ITEM statutum est, vt in sabbato Paschæ officium ante Nonam non incipiatur. Ad noctem enim Dominicæ Resurrectionis respicit, ob cuius reuerentiam *Gloria in excelsis Deo* & *Alleluia* cantatur: quod etiam in officij initio, cerei scilicet benedictione monstratur. Narrat Liber Officialis, quòd in hoc biduo non fit Sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam & sabbatum, in quo recolitur luctus & mœstitia Apostolorum.

ITEM, si alicuius Sancti festiuitas in ipsa die euenerit, in qua celebrari non possit: non ante, sed infra octauum diem celebretur.

B ITEM, iuxta sanctorum Patrum decreta, scilicet Innocentij Papæ & Leonis, statuimus, ne generale baptisma nisi sabbato Paschæ & Pentecostes fiat. Hoc quidem seruato, quòd paruulis quocúmque tempore, quacúmque die petierint, regenerationis lauacrum, non negetur. Vigilia vel die Epiphaniæ, vt nullus nisi infirmitatis necessitate baptizetur, omnino interdicimus.

HVIC Concilio cõsenserunt Ioãnes Archiepiscopus Rothomagensis Ecclesiæ, Odo Baiocensium Episcopus, Michaël Abrincatẽsis Episcopus, Gislebertus Ebroicensis Episcopus; & quamplures etiã venerabiles Abbates, quibus eo tempore Cœnobia Normanniæ nobiliter pollebant, & Monachicum rigorem seruabant.

OPERÆPRETIVM esse reor Patrum memoriam posteris intimare, qui Normanniæ Monasteria sub Rege Guillelmo prudenter rexere: & æterno Regi, qui incommutabiliter regnat, studuerunt vsque ad mortem diligenter obsecundare. Sequaces eorum multa de eis (vt reor) scripta posteritati dimisere; sed tamen quosdam, quos præ ceteris amo, non pro temporali mercede, sed pro solo amore sapientiæ & religionis sibi cælitus inditæ, dulce est mihi cum Magistris meis in hac saltem

C pagina nominare.

FISCANNENSE Cœnobium in prospectu maris positum creatrici omnium sanctæ & indiuiduæ Trinitati dicatum, à Ricardo primo Duce Normannorum nobiliter fundatum, à secundo multis honoribus & diuitiis largiter ampliatum, post Guillelmum Diuionensem virum sapientem & in religione feruentissimum, Ioannes venerabilis Abbas annis quinquaginta & vno rexit: post quem Guillelmus de Roz Baiocensis Clericus, sed Cadomensis Monachus, ferè XXVII. annis tenuit. Hic vt mystica nardus in domo Domini fragrauit caritate, largitate, multimodáque probitate. Opera quæ palam sedulò fecit, vel in occulto coram paucis arbitris omnipotenti Deo libauit, attestantur quis spiritus in illo habitauit: ipsúmque totum possidens ad solium Domini Sabaoth coronandum perduxit.

DE Fõtanellæ Monasterio Guntardus Cœnobita electione sapiẽtum assumptus est, & post obitum Rodberti Abbatis Gẽmeticensibus Rector datus est. Spiritualis doctrinæ pabula cõmissis ouibus curiosè impendit: & rigorem Monastici Ordinis

D viriliter tenuit. Mansuetos & obedientes, vt pater filios, mulcens honorauit: in reprobos autẽ & contumaces, Regulæque contemptores, vt seuerus magister disciplinæ virgam exercuit. Denique ad Conciliũ quod Vrbanus Papa anno ab Incar. Domini MXCV. Indict. III. apud Clarũmontẽ tenuit, præfatus Pater cum cæteris Collegis suis Normanniæ Pastoribus perrexit, ibíque iubente Deo finem vitæ VI. Kal. Decembris accepit: cui Tancardus Fiscanensis Prior ferus vt leo successit.

DEFVNCTO Herluino, qui fundator & primus Abbas Beccẽsis Monasterij extitit, & multis carismatibus florens, Ecclesiæ filiis in vita sua sine dolo profuit: venerabilis Anselm⁹ multiplici litterarũ sciẽtia pleniter imbutus successit, & præfatũ Cœnobiũ doctis ac deuotis fratrib. donãte Deo laudabiliter repleuit. Dein aucto seruorũ Dei numero copia rerũ nõ defuit, sed cõfluentib. amicis nobilib. ac necessariis fratribus necessaria vbertas honorificè prouenit. Ad cõsiliũ probatissimi Sophistæ Clerici & laici cõcurrebãt, & dulcia veritatis verba, quæ de ore eius fluebãt, fautoribus iustitiæ quasi sermones Angeli Dei placebant. Hic natione Italus Lanfrancum secutus

GVILLELMVS II. 1072. Beccum expetiit,& instar Israëlitarum auro diuitiísque Ægyptiorum,id est seculari eruditione Philosophorum onustus,terram repromissionis desideranter adiit. Monachus autem factus cælesti theoriæ omnimodis inhæsit, & de vberrimo fonte sophiæ melliflua doctrinæ fluenta copiosè profudit. Obscuras sacræ Scripturæ sententias solerter indagauit, strenuè verbis aut scriptis dilucidauit, & perplexa Prophetarum dicta salubriter enodauit. Omnia verba eius vtilia erant, & beniuolos auditores ædificabant. Dociles discipuli Epistolas typicósque sermones eius scripto retinuerunt: quibus affatim debriati non solùm sibi,sed & aliis multis non mediocriter profecerunt. Hoc Guillelmus & Boso successores eius multipliciter senserunt,qui tanti Doctoris syntagmata insigniter sibi hauserunt, & sitientibus indè desiderabilem potum largiter propinauerunt. Anselmus affabilis & mansuetus erat, & cunctis simpliciter interrogantibus charitatiuè respondebat. Inquirentibus amicis piè libros edidit miræ subtilitatis ac profunditatis de Trinitate, de veritate, de libero arbitrio,de casu diaboli,& Cur Deus homo factus est. Fama sapientiæ huius didascali per totam Latinitatem diuulgata est,& nectare bonæ opinionis eius Occidentalis Ecclesia nobiliter debriata est. Ingens in Ecclesia Beccensi liberalium artium & sacræ lectionis sedimen per Lanfrancum cœpit,& per Anselmum magnificè creuit:vt indè plures procederent egregij Doctores, & prouidi nautæ, ac spirituales aurigæ, quibus ad regendum in huius seculi stadio diuinitus habenæ commissæ sunt Ecclesiæ. Sic ex bono vsu intantum Beccenses Cœnobitæ studiis litterarum sunt dediti,& in quæstione seu prolatione sacrorum ænigmatum vtiliumve sermonum insistunt seduli,vt penè omnes videantur Philosophi: & ex collocatione eorum etiam qui videntur inter eos illiterati,& vocantur rustici, possint ediscere sibi commoda spumantes Grammatici. Affabilitate mutua, & caritatis dulcedine in Domini cultu gaudent,& infatigabili religione,vt vera docet eos sapientia, pollent. De hospitalitate Beccensium sufficienter eloqui nequeo. Interrogati Burgundiones & Hispani,aliique de longe seu de propè aduentantes respondeant: & quanta benignitate ab eis suscepti fuerint,sine fraude proferant, eósque in similibus imitari sine fictione satagant. Ianua Beccensium patet omni viatori, eorúmque panis nulli denegatur charitatiuè petenti. Et quid plura de eisdem loquar? Ipsos in bonis perseuerantes custodiat,& ad portum salutis incolumes perducat, qui gratis cœpit,peragitque bonum quod in eis coruscat.

GERBERTVS Fontinellensis,& Ainardus Diuensis, ac Durandus Troarnensis,quasi tres stellæ radiantes in firmamento cœli, sic isti tres Archimandritę multis modis rutilabant in arce Adonai. Religione, & caritate, multiplicique peritia pollebant, studióque diuinæ laudationis in templo Dei iugiter inhiabant. Inter præcipuos Cantores scientia Musicæ artis ad modulandum suauiter potiti sunt:& dulcisonos cantus Antiphonarum atque Responsoriorum ediderunt. De summo Rege, quem laudant Cherubin & Seraphin, & omnis militia cœlorum: de intacta virgine Maria, quæ nobis peperit Saluatorem seculorum: de Angelis, & Apostolis, ac Martyribus, de Confessoribus ac Virginibus mellifluas laudes ex dulcissimo corde manantes prompserunt: & Ecclesiæ pueris ad concinnendum Domino cum Asaph & Eman, Ethan & Idithum, & filiis Chore fideliter tradiderunt.

NICOLAVS Ricardi tertij Ducis Normannorum filius à puero Fiscannensis Monachus,Cœnobium sancti Petri Principis Apostolorum in suburbio Rothomagensi ferè LX. annis rexit,miræque magnitudinis & elegantiæ Basilicam cœpit; in qua corpus sancti Audoëni eiusdem vrbis Archiepiscopi cum multis aliis Sanctorum reliquiis requiescit. Alij quoque plures tunc erant Monachorum Patres in Neustria,quorum numerosa præterire compellor charismata,ne lectori generet fastidium prolixitas nimia.

1073. ANNO ab Incarnatione Domini MLXXIII. Indictione XI. Alexander Papa secundus, postquam Romanam & Apostolicam Sedem XI. annis rexit, è mundo migrauit: & Gregorius VII. qui in baptismate Hildebrannus dictus est, successit, & in Cathedra Pontificali XVII. annis sedit. Hic à puero Monachus, in lege Domini valde studuit, multúmque feruidus propter iustitiam multas persecutiones pertulit. Passim per orbem Apostolica edicta destinauit, &

A nulli parcens cælestibus oraculis terribiliter intonuit, omnésque ad nuptias Regis Sabaoth minis precibúsque inuitauit. GVILLELMVS II. 1073.

POSCENTI Papæ, venerandus Hugo Cluniacensis Abbas Odonem præfati Monasterij Priorem (qui Remensis Ecclesiæ Monachus * fuerat) cum aliis idoneis Cœnobitis Romam transmisit: quos Papa velut à Deo sibi missos adiutores ouanter suscepit. Odonem nempe præcipuum sibi Consiliarium elegit, & Hostiensi Ecclesiæ Pontificem constituit: cuius Sedis prærogatiua est à Romano electum Clero suscipere, & Papam benedicere. Alios quoque Monachos Papa, prout ratio dictabat, promouit, & diuersarum Ecclesiarum tutelæ digniter præfecit. * Canonicus.

DEFVNGTO Ernaldo Cœnomanorum Episcopo, Guillelmus Rex dixit Sansoni Baiocensi Capellano suo: « Cœnomanensis Episcopatus sedes suo viduata est Antistite, in qua volente Deo te nunc volo subrogare. Cœnomanis à canina rabie dicta, vrbs est antiqua, & plebs eius finitimis procax & sanguinolenta, Dominísque suis semper contumax & rebellionis auida. Pontificales igitur habenas tibi tradere decerno, quem à pueritia nutriui, & amaui sedulò: & nunc inter maximos regni mei Proceres sublimare desidero. B Sanson respondit: Secundum Apostolicam traditionem oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Ego autem in omni vita mea sum valde reprehensibilis: omnibúsque mentis & corporis ante conspectum Deitatis sum pollutus flagitiis, nec tantum decus contingere possum pro sceleribus meis miser & despicabilis. Rex dixit: Callidus es, & perspicaciter vides, quòd tu ritè peccatorem te confiteri debes. Fixam tamen in te statui sententiam, nec à te statutum conuellam, quin Episcopatum suscipias, aut alium qui pro te Præsul fiat porrigas. His auditis gauisus Sanson ait: Nunc Domine mi Rex optimè locutus es, & ad hoc agendum adminiculante Deo me promptum inuenies. Ecce in Capella tua est quidam pauper Clericus, sed nobilis & benemorigeratus. Huic Præsulatum commenda in Dei timore, quia dignus est (vt æstimo) tali honore. Regi autem percunctanti quis esset, Sanson respondit: Hoëlus dicitur, & est genere Brito; sed humilis est, & reuera bonus homo. Mox iubente Rege Hoëlus accersitur ignarus adhuc ad quid vocaretur. Cúmque Rex iuuenem in humili habitu macilentum vidisset, despexit; C & conuersus ad Sansonem dixit: Istene est, quem tu tantopere præfers? Sanson respondit: Etiam Domine. Hunc sine dubio fideliter effero, hunc mihi meíque similibus iure præpono. Mitis est & benignus, vnde magis Præsulatu dignus. Pro macie corporis non sit contemptibilis. Habitus humilis gratiorem eum assignat sapientibus. Ad exteriora tantùm non respicit Deus, sed intuetur ea quæ latent intrinsecus. » Rex igitur prudens, sapientis verba intentè percepit, & sagaciter examinare cœpit. Diffusas autem cogitationes suas in se reuersus rationis ligamine paulatim restrinxit, nominatúmque Clericum statim ad se accersiit, eíque curam & seculare ius Cœnomanensis Episcopatus commisit. Decretum Regis Clero insinuatum est, & præfati Clerici bonæ vitæ testimonium ab his qui nouerunt ventilatum est. Pro tam pura & simplici electione deuota laus à fidelibus Deo reddita est, & electus Pastor ad caulas ouium suarum ab Episcopis & reliquis fidelibus, quibus hoc à Rege iussum fuerat, honorificè perductus est. At ille non minus obstupuit in tam subita promotione ad Præsulatum, quàm D Dauid reprobatis à Samuële primogenitis fratribus in prouectione ad regnum. Sic Hoëlus Cœnomanensium Præsul factus est, & Pontificali stemate per XV. annos sanctè perfunctus est. Episcopalem Basilicam, in qua corpus sancti Iuliani Confessoris, primi Cœnomanorum Præsulis requiescit, & alia bona opera Ecclesiæ Dei necessaria condere cœpit, & pro temporis opportunitate quæ cœpta erant perficere studuit. Quo defuncto egregius versificator Hildebertus successit, & ferè XXX. annis Præsulatum laudabiliter tenuit. Basilicam verò Episcopij, quam prædecessor eius inchoauerat, consummauit, & cum ingenti populorum tripudio veneranter dedicauit. Qui non multò pòst, anno scilicet ab Incarnatione Domini MCXXV. Indictione IV. vt Gislebertus Turonensis Archiepiscopus cum Callisto II. Papa Romæ obiit, sub Honorio Papa Metropolitanam Sedem Turonicæ vrbis, sancta Ecclesia precibus & iussis cogente, ascendit, ibíque laudabilibus studiis & actibus adhuc insistit.

SICVT mare numquam tutum certa soliditate quiescit, sed inquietudine iu-

GVILLELMVS II. 1073. gi turbatum more suo defluit, & quamuis aliquando tranquillum obtutibus spectantium appareat, solita tamen fluctuatione & instabilitate sua nauigantes territat: sic præsens seculum volubilitate sua iugiter vexatur: innumerisque modis tristibus seu lætis euidenter variatur. Inter proteruos mundi amatores (quibus ipse mundus non sufficit) immanis altercatio sæpe oritur, & in immensum crescit. Et dum quisque superior esse, æmulumque suum protereré nititur, æquitatis immemor legem Dei transgreditur: & pro adipiscendo quod vnusquisque ambit, humanus cruor crudeliter effunditur. Hoc Historicorum antiqui Codices copiosè referunt, hoc moderni rumores per vicos & plateas indesinenter asserunt: vnde quidam ad præsens lætantur, alij nihilominus flent & contristantur. De casibus huiusmodi quædam in hoc nostro libello breuiter tetigi, & veraciter adhuc addere libet alia prout à senioribus didici. A

HERBERTVS Cœnomannorum Comes ex prosapia (vt fertur) Caroli Magni originem duxit: & vulgò, sed parum Latinè, cognominari Euigilans-canem pro ingenti probitate promeruit. Nam post mortem Hugonis patris sui, quem Fulco senior sibi violenter subiugarat, in eundem arma leuans nocturnas expeditiones crebrò agebat, & Andegauenses homines & canes in ipsa vrbe, vel in munitioribus oppidis terrebat, & horrendis assultibus pauidos vigilare cogebat. B

HVGO filius Herberti, postquam ALANVS Britannorum Comes à Normannis in Normannia impotionatus occubuit, BERTAM ipsius relictam Tedbaldi Blesensium Comitis sororem in coniugium accepit: quæ filium nomine HERBERTVM; & tres filias ei peperit. Vna earum data est AZSONI Marchiso Liguriæ. Alia nomine MARGARITA Rodberto filio Guillelmi Ducis Neustriæ desponsata est, quæ virgo in tutela eiusdem Ducis defuncta est. Tertia verò IOANNI Domino castri, quod Flecchia dicitur, nupsit: quæ marito suo tres liberos, Goisbertum, Heliam, & Enoch peperit.

DEFVNCTO Goisfredo Martello fortissimo Andegauensium Comite, successerunt ex sorore duo nepotes eius, filij Alberici Comitis Vvastinensium, è quibus Goisfredus (qui simplex & tractabilis moribus erat) iure primogeniti obtinuit Principatum. Guillelmus autem Normannorum Princeps post mortem Herberti iuuenis hæreditatem eius obtinuit: & Goisfredus Comes Rodberto iuueni cum filia Herberti totum honorem concessit, & hominium debitúmque fidelitatem ab illo in præsentia patris apud Alencionem recepit. Non multo post Fulco cognomento Richinus contra Goisfredum fratrem dominúmque suum rebellauit, eúmque per proditionem cepit, & plus quàm XXX. annis in carcere Chinonis castri clausum tenuit. In tanta permutatione res mundanæ in Andegauensi Prouincia & in confiniis eius turbatæ sunt: & Proceres patriæ ad diuersa studia, prout quemque propria voluntas agitabat, conuersi sunt. C

FVLCONE nimium mœsto, quòd Normanni Cœnomanicis imperarent, & Consulatum sui iuris illo nolente possiderent; seditiosi ciues & oppidani confines, gregariíque milites in exteros vnanime consilium ineunt, arcem vrbis & alia munimina viriliter armati ambiunt, & Turgisum de Traceio, Guillelmúmque de Firmitate, aliósque Regis municipes expugnant & eiiciunt. Quosdam fortiter sibi resistentes perimunt, aliósque vinculis crudeliter iniiciunt, & cum libertate talem de Normannis vltionem triumphantes assumunt. Deinde regio tota turbatur, & ibidem Normannica vis offuscatur: ac penè ab omnibus quasi generalis lues passim impugnatur. Goisfredus Meduanensis, aliíque Optimates Cœnomannorum pari conspiratione contra Normannos insurgunt: aliqui tamen, licèt pauci, pro variis euentibus & causis Guillelmo Regi fauent & obediunt. D

MAGNANIMVS Rex Guillelmus diris rumoribus detrucidatione suorum auditis iratus est, ac ad compescendum hostium inuasionem, & proditorum rebellionem armis meritam vltionem facere molitus est. Regali iussu Normannos & Anglos celeriter asciuit, & multas armatorum legiones in vnum conglomerauit: prudenter ad bellum milites peditésque cum Ducibus suis disposuit, & cum eis Cœnomanensem pagum terribilis adiuit. In primis Fredernaicum * castrum phalange sua obsedit, ibique Roberto de Belesmia cingulum militiæ præcinxit. Hubertus autem oppidanus pacem cum Rege pepigit, castra sua Fredernaicum &

* *Vulgò*, Fresnay.

A Belmontem reddidit, eique aliquanto tempore postmodum seruiuit. Deinde Rex Silleium obsedit, sed castrensis herus Regem supplex expetiit, & optatam pacem impetrauit. Regi nimirum cum nimia virtute properanti nullus audebat resistere; sed omnes oppidani ac pagenses cum Clericis & omnibus Religiosis pacificum Marchionem decreuerunt digniter suscipere, illiúsque ditioni legitimæ gratanter colla submitere. Tandem Rex Cœnomannis venit, pluribus cateruis vrbem obsedit, edicta regalia suis opportunè intimauit, & vrbanis imperiosè mandauit, vt prudenter sibi consulerent, & vrbem ante assultus & cædes atque concremationes sibi cum pace redderent. In crastinum autem accepto salubri consilio ciues egressi sunt, & supplices Regi claues ciuitatis detulerunt, seseque dedentes, à Rege benigniter suscepti sunt. Reliqui verò Cœnomannenses territi sunt, vt tantam inundationem immanis exercitus per fines suos diffundi viderunt, iámque suos complices & fautores defecisse ante faciem probatissimi bellatoris nouerunt. Ipsi quoque B pacis legatos victori destinauerunt, & datis ab vtrisque dextris, ipsi regalibus signis sua vexilla gaudentes associauerunt, & exinde in domo sua, & sub vite sua morari & ludere si libet quietè permissi sunt.

PACATIS itaque sine magno discrimine Cœnomanensibus, & pacificè sub Regis Guillelmi ditione degentibus, Fulco Comes noxio liuore nequiter infectus est, & contra quosdam Normannis fauentes insurgere conatus est. Tunc ei Ioannes de Flecchia potentissimus Andegauorum præcipuè infensus erat, quia Normannis adhærebat. Qui vbi præfatum Comitem cum ferratis agminibus festinare super se pro certo comperit, confœderatos sibi affines expetiit, auxiliúmq; Guillelmi Regis requisiuit & impetrauit. Nam Rex impiger Guillelmũ de Molinis, & Rodbertum de Veteri-ponte, aliósque fortissimos & multoties probatos bellatores Ioanni destinauit: quos ille ad defendenda cum satellitibus suis oppida sua diligenter composuit. Hoc audiens Fulco vehementer doluit, & vndecumque contractis viribus castrum Ioannis obsedit. Hoëlus quoque Comes cum multitudine Britonum C Fulconi suppetias venit, & cum eo Ioannis vim & opes acriter coartare studuit. Guillelmus autem Rex vt tantam multitudinem girasse suos agnouit, regali edicto Normannos & Anglos iterum exciuit, aliásque sibi subditas gentes vt fortis magister militum conglobauit: ac vt ferunt sexaginta millia equitum contra hostiles cuneos secum adduxit. Andegauenses verò & Britones cõperto Regis & agminum eius aduentu non fugerunt: sed potiùs Ligerim fluuiũ audacter pertransierunt, & transuecti ne timidiores spe fugiendi segniùs præliarentur scafas suas destruxerunt. Dum vtraeque acies ad ambiguum certamen pararentur, horribilésque pro morte & miseriis, quæ mortem reproborum sequuntur, timores mentibus multorum ingererentur, quidam Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Presbyter & religiosi Monachi diuino nutu adsunt, Principes vtriusque legionis diuinitus animati adeunt, obsecrant, & redarguunt. Viritim ex parte Dei bellum prohibent, admonendo & rogando pacem suadent. Gratanter his iunguntur Guillelmus Ebroicensis & Rogerius, aliique Comites strenuíque Optimates; qui sicut erant prom- D pti & audaces ad legitimos agones, sic nimirum perhorrebant per superbiam & iniustitiam subire conflictus detestabiles. Veredariis itaque Christi pacis semina serentibus ambitiosorum tumor conquiescit nimius, & formidatum timor paulatim decrescit pallidus. Multa demum consilia fiunt, diuersi tractatus aguntur, verba verbis obiiciuntur, Deo tamen vincente Legati pacis vtrinque suscipiuntur. Rodberto iuueni Regis filio Comes Andegauensis Cœnomanẽse ius concedit, cum toto honore quem idem à Comite Herberto cum Margarita sponsa sua suscepit. Denique Rodbertus Fulconi debitum homagium vt minor maiori legaliter impendit. Ioannes autem aliique Andegauenses, qui hactenus pro Rege contra Consulem rebellauerunt, Principi suo reconciliati sunt, & Cœnomanenses nihilominus, qui contra Regem pro Comite insurrexerant, pacificati sunt. Sic gratia Dei mitigante corda Principum reatus pœnitentium vtrobique indulti sunt: & beniuolæ plebes serena pace tempestuosam nigredinem tumultuum procul pellente palam lætatæ sunt. Hæc nimirum pax, quæ inter Regem & præfatum Comitem in loco, qui vulgo Blancalanda, vel Brueria dicitur, facta est, omni vita Regis ad profectum vtriusque Prouinciæ permansit.

GVILLELMVS II. 1073.

VERVM eodem tempore alia tempestas grauissima orta est, quæ sæua nimis, A
& damnosa multis in Anglia facta est. Duo potentissimi Anglorum Comites,
Rogerius Herfordensis, & sororius eius Radulfus Nortvvicensis pariter decre-
uerunt, vt palam rebellarent, & Principatu Angliæ Guillelmo Regi surrepto
sibi ius, imò tyrannidem assumerent. Castella igitur sua certatim offirmant,
arma præparant, milites aggregant: vicinis & longinquis, in quibus confide-
bant, legatos suos frequenter destinant, & in suum adminiculum quoscumque
possunt promissis & precibus inuitant. Consideratis rerum permutationibus &
temporum opportunitatibus, dicunt sibi confœderatis & assentantibus: Cuncti
sapientes diffiniunt congruum tempus præstolandum esse, & dum tempus adest
gratum & habile, famosum opus à probis insigniter inchoari debere. Ad regni
decus obtinendum tempus nunquam vidimus magis idoneum, quàm nunc
confertur nobis per ineffabile Dei donum. Degener, (vt pote nothus) est qui
Rex nuncupatur, & in propatulo diuinitus monstratur quod Deo displicet,
dum talis herus regno præsidet. Transmarinis conflictibus vndique circunda-
tur, & non solùm ab externis, sed etiam à sua prole impugnatur, & à propriis B
alumnis inter discrimina deseritur. Hoc eius nequitiæ promeruerunt, quæ per
totum orbem nimis propalatæ sunt. Nam ipse Guillelmum Guarlengum Mori-
tolij Comitem pro vno verbo exheredauit, & de Neustria penitus effugauit:
GVALTERIVM Pontesij Comitem Eduardi Regis nepotem, cum Biota vxore
sua, Falesiæ hospitauit, & nefaria potione simul ambos vna nocte peremit. Cona-
num quoque strenuissimum Consulem veneno infecit, quem mortuum Britannia
tota pro ingenti probitate ineffabili luctu defleuit. Hæc & alia multa erga cogna-
tos & affines suos scelera Guillelmus peregit, qui super nos & compares no-
stros adhuc similia perpetrare non desistit. Nobile regnum Angliæ temerè inua-
sit, genuinos heredes iniustè trucidauit, vel in exilium crudeliter pepulit. Suos
quoque adiutores, per quos super omne genus suum sublimatus est, non vt decuis-
set honorauit: sed multis, qui sanguinem suum in eius satellitio fuderunt, in-
gratus extitit, & pro friuolis occasionibus ad mortem vsque velut hostes puniit.
Vulneratis victoribus steriles fundos, & hostium depopulatione desolatos dona- C
uit, & eisdem postmodum restauratos auaritia cogente abstulit seu minorauit.
Omnibus igitur est odio, & si periret multis esset gaudio. Ecce maior pars exer-
citus trans pontum moratur, assiduisque bellis acriter occupatus detinetur. An-
gli sua solummodò rura colunt; conuiuiis & potationibus, non præliis intendunt:
summoperè tamen pro suorum exitio parentum vltionem videre concupiscunt.
Hæc & his similia seditiosi dicentes, & sese ad concupitum nefas omnimodis co-
hortantes, Gualleuum Northamtoniæ Comitem ad colloquium accersiunt; &
multis eum modis tentantes talia promunt: Ecce peroptatum tempus, ô strenue
vir, modò vides, vt tibi recuperes exemptos honores, & accipias iniuriis tibi nu-
per illatis debitas vltiones. Acquiesce nobis, & indesinenter inhære: & tertiam
partem Angliæ nobiscum sine dubio poteris habere. Volumus enim vt status re-
gni Albionis redintegretur omnimodis, sicut olim fuit tempore Eduardi piissimi
Regis. Vnus ex nobis sit Rex, & duo sint Duces: & sic nobis tribus omnes An-
glici subiicientur honores. Guillelmus innumeris bellorum ponderibus trans ma- D
re prægrauatus est: & pro certo scimus quòd in Angliam vlteriùs rediturus non
est. Eia nobilis heros, consultus obserua tibi generique tuo commodissimos, om-
nique genti tuæ, quæ prostrata est, salutiferos.

GVALLEVVS respondit: Maxima in talibus negotiis cautela necessaria est,
& integra fides in omnibus gentibus ab omni homine Domino suo seruanda est.
Guillelmus Rex fidem meam, vt maior à minori iure recepit; ac vt ei semper fi-
delis existerem, in matrimonium mihi neptem suam copulauit. Locupletem
quoque Comitatum mihi donauit, & inter suos familiares conuiuas connume-
rauit. Et tanto Principi qualiter infidus esse queam, nisi penitus mentiri velim
fidem meam? In multis notus sum regionibus, & magnum (quod absit) fiet
dedecus, si publicè diuulger vt proditor & sacrilegus. Nusquam de traditore bo-
na cantio cantata est. Omnes gentes apostatam & proditorem sicut lupum ma-
ledicunt, & suspendio dignum iudicant & opprimunt: & si fors est patibulo cum

A dedecore, multísque probris affigunt. Achitophel & Iudas traditionis scelus machinati sunt, paríque suspensionis supplicio, nec cælo nec terra digni semetipsos peremerunt. Anglica lex capitis obtruncatione traditorem mulctat, omnémque progeniem eius naturali hereditate omnino priuat. Absit vt mea nobilitas maculetur proditione nefaria, & de me tam turpis per orbem publicetur infamia. Dominus Deus, qui Dauid de manu Goliæ & Saülis, Adadezer & Absalon potenter liberauit, me quoque de multis periculis in mari & in arida gratuitò eripuit. Ipsi me fideliter commendo, & in ipso fiducialiter spero; quòd traditionem in vita mea non faciam, nec Angelo sathanæ similis efficiar per apostasiam. GVILLEL-MVS II. 1073.

RADVLFVS igitur Brito atque Rogerius hæc audientes valde contristati sunt, cúmque coniuratione terribili ne consiliũ eorum detegeret constrinxerunt. Non multò pòst cõiurata rebellio per regiones Angliæ subitò erupit, & manifesta contradictio contra iugales ministros latè processit. Guillelmus itaque de Guatenna, & Ricardus de Benefacta filius Gisleberti Comitis, quos Rex præcipuos Angliæ
B Iustitiarios constituerat in regni negotiis, rebellantes conuocant ad curiam Regis. Illi verò præceptis eorum obsecundare contemnunt: sed proteruiam prosequi conantes, in regios satellites præliari eligunt. Nec mora Guillelmus & Ricardus exercitum Angliæ coadunant, acritérque contra seditiosos in campo, qui Fagaduna dicitur, dimicant. Obstantes verò Dei virtute superant, & omnibus captis cuiuscumque conditionis sint, dextrum pedem vt notificentur amputant. Radulfum Britonem ad castrum suum fugientem persequuntur, sed comprehendere nequeunt. Conglobata deinceps multitudine Northguicum obsident & impugnant, socios fortitudine & industria militari corroborant, & crebris assultibus variísque machinationibus inclusos hostes circumdant, & per tres menses importunè premunt & fatigant. Vindex deforis exercitus quotidie crescit & confortatur: & copia victus aliarúmque rerum eis (ne deficientes abscedant) abundè administratur. Radulfus autem de Guader, vt sese sic inclusione constrictum vidit, & nullum adiutorium à suis complicibus sperauit, munitionem suam fidis custo-
C dibus cautè commisit: & ipse proximum mare ingressus Daciam pro auxiliis nauigio adiit. Interea Vicarij Regis Guillelmus & Ricardus municipes oppidi ad deditionem coartant: & Regem citò missis trans pontum nunciis pro supra scriptis motibus accelerant, vt velociter redeat ad sui tuitionem Regni obsecrant.

IMPIGER igitur Rex, vt Legationes suorum audiuit, Normannicas & Cœnomanicas res prouidè disposuit; & omnibus optimè locatis in Angliam celeriter transfretauit. Qui postquàm omnes ad Curiam suam Regni proceres conuocauit, legitimos heroës & in fide probatos blandis affatibus lætificauit: rebellionis autem incentores & fautores cur mallent nefas quàm iustitiam rationabiliter interrogauit. Custodibus Regi pacificatis Norguitcum redditum est, & Radulfus de Guader Comes Northguici Anglia perpetualiter exhereditatus est. Expulsus itaque cum vxore sua Britanniam repetiit. Ibi Guader & Monsfortis optima castella eius ditioni subiacent, quæ liberi eius hereditario iure vsque hodie possident. Ipse autem post multos annos tempore Vrbani Papæ Crucem Domini suscepit, & cum Rodberto secundo Normannorum Duce contra Turcos Hierusalem perrexit, & in via Dei pœnitens & peregrinus cum vxore
D sua obiit.

ROGERIVS verò de Britolio Comes Herfordensis ad Curiam Regis vocatus venit, & inquisitus manifestã toti mundo proditionẽ negare non potuit. Igitur secundum leges Normannorum iudicatus est, & amissa omni hereditate terrena in carcere Regis perpetuò damnatus est. Ibi etiam Regi multoties detraxit, & cõtumacibus actis implacabiliter Regem offendit. Nam quondam dum plebs Dei Paschale festum congruè celebraret, & Rex structum preciosarum vestium Rogerio Comiti per idoneos satellites in ergastulo mitteret; ille pyram ingentem ante se iussit præparari, & ibidem Regalia ornamenta, chlamydẽ, sericámq; interulã, & renonem de preciosis pellibus peregrinorum murium subitò comburi. Quod audiens

GVILLELMVS II. 1073. Rex iratus dixit: Multùm superbus est, qui hoc mihi dedecus fecit, sed per splendorem Dei de carcere meo in omnia vita mea non exibit. Sententia Regis tam fixa permansit, quòd nec etiam post mortem Regis ipse nisi mortuus de vinculis exiit. Rainaldus & Rogerius filij eius optimi tirones Henrico Regi famulantur, & clementiam eius (quæ tardissima eis visa est) in duris agonibus præstolantur. A

VERE gloria mundi vt flos fœni decidit & arescit, ac velut fumus deficit & transit. Vbi est Guillelmus Osberni filius Herfordensis Comes, & Regis Vicarius, Normanniæ Dapifer, & Magister militum bellicosus? Hic nimirum primus & maximus oppressor Anglorum fuit, & enormem causam per temeritatē suam enutriuit, per quam multis milibus ruina miseræ mortis incubuit. Verùm iustus iudex omnia videt, & vnicuique prout meretur dignè redhibet. Proh dolor! ecce Guillelmus corruit, audax Athleta recepit quod promeruit. Vt multos ense trucidauit, ipse quoque ferro repentè interiit. Denique post eius occasum antequam lustrum compleretur annorum, spiritus discordiæ filium eius & generum contra dominum suum & cognatum hostiliter exciuit, qui Sichimitas contra Abimelech (quem occisis LXX. filiis Ierobaal sibi præfecerant) commouit. En veraciter à me descripta est offensa, pro qua Guillelmi progenies eradicata sic est de Anglia, vt nec passum pedis (nisi fallor) iam nanciscatur in illa. B

GALLEVVS Comes ad Regem accersitus est, & per delationem Iudith vxoris suæ accusatus est, quòd prædictæ proditionis conscius & fautor fuerit, dominóque suo infidelis extiterit. Ille autem intrepidus palam recognouit quod proditorum nequissimam voluntatem ab eis audierit; sed eis in tam nefanda re nullum omnino assensum dederit. Super hac confessione iudicium indagatum est, & censoribus inter se sentientibus per plures inducias vsque in annum protelatum est. Interea præfatus heros apud Guentam in carcere Regis erat, & multoties peccata sua deflebat, quæ ibidem religiosis Episcopis & Abbatibus sæpè flens enarrabat. Spatio itaque vnius anni iuxta sacerdotum consilium pœnituit, & quotidie centum quinquaginta Psalmos Dauid, quos in infantia didicerat, in oratione Deo cecinit. Erat idem vir corpore magnus & elegans, & largitate ac audacia multis millibus præstans. Deuotus Dei cultor, sacerdotum & omnium religiosorum supplex auditor, Ecclesiæ pauperúmque benignus amator. Pro his & multis aliis charismatibus, quibus in ordine laicali specialiter fruebatur, à suis & ab exteris, qui Deo placita diligere norunt, multùm diligebatur, & ereptio eius à vinculis in annua procrastinatione omnimodis expetebatur. Denique præualens concio æmulorum eius in Curia Regali coadunata est: cúmque post multos tractatus reum esse mortis definitum est, qui sodalibus de morte domini sui tractantibus consenserit, nec eos pro herili exitio perculerit; nec aperta delatione scelerosam factionem detexerit. Nec mora Gualleuus à Normannis, qui euasionem eius valde timebant, sibíque prædia eius & largos honores adipisci cupiebant: extra vrbem Guentam, dum adhuc populus dormiret manè ductus est in montem, vbi nunc Ecclesia sancti Ægidij Abbatis & Confessoris constructa est. Ibi vestes suas, quibus vt Consul honorificè indutus processit, Clericis & pauperibus, qui fortè aderant ad hoc spectaculum, deuotè distribuit, humóque procumbens cum lacrymis & singultibus Dominum diutius exorauit. C

CVMQVE carnifices trepidarent, ne ciues exciti præceptum Regis impedirent, & tam nobili compatriotæ suo suffragantes Regios lictores trucidarent: » Surge (inquiunt prostrato Comiti) vt nostri compleamus iussum domini. Qui- » bus ille ait: Paulisper expectate propter omnipotentis Dei clementiam, saltem » vt dicam pro me & pro vobis Orationem Dominicam. Illis autem permittentibus surrexit, & flexis tantùm genibus, oculísque in cœlum fixis, & manibus tensis, *Pater noster qui es in cælis*, palam dicere cœpit. Cúmque ad extremum Capitulum peruenisset, *& ne nos inducas in tentationem* dixisset, vberes lacrymæ cum eiulatu proruperunt, ipsúmque preces incœptas concludere non permiserunt. Carnifex autem vlterius præstolari noluit, sed mox exempto gladio fortiter feriens D

A caput Comitis amputauit. Porro caput postquam præsectum fuit, cunctis qui aderant audientibus, clara & articulata voce dixit, *Sed libera nos à malo, amen.* Sic Galleuus Comes apud Guentam secundo Kal. Maij manè decollatus est, ibique in fossa corpus eius viliter proiectum est, & viridi cespite festinanter coopertum est: Expergefacti ciues compertis rumoribus valdè contristati sunt, virique cum mulieribus ingentem planctum de casu Galleui Comitis egerunt. Post quindecim dies rogatu Iudith, & permissu Regis, Vlfketelus * Crulandensis Abbas venit, & cadauer, (quod adhuc integrum cum recenti cruore, ac si tunc idem vir obiisset, erat) sustulit: ac in Cœnobium Crulandense cum magno luctu multorum detulit, & in Capitulo Monachorum reuerenter sepeliuit.

GVILIELMVS II. 1073.

al. Vlfketetus.

NVNC mihi libet huic Opusculo nostro quandam abbreuiationem inserere, quam rogante venerabili Vuilfino Priore nuper feci de vita S. Guthlaci heremitæ. Felix quidam Orientalium Anglorum Episcopus natione quidem Burgundus, sed sanctitate venerandus, edidit gesta sanctissimi Anachoritæ prolixo & aliquantulum obscuro dictatu: quæ pro posse meo dilucidaui breuiter, fratrum benignò B rogatu, cum quibus quinque septimanis Crulandiæ commoratus sum, venerabilis Goisfredi Abbatis caritatiuo iussu. Occasio loquendi de beato heremita sese obtulit nostræ narrationi per Gualleuum Comitem, qui fidus frater & adiutor extitit Crulandensis Monasterij, sicut ex relatione seniorum veraciter intimabo in calce huius epitomij. Indubitanter crede, quòd non minus proderunt fidelibus Cisalpinis sancta gesta transmarinorum Saxonum vel Anglorum, quàm Græcorum vel Ægyptiorum, de quibus prolixæ, sed delectabiles commodæque Collationes crebrò leguntur, congestæ sanctorum studio Doctorum. Præterea reor, quòd quantò res hæc minus olim nostratibus patuit, tantò caritatis igne feruentibus, & pro transactis reatibus ex intimo corde dolentibus gratiosiùs placebit.

TEMPORE Ethelredi Regis Anglorum Guthlacus ex patre Penualdo ab origine Icles heri Merciorum, matre verò Tecta natus est: quo nascente cæleste prodigium populis palam ostensum est. Manus enim è nubibus ad crucem porrecta est, quæ ante ostium domus parientis Tectæ stare visa est. Post octo dies infans baC ptizatur, & Guthlacus id est belli munus à tribu, quam Guthlacingas dicunt, appellatur. Post mitem pueritiam dum adolescentiæ calorem sensisset, & heroum fortia gesta considerasset, aggregatis satellitum turmis ad arma se conuertit, sibique aduersantium villas & munitiones igne ferróque deuastat & disperdit; immensisque prædis direptis tertiam partem sponte his quibus ablatum est, pro amore Dei remittit. Deinde transcursis IX. annis, in quibus hostes valde afflixerat cædibus & rapinis, considerata mortalis vitæ fragilitate, & caducarum rerum instabilitate, territus ad seipsum redit: séque ac si mortem præ oculis videret discutit; & emendatioris vitæ viam aggredi satagit. Igitur complices suos relinquit, parentes & patriam comitésque adolescentiæ suæ pro Christo contemnit, & XXIV. ætatis suæ anno abrenuncians seculi pompis Ripalduum Monasterium adiit, ibique sub Abbatissa nomine Elfrid tonsuram habitúmque Clericalem suscepit. Postea ab ebrietate omníque lasciuia toto nisu declinauit, omníque honestati & religioni pro humano posse studuit. Per biennium sacris litteris & Monasticis disciplinis imbutus est, sed his tantùm contentus non est. Nam heremiticæ vitæ singulare certamen arripere conatus est, vbi cum hoste comminus luctatus est.

ADEPTA tandem à senioribus licentia, à quodam nomine Tatuuino ad InsuD lam, quæ dicitur Crouland, scaphula adductus est piscatoria. Est in mediterraneis Angliæ partibus immensæ magnitudinis acerrima palus, quæ à Grontæ fluminis ripis incipit; nunc stagnis, nunc flactris, interdum nigris laticibus, & crebris Insularum nemoribus, & flexuosis riuigarum anfractibus ab Austro in Aquilonem maritenus longissimo tractu protenditur. Illic plures inhabitare tentauerant, sed pro incognitis heremi monstris, & diuersarum terroribus formarum atram habitationem reliquerant. Guthlacus itaque æstiuis temporibus Crulanda perscrutata, fratres suos & magistros, quos insalutatos dimiserat, reuisere profectus est; iterúmque post tres menses cum duobus pueris ad electam heremum VIII. Kal. Sept. cùm iam ipse XXVI. annorum esset, regressus est. Tunc S. Bartholomei Apostoli solemnitas celebratur; quem socium sibi & adiutorem in cunctas aduersitates summoperè precatur.

GVILLELMVS II. 1073. QVINDECIM annis non laneis vel lineis, sed pelliceis solummodo tegminibus indutus est: & ordeaceo pane, ac lutulenta aqua (& ex his parum) post solis occasum vsus est. Innumeris illum modis Sathan tentauit, & irretire vel de heremo expellere laborauit. A

QVONDAM cùm per tres dies incœpti operis desperatione lassaretur, en Bartholomæus fidus adiutor matutinis vigiliis instanti palam apparet, & præceptis spiritualibus trepidantem confortans auxilium ei in omnibus spondet; & in multis tentationibus promissa sua fideliter complet.

ALIA die duo dæmones in hominum specie ad eum veniunt, cúmque tentantes vt nimium ieiunando Moysen & Heliam, aliósque Ægyptios Patres imitaretur, incitant. At ille psallens in contemptum illorum ordeacei panis particula vesci cœpit.

ALIQVANDO dum vir Dei peruigil precibus intempesta nocte insisteret, cateruas dæmonum vndíque ingredi Cellam suam videt. Quem ligatis membris extra Cellam suam ducunt, & in cœnosam paludem immergunt. Deinde per paludis B asperrima loca inter densa veprium vimina asportant, & post dilacerationem membrorum de heremo illum descendere imperant. Quo nolente, ferreis eum flagris verberant, ac post ingentia tormenta inter nubifera gelidi aëris spatia subuectant, indéque à Septentrionali plaga innumeris dæmonum turmis aduentantibus vsque ad tartari fauces minant. Tunc Guthlacus visis gehennæ pœnis terretur, sed minis dæmonum contemptis ad Deum medullitus suspirat. Nec mora S. Bartholomæus cælesti luce splendidus illi affuit, & cum magna quiete ab ipsis hostibus reduci ad propriam sedem iubet. Illi verò gementes Apostoli iussis obsecundant, & Angeli gaudentes dulciter ei obuiam cantant: *Ibunt sancti de virtute in virtutem.*

MVLTOTIES & multis modis dæmones Guthlacum terrere nitebantur: sed ipse Domino iuuante illos, & cuncta molimina eorum frustrabatur. Imperterritus in virtutum arce stetit, duros labores in agone pertulit, diabolicósque conatus pessum dedit. Tempore Coenredi Regis Merciorum Becelinus Clericus ad occidendum virum Dei à dæmone stimulatus, dum ipsum tonderet, ab eodem increpatus est cur tantum facinus in corde gestaret. At ille mox vt se præuentum vidit, erubescens ad pedes Sancti cecidit, scelus fatetur, veniámque precatur, perceptáque indulgentia se socium illius fore pollicetur. C

CORVVS raptam cartulam in medio stagni dimisit, nec illam in arundine pendentem aqua meritis viri Dei læsit, quam idem Scriptori mœsto saluam reddidit.

DVO corui in Insula degentes beato Guthlaco valde infesti erant, ita vt quicquid frangere, mergere, diripere, contaminare potuissent; irreuerenter intus forísque damnantes perderent: quod vir Dei pro virtute patientiæ benigniter tolerabat. Incultæ solitudinis volucres & vagabundi cœnosæ paludis pisces ad vocem eius velut ad pastorem ociùs natantes volantésque veniebant; & de manu eius victum prout vniuscuiúsque natura indigebat, accipiebant.

PRÆSENTE venerabili viro Vvilfrido, duabus hirundinibus gaudenter illum secundum suam naturam visitantibus, & cum cantu brachiis & genibus, pectoríque illius considentibus; festucam in ventinula posuit, & sic auibus nidum in sua Cella designauit. Non enim in casa Guthlaci sine licentia eius nidificare audebant. D

QVONDAM dum præfatus Vvilfridus exulem Edebaldum ad hominem Dei adduxisset, manicásque suas in naui qua aducti fuerant oblitus fuisset, rapaces corui rapuerunt. Quod mox vir Dei in vestibulo domus sedens in spiritu Dei agnouit, & inter colloquia Vvilfrido intimauit: nec multò post virtute fidei & orationis pro damno restaurauit.

VVETHREDVS inclytus iuuenis Orientalium Anglorum à dæmonio inuasus est, & quatuor annis miserabiliter vexatus est. Sed & quoscúmque poterat ligno, ferro, vnguibus & dentibus laniabat. Quondam dum multitudo illum ligare tentaret, arrepta bipenne tres viros occidit. Post quatuor annos Crolandiam adductus est, quem vir Dei manu arripiens intra Oratorium suum duxit: & illic continuis diebus tribus ieiunauit; & orans ab omni inquietudine spiritus maligni curauit.

GVILLELMVS II. 1073.

A EGGA præfati exulis Edelbaldi Comes dum ab immundo spiritu peruasus est, ita vt quid esset, vel quo sederet, vel quid ageret omnio nesciret; à sociis suis ad Guthlaci limina perductus est. Deinde vt mox se cingulo viri Dei succinxit, integrum sensum recepit, omnique postmodum vita sua idem cingulum & sanam mentem habuit.

PRÆTEREA vir Dei Guthlacus spiritu prophetiæ pollens, futura prædicere, & præsentibus absentia narrare solitus est. Cuidam Abbati, qui ad eum causa piæ locutionis venerat, de duobus Clericis, qui ad casam viduæ ante horam tertiam pro appetenda ebrietate diuertissent, cuncta per ordinem intimat.

ALIOS duos fratres, quòd binas flasculas celia impletas sub palustri sablone abscondissent, increpat: eisque pro tanta viri Dei sagacitate stupentibus, & ad solum prostratis benigniter indulsit.

FAMA de beato Guthlaco longè latéque celeriter volante, multi ad eum veniunt diuersorum Ordinum gradus, Abbates, Monachi, Comites, diuites, vexati, pauperésque de proximis Merciorum finibus, & de Britanniæ partibus pro salute corporis aut animæ. Et quisque id pro quo fideliter venerat, salubriter obtinebat. Ægrotus enim remedium, tristis gaudium, pœnitens consolationem, & quisque anxius percipiebat alleuiationem per viri Dei allocutionem & efficacem orationem.

B

OBBA Comes inclyti exulis Edelbaldi, dum per agrestia rura graderetur, spinæ latentis sub herbis incultæ telluris fixura in pede læsus est; itaut à planta vsque ad lumbos totum corpus eius tumesceret; nec eum nouus dolor sedere, vel stare, vel iacere quietè sineret. Vnde vix Crolandiam peruenit. Mox vt ad virum Dei perductus est, & causa vexationis ex ordine relata est: Guthlacus lutherio melotinæ, in quo solebat orare, ipsum circumdedit: statimque dicto citiùs spinula de pede eius, velut sagitta ab arcu demissa resiliit. Eadem itaque hora omni humore sedato æger conualuit, & Deo gratias cum his qui hoc viderunt lætus retulit.

QVONDAM Headda Præsul cum quibusdam Clericis & laicis ad Guthlacum venit, inter quos de beato viro varia locutio obiter fuit. Prædictus autem Episcopus comperta in venerabili viro diuinæ gratiæ luculentia, & in exponendis scripturis sanctis sapientiæ affluentia, postquam Insulæ Crolandiæ Ecclesiam XII. Kal. Sept. dedicauit, eundem seruum Dei suscipere sacerdotij stemma inuiolabili obedientiæ præcepto coëgit. Deinde ad prandium Pontificis sanctus vir contra morem suum venire coactus est. Vbi dum Vvigfridum librarium videret procul sedere, cœpit ab eo inquirere de hesterna promissione, qua sociis in via iactauerat se examinaturum vtrum idem vera potiretur an simulata religione. Mox ille erubuit, solóque prostratus veniam petiit, & obtinuit: cunctis mirantibus quòd illorum in via locutio per spiritum viro Dei lucidè tota patuerit.

C

REVERENTISSIMA Egburg Abbatissa Aldulfi Regis filia per legatum suppliciter rogante, Guthlacus sarcofagum plumbeum, & in eo linteum ad inuoluendum se post obitum suscepit: & sciscitanti quis hæres post se loci illius esset, adhuc paganum esse respondit. Quod ita factum est. Nam Cissa, qui post eum sedem eius possedit, post aliquot annos in Britannia baptismum percepit.

D CLITO Edelbaldus, quem Ceolredus Rex huc & illuc persequebatur, inter dubia pericula exinanitis viribus suis suorúmque, ad virum Dei, vt solebat, venit: vt vbi humanum consilium defecisset, diuinum adesset. Quem beatus Guthlacus blandè consolatus est, eique per spiritum Dei promisit dominationem gentis suæ, & Principatum populorum, & conculcationem inimicorum: & hæc omnia non armorum vi nec effusione sanguinis, sed de manu Domini habiturum. Eo cuncta ordine completa sunt, quo à viro Dei vaticinata sunt. Nam Ceolredus Rex mortuus est, ac Edelbaldus regnum eius nactus est.

COMPLETIS in heremo XV. annis, venerabilis Guthlacus ante Pascha quarta feria ægrotare cœpit: die tamen Paschæ contra vires exurgens Missam cantauit. Septima verò die infirmitatis Beccel famulo suo iussit, vt post obitum suum Pegam sororem suam illuc aduenire faceret: & ab illa corpus eius syndone in sarcofago, quam Egburg illi miserat, inuolueretur. Tunc ille cœpit virum Dei cum adiuratione rogare, vt ante suum funus sibi intimaret, quis cum eo mane & vespere loqui quo-

GVILLELMVS II. 1073. tidie audiebatur. Almus Dei athleta post modicum interuallum anhelans ait; Fili A mi, de hac re sollicitari noli. Quod viuens vlli hominum indicare nolui, nunc tibi manifestabo. A secundo etenim anno, quo hanc heremum cœperam, mane vespereque semper consolationis meæ ad colloquium meum Dominus mittebat, qui mihi mysteria quæ non licet homini enarrare monstrabat: qui duritiam laboris mei cælestibus oraculis subleuabat, qui absentia mihi monstrando vt præsentia præsentabat. O fili, hæc dicta mea conserua, nullique alij nunciaueris nisi Pegæ aut Egberto Anachoritæ. His dictis, suauis odor de ore eius processisse sentiebatur, itaut totam domum nectareus odor repleret. Nocte verò sequenti dum præfatus frater nocturnis vigiliis incumberet, à media nocte vsque in auroram totam domum igneo splendore circumsplendescere videbat. Oriente verò sole vir Dei subleuatis paulisper membris velut exurgens, & manus ad altare extendens, corporis & sanguinis Christi communione se muniuit; & eleuatis oculis ad cœlum, & extensis in altum manibus, anno ab Incarnatione Domini DCCXV. animam ad perenne gaudium emisit. B

INTER hæc Beccel conspicit cælesti splendore domum repleri, turrímque velut igneam è terra in cælum erigi, ad cuius comparationem sol quasi lucerna in die pallescere videbatur. Cantibus quoque Angelicis spatium totius aëris detonari audiebatur: insula etiam diuersorum aromatum odoriferis spiraminibus fragrat. Prædictus itaque frater valde tremefactus, eximiam coruscationem sufferre nō valens, arrepta naui virginem Christi Pegam adiuit, eíque fraterna mandata seriatim retulit. Quibus auditis, illa vehementer ingemuit. Postera verò die cum prædicto fratre Crolandiam venit, & tertia die felicia membra in Oratorio secundum iussionem eius sepeliuit: vbi Dominus postea propter amici sui merita in sanandis ægrotis plura miracula fecit.

AD ANNIVERSARIVM S. Guthlaci soror eius Pega Presbyteros & alios Ecclesiastici Ordinis viros aggregauit, & sepulchrum eius aperuit, vt corpus eius in aliud mausoleum transferret. Tunc totum corpus integrum quasi adhuc viueret inuenerunt: & vestimenta omnia quibus inuolutus erat, antiqua nouitate & pri- C stino splendore candebant. Mirantibus cunctis & stupentibus ac trementibus præ miraculo quod videbant; Pega spiritualiter commota sacrum corpus reuerenter in sindone, quam eo viuente Egbert Anachorita in hoc officium miserat, reuoluit, & sarcofagum super terram quasi quoddam memoriale posuit, vbi vsque hodie honorabiliter requiescit.

ILLVC præfatus exul Edelbaldus audita sancti viri morte mœrens adiit, cui post lacrymas & longam orationem in proxima casula dormienti sanctus vir apparuit; eúmque consolatus sceptrum regni antequam annus finiatur promisit. Signum quoque poscenti dedit, quod in crastinum ante horam tertiam habitatoribus Crolandiæ insperata victus solatia darentur. Nec mora effectus dicta sequitur. Vnde idem Edelbaldus postquam regnum adeptus est, miris ornamentorum structuris mausoleum venerabilis Guthlaci decorauit.

QVIDAM pater familias in Prouincia Vvisa oculorum lumen per annum perdidit, nec illud vllis pigmentorum fomentis recuperare potuit. Tandem cum fide D Crolandiam perductus, colloquium Virginis Christi Pegæ appetiit, cuius permissu intra Oratorium ad corpus sanctum recubuit. Illa verò partem glutinam salis à sancto viro ante consecratam in aquam rasit, & indè aquam inter palpebras cæci guttatim stillauit. Ad tactum primæ guttæ oculis lumen redditum est: vnde illuminatus paterfamilias per merita sancti Guthlaci gratias egit. Multi quoque alij diuersis infirmitatibus grauati, auditis rumoribus miraculorum beati Guthlaci, palustrem Crulandiam vbi sanctum corpus quiescit, adeunt: eiúsque meritis sanitatem integram adepti Deo gratias referunt.

HVC vsque Felicis Episcopi scripta de venerabili Guthlaco breuiter secutus sum, & huic Opusculo inserui ad laudem Dei & ædificationem morum fidelium. Cætera quæ restant de constructione Crulandensis Monasterij, & habitatione Cœnobitarum, ex vera relatione Ansgoti Subprioris aliorúmque proferam seniorum. Rex Edelbaldus vt beatum consolatorem suum miraculis coruscare comperit, locum sepulturæ eius gaudens expetiit, & ea quæ beato viro iam regnum adeptus

A ptus donauerat, seruientibus ei perenniter concessit. Nam quodam tempore dum idem Rex causa visitandi patronum suum antequam migraret Crulandiam veniret, & vir Dei quietam mansionem in eadem Insula sibi ab eo concedi postularet: quinque miliaria ad Orientem, id est ad fossam quæ Asendic dicitur, & tria ad Occidentem, duoque ad Meridiem, & duo ad Aquilonem concessit, & ab omni reditu atque consuetudine seculari omnibus modis absoluit, & inde Chartam sigillo suo signatam in præsentia Episcoporum Procerúmque suorum confirmauit. GVILLELMVS II. 1073.

Et quia palustris humus Crulandiæ (vt ipsum nomen intimat. Crulandia enim crudam, id est cænosam terram significat) lapideam molem sustinere non poterat, præfatus Rex ingentes ex quercu palos innumeræ multitudinis humo infigi fecit, durámque terram nouem miliariis per aquam de Vppalonda, id est superiori terra, scafis deferri, & paludibus commisceri statuit: & sic lapideam (quia sacer Guthlacus Oratorio contentus est ligneo) basilicam cœpit & consummauit. Deinde Religiosos ibi viros aggregauit, Cœnobium condidit, ornamentis & fundis aliisque B diuitiis locum ditauit, ad honorem Dei & sancti Anachoritæ, quem valde dilexerat, pro dulci consolatione, quam ab eo, dum exulabat, multoties perceperat. Eundem itaque locum omni vita sua dilexit, nec vnquam post primam instaurationem, quam idem Rex fecit, sedes Crulandiæ religiosorum habitatione Monachorum vsque in hodiernum diem caruit. Kevvlfus quidam in diebus illis magnæ famæ fuit, qui Monasterium S. Guthlaci per aliquod tempus rexit, à quo Kevvlfestan adhuc dicitur lapis, quem ipse pro limite contra Depingenses posuit.

Variis bellorum tempestatibus Anglia postmodum perturbata est, & barbaris sub Ducibus Iugar & Halfdene, ac Gudrun, aliisque tyrannis superuenientibus à Dacia vel Norregauia, Angligenarum Regum, qui naturaliter Angliæ præfuerant, mutatione facta Crulandense Monasterium depopulatum est, sicut alia plurima; ornamenta sua sibi sunt sublata, & villæ deuastatæ: laicique contra Canonicum ius in dominiũ redactæ. Sed diuina pietas, quæ permittit propter peccata populi hypocritas per aliquod tempus regnare: nouit etiam castigatis filiis temC pora serena per administrationem legitimorum Principum redintegrare. Vnde præfatis tyrannis (qui sanctum Edmundum Estanglorum Regem cum multis aliis fidelibus viris occiderunt, & Ecclesias Sanctorum, & habitacula Christianorũ igne succẽderunt) diuino nutu peremptis, vel alio quolibet modo deiectis: Alfredus Adeluulfi Regis filius Deo iuuante præualuit, & primus omnium Regũ Monarchiam totius Angliæ solus obtinuit. Post hunc Eduardus filius eius, qui senior cognominabatur, diu vtiliter regnauit; moriénsque tribus filiis suis Edelstano & Edmundo ac Edredo regnum reliquit. Qui regnum Angliæ omnes per ordinem tenuerunt, & quisque tempore suo laudabiliter regnare, & subiectis prodesse studuit.

Tempore Edredi Regis Turketelus quidam Clericus Lundoniensis fuit, qui à præfato Rege vt sibi Crulandiam donaret expetiit. Cui Rex quod petierat libenter annuit. Erat autem idem Clericus de regali progenie, cognatus Osketeli Eboracensis Metropolitæ; multas habens diuitias amplásque possessiones, quas omnes paruipendebat propter æternas mansiones. Crulandiam quippe, vt diximus, non pro augendis fundis à Rege poposcerat: sed quia religiosos ibi viros, in solitudine scilicet, quæ vndique paludibus & stagnis circundabatur, cognouerat, contemptis omnibus huius seculi delectamentis diuino cultui se D mancipare decreuerat. Ordinatis itaque prudenter rebus suis, Crulandiæ Monachus factus est, & aucta ibidem studio eius Monachorum congregatione, Magister eorum & Abbas nutu Dei & bonorum electione effectus est. Hic familiarissimus fuit amicus sanctis Præsulibus, qui tunc temporis regebant Ecclesiam Dei: Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi, Adeluuoldo Vvintoniensi, & Osuualdo Vvigornensi, & postmodum Archiepiscopo Eboracensi; eorúmque consiliis summo nisu sategit famulari. Hic (vt diximus) magnæ generositatis fuit, & LX. maneria de patrimonio parentum suorum possedit, pro quorum animabus sex villas, scilicet Vvenliburg & Bebi, Vviritorp & Elmintonam, Cotehham, & Oghintonam, Crulandensi Ecclesiæ dedit, & testamentum indè sigillo strenuissimi Regis Edgari filij Edmundi Regis signatum confirmauit. Dunstanus etiam Archiepiscopus cum suffraganeis suis prædictarum rerum donationem facto Crucis in Charta

GVILLELMVS II 1073. signo corroborauit: & quisquis præfatæ Ecclesiæ de prænominatis abstulerit, nisi A digna satisfactione emendauerit, æternæ maledictionis anathemate excommunicauit.

DENIQVE post multum temporis Turketelo IV. Idus Iulij defuncto, Egelricus nepos eius successit, & completo vitæ suæ cursu, alij Egelrico, qui de cognatione eius erat, Abbatiam Crulandiæ dimisit. Quo defuncto Osketelus magnæ nobilitatis Monachus, eiusdem Ecclesiæ Abbas effectus est. Porro Lenioua soror eius Enolfesburiæ Domina erat: vbi tunc temporis corpus S. Neoti Abbatis & Confessoris iacebat: sed dignum tanto viro seruicium ibi tunc non fiebat. Vnde præfata mulier Vvithelesiam accessit, & fratrem suum Osketelum Abbatem cum quibusdam Crulandensibus Monachis illuc accersiit; ibique corpus S. Neoti, quod reuerenter secum detulerat, Monachis quos digniores se credebat tradidit. At illi munus sibi à Deo collatum gratanter susceperunt, & iuxta altare sanctæ Dei genitricis Mariæ in Aquilonari parte honorabiliter collocauerunt. Ibi vsque hodie à fidelibus veneranter excolitur, eiúsque festiuitas II. Kal. Augusti celebratur. Osketelo autem XII. Kal. Nouembris defuncto, Godricus successit. Quo viam vniuersæ carnis XIV. Kal. Februarij ingrediente, Brithmerus Abbatiam suscepit. B

TVNC temporis Pegelandæ Cœnobium erat, cui nobilis vir Vvlfgeatus Abbas præerat. Illic etenim sancta Pega soror S. Guthlaci diu Domino militauerat. Quæ postquam venerandus frater defunctus est, austeriori labore vitam suam pro amore Christi examinare satis conata est. Vnde Romam adiit, sanctorum Apostolorum limina supplex pro se suísque requisiuit, ibique VI. Idus Ianuarij gloriosè vitam finiuit. In Ecclesia, quæ ibidem in honore eius à fidelibus condita est, tumulata quiescit, multísque virtutibus his, qui fideliter eam deposcunt, piè succurrens veneranda nitescit.

POSTQVAM Brithmerus Crulandiæ Abbas VIII. Idus Aprilis obiit, Vvlfgeatus Pegelandæ Pater Eduardum Regem Egelredi filium petiit, vt greges duum Cœnobiorum permitteret adunari, Deique ad laudem sub vno Abbate & sub vna lege vnum Conuentum effici. Quod ille mox benigniter concessit. Vvlfgeatus itaque postquam longo tempore Crulandiæ curam gessit, Nonas Iulij obiit: & Vlfketelus Burgensis Ecclesiæ Monachus Crulandiæ regimen à Rege Eduardo iubente Leofrico Abbate suo suscepit. Hic XXIV. annis Crulandiæ præfuit, Ecclesiámque nouam (quia vetus ruinam minabatur) construere cœpit. Eius ad hoc opus inspirante Deo Vvalleuus Comes Nortamtoniensis filius Svvardi Ducis Northumbrorum adiutor fuit; & villam, quæ Bernecha dicitur, seruientibus Deo & S. Guthlaco dedit. Qui non multò pòst malignitate Normannorum, qui ei nimis inuidebant, eúmque pro ingenti probitate eius metuebant, iniustè cũ luctu multorũ pridie Kal. Iunij Guintoniæ decollatus est: & corpus eius Iuditha vxore eius rogãte, & Guillelmo Rege permittente, ab Vlfketelo Abbate Crulandiam delatum est. C

POST non multum temporis præfatus Abbas, quoniam Angligena erat, & Normannis exosus, ab æmulis accusatus est, & à Lanfranco Archiepiscopo depositus & Glestoniæ claustro deputatus est. Deinde Ingulfus Fontinellensis Monachus Abbatiam Crulandiæ dono Guillelmi Regis recepit, & XXIV. annis per plurimas aduersitates rexit. Hic natione Anglicus erat, scriba Regis fuerat, postmodum Hierusalem perrexerat. Vnde reuersus Fontinellam expetiit; & à viro eruditissimo Gerberto eiusdem Cœnobij Abbate Monachilem habitum suscepit, sub quo iam in Ordine instructus Prioratum administrauit. Hunc ab Abbate suo Rex, quia priùs eum nouerat, requisiuit; & Crulandensibus præposuit. Qui postquam Crulandiæ regimen habuit, prædecessori suo precibus beniuolis apud Guillelmum Regem subuenire sategit. Vlfketelus itaque permissu Regis Burgum, ad suam scilicet Ecclesiam, rediit: ibique post aliquot annos VII. Idus Iunij obiit. D

PORRO Abbas Ingulfus prout potuit suscepto Monasterio subuenire studuit; sed aduersa nutu Dei quamplurima pertulit. Nam pars Ecclesiæ cum officinis & vestibus & libris, multísque aliis rebus necessariis repentino igne combusta est. Ipse quoque graui morbo podagræ detentus, diu ante mortem suam languit: sed viuaci animo subditis prodesse non desiit. Hic corpus Gualleui Comitis

A de Capitulo iussit in Ecclesiam transferri, & aquam, vnde ossa lauarentur, Calefieri. Sed postquam Sarcofagi opertorium reuolutum est, corpus XVI. dormitionis suæ anno integrum sicut in die quo sepultum fuerat, & caput corpori coniunctum repertum est. Filum tātummodo quasi pro signo decollationis rubicundum viderunt Monachi & laici quamplures qui affuerunt. Translato autem in Ecclesia corpore & honorabiliter sepulto prope altare, miracula ibidem facta sunt sæpissimè. Hoc veraciter ægri experiuntur, qui cum fide petentes optatæ sanitatis gaudium crebrò adipiscuntur. GVILLELMVS II. 1073.

TANDEM Iugulfo Abbate XVI. Kal. Decembris defuncto Goisfredus successit, & in multis Ecclesiæ Crulandensi & habitatoribus eius studio bonitatis & honestatis profuit. Hic genere fuit Francigena ex vrbe Aurelianensi, scholas liberalium artium secutus ab æuo puerili, affatim imbutus pueritia litterali, mundum perosus, desiderióque flagrans cælesti Monachile stemma in Cœnobio S. Ebrulfi Abbatis suscepit, quod idem sanctus tēpore Childeberti Regis Francorum apud Vticum construxit. B Ibi nimirū, quia locus idem magis religione quàm diuitiis secularibus abundat, Goisfredus tyro sub Mainerio Abbate, qui magni feruoris pollebat, Monachile iugum suscepit: & per diuersa officia probatus post annos XV. conuersionis suæ ad Prioratus ministeriū promoueri promeruit. Denique anno ab Incarn. Domini MCIX. iussu Henrici Regis Anglorum Crulandensis Ecclesiæ regimen suscepit, nouámque basilicam pulcherrimi operis, & alia bona quamplurima iam inchoauit, & per XV. annos quibus Abbatis officium gessit, ad salutem sui sibíque subiectorum, iuuante Deo consummare studuit.

HVIVS regiminis anno III. ad tumbam Gualleui Comitis miracula demonstrari primitus cœperunt, quorum auditis rumoribus Angli valde lætati sunt: & Anglicæ plebes ad tumulum sancti compatriotæ, quem à Deo iam glorificari signis multiplicibus audiunt, tam pro gaudio nouæ rei quàm pro suis necessitatibus deprecaturi frequenter accurrunt. Quod vt quidam de Normannis Monachus nomine Audinus vidit, vehementer stomachatus aduenientes derisit, & præfato Comiti cum irrisione detraxit, dicens quòd nequam traditor fuerit, & pro reatu suo C capitis obtruncatione multari meruerit. Hoc vt Goisfredus Abbas audiuit, dulciter eum (quia extraneus erat) redarguit, dicens quòd diuinis operibus non deberet detrahere: quia Deus pollicitus est vsque ad consummationem seculi præsentiam suam fidelibus suis exhibere; & promittit ex intimo corde pœnitentibus potum dare de fonte suæ infatigabilis misericordiæ. Protinus dum idem Abbas talia dicendo temeritatem insipientis compescere vellet, & ille magis magísque incongrua verba proferret, in præsentia sæpe dicti Patris subita infirmitate in præcordiis percussus est, & post paucos dies in Ecclesia S. Albani prothomartyris Anglorum, vbi Monachilem professionem fecerat, defunctus est. Sequenti verò nocte Goisfredus Abbas dum in lecto quiesceret, & de supradictis euentibus plura secum subtiliter tractaret: mox in visu se astare loculo Gualleui Comitis videt, sanctósque Dei Bartholomæum Apostolum & Guthlacum Anachoritam in albis nitentes astare D secum videt. Apostolus verò, vt videbatur, caput Comitis corpori redintegratum accipiens dicebat: Acephalus non est. Econtra Guthlacus, qui ad pedes stabat, respondit: Comes hic fuit. Apostolus autem incœptum Monadicon sic perfecit: At modo Rex est. Abbas his auditis & relatis fratribus illos lætificauit, Dominúmque Deum glorificauit: qui omni tempore credentibus in se clementiam suam impendere non desistit. Consummatis in regimine XV. annis venerandus Abbas & sacerdos Goisfredus Nonas Iunij obiit: cui Gualleuus Angligena Crulandensis Cœnobij Monachus frater Gospatritij de magna nobilitate Anglorum successit. Miraculis siquidem Crulandiæ crebrescentibus Monachi gauisi sunt, & tanti Comitis corpus pro posse suo gratanter honorauerunt: & Vitali Angligenæ versibus heroïcis epitaphium eius edere iusserunt. Mox ille iussis paruit, & corde meditata sic protulit.

En tegit iste lapis hominem magnæ probitatis:
Danigenæ Comitis Svvardi filius audax
Gualleuus Comes eximius iacet hic tumulatus.
Vixit honorandus, armis animísque timendus:

GVILLELMVS II. 1073.

Et tamen inter opes corruptibiles & honores A
Christum dilexit, Christóque placere sategit.
Ecclesiam coluit, Clerum reuerenter amauit,
Præcipuè Monachos Crulandenses sibi fidos.
Denique Iudicibus Normannis ense peremptus
Luce sub extrema Maij petit artubus arua.
Cuius heri gleba Crulandia gaudet aquosa,
Quam dum viuebat valdè reuerenter amabat.
Omnipotens animæ requiem det in ætheris arce.

Pro interfectione Gualleui Comitis Guillelmus Rex à multis reprehensus est, & multis contra eum insurgentibus iusto Dei iudicio multa aduersa perpessus est: nec vmquam postea diuturna pace potitus est. Ipse quidem contra omnes (quia animosus erat) viriliter restitit: sed prosperis euentibus ad votum vt antea non tripudiauit, nec crebris victoriarum titulis exultauit. In tredecim annis, quibus postmodum vixit, armatorum aciem de campo non fugauit, nec oppidum obsi- B dens bellica virtute cepit. Omnipotens arbiter omnia iustè disponit, nullúmque facinus impunitum relinquit; quia hîc aut in futuro seculo omnia punit.

GVILLELMVS Rex cupiens fines suos dilatare, sibique Britones, vt sibi obsecundarent (sicut olim Rolloni & Vvillermo, aliísque Ducibus Normannicis seruierant) volens subiugare, cum ingenti exercitu Dolense oppidum obsedit, multísque terroribus & minis castrenses terruit: nec se indè discessurum, nisi munitionem obtineret, cum iuramento asseruit. Denique nutu Dei regentis omnia res aliter euenit. Nam sæpedictus Rex dum in tentoriis suis superbè moraretur; & in diuitiis suis vt potens gloriaretur, Alannum Ferganum Comitem Britanniæ cum multis armatorum agminibus suppetias obsessis properare audiuit, territúsque cum castrensibus qui de auxilio sibi aduenienti nihil adhuc nouerant, pacem iniit, & confestim non sine magno rerum damno recessit. Tentoria & manticas cum vasis & armis & multimoda supellectili celeriter abeuntes reliquerunt: quarum rerum dispendium ad XV. milia librarum sterilensium perdentes cum multis gemitibus C æstimauerunt. Deinde prudens Rex, vt se vincere virtute Britones non posse prospexit, aliud consilium sibi posterísque suis commodum solerter præcogitauit. Cum ALANNO FERGANO fœdus amicitiæ firmauit, eíque CONSTANTIAM filiã suã in coniugium Cadomi honorificè copulauit. Quæ cum viro suo ferè XV. annis venerabiliter vixit, & toto affectu subiectis & coëssentibus prodesse studuit. Semper enim nectari pacis inhiauit, pauperes amauit, omnésque Dei cultores veneranter honorauit, quos nimirum sine liberis moriens contristauit. Amatores æquitatis in Britannia multum exultarent, si de fortunata progenie laudabiles sibi heredes imperarent; qui gemina bonitate indomitis Britonibus iustitiæ libram insinuarent, eósque secundum normam diuinæ legis & humanæ rationis ire cogerent. FERGANNVS Comes post obitum Constantiæ filiam Comitis Andegauorum vxorem duxit, ex qua filium nomine Conanum genuit: cui nuper Henricus Rex Anglorum filiam suam in matrimonio pro connexione pacis coniunxit.

CIRCA hæc tẽpora reuerendus AINARDVS Diuensium primus Abbas in lectum D decidit, & completis in eo quæ seruum Dei competunt, XIX. Kal. Februarij obiit. Hic fuit natione Teutonicus, geminàque scientia pleniter imbutus: versificandi & modulandi cantúsque suaues edendi peritissimus. Hoc euidenter probari potest in Historiis Kiliani Guirciburgensis Episcopi, & Katherinæ Virginis, aliísque plurimis Cantibus quos eleganter idem edidit in laudem Creatoris. In iuuentute verò studio religionis flagrans venerabilem Isembertum Abbatem expetiit, eiúsque disciplinis se gratanter pro amore Dei submisit; & in Cœnobio S. Trinitatis, quod Goscelinus de Archis in monte Rotomagi ad Orientalem plagam construxerat, Monachatum suscepit. Indè nutu diuino ab Ecclesiæ Rectoribus anno Dominicæ Incar. MXLVI. pertractus est, ac super candelabrum, vt luceret omnibus qui in domo sunt, positus est. Ordinatus autem Diuensis Abbatiæ (quam Lezscelina Comitissa Guillelmi Aucensis Comitis vxor construxerat) curam suscepit, annísque XXXI. benè viuens & docens vtiliter tenuit: & senex plenúsque dierum cursum præsentis vitæ compleuit. Venerabilis Durandus Troarnensis

A Abbas corpus eius in basilica S. Mariæ sepeliuit, & memorabile carmen; quod super laminam mausolei eius sculperetur edidit; in quo mores & virtutes præfati Archimãdritæ, & carismata quæ diuinitus inserta illi fuerãt; luculenter sic patefecit.

Hic iacet Ainardus redolens vt pistica nardus
Virtutum multis floribus & meritis:
A quo fundatus locus est hic; ædificatus
Ingenti studio, nec modico precio.
Vir fuit hic magnus, probitate suauis vt agnus;
Vita conspicuus, dogmate præcipuus;
Sobrius & castus, prudens, simplex & honestus;
Pollens consilio; clarus in officio.
Mentis huic grauitas erat; & maturior ætas,
Canáque cæsaries, sed tenuis facies.
Quem nonas decimas Februo promente Kalendas;
B *Abstulit vltima sors; & rapuit cita mors.*
Pro quo qui transis supplex orare memor sis,
Vt sit ei saties alma Dei facies.

DIVENSIS Ecclesia Rectore proprio viduata Fulconi Vticesium Priori ad regendum data est: & ipse à Roberto Salariensi Episcopo Abbas consecratus est. Præfata Domus ab ipso tempore Guillelmi Regis, & Rodberti secundi Ducis pluribus annis guberna ta est, & magnificè secundum opportunitatem temporis prouecta est. Quatuor prædictus heros secum duxit Vticenses Monachos, Bernardum cognomento Mathæum cognatum suum, & Ricardum, Guillelmum de Monsterolo, & Turchetillum: promptos & vtiles librarios, & in diuino cultu peritissimos. Hic nimirum pacifici adiutores ei fuerunt, & primi ad iugum Domini ferendum nocte diéque humeros suos auidè supposuerunt: aliísque alacriter, *Venite nobiscum in Bethel*, verbo & indeficienti exemplo coëssentibus suis dixerunt.

TVRBVLENTIS tempestatibus, quas à Cœnomanensibus & Normannis permotas esse diximus, fomes (vt ferunt) & causa fuit Rodbertus Regis filius. Nam C Guillelmus Princeps ante Senlaicium bellum, & post in quadam sua ægritudine Robertum primogenitam sobolem suam fecerat suum heredem: & iussit omnes Optimates ei facere homagium & fidelitatem. At illi gratanter imperanti acquieuerunt. Adolescens autem post mortem Margaritæ sponsæ suæ ambitione iuuenili noxióque sodaliũ instinctu debitos honores requisiuit à patre, Principatum videlicet Cœnomãnorum & Neustriæ. Porro prouidus pater hinc indè multa circumspiciens, postulata denegauit; filióque suo ad nanciscendum quæ petierat tempus opportunum benè præstolari persuasit. Ille verò quòd à patre nil cõsequi poterat ægrè tulit; & arroganter contra eum plerúmque litigauit. Erat enim loquax & prodigus, audax & in armis probissimus, fortis certúsque sagittarius, voce clara & libera, lingua diserta, facie obesa, corpore pingui, breuíque statura, vnde vulgo Gambarom cognominatus est, & Breuis-ocrea.

QVONDAM dum Rex contra Corbonienses expeditionem facere præpararet, & in oppido Richerij (quòd pro nido Aquilæ ibidem in quercu reperto dum castrum à Fulberto fieret, Aquila dicitur) in domo Gunherij hospitaretur, lis inter D filios Regis oritur dæmonica, vnde postmodum multæ pullulauerunt lites & facinora. Nam duo fratres, Guillelmus Rufus, & Henricus, patri fauebant: virésque suas fraternis viribus æquas arbitrantes indignum ducebant, quòd frater eorum solus habere patrium ius ambiebat, & agmine clientum sibi obsequente par patri æstimari peroptabat. Vnde in Aquilensi castro ad hospitium Rodberti, quod in domo Rogerij Calcegij susceperat, venerunt: ibique super solarium (sicut militibus moris est) tesseris ludere cœperunt. Deinde ingentem strepitum fecere, & aquam super Rodbertum & asseclas eius, qui subtus erant, fudere. Tunc Iuo & Albericus de Grentemaisnilio dixerunt Roberto: Vt quid tantam pateris iniuriam? Ecce fratres tui super caput tuum ascenderunt, & immũdiciis in contemptu tuo nos tecum polluũt. Nõnne vides quid hoc significat? Lippis etiam liquidò patet. Nisi festinãter infectum tibi dedecus punieris, deiectus es: nec vltra resurgere vales. His siquidem auditis furibundus surrexit, & in cœnaculũ contra fratres suos irrepere accelerauit.

GVILLELMVS II. 1073. Mox orto clamore, de hospitio suo Rex accurrit, & regali auctoritate filiorum iurgia suorum ad tempus compescuit. Sequenti verò nocte Rodbertus cum pedissequis suis equitatum Regis deseruit, Rothomagum expetiit, & arcem regiam furtim præoccupare sategit. Verùm Rogerius de Iberico pincerna Regis, qui turrim custodiebat, vt conatus insidiantium præcognouit, contra fraudes malignantium diligenter arcem præmuniuit, missisque legatis ordinem rei Domino suo Regi celeriter intimauit. At ille nimis iratus factiosos omnes comprehendi iussit. Illi verò edictum huiusmodi audientes admodum territi sunt; & quibusdam captis alij extorres fugerunt, & extera petentes saluati sunt. A

TVNC Hugo de Nouocastello nepos & heres Alberti Ribaldi primus prædictos exules suscepit, eisque Nouumcastellum, Raimalast, atque Sorellum, aliáque municipia sua pro depopulanda Neústria patefecit. Erat enim gener Rogerij Comitis habens in matrimonio Mabiliam sororem Roberti Belesmensis, qui Regis filium secutus fuerat cum Radulpho de Conchis, aliísque plurimis. Prauo quippe ausu desertores detestabile nefas exorsi sunt, & oppida diuitésque fundos B pro inani spe & promissis floccipendendis reliquerunt. Rex autem terras eorum manu propria sibi subegit, & de redditibus eorum stipendarios dimicantes contra eosdem remunerauit.

HIS motionibus incolæ & vicini terribiliter agitati sunt, & arma passim contra Regem vel pro Rege leuauerunt. Galli & Britones, Cœnomanni & Andegauenses, aliíque populi fluctuabant, & quem meritò sequi deberent ignorabant. Bellis itaque passim insurgentibus cordatus Rex exercitum aggregauit, & in hostes pergens cum Rotrone Mauritaniensi Comite pacem fecit. Hic nimirum dum terras Carnotensis Ecclesiæ, quæ perpetuæ Virgini Mariæ dedicata est, plerúmque prædaretur, & ab Episcopo cum Clero frequenter ob hoc redargueretur, & incorrigibilis perseuerans excommunicaretur; animaduersione diuina obsurduit, & sic ad mortē vsque surdus permansit. Rex Guillelmus hunc precio cōduxit, secúmque ad obsidionem, quia Raimalast de feudo eius erat, minauit. Quatuor castra in giro firmauit, ibíque milites ad arcendos castrenses aptos locauit. Interea dum quadam die Aimericus die Vilereio dapiferum Regis Francorum qui ad eum diuerterat, deduxisset, & cum tribus militibus ad castrum suum vbi hostes Regis tutabantur remearet, forte de regia phalange quatuor equites exierunt, eique obuiantes C aditum iam proximæ munitionis suæ obturauerunt, ipsúmque percutientes ilico peremerunt. Deinde cadauer infausti prædonis velut occisum suem super equum sustulerunt, & delatum ante mappalia Rogerij Comitis, contra quem diu hostiliter sæuierat, proiecerunt. Gulferius autem filius eius tam diro patris infortunio territus pacem cum Rege pepigit: eique postmodum & heredibus eius per annos fermè quinquaginta fidelis extitit.

MVLTA terrigenis imminent infortunia, quæ si diligenter scriberentur omnia, ingentia replerent volumina. Nunc hiemali frigore rigens aliis occupationibus vacabo, præsentémque Libellum hîc terminare fatigatus decerno. Redeunte verò placidi veris sereno, ea quæ minus plenè disserui, siue quæ restant in sequentibus replicabo: Deóque iuuante, casus guerræ pacísque nostratium veraci stilo D copiosè dilucidabo.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER QVINTVS.

A MAIORVM exempla sectantes lethale ocium indesinenter debemus deuitare, vtilique studio ac salubri exercitio feruenter insudare: quibus intenta mens à viciis emundatur, & in omne nefas vitali disciplina gloriosè armatur. *In desideriis est* (vt ait Salomon) *omnis ociosus.* Et, *Desideria occidunt pigrum.* Piger nimirum & ociosus est, qui bona voluntate carens, sponte viciis submissus est. Miserabiliter segnicie premi iudicatur, qui in lege Domini die ac nocte, id est in prosperis & aduersis non meditatur: nec insidiis seu luctatibus Sathanæ reluctando resistere conatur, vt supernæ vocationis brauium adipisci mereatur. Hunc proculdubio nociua desideria occidunt, dum in bono torpentem ad scelus pertrahunt, & per amplam proprij libitus viam in baratrum perditionis immergunt. Maiores igitur nostri pigritiam & ociositatem animæ inimicam penitus condemnant, suósque sequaces ad commodum laborem & exercitium verbis & exemplis inuitant; & in hac re non solùm Christiani, sed etiam Poëtæ gentiles consonant. Ait enim Virgilius. Gvillelmvs II. 1075.

Quid labor aut benefacta iuuant? labor omnia vincit
B *Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.*

Ouidius quoque libidini resistere volentem sic instruit contra Venerem, dicens:

Ocia corrodunt mentes, & corpora frangunt.
Fac fugias monitis ocia prima meis.
Ocia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptaque iacent, & sine luce faces.

HÆC & alia huiusmodi diligenter perpendens, Pater Guarine, aliquid quod aliquibus in domo Dei fidelibus prosit seu placeat, decreui simpliciter edere, arreptum sedimen vigilanter tenere, ne cum seruo torpente pro absconso in terra talento damner, Domino ad iudicium veniente. Primo itaque præceptis venerandi Rogerij Abbatis, & postea vestris optaui parere: Opusculum incipiens de statu Vticensis Ecclesiæ, quod Priores nostri sese mutuò exhortati sunt facere, sed nullus eorum C voluit hoc incipere. Nam quisque silere quàm loqui maluit, & securam quietem edaci curæ transactas res indagandi præposuit. Libenter quippe legissent actus Abbatum fratrúmque suorum, & paruarum collectionem rerum suarum: quæ ab egenis, sed deuotis fundatoribus tenuiter auctæ sunt ingeti sollicitudine Patrum; sed ad dictandi seu scribendi sedimen suum renuerunt curuare ingenium. Tandem ego de extremis Merciorum finibus decennis Angligena huc aduectus, barbarúsque & ignotus aduena callentibus indigenis admixtus, inspirante Deo Normannorum gesta & euentus Normannis promere scripto sum conatus. Iam duos opitulante Deo libellos edidi, quibus de reparatione Sedis nostræ, & de tribus Abbatibus nostris, cum quibusdam casibus temporis illius breuiter inserui: veraciter allegans, prout ab annosis senioribus diligenter exquisiui. Amodo tertium ab anno Incarnationis Dominicæ MLXXV. Libellum exordiar, & de Abbate meo ac Vticensi concione, & de rebus per XII. annos, scilicet vsque ad Guillelmi Regis obitum gestis lo-

GVILLELMVS II. 1075. quar. A præfato nempe anno placet inchoare præsens Opusculum, quo in hanc lucem XIV. Kal. Martij ex matris vtero profusus sum, Sabbatóque sequentis Paschæ apud Ettingeshan in Ecclesia sancti Eattæ Confessoris, quæ sita est super Sabrinam fluuium per ministerium Ordrici Sacerdotis sacro fonte renatus sum. Post quinquennium Sivvado nobili Presbytero litteris erudiendus à genitore traditus sum, cuius magisterio prima percipiens rudimenta quinque annis subiugatus sum. Vndecimo autem ætatis meæ anno pro amore Dei à proprio genitore abdicatus sum, & de Anglia in Normanniam tenellus exul, vt æterno Regi militarem, destinatus sum. Deinde à venerabili Patre Mainerio susceptus, Monachilis habitus trabea togatus, sinceróque Monachorum Conuentui fœdere indissolubili sociatus, iam XLII. annis plene iugum Domini gratanter baiulaui, & cum coæuis meis secundum Regulæ institutionem in via Dei pro posse meo alacriter ambulaui. Ecclesiasticum morem & seruitium ediscere laboraui, & semper ad aliquid vtile ingenium applicaui. A

SI Pontifices nostri aliique Rectores Orbis tantæ sanitatis essent, vt pro illis, & per illos miracula diuinitus fierēt, sicut olim ab antiquis Patribus crebrò facta sunt, atque sparsim diffusa per Codices, lectorum corda suauiter imbuūt, & gloriam priorum miranda magistrorum signa præsentibus recolunt: excusso torpore memetipsum exercerem, & digna relatu notitiæ posterorum auidæ scripto transmitterem. Verùm quia nunc est illa tempestas, qua multorum refrigescit caritas, & abundat iniquitas; sanctitatis indicia cessant miracula, & multiplicantur facinora, ac luctuosa in mundo querimonia. Historiographis ad scribendum vberius thema dant Præsulum litigia, & cruenta Principum prælia, quàm Theologorum syntagmata, vel Xerophagorum parsimonia siue prodigia. Antichristi tempus appropinquat, ante cuius faciem (vt Dominus beato Iob insinuat) præcedet egestas miraculorum, nimiúmque in his qui se carnaliter amant grassabitur rabies vitiorum. Nunc audacter in nomine Domini prosequar quod cœpi, venerabilis Abba, benigniter fisus quòd vestra corriget solertia quicquid mea deliquerit inscitia. B

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXV. Indictione XIII. Guillelmus Rex Fiscanni sanctum Pascha celebrauit, Ceciliámque filiam suam per manum Ioannis Archiepiscopi Deo consecrandam obtulit. Quæ cum grandi diligentia in Cœnobio Cadomensi educata est, & multipliciter erudita, ibique sanctæ & indiuiduæ Trinitati dicata, sub venerabili Mathilde Abbatissa virgo permansit, sanctæ Regulæ fidelitate subiugata. Defuncta verò prædicta matre post annos XLVII. regiminis sui hæc successit, & ferè XIV. annis Sanctimonialium regimen laudabiliter gessit, annóque Dominicæ Incarnationis MCXXVII. III. Idus Iulij de hoc seculo migrauit. Sic quinquaginta duobus annis habitu & ordine studióque pio laudabiliter Monacha postquam à Patre oblata est Deo seruiuit, annóque XXVI. regni Henrici fratris sui obiit. C

DVM Rex Guillelmus in Neustria consisteret, terrámque suam cum Dei auxilio contra omnes aduersarios tutaret, Præsules Anglorum Lanfrancus Cantuariensis, & Thomas Eboracensis, atque Remigius Lincoliensis Romam abierunt, & à domno Gregorio Papa Senatúque Romano honorificentissimè suscepti sunt. De diuitiis Anglicis larga munera cupidis Romanis vbertim dederunt, suáque sic largitate cum facundia gemináque scientia mirabiles Latiis visi sunt. Legationes Guillelmi Regis, quas Antistites iam dicti cum muneribus detulerunt, Papa Clerúsque Romanus gratantissimè susceperunt, & priuilegia quæ per eos petierat, antecessoribus suis olim concessa libenter annuerunt. D

1077. ANNO ab Incarnatione Domini MLXXVII. Indictione XI. præfati Pontifices alacriter Roma redierunt, in quorum aduentu Rex & omnes indigenæ Normannici magnificè lætati sunt. Tunc basilicæ plures in Normannia cum ingenti tripudio dedicatæ sunt: ad quas Rex & Regina cum filiis suis Roberto atque Guillelmo, & ingenti frequentia Optimatum & populorum affuerunt. Matrices Ecclesiæ, Baiocensis, Ebroicensis Episcopatus, & Beccensis Cœnobij dedicatæ sunt in honore sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ.

EODEM quoque anno Cœnobialis basilica in honore sancti Stephani Protomartyris apud Cadomum dedicata est: cui à Rege & Proceribus eius locuples dos

A atque multarum copia gazarum data est. Harum dedicationes Ecclesiarum Ioannes Rotomagensis Archiepiscopus,& suffraganei eius Episcopi Normanniæ solemniter egerunt: cum quibus reuerendi Metropolitæ Lanfrancus,& Thomas,& multi Abbates,& mira populorum multitudo affuerunt. GVILLELMVS II. 1077.

VENERABILIS Herluinus Abbas dedicata Beccensi Ecclesia valde gauisus est,visóque quod vehementer in hoc seculo desiderauerat, vlteriùs inter mortales commorari dedignatus est. Hic anno Dominicæ Incarnationis MXXXIV. ætatis verò suæ XL. secularem militiam deseruit, vitam mutauit, & à domno Herberto Luxouiensi Episcopo sacræ religionis habitum suscepit. Deinde post tres annos ab eodem Præsule ordinatus est,atque Abbas constitutus est. Inde initium Beccense Cœnobium cœpit habere. Denique anno Dominicæ Incarnationis MLXXVIII. ætatis autem suæ LXXXIV. Monachatus verò XLIV. VII. Kal. Septembris defunctus est,& in Capitulo Monachorum honorificè tumulatus. Et interpositis paucis diebus post mortem eius Anselmus,qui tunc erat Prior eiusdem loci, Abbas ele-B ctus est. Sequenti anno in festiuitate sancti Petri, qui dicitur Cathedra, à domno Gisleberto Ebroicensi Episcopo consecratus est Abbas in Beccensi basilica. Hic Monachile iugum anno vitæ suæ XVII. subiit,& tribus annis Monachus claustralis sine prælatione vixit. Deinde post Lanfrancum XV. annis Prior extitit, aliísque XV. annis post Herluinum primum Abbatem Beccensium Abbas floruit. Inde ad Archiepiscopatum Cantuariæ post venerabilem Lanfrancum assumptus est: quem XVI. annis rexit,& multa aduersa perpessus est. Septimodecimo Archiepiscopatus anno, Monachatus autem XLIX. ætatísque suæ LXXVII. XI. Kal. Maij,feria IV. ante Cœnam Domini transiit è mundo.

QVIA imperiti homines fraudulenta prosperitate nimis extolluntur, varióque aduersitatum flatu fragiles vt arundo facilè hac & illac agitantur: ideò moderator omnium Deus aspera blandis blandè permiscet, vt mobiles mortalium ausus comprimat,ac salubriter temperet. Vnde dum Guillelmus Rex seculari pompa multum tumeret,& populus Neustriæ multimodo luxu fœdus maderet; nec sibi futura pro ingenti scelerum congerie prouideret; terribilis tonitrui fragor in Sanctuario Lu-C xouiensis basilicæ personuit,& plebem in Ecclesia Pontificali astantem intolerabilis ictus fulminis prostrauit. Nam quodam Dominico die in æstate dum manè celebrarentur sacræ mysteria Missæ, & infulatus Presbyter nomine Herbertus astaret ad altare, ingens chorușcatio repente facta est, quam formidabilis sonus & grauis ictus ilicò subsecutus est. Crucem,quæ super pulpitum turris stabat, percussit,confregit,& deiecit. Deinde terribiliter in ædem sanctam descendit, & super Crucifixum irruit,eíque manum & pedem percussit, miróque modo ferreos de cruce clauos euulsit. Tenebrosa caligo visus trementium hebetauit; & sintillans ignis per totam basilicam volauit,& octo viros vnamque mulierem peremit. Barbas & penes alióśque pilos virorum & mulierum exussit,teterrimúmque fœtorem vulgi naribus infudit. Vna mulier nomine Mª in angulo Ecclesiæ non sine magno pauore stetit, totúmque populum quasi exanimem per pauimentum iacentem pauens ipsa prospexit.

EVENTVS huiusmodi ante Natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ contigit, & D mox eodem tempore Hugo Luxouiensis Episcopus ægrotare cœpit. Mense Iulio languore ingrauescente mortem Præsul ineuitabilem sibi adesse persensit: seséque vt Dei seruus ad Domini sui Curiam iturus solerter conspexit, & pro villicatione sua rationem redditurus in timore magno se præparauit. Confessione & pœnitentia purgatus,oratione & fletuum imbre ablutus,salutaris mysterij communione feliciter instructus,Clericos & laicos,qui secum erant,commonuit,absoluit, benedixit. Ad vltimum verò rem quandam,vndè præcipuè mœstus erat,pro qua omnes sibi astantes sic exorauit: Viam vniuersæ carnis scio me ad præsens ingressurum; sed « valde contristor quod à Sede mea elongatus sum,nec video sponsam meam, cui or- « dinante Deo ferè XL. annis legitimè coniunctus sum. Vnde nunc precor vos om- « nes,quos olim amaui,nutriui,promoui,& honoraui,vt me hinc eiiciatis,& ad caris- « simam sponsam meam me deducatis. Ecclesiam sancti Petri Principis Apostolo- « um,quam venerabilis Herbertus prædecessor meus cœpit,perfeci, studiosè ador- « naui,honorificè dedicaui,& cultoribus necessariísque diuino seruitio vasis, aliísque «

GVILLELMVS II. apparatibus copiosè ditaui. Hanc cęlesti Domino supplex commendo, & in eius A gremio recumbere desidero, ibique secundum Saluatoris aduentum expectabo.
1077. His dictis omnes protinus consurgunt, decenti ad gestandum ferculo Præsulem imponunt, & de vico qui Pons Episcopi dicitur, Luxouium deducunt: ipsique illustres Clerici & honorabiles laici amantissimum Patrem deuehunt. Tandem dum festinare ad vrbē nituntur, morte obiter accelerāte in quandā planiciem herbosam digrediūtur, ibiq; cum lacrymis & orationibus exitū Præsulis sub diuo præstolātur.

Sol erat in Cancro radians splendore corusco,
Sparsis Pontificem velat radiis morientem.

In tanta claritate & loci amœnitate nobilis Antistes Hugo collocatus iacuit, & inter manus suorum Deo commendatus XVI. Kal. Augusti expirauit.

Sic obiit nostro vir non reparabilis æuo,
Gemma Sacerdotum, patriæque decus Pater Hugo.

Summus Pontifex Christus, cuius vices ad horam in terris gessit, semper ei propitius sit. Pons Episcopi quatuor leugis distat à Luxouio. In campo secus viam, vbi Flamen occubuit, crux erecta est, quæ vsque hodie Crux Episcopi nuncupata est. B Corpus verò eius Luxouium delatum est, sed sepultura eius vsque ad XVIII. dies pro litigio Canonicorum & Monacharum protelata est. Clerici enim in Episcopio eum sepelire volebant: sed Sanctimoniales simul acerrimè prohibentes dicebant: » Pater noster Hugo Abbatiam sanctæ Mariæ Dominæ nostræ construxit, nos illuc » ad Dei famulatum aggregauit, ac vt pater filias in timore Dei nos educauit. In Ec» clesia quam condidit locum sepulturæ sibi memor mortis elegit. Æterna morte » puniatur, qui soma Patris nostri filiabus suis auferre conatur.

Rotomagvm igitur ad Curiam Regis itur, & ab vtrisque partibus querimonia depromitur: sed regalis censura fragiliori magis sexui compatitur. Denique Rex accersito Ioanni Archiepiscopo commendat, vt Luxouium celeriter adeat, & Episcopi corpus in Oratorio sanctæ Mariæ decenter sepeliat. At ille, quia ferox & turgidus erat, & noxium rancorem iamdudum contra præfatum Præsulem animo gesserat, Regis præceptum furibundus contempsit, nec ad tumulandum Coëpiscopum suum ire voluit. Qui dum de Curia Regis per vrbem super mulam suam rediret, tumidéque loquens de causis imminentibus domui suæ appropinquaret, diuino C nutu subita passio illum percussit, turba palam spectante ad terram deiecit, bienniόque quo postmodum vixit, elinguem reddidit. Tunc Gislebertus Ebroicensis Episcopus cum multo fidelium agmine Luxouium vadit, & corpus Episcopi, astante Roberto Aucensi Comite, qui germanus eius erat, in choro Sanctimonialium conuenienter sepeliuit. Mausoleo tanti Pontificis congruus lapis appositus est, & Epitaphium Adonico metro, quod dactylo spondæόque constat, editum, in laminis cupri litteris aureis sic exaratum est.

Hic iacet Hugo Lexouiensis clarus honore,
Pontificatus nobilis éque sanguine Patrum.
Præditus idem stemmate morum non sine bino
Munere sensus, religione glorificandus.
Transitus eius Rege Philippo, tum Guilelmus
Rex erat Anglus, luce sequenti Phœbus iniuit
Signa Leonis, det Deus isti gaudia cæli, Amen. D

Ad regendum Luxouiensem Præsulatum Gislebertus cognomento Maminotus, Regis Archiater & Capellanus electus est, & à Michaële Abrincatensi Episcopo in præsentia Domni Ioannis Archiepiscopi (qui iam, vt diximus, obmutuerat) consecratus est. Hic filius Roberti de Curuaspina strenui militis fuit, XXIII. annis Episcopatum tenuit, & res Ecclesiæ potenter obtinuit. Artis medicinæ peritissimus erat, sed semetipsum in Pontificatu numquam satis curare poterat. Scientia litterarum & facundia pollebat, diuitiis & deliciis indesinenter affluebat, propriæ voluntati & carnis curæ nimis seruiebat. Ocio & quieti affatim studebat, ludísque alearum & tesserarum plerúmque indulgebat. In cultu Ecclesiastico erat piger & negligens, sed ad venatum, auiúmque capturam prōptus erat & feruens. Secularibus itaque exercitiis & actibus omni vita sua inhæsit, & sic vsque ad decrepitam ætatem suam vixit. Plura de actibus eius scribere possum, sed reprimo calamum, quia ab ipso

A ad Subdiaconatus gradũ cũ aliis, vt opinor, plus quam trecentis promotus sum. Vnde sicut quædam de illo protuli reprehensibilia, sic decet vt laudabilia promam & imitabilia. Eleemosynas pauperibus libenter porrigebat, largitate & dapsilitate sollerter & honorificè vigebat. In iudicio veritatem subtiliter inuestigabat, & rectitudinem procaciter defendere satis inhiabat, iustitiámque cunctis postulantibus gratis exhibebat. Peccatores reatus suos humiliter confitentes dulciter suscipiebat, & verè pœnitentibus rectum & salubre consilium prouidè suggerebat. Sacros Ordines & dedicationes, & alia huiusmodi ministeria religiosè & sollicitè peragebat: sed ad hæc agenda lentus erat & vix assurgebat, nec nisi multis multorum precibus incitatus cogeretur, inchoare volebat. In Ecclesia Lexouiensi eo tempore honorabiles erant personæ & illustres Archidiaconi atque Canonici, Guillelmus de Glandiuilla Decanus & Archidiaconus, Ricardus de Ansgeruuilla, & Guillelmus Pictauinus Archidiaconi, Goisfredus Tregauilla Thesaurarius, Turgisus Cantor, & Radulfus filius eius, aliíque plures quos Hugo educauerat, officiísque datis honorauerat. Hos nimirum præfatus successor eius sibi copulauit, fertilique documento Arithmeticæ & Astronomiæ, & multiplicis Physicæ, aliarúmque profundarum rerum erudiuit, B & familiares collegas conuiuiorum & colloquiorum sibi benigniter applicauit. GVILLELMVS II. 1077.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXIX. Ioannes Archiepiscopus octauo anno regiminis sui defunctus est, & in baptisterio basilicæ ad Aquilonem tumulatus est. Monumentum eius ex albo lapide factum est, in quo huiusmodi Epitaphium solerter insertum est. 1079.

Metropolita tuus iacet hîc Vrbs Rothomagensis,
Culmine de summo quo moriente ruis:
Ecclesia minuuntur opes, sacer Ordo tepescit,
Prouida religio quem sua constituit.
Hic neglecta diu Canonum decreta reformans
Instituit castè viuere Presbyteros.
Dona Dei sub eo venalia mille fuere,
Hinc & opes largas contulit Ecclesia.
Lingua diserta, genus, sapientia, sobria vita
C *Huic fuit, exiguus quem tegit iste lapis.*
Nona dies Septembris erat, cùm carne Ioannes
Expoliatus abit, sit sibi vera quies. Amen.

DEFVNCTO Ioanne Metropolitano Guillelmus Cadomensis Abbas Canonicè electus est, & de Monasterio suo, vbi regulariter vt probatus Monachus Deo famulabatur, ad tutandam Rotomagensem Ecclesiam adductus est. In Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ à magno Gisleberto Ebroicensi Episcopo consecratus est, & XLVI. post beatum Nigasium, quem sanctus Dionysius Parisiensis Pontifex primum Præsulem Rodomensibus præfecit, Rotomagensem Metropolim sortitus est. Hic bonus & iocundus ac mansuetus extitit, gregémque sibi diuinitus commissum XXXII. annis custodiuit. Matricem basilicam omnimodis ornatibus cultui diuino necessariis affatim locupletauit, & claustrum Episcopij domósque conuenientes à fundamentis eleganter renouauit. Corpus sancti Romani Præsulis de propria æde in metropolitanam basilicam gloriosè transtulit, & in scrinio auro argentóque cum preciosis lapidibus operosè cooperto reuerenter locaD uit. Solemnitatem quoque eius X. Kal. Nouembris per totam diocesim suam festiuè celebrari constituit, & generali edicto festiuam stationem ad sancti Pontificis corpus extra vrbem singulis annis fieri decreuit; ad quam parrochianos penè omnes monitis & absolutionibus atque benedictionibus inuitauit. Monachis & Clericis, omnibúsque sibi subiectis vt dulcis Pater blandiens profuit. Psalmis & Hymnis & Canticis spiritualibus, sacrísque mysteriis indesinenter sese mancipauit. Omnis ab illo fraus & amaritudo procul fuerunt. Nullum quærebat lædere, sed quibúsque indigentibus prout ratio iubebat succurrere. Cantor peritissimus erat, aptissimámque ad canendum vocem habebat. In vsu Ecclesiastico doctissimè instructus erat, & ad prędicandum indoctis verbum Dei, clara idoneáque locutione vigebat. Patientia & benignitate cunctos

GVILLELMVS II. secum coëssentes mulcebat, magnámque partem oneris sui Decanis & Archipresbyteris sine inuidia distribuebat; bonósque nihilominus ad participationem honoris auidè ascisscebat. A

1080. ANNO ab Incarnatione Domini MLXXX. Rex Guillelmus in festo Pentecostes apud Illebonam resedit, ibíque Guillelmum Archiepiscopum, & omnes Episcopos & Abbates, Comitésque, cum aliis Proceribus Normaniæ simul adesse præcepit. Vt Rex iussit factum est. Igitur octauo anno Papatus Domini Gregorij Papæ VII. celebre Concilium apud Iullam-bonam celebratum est: & de statu Ecclesiæ Dei, totiúsque regni prouidentia Regis cum Baronum suorum consilio vtiliter tractatum est. Statuta verò Concilij, sicut ab his qui interfuerunt, veraciter annotata sunt, volo hîc inserere; vt posteri discant, quales in Normannia leges fuerunt sub Guillelmo Rege.

I. PAX Dei (quæ vulgo treuia dicitur) sicut ipse Princeps Guillelmus eam in initio constituerat, firmiter teneatur, & per singulas parrochias dictis excommunicationibus renouetur. Qui verò seruare contempserint, vel aliquatenus fregerint, Episcopi secundum quod prius statutum est eos iudicando iustitiam faciant. Si B quis verò Episcopo suo inobediens fuerit, domino in cuius terra habitat, Episcopus hoc demonstret, & ille subdat eum Episcopali iustitiæ. Quod si & dominus facere contempserit, Regis Vicecomes per Episcopum inde requisitus omni remota excusatione faciat.

II. DE his, qui de parentela sua vxores tenent, vel vxores parentum suorum, Episcopi canonicam iustitiã exequantur. Rex enim inde nullum sustinet vel tuetur: sed potius Episcopos adiuuando admonet, vt lex Dei firmiter teneatur.

III. PRESBYTERI, Diaconi, Subdiaconi, & omnes Canonici & Decani nullam omnino feminã habeant. Quod si aliquis post eandem culpam visus fuerit incurrisse, si per ministros Episcopi indè prior fuerit accusatus, in Curia Episcopi se purgabit. Si verò parrochianorum vel dominorum suorum aliquis eum priùs accusauerit, habeat accusatus inducias vt cum Episcopo possit loqui: & si se purgare voluerit, in eadem parrochia cui seruit præsentibus parrochianis pluribus ante Episcopi ministros, & eorum iudicio se purgabit. Si verò purgare se non potuerit, Ecclesiam perdet irrecuperabiliter. C Hoc prædictus Rex statuit, non perenniter Episcopis suis auferendo debitam iustitiã; sed quia Episcopi eo tempore minus quàm conuenisset indè fecerant, donec ipse eorum videns emendationem eis redderet pro benefacto, quod tunc de manu eorum temporaliter tulerat pro commisso.

IIII. NVLLVS laicus in redditibus altaris, vel in sepultura, vel in tertia parte decimæ aliquid habeat; nec pecuniam per horum venditionẽ aliquatenus habeat, nec Presbyter indè seruitium faciat, nisi legationem Domini sui portet. Ita vt in eadem die ad seruitium Ecclesiæ reuertatur, & ad orationes (per Normanniam sollummodò) victum domini sui habens, si dominus voluerit, secum vadat: seruitium Ecclesiæ Presbyter interim curet.

V. PRESBYTERI ab Episcopis vel ab eorum ministris præter iustos redditus Episcopi vi vel minis dare nihil cogantur. Propter eorum feminas nulla pecuniæ emendatio exigatur.

VI. ARCHIDIACONI per Archidiaconatus suos semel in anno Presbyterorum suffraganeorum suorum vestimenta & calices & libros videant: designatis ab Episcopo in vnoquoque Archidiaconatu sollummodò tribus locis, vbi vicini Presbyteri ad hæc monstranda conuocentur. D

VII. QVANDO Archidiaconus ad hæc videnda venerit, à Presbyteris qui conueniunt triduò, si expedit, victum sibi habeat.

VIII. SI Presbyter forisfacturam fecerit de forestis Regis vel Baronum eius, nullam inde emendationem habebit Episcopus.

IX. PRESBYTERI semel in anno circa Pentecosten cum processionibus suis ad matrem Ecclesiam veniant; & de singulis domibus ceræ denerata, vel idem valens ad illuminandã Ecclesiam altari offeratur. Quod qui facere noluerit, à Presbytero suo per ministerium suum cogatur hoc soluere sine emendatione pecuniæ.

X. LAICVS Presbyterum non det vel adimat Ecclesiæ, nisi ex consensu Præsulis. Quem tamen, si recipiendus est, Episcopus non repellat; & si repellendus est, non retineat.

IN

A IN Cimiteriis Ecclesiarum, quæ in ciuitatibus vel castellis vel burgis sunt, quic- XI.
quid Episcopi tempore Rodberti Comitis vel Guillelmi Regis eius consensu ha- GVILLELMVS II.
buerunt, Episcopi rehabeant.

IN Cimiteriis verò, quæ in marchis sunt, si guerra fuerit, & aliqui ad habitandum XII.
ibi faciant mansionem dum guerra durauerit, & ipsi propter guerram in atrio manserint; nullam forisfacturam ab eis Episcopus habebit, nisi quam habuisset antequam ad atrium confugissent. Cùm autem pax facta fuerit, qui propter guerram illuc confugerant, de atrio exire cogantur, aut Episcopalibus legibus supponantur. Qui verò in prædictis Cimiteriis antiquitus manserunt, in antiqua quietudine permaneant.

ECCLESIÆ villarum quantum Cimiterij tempore Rodberti Comitis habue- XIII.
runt, vel vsque ad illud suprà scriptum Concilium habuerunt, tantùm habeant: & in eis illas consuetudines habeant Episcopi, quas tempore Rodberti Comitis vel Guillelmi Regis eius consensu habuerunt, nisi Episcopi concedente Rege Guillelmo aliquam consuetudinem fecerint.

SI post Concilium aliqua noua fit Ecclesia intrà villam, faciat Episcopus Cimite- XIV.
B rium consideratione dominorum & parrochianorum eiusdem Ecclesiæ. Si verò extra villam noua fit Ecclesia, vndique habebit quinque perticas Cimiterij.

SI Monachis donatur Ecclesia, Presbyter qui eandem tenet Ecclesiam honori- XV.
ficè teneat quicquid de eadem Ecclesia habuit, antequam Monachi eam haberent; & tantò melius quantò sanctioribus associatur hominibus. Eo autem mortuo vel aliquatenus deficiente, Abbas idoneum Presbyterum quærat, & Episcopo eum vel per se, vel per nuncium suum ostendat. Quem, si recipiendus est, Episcopus recipiat. Si vero Presbyter cum Monachis religiosè viuere voluerit: videat vt Ecclesia, quam Episcopali licentia intrauit, honestè tractetur, tam in vestimentis quàm Libris, & cæteris Ecclesiæ seruiendæ necessariis, secundum eiusdem Ecclesiæ facultatem. Quòd si Presbyter cum Monachis viuere noluerit, tantùm det ei Abbas de bonis Ecclesiæ, vnde & benè viuere, & Ecclesiæ seruitium conuenienter valeat Presbyter adimplere. Quod si Abbas facere noluerit, ab Episcopo conuenienter cogatur vt faciat. Presbyter verò Episcopo suo iustè subditus sit, & Episcopales redditus persoluat. Quæ verò superabundant, in vsus Monasterij sui Abbas habeat.
C Hoc idem in Ecclesiis Canonicorum obseruetur.

VIOLATIO Ecclesiæ & atrij, sicut superiùs determinatum est, & commissa pro XVI.
quibus diuinum officium remanet, Episcopis per pecuniam emendetur. Assultus in Ecclesiæ itinere similiter.

SI quis iratus persequitur alium in atrium vel in Ecclesiam, similiter. XVII.

SI laicus arat vel ædificat in atrio sine licentia Pontificali, similiter. XVIII.

SI clericus raptum fecerit vel furtum, vel aliquem percusserit, aut vulnerauerit, aut occiderit: si duellum sine licentia Episcopi susceperit, aut namnum ceperit, aut assultum fecerit, aut aliquid iniustè saisierit, aut incendium fecerit: aut manupastus eius, aut habitator atrij: similiter. XIX.

SI Clericus adulterium fecerit aut incestum, similiter. XX.

SI Presbyter de ministerio suo forisfecerit, similiter. XXI.

PRESBYTERI, qui ad Synodum venire neglixerint, similiter. XXII.

ET qui Synodum & circadam statutis terminis non reddiderit, similiter. XXIII.

SI Clericus coronam suam dimiserit, similiter. XXIV.

D SI Monachus vel Monacha, qui sunt sine regula, habitum suum dimiserint, similiter. XXV.

SI Presbyteri præter treuiæ Dei infractores & latrones sine licentia Episcopi excommunicauerint, similiter. XXVI.

SI erraticum habere (quod vulgo dicitur Vueridif) in Curiam Sacerdotis vel Cle- XXVII.
rici, qui in atrio manent, venerit, vel in eleemosynam eiusdem Ecclesiæ, vel in atrium Episcopi erit.

SI quid per contentionem in domo Presbyteri vel Clerici, vel in atrio Sacerdo- XXVIII.
ti vel Clerico, vel eorum manupasto relictum fuerit, Episcopi erit.

GVILIEL-MVS II. 1080. XXIX. SI QVIS Presbyterum aut Monachum aut Monacham assallierit, aut percusserit, aut ceperit, aut occiderit, aut domos eorum in atrio incenderit, similiter emendabit. Si quid in Ecclesia vel in atrio inueniatur, vel relinquatur, Episcopi erit. Si quis adulterium vel incestum fecerit, vel cum matrina, vel cum matre, vel filiola coïerit, similiter. Si mulier hoc idem fecerit, similiter. Si quis vxorem suam, vel si qua mulier virum suum sine iudicio Præsulis reliquerit, similiter. Qui mortuos consulunt, vel maleficia tractant, similiter. Qui intentum sibi crimen inficians vel negans ferri iudicio conuincitur (excepta Dei treuia) similiter. Qui iustitiæ resistens excommunicari se patitur, similiter. A

XXXVIII PARROCHIANORVM crimina Episcopo pertinentia vbi consuetudo fuit, Episcoporum iudicio examinentur.

XXXIX. SI contradictio iudicationis facta fuerit, ante Episcopum diffiniatur.

XL. SI ferri iudicium fuerit iudicatum, ante matrem Ecclesiam terminetur.

XLI. SI plana lex erit facienda, ibi fiat vbi placitum priùs fuit.

XLII. IN parrochia Episcopi sine licentia eius nullus audeat prædicare. B

XLIII. QVI in prædictas culpas inciderit, si sponte ad pœnitentiam venerit, pœnitentia ei pro qualitate criminis iniungatur, & pecunia nullatenus exigatur.

XLIV. SI laicus raptum in atrio fecerit, Episcopo emendabit. Si verò alibi fecerit, quocumque modo faciat, Episcopus nihil habebit.

XLV. HAS consuetudines habeant Episcopi in illis locis, in quibus eas tempore Rodberti Comitis vel Guillelmi Regis eius concessione hactenus habuerunt. Quæ verò quieta fuerunt, eam quietudinem habeant, quam huc vsque solidè tenuerunt. In his omnibus iustitiis & consuetudinibus Rex sibi retinet quod huc vsque habuit.

XLVI. SI Presbyter domini sui iudicio contradixerit de Ecclesiastica causa, & eum in Curiam Episcopi eundo iniustè fatigare fecerit, domino suo x. solidos emendabit.

XLVII. SI Episcopi aliquid quod non sit hîc scriptum in Regis Curia monstrare possunt, se habuisse tempore Rodberti Comitis, vel Guillelmi Regis eius concessione: Rex eis non tollit quin habeant: tantummodo illud nullatenus saisiscant, donec in Curia eius monstrent quod habere debeant. Similiter & laicis propter hoc scriptum Rex nil tollit, quod in Curia eius monstrare possint Episcopos non debere habere: tantummodo Episcopos indè non disaisiscant, donec in Curia Regis monstratum sit, quod Episcopi inde habere non debeant. C

HÆC Synodus in vico regali secus Sequanam celebrata est, vbi antiqua vrbs fuit, quæ Caletus ab incolis dicta est: à qua circumiacens pagus à mari vsque in Talaucium Calcegius vsque hodie appellatus est. Hanc (vt in antiquis Romanorum legitur gestis) Gaius Iulius Cæsar obsedit, & pro nimia bellatorum obstinatione intus acerrimè repugnantium subuertit. Deinde postquam hostes ibidem ad libitum compressit, considerata opportunitate loci, præsidium Romanorum prouidè constituit, & à nomine suo Iuliam-bonam (quam barbari nunc corrupto nomine Ille-bonam nuncupant) appellauit. Denique idem Cæsar omnem Neustriam solerter explorauit, & super Sequanam fluuium vrbem Rotomagum construi præcepit D in loco aptissimo, vbi ad Orientale caput vrbis, Albula* fluuius cum Rodebecco, & ab occasu Martona in Sequanam diffluit. Rodomus autem Romanorum domus ab ipsis conditoribus appellata est: vbi Legio Quiritum Prouinciales vndique gubernans & comprimens tutè commorata est.

*Aubetta

RODOMENSIS ciuitas populis est ac negotiorum commerciis opulentissima: portus quoque confluentia, & riuorum murmure, ac pratorum amœnitate iocundissima: fructuum & piscium, cunctarúmque rerum exuberantia ditissima; montibus & siluis vndique circumdata, muris ac vallis & propugnaculis validissima; mœniis & ædificiis domorum ac basilicarum pulcherrima. Ad hanc à sancto Dionysio tempore Domitiani Cæsaris beatus Nigasius Episcopus cum sociis suis destinatus est: sed obiter in quodam foro, quod Scamnis dicitur, à Sisinnio Fescennino comprehensus est, & constanter in fide Christi perseuerans, cum Quirino Presbytero, ac Scuuiculo Diacono, v. Idus

A Octobris decollatus est. Corpora verò eorum auibus, improbis canibus, ferisque voranda à persecutoribus derelicta sunt: sed iussu omnipotentis Dei ab Angelis intacta custodita sunt. Deinde postquam profani satellites recesserunt, succedenti nocte sancti Martyres diuina ope mirabiliter erecti sunt, & apprehensis capitibus suis fluuium Eptam vado hominibus incognito transierunt, & in insula eiusdem fluminis amœnissima requieuerunt. Ob memoriam Sanctorum, ille locus extunc vsque in hodiernum diem Vani, id est vadum Nigasij nuncupatus est: in quo Deus Martyrum meritis multa beneficia fideliter poscentibus largitus est. Prisca gentilitas obiter martyrisato Prædicatore Rotomagum diu possedit, & innumeris idolorum spurcitiis vsque ad sanctum Mellonem Archiepiscopum repleuit.

Eo tempore fides Christi Euanticorum, id est Ebroas vrbem super Ittonam fluuium sitam possidebat, & salubriter illuminabat. Nam illuc beatus Taurinus à Dionysio Machario directus fuerat, & à Deo confortatus multa miracula fecerat. B Deus enim cum eo erat semper, & omnia opera eius gloriosè dirigebat: pro quo dura & aspera huius seculi æquanimiter perferebat. Romanum Tarquinium patrem suum Euticiámque matrem piissimam Christi cultricem cum aliis amicis & cognatis Romæ reliquerat: & iussu Clementis Papæ cum Dionysio Ionico Gallias tenellus exul penetrarat. Grassante nimirum secunda persecutione, quæ sub Domitiano in Christianos furuit, prædictus Dionysius Parisiensis Episcopus Taurinum filiolum suum iam quadragenarium, Præsulem ordinauit: & (vaticinatis pluribus quæ passurus erat) Ebroicensibus in nomine Domini direxit. Viro Dei ad portas ciuitatis appropinquanti, dæmon in tribus figmentis se opposuit: scilicet in specie vrsi, & leonis, & bubali terrere athletam Christi voluit. Sed ille fortiter, vt inexpugnabilis murus in fide perstitit; & cœptum iter peregit, hospitiúmque in domo Lucij suscepit. Tertia die dum Taurinus ibidem populo prædicaret, & dulcedo fidei nouis auditoribus multùm placeret: dolens diabolus Eufrasiam Lucij filiam vexare cœpit, & in ignem iecit. Quæ statim mortua est; sed paulò pòst orante Taurino, ac iubente C vt resurgeret, in nomine Domini resuscitata est. Nullum in ea adustionis signum apparuit. Omnes igitur hoc miraculum videntes subitò territi sunt; & obstupescentes in Dominum Iesum Chaistum crediderunt. In illa die cxx. homines baptizati sunt. Octo cæci illuminati, & quatuor muti sanati, aliíque plures ex diuersis infirmitatibus in nomine Domini sunt curati.

Deinde Taurinus fanum Dianæ intrauit, Zabulónque coram populo visibilem astare in virtute Dei coëgit: quo viso Ethnica plebs valde timuit. Nam manifestè apparuit eis Æthiops niger vt fuligo, barbam habens prolixam, & scintillas igneas ex ore mittens. Deinde Angelus Domini splendidus vt sol aduenit, cunctísque cernentibus ligatis à dorso manibus dæmonem adduxit. In illa igitur die duo milia virorum baptizati sunt, & omnes infirmi ope diuina curati sunt. Hæc Deodatus Eufrasiæ frater vidit & credidit, & baptizatus Presbyterque factus hæc veraciter scripto retulit. Tunc Taurinus fœdum D Dianæ fanum intrauit, exorcismis & orationibus emundauit: Deóque templum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ dedicauit. Deinde cœpit circumquáque idola destruere, & Ecclesias Christo consecrare, omnem diocesim circumire, canonicè ordinare, hospitalitatem in omnibus constituere.

Invidvs sathan tot bona videns doluit, variísque machinationibus virum Dei lædere sategit, & multos in illum aduersarios excitauit. Duo Magi Cambisses & Zaraa sacerdotes Dianæ fuerunt, visáque conuersione populi ad Deum ingemuerunt, & xx. discipulos suos vt Taurinum perimerent concitauerunt. Qui venientes à viro Dei à longe visi & cogniti sunt: ipsóque Crucis signum contra illos faciente, ilicò fixi steterunt. Illo iterum iubente soluti sunt, & prouoluti pedibus eius crediderunt, & in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis baptizati sunt. Magi autem vt sua figmenta nihil in militem Christi valere compererunt, propriis se cultris interemerunt.

Interea Licinius Consul famam beati Pontificis audiuit, ipsúmque fi-

GVILLELMVS II. 1080. bi Gizaico villa præsentari fecit. Qui cùm traheretur, obuium habuit vnum A paralyticum, sororémque eius cæcam, surdam & mutam. Protinus ille aquam benedixit, ægros perfudit, & mox sanitati restituit. Carnifices hoc viderunt, & in Dominum statim crediderunt. Dum Præsul & Consul de idololatria & theosebia procaciter altercarentur, & Præsul iussu Consulis irrationabiliter furentis nudus virgis cæderetur, Deum fideliter deprecatus est, & mox voce de cœlo ad eum missa confortatus est. Manus quoque carnificum statim aruerunt. Licinius verò Leouillam vxorem suam, quia loquebatur pro viro Dei, ira succensus iussit cruciari.

DVM hæc agerentur, nuncius venit dicens filium eius in venatione circa castellum Alerci præcipitio mortuum cum armigero suo. Licinius ergo cum omni exercitu suo nimis contristatus est, & virum Dei, quem cruciare cœperat, nutu Dei rogare coactus est. Taurinus autem postquam in Ecclesia sanctæ Mariæ prostratus orauit, cum populo ad corpora defunctorum perrexit. Ibi deuotè Deo supplicauit, finitísque precibus manum Marini iuuenis consobrini sui apprehendit, eúmque in nomine Domini amore resuscitauit. Quod Licinius & vxor eius, & omnes Opti- B mates eius videntes gauisi sunt, & procidentes ad Præsulis pedes sacrum sibi baptisma dari petierunt. Baptizati sunt itaque in illa die mille ducenti viri.

DEINDE Marino poscenti pro armigero suo Taurinus acquieuit, ad corpus accessit, Deum inuocauit, Paschasium inclamauit, & in virtute Dei vitæ restaurauit. Ambo sibi superstites retulerunt, quæ defuncti apud inferos viderunt. Paschasius Marino prædixit, quòd in die quo albas deponeret moreretur: quod ita factum est. Nam Marinus leui febre correptus est, & octaua die baptismatis mortuus est.

HIS aliísque multis miraculis Taurinus Ebroarum primus Pontifex claruit, & multa milia hominum ad cognitionem veritatis & iustitiæ perduxit. Denique dum Sixtus Papa in Sede Apostolica resideret, & Helius Adrianus Rempublicam gubernaret; plenus dierum & virtutum Taurinus III. Idus Augusti de cœlo vocatus est, & Ecclesia populo densa odoriferáque nebula repleta Transacto vnius horæ spacio nebula recessit, & Pontifex in Cathedra sedens, & C quasi orans manibus extensis, oculísque ad cœlum versis apparuit. Ingens luctus parrochianorum casu Pastoris factus est, iussúque Angeli (qui populo in specie viri honorabilis apparuerat) extra vrbem quasi ad tertiam partem miliarij ad Occidentem vir Dei sepultus est. Locus ille diu postmodum sine honore habitus est. Sed nunc ibi gratia Dei electus Grex Monachorum in militia salubri constitutus est. est. In sepelitione venerabilis Episcopi res accidit inusitata. Dum in mausoleo Præsul ex more poneretur, populúsque nimis fleret; illic quasi viuus de fossa erigens » se, ait: Filioli mei, quid hoc facitis? Nolite timere. Iustum virum audite. Et inclinato capite siluit.

» SEPVLTO itaque seruo Christi, dixit ad populum Angelus Dei: Recedite velo» citer, ne inuoluamini ab hostibus. Nunc ciuitas ista subuertitur, sed nullus vestrum » periclitabitur. Per multa tempora incognitus erit locus iste. His dictis nusquam comparuit, & completa sunt omnia vt prædixit. Nam sepulcrum sancti Antistitis, & anniuersarium transitus eius diu homines latuerunt. Signa quoque nonnulla per eum apud Ebroas adhuc quotidie fiunt. Dæmon enim, quem de Dianæ phano expulit, adhuc in eadem vrbe degit, & in variis frequenter formis apparens neminem lædit. Hunc vulgus Gobelinum appellat, & per merita sancti Taurini ab humana D læsione coërcitum vsque hodie affirmat. Et quia iussis sancti Antistitis sua frangendo simulacra obsecundauit, in baratrum non statim mersus fuit: sed in loco vbi regnauerat pœnas luit, videns saluari homines, quibus iamdudum ad detrimentum multimodè insultauit.

FERTVR aliud ab incolis, & est verum, quòd in Ebroicensi vrbe animal viuere nequit venenatum. Nam pinguis humus imbuta fluentis Ittonæ fluminis colubros & serpentes pariebat, & eiusmodi animantibus Ebroica ciuitas nimis abundabat. Ciuibus autem pro tali peste conquerentibus, deprecatus est Dominum beatus Taurinus, vt vrbem ab hoc incommodo liberaret;

A nec vlterius venenatum reptile intra mœnia vrbis viuere fineret. Orauit, & exauditus est. Si casu coluber seu bufo in fasciculo herbæ defertur, statim dum intra muros vrbis venerit, moritur. 1050.

Post longum tempus religio Christiana creuit, & Clerus Ebroicensis cum fidelibus indigenis primi Præsulis sui Taurini polyandrum quæsiuit, Deóque monstrante inuenit. Deinde reuerenter de terra leuatum est, & post aliquod tempus à fidelibus Fiscannum translatum est. Ibi venerabile Cœnobium Monachorum ad deitatis cultum iugiter agendum constructum est, ibique in capsa preciosa sancti viri corpus veneranter aptatum est.

Almi Taurini Præsulis precibus, & meritis nos Deus eruat ab omni veneno « vitiorum, & perfecto sanctarum decoret nos iubare virtutum, & in sanctis mansio- « nibus suorum coniungat collegio Sanctorum: vbi possimus ipsum Regem Regum « digniter laudare per omnia secula seculorum, amen. «

Helio Adriano & Antonino pio imperantibus, rabie hostili nouella Christia-
B nitas in Gallia vehementer attrita est; & sancta mater Ecclesia per annos ferè CLX. admodum humiliata est. Nulla nobis Historia manifestè prodit, quæ gens illa fuerit, vel vnde venerit, siue sub quo Principe vel tyranno sæuierit; quæ intolerabiliter Christianos & idololatras oppresserit. In plurimis tamen gestis Sanctorum illius temporis liquidò patescit, quòd sub prædictis Principibus quidam crudelis & barbarus exercitus regnum Galliæ nimis attriuerat. Eo tempore nullus Rex in Gallia erat, sed Imperator Romanorum à Gaio Iulio Cæsare Cisalpinis omnibus imperabat, & Præsides aliásque Potestates singulis vrbibus ad libitum suum dirigebat.

Silentium de Deo magnum fuit in Neustria post obitum sancti Præsulis Taurini, vsque ad tempora Diocletiani & Maximiani: à quibus facta est decima clades furoris diabolici, quæ grauiùs ac diuturniùs aliis sæuiit in Ecclesiam Christi. Ceterùm ille, qui suis semper se affuturũ promisit in immensis tribulationum procellis, Sponsam suam mirabiliter confortauit, liberauit, protexit, ac exaltauit: & honorabilibus triumphis palam magnificauit. Insuper æterno diademate coram
C patre suo in cælesti Hierusalem remunerabit. Ergo quam tantùm diligit, inter furias persequentium pædagogis illustribus destitui diu non desiit.

Dum decima persecutio per decem annos Christianis fortiter immineret, & innumera Martyrum milia multis suppliciorum generibus trucidaret, & cruore precioso gloriosè decorata ad cœlos transmitteret: Quintinus & Lucianus, Valerianus, Rufinus, Eugenius, Mallonus, & Auicianus, aliique plures de Clero & nobilitate Romanorum Româ exierunt, & fiducialiter verbum Dei prædicantes per Gallias diffusi sunt. Tunc Quintinus Ambianis, & Lucianus expetiit Beluacum: Mallonus cum Auiciano & quibusdam aliis idoneis viris Rotomagum.

Diocletiano & Herculio Maximiano Regni fasces sponte deponentibus, Constantinus vir magnæ ciuilitatis suscepit Imperium in Occiduis partibus, quod deposuerat Herculius. Is erga homines multa clementia, erga Deum verò religione vtebatur maxima. Nam neque ex consortij rabie (vt Cæsariensis Eusebius allegat) regnum suum piorum sanguine maculauerat, neque orationum
D domus, & conuenticula Christicolarum (vt Maximianus fecerat) hostili vastatione destruxerat. Hic in Neustria ciuitatem condidit, quam à nomine suo Constantiam nominauit: & in ipsa Prouincia concubinam nomine Helenam habuit, ex qua Constantinum magnum conditorem postea Constantinopolis genuit.

In illo tempore venerabilis Mallonus cum aliis quibusdam fidelibus Rothomagum incoluit, & primus ibi volente Deo Pontificalem Cathedram obtinuit; post quem vsque in hodiernum diem Metropolitana dignitas ibidem consistit. Sex autem vrbes ei subiacent: Belocasium, id est Baiocas; Euanticorum, id est Ebroas, Luxouium, Abrincas, Constantia; Salarium, id est Sagium. Ecclesia Rotomagensium iam XLVI. Pontifices habuit, & Clerus eiusdem ad notitiam posterorum de singulis Præsulibus disticon heriocum edidit, quod huic Operi charitatiuè per ordinem inserere cum quibusdam necessariis additamentis mihi non pigebit.

I. *Antistes sanctus Mallonus in ordine primus* A
GVILLELMVS II. *Excoluit plebem doctrina Rotomagensem.*
1080. Hic tempore Eusebij Papæ & Melchiadis claruit, XI. que Kal. Nouembris ad Dominum migrauit: & in cripta in basilica S. Geruasij Martyris extra vrbem sepultus diu iacuit. Mausoleum verò eius ibidem vsque hodie seruatum est: sed corpus eius post multum temporis pro timore Dacorum indè ablatum est, & in castellum Vvilcassini, quod Pontisera vocatur, translatum est. Illic in Regia nomini eius dicata veneranter seruatur, eique Conuentus Canonicorum celebriter famulatur.

II. *Post hunc præcipuus deuotus & Auidianus*
Obtinuit regimen, curam quoque rexit herilem.
Hic Arelatensi interfuit Concilio, quod factum est tempore Siluestri Papæ sub Constantino Augusto, qui cœpit imperare anno ab Vrbe condita MLXI. Tunc Nicena Synodus CCCXVIII. Patrum celebrata est: inter quos Nicolaus Myrreorum Liciæ aliique præcellentissimi Præsules micuerunt.

III. *Successit Præsul fulgens virtute Seuerus,* B
Moribus insignis, commissis ac sibi mitis.
Hic XV. annis tempore Constantini & Constantij sub Marco Papa & Iulio floruit. Tunc Maximus Treuerorum, & Hilarius Pictauorum, Athanasius Alexandrinorum, Eusebius Vercellensium, & Dionysius Mediolanensium Præsules vt astra claruerunt.

IV. *Eusebius dulcis; & in ordine Pontificali*
Constans, enituit virtutum floribus almis.
Hic XXV. annis, tempore Liberij Papæ & Felicis, sub Constantino, Iuliano Apostata, Iouiniano & Valentiniano fulsit.

V. *Marcellinus huic successit munere Christi,*
Pastor præcipuus, morum probitate decorus.
Hic XX. annis tempore Damasi Papæ, regnantibus Valentiniano & Valente cum Gratiano & Valentiniano, in Ecclesia benè laborauit. Tunc Antonius Monachus Ægyptiorum clarissimus obiit. Cæsaraugustæ Petrus insignis Orator claruit. Ambrosius Mediolanensis inexpugnabilis murus Arrianis oppositus est. Constantinopolitana Synodus CL. Patrum contra Macedonium & Eunomium sub Damaso Papa celebrata est. C

VI. *Peruigil in populo Petrus, dignus quoque custos,*
Sanctè commissum sibi rexit Pontificatum.
Hic XIX. annis tempore Siricij Papæ & Anastasij sub Theodosio & Arcadio claruit. Tunc Martinus Turonensis, & Maurilius Andegauensis, Basilius Cæsariensis, & insignis Orator Augustinus Hipponiensis, & diuus Hieronymus diuinæ Legis interpres micuerunt.

VII. *Victricius victor vitiorum fortis & vltro*
Ecclesiam Domini mandatis imbuit almis.
Hic XI. annis tempore Innocentij Papæ sub Arcadio & Honorio floruit. Tunc Donatus Epiri Episcopus, & Ioannes Hierosolymitanus fulserunt. Inuentio corporis S. Stephani Protomartyris facta est, reuelante Deo Luciano Caphargamalæ Presbytero. Tunc Orosius Presbyter, qui librum de Ormesta mundi scripsit, ab Augustino ad Hieronymum pro quibusdam profundis quæstionibus missus Lucianum adiit: à quo reliquias S. Stephani Auito Presbytero missas in Hispaniam primus intulit. D

VIII. *Successit Præsul huic Innocentius almus,*
Ecclesiam recreans Domini, plebémque reformans.
Hic IX. annis tempore Paparum Zosimi, Bonefacij, & Celestini, sub Honorio & Theodosio Archadij filio viguit. Tunc Synodus Ephesina ducentorum Episcoporum (cui Cyrillus præfuit Alexandrinus) aggregata est. Ad Scotos in Christum conuertendos ordinatus à Papa Celestino Palladius primus Episcopus mittitur.

IX. *Eloquiis plenus sacris successit Euodus,*
Fortis & innocuus, prudens, pius, atque modestus.
Hic VII. annis tempore Celestini & Sixti Paparum floruit. Tunc Galli contra Romanos rebellauerunt, quibus Franci de Troianorum stirpe orti sociati sunt:

A qui pariter iuncti Francum Ferramundũ Sunnonis Ducis filium sibi Regem præfecerunt. Maximus Taurinensis Episcopus in Sermonibus componendis facundus habetur. GVILIELMVS II. 1080.

Præfuit Ecclesiæ sanctus Siluester honore, X.
Quam iuste rexit prudens & amplificauit.

Hic VIII. annis tempore Leonis Papæ, Clodione & Meroueo regnantibus in Francia, claruit.

Præsul Malsonus diuino dogmate fultus XI.
Extitit in populo venerabilis vndique Pastor.

Hic IX. annis sub Martiano & Valentiniano viguit: quando Leo Papa contra Eutticem & Dioscorum apud Calcedonem Synodum DXXX. Episcoporum celebrauit. Tunc Hengist & Horsa cum Saxonibus & Anglis tribus longis nauibus in Britanniam aduecti sunt, & à Vortigerno Rege contra Pictos suscepti sunt. Tunc Germanus Autisiodorensis mirabiliter floruit.

B *Inclytus Antistes, populi custos quoque perpes,* XII.
Suscepit Sedem Germanus Pontificalem.

Hic VIII. annis Childerico imperante Gallis, & Leone Latiis claruit. Tunc Theodorus Episcopus Ciriæ Ecclesiasticam Historiam scripsit, à fine Librorum Eusebij vsque ad suum tempus, id est vsque ad Imperium Leonis sub quo mortuus est.

Commissos coluit Crescentius, ac decorauit XIII.
Moribus egregiis, virtutéque crescere fecit.

Hic XXVI. annis tempore Hilarij Papæ, & Simplicij, regnante Leone fulsit. Tunc Childericus Merouei filius in Gallia regnauit.

Fulsit Gildardus Pastor sacer atque benignus; XIIII.
Dapsilis & constans, verbi quoque lumine flagrans.

Hic XV. annis tempore Felicis, Gelasij, Anastasij & Symmachi Paparum, sub Zenone Augusto emicuit, & beatum Laudum Constãtiniensem Episcopũ consecrauit. C Tunc Remigius Remensis & Solennis Carnotensis ac Vedastus Atrebatensis claruerunt: & Merouingum Clodoueum Regem Francorum anno ab Incarnatione Dominica CCCCLXXXXVIII. baptizauerunt. Tertio postmodum anno Mamertus Viennensis Archiepiscopus ob imminentẽ cladem solemnes Letanias, id est Rogationes ante Ascensionem Domini instituit. Victorius Paschalem ciclum DXXXII. annorum Papa Hilario iubente scripsit. Odoacar Rex Gothorum Romam obtinuit, quam exinde Reges eorum Theodericus Triarius, & Theodericus Vvalamer diutius tenuere. Honericus Rex Vvandalorum Arrianus in Africa diffugatis plus CCCXXXIIII. Episcopis Catholicis Ecclesias, eorum clausit, variisque plebem suppliciis affecit Gildardus Rotomagensis & Medardus Suessionensis Nectardo Nouiomensi patre, & Protagia matre nati sunt: ambóque VI. Idus Iunij ad Dominum migrauerunt. De his nempe insignis Audoënus sic versificauit.

Hi sunt Gildardus fratres gemini atque Medardus.
D *Vna dies natos vtero viditque sacratos,*
Albis indutos, & ab ista carne solutos.

Flauius insignis virtutum flore refulsit, XV.
Commissósque sibi diuina lege repleuit.

Hic XXXV. annis tempore Symmachi, Hormisdæ, Ioannis, Felicis, Bonefacij, Ioannis & Agapiti Paparum, sub Anastasio & Iustino seniore ac Iustiniano floruit. Defuncto Clodoueo, Sigismundus, Childebertus, aliique filij eius successerunt. Clotharius autem omnibus superstes annis LI. in Francia regnauit: cuius tempore Launomarus & Ebrulfus, aliique sancti viri in regno eius floruerunt. Transamundus Vandalorum Rex Ecclesias Catholicas clausit, & CCXX. Episcopos exilio Sardiniam misit, quibus Papa Symmachus omni anno pecunias & vestes ministrauit. Anastasius Imperator quia hæresi fauens Euticetis Catholicos insecutus est, diuino fulmine periit. Ioannes Papa sub Iustino seniore Constantinopoli cæcum illuminauit, quem dum Rauennam rediret Theodericus peremit. Symmachum quoque Patricium & Boëthium necauit; & ipse anno sequente subita morte periit. Cui nepos eius Athalaricus in regnum successit. Hil-

GVILLELMVS II. 1080. dericus Vandalorum Rex Episcopos ab exilio reuerti, & Ecclesias instaurare præcepit, post annos LXIIII. hæreticæ profanationis. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit, quas beatus Papa Gregorius in Libro Dialogorum scripsit. Biliziarius Patricius à Iustiniano in Africam missus, Vandalorum gentem deleuit: Gelismerum Regem eorum captum Constantinopolim misit. Cartago quoque anno excessionis suæ XCVI. recepta est. Dionysius Paruus Paschales circulos scribit: incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis DXXXII. quo anno Codex Iustiniani promulgatus est. Victor Capuanus Episcopus librum de Pascha scribens Victorij arguit errores. Cassiodorus Senator, & Priscianus Grammaticus, & Arator Subdiaconus claruerunt. A

XVI. *Occubuit martyr Prætextatus Fredegundis*
Reginæ monitu pro Christi nomine Iesu.

Hic XLII. annis tempore Agapiti, Siluerij, Vigilij, Pelagij, Ioannis & Pelagij Paparum, sub Iustino, Tiberio, & Constantino floruit. Narses Patritius Totilam Gothorum Regem in Italia superauit & occidit. Gens Langobardorum comitante fame & mortalitate omnem inuadit Italiam, Regi Albuino subiecta. B

XVII. *Ecclesiam rexit multis Melantius annis,*
Subiectos docuit, iustè quoque viuere fecit.

Hic XII. annis tempore Pelagij, Benedicti & Gregorij Magni Doctoris, Mauricio primo Græcorum Romanis Imperante, Rodomensibus præfuit; sed indignè, quia proditor Prætextati (vt ferunt) Magistri sui fuerat: quem Fredegundis vxor Hilperici Regis occidi fecerat.

XVIII. *Nobilis Hildulfus præfato Pontificatu*
Sedit, & excoluit diuini dogmata verbi.

Hic XXVIII. annis tempore Gregorij Magni Doctoris, Sauiniani, Bonefacij, Deusdedit, Bonefacij & Honorij Paparum, imperantibus Mauricio, Focate, & Heraclio claruit. Tunc in Francia regnauerunt Childebertus & filius eius Theodericus, ac Theodebertus & Lotharius Magnus. In Anglia verò Edilbertus Cantuariorum, Eduinus Nordanhimbrorum, & Redualdus Geuuissorum, ac Penda Merciorum: ad quos Gregorius misit prædicatores verbi Dei Augustinum, Mellitum, Ioannem, aliósque plures Monachos timentes Deum, per quos ad Christum Angli conuersi sunt. In Italia Langobardis Autarith Cleponis filius, & Ago Agilulfus, cum Teodelina laudabili Regina præfuerunt. In Neustria XII. anno Childeberti Regis sanctus Ebrulfus Vticensis Abbas iam octogenarius IV. Kal. Ianuarij obiit. Per idem tempus Cassinense Monasterium à Langobardis noctu inuasum est; & fugatis Monachis tempore Boniti quinti Abbatis destructum est. Benedictus, Constantinus, Simplicius, Vitalis, & Bonitus eidem Cœnobio iam prefuerant. Cosdrue Rex Persarum grauissimè Rempublicam bellis attriuit, & sanctam Ecclesiam incendiis & rapinis ac cædibus vehementer afflixit. Anastasius Persa Monachus cum aliis LXX. glorioso martyrio coronatus est. Eraclius Persas vicit, Cosdroën occidit, crucem Domini Hierosolymis reportauit, & omnes Christianos de captiuitate reduxit. C D

XIX. *Sanctus Romanus præclaro nobilis actu,*
Moribus emicuit, sacri quoque lumine verbi.

Hic XIII. annis tempore Honorij, Seuerini, & Ioannis Paparum, Eraclio regnante, miraculis coruscauit, decimóque Kal. Nouembris ad Dominum gloriosè transiit. Tunc in Gallia Christiani Principes vigebant Dagobertus & Clodoueus. In Anglia Osualdus, Osuinus & Osuius. In Italia Agilulfus, Adaloadus, Arioaldus, Rotarith & Rodaldus. Arioaldo regnante beatus Columbanus genere Scotus, postquam in Gallia Luxouiense Monasterium construxerat, in Italia in Alpibus Cotiis Bobiense condidit.

XX. *Audoënus huic successit Pontificali*
Ordine splendescens, virtutibus atque refulgens.

Hic XLIII. annis tempore Theoderici, Martini, Eugenij, Vitaliani, Adeodati, Doni, Agathonis, Leonis, Benedicti, & Ioãnis Paparũ, Heraclona filio Heraclij & tribus Cõstãtinis imperantibus insigniter fulsit; diu & benè vixit, multũ laborauit, Ecclesiæque Dei mirabiliter profuit. Vis mihi ad enarrãdum deficit, quanta nobili-

A tate & sanctitate, omníque probitate vir iste viguit. Martinus Papa Synodum cv. Præsulum Romæ tenuit, & postmodum pro fide Catholica per Theodorum Exarchum iussu Constantini nepotis Eraclij raptus est, & apud Cersonam relegatus sancto fine quieuit. Theodorus Archiepiscopus & Adrianus Abbas vir æquè doctissimus à Vitaliano Papa missi Britanniam plurimas Anglorum Ecclesias doctrinæ fruge fœcundarunt. Ex quo Gregorius Papa dispensatores diuini seminis misit in Angliam, Augustinus & Laurentius, Mellitus Lundoniensis, & Iustus Rofensis, Honorius & Deusdedit Cantuariensem Ecclesiam rexerunt: & Cantiæ Reges Edilbertum & Eadbaldum, Ercombertum & Egbertum cum subiecta gente ad fidem Christi pertraxerunt. Septimus ad Præsulatum Vigardus ab Osuio & Egberto Regibus electus est, & Romam ad ordinandum missus est. Ibi dum consecrationis statutum diem præstolaretur, defunctus est: pro quo Theodorus Græcus, sanctitate & sapientia præstantissimus, ordinatur. In Neustria Philibertus nobilitate & sanctitate & miraculorum fulgore gloriosus, permissu Clodouei Regis GVILLIELMVS II. 1080.
B & Batildis Reginæ Cœnobium DCCC. Monachorum apud Gemmeticum construxit: cui post aliquot annos sanctum Aichadrum (quem de Herio Monasterio assumpserat) præposuit. Tunc Guandregisilus Fontinellæ Monasterium condidit, ibíque ad Dei militiam fermè CCCC. Monachos aggregauit: ex quibus postmodum Ecclesia Dei ad regimen sui plures Episcopos & Abbates idoneos gaudenter assumpsit. Sidonius quoque & Ribertus, Geremarus, Leufredus, aliíque plures Monachi florebant in Rotomagensi diocesi; quibus omnibus ad omnem bonum fauebat studium & auxilium Audoëni venerabilis Archiepiscopi, sicut feruidi lectores in eorum gestis possunt lucidè contemplari. In Italia Ariperto Rege post IX. annos apud Ticinum defuncto, duo filij eius adhuc adolescentuli successerunt: Godebertus quidem Ticini, Bertarith verò in ciuitate Mediolanensi sedem habuit regni. Non multò pòst Grimoaldus Beneuentanorum strenuus Dux Godebertum ense peremit, & Bertarith fugauit, eorúmque regnum cum sorore eorum accepit, & per IX. annos potenter & vtiliter obtinuit. Quo mortuo Bertharit XVIII. annis
C regnauit, & Cunipertum filium suum (quem de Rodelinda Regina susceperat) consortem regni constituit. Ambo amatores iustitiæ fuerunt, Deíque & eius Ecclesiæ beniuoli cultores, pauperúmque defensores viguerunt. Alacheris Brixianus Dux contra eos rebellauit, totámque regionem multoties diúque perturbauit: donec Cuniperto pugnante peremptus malignari desiit. Agatho Papa rogatu Constantini, Eraclij, & Tiberij Principum piissimorum Ioannem Portuensem Episcopum, & Ioannem Diaconum, aliósque Legatos Sanctæ Romanæ Ecclesię Constantinopolim misit: ibíque per eos Concilium CL. Episcoporum contra Georgium Patriarchã Regiæ vrbis, & Machariũ Antiochiæ, aliósque hæreticos tenuit. Finito conflictu Georgius correctus est, & pertinax Macharius cum suis complicibus anathematizatus est.

Inclytus Ausbertus probitatis culmine comptus
Ecclesiam rexit, quam sanctè nobilitauit. XXI.

Hic XVIII. annis tempore Leonis, Benedicti, Ioannis, Cononis, & Sergij Paparum sub Constantiano & Iustiniano iuniore claruit. Tunc in Gallia Lotharius, Theodericus & Hildericus regnauerunt: & maioratũ domus Regiæ Leodegarius, Ebroinus, & Pippinus primus habuerunt.

Insignis Grippo successit in ordine sancto,
D *Actibus egregius, meritis pastor venerandus.* XXII.

Hic XXIV. annis tempore Ioannis, Sisinnij, Constantini & Gregorij Paparũ floruit. Tunc Leo, Tiberius, Iustinianus, Philippicus, Anastasius, Theodosius & Leo Reipublicæ præerant; & in Gallia Clodoueus, Childebertus, & Dagobertus iunior regnabant. Reuerendissimus Ecclesiæ Lindisfarnensis in Britannia ex Anachoreta Præsul Cuthbertus, totam ab infantia vsque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit: cuius corpus tempore Henrici Regis Anglorum Radulfus Rofensis Episcopus incorruptum inuenit, & vestes eius astante & reuerenter intuente Alexandro Scottorum Rege cum Monachis & Clericis mutauit.

Iustus & insignis Radilandus in ordine fulsit, XXIII.
Compatiens cunctis, meritísque refertus opimis.

Hic III. annis tempore Gregorij II. floruit. Tunc Leo imperabat. Franci verò mortuo Dagoberto Danielem Clericum in Regem leuauerunt. Sarraceni cum

GVILLELMVS II. ingenti exercitu triennio Constantinopolim obsident: sed ciuibus magis precibus quàm armis pugnantibus vincuntur, & fame, frigore, pestilentiáque periclitantes aufugiunt. Liuthprandus Langobardorum Rex donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quam Aripertus aureis scriptam litteris Romam direxerat, & ille repetierat, admonitione Gregorij Papæ confirmauit. Idem ossa S. Augustini Doctoris dato precio emit; & de Sardinia, quam Sarraceni populati erant, in Ticinum transtulit, & honorificè condidit. A

XXIV. *Profuit in populo Domini venerabilis Hugo,*
Et tribuit sanctæ subiectis dogmata vitæ.

Hic consobrinus Pippini Principis Francorum fuit, & VIII. annis tempore Gregorij II. Papæ Archiepiscopus fuit. Ecclesiis etiam Parisiensi præfuit & Baiocensi: Abbatiis quoque Gemmeticensi & Fontinellensi. Cuius corpus cum corpore S. Aichadri à Gemmeticensibus in Lotharingiam translatum est, ibique in vico qui Haspis dicitur, in territorio Cameracensi nunc vsque in scrinio argenteo honorificè seruatum est. Tunc Constantinus imperabat. Anglicus Beda famulus Christi, & B Presbyter Monasterij BB. Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Vviremudam in Giruum claruit. Hic in territorio eiusdem Monasterij est natus, & septennis educatus à reuerentissimo Abbate Benedicto, ac deinde Ceolfrido: & cunctum cum eo tempus vitæ in eiusdem Monasterij habitatione peregit, omnémque meditandi Scripturas operam dedit, & inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam vt ipse scribens asserit, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habuit. Nonódecimo autem vitæ suæ anno Diaconatum, tricesimo verò Presbyteratus gradum, vtrúmque iubente Ceolfrido Abbate suo suscepit per reuerentissimi Ioannis Episcopi ministerium. Exinde postquam sacerdotium accepit, vsque ad LIX. ætatis suæ annum à salubri studio non cessauit: sed & multa in sanctam Scripturam ex Opusculis venerabilium Patrum breuiter annotauit, & ad formam sensus ac interpretationis eorum superadiicere curauit. Laborum eius ac studiorum fructus Ecclesiæ Dei vtillimus & dulcis fuit: cui de lege Dei & de necessariis indagationibus LXXII. libros edidit; quos ipse omnes in calce Historiæ Anglorum diligenter computat & describit. Tunc in Langobardia Paulus Cassiniensis claruit Monachus, & in Gallia Fortunatus Poëta Pictauorum almus Episcopus. C

XXV. *Sedem Radbertus dignè Pastoris adeptus,*
Viribus enituit sanctis, sanctè quoque vixit.

Hic IV. annis tempore Gregorij II. Papæ imperante Constantino floruit. Tunc in Francia Carolus Tudites, id est Martellus, dominabatur: qui cum Eudone Duce contra Sarracenos in Aquitania pugnauit, & eorum CCCLXXV. milia prostrauit. Itémque in Narbonensi Prouincia fortiter eos bello repulit, & maxima cæde attriuit.

XXVI. *Grimo deuotus Pastor, pius, inclytus actu,*
Suscipit Ecclesiam diuino cultu regendam.

Hic IV. annis tempore Gregorij Papæ III. viguit. In Anglia defuncto Berchtualdo Dorobernensi Archiepiscopo, Tatuuinus successit. Tunc duo Reges Anglorum Coenredus Merciorum, & Offa filius Siheri Regis Orientalium Saxonum terrena pro Christo sceptra reliquerunt: & Romam aggressi Constantino Papa benedicente Monachi facti sunt, & ad limina Apostolorum in precibus, ieiuniis, & eleemosynis vsque ad vltimum diem permanserunt. Vvilfridus venerabilis Eboracensis Archiepiscopus XLV. Episcopatus sui anno in Prouincia Vndalum IV. Idus Octobris, regnantibus Coenredo & Osrede filio ALFRIDI Nordanhimbrorum Regis defunctus est. Non multò pòst Adrianus sapientissimus Abbas obiit: cui Albinus discipulus eius multipliciter edoctus successit. D

XXVII. *Culmine Pastoris nituit Rainfridus in omni*
Actu magnificus, constructor Pontificatus.

Hic XVII. annis tempore Zachariæ & Stephani Paparum viguit. Carlomannus & Pipinnus Maioratum domus adepti sunt.

XXVIII. *Remigius Præsul regali stirpe creatus*
Deuotè vixit, commissos dogmatizauit.

A Hic filius Caroli Martelli, & frater Pippini Regis fuit, electóque Ragenfredo xvii. annis Rothomagensem Cathedram tempore Pauli, Constantini, Stephanique Paparum obtinuit. Constantius Imperator Leonis filius Constantinopoli Synodum cccxxx. Episcoporum congregauit. Stephanus Papa persecutione Haistulphi Langobardorum Regis vexatus Franciam adiit, & Pippinum Regem ac filios eius Carolum & Carolum magnum consecrauit. Tunc Bonefacius Maguntiæ Archiepiscopus, & Guido Fontinellæ Abbas floruerunt. Constantinus & Habdallas Amiras Rex Sarracenorum pariter in orthodoxos sæuiunt. Leo filius Constantini lxxi. primo loco ab Augusto regnauit annis v. Anno ab Incarnatione Domini dclxxviii. Pippinus Rex viii. Kal. Octobris obiit, eique Carolus Magnus filius eius successit. GVILLELMVS II. 1080.

Præsul Mainardus bonitatis odore refertus,
Subiectos docuit, viciorum sorte piauit. xxx.

Hic viii. annis tempore Adriani Papæ claruit. Carolus vi. anno regni sui Romam vadit: indè reuersus Papiam cepit, Desiderium Regem Langobardorum, qui multas persecutiones Adriano Papæ fecerat, captiuum in Franciam duxit, & filium eius Adalgisum de Italia expulit. Iste nimirum Desiderius vicesimus primus Rex Langobardorum fuit, & in illo regia dignitas pro sceleribus suis defecit, nec vnquam postea proprium Regem habuit: sed Regibus Francorum aut Imperatoribus Alemannorum gens Langobardorum semper subdita fuit. Primi Duces Guinilorum Ibor & Aio fuerunt, qui cum matre sua Gambara de Scandinauia Insula sorte Guinilos eduxerunt. Deinde Reges eorum isti fuerunt, Agelmundus, Lamissio, Lethu, Hildehoc & Godehoc, Claffo & Tato, Vvacho, Vualtarith, Andon, & Alboinus. Agelmundus Langobardos adduxit in Bulgariā, Audoin in Panniam, & Alboin adiuuante Narsete Patricio in Italiam. Postquam Alboinus Rex ab Helmechis armigero suo instinctu Rosemundæ coniugis suæ peremptus est, Clepo electione populi regno potitus est. Post quem Flauius Autharit filius eius regnauit, qui Teodelindam Garibaldi Regis Baioariorum filiam vxorem duxit. Autharith C post sex annos regni sui veneno periit, & Agilulfus Ago Taurinacius Dux Reginam & regnum obtinuit, moriénsque post xxv. annos filio suo Adoloaldo regnum reliquit. At postquam Adoloaldus cum matre sua Theodelina decem annis regnauit, super Langobardos Arioaldus xii. annis regnum tenuit, cui Rotarith viribus fortis, sed Arrianæ hæreseos perfidia maculatus successit. Hic vbi xvi. annis regnauit, Rodoaldo filio suo regnum dimisit, qui post v. annos dum in mœchia reperiretur, à Riual percussus Langobardo interiit. Aripertus autem Gundualdi filius Theodelinæ Reginæ nepos successit, & post ix. annos moriens filiis suis Bertarith ac Godiberto regnum dimisit. Porro Grimoaldus Beneuentanorum Dux Rodelindam Ariperti Regis filiam coniugem accepit, & fratres eius Godibertum ense peremit, atque Bertarith de regno fugauit. Qui post ix. annos mortuo Bertharit regnum accepit, & Garibaldum Grimoaldi filium, qui post patrem tribus mensibus regnarat, exturbauit. Post xviii. annos Bertarith *, Cunipertus xii. annis regnauit: quo defuncto, in duobus annis iv. Reges gens Langobardorum habuit: id est Liutpertum Cuniperti filium, Ragimpertum Ducem Taurinensium Godiberti filium, & Aripertum eius filium, & Rotarith Ducem Bergamensium. Denique Aripertus fortior omnibus Liutpertum & Rotharith occidit: Ausprandum D verò nutritium Liutperti de insula Commacina fugauit, & Sigisbrandum filium eius oculis priuauit, nouémque annis postmodum regnauit, sanctóque Petro plura quæ antecessores eius abstulerant reddidit. Ipse postea in Pado dum nataret grauatus auro corruit, & suffocatus aquis interiit. Auspirandus autem vir sapiens tribus solummodo mensibus regnauit, & Liutprandus audax filius eius ferè xxxii. annis in solio regni sedit. Hildebrandus nepos eius in Regem leuatus est, sed ante biennium defunctus est. Deinde filij Penmonis Foroiulani Ducis Ratchisus & Haistulfus regnauerunt, quorum prior sponte diadema deposuit, & Monachus Romæ factus est. Haistulfus verò tempore Stephani Papæ multis modis Ecclesiæ Dei aduersatus est: sed ad vltimum iusto Dei iudicio in venatione ictu sagittæ percussus est. Ad extremum Dux Desiderius adminiculante Stephano Papa Rex factus est Langobardorum, & adepto regno persecutus est Papam & Clerum

* f. deest mortuo,

GVILLELMVS II 1080. plebémque Romanorum. Vnde Adrianus Papa coactus est expetere vires Francorum: quibus destructum est & deiectum vsque hodie cornu sæuitiæ regni Langobardorum. Hoc tempore Mainardi Rotomagensis Archiepiscopi anno ab incarn. Domini DCCLXXIV. contigit. A

XXXI. *Præsul successit cui Gillebertus in omni*
Constans & lenis, populi Pastórque fidelis.

Hic XLVIII. annis tempore Adriani, Leonis, Stephani, & Paschalis Paparum claruit. Tunc Constantinus, Leo, Nicephorus, & Stauratius filius eius, Michaël, Leo, & Michaël, Augusti Constantinopoli florebant. Carolus Rex Francorum mirè viguit, & probitas eius laudabiliter excreuit. Pampeloniam destruxit, Cæsaraugustam obsidione subiugauit, Vvasconiam, Hispaniam, Saxoniam subegit & Baioariam. Sclauorum (qui Vulti dicuntur) & Hunorum regiones deuastauit. Tempore Constantini & Hirenæ matris eius Constantinopoli quidam lapideam inuenit archam, & in ea virum iacentem cum hac scriptura. CHRISTVS NASCETVR EX MARIA VIRGINE, ET CREDO IN EVM. SVB CONSTANTINO ET HIRENE IMPERATORIBVS, Ô SOL, ITERVM ME VIDEBIS. B Sub Leone Papa terræmotus magnus factus est, qui penè totam Italiam concussit, & tectum Ecclesiæ B. Pauli cum suis trabibus magna ex parte deiecit. Anno ab incarn. Domin DCCC. Indict. VIII. Carolus Rex à Leone Papa Imperator consecratus est, & à Romanis Augustus appellatus est. Completis in regno XLVII. annis Carolus obiit: & Ludouicus filius eius XXVII. annis regnauit, cui Gisllebertus Archiepiscopus à secretis fuit.

XXXII. *Rainouuardus huic successit in ordine felix,*
Hic aluit mites, compescuit atque rebelles.

Hic X. annis tempore Eugenij, Valentini, & Gregorij IV. Paparum sub Theophilo Augusto floruit. His temporibus dissentio facta est in Gallia, dum Lotharius contra Ludouicum Pium patrem suum rebellauit. Tunc primitus Normanni Britanniam & alias terras vastauerunt: & de Herio Insula corpus S. Philiberti translatum est. C

XXXIII. *Gumbaldus iustæ tenuit moderamina vitæ,*
Prospiciens populo venerabilis vndique Pastor.

Hic XI. annis tempore Gregorij & Sergij Papæ, Michaële Augusto Theophili filio imperante viguit. Anno ab incarnatione Domini DCCCXL. Ludouicus Imperator XII. Kal. Iulij obiit. Cuius corpus Drogo Archiepiscopus frater eius Mediomatricum vrbem ad sepeliendum detulit. Diuisio regni facta est, & bellum inter tres filios Ludouici, Ludouicum, Lotharium, & Carolum Caluum, propè Autissiodorum VII. Kal. Iulij factum est, in quo Christianus populus vtrimque mutua cæde prostratus est. Corpus S. Audoëni translatum est, quando Normanni Rotomum vastauerunt, & Monasterium illius Idus Maij vastauerunt.

XXXIIII. *Insignis Paulus Pastoris culmine dignus*
Verbo doctrinæ fulsit, probitatéque vitæ.

Hic VI. annis tempore Sergij Papæ sub Michaële Augusto claruit. Lotharius partem regni Franciæ, quam pater eius sponte dederat, tenuit, ibique regnauit: quod vsque hodie Lotharingia, id est Lotharij regnum vocatur. Carolus Caluus Rex Francorum & Imperator Romanorum vir bonus & fortis constitutus est. D

XXXV. *Vuanilo vir prudens, diuino dogmate pollens*
Aeternæ docuit commissos iura salutis.

Hic XI. annis tempore Leonis, Benedicti & Nicolai Paparum floruit. Quinto anno regiminis eius gelauit à pridie Kal. Decembr. vsque Nonas Aprilis.

XXXVI. *Indole præcipuus, bonitate nitens Adalardus*
Iura sacerdotij tenuit piè pastor herilis.

Hic III. annis tempore Nicolai Papæ viguit. Basilius Michaëlem Dominum suum occidit, & pro eo XX. annis Constantinopoli regnauit. Fames valida, & mortalitas hominum, & pestis animalium tribus annis furuit in mundo.

XXXVII. *Felix atque probus præclara stirpe Riculfus,*
Contulit Ecclesiæ quamplurima prædia terræ.

Hic III. annis tempore Nicolai & Adriani Papæ floruit.

Nobilis

A *Nobilis Antistes diuino iure Ioannes* XXXIX.
Ordine Pontificis virtutum lampade fulsit. GVILLEL-
Hic duobus annis Rotomagensibus præfuit. MVS II.
Vilto commissum conscendens Pontificatum 1080.
Claruit in populo vir prudens dogmate sancto. XL.
Hic vno anno Ecclesiam rexit tempore Adriani Papæ, & Basilij Augusti.
Successit Franco plebis bonus auxiliator, XLI.
Qui lauacri sancti Rollonem fonte sacrauit.
Hic XLIV. annis tempore Ioannis, Marini, Adriani, & Stephani Paparum floruit. Tunc Leo & Alexander filij Basilij XXII. annis regnauerunt. Anno Domini DCCCLXXVI. Rollo cum suis Neustriam penetrauit, & per annos XXX. Galliam bellis, rapinis, & incendiis admodum afflixit. Contra Ricardum Ducem Burgundionum, & Ebalum Pictauensium, aliósque Principes Galliarum pugnauit, crebrisque victoriis elatus multa detrimenta Christicolis fecit. Deniq; Carolus Simplex filius Ludouici Nihilfecit, non ferens guerram Rollonis, pacem cum eo fecit, Gislam ei filiam suam coniugem dedit, & Neustriam concessit. Tunc Alexander & Constantinus cum matre sua Zoë, & Romanus Armeniacus Augusti Constantinopoli regnauere.
B
Sedem Pontificis Gunhardus in ordine sumpsit, XLII.
Vtilis in populo, prudens quoque conciliator.
Hic XXIIII. annis tempore Romani Armeniaci Augusti & Constantini claruit. Tunc in Gallia Rodbertus Dux diadema sibi assumpsit, contra quem Carolus Rex eodem anno pugnauit, & periurum interfecit: Hugo tamen perempti Ducis filius victoriam obtinuit. Non multò pòst Herbertus Parronæ Comes, Hugonis Magni sororius, Regem dolo cepit, & in carcere tribus annis, ad mortem scilicet Regis eum tenuit. Ludouicus autē filius Regis in Angliam cum Edgiua matre sua Edelstanum auunculum suum filium Eduardi senioris Regem Anglorum expetiit, & Rodulfus nobilis filius Ricardi Burgundionum Ducis, nepos Caroli, VII. annis regnauit. Quo defuncto Guillelmus Longa-spata Dux Normannorum rogatu Francorum de Anglia Ludouicum reduxit, patrióque solio legitimè restituit. His temporibus Agapitus, Basilius, Stephanus, Formosus, Ioannes, & Stephanus in sede Apostolica floruerunt. Guillelmus Rollonis filius Gemmeticēse Cœnobium restaurauit, ibique Monachus sub Martino Abbate fieri peroptauit: sed Abbas eum recipere donec filius eius ad tenendum Normanniæ Ducatum idoneus esset, refutauit. Interea dum idem Dux, postquam XXV. annis Normanniæ Ducatum fortiter rexisset, & hostes vicinósque suos dolo seu vi compressisset, ad colloquium cum Arnulfo Flandrensi Satrapa securus isset, eiusdem dolis in insula Summæ fluminis XV. Kal. Ianuarij peremptus est, & Ricardus Sprotaides filius eius, qui tunc decennis erat, LIIII. annis post patrem Ducatu potitus est. Anno Incarnationis Domini DCCCCXLII. regnante Ludouico transmarino Guillelmus Dux & Gunhardus Rothomagensis Archiepiscopus obierunt.
C
Successit Hugo legis Domini violator, XLIII.
Clara stirpe satus, sed Christi lumine cassus.
D Hic XLVII. annis Præsulatu functus est, sed à nullo Scriptorum qui de illo, siue de Episcopis eius locuti sunt, laudatus est. Palam memorant quod habitu, non opere Monachus fuerit. Tunc Marinus, Agapitus, Octouianus, Leo, Benedictus, & Ioannes Apostolicæ Sedi præfuerunt; nimiisque perturbationibus regna terrarum concussa sunt. Ludouicus enim Rex Rotomagum sibi mancipauit, dolóque Ricardum Ducem Laudunum adduxit, ibique in carcerem misit: sed ille nutu Dei & prudentia Osmundi nutritoris sui exiuit. Deinde Haigrodus Rex Danorum consilio Bernardi Dani cum exercitu in Normanniam venit, & contra Ludouicum Regem pro vltione Guillelmi Lōgæ-spatæ pugnauit, in quo prælio Herluinus Comes Mosteroli cum Lamberto fratre suo, aliisque XVI. Comitibus Galliarum super Diuam fluuium occisus est: & Ludouicus captus in arcem Rotomagi seruandus missus est. Gerberga verò Regina Francorū filia Henrici Transrhenani Imperatoris consilio Hugonis Magni cum Normannis pacem fecit, Lothariúmque filium suum in obsidem, & duos Episcopos, Hilderium Beluacensem, & Guidonem Suessionensem

GVILLELMVS II. 1080. pro seruanda fide misit. Sic à vinculis Rex liberatus est, & Ricardus Comes patriæque pater corroboratus est. Otto Imperator Italiam sibi subiugauit, Stephanus & Constantinus filij Romani patrem suum de solio Constātinopolitano deponūt: sed Constantinus ambos similiter deponit, & ipse cum Romano filio suo XVI. annis regnauit, quibus Nicephorus Imperator successit. Liudulfus Ottonis Regis filius Italia sibi subacta obiit, & Otto puerulus in Palatio Aquisgrani Rex eleuatus est. Ioannes occiso Nicephoro per vxorem eius regnauit, cuius neptis Theophania Ottoni Imperatori nupsit. In Anglia Edmundus Rex VI. anno regni sui per proditionem occisus est, & frater eius Edredus regno potitus est. Quo defuncto Edgarus Edmundi filius successit, diúque & vtiliter tam sibi quàm populo & Ecclesiæ Dei regnauit. Tunc Dunstanus Cantuariensis, Osualdus Eboracensis, & Adeluodus Guintoniensis in Ecclesiæ Dei regimine micuerunt, quorum studio & labore XXVI. Cœnobia, Rege Edgaro fauēte & obediēte præfatis Præsulibus, in Anglia constructa sunt. Ludouico defuncto, Lotharius filius eius sex annis regnauit, in quo progenies Caroli Magni à regno funditus destituta est. Carolus enim aliiq; filij Lotharij Regis capiūtur, & Hugo Magnus Hugonis Magni filius in Regem eleuatur. A B

XLIIII. *Insignis Præsul claris natalibus ortus,*
Robertus felix deuoto fine quieuit.

Hic Ricardi senioris Ducis ex Gunnoride filius fuit, & XLVIII. annis Archiepiscopatum Rotomagensem, & Comitatū Ebroicensem tempore Rodberti Regis Franciæ & Henrici filij eius rexit. Tunc Agapitus, & Gerbertus Siluester, Ioannes Benedictus, itemque Ioannes Benedictus Romanæ præfuerunt Ecclesiæ. Otto autem, Henricus, & Cono Imperatores per legitimam successionem dominabantur Reipublicæ. Rodbertus Archiepiscopus mundanis opibus affatim abundauit, secularibus negotiis oppido intentus extitit, & à carnalibus illecebris non (vt Pontificem decuisset) abstinuit. Nam coniugem nomine Herleuam vt Comes habuit, ex qua tres filios, Ricardum, Radulfum, & Guillelmum genuit: quibus Ebroicensem Comitatum & alios honores amplissimos secundum ius seculi distribuit. In senectute tandem errorum memor suorum pœnituit, & pro reatibus multis magnísque multùm timuit. C Magnas igitur & multas eleemosynas pauperibus erogauit, Ecclesiámque Metropolitanam in vrbe Rotomagensi sanctæ Dei genitrici à fundamentis inchoauit, quam magna ex parte consummauit. Ricardus II. Dux XXX. annis Ducatum Normanniæ laudabiliter tenuit, & pauperibus Christi Clericis & Monachis vt pius pater subuenit: & tria Cœnobia, quæ pater eius fundauit, id est Fiscanense, S. Audoëni in suburbio Rotomagi, & S. Michaëlis in periculo maris, auxit & defensauit. Fontinellense quoque Dux præfatus restaurauit, & quæque Turstinus seu Gerardus Fleitellus, aliíque Proceres dederant ei, sua concessione sanxit. Moriens autem filiis suis Ricardo iuueni & Roberto Principatum dimisit, quibus honor concessus non plus quàm nouem annis cessit. Nam Ricardus III. veneno non plenè biennio peracto periit, & Rodbertus frater eius post VII. annos & dimidium Hierusalem peregrinus adiit. Ducatum verò suum Guillelmo VIII. annorum puero non rediturus reliquit; ipsúmque Alanno consanguineo suo Britonnum Comiti commendauit. Tunc Alfredus & Eduardus Clitones in Normannia exulabant. D Ricardus enim II. Emmam sororem suam Edelredo Regi Anglorum in coniugem dedit, quæ Alfredum & Eduardum Regem peperit. Eadem post funus mariti sui liberos suos in Neustriam misit, & Chunuto Regi Dacorum nupsit, eíque Hardechunutum Regem Danorum & Anglorum peperit; & Gunnildem, quæ Henrico Imperatori Romanorum nupsit.

XLV. *Malgerius iuuenis sedem suscepit honoris,*
Natali clarus, sed nullo nobilis actu.

Hic filius Ricardi II. Ducis ex secunda coniuge nomine Paphia natus est, & XVIII. annis tempore Clementis, Damasi, & Leonis Paparum, sine Apostolica benedictione & pallio Rodomensibus dominatus est. Voluptatibus carnis mundanísque curis indecenter inhæsit, filiúmq. nomine Michaëlem probum militem & legitimum genuit, quem in Anglia iam senem Rex Henricus honorat ac diligit. Tunc in mundo multæ tribulationes exortæ sunt, grauitérque terrigenas

A vexantes quassauerunt. Sarraceni Siciliam & Italiam, aliásque regiones Christianorum inuaserunt; cædes ac rapinas & incendia multa fecerunt. Manichetus Imperator Constantinopoleos aggregatis Imperij viribus insurrexit, & repulsis post multa detrimenta idololatris fines Christianorum liberauit. Ossa quoque sanctæ Agathæ Virginis & Martyris, aliorúmque Sanctorum corpora ne à redeuntibus fœdarentur paganis, de Sicilia Constantinopolim reuerenter transtulit. Succedente illi Diogene, Osmundus Drengot, & Drogo, aliíque Normanni cœperunt Apuliam incolere, & in Agarenos vel pseudo-Christianos arma viriliter exercere. Denique Rodbertus cognomento Guiscardus post multa bellorum discrimina priùs ab Harduino Langobardo, & Melone nepote eius, postmodum à Leone Papa dono recepit Apuliam contra aduersarios sancti Petri perenniter eam defensurus. Quam ipse postea iuuante Deo fortiter tenuit, & fines ditionis suæ in Siciliam vsque & Calabriam Bulgariámque dilatauit, liberísque suis hereditario iure dimisit. In Normannia his temporibus multa mala nequiter patrata sunt. Alannum enim Comitem Britonum, suíque Ducis tutorem Normanni veneno B peremêre, & successorem eius Gislebertum Comitem Godefridi filium crudelibus armis prostrauerunt; seséque mutuis certaminibus penè quotidie incredibiliter necauerunt. Tunc Turchetillus de Nouo-mercato, & Rogerius de Toënia, & Osbernus Dapifer Normanniæ, & duo filij Rogerij de Monte-Gomerici, Guillelmus & Hugo, Rodbertus de Bellomonte, Galchelinus de Ferrariis, aliíque plures in armis potentes alterutrum se peremerunt; & confusionem magnam atque mœrorem necessariis orbatæ regioni patronis intulerunt. In Anglia Hardechunuto Rege mortuo, Eduardus frater eius vterinus successit, & XXIII. annis vtiliter & laudabiliter regnauit. In Britannia Eudo fratri suo Alanno successit, & XV. annis ita liberè, vt sine dominio esset alicuius, Principatum exercuit. Septem quoque filios variis euentibus famosos Deus illi dedit, quibus fortuna nimium variabilis extitit. De quibus prolixa & rerum varietate dulcis historia compaginari veraciter à studiosis possit.

GVILLELMVS II. 1080.

Præsul Maurilius doctrina luce refertus, XLIV.
C *Moribus eximiis præfulsit, & actibus almis.*

Hic genere Maguntinus, in vrbe Florentia Monachili Cœnobio Abbatis iure præfuit: & exosus transgressoribus pro rigore disciplinæ venenum in potu sibi propinato deprehendit. Vnde sanctissimum Patrem doctorémque Benedictum secutus incorrigibiles deseruit, & in Neustriam cum Gerberto sapienti & Religioso Monacho tempore Ioannis Abbatis compatriotæ sui Fiscannum venit, ibique stabilem ad cultum summæ & indiuiduæ Trinitatis habitationem sibi elegit. Inde post aliquod tempus Ecclesiastica electione assumptus (deposito Malgerio) Metropolitanum apicem ascendit; & XII. annis, tempore Victoris, Stephani, Nicolai, & Alexandri Paparum floruit, nonóque anno Præsulatus sui Metropolitanam Ecclesiam dedicauit. Corpora verò Ducum Rollonis & Guillelmi reuerenter in sacram ædem transtulit, & Rollonem prope ostium Australe, & Guillelmum secus ostium Aquilonare tumulauit: & Epitaphia eorum super illos litteris aureis annotauit. Rollonis autem titulus talis est.

EPITAPHIVM ROLLONIS.

Dux Normannorum, timor hostis, & arma suorum,
Rollo sub hoc titulo clauditur in tumulo.
D *Maiores cuius probitas prouexit, vt eius*
Seruierit nec auus, nec pater, nec proauus.
Ducentem fortes Regem multásque cohortes
Deuicit Daciæ congrediens acie.
Frixonas, Vualcros, Halbacenses, Hainaucos,
Hos simul adiunctos Rollo dedit profugos.
Egit ad hoc Fresios per plurima vulnera victos,
Vt sibi iurarent, atque tributa darent.
Baiocas cepit, bis Parisios superauit,
Nemo fuit Francis asperior cunctis
Annis triginta Gallorum cadibus arua

GVILLELMVS II. 1080. *Impleuit, pigro bella gerens Carolo.* A
Post multas strages, prædas, incendia, cædes,
Vtile cum Gallis fœdus init cupidis.
Supplex Franconi meruit baptismate tingi,
Sic periit veteris omne nefas hominis.
Vt fuit ante lupus, sic post fit mitibus agnus.
Pax ita mutatum mulceat ante Deum.

Exequiales nihilominus næniæ super Mausoleum Guillelmi Longæ-spatæ, quod in Septentrionali plaga situm est, litteris ex auro ita sunt enodatæ.

EPITAPHIVM GVILLELMI LONGÆ-SPATÆ.

Quos defendebat Guillelmus nemo premebat,
Auxilio caruit lædere quem voluit.
Regibus ac Ducibus metuenda manus fuit eius,
Belliger Henricus Cæsar eum timuit.
Rexit Normannos viginti quinque per annos, B
Militis atque Ducis promptus in officiis.
Cœnobium pulcrè reparauit Gemmeticense.
Et decreuit ibi ferre iugum Monachi.
Feruidus inuicti coluit normam Benedicti,
Cui petiit subdi plenus amore Dei.
Distulit hoc Abbas Martinus, diua potestas,
Sana per arma mori prætulit omen ei.
Námque dolis Comitis Arnulfi nectus inermis
Corruit, æthereum possit habere Deum. Amen.

ANNO Dominicæ Incarn. MLXIII. Indict. II. Metropolitanam basilicam in vrbe Rotomagensi (quam Rodbertus inchoauit) Maurilius Archiepiscopus in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ cum ingenti tripudio mense Octobrij dedicauit. Hic annus Henrici IV. Imperatoris erat octauus, & Philippi filij Henrici Regis Francorum quartus, quo anno Cinomannis subiugata est Normannis. C Decimus quoque erat annus à bello quod Guillelmus & Guido fecerunt Valesdunis. Tunc Michaël Diogenem vitricum suum de Augustali throno præcipitauit, & sceptrum Constantinopoleos paulò pôst turpiter amissurus inuasit. In Anglia mortuo Rege Eduardo, magna turbatio facta est, dum periurus Heraldus Goduini filius, qui de regia propagine non prodierat, vi & fraude regnum nactus est.

Anno milleno sexageno quoque seno
A genito Verbo, contrito Rege superbo,
Anglorum meta crinem sensere Cometa.

In ipso anno Senlacium bellum factum est, & perempto Heraldo Guillelmus II. Idus Octobris triumpho potitus est, & in die Natalis Domini Rex coronatus est.

XLV. *Peruigil Antistes in eadem Sede Ioannes,*
Legis Apostolicæ studuit documenta tenere.

Hic filius Radulfi Baiocarum Comitis Præsul Abrincantensis Ecclesiæ fuit, & inde ad Archiepiscopatum assumptus x. annis tempore Alexandri & Gregorij VII. Paparum claruit.

XLVI. *Post hunc Guillelmus vir nobilis atque benignus,* D
Catholicè plebem tractauit Rothomagensem.

Hic secundus Cadomensis Abbas fuit, & indè tractus, in Archiepiscopatu XXII. annis tempore Gregorij, Victoris, Vrbani & Paschalis Paparum floruit. Ipse Guillelmum Regem & Mathildem Reginam Cadomi sepeliuit: & filius eorum Rodbertus Ducatum Normanniæ, & Guillelmus regnum Angliæ obtinuit.

ANNO ab Incarn. Domini MXCV. siccitas & mortalitas hominum fuerunt, & stellæ quadam nocte mensis Maij de cœlo cadere visæ sunt. Vrbanus Papa apud Clarum-montem ingens Concilium tenuit, & iter in Hierusalem contra Paganos inire Christianos admonuit. Tunc fames magna fuit in Gallia. Anno Domini MXCIX. Indict. VII. Hierusalem, gentilibus deuictis qui eam diu tenuerant, à sanctis peregrinis capta est: & Vticensis Ecclesia S. Ebrulfi Abbatis Idus Nouembris dedicata est. Sequenti anno Guillelmus Rufus Rex Anglorum in vena-

GVILLELMVS II. 1080

A tione sagitta percussus IV. Kal. Augusti obiit: eóque apud Guentam sepulto, Henricus frater Nonas Augusti Lundoniæ coronatus sceptrum regni suscepit: iámque XXVII. annum in fascibus agit. Prospera mundanæ felicitatis dante Deo copiosè habuit, ac aduersa nihilominus in variis euentibus prolis & amicorum & multiplici perturbatione subiectorum pertulit. Philippus XLIII. annis regno Francorum functus obiit, eique Ludouicus filius eius nono anno Henrici Regis successit.

XLVII.

Brito Gaisfredus , sapiens , facundus , acerbus.
Culmen Episcopij tenet , & dat pabula plebi.

Hic Decanus Cœnomanensis Ecclesiæ fuit, tempore Hoëli & Hildeberti venerabilium Præsulum, & XLVII. Rotomagensem Metropolim iam X. & VII. annis tempore Paschalis, Gelasij, Calixti, & Honorij Paparum rexit. Henricus V. & Lotharius præfuerunt Latiis, & Alexius atque Ioannes filius eius Pelasgis. His temporibus multa in orbe contigerunt memoranda, quæ suis in locis notitiæ poste-B rorum officio calami veraciter erunt assignanda, si vita mihi comes fuerit stipata cælesti beneficio & gratia.

AD LINEAM propositæ relationis remeare volenti, ô benigne Lector, quæso parce mihi. Prolixam digressionem pro Rodomensibus iam feci Episcopis, continuam successionem eorum caritatiuè appetens pleniter enucleare posteris. Hac itaque de causa Chronographiam octingentorum ferè annorum patraui, & omnes Romanos Apostolicos ab Eusebio Papa seriatim nominaui, vsque ad Lambertum Hostiensem, qui vocatur Honorius, & nunc præest Apostolicæ Sedi. Omnes etiam Augustos à Constantino Magno Constantinopoleos conditore huic Opusculo inserui, vsque ad Ioannem Alexij filium, qui nunc regnat Constantinopoli, & vsque ad Lotharium Saxonicum, qui Romani nunc tutor est Imperij. Amodo ad res nostri temporis nostræque regionis reuertar: & quæ in Neustria sub Guillelmo Rege post Concilium Illebonæ gesta sunt enarrare aggrediar.

SEDITIOSI tyrones Rodberto iuueni Regis filio adulati sunt, eúmque ad C inutiles ausus prouocantes dixerunt: Nobilissime fili Regis, vt quid in ingenti pauperie degis? Patris tui satellites regale sic seruant ærarium, vt vix vnum tuis clientibus indè possis dare denarium. Hoc ingens tibi est dedecus, & nobis damnum, aliísque pluribus, quòd sic alienaris à regiis opibus. Cur hoc pateris? Ille merito debet diuitias habere, qui largiter eas omni petenti nouit distribuere. Proh dolor! tua miserabiliter frustrata est maxima largitas, dum te per patris tui tenacitatem nimia opprimit paupertas, qui tibi suos, imò tuos præposuit asseclas. Hoc, ô strenue vir, quamdiu perferes? Eya viriliter exurge: à genitore tuo partem regni Albionis exige, aut saltem Ducatum reposce Normanniæ, quem tibi iamdudum concessit coram Optimatum, qui adhuc præsto sunt, agmine. Non decet te diutiùs perpeti; vt dominentur tibi naturales serui tui: tibíque quasi aduenæ mendico hereditarias opes denegent postulanti. Si pater tuus tibi acquieuerit, & quod petieris dederit, viuacitas tua & incomparabilis probitas magnificè patebit. Si verò in sua pertinacia perstiterit, & suadente sua cupidine debitum tibi honorem denegauerit, leoninam animositatem arripe, indecentem clientelam abiice, tuorúm-D que amicorum consiliis & suffragiis fruere. Nos sine dubio promptos habebis ad omnia quæ volueris.

HVIVSMODI hortatu Rodbertus tiro acriter in ira vel cupiditate accensus est, & accedens ad patrem sic locutus est: Normanniam, Domine mi Rex, da mihi, quam dudum antequam contra Heraldum in Angliam transfretares mihi concessisti. Cui pater respondit: Incongruum est, fili, quod poscis. Per virtutem Normannicam obtinui Angliam. Hereditario iure possideo Normanniam, ipsámque de manu mea dum aduixero non eiiciam. Rodbertus dixit: Quid ergo faciam, vel quid meis clientibus tribuam? Pater autem respondit: Conuenienter mihi in omnibus obsequere, & vbique mecum vt filius cum patre sapienter dominare. Rodbertus ad hæc: Mercenarius tuus semper esse nolo. Aliquando rem familiarem volo habere, vt mihi famulantibus digna possim stipendia retribuere. Competentem igitur quæso mihi Ducatum præbe, vt sicut tu regno præfueris Angliæ, sic ego semper tibi subiectus præsim Ducatui Normanniæ.

GVILLELMVS II. 1080. Rex autem dixit. Præproperum est, fili, quod optas. Noli timere patri tuo velle dominatum præripere, quem ab illo debes (si dignus fueris) opportuno tempore cum fauorabilibus populi votis in Dei benedictione suscipere. Optimos elige tibi Consiliarios, & prudenter præcaue temerarios, qui te stimulantes impudenter incitant ad actus nefarios. Reminiscere quid Absalon fecerit, qualiter in Dauid patrem suum rebellauerit, & quàm malè tàm illi quàm Architophel & Amasæ, aliisque Consiliariis & fautoribus suis contigerit. Normanni te ad stultos conatus prouocant, vt turbatis rebus indisciplinatè agant, nefariásque actiones impunè exerceant. Noli acquiescere petulantum persuasionibus iuuenum, sed à Guillelmo & Lanfranco Archiepiscopis, & aliis Sophistis, maturisque Proceribus inquire consilium. Quod si diligenter obseruaueris, in fine de bono prouentu opportunè gloriaberis. Si verò Roboam, qui Banaiæ & aliorum sapientum monita spreuit, imitatus fueris, & iuuenum iussis obsecutus fueris, deiectione & repulsa (quibus ipse suis & exteris viluit) diu mœrens potieris. Robertus dixit: Huc, Domine mi Rex, non accessi pro sermonibus audiendis, quorum copia frequenter vsque ad nauseam imbutus sum à Grammaticis. Verùm de debito, quem præstolor, honore, mihi satis responde; vt sciam quid mihi conueniat facere. Hoc pro certo fixum est apud me, & omnibus volo notum esse, quòd vlteriùs in Normannia nemini militabo sub mancipiorum futili conditione.

His auditis iratus Rex dixit: Iam dixi tibi sat manifestè, nec piget iterum adhuc enucleatiùs tibi reserare: quòd natale solum Normanniæ nolo in omni vita mea de manu mea eiicere. Angliæ quoque regnum, quod ingenti nactus sum labore, nolo, nec mihi consultum est dum viuam diuidere: quia (sicut à Domino in Euangelio dicitur) omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Qui me regnare fecit, ipse mihi pro sua voluntate regnum mutabit. Hoc certissimum omnibus sit, quod dum viuam, Principatum meum nemini tradam, nec mortalem quemlibet regni mei participem faciam. Capiti meo à vicariis Christi sacrum diadema celebre impositum est, & regale sceptrum Albionis ferre mihi soli commissum est. Indecens igitur est, & omnino iniustum, vt quamdiu vitalibus auris perfruar, parem mihi vel maiorem in ditione mea quempiam patiar. Tunc Rodbertus audita patris irreuocabili diffinitione ait: Peregrina compulsus ad instar Thebani Polynicis adire, amodo extraneis tentabo seruire: si fortuna comitante possim in exilio stemma impetrare, quod intra patrios lares mihi denegatur cum dedecore. Vtinam Adrasto seni similem nunc conueniam, cui fide seruitutis munus alacriter offeram & à quo gratam remunerationem recipiam!

Rodbertvs his dictis iratus abscessit, & relicto patre de Normannia exiuit. Tunc cum illo abierunt Rodbertus de Bellismo, & Guillelmus de Britolio, Rogerius Ricardi de Benefacta filius, Rodbertus de Molbraio, & Guillelmus de Molinis, Guillelmus de Ruperia, aliique plures generositate pollentes, militari probitate insignes, superbia immanes, feritate contrariis hostibus terribiles, & ad arduum nefas inchoandum nimis procaces. Horum contubernio Rodbertus tiro inutiliter stipatus est, & extera per regna fermè quinque annis peruagatus est. Complicibus suis patrios iam gratis fundos concesserat, plurima quoque patrimoniis eorum augmenta nequicquam promiserat. Illi nihilominus vanis eundem pollicitationibus extulerunt, & sic sese mutuò mendacibus promissis exhortantes deceperunt.

Egressvs itaque Rodbertus de natali solo primum adiit auunculos suos Rodbertum Fresionem Satrapam Flandrensium, & Vdonem germanum eius Archipræsulem Treuerensium. Deinde nobiles alios expetiit, cognatos Duces Comitésque & potentes Oppidanos in Lotharingia, Alemania, Aquitania, & Vvasconia. Illis nimirum suas querelas deprompsit, in quibus falsa veris multoties permiscuit. Querimoniæ verò eius à multis libenter audiebantur, & à largis Baronibus ei multa munera dabantur. Porro ille quæ ab amicis liberalibus ad subsidium sui accipiebat, histrionibus & parasitis ac meretricibus insipienter distribuebat: quibus improuidè distractis, egestate graui compressus mendicabat, & æs alienum ab externis fœneratoribus exul egenus quæritabat.

Mathildis Regina filio materna compatiens ex pietate, ingentes sum-

A ptus auri & argenti, aliarúmque rerum preciosarum ei sæpè mittebat, Rege nescien- GVILLEL-
te. Quod vbi ipse comperiit, ei ne vlterius iteraret terribiliter prohibuit. Illa ite- MVS II.
rum eadem procaciter repetente, iratus Rex dixit: Vera est cuiusdam sapientis ni- 1080.
miúmque mihi probabilis assertio.

Naufragium rerum est mulier malefida marito.

Quis vlterius in hoc mundo fidam sibi & vtilem sociam reperiet? En collateralis mea (quam velut animam meam diligo, quam omnibus gazis & potestatibus in toto præfeci regno meo) inimicos meos insidiantes vitæ meæ sustentat, opibus meis summoperè ditat, & contra salutem meam studiosè armat, consolatur, ac roborat. Ad hæc illa respondit: Ne mireris, Domine mi, obsecro, si ego primogenitam prolem meam tenerè diligo. Per virtutes Altissimi, si Rodbertus filius meus mortuus esset, & in imo terræ septem pedibus ab oculis viuentium absconditus esset, meóque sanguine viuificari posset, cruorem meum pro illo effunderem: & plus quàm feminea imbecillitas spondere audet, paterer anxietatem. Quanam putas ratione, B vt me delectet diuitiis abundare, filiúmque meum nimia patiar? opprimi egestate? Procul sit à corde meo tanta duritia, nec vestra debet hoc mihi iubere potentia.

His auditis ferus Princeps expalluit, & intantum ira eius efferbuit, vt quendam Reginæ veredarum nomine Samsonem Britonem iussisset comprehendi, & mox oculis priuari. Verùm ille per amicos Reginæ, vt animositatem Regis agnouit, fugâ elapsus, edictum ferale deuitauit, ac ad Cœnobium Vticense actutum confugit. Ibi à Mainerio Abbate Regina precante susceptus est, & monachicum scema pro saluatione corporis & animæ salubriter indutus est. Callidus, & eloquens, atque castus fuit, & XXVI. annis in Ordine monachili vixit.

His temporibus in Teutonica regione quidam Anachorita vir bonus & sanctus erat, qui inter cetera virtutum insignia spiritum prophetiæ habebat. Ad quem Mathildis Regina legatos & xenia misit, ac vt pro marito filióque suo Roberto Deum oraret, suppliciter rogauit: ac vt vaticinium quod eis in futurum contingeret, sibi mandaret adiecit. At ille nuncios tantæ mulieris benigniter suscepit, induciásque respondendi vsque in diem tertium petiit. Illuscescente autem tertia die, C vocatis Reginæ responsalibus dixit: Ite, & hæc Dominæ vestræ de parte mea intimate. Secundum postulationem tuam Deum oraui, & hæc ipso monstrante in visione didici. Vidi quoddam pratum herbis & floribus pulcerrimè vestitũ, & equum in prato pascentem ferocissimum. Vndique stabat multitudo armentorum, quæ nimis concupiscebat depascere pratum: sed omnia feruidus sonipes abigebat, nec aliquod animal illuc introire sinebat, vt flores decerperet vel gramina conculcaret. Proh dolor: elegans & fortis cornipes subitò deficiens euanuit, & lasciuiens vacca tutelam prati florentis ad custodiendum suscepit. Protinus omnis animalium multitudo circumstantium illuc liberè accurrit, & vndique pratum depascens omnem eius pristinum decorem absque metu defensoris deuorauit, pedibus passim conculcauit, & stercoris colluuie commaculauit. Hæc videns obstupui, & à ductore meo qui hæc mihi ostendebat, quid significarent inquisiui. At ille cuncta diligenter exponens dixit mihi: Pratum quod vides significat Normanniam, & herbæ multitudi- D nem plebis in ea pacem habentis, & rerum abundantiam. Flores autem sunt Ecclesiæ, vbi Monachorum & Clericorum, Sanctimonialiúmque sunt cohortes pudicæ, vbi fideles animæ indesinenter inhærent fideli theoriæ. Porro effrenis caballus prætendit Guillelmum Regem Anglorum, sub cuius defensione sacer Ordo deuotorum securè militat Regi Anglorum. Auida vero animalia, quæ circumstant, sunt Franci & Britones, Morini & Andegauenses, aliæque gentes collimitaneæ, quæ nimis inuident felicitati Normanniæ, & paratæ sunt velut lupi ad prędam opes eius inuadere: sed Guillelmi Regis penitus repelluntur inuincibili fortitudine. Verùm postquàm ipse defecerit pro humana conditione, Rodbertus filius eius ei succedet in Ducatu Normanniæ. Mox vndique hostes eam circundabunt, & tutore lapso nobilem & opulentam regionem intrabunt, decore diuitiisque spoliabunt: & contempto Principe stulto totam Normanniam impiè conculcabunt. Ipse velut vacca lasciuiens libidini pigritiæque seruiet, & ipse primus Ecclesiasticas opes diripiet, spurcisque lenonibus, alisque lecatoribus distribuet. Talibus Principatum suum porriget, & ab his consilium in necessitatibus suis exiget. In Ducatu Rodberti ca-

GVILLELVS II. tamitæ & effeminati dominabuntur, sub quorum dominatione nequitia & miseria A
grassabuntur. Vrbes & villæ cremabuntur, basilicæ Sanctorum temerè violabuntur.
1080. Cœtus fidelium vtriusque sexus dispergentur, hominúmque multa milia ferro vel
» flamma perimentur: ex quibus multi sine pœnitentia & viatico labentur, & pro reatibus suis ad tartara sæua trahentur. Euentibus his Normannia subiacebit: & sicut olim vicinarum victrix gentium immoderatè tumuit, sic sub Duce lubrico & segni despicabilis erit, & telis vicinorum miserabiliter diúque patebit. Insipiens Dux nomine tantùm Principis cognominabitur, sed nebulonum vis ei deditæque Prouinciæ ad multorum perniciem dominabitur. Visio huiusmodi nuper mihi supplicanti apparuit, ipsámque mihi spiritualis iudex vt expositum est aperuit. Verumtamen dira, quæ imminent Normannis, ô venerabilis hera, non videbis. Nam post bonam confessionem in pace quiesces, & non mariti occasum, nec prolis infortunium, nec dilecti cespitis desolationem conspicies.

His itaque ab Anachoreta dictis nuncij reuersi sunt, & vaticinium læta cum tristibus continens Reginæ retulerunt. Homines verò subsequentis æui, qui Neustriæ strages perpessi sunt, vel incendia & cetera detrimenta senserunt, cladibus suis B
& horrendis infortuniis veridicum vatem veraciter experti sunt.

DENIQVE Rodbertum post multas & inutiles circumitiones hebetudinis suæ pœnituit: sed liberè ad iratum patrem (quem proteruè reliquerat) repedare nequiuit. Vnde ad Philippum Regem Francorum, consobrinum scilicet suum, diuertit: & ab eo adminiculum sibi obnixè poposcit. Quem ille suscepit, & in castrum Gerberracum direxit. Illud quippe castrum in pago Beluacensi situm est, & Neustriæ collimitaneum: positione verò loci, & muris, ac propugnaculis fortissimum. Helias quoque Vicedominus cum compari suo exulem gratanter regium suscepit, illisque suisque complicibus auxilium in omnibus spopondit. Moris enim est illius castri, vt ibidem duo pares domini sint, & omnes ibidem fugitiui suscipiantur vndecumque aduenerint. Ibi Rodbertus gregarios equites collegit, eisque & multis Baronibus Galliæ (si sibi suppetias aduenerint) multò maiora quàm dare posset promisit. Hac igitur occasione multa mala pullularunt, & filij perditionis fraude vel vi contra inermes & innocuos prodierunt, & innumeras iniquitates nequiter machinati sunt. C Multi de his, qui pacifici videbantur, & Regi seu clientibus eius adulabantur, ex insperato inimicis Reipublicæ iungebantur: à quibus affines dominique sui exheredatis vendebantur. Sic Normannia peiùs à suis quàm ab externis vexabatur, & intestina peste demoliebatur.

AT magnanimus Rex validos exercitus prouidè præparauit, in finibus Prouinciæ hostibus contiguæ per castella disposuit, contra omnes aduersarios viriliter vndique restitit, nec aliquem terram suam impunè prædari permisit. Hoc etiam quod tam propè limitem suum hostes sui sedem sibi elegerant, indignum duxit, nec sine terribili calumnia diutiùs pertulit. Vnde post Natale Domini in hibernis mensi-
1081. bus ferratas phalanges adunauit, & inimicos dira sibi comminantes apud Gerberracum visere vadit, & ferè tribus septimanis cum valida manu castrenses obsidione coërcuit. Præcipui pugiles in vtraque parte militabant, & frequenter electi fortitudine peritiáque militari ad conflictum conueniebant. Hinc Normanni & Angli, regiíque auxiliares de finitimis regionibus acriter insistebant: illinc Galli & D
vicini hostes Roberto cohærentes fortiter resistebant. Confligentibus illis plures deiiciebātur, sonipedes interficiebantur, & multa certantibus dāna coaceruabātur.

REGRESSO Rege Rotomagum, prouidi Proceres inierunt consilium, qualiter pacificarent patrem & filium. Ad hoc itaque consilium Rogerius Comes Scrobesburiensis, & Hugo de Grentemaisnilio, Rogerius de Bellomonte, cum filiis suis Roberto & Henrico, aliíque plures affuerunt, Regíque dixerunt: Sublimitatē vestram, magnanime Rex, humiliter adimus, & vt preces nostras clementer exaudias obsecramus. Prauo peruersorum monitu iuuenum Robertus iuuenis malè deceptus est, & inde multis ingens discrimen & detrimentum exortum est. Illum erroris sui pœnitet, sed huc sine vestro iussu accedere non audet. Vestram clemētiam, vt miserearis ei, suppliciter exorat, & per nos quos tibi fideles nouit hoc impetrare tentat. Reus est, & in multis peccauit: sed pœnitet eum, & idoneam emēdationē promittit. Omnes igitur nos vestram exoramus clementiam, vt supplicanti filio exorabilis piè

A condones indulgentiam. Deuiantem prosapiam corrige, redeuntem suscipe, pœnitenti benigniter parce. Pro filiis & fratribus cognatisque suis, qui cum Rodberto exulabant, turbati Optimates sollicitè Regem interpellabant. Quibus ille respondit: Miror quod tantoperè pro perfido supplicatis homine, qui nefas inauditum in regno meo ausus est incipere. Intestinos tumultus contra me commouit: tirones meos, quos alui, & militaribus armis decoraui, abduxit. Hugonem de Castello-nouo aliósque forinsecos hostes vndique mihi procurauit. Quis ex antecessoribus meis à tempore Rollonis talem pugnam à sobole sua perpessus est, vt ego? Guillelmum magni Rollonis filium, & tres Ricardos Duces Normanniæ, dominúmque meum & patrem Robertum considerate: & videte quàm fideliter filij patribus suis vsque ad mortem seruiere. Iste Ducatum Neustriæ & Comitatum Cœnomanensem mihi auferre satagit. Gallos & Andegauenses, cum Aquitanis & innumeris aliis in me terribiliter exciuit. Omne genus humanum si potuisset contra me commouisset, & me vobiscum trucidasset. Secundum diuinam legem per Moysen datam mortis reus est, & reatu similis Absalon pari nece multandus est.

GVILLELMVS II. 1081.

FREQVENTI colloquio Normannici Proceres Regem allocuti sunt; & dulci affatu precibúsque rancorem eius emollire conati sunt. Episcopi aliique religiosi viri diuinis sermonibus duritiam tumidi cordis contriuerunt. Regina & Legati Regis Francorum, nobilésque vicini & amici ad compaginandam pacem accesserunt. Tandem fortis Princeps tantorum assultibus Magnatorum cessit, & ex pietate victus sobolem suam cum collegis suis recepit. Normanniæ quoque Ducatum sicut olim apud Iuliam bonam æger concesserat ei post obitum suum, nunc iterum facta recapitulatione concessit Optimatum consultu suorum. Pace nimirum peracta Normanni & Cœnomanenses oppido gauisi sunt, qui iamdudum bellico labore per plures annos vehementer attriti sunt. Serenitas pacis diu quæsitæ inter Regem & filium eius celeriter obnubilata est. Proteruus enim iuuenis patrem sequi, vel ei obedire dedignatus est. Animosus verò Princeps ob ignauiam eius crebris cum redargutionibus & conuiciis palam iniuriatus est. Vnde denuò post aliquod tempus paucis sodalibus fretus à patre recessit, nec postea rediit; donec pater rediens Albericum Comitem vt Ducatum Neustriæ reciperet in Galliam ad eum direxit.

C SICVT pro conatibus prælibatis stomachans genitor temerariam prolem interdum maledixit, eíque pluries pleráque infortunia peroptauit: sic obsecundantem sibi prolem Guillelmum & Henricum amicabiliter benedixit. Ricardus enim filius eius, qui post Rodbertum natus fuerat, sed nondum militiæ cingulum acceperat, dum propè Guentam in noua foresta venaretur, & quandam feram caballo currente pertinaciter insequeretur, ad sellæ clitellam valido corili ramo admodum constrictus est, & lethaliter læsus. Dehinc eadem hebdomada pœnitens & absolutus, atque sacro viatico communitus est: nec multò pòst cum magno multorum luctu in Anglia defunctus est. Vuillelmus autem Rufus & Henricus patri fauentes paterna benedictione potiti sunt: fastigium Regni & Ducatus per plures annos obtinuerunt. Porro Agatha Regis filia, quæ prius fuerat Heraldo desponsata, postmodum Amfurcio Regi Galliciæ per procos petenti missa est desponsanda. Sed quæ priori sponso ad votum gauisa non est, secundo sociari valde abominata est. Anglum viderat & dilexerat. Sed Hibero coniungi nimis metuit, quem numquam perspexerat. Omnipotenti ergo effudit precem lacrymo-D sam, ne duceretur ipsa in Hispaniam, sed ipse potiùs susciperet eam. Orauit, & exaudita est; obitérque virgo defuncta est. Deinde corpus eius ad natale solum à ductoribus relatum est, & in Ecclesia sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis in vrbe Bajocensi sepultum est. Adelidis pulcherrima virgo iam nubilis deuotè Deo se commendauit, & sub tutela Rogerij de Bellomonte sancto fine quieuit. Constantia Ferganno Comiti Britonum Nanticensis filio Bajocis data est à patre cum ingenti tripudio, quæ in Britannia mortua est sine filio.

STEPHANVS Blesensis Palatinus Comes cum Guillelmo Rege firmare volens amicitiam, requisiuit ab eo in coniugium Adelam eius filiam. Quæ consultu prudentum à patre illi concessa est, & cum magno satis tripudio

GVILLELMVS II. 1081. illi sociata est. Ille apud Bretollium eam desponsauit, & apud Carnotum A honorabiles nuptias fecit. Hic Theobaldi filius fuit Palatini Consulis, & nepos Bertæ Britonum Comitissæ & Cœnomanensium. Præcipuos Consules Odonem & Hugonem fratres habuit; & filios quatuor, Guillelmum, & Tedbaldum, Stephanúmque, & Henricum ex præfata coniuge genuit. Quorum tres priores sunt potentes Consules, & inter maximos Francorum computantur & Anglorum Proceres. Primogenitus Guillelmus gener Gilonis de Soleio & heres, vir bonus est & pacificus, & sobole pollens atque facultatibus. Tedbaldus heres hereditatis paternæ multiplici virtute viget atque probitate. Stephanus autem gener Eustachij Boloniensis Consulis & heres, dono Henrici Regis auunculi sui Comitatum Moritolij in Normannia, & multos in Anglia obtinuit honores. Henricus verò diuinæ ab infantia militiæ in Cœnobio Cluniacensi mancipatus est, & sub Monachili norma, sacræ legis litteras pleniter edoctus est. In qua, si bene perseuerauerit, regni cælestis heres erit, mundique contemptu mundanis Primatibus spectabilis præstabit. Hoc de progenie Guillelmi Regis breuiter caraxatum ad præsens sufficiat: quia me B feruida voluntas ad complendam promissionem meam iugiter stimulat, & reddere votum me cogere non cessat.

ÆTERNVS dispositor rerum nauem suam inter procellas seculi potenter vehit, & sapienter gubernat; & in vinea sua colonos quotidie laborantes benigniter adiuuat, atque infusione cælestis gratiæ contra labores & pericula corroborat. En Ecclesiam inter bellicosos tumultus & militares strepitus prouidè dirigit, pluribúsque modis augmentando salubriter prouehit. Hoc Vticense Monasterium plausibiliter expertum est, quod in sterili rure, & inter pessimos affines consitum est: sed ope supernæ pietatis contra perfidorum minaces conatus defensatum est. MAINERIVS Abbas mense Iulio huius Ecclesiæ curam suscepit, eíque XXIII. annis, & VII. mensibus vtiliter præfuit. Porro XCII. Monachos ad agendum opus Dei prudenter in eius ouile locauit, & qualiter ibidem habere se deberent studiosè instituit. Basilicam verò nouam domósque Monachis necessarias construere cœpit, Deóque opitulante sat eleganter in regione deserta consummauit. Bona fama religionis eorum C Vticenses vbertim nobilitauit, & multos potentes atque mediocres ad amorem eorum prouocauit. Plures ad eos cucurrerunt, vt eis societate necterentur, & beneficiorum participes erga Deum fieri mererentur. Dabant terrena, vt à Deo reciperent cælestia.

QVIDAM amore Dei feruentes seculum relinquebant, & res suas iuxta Regulæ statutum Monasterio tradebant, & amicos ac parentes suos ad simile propositum monitis & precibus compellebant. Ex his fuerunt Rogerius de Sappo, & Odo frater eius, Serlo de Orgeriis, & Razso Ilberti filius, Odo Dolensis, Goisfredus Aurelianensis, & Ioannes Remensis, alíique plures litterarum peritia instructi, & deitatis ad cultum idonei. Nonnulli generositate pollebant, & exterioribus curis in rebus Ecclesiasticis vigebant. Nam Drogo filius Goisfredi de Nouo-mercato, & Rogerius Erneisi de Coluncis filius, nepos Guillelmi de Garenna, & Ernaldus Vnfridi de Telliolo filius, nepos ex sorore Hugonis de Grentemaisnilio, & Goisbertus medicus, curiales erant: & procuratione sua terras & Ecclesias, decimásque fratribus suis D acquirebant. His profectò adiutoribus vsus est Mainerius, & per eos creuit Ecclesia commodis, rebus, & bonis habitatoribus.

PRÆFATVS Abbas Fulconem de Guarlemuilla virum solertem & idoneum ad regendam domum sibi socium elegit, illíque Præposituram Monasterij sui commisit. Hic nempe Fulconis Decani Ebroicensis filius fuit, & in ordine flagrans Abbatem suum diligenter in omnibus adiuuit: patrem quoque suum, magnámque patrimonij sui partem Ecclesiæ suæ attraxit. Præfatus Decanus ex discipulis Fulberti Carnotensis Episcopi fuit, & ex paterna hereditate feudum militis possedit. Illius etiam tẽporis ritu nobilem sociam nomine Orieldem habuit, ex qua copiosam prolem generauit. Octo enim filios habuit, & duas filias, quorum nomina sunt hæc. Guarinus, Christianus, Radulfus, Guillelmus, Fulco, Frodmundus, Hubertus, & Galterius, cognomento Tirellus: Aluuisa, & Adelidis. Tunc quippe in Neustria post aduentum Normannorum intantum dissoluta erat castitas Clericorum, vt non solùm Presbyteri, sed etiam Præsules liberè vterentur thoris concubinarum, & pa-

A Iam superbirent multiplici propagine filiorum ac filiarum. Huiusmodi mos inoleuit tempore neophytorum, qui cum Rollone baptizati sunt, & desolatam regionem non litteris, sed armis instructi violenter inuaserunt. Deinde Presbyteri de stirpe Dacorum litteris tenuiter edocti parrochias tenebant, & arma ferentes laicalem feudum militari famulatu defendebant. Tandem Bruno Lotharingus Tullensis Episcopus Romam ascitus est, Deóque dispensante Leo Papa factus est. Hic in itinere dum Romam expeteret, Angelos canentes audiuit: *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis, &c.* Prædictus Papa multis bonis studuit, bene agendo & bene docendo subditis insigniter præfuit. In Gallias anno Dominicæ Incarnationis MXLIX. venit, Ecclesiā S. Remigij Remorū Archiepiscopi Kal. Octobris dedicauit, & corpus eius instinctu Hermari Abbatis in locum, vbi nunc veneratur, gloriosè transtulit. Tunc ibidem generale Concilium tenuit, & inter reliqua Ecclesiæ commoda quæ instituit, Presbyteris arma ferre, & coniuges habere prohibuit. Exinde consuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre Presbyteri iam gratanter desiere, sed à pellicibus adhuc nolunt abstinere, nec pudicitiæ inhærere. GVILLELMVS II. 1080.

B

SVPRADICTVS Fulco Decanus diutinæ corruptionis sanie fœdatus, ad meliora mentem extulit: iámque silicernius consilio monitúque Fulconis filij sui Vticum confugit, & Monachatum, non tam seculum derelinquens, quàm à seculo derelictus, impetrauit. Hic dum Monachus factus est, Ecclesiam de Garleinuilla, & terram ad eam pertinentem S. Ebrulfo dedit, aliámque terram similiter dedit, quam in eadem villa Hugo Baiocensis Episcopus ei dederat, quámque idem diu à Guillelmo Osberni filio nepotis præfati Præsulis tenuerat. Guillelmus autem Fulconis filius hæc in Capitulo palam concessit, & cum patre suo heres ipse donationem super altare sancti Petri posuit, & inde pro recognitione tunc vnciam auri ex charitate Monachorum recepit. Hæc etiam Guillelmus de Britolio, & Gillebertus Crispinus cum duobus filiis suis concesserunt: ibique testes tunc affuerunt Rogerius de Cleris, & Hugo Asinus, Rodbertus de Stotauilla, & Rodulfus de Lalanda, Rodulfus de Fornellis, atque Gualterius de Caluimonte, Guillelmus de Longa-villa, & Gernenguillus. Hæc Guillelmus Guastinellus coram Richerio de Aquila concessit, & pro concessione vnciam auri habuit. Ibi testes affuerunt Guillelmus Halis, & Morinus de Pino, Rodbertus filius Helgonis, & Rodulfus Cloëthus.

C

POSSESSIONES Vticensis Ecclesiæ volo hîc breuiter annotare, vt eleemosynæ fideliter datæ pateant nouitiorum notitiæ: vt vtentes eis sciant à quibus vel quo tempore datæ sint vel precio comparatæ. Auidi quippe possessores terrenorū caducis inhiant, de summis & æternis parum cogitant, ideóque quia plures vix aliquid pro spe superna, nisi temporale commodum viderint, agere tentant, decimas, quas Dominus ab Israëlitis per Moysen sibi ad vsum Sanctuarij & Leuitarum exegit, nostrates laici retentant: nec ministris Ecclesiæ, nisi magno redimantur precio, reddere affectant. Vnde solliciti Xenodochiorum dispensatores laicos, vt decimas Ecclesiæ Dei redderent, admonuerunt, eísque quoquomodo auferre ardentes ingentem pecuniam dederunt: ignorantes quòd venditionem huiusmodi & emptionem sacri Canones omnino prohibuerunt. Porro in modernis etiam Conciliis sacri Præsules illicitum mercimonium anathemate perculerunt: sed respectu misericordiæ præteritos reatus indulserunt, & res, quas Ecclesia tunc possidebat, perenniter possidendas Pontificali auctoritate concesserunt.

D

MEDIOCRES viri Vticensem Abbatiam in sterili rure condere cœperunt, tenuésque res latéque dispersas ad victum fratrum iuxta mediocritatem sui contulerunt. Vndique vicini paupertate premuntur, & egestate nequitiáque lacessiti, dolis & furtis atque rapinis instare moliuntur: vnde Vticenses Monachi de longinquo victum sibi hospitibúsque aduenientibus procurare coguntur. Verùm, quia regulari disciplinæ à primordio institutionis suæ mancipati sunt, summi Proceres & religiosi Præsules eos dilexerunt, darísque rebus necessariis in decimis Ecclesiísque & aliis donationibus, fideliter venerati sunt.

GVILLELMVS II. 1080.

RADVLFVS igitur de Conchis filius Rogerij de Toënia, qui fuit Normannorum famosus Signifer, cùm vellet in Hispaniam proficisci, Vticum venit in Capitulum S. Ebrulfi, & à Mainerio Abbate veniam petiit, & à Conuentu Monachorum, quòd ipse iamdudum adiutor extiterit Ernaldi de Excalfoio, dum incenderet burgum eorum. Et Monachis indè rectitudinem faciens, super altare vadimonium suum posuit: & deuotè, si prosperè remearet, multa promisit. Goisbertum quoque medicum (quem multùm amabat) eis commendauit: qui post profectionem eius è vestigio Monachilem inibi professionem fecit, & vsque ad finem vitæ ferè XXX. annis strenuè custodiuit. Præfatus heros post aliquod tempus domum rediit, memórq; sponsionis suæ Vticum venit, & duas vinearum agripennas, quas apud Toëniam habebat, ad vsum Missarum S. Ebrulfo dedit. Annuit etiam quicquid ad Guarlenuillam habebat, terram scilicet ac pasnagium: itaut primum pasnagium famulorum non daretur, secundum verò vel tertium daretur, Monachorum autem nullum daretur. Præterea tres hospites Monachis dedit, vnum Conchis, alterum Toëniæ, tertium verò Achineio, quem Geroldus Gastinellus de eo tenuerat, & beato patri Ebrulfo sponte dederat. Idem Rodulfus post aliquot annos Goisbertum Monachum in Angliam secum duxit, eóque procurante Monachis Vticensibus duas mansiones dedit, vnam scilicet in Nortfuc, quæ vocatur Caldecota, alterámque in Vvigornensi Prouincia, quæ dicitur Aluuintona. Hæc omnia Guillelmus Rex concessit, & in Carta coram Proceribus suis regali auctoritate confirmauit. Helizabet etiam præfati militis vxor, & Rogerius atque Radulfus filij eius omnia benigniter concesserunt; harúmque donationibus rerum testes interfuerunt, Rogerius de Clera, Galterius de Hispania, Guillelmus de Paceio, Robertus de Romilleio, Geroldus Gastinellus, Gislebertus Turoldi filius, Rogerius de Mucegros, & Gualterius de Caluimonte.

TVNC Rodbertus de Vals dedit S. Ebrulfo de duabus partibus decimæ de Berneriis medietatem. Rogerius autem filius eius post obitum patris sua concessione prædictam eleemosynā corroborauit; pro qua concessione XL. solidos Drocensium recepit, & vxor eius X. solidos ex charitate Monachorū habuit. Hoc sæpedictus Radulfus, qui capitalis dominus erat, gratanter annuit: & concessionē à coniuge sua soboléq; benigniter exegit. Hic insignis militiæ probitate claruit, & inter præcipuos Normanniæ Proceres diuitiis & honoribus maximè floruit, ac ferè LX. annis Neustriæ Principibus Guillelmo Regi ac Rodberto Duci filio eius strenuè militauit. Agnetem vterinam sororem suam Ricardi Ebroicensium Comitis filiam noctu surripuit, & Simoni de Monteforti in matrimonium dedit. Ipse quoque pro recompensatione filiam eiusdē Simonis nomine Isabel vxorem accepit, quæ nobilem ei prolem Rogeriū & Rodulfum peperit, filiámque nomine Godehildem, quæ priùs Rodberto nupsit Mellentensiū Comiti, deinde Balduino filio Boloniensium Consulis Eustachij. Denique Radulfus senex post plurimos euentus lætos tristesque IX. Kal. Aprilis obiit, & Radulfus filius eius ferè XXIIII. annis patrium ius obtinuit. Ambos, vt improba mors sibi eos subdidit, sepultura in Cœnobio B. Petri Castellionis cum patribus suis suscepit. Isabel verò postquàm in viduitate diu permansit, lethalis lasciuiæ (cui nimis in iuuentute seruierat) pœnitens seculum reliquit, & in Monasterio Sanctimonialium apud Altam-Brueriam velum suscepit, ibique vitam suam laudabiliter in timore Dei perseuerans salubriter correxit.

POSTQVAM Guillelmus Comes Osberni filius Flandrensium armis occubuit, Guillelmus Rex eius honorem filiis eiusdem distribuit, Guillelmo Bretolium totámque patris possessionem in Normannia, & Rogerio Herfordensem Comitatum in Anglia. Guillelmus autem, qui moderatior extitit, Vticense Cœnobium valde dilexit, & plura illi beneficia pro animabus parentum suorum contulit. Nam textum Euangeliorum auro argentóque & lapidibus ornatum per Rogerium Monachum de Sappo transmisit, & omnia que homines sui sancto Ebrulfo dederant seu vendiderant, concessit. Centum etiam solidos de theloneo suo de Gloz per singulos annos modò annuit, & Chartam huiusmodi coram Optimatibus suis gratanter confirmauit.

EGO *Guillelmus de Britollio filius Guillelmi Comitis, do beato Ebrulfo & eius Monachis de theloneo de Gloz centum solidos nummorum ad pisces emendos, vno quoque anno in capite*

Qua-

A *Quadragesimæ pro redemptione animæ patris mei & matris meæ: & vt anniuersaria eorum & meum à cunctis Monachis festiuè agantur, & in anniuersario vniuscuiúsque nostrum cibus & potus vnius Monachi pro illis detur pauperibus. In vita verò mea Missa de Trinitate in Monasterio cantetur vnaquáque Dominica die. Vnum burgensem in Britollio do, & quæque homines mei Ricardus Fresnel, ac Guillelmus Halis, & Radulfus de Lacunela, aliique dederunt, eis concedo. Hæc præsentialiter do, illísque consilium & auxilium & plura beneficia fideliter inantea promitto. Et qui hæc subtraxerit post obitum meum, excommunicetur.* GVILLELMVS II. 1081.

SVBSCRIPTIONE autem sua præsentem Cartam confirmauerunt præfatus Guillermus de Britollio, & Radulfus Capellanus, Guillelmus Dapifer filius Baronis, & Ernaldus Ernaldi filius, atque Robertus de Loueriis.

DENIQVE anno ab Incarnatione Domini MXCIX. indict. VII. sæpedictus Guillelmus dedicationi Vticensis Ecclesiæ interfuit, & centum solidos de redditione census de Gloz centum solidis, quos antea S. Ebrulfo dederat, adiecit: & in præsentia trium Episcoporum, & quinque Abbatum, totiúsque populi cum Clero astante donationem super altare adhuc sacrosancta consecratione madidum deposuit. B Non multò pòst, tempore Rodberti Ducis apud Beccum II. Idus Ianuarij obiit, & in claustro Lirensis Cœnobij (quod in proprio pater eius fundo fundauerat) sepultus quiescit: cuius anniuersaria dies in Vticensi Monasterio singulis annis festiuè fit. Deinde sigillo Henrici Regis Anglorũ munita est Charta donationis præfatarum X. librarum: & successores Guillelmi Eustachius & Radulfus de Gader, atque Robertus de Legrecestrâ Monachis concesserunt, & vsque in hodiernum diem optimè reddiderunt.

GVILLELMVS de Molinis annuente Albereda vxore sua beato Ebrulfo Ecclesiam de Maheru, cum decima & tota terra Presbyteri ad eandem Ecclesiam pertinente, & Cimiterio, dedit. In castro etiam de Molinis dedit Ecclesiam S. Laurentij, cum terra quam in dominio habebat iuxta castellum, sicut ipse eam tenebat. Hanc itaque donationem coram Optimatibus suis Gualterio de Aspris, & Ebrardo de Ruia, aliísque quibusdam in Capitulo fecit: & indè beneficium Ecclesiæ vt frater & munificus adiutor promeruit. Tunc Mainerius Abbas libe- C ralitate fratrum prædicto Marchioni XV. libras denariorum obtulit, ac ad aram ad confirmandam dationem cum Albereda Guitmundi filia (ex cuius patrimonio erat) adduxit. Illi autem libenter omnia quæ prælibata sunt, in conspectu totius Conuentus concesserunt, & super altare sancti Petri in Charta ritè confirmauerunt. Deinde post aliquod tempus præfatus heros Ecclesiam de Bonmolinis, cum decima tota segetum & molendini ac furni sancto Ebrulfo dedit: cui Rainaldus Paruus (qui tunc Monachorum iussu res eorum inibi seruabat) XXX. solidos caritatiuè contulit.

POSTQVAM Albereda duos marito suo filios, Guillelmum & Rodbertum enixa est, causa consanguinitatis diuortium inter prædictum virum & mulierem factum est. Guillelmus autem, peracto coram Pontifice dissidio, aliam duxit vxorem nomine Dudam filiam Gualeranni de Mellento, quæ duos eidem filios Simonem & Hugonem peperit, quos in iuuentute improba mors absque liberis ambos absorbuit. Albereda verò scema religonis suscepit, & in quodam Monasterio virginum Sanctimonialium vitam finiuit. Præfatus Guillelmus Gualterij de Falesia filius fuit, & in militia nimium viguit: vnde Guillelmus Princeps filiam Guitmundi cum toto ei honore Molinensi contulit. Futili vanæque laudi nimis inhæsit, D pro qua multorum reus homicidiorum extitit. Fertur quòd multum sanguinis fuderit, & quòd tam diræ crudelitatis fortuna infectus fuerit, vt nullus imminens lethum euasisset, qui ab eo quamuis parum vulneratus fuisset. In prosperis atque aduersis vsque ad annosam senectutem vixit, & quantum ad seculum attinebat, honorificè floruit. Tandem in castro suo XIIII. Kal. Nouembris decessit, & in Capitulo Vticensi tumulatus quiescit.

RODBERTVS autem filius postquam hereditatem auitam obtinuit, futuræ salutis memor Vticum adiuit; & quicquid pater suus, materque sua dederant aut concesserant, concessit: & quicquid homines ipsius honoris donauerant aut vendiderant, sancto Ebrulfo benigniter annuit. Hanc itaque concessionem per textum Euangeliorum super altare portauit: ac postmodum ex cari-

Ccc

GVILLELMVS II. 1082. tate Monachorum quinque marcos argenti, & optimum cornipedem recepit. A Deinde paternum ferè XV. annis honorem legitimè rexit, & contra finitimos hostes (quia fortissimus licet hebes præliator erat) validissimè defensauit: vetitúmque Regis Henrici transgrediens, Engerrannum cognomento Oisonem armis impetiit, & contra illum militaribus studiis sæpiùs dimicauit. Vnde Regis animositas delatorum maledicis accusationibus inflammata illum exheredauit: & de Normannia cum Agnete filia Rodberti de Grentemaisnilio, quam nuper vxorem duxerat, in Apuliam expulit, vbi post aliquot annos per extera mappalia peruagatus morti succubuit. Principis itaque violentia maiori fratre depulso Simon successit; & omnia quæ antecessores sui dederant Vticensibus, cum Adelina coniuge sua gratanter annuit.

ROGERIVS de Monte-Gomerici, postquam Geroiana progenies cecidit, totum patrimonium Excalfoij & Monasterioli ferè XXVI. annis possedit: & in initio quamdiu Mabilia vxor eius (quæ Geroianos Ebrulfiani Monasterij fundatores semper exosos habuerat) vixit: Vticensibus illa stimulante pluribus modis molestus extitit. Denique iustus arbiter, qui peccatoribus piè parcit, & impœnitentes B districtè percutit, crudelem feminam, quæ multo sanguine madebat, multósque nobiles violenter exheredatos per externa mendicare coëgerat, permisit perire gladio Hugonis, cui castrum quod in rupe Ialgeij situm est abstulerat, & sic eum iniustè paterna hereditate priuauerat. Ille nimirum mœrens audaciam vehementem arripuit: iunctísque sibi tribus fratribus suis, qui militari probitate pollebant, noctu ad cameram Comitissæ accessit, ipsámque in municipio super Diuam, quod Buris dicitur, in lecto post balneum delicientem, pro recompensatione patrimonij sui ense detruncauit. Peracta itaque cæde feralis heræ, multi de ruina eius exultauere, tantíque facinoris auctores confestim in Apuliam abiere. Hugo de Monte-Gomerici cum XVI. militibus in eodem vico erat, qui audita clade matris suæ fugientes homicidas persequi, non comprehendere poterat; quia prouida calliditas eorum pontes fluuiorum ponè vestigia sua ne tenerentur à vindicibus destruxerat. Hiemale quoque tempus, & tenebrosa nox, fluminúmque inundationes persequentes impediebant, & fugientes vltione facta Normanniam statim relinque- C bant. Denique Troarnensis Conuentus (cui Durandus Abbas præerat) cadauer frustratim dilaceratum Nonas Decembris sepeliuit: & non ob prærogatiuam meritorum, sed pro fauore amicorum super tumulum has nænias edidit.

Altâ clarentum de stirpe creata parentum
Hac tegitur tumba maxima Mabilia.
Hæc inter celebres famosa magis mulieres
Claruit in lato orbe sui merito.
Acrior ingenio, sensu vigil, impigra facto,
Vtilis eloquio, prouida consilio.
Exilis forma, sed grandis prorsus honestas,
Dapsilis in sumptu, culta satis habitu.
Hæc scutum patriæ fuit, hæc munitio marchæ,
Vicinisque suis grata vel horribilis.
Sed quia mortales non omnia possumus omnes,
Hac periјt gladio, nocte perempta dolo.
Et quia nunc opus est defunctæ ferre iuuamen,
Quisquis amicus adest subueniendo probet. D

POST interfectionem Mabiliæ Rogerius Comes aliam duxit vxorem nomine Adelaisam Ebrardi de Pusacio, qui de nobilissimis Francorum Proceribus erat, filiam. Prædictus Consul ex priori coniuge procreauit quinque filios & quatuor filias, quorum nomina hæc sunt. Robertus de Bellismo, Hugo de Monte-Gomerici, Rogerius Pictauinus, Philippus, atque Arnulfus; Emma Sanctimonialis & Almaniscarum Abbatissa, Mathildis Comitissa, vxor videlicet Roberti Moritoliensium Comitis, Mabilia coniux Hugonis de Nouo-castello, & Sibylia vxor Roberti filij Haimonis. De secunda verò coniuge vnum genuit filium nomine Ebrardum, qui litteris imbutus inter regales Capellanos vsque hodie demoratus est in aula Guillelmi & Henrici Angliæ

A Regum. Sequens à priori matrona diſpar moribus extitit. Nam maturitate & religione viguit, virúmque ſuum ad amorem Monachorum, & defenſionem pauperum frequenter incitauit.

PRÆFATVS igitur heros mala quæ plerúmque fecerat Vticenſibus recoluit, priſtinóſque reatus ſequentis vitæ emendatione ſagaciter abolere ſtuduit: Viriliter enim poſtmodum Monachos adiuuit, & in Normannia & Anglia plurimas res illis erogauit, & inde Chartam huiuſmodi coram Proceribus ſuis voluntariè ſanxit.

EGO Rogerius Dei gratia Scrobesburienſis Comes Cœnobium ſancti Patris Ebrulfi honorare appeto, & hæc eidem de rebus meis pro ſalute mea meorúmque perenniter concedo. Per ſingulos annos intrante Quadrageſima XXX. *ſolidos Cænomanenſis monetæ de redditione Alencionis iubeo dari ad illuminationem die noctúque faciendam in Eccleſia Vticenſi ante Crucifixum Domini. Paſſagium etiam ipſius Alencionis & omnes conſuetudines in tota terra mea de propriis Sancti rebus concedo; & in omnibus nemoribus meis paſnagium de Monachorum porcis in perpetuum indulgeo. Ad Excalfoium terram vnius aratri dono, decimámque molendini, & decimam omnium redditunm eiuſdem caſtri irrefragabiliter annuo; decimámque nundinarum de Planchis de parte mea libenter addo. Eccleſiam de Raddone, totámque decimam, quam Guillelmus Sor ſancto Ebrulfo dedit, & Eccleſiam ſancti Iobini, totámque decimam, quam Rainaldus Presbyter dedit, Odo de Pireto conceſſit: & in Eccleſia de Baillol altare ſancti Leonardi, & vnam partem decimæ eiuſdem villæ cum terra, quam Rainaldus de Baillol, & Aimeria vxor eius neptis mea dederunt, ex propria deliberatione pro Dei amore concedo. In Anglia quoque dono duos manerios, Onnam & Merſitonam in Staphord ſcira, decimámque caſeorum meorum & lanarum de Pultona: & quicquid habeo in Melleburna in Grantebruge ſcira: & vnam hidam terræ in graphan in Suthſexia; & terram Vulfuini Aurifabri de Ciceſtra. Annuo præterea quæque Guarinus Vicecomes atque Guillelmus Pantulfus & Hugo de Meſdauid, aliique homines mei hactenus ſancto Ebrulfo in Anglia ſeu Normannia dederunt. Hæc omnia concedentibus filiis meis Roberto de Belliſmo, & Hugone, atque Philippo, pro redemptione animæ meæ & Mabiliæ ac Adelaidis coniugum mearum, meorúmque prædeceſſorum atque futurorum heredum in conſpectu Dei ſic annuo, & hoc teſtamentum ſigno ſanctæ Crucis confirmo, vt quicumque aliquid ex his imminuerit, infregerit vel abſtulerit, anathema ſit.*

HOC itaque teſtamentum Rogerius Comes fecit, ac ſubſcribendo corroborauit, & poſt eum apud Alencionem ſubſcripſerunt filij eius Rodbertus & Hugo atque Philippus Gramaticus, aliique Proceres ſui, Robertus Tedbaldi filius, & Hugo filius eius, Giſlebertus Coneſtabilis, & Hugo Turgiui filius, Fulco de Pino, & Engelbertus Præpoſitus, Rainaldus de Baillol, & Guillelmus Pantulfus, Odo de Pireto, aliique plures.

PRÆTEREA Rogerius Comes multa dedit aliis Eccleſiis, Troarnenſi, Sagienſi, Almaniſcenſi, Cluniacenſi, Cadomenſi, aliiſque plurimis, acceptis honoribus quos de paterna hereditate non eſt adeptus. Cœnobium quoque nouum ad Orientalem portam propriæ vrbis, id eſt Scroburiæ in honore ſancti Petri Principis Apoſtolorum cœpit ædificare ſuper fluuium qui Mola dicitur, ibique in Sabrina dilabitur. Illic nimirum lignea Capella priſcis temporibus à Siuuardo D conſanguineo condita fuerat: quam tunc Odelirius Aurelianenſis Conſtantij filius, vir ingenio & facundia, & litterarum eruditione præpollens, eiuſdem Conſulis dono poſſidebat. Hic ſanè amator æquitatis feruidus, vtiliſque iamdicti Comitis erat auricularius, ipſúmque benigniter exhortans ad conſtruendum Monaſterium, nutantíque qualiter vel quo tantum opus inciperet, huiuſmodi dans conſilium.

MVLTI (ſtrenue vir) veſtræ inhærent ſublimitati; ſed diuerſis intentionibus « vobis verbo vel actu conantur obſequi. Quidam enim pro libitu ſuo plus veſtra « ſibi cupiunt adipiſci, quàm vos ad permanſuros honores nanciſcendos ſalubriter « cohortari. Sed qui vobis nititur veraciter obſecundare, debet vos plus « quàm veſtra ſemper amare, & ea quæ ſalubriora ſunt animæ veſtræ indeſinenter « propinare. De conſtruendo Monaſterio, nobilis Heros, tractare cœpiſti: ſed in « illis, qui ſibi magis ardent dari, quàm aliis, commodum ſolamen ad tam arduum « opus non inueniſti. Videtur mihi ſaluberrimum eſſe Monachile Cœno- «

GVILLELMVS II. 1082.

bium erigere; & ibidem autenticum ordinem secundum institutionem sanctissimi A Patris Benedicti diligenter imponere, verísque pauperibus Dei de tuis abundantiis victum & vestitum affluenter erogare. Prouidè nunc intuere quæ sunt, „ quæ in regularibus Monasteriis ab eruditis cultoribus fiunt. Innumera ibi be„ neficia quotidie aguntur, & contra diabolum à castrensibus Christi viriliter di„ micatur. Nulli dubium est quod probo agonithetæ quantò acrior fuerit pugna, „ tantò gloriosior erit victoria, trophæique maior merces in cælesti curia. Quis „ referre potest Monachorum vigilias, hymnos & psalmodias, orationes & elee„ mosynas, & cum lacrymarum imbribus Missarum oblationes quotidianas? Chri„ sti sequaces ad hoc omnino vacant, vt sese crucifigentes Deo per omnia pla„ ceant. Ipsi nempe mundo mundanísque parasitis insultant, dum mundana ob„ lectamenta velut stercus deuitant, & mundanas opes pro superna spe contem„ ptibiliter conculcant. Asperitas illis inest & vilitas in vestitu, siccitas & par„ citas in victu, & propriarum resecatio voluntatum propter amorem Domini „ Iesu. Quid de castitate & omni continentia, quid de silentio Monachorum & B „ modestia, quid denique dicam de obedientia? Tantarum copia virtutum ma„ gnitudine sui meum obtundit ingenium, fateórque me non posse sufficien„ ter illam exprimere per oris officium. In regalibus claustris viri Cœnobitæ ve„ luti filiæ Regis clauduntur, ne si per exteriora tanquam Dina Liæ filia im„ pudenter euagantur, à Sichem filio Emor Euei ad iniuriam rigidi patris fe„ rociúmque dedecus fratrum turpiter corrumpantur. Ipsi tutores ne labantur „ in septis suis sibi fiunt, & lapsi per excessum in penetralibus suis accusatores „ sui sunt: seséque vt aurum in fornace ab omni scoria vitiorum omnimodis ex„ coquere satagunt. Vnde reor preces eorum (pro quibuscúmque fidelibus fue„ rint effusæ) ante thronum diuinæ maiestatis mox ascendere, & ab ipso Rege „ Sabaoth quæ poposcerint credendæ sunt obtinere. A secretis Monachorum à „ iuuentute mea diutius extiti, & mores eorum familiariter rimatus edidici. C „ Ergo dum omnium, qui in terra sunt, mortalium ritum discutio, & Heremi„ tarum atque Canonicorum vitas diligenter perspicio; omnes Monachorum, „ qui Canonicè viuunt & ordinatè reguntur, vita inferiores video. Vnde ge„ nerositatem vestram, gloriose Consul, fideliter admoneo, vt dum licet in Co„ mitatu vestro (quem iure à patribus non consecutus es hereditario) Mona„ chile castrum contra Sathan construatur Deo; vbi pro anima vestra cucullati „ pugiles Behemoth conflictu resistent assiduo. Ecce super Molam fluuium mi„ hi domus est, quam nuper dedisti: iuxta quam (sicut anno transacto ante aram „ sancti Petri Principis Apostolorum Romæ votum feci) lapideam ædificare ba„ silicam cœpi. Basilicam itaque, quam, vt dixi, sponte voto constrictus, face„ re nuper institui, domúmque meam cum omni apparatu meo gaudens offero „ Cunctipotenti; méque pro posse meo polliceor adiutorem ad omnia in no„ mine Iesu Christi. Exurge velociter, incipe viriliter, opus Dei fac insi„ gniter.

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

„ Multi profecto aderunt cooperatores, & post funus etiam vestrum pij D „ pro vobis oratores. In primis aduenientibus Monachis cum cementariis ad „ iaciendum Monasterij fundamentum, ad inchoationem huiuscemodi porri„ gam xv. libras sterilensium. Deinde meipsum, & Benedictum filium meum „ iam quinquennem, & omnia mea tradam Monasterio, tali tenore vt omnium „ rerum mearum medietas mecum subdatur Monachorum dominio: aliá„ que medietas Ebrardo filio meo dedatur sub Monachorum patrocinio. „ Porro primogenitum Ordericum videlicet meum iamdudum litteris im„ buendum liberali didascalo mancipaui, eique locum tutæ mansionis inter „ vernulas Dei apud Vticum in Neustria procuraui: pro quo eulogias be„ nedictionis, xxx. scilicet marcos argenti futuris eius magistris & consodali„ bus de porismate meo libenter erogaui. Sic pro Redemporis amore primoge„ nitum mihi filium abdico, & trans pontum in exilium destino, vt vltro„ neus exul inter exteros Regi militet æthereo: vbi liber ab omni parentum cura

A & affectu letifero, eximiè vigeat in obseruatione Monastica & cultu Dominico. GVILLELMVS II. Hæc inspirante Deo iamdudum desideraui, ac ad talia me progeniémque meam applicare studia peroptaui, vt merear opitulante gratia Dei cum prole mea inter electos in vltimo examine computari.

ANNO igitur ab Incarnatione Domini MLXXXIII. Indictione IV. Rogerius Comes, vt hortatus fidelis Consiliarij commodos esse comprobauit, Guarinum Vicecomitem, & Picotum de Saia, ceterósque Proceres suos V. Kal. Martij feria VI. conuocauit. Manifestata verò causa, & ab omnibus collaudata, cum eis ad Ecclesiam B. Petri Apostoli abiit, ibíque se Abbatiam constructuram palam testibus multis deuouit, totúmque suburbium, quod extra portam Orientalem situm est, sancto Petro donauit; & super aram per cirothecas suas donationem posuit. Eodem anno Sagienses Monachi Rainaldus & Frodo primitus illuc conuenerunt, & Monachiles Officinas, Odelerio & Guarino, aliísque multis adiuuantibus condere cœperunt. Primus Abbas illius Monasterij Guillelmo Rufo regnante eloquens Fulcheredus fuit, eique Godefredus Henrico regnante successit. Ambo literati & religiosi Pastores fuerunt, & ferè XL. annis Dominicum gregem diligenter B educare studuerunt. Ingenti cura res noui Monasterij exteriùs auxerunt, & instituta morum ad salutem animarum interiùs discipulis laudabiliter sanxerunt. Sæpe dictus quoque Odelerius pater Vitalis quod promiserat ex integro compleuit, datísque ducentis libris argenti Deo Benedictum filium suum ibidem obtulit, & ipse post obitum Rogerij Comitis Monachile scema suscepit. Ibi VII. annis secundum normam sancti Patris Benedicti Monachus Deo seruiuit, & feria VI. hebdomadæ Pentecostes post plurimos labores, quos pro Deo pretulerat, flebili confessione reatus suos detegendos texit, & sacra vnctione vnctus, & viatico munitus III. Nonas Iunij obiit. Rogerius autem Comes post mortem Guillelmi Regis Anglorum sex annis vixit, & longæuus heros inter præcipuos Optimates Angliæ floruit: & Abbatiam, quam eum construxisse dixi, terris ac redditibus mediocriter locupletauit. Ibi anno MXCIV. VI. Kal. Augusti defunctus est, & in basilica noua inter duo altaria honorificè sepultus est. Rodbertus verò filius eius totum feudeum eius in Normannia solus obtinuit, & quia crudelis & superbus & valde nequam erat, innumeras iniquitates exercuit. Hugo autem C de Monte-Gomerici Comitatum Scrobesburiæ habuit, sed post aliquot annos à Magno fratre Regis Northvvigenarum repente missili perforatus in littore maris occubuit, quem cum magno luctu deportatum Scrobesburiensis Cõuentus in claustro tumulauit. Aliis quoque duobus filiis Rogerio & Arnulfo singulos Comitatus callidus heros in vita sua procurauit, quos post eius occasum ambobus perfidia regnante Henrico confestim abstulit.

EN digressionem quantulamcúmque feci de constructione Monasterij, quod in fundo patris mei nunc inhabitat familia Christi: & vbi ipse genitor meus, (vt memini) iam sexagenarius sponte finetenus portauit iugum Domini. Parce quæso bone lector, nec molestum sit precor, si de patre meo aliquid memoriæ tradiderim litterarum: quem non vidi, ex quo me vt exosum sibi priuignum, & pro amore Creatoris pepulit in exilium. Iam XLII. anni sunt, in quibus multæ mutationes rerum latè per orbem factæ sunt. Dùm sæpè de his cogito, & quædam Chartis insero (cautè resistens ocio) sic dictans me exerceo. Nunc ad incœptam reuertar materiam, meísque iunioribus aduena indigenis de D rebus suis quæ nesciunt edisseram, & hoc eis modo vtiliter opitulante Deo deseruiam.

GOISBERTVS ciuis Carnotensis, vt dictum est, ad conuersionem venit, optimámque domum, quam in vrbe habuerat, XXX. libris Carnotensium vendidit, totúmque precium Vticensibus ouanter retulit. Hic erat statura procerus & exilis, moribus benignus & tractabilis, magnanimus & dapsilis. Et quia medicinæ artis erat peritissimus, multis erat notus & necessarius, ac familiaris amicus. Per ipsum itaque Fulcherius Carnotensis, & Petrus de Maulia, aliíque plures notitiam Vticensium amplexati sunt, & honestatem eorum cum religione venerantes, eis de rebus suis idoneam

GVILLELMVS II. portionem contulerunt. Præfatus quippe Fulcherius nobilitate cluebat, ex patrimonio suo magnam possessionem habebat, litterísque affatim imbutus, sanctæ Dei Genitricis Canonicus erat. Ipse de donatione rerum, quas sancto dederat Ebrulfo, Chartam fecit, ipsóque subtiliter & facetè dictante Rodbertus Andreas scriptor egregius hoc modo annotauit. A

EGO *Fulcherius Gerardi filius, B. Mariæ Carnotensis Ecclesiæ indignus qualiscumque Canonicus, multotiens mecum cogitans de statu meæ aliorúmque mortalium conditionis, omnia fermè quæ sub sole sunt (sicut ait Salomon) subiacere vanitati comperi: nec aliquid esse in terris, quod beare post ærumnas huius vitæ homines possit, nisi aliquid dum vixerint pro se benè fecerint. Huius rei consideratione commotus, ac meorum criminum enormitate valde perterritus (quoniam vnusquisque de his quæ gessit, Deo rationem quandóque est redditurus) visum est mihi (credo ex Dei inspiratione) ex his quæ possideo B. Ebrulfo aliqua pro salute mea amicorúmque meorum tradere: vnde fratres mei & amici inibi degentes quantulamcúmque habere possint corporum substantationem, & memoriam mei aliquotiens exindè libentiùs faciant. Quoniam ea quæ posteris nostris iure hereditario relinquimus, non solùm dico post mortem non prosunt, verumetiam quia malè ea locauimus, nobis plurimum officiunt. Notum autem sit sanctæ* B *Ecclesiæ omnibus fidelibus, quia ego libens atque spontaneus meæ saluti in futuro præuidens, beato Ebrulfo & sibi seruientibus ista omnia, licet minima sint, iure perpetuo trado, quæ hic enumerare curabo. Videlicet Ecclesiam de Montleiscent, & medietatem decimæ illius villæ, cimiterium, atque tres acras terræ pone cimiterium; nec non Monasterij arcagium quantum Goscelinus tenuit, decimámque molendini mei. Et si ibi mercatum facio, decimam eis similiter indè annuo. Monachus verò, qui in Montleiscent habitabit, numquam molturam de annona sua dabit. Quòd si ipse vult molere ad suum molendinum, faciat. Si non placet, ad meum molat, moliturámque suam habeat. In Marchesuilla quoque quicquid ibi habeo, terram, monasterium, molendinum, do eis in perpetuum. In villa quæ dicitur Lalandella do nihilominus terram vnius aratri, & Monasterium. Nemoris mei decimam similiter do, videlicet de pasnagio, de apibus, de bestiis siluaticis quæ ibi capientur. Porci quoque Monachorum nullatenus pasnagium in meo nemore dabunt. Nec quicquam operis vel seruitij siue expeditionis mihi, neque posteris meis vllo tempore Monachi reddent. Et si de meis hominibus beato Ebrulfo dare vel vendere aliquis aliquid voluerit, omnibus omnimodo do licentiam; quatinus hoc absque timore mei facere præualeant. Has ergò qualescumque donationes, quas ego omnipotenti Deo (qui mihi esse contulit) & beato Ebrulfo egregio Confessori spontaneus offero: si quis vecors aut inuidus vi vel clam quandóque minuere, seu temerare vel auferre ausus fuerit, perpetuo multatus anathemate in regione viuentium non videat bona Domini, nisi dignissima satisfactione pœnitens ipse resipuerit. Hanc autem paruitatis nostræ donationem à me simpliciter rogatus libenter concessit domnus Rodbertus Carnotensis Ecclesiæ Episcopus, in cuius casamento sunt ea, quæ superius data memorantur. Concesserunt hoc etiam fratres mei, eiusdem Ecclesiæ Canonici, & vxor mea Alpes, atque filij mei.* C

VTICENSES Monachi possessionem, quam præfatus heros eis (vt dictum est) dederat, iam L. annis tenuerunt: & successores eius Bartholomæus cognomento Boëllus, & Gerardus filius eius gratanter concesserunt. Ibidem Haimericus & Radulfus, Hugo Anglicus, Guillelmúsque de Merula, aliíque plures Monachi facundia & probitate vigentes conuersati sunt, eisque benignum patrocinium Carnotenses Episcopi Rodbertus & Goisfredus, Iuo & Goisfredus impertiti sunt. Sic studio Monachorum, auxilióque bonorum basilica Marchesvillæ condita est, quæ sanctæ Dei Genitrici Mariæ, per quam mundi salus venit, consecrata est. D

EODEM tempore Landricus & Goisfredus atque Gunherius totam terram de Iarenzay beato Ebrulfo dederunt. Et quia Isuardus, de quo diu eam tenuerant, ex toto liberam Monachis concessit, sex libras à Mainerio Abbate recepit. Deinde Landricus & alij supradicti à prænotato patre medietatem terræ receperunt, & in præsentia Isuardi homines præfati Abbatis iunctis manibus facti sunt. Ibi etiam illi tres coram Isuardo & aliis compluribus Ecclesiam illius villæ, & quicquid ad eam pertinebat, totámque decimam concesserunt; & totius terræ tam de ea, quæ ad Isuardum pertinebat, quàm de ea, quæ ad beatum Stephanum, vel ad quemcúmque alium pertinebat, ex toto coram Gerardo Presbytero, aliísque multis concesserunt.

A ANNO ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi MLXXIV. Indict. x. tempore Vuillelmi magni Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, Guillelmus Miles cognomento Pantol, consulente venerabili Mainerio Abbate amico suo, & concedente Rogerio Comite Domino suo, dedit S. Ebrulfo Ecclesias de Norum; quarum vna constructa est in honore S. Petri, & altera in honore S. Cirici Martyris. Tunc etiam dedit totam decimam de Norum, propriúmque plesseicium, & partem syluæ à ponte Ogereti, partémque suam vnius terræ quæ Molenx dicitur; & alterius quæ vltra torrentem sita est, & vulgo Ruptices dicitur. Ipse postmodum totum feudum Guillelmi de Maloi (in quo ferè XXX. acræ terræ sunt) concessit; & indè ad ineundum iter S. Egidij XVI. libras Rodomensium ex caritate Monachorum habuit. Idem totam terram, quam Gualterius filius Rufæ Roberto Monacho vendidit, S. Petro concessit: vnde prædictus Monachus ei centum solidos Rodomensiũ dedit. Præter hæc idẽ Guillelmus in eadem villa dedit Monachis LX. acras terræ, & molendinum de Helmet, decimámque dimidij molendini de B Norum. Dedit & Ecclesiam de Esmiuilla cum decima & omnibus redditibus ad Ecclesiam pertinentibus, & in eadem villa terram vnius vauassoris, & duas garbas decimæ suæ proprietatis, & omnium hominum suorum de Maisnil Bachelarij, ac totam decimam molendini de Rore-villa. Totam verò terram, quam Beatrix mater eius in dominio habebat apud Fossas, dedit S. Petro. Hospites etiam de eleemosyna S. Germani de Alberi-vico. Heluis soror eiusdem Guillelmi totum mariagium suum de Alberi-vico dedit S. Petro, quod ipse tunc cõcessit. Insuper in eadem villa decimam hominum suorum Raimboldi & Rodberti hæretici, & Gualonis filij Safredi adiunxit. Præterea idem Guillelmus concessit S. Petro de Norum omnes Ecclesias & decimas omnium locorum in Anglia seu Normannia, vel in omni loco vbicúmque honor ei cresceret; decimámque totius possessionis suæ, videlicet equarum, vaccarum, & caseorum, omniúmque rerum de quibus decimam dare posset. Similiter concessit quicquid homines eius S. Ebrulfo dare aut vendere voluerint, excepto ne seruitium sibi debitum amitteret. Totam verò partem C substantiæ suæ concessit: itaut inde Cœnobiales Monachi S. Ebrulfi post mortem eius medietatem vnam habeant, aliámque medietatem Monachi de Norum retineant.

HÆC omnia Vuillelmus & Leelina vxor eius (vt diximus) Deo pro salute sua suorúmque amicorum liberè concesserunt: & huiusmodi concessionem in Capitulo S. Ebrulfi coram Monachorum Conuentu, & plurimis testibus generaliter confirmauerunt. Tunc ipse Guillelmus ad suffragia fratrum, qui ad construendam apud Norum Cellam ituri erant, XL. marcos argenti cominus porrexit.

POST hæc Mainerius Abbas, & Fulco Prior, atque Guillelmus Pantol Rogerium Comitem (qui tunc apud Belesmiam manebat) adierunt; eúmque humiliter, vt prædicti militis donationes sua concessione confirmaret petierunt. At ille, vt erat liberalis & probus, iustæ petitioni eorum benigniter fauit, & quæque petierant, coram omnibus qui tunc ad Curiam eius pro diuersis negociis conuenerant, annuit. Tunc nimirum festiuitas S. Leonardi Confessoris ibidem celebrabatur, ad quam solemniter agendam dapsili Comite inuitante plures illuc accesserant: D Hoëlmus Cœnomanensium Episcopus, Hugo Luxouiensium Episcopus, & Rodbertus Sagiensium Episcopus: Aïnardus quoque Abbas Diuensis, Durandus Troarnensis, Rodbertus Sagiensis, & Hugo Longiledensis, & Emma Almaniscarum Abbatissa: Herueus quoque Capellanus Episcopi Luxouiensis, Rogerius Faidel, Hugo filius Fulcaldi, Robertus filius Theodelini, Rogerius Gulafra, & alij multi Clerici & laici ad suprà scriptam concessionem affuerunt.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXVII. Indict. XV. Rodbertus nobilis Abbas, frater Hugonis de Grentemaisnilio ad colloquium Guillelmi Regis Anglorum in Normanniam venit, Regíque petenti veniam eo quòd ipsum olim in exilium iniustè expulerat, indulsit. Hunc nimirum accersierat Philippus Rex Francorum, volens ei dare Episcopatum Carnotensium: sed Gallis Normannorum deuitantibus magisterium, Goisfredus Eustachij Boloniensiũ Comitis nepos præchij occupauit Pontificatum. Præclarus itaque Rodbertus, postquam sacris dedicationibus Ecclesiarum Cadomensium & Baiocensium atque Beccensium (quæ eodem

GVILLELMVS II. 1074.

1077.

GVILLELMVS II. anno consecratæ sunt) interfuit: & amicabile colloquium cum Rege Vvillelmo A aliisque amicis & parentibus suis, quos antea per plures annos non viderat, consummauit, Apuliam repetiit: secúmque Vvillelmum Pantol & Robertum de Cordaio nepotem suum, aliósque præclaros milites duxit. Tunc Rodbertus Vvigardus Calabriæ dominabatur, & Ducatum Gisulfi Salernitani Ducis nanciscebatur. Hic Tancredi de Altauilla cuiusdam mediocris viri filius erat, sed magnanimitate & felici fortuna pollens Italos sibi subegerat. Ipse cum fratribus suis aduenísque compatriotis Apuliensibus colonis fortiter incumbebat, & insperatis rebus magnificè peractis affinibus cunctis eminebat, multísque diuitiis locuples incessanter fines suos dilatabat. Vvillelmum autem Pantol honorificè suscepit, & multa ei promittens ipsum propter probitatem suam retinere secum sategit. In die Paschæ ad prandium residere iuxta seipsum fecit; & tres ciuitates si secum remaneret in Italia illi spopondit.

INTERIM Mabilia Comitissa mucrone animosi militis Hugonis de Salgeio perempta est, ob cuius interfectionem regresso de Apulia Vvillelmo Pantol, ma- B gna tribulatio exorta est. Nam crimen ei proditionis impingebatur, & infestatione hostili grauiter à pluribus æmulis impetebatur. Præfata námque mulier Piretum castrum Guillelmo datum abstulerat, pro qua iniuria pertinax maleuolentia diutiùs inter eos inhorruerat. Vnde suspicabatur quod prædicti militis consilio perierit; præsertim cùm Guillelmo Hugonem magna familiaritas & crebra collocutio coniunxerit. Rogerius igitur Comes & filij eius totam terram eius saisierunt, ipsúmque ad mortem quæsierunt. Guillelmus autem & vxor eius cum filiis suis Vticum confugerunt, ibíque diu sub protectione Monachorum cum magno timore demorati sunt. Præfatus eques obiectum facinus audacter denegabat, sed nullus eum certis indiciis comprobabat, nec abneganti scelus, seséque legaliter purgare volenti adquiescebat. Tandem multorum diffinitione Optimatum præfixum est in Curia Regis, vt culpatus vir ad abstergendam nefarij maculam facinoris, apud Rotomagum in præsentia Cleri subiret candentis examen calibis. Quod ita factum est. Scintillans ferrum nuda manu portauit, Deíque nutu non adustus apparuit, & indè Clerus cum tota plebe alta voce Deum laudauit. Maliuoli hostes ar- C mati aderant ad spectaculum, vt si reus deprehenderetur per ignis iudicium, continuo reatus amputato rei capite puniretur per gladium. In his itaque pressuris, quas Guillelmus & sui perpessi sunt, Mainerius Abbas & Vticenses Monachi benigniter consolati sunt, totísque nisibus apud Deum & homines adiuuerunt. Vnde amicitia erga illos in ipso firmior excreuit, & de pallis, quas ipse de Apulia detulerat, quatuor preciosiores S. Ebrulfo obtulit, ex quibus quatuor Cappæ Cantorum in eadem factæ sunt Ecclesia, quæ vsque hodie ad diuini decorem seruitij seruantur ibidem.

POST mortem Guillelmi Regis Anglorum, iterum Vvillelmus Apuliam expetiit, & indè dum rediret reliquias corporis beatissimi Christi Confessoris Nicolai detulit, & in Ecclesia B. Petri apud Norum ad decus eiusdem loci collocauit. Postea Monachis ibidem degentibus dedit vnum manerium in Anglia, quod dicitur Traditona, & molendinum & Ecclesiam eiusdem villæ, omnémque decimam sex villam ad eandem Ecclesiam pertinentem. D

DEINDE anno ab Incarnatione Domini MCXII. Ind. v. anno scilicet XII. Henrici Regis Anglorum, & quarto Ludouici Regis Francorum, idem Guillelmus anno XL. ex quo Monachilem Cellam apud Norum cœperat, Vticum venit, & antiquæ amicitiæ ac donorum (quæ suprà diximus eum dedisse) recordatus omnia recensuit, & in Conuentu Monachorum generali concessione cum Leelina vxore sua confirmauit. Tunc etiam Philippus & Iuo atque Arnulfus filij eius, quicquid pater eorum Monachis S. Ebrulfi dederat, concesserunt: & donum super altare omnes pariter Vvillelmus & Leelina & tres filij eorum, Philippus, Iuo, & Arnulfus posuerunt. In præfata Cella iam quatuor Episcoporum tempore, Roberti scilicet, ac Gerardi, Serlonis, & Ioannis, qui Sagiensi Episcopio præfuerunt, Rodbertus Caluus, & Goisfredus, ac Ascelinus, aliique plures religiosi Monachi habitauerunt, & in Dei timore cum charitate persistentes plebeiis exemplum honestatis inseruerunt. Sæpedictus quoque Guillelmus longo tempore vixit, pauperes &

A Clerum honorans eleemosynis studuit, in diuersis ac prosperis magnanimus viguit, cunctisque hostibus fortior; diuitiis & honoribus pollens præualuit. Ad inchoandam verò nouam basilicam LX. marcos argenti erogauit. Pulcherrimum opus ad Dei inchoauit laudem, sed morte præuentus perficere nequiuit. Porro filij eius patrimonium adepti sunt, Philippus in Normannia, & Robertus in Anglia: sed virtute pari paterna neglegunt affectari molimina. GVILLELMVS II.

RADVLFVS de Monte-Pincionis Dapifer Guillelmi magni Regis Anglorum se ex toto fideliter S. Ebrulfo deuouit, & à domno Mainerio Abbate suppliciter postulauit, vt aliquis in Vticensi Cœnobio Clericus ad Dei seruitium idoneus ad Monachatum susciperetur, qui pro salute ipsius coniugisque suæ Deum fideliter deprecaretur. Quod & factum est. Nam Dei nutu tunc oppetebat Monachatum quidam Remensis Scolasticus nomine Ioannes, qui ad Curiam Regis ductus prædicto militi suas concessit orationes, & quos pro Christo passurus erat labores. Ille verò super hoc exhilaratus palam cunctis pedes eius humiliter est osculatus. Deinde Monachi prædictum Ioannem libenter susceperunt, eóque suscepto valde B lætati sunt, quia Grammaticæ artis erat peritus, bonísque studiis vsque ad senium pertinaciter intentus. Præfatus heros ad victum eius perenniter dedit S. Ebrulfo decimam quinque molendinorum, trium scilicet de Iort, & quarti loco qui Hurtauent vulgò dicitur, & quinti de Monte-Pincionis: duásque garbas decimæ villanorum de Galdreflogiis, medietatémque decimæ de Spanaio, & apud Ermentrudis villam duas acras prati.

POST aliquot annos idem Radulfus Idus Februarij defunctus est, ciúsque corpus Vticum delatum est, ibíque in Claustro Vticensi à Monachis sepultum. Illic duo filij eius Hugo & Radulfus cum Adeliza matre sua affuerunt, & se & quicquid pater eorum dederat S. Ebrulfo libenter concesserunt, coram multis testibus qui ad tumulationem tanti Baronis conuenerunt. Post annos ferè XXX. Hugo de Monte-Pincionis spirituales fratres suos visitare Vticum venit, secúmque Radulfum primogenitum suum adduxit, & Mathildem vxorem suam, quæ Hugonis de Grentemaisnil filia erat, sororémque suam Adelinam nuper defunctam lugebat. C Tunc Hugo fraternitatem Monachorum, quam olim in infantia acceperat, renouauit, eósque vt pro Radulfo fratre suo, qui in via Hierusalem peregrinus obierat, orarent, obsecrauit. Radulfus etiam puer Monachis ex toto (sicut parentes sui) sociatus est: & à Galterio Caluo loquaci milite per Capitulum ductus fratres osculatus est, & tunc ab ipso quicquid pater suus auúsque dederant, S. Ebrulfo concessum est.

DENIQVE præfatus Hugo cùm iam sexagenarius esset, apud Rotomagum Nonas Martij defunctus est: & cadauer eius coniuge cum filiis iubente delatum est Vticum. Tunc Monachi fratres sui glebam honorificè in Capitulo sepelierunt, & filij eius Radulfus, Guillelmus, & Arnulfus se & omnia concesserunt, quæ ab antecessoribus suis Vticensi Ecclesiæ collata sunt. Radulfus itaque primogenitus filiam Ranulfi Cancellarij Regis Henrici vxorem duxit, quem paulò pòst mortuum Vticensis Conuentus in Capitulo suo secus patrem suum tumulauit. Deinde Guilelmus patrium ius in Normannia obtinuit. Arnulfus verò propter quæstum Guillelmi de Grentemaisnil auunculi sui Apuliam petiit. Matildis autem mater eorum post mortem mariti sui quendam tyronem exulantem nomine Mathiellum adamauit, cum quo relictis in Neustria cognatis & amicis iter Hierosolymitanum arri- D puit, ambósque auida mors obiter in eodem anno celeriter absorbuit. Mathiellus quidem dum iret in Apulia decessit, Mathildis verò dum rediret Ioppe obiit.

NVNC de Ioanne, de quo iam retro parum tetigi, quis fuerit vel qualiter seu quandiu vixerit sub norma Monachili, volo lucidiùs reserare lectoris intellectui. Hic ingenio acer, studióque pertinax fuit, & in habitu Monachico ferè XLVIII. annis vixit, & in indagandis librorum abditis mysteriis vehementer laborauit. A Mainerio Abbate iuuenis susceptus Dei ouile introiuit, sub Serlone & Rogerio ad sacerdotium iam promotus militauit, aliósque viriliter dimicare verbis & exemplis docuit: & Guarini Abbatis tempore x. Kal. Aprilis in confessione Christi occubuit. Subprioris curam diutiùs gessit, vicésque Abbatis in diuinæ legis prolatione sæpiùs expleuit. Iussu Rogerij Abbatis ad Vrbanum Papam cum deposito

GVILLELMVS II. Fulcone Romam adiit, in quo itinere diras ægritudines plurimásque aduersitates A pertulit. In senectute plus quàm VII. annis calculi molestia languit, diutinóque morbo gemens lecto non decubuit, sed quotidie ad diuinum opus surgens Deo gratias egit, & benè vt reor paratus tetræ noctis initio decessit. Et quia multos ipse versus edidit, Vitalis Angligena discipulus eius super illo versificauit, & inter lacrymas in die dormitionis eius tumulatione peracta carmen huiusmodi composuit.

Hebdomadas dum tres complesset Martius, atra
Ventis & pluuiis migrauit nocte Ioannes.
Hic Remis natus, de Francis est oriundus,
Iluertúsque pater fuit illi, Poncia mater.
De subula lucro puerum quem pauit origo,
Extulit ad celebres ars libertatis honores.
Vtilibus studiis fuit à puerilibus annis
Deditus, vnde solum Remensi suósque reliquit:
Venit ad externos Vticenses, iunctus eisdem B
Pene decem lustris Monachus fuit, vsque celebris.
Ingenio subtilis erat, citò carmen agebat,
Metro seu prosa pangens quacumque volebat.
Ocia vitabat, maiorum scripta legebat,
Commoda priscorum carpens documenta virorum.
In cultu Christi laudabiliter vigilauit.
Nocte diéque Deo sua reddere vota sategit.
Actibus & verbis exemplar erat pietatis.
Diuina legis frequenter opaca reuoluit.
Mystica discipulis grato sermone retexit.
Sicut apes stimulum nectárque ferebat in ore.
Cuspide pungebat tumidos, dabat innocuis mel.
Consilio dulci tristes mulcebat & ægros.
Asperitate leues reprimendo, docebat ineptos. C
Abbreuiator erat solers & prouidus aptè
Materiam paucis ingentem versibus arcens.
Plurima de Christo, de Virgine matre Maria,
Carmina deuotè dictauit, honorificéque.
Plurima de sanctis pulchrè reboauit amicis.
Versificè sancti vitam descripsit Ebrulfi
Dilecto Patri Radulfo Metropolitæ.
Plura coëssentes ex eius habent meditatis.
Qui licet insignis esset virtutibus almis,
Non tamen omnino caruit liuore vel ira.
Quis sine peccato valet hanc transcurrere vitam?
Vnus habens matrem sine patre, patrem sine matre,
Exegit vitæ cursum sine vulnere culpæ.
Saucius humanis excessibus atque grauatus,
Verbere diuino correptus fleuit amarè.
Stranguiriæ morbo gemuit cruciante molesto,
Crebráque septenis suspiria protulit annis. D
Sic caro peccatrix pro culpis subdita flagris
Pertulit exertum medicantis iure flagellum.
Promeruit cædi virga patris atque magistri.
Ad quem cum lacrymis clamauit anhelus obortis,
Vt sibi placatum meruisset cernere vultum
Iudicis ætherei, post funus spiritus eius
Iste sacer Monachus. Dum nox erat æqua diei,
Exiit è tenebris, mundique necísque procellis.
Christus ei lucem det, perpetuámque quietem,
In patria lucis & amœna sede quietis, amen.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXVI. Indict. XIV. dum Goisbertus Medi-

A cus compatriotas suos & amicos in Gallias visitasset, & officium artis suæ indigentibus atque petentibus impendisset; plures amicorum & familiarium suorum, quibus antea fideliter arte sua seruierat, adiit: & de suis superfluitatibus eleemosynas facere pro æterna salute benigniter incitauit: maximéque de his rebus, quæ ad laicam personam non pertinent, Monachis S. Ebrulfi dare illos admonuit. Ad Petrum Mauliensem filium Ansoldi diuitis Parisiensis diuertit, & inter reliqua familiaritatis & amicitiæ colloquia illum conuenit, ipsúmque vt Ecclesias de Maulia Monachis Vticensibus donaret obsecrauit. Ille verò, vt lætus erat & dapsilis, & ad ardua incolenda siue in bono siue in malo facilis, suadenti facilè acquieuit, ac donationis Chartam coram Proceribus suis confirmauit. Textus autem Chirographi quod egit, huiusmodi est. GVILLELMVS II.

MORTALIS *vitæ breuitas, hominúmque infidelitas, temporum mutatio, regnorum desolatio, imminere mundi finem quotidie nos admonent. Quod Veritas nos docuit, sic inquiens discipulis:* Cùm hæc fieri videritis, in proximo est regnum Dei. *Vnde formica prudens* B *tantò attentiùs, quantò hiemem venire sentit ociùs, grauiter prauidere debet, quatinus grana sua sic in tuto recondat, vt frigore non herbam, sed farinam abundanter habeat. Nam de sua salute pigritantibus quodam loco sic dicitur:* Videte, videte ne fuga vestra fiat sabbato vel hieme. *Harum ergo rerum consideratione ego Petrus, licet peccator & indignus, mihi præuidere in futuro cupiens, apes Dei meis in viridariis eo tenore mellificare volui, quatinus cùm canistra sua gemmata fauis plena fuerint, Creatori suo exindè referant laudes, atque sui benefactoris sint aliquando memores. Videlicet de rebus meis, quas hactenus possedi, quædam quamuis pauca, beato Ebrulfo spontaneus dedi: vnde fratres inibi degentes aliquantisper sustentationis corporeæ haberent, & mei libentiùs mentionem facerent. Quoniam velimus nolimus hæc omnia relinquimus, nec post mortem quicquam prodest alicui, nisi boni quippiam in vita fecerit. Hæc verò sunt quæ B. Ebrulfo concessi & concedo, ac meo chirographo sub iure hereditario causa meæ salutis illi perpetuo confirmo. In villa scilicet, quæ Maulia nuncupatur, do duas Ecclesias, scilicet Ecclesiam S. Mariæ, Ecclesiam S. Germani & S. Vincentij, & sepulturas atriorum, & omnia quæ ad Presbyterium pertinent. Terram quoque vnius carrucæ & quatuor hospites, & terram ad inhabitandum Monachis, & vnum pomerium, censúmque* C *trium semis agripennarum, quas Gualterius cæcus, & Hugo nepos eius cognomento Muscosus, in vinea Maineriæ dederunt B. Mariæ, do: & hæc omnia Monachis S. Ebrulfi sic libera, sicut ego ea tenebam, perenniter concedo. Et si aliquis de hominibus meis aliquid Sanctis Monachisque in eleemosynam dare voluerit, quicquid absque damno seruitij mei & imminutione iustitiæ meæ datum fuerit, libentissimè annuo cum filiis, tali tenore & tam firma concessione, vt si aliquis ex ipsis pro quolibet reatu feudum suum amittat, Ecclesia Dei eleemosynam quam possidet nullatenus perdat. Hæc omnia Vuindesmoth vxor mea, filiique mei Ansoldus & Tedbaldus atque Guillelmus concesserunt: & hanc eleemosynam quamdiu vixerint, defensuros se contra omnium infestationes pro posse suo piè promittunt. Homines quoque mei, vt bonam erga seruos Dei voluntatem meam viderunt, salubri exemplo lacessiti, Monachorum familiaritati sese commiserunt, eisque de rebus suis gratanter largiti sunt. Cuncti nempe milites de Maulia in vita & morte societatem eorum obnixè petierunt, & fratres eorum, vt Monachili prece dæmonum cuneo fortiùs resistere valeant, fideliter effecti sunt.*

HVGO itaque filius Odonis, qui diuitiis & probitate contribulibus suis eminebat, Ecclesiæ D *S. Mariæ & Monachis S. Ebrulfi dedit totam decimam de terra sua quam Mauliæ habebat, videlicet de annona, de vino, de molendino, de furno, de porcis, de ouibus, de lana, de anseribus, de canabo, de lino, & de omnibus de quibus decima datur. Et si fortè homines sui aliam terram laborauerint, sic omnino decimam habeant Monachi, sicut ipse Hugo haberet. Hæc Paganus Odo filius eius primò concedere noluit, sed postea captus à Normannis apud Mellentum sese redemit. Diuinitus igitur coactus ipse, & Helizabeth vxor eius, filiique eorum Hugo & Simon supradictam decimam omnino sanctæ Mariæ concesserunt, & donationem super altare coram me & Ansoldo filio meo, Petróque puero, aliisque multis posuerunt. Monachi verò dederunt Pagano X. libras denariorum, & vxori eius XX. solidos. Adelelmus quoque de Gazeran Almaricum filium suum cum decima de Puseolis Monachis commisit: decimámque si puer infra VII. annos moreretur, pro VII. libris perenniter Ecclesiæ concessit. Deinde præfatus puer creuit, & vsque ad Presbyterium ascendit, decimámque de Puseolis diu possedit, moriénsque Monachis eam iure reliquit, pro qua Monachi eum nutrierant & studiosè docuerant. Hugo filius Gualonis cognomento Fresnellus, antequam Monachus fieret, tres hospites sanctæ Mariæ de-*

dit, & Stephanus Gisleberti filius terram dimidiæ carrucæ apud Gulpillerias Monachis donauit: & licet de feudo meo non hoc esset, donationem tamen in Charta mea manu propria corroboraui. Hæc itaque quæ à me vel amicis meis data sunt Monachis firmiter concedo, & alia omnia quæcumque homines mei sine diminutione iustitiæ vel seruitutis meæ sancto Ebrulfo benignus astipulator annuo, & peropto vt si aliquis inuidus aut peruersus data nostra violare vel minuere præsumpserit, instinctu diaboli, confestim resipiscat ab insania huiusmodi: ne pro reatu nefariæ inuasionis & sacrilegij, cum reprobis & biothanatis ab æquissimo iudice damnetur in die iudicij. A

PRÆFATVS heros suprà scriptam Chartam subscriptione sua confirmauit, & Mainerio Abbati prædictarũ inuestituram rerum coram multis idoneis testibus tradidit. Filij enim eius affuerunt, Ansoldus, Tedbaldus, Guillelmus, generique eius Gualterius de Pexeio, & Baldricus de Drocis, Procerésque de Maulia Hugo & Stephanus, Gualterius Presbyter, & Gualterius miles cognomento Costatus, Richerius Præpositus & Fulco filij Fulcherij, Hugo & Odo Galonis filij, Herueus Heruardi filius, & magna pars Mauliensis parrochiæ. Porro Mainerius Abbas ibidem Goisbertum Priorem ordinauit, qui mox paruam Ecclesiam, quam Godefredus magnæ simplicitatis & innocentiæ Presbyter cœperat, consummauit. Non B multò pòst Monachis intus & extra conualescentibus, boníque parrochianis de prouectu eorum congratulantibus, destructa veteri æde sanctæ Mariæ noua pulchri operis cœpta est, & secundum opportunitatem per xx. annos sub Goisberto & Guitmundo ac Rogerio & Hugone Prioribus eleganter peracta est. Plures ibidem Monachi vsque hodie permanserunt, & in cultu diuino piè laborauerunt.

PETRVS autem Mauliensis herus vsque ad senectutem vixit, & res Ecclesiastica Mauliæ, popularísque concio dapsilis patroni studio commodè creuit. A subiectis & vicinis idem multùm amabatur, quia simplicitate magis quàm vafra calliditate armabatur. Eleemosynas amabat & frequenter faciebat, sed ieiunia metuebat, & quantum poterat abhorrens à se procul excludebat. Multa facilè promittebat, & præcipua vili precio nonnumquam distrahebat. Cupidus simul erat & prodigus. Non curabat vndè sibi copiosæ dapes apponerentur, nec præuidebat vtrum de rapina seu de iusto quæstu necessariæ opes conferrentur, rursúmque paruipendebat cui quocumq; modo partæ res ingererentur. Numquam ergo diuitiis abundauit. Hic ex Guindesmoth vxore sua quatuor habuit filios, Ansoldum, Tedbaldum, Guarinum, & Guillelmum: totidémque filias, Hubelinam, Eremburgem, Odelinam, & Hersendem. Ex his nimirum copia pullulauit nepotum, qui discurrentes instabilem volubilis seculi rotatum, dispensante Deo, quo reguntur omnia, varium subierunt euentum. Tandem Petrus senio confectus I V Idus Ianuarij obiit, & in claustro Monachorum secus Australem basilicæ maceriam sepultus requiescit. Epitaphium autem huiusmodi Ioannes Remensis super illum edidit. C

Post annos Agni centum cum mille superni
Flos Procerum Petrus prope Iani decidit Idus.
Dapsilis & lætus multum fuit atque facetus.
Plus epulis quàm militiæ studiosus agoni.
Summus apud Proceres, & nobilium fuit hæres.
Vixit honoratus terra qua pausat humatus, D
Et dedit hanc sedem Christi genitricis ad ædem.
Bis senus Iani sol nubilus extitit illi.
Sed sol iustitiæ prece fulgidus esto Mariæ.
Plangit Parisius: pangat super hunc paradisus
Per Sanctos, sedem quibus hanc concessit & ædem.

ANSOLDVS Petri filius patri moribus in quibusdam multùm fuit dissimilis: multimoda tamen virtute maior, vel, vt moderatiùs loquar, æqualis. Erat enim excellentis ingenij, & magnanimus, corpore fortis & procerus, ac militari probitate præstantissimus, auctoritate sublimis, & in iudicio iustus, in sententiis disserendis audax ac facundus, atque Philosophis penè adæquandus. Ecclesiæ limina frequentabat, & sacris sermonibus patulas aures solerter accommodabat. Res gestas, prout antiquis Codicibus insertæ sunt ediscebat, à doctis relatoribus solerter inuestigabat, auditásque patrum vitas tenaci memoriæ commendabat. Falsidicos relatores,

A relatores,& verbũ Dei adulterantes,& turpibus lucris inhiantes exosos habebat, & detectis sophismatibus malignis,ne insontes deciperent palã cõfutabat. Religiosam Guindesmoth matrẽ suã semper honorauit, & in omnibus vt fidelis filius piæ matri obsecũdauit. Hæc nobilem ex Trecasino territorio prosapiã duxit, Deóque deuota ferè xv. annis marito suo in viduitate superuixit. Felix anus, quæ vsque in seniũ fidã sobole, in mariti thalamo piè sustentata est: & ibidẽ cõsolatorem sui tutissimũ vidẽs viatico sumpto defuncta est. Hinc à dulci filio reuerenter ad tumulum deuecta est, & in gremio Ecclesiæ iuxta consortem thori corpus eius honorificè sepultum est.

Prædictvs miles tyrocinij sui tempore probis actibus emicuit, & relictis notis, affinibus & caris parentibus, inter exteros insitam sibi virtutem exercuit. Italiam itaque expetiit, fortissimóque Duci Guiscardo sociatus Græciam inuasit, & in conflictu, quo Alexius Imperator Cõstãtinopolitanus victus fugerat, nobiliter dimicauit. Post aliquod tempus obnixa petitione patris regressus in Galliam, vxorem duxit nobilem & bene morigeratam puellam nomine Odelinam, Radulfi cognomento Maliucini Mandantensis oppidani filiam. B Frugalitate sua militaris vir cunctos sibi cohærẽtes ad honestatem prouocabat, parcimoniæque modesta restrictione regularibus etiam personis exemplum portendebat. Numquam poma in viridario comedit, numquam vuas in vinea, nec auellanas in sylua gustauit. Canonicis solummodo ad mensam quæ apponebantur sumebat horis: dicens brutorum animalium esse, non hominis, comedere quicquid fors suggereret absque consideratione loci & temporis. Legali connubio contentus castitatem amabat, & obscœnitatem libidinis non vt laicus vulgari verbositate vituperabat, sed vt Doctor Ecclesiasticus allegationibus palam condemnabat. Ieiunia & omnem continentiam carnis in omnibus laudabat, & ipse viriliter in se pro modulo laici retinebat. A rapinis omnimodo abstinebat, suásque res labore partas callidè seruabat. Decimas & primitias eleemosynásque à prædecessoribus datas Dei ministris legitimè reddebat. Discolis verò C & iocosis nebulonibus seu meretricibus, non solùm munuscula non erogabat, sed suum etiam consortium & familiare colloquium denegabat. Ex legitima coniuge, quam adolescentulam despõsauerat, & religiosè in omni modestia docilem reddiderat, septem filios & duas filias habuit, quorum nomina sunt hæc: Petrus, Radulfus, Guarinus, Lisiardus, Guido, Ansoldus, & Hugo: Maria, & Guindesmoth: de quorum euentu historialis pagina suis in locis plura memorare poterit.

Anno ab Incarn. Domini mcvi. in fine Februarij, quando cometa longissimum crinẽ emittens in occiduis partibus apparuit: Buamundus famosus Dux post captã Antiochiã in Gallias venit, & Constantiã Regis Francorũ Philippi filiam vxorẽ duxit, & nuptias honorabiles apud Carnotũ administrante sufficienter apparatũ Adela Comitissa celebrauit. Tunc tertia profectio Occidentaliũ in Hierusalem facta est, multorúmq; maxima conglobatio miliũ pedibus suis Bizanteum stemma proculcare minitantiũ contra Turcos progressa est. Ceterũ iustissima Dei dispositio conatus cõcupiscentiũ inuadere rẽ proximi sui frustrata est: vndè superba cõglomeratio ambitiosorũ nihil eorum, quæ in cassum rata fuerat, adepta est. Eodẽ anno infra tres septimanas, quibus Cometes emicuit, Ansoldus de Maulia stimulo diuini timoris pũ- D ctus, Curiam sanctæ Mariæ humiliter adiit, & pro quibusdam contentionibus, quas contra Monachos habuerat, cum multis fletibus Deo sponte satisfecit. Deinde coram cunctis Baronibus suis, qui in Dormitorio Monachorum congregati aderant, omnia quæ Petrus pater eius, & Hugo ac Paganus, Austasius & Robertus filius Hubelinæ, & Herueus filius Heroardi, & Odo filius Gualonis, ac Fulco & Richerius filij Fulcherij, aliíque homines sui cuiuscúmque cõditionis sint, dederant vel daturi erant, vnde seruitiũ suum non amitteret, Ecclesiæ Dei & sanctæ Mariæ Mauliæ cõcessit: tali pacto vt si aliquis ex ipsis pro quolibet reatu feudum suum perderet, Ecclesia nullatenus eleemosynæ dono priuetur. Ipse quoque Ansoldus decimam, quam Hersẽdis soror eius in mariagio habuerat, & beatæ Mariæ ante obitum suum reddiderat, per virgam, quam in manu Ioannis Monachi & Presbyteri tradiderat, concessit, vt liberam post obitum Petri nepotis sui Ecclesia decimam recipiat. Aream quoque molarum in silua Bole dedit sanctæ Mariæ: itaut ex singulis molis duo denarij dentur ad luminaria Ecclesiæ. Et quisquis indè fraudem fecerit, quinque solidos persoluat. Antea nempe pro reatu huiusmodi, sexaginta soluebantur solidi. Sed quia lex Ecclesiastica mitior est quàm secularis, quinquagintaquinque

GVILLELMVS II. solidi indulgentur, & quinque accipiuntur. Harum itaque rerum donationem ipse & Odelina vxor eius, & duo filij eius Petrus & Radulfus super aram S. Mariæ per librum Missalem imposuerunt: præsenti quoque spectaculo cuncti milites Mauliæ interfuerunt. A

TVNC Petrum primogenitum heredem totius possessionis suæ Ansoldus constituit, & ipse puer Goisleno Marolienſi caraxante & præconante, homagium & fidelitatem Maulianorum equitum recepit. Ibi nempe affuerunt Guillelmus Ansoldi frater, & Rodbertus nepos eius, Guiboldus miles filius Radulfi Maliuicini, & Hugo de Marolio, Odo Paganus filius Hugonis, & Gislebertus filius Haimonis, Odo filius Gualonis, & filij eius Petrus & Arnulfus, Fulco filius Fulcherij, & duo nepotes eius Iosfredus & Odo, Grimoldus Almani filius, & Galterius Fulconis filius.

SÆPEDICTVS heros post obitum patris XVIII. annos patrium ius legitimè rexit, Monachísque in omnibus fidele patrocinium exhibuit; & colloquio eorum pro ædificatione morum quotidie inhianter sese applicauit. Res eorum in nullo diminuit, sed in quibusdam, vt prædictum est, augmentauit, & cirographum donationis suæ ita contexuit. B

EGO *Ansoldus confirmo & concedo cuncta quæ pater meus Petrus pro antecessoribus suis Ansoldo & Guarino, aliisque parentibus suis, Deo & S. Mariæ, Monachisque S. Ebrulfi donauit, eodem modo & pacto quo ille concessit. Decimã quoque de Maulia, quam duæ sorores meæ possident ex maritagio, Eremburgis videlicet vxor Baldrici de Drocis, & Hersendis vxor Hugonis de Vicinis: si Monachi ab illis seu nepotibus meis potuerunt obtinere prece seu precio, quantum ad me, seu ad liberos meos attinet, voluntariè concedo. Noui vtique quod decima Dei pars est, & hanc sibi à priscis temporibus ad subsidium Leuitarum per Moysen retinere dignatus est. Vnde nemini sapientum, vt reor, occultatur, quòd quisquis pertinaciter tali rapina vescitur, terribilem in futuro animaduersionem promeretur. Aream præterea molarum in saltu Bole do S. Mariæ, itaut de singulis molis duo nũmi dẽtur ad luminaria Ecclesiæ. Et quisquis fraudem fecerit, quinque solidos soluat, pro qua re hactenus LX. solidi soluebantur. Hæc Odelina vxor mea, & filij mei Petrus & Radulfus concedunt. Inde habuimus beneficia & societatem fratrum, & pro testimonio vnum equum centum solidorum (qui fuit Grimoldi de Salmarches) ego habui dono Monachorum. De hac itaque concessione ego cum vxore mea & filiis meis Chartam facio, per quam fide mea absque malo ingenio inuiolabilem Ecclesiæ Dei donationem facio vt miserante Deo coniungi merear fidelium collegio, amen.* C

GERMVNDVS Rufus de Monte-forti moriens dedit S. Mariæ & Monachis degentibus Mauliæ medietatem ex omnibus quæ habebat in Puseolis pro salute animæ suæ: Eremburge vxore sua, de cuius dote terra erat, cum filiis suis Hugone & Galterio concedente. Tunc statutum fuit quòd heredes, qui terram habebunt, omne seruitium Domino, de cuius feodo illa est, facient. Redditus autem, qui de bosco & plano exierint, adunabuntur vbi vtrisque communiter placuerit, & per medium partientur. In illa die Hugo de Guaccio Prior erat Mauliæ, quo astante cum multis aliis posita est donatio super altare S. Mariæ, antequàm corpus supradicti traderetur gremio terræ. Deinde quando Galterius præfati Germundi filius miles factus est, negauit se hanc donationem concessisse, volens asserere quòd pater suus dederat illi, priusquàm Monachis. Vnde Monachi Almaricum Comitem Montisfortis Dominum adierunt, & de inquietudine Galterij apud eum clamorem fecerunt. Iustitia igitur eius cogente, talis inter dissidentes concordia facta est. Monachi XL. solidos apud Montem-fortem Galterio tironi dedere: & ipse omnia superiùs memorata concessit eis coram Richelde Almarici vxore. Sequenti autem Dominico Mauliæ ambo fratres Hugo & Galterius prædictam concessionem confirmauerunt: in præsentia Dauid Prioris, aliorúmque fratrum, & Ansoldi, filiique eius Petri, & totius Cleri, omnísque populi in Ecclesia adunati donationem super altare posuerunt. Deinde fratres eorum Engenoldus & Herueus hæc eadem concesserunt. Hoc actum est anno quo Henricus Rex Angliæ inuasit castrum S. Clari in Francia, & Ludouicus econtra Rex Franciæ castellum Vani in Normannia: ex qua occasione inter eos ad multorum detrimenta furuerunt sæua prælia. D

NIVARDVS de Hargeruilla omnem terram de Puncteluilla quam habebat, Monachis de Maulia donauit, & medietatem decimæ illius terræ; & indè habuit ex caritate Monachorum XXVIII. solidos. Simon verò frater eius hoc concessit,

A & indè subtolares corduanos Hugo Prior ei dedit. Petrus autem & Guaribol-dus filij Minardi hoc quod pater eorum dederat concesserunt, & inde subto-lares sex nummorum vnusquisque eorum habuit. Subsequenti Domino ipse Minardus Mauliam venit, & donum super altare S. Mariæ coram tota parrochia posuit.

GOISFREDVS de Marco dum Monachile schema suscipere Mauliam venit, totam Ecclesiam in Marco sitam, & dimidium atrij decimæque Monachis B. Ebrulfi donauit. Hæc Emmelina vxor eius & filij coram concesserunt, Guillelmus, Simon, Hugo, Stephanus, & Paganus. Deinde Hugo Rufus de Fresneio (de cuius feudo Goisfredus tenuerat) Mauliam venit: precibúsque Monachorum quicquid Goisfredus Monachus dederat, quietum ab omni seruitio concessit: itaut si heredes de Marco ei seruierint, debitúmve seruitium denegauerint, Monachi semper liberè teneant. Hoc etiam Galterius frater eius concessit.

B GALTERIVS Heldeburgis filius postquam plaga vulneratus fuit, Monachis Mauliæ totam decimam, quam Puseolis de feudo Heruei filij Heroaldi habebat, donauit: ibíque Isemburgis vxor eius cum tribus Galterij fratribus, Ricardo & Tedbaldo atque Goisfredo affuit & concessit. Herueus quoque filius Heroardi omnes decimas, quas apud Puseolum habebat, annuit; & Simon de Toiri partem decimæ, quæ de feudo suo erat, Monachis concessit. Monachi autẽ ne vlla superesset calumnia, dederunt vnam domum cum multis vtensilibus pro quatuor libris denariorum, & vnum agripennem vineæ ad Guardam: quem Galterius filius Alpes S. Mariæ dederat: & Odelinæ coniugi eius (de cuius dote erat) vnum fustaneum: Simoni autem XX. solidos, & vxori eius, de cuius hereditate erat, tres solidos.

BALDRICVS Rufus de Monte-forti, quando ad Monachatum venit, Monachis Mauliæ redditum, quem apud Medantum habebat, X. videlicet solidos & C vnum sextarium salis dedit. Hæc ei Fiscannenses Monachi, qui Medanto morantur, in die festiuitatis S. Remigij reddebant. Dedit etiam idem Baldricus quicquid habebat in Ecclesia, & in decima de Iumeluilla, & XII. denarios quos filij Brugæ dabant ei pro censu de Cocita. Vxor verò eius hæc concessit, & inde vnam vaccam habuit. Goisfredus quoque filius eius supra memoratas res Monachis annuit, & ob hoc vnum equum pro LX. solidis & XX. solidos ab eis recepit. Inde firmi testes fuerunt Ansoldus Mauliæ Dominus, & Petrus filius eius, Goisfredus filius Richerij, & Grimoldus filius Almani, Almaricus Floënel, & multi alij. Mortuo autem Baldrico, filius eius omnia supra dicta negauit: vnde XX. solidis iterum ei datis iteratam concessionem adiecit. Medantum itaque cum Dauid Priore perrexit, & Fiscannensibus Monachis apud S. Georgium morantibus præcepit, vt ex illa die X. solidos & sextarium salis, quæ solebant patri suo reddere, singulis annis redderent Monachis Mauliæ. Guillelmus etiam filius Henrici de Richeburg, de cuius feudo erat, Monachis concessit: à quibus X. solidos, & dimidium vini modium in charitate recepit.

EREMBVRGIS filia Petri de Maulia, & Almaricus filius eius medietatem D illam decimæ, quam iniustè tenuerant, Deo reddiderunt: donúmque super altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ coram populo imposuerunt. Huius nimirum doni fautor & fidelis instigator domnus Ansoldus affuit, & cum filiis suis Petro & Radulfo concessit. Tunc Monachi ad redimendam decimam (quia Guillelmus de Maulia in vadimonio pro XX. libris eam habebat) decem libras Eremburgi dederunt: & tres aripennes vineæ ipsi & heredi eius concesserunt.

POSTQVAM autem velata fuit eadem Eremburgis, iterum ipsa & prædictus Almaricus filius eius partem de decima sæpè memorata Deo reddiderunt, & donum sicut antea super altare matris Domini per textum Euangeliorum imposuerunt. Ibi Guillelmus de Maulia. & Robertus nepos eius, & Goisfredus sororius ipsius, cum Odone pagano, & Odone filio Gualonis, & Fulcone Clerico, & Goisfredo Richerij filio adfuerunt: Deóque, qui mulierem nefariæ rapacitatis lethali sarcina onustam alleuiauit, gratias egerunt.

HABITATORVM itaque solertia, donísque cõfluentiũ Mauliẽsis domus creuit &

locupletata est: sed post aliquod tempus Ansoldo laudabili patrono cadente debi- A
litata est. Is etenim postquam LIII. annis arma militiæ gessit, iam seniles
annos attingens ægrotare cœpit, & æger ferè VII. septimanis ad tribunal summi
iturus sese confessione & pœnitentia præparauit. Et quamuis lecto non decumbe-
ret, sed Ecclesiam quotidie peteret, & viuacitate memoriæ cum facundia vigeret:
agnouit tamen se naturas corporis sui, quibus Physici perniciem hominibus vel in-
columitatem prædicunt, amisisse, mortísque imminentis conditionem euadere
non posse. Vnde memor æternæ salutis ex toto ad Dominum se conuertit, auidé-
que pro vita perenni complere festinauit quæ à sapientibus audierat, & libenter
retinuerat. Quadam siquidem nocte audito sonitu signi surrexit cum vno cliente
suo, ad Ecclesiam venit, Deúmque vt satisfactionem suam acciperet, atque vo-
luntatem impleret exorauit. Finito autem matutinali officio Monachos vocauit,
votum suum eis aperuit, & Monachatum ab eis petiit. Tunc ibi Dauid Prior
erat, & secum honorabiles Monachos ac Sacerdotes habebat, Ioannem scilicet
Remensem, Osbernum & Odonem. His nimirum Ansoldus associari habitu præ- B
optauit, sicut mente; dicens se omnem pietatem coniugis & filiorum amisisse: do-
minium terræ nullomodo amplius tenere, mortem sibi propinquam esse, ideóque
soli Deo velle adhærere, eósque petitionem sibi non debere negare. Monachi au-
tem hæc audientes de bona voluntate viri lætati sunt: per biduum tamen propter
absentiam primogeniti filij sui & heredis futuri quod petierat distulerunt. Ille ve-
rò dilationem tantam ægrè tulit, appetens inuisibilia quæ vigilantibus seruis pater-
familias retribuit. Asserebat enim hoc totum desiderium suum esse, & totum vel-
le cum pauperibus Christi viuere, & cum eisdem vitam finire, vt promissionem
quam suis Deus pollicetur posset habere. Denique biduo transacto vt filium adue-
nisse audiuit, coniugem suam cum eodem ad se protinus accedere iussit. Quibus
præsentibus, filio coram multis militibus multa intimauit, & eum coram pluribus
diuersæ ætatis & sexus sic admonuit.

» FILI carissime, quem nutriui deliciosè, volens heredem & successorem
» meum Deo & hominibus acceptabilem relinquere: nunc ea quæ te moneo de- C
» uotissimè, retineto intentissimè. Imprimis Deum semper & super omnia dilige.
» Pontificem tuum & Regem vt patronos tuos time, venerare; eorúmque præce-
» ptis prout poteris ne obliuiscaris obedire. Pro eorum prosperitate quotidie Deum
» deprecare, vt meritis & tuitione boni Præsulis perpes salus detur animæ tuæ,
» & pacifici Regis moderamine possis temporalem honorē quietè & iustè possidere.
» Hominibus tuis fidem quam debes exhibe, eísque non vt tyrannus, sed vt mitis
» patronus dominare. Dominium tuum in agris, nemoribus, pratis, & vineis pru-
» denter conserua, aliísque dando minuere deuita. Rapinas noli exercere, fures
» & raptores à te penitus abige. Res tuas legitimè custodi, & res alienas per violen-
» tiam & inuasionem tollere noli. His nempe rebus venit ira, deinde discor-
» dia: sequuntur latrocinia, cædes, & incendia, damna & homicidia, & a-
» lia mala fiunt innumera. Sapiens est, qui causas malorum, quæ vides aliis
» euenire, ne sibi contingant scit præcauere. Hæc mea custodi vltima manda-
» ta. Matrem nostram sanctam Ecclesiam semper dilige & frequenta. Verbum
» Dei, quod cibus est animæ & vita, Missas debitúmque Dei seruitium quo- D
» tidie reuerenter ausculta. Seruos Dei verbis & operibus honora: maximè do-
» minos & fratres nostros Monachos huius Ecclesiæ ministros prout poteris ve-
» nerare & adiuua; consilio & auxilio tuo si necesse habuerint sustenta. Res
» quas pater meus & ego dedimus eis pro nostra salute, vt in pace & quiete
» habeant libenter concede. De rebus & redditibus suis numquam velis eos di-
» minuere, nec aliquam eis violentiam per subditos tuos patiaris inferre. Ipsi ni-
» mirum, si fidus fautor eorum studueris esse, indesinenter Deum exorabunt
» pro te. Numquam igitur eos, siue eorum odio habeas, sed semper diligas: &
» si Dominus tibi vitam ac prosperitatem dederit, accrescere facias. Hæc itaque
» si custodieris & feceris, benedictionis Dei, quam sancti Patres nostri heredi-
» bus suis reliquerunt, ex parte Dei tibi, concedo, & vt super te veniat & maneat,
» Deum exoro. Si verò secus, quod absit, egeris: maledictionem ex auctoritate
» Dei & sanctorum Patrum tibi relinquo.

GVILLELMVS II.

A FINITA verò ad filium oratione, memorabilis Heros Odelinam vxorem suam tali aggreditur allocutione: Grata soror & amabilis coniunx Odelina, quæso mea benigniter nunc audi precamina. Hactenus coniugij fidem mutuo nobis legitimè custodiuimus; & sine litigio turpíque querela plus quàm viginti annis opitulante Deo simul viximus. Honestam sobolem per legitimam copulam genuimus, quam vt salubriter suo Creatori subdatur, sedulis incites hortatibus. Ecce ducor ad extrema, & velim nolim, mortis appropinquo confinia. Ecce iuxta morem vniuersæ carnis dilabor, & commune debitum persoluere compellor. Nolo te per multa pertrahere colloquia. Cùm vita tua multis doctrina possit esse, hoc solùm consuetis bonis tuis adde, vt amodo casta viuas in sancta viduitate. Mihi verò licentia detur à te vt Monachus fiam, & indumenta sancti Patris Benedicti, quamuis sint nigra, relictis seculi pompofis vestibus accipiam. Cupio eorum adipisci consortia, qui pro Christo relinquunt mundi blandimenta. A coniugali ergo nexu me quæso absolue domina, méque fideliter Deo commenda, vt ab omni expeditus mundiali B sarcina, Monachili merear designari habitu & tonsura. Hoc ex intimo corde deposco, hoc votis omnibus concupisco, vt anima mea in Monachili possit computari Collegio, sumptóque religionis scemate renouata, in præsenti iam cantare seculo, *Nigra sum, sed formosa*. Nigra sum per hispidæ vestis nigredinem & deformitatem: sed formosa per sancti propositi humilitatem, Deóque placentem deuotionem.

HÆC Ansoldo dicente, & his similia bona, mulier eius voluntati nunquam resistere assueta, multis fletibus perfusa, sed sine clamoribus reuerenti vigens modestia, solitóque more obediens marito concessit petita. Tunc sancta Ecclesia vigiliam Natalis Domini festiuè celebrabat; & vehemens ventus intolerabiliter orbem concutiebat, siluas & domos aliáque ædificia deiiciebat; multísque damnis in mari & in terra factis, humana mirabiliter corda terrebat. Concessione itaque facta tyro Christi mox tonsoratur, neophytus sacris vestibus induitur, qui- C bus per triduum indutus, Christo vt cum eo resurgere possit consepelitur. Tertia denique die mortem sentiens fratres acciri fecit, ac vt sibi morientium commendationem facerent rogauit. Qua peracta, aquam benedictam & crucem sibi afferri petiit. Quibus allatis, aqua se aspersit, crucem adorauit, Christóque, qui in cruce pependit, sic se quodam Sophista præloquente commendauit: In manus tuas, Domine Deus, (licet olim peccator, nunc verò pœnitens) commendo, sicut seruus se debet committere Domino suo, spiritum meum. Quo dicto (vt credimus) feliciter expirauit. Inde Vigiliæ cantantur, Psalmi & Orationes in eius exitu cum multis suspiriis dicuntur, & Missæ deuotè celebrantur. Quibus ritè patratis, terræ matri omnium ad custodiendum & reddendum committitur, dum S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ assumptio ab Ecclesia Dei celebratur. His vtique exequiis Odo Monasteroliensis interfuit, ibíque sacerdotale officium peregit, breuíque loco nomen & officium, diémque obitus eius, & magnam pro eo precem sic comprehendit.

D *Si quis erit qui scire velit dum viuus adesset,*
Quis fuerit, quem tumba tegit, quod nomen haberet:
Ansoldi nomen fuit huic, & militis omen.
Quinta dies fit ei requies in fine Decembris.
Detur ei pietate Dei merces requiei, amen.

Militia clarus & audacia Petrus vicinis metuendus Mauliæ præfuit, sed à paternis vestigiis in quibusdam operibus suis exorbitauit. Nam iuuenili leuitate vsus mimos & aleatores dilexit, adolescentum persuasionibus fauens rapacitati studuit, pauperésque colonos tam suos quàm alienos plerúmque oppressit. Aliena temerè diripit, & sua infrunitè distrahit. Vnde sicut ipse suis damnosus est contribulibus, sic finitimi prædones non minus inhianter insidiantur & nocent ipsi suísque hominibus. Iratus durissima facilè minatur, lætus improuidè difficilia pollicetur: in vtróque mendax frequenter comprobatur. Vxorem post obitum patris sui duxit nobilissimam nomine Adam, Burcardi de Montemorentij neptem, & Comitis Gisnarum filiam. Monachos & Clericos verbis honorat, & correptiones eorum placidè tolerat: sed excusatio ne iuuenilis ætatis im-

GVILLELMVS II. pudentiam suam obnubit, & emendationem vitæ in maturiori æuo (quod vtinam fiat!) promittit. Nunc ea quæ ab ipso vel sub ipso data sunt breuiter annotabo. A

ANSOLDVS moriens optimum palefridum Monachis dimisit, pro quo Petrus patre rogante terram de Monte Marcenij Monachis dedit; eisque tunc omnia, quæ prædecessores eius dederant, concessit. Vineam quoque de Clarofonte, quam Ioannes de S. Dionysio, & Maria vxor eius, & Ernulfus eorum filius, S. Mariæ priùs sponte dederant: sed postmodum Hierusalem adire volentes cuidam Britoni de Monte-forti nomine Fulconi Monachis calumniantibus vendiderant, Petrus Episcopali iustitia Britoni ablatam in sua manu accepit: sed eandem paulò pòst diuinitus infirmitate tactus in confessione sua liberam ab omni censu S. Mariæ reddidit. Fructum etiam vineæ in ipso anno ad emendam imaginem sanctæ Virgini obtulit.

GRIMOLDVS nepos & heres Stephani de Maulia totam decimam terræ suæ, tam de feudo Ansoldi quàm de feudo Pagani, decimámque molendini sui, & vinearum suarum Monachis dedit: & donum super altare cum Petronilla vxore sua B posuit. Deinde ad obitum præfatæ coniugis suæ duo arpenta terræ in Monte Tedberti Monachis annuit. Hic in Hierusalem cum Stephano Blesensi Comite perrexit, in itinere illo multa grauia pertulit, & indè reuersus legitimè vixit.

GEROLDVS quoque cognomine Costatus prædicti Grimoldi sororius infirmatus est, diuinóque verbere territus quandam decimam, quam in territorio Marolij possidebat, partémque suam atrij eiusdem villæ Monachis dedit, annuente coniuge sua, in cuius dote erat: Petro Domino Mauliæ volente & concedente, de cuius feudo erat. Albericus autem de Marolio XII. iugera terræ, quæ in supercilio montis, in territorio Marolij ad Occidentem sita est, Monachis dedit.

ODO filius Gualonis, eques honorabilis ad obitum Arnulfi filij sui dedit Monachis de Maulia tria iugera terræ, quæ tunc temporis Fulco Presbyter excolebat. Duos quoque vini modios similiter dedit, daríque de vineis suis, per singulos annos constituit: itaut nullatenus sucessione vel mutatione heredum Mauliensis Ecclesia prædictum donum perderet, meritóque pro animabus filiorum eius Petri, Arnulfi, & Milonis, aliorúmque amicorum eius Deum iugiter exoraret. Paucis denique transactis diebus contigit præfatum Odonem infirmari. Ex qua infirmitate velut bonus filius de flagello patris proficere cupiens, coniugem suam Beliardem, nurum quoque suam Corneliam, filiam quoque Siciliam cum genero suo Gaufredo ad se conuocauit, eisque annuentibus, omnes decimas suas Deo sanctæque Mariæ donauit. Vnde præfatæ mulieres vnà cum Gaufredo ex Odonis præcepto Ecclesiam petierunt, & donum super altare posuerunt. Quo facto ægritudine ingrauescente factus est ibidem Monachus, & in infirmaria Monachorum iacuit x. diebus. Interea Gualterius audax filius eius de Trecassino, vbi diu moratus fuerat, aduenit: patrémque adhuc viuentem reperit. A quo rogatus quicquid genitor Ecclesiæ Dei dederat, & parentes sui annuerant, ipse concessit: tria scilicet iugera terræ, duos vini modios vnoquoque anno; omnes decimas quas pater eius possederat in annona, in vino, & in primitiis. Quarum omnium rerum, mortuo patre & sepulto, Gualterius donum super altare S. Dei genitricis per vnum librum misit; & patrem imitatus huc vsque bonus Monachorum vicinus extitit. C D

TEMPORE Hugonis de Vaceio & Dauid, aliorúmque Priorum, qui Mauliæ laborauerunt vtiliter, notum fuit multis, notúmque fore volumus posteris, quòd Tesza vxor Bernardi cæci dedit Monachis S. Ebrulfi Mauliæ degentibus medietatem terræ S. Columbæ tam plani quàm nemoris: præter duo arpenna terræ, quæ dedit eisdem vbi possent domum ędificare, & hospites sine alterius parte si vellent habere. Hoc autem fecit, concedentibus dominis suis, Goisleno scilicet (qui aliam medietatem terræ propter penuriam seruicij tunc in dominio tenebat) & Guaszone de Pexeio, qui capitalis Dominus erat. His nimirum patronis Monachi multam diuerso tempore pecuniam dedere, optantes in legitima pace rem Ecclesiasticam augere, & commoditatem aliquam subsequentibus sociis prouidere. Primus itaque, qui cupidus & magnanimus erat, hoc negociũ in Prioratu suo inchoauit, & præfatæ Teszæ x. solidos, & Odoni filio eius vnum fustaneum, atque Guillel-

A mo genero eius x. solidos tribuit. Goisleno etiam dedit vnũ equũ pro quatuor libris, & vxori eius xx. solidos, atque Guaszoni xxv. solidos, & corneum sciphum, eiusque coniugi alium. Hæc & alia plura supradicti homines de caritate Monachorum habuerunt; & donum super altare Domini ponentes coram multis testibus firmiter omnia concesserunt. Sed postmodum stimulante iniquitate pluribus modis rupto fœdere mentiti sunt. Præcipuè Guaszo, qui fortior omnibus erat, aliósque si deuiarent, corrigere debuisset, eleemosynam inquietauit, prædam hospitum cepit, & domos eorum subuertit. Vnde idem locus, sicut dudum fuerat, solitarius factus est. Monachi enim tali necessitate locum interim dimiserunt. Denique transactis pluribus annis Almaricus Guaszonis filius interfectus est. Tunc Monachi lugubrem pro morte filij Guaszonem adierunt, eúmque vt damnum quod eis intulerat emendaret rogauerunt. Ille verò morte filij sui compunctus, suppliciter eis respondit, & malum quod commiserat se emendaturum promisit. Præfatum itaque mandauit Goislenum & Almaricum de Belueder, cui nuper ipsum feudum reddiderat, & de quo tunc temporis Goislenus illud tenebat. Illi ergo apud Fraxinos B conuenerũt, & de correctione facinoris tractauerunt. Guaszone cum Monachis rogante, Almaricus concessit donum quod Tezsa fecerat, & Guaszo ac Goislenus concesserant. Assensu itaque & consensu omnium facto, prædicti Domini, Guaszo scilicet, Amalricus & Goislenus Monachos palam saisiuerunt: & hoc Grimoldus de Maulia, & Rogerius filius eius, aliique multi viderunt & audierunt. Statuto denique die Amalricus apud Mauliam venit, donúmque quod apud Fraxinos monachis concesserat, super altare sanctæ Mariæ posuit, & ex caritate Monachorum xx. solidos Medantensium recepit.

Sic studiosorum procuratione Monachorum Mauliensis Cella surrexit, & largifluis exhibitionibus confluentium ad laudem Dei competenter creuit. Erat enim idem vicus vineis & vberibus agris optimè consitus: Maldra quoque fluuio per medium currente irriguus, nobiliúmque copia militum fortiter munitus. Hi nimirum Ecclesiæ in vita sua libenter dant de terris suis & de aliis facultatibus, reuerenter ab eis honoratur Ordo Monasticus, & in mortis metu pro animæ subsidio totis expetitur affectibus. Ibidem milites claustrum seruant cum Monachis, sæpe de practicis simul tractant & theoricis. Sic Schola fit viuentium & refugium morientium.

C Tempore Petri senioris Mainerius Abbas Philippum Regem Francorum expetiit, & res in regno eius Vticensibus datas humiliter ab eo requisiuit. Ille verò benigniter ea quæ data erant concessit; eósque qui secum erant, vt abundantiùs darent, clementer & hilariter admonuit. Hoc in itinere inter Speonnam & Medantum factum est. Deinde tempore Petri iunioris Ludouicus Rex Mauliam venit, & in eundem Petrum pro quibusdam reatibus insolentis iuuẽtæ iratus, lapideam munitionem, qua prudens Ansoldus domum suam cinxerat, cum ipsa domo deiecit. Tunc idem Rex hospitium in domo Monachorum suscepit, & quæque tempore trium dominorum Petri, Ansoldi, alteriúsque Petri data eis fuerant, vel ipsi emerant, regali concessione confirmauit. Tunc Guarinus Sagiensis vir callidus, & benè litteratus Prioratum habebat: seruicióque suo & familiari colloquio à Rege sanctionem exegit omnium rerum, quas eidem loco procurauerant Goisbertus & Guitmundus, Guillelmus & Hugo, Dauid & Rannulfus, aliique Priores eiusdem Cellæ. Hæc de Maulia in præsenti libello dixisse sufficiat.

D Famosvs Archiater Goisbertus postquàm Mauliæ basilicam (vt diximus) cœpit, cum quibusdam notis amicísque suis de communi vtilitate Monasterij sui tractare studuit. Quibus illi adquiescentibus, Abbatem suum obnixè rogauit; vt Prioratum Mauliæ alij commendaret, quatinus ipse ad aliarum procurationem rerum liberior procederet. Quod & factum est. Guitmundus enim, qui Solengiaci Presbyter fuerat, vir bonus in loco eius subrogatus est, & præfatus Medicus pro suorum commoditate fratrum toto nisu plures Gallorum equites aggressus est. Quosdam quidem illexit medicinali cura & subuentu, aliósque muneribus, vtrósque verò facundis hortatibus.

Vnfridvs igitur cognomento Harenc, & Hauisa vxor eius, & filij eiusdem Hauisæ, Paganus videlicet ac Alexander, & Rogerius de Rolla Crota, vxórque eius Basilla, & filius Basillæ Guiardus, concesserunt Deo & sancto Ebrulfo Ecclesiam

GVILLEL-MVS II. de Villariis vastatis; & decimam ad eandem pertinentem, & terram vni carrucæ A sufficientem. Concesserunt etiam totius villæ herbagium absque vllius participatione quietum. Terram quoque tam in mansuris quàm in rupturis totius parrochiæ hominibus ibidem hospitatis excolendam, reseruato sibi tantummodo camparto. Istud autem donum coram Domino Roberto apud Iuereium fuit factum, ipso concedente cum filiis suis Ascelino, Goëllo, & Guillelmo. Ipse quicquid in eadem villa habebat concessit, pro qua re totum beneficium loci & vnam vnciam auri recepit. Non multò pòst stimulo grauis morbi diuinitus in verendis percussus est: metúque mortis Monachus Beccensis Abbatiæ factus est. Ascelinus autem & Goëllus filius eius hereditario iure patrimonium eius obtinuit, & famosis facinoribus super omnes contribules suos diu claruit. Castrum enim apud Breheruallum munitissimum construxit, sæuísque prædonibus ad multorum perniciem repleuit. Arcem Ibreij furtim cum ingenti calliditate cepit, Dominúmque suum Guillelmum Bretoliensem bello victum comprehendit, & in arctissimo carcere grauiter coërcuit. Mille libras Drocensium & præfatæ turris asillum ab illo pro redemptione violenter extorsit, & Isabel filiam eius vxorem duxit, ex qua VII. filios genuit. Hic cum vxore sua B & filiis omnes res, quas sanctus Ebrulfus de feudo eius habebat, Villarias scilicet vastatas, & medietatem decimæ de Montinneio concessit: & inde ex caritate Monachorum LX. solidos habuit, & Chartam concessionis suæ apud Breheruallum confirmauit. Idem alio tempore apud B. Helerium in domo Monachorum sancto Ebrulfo concessit, vt omne dominium eius à passagio liberum esset in illo loco, & in omni terra eius. Filij quoque eius Rodbertus & Guillelmus cognomento Lupellus postmodum concesserunt, firmúmque tenorem diu modo tenuerunt.

HVGO Paganus Crassa-lingua, & Agnes vxor eius, atque Guido filius eorum concesserunt sancto Ebrulfo Vicecomitiam, id est viatiam, quantam habebant in Villariis vastatis: & ob hoc à Monachis quondam susceperunt X. solidos & vnum ceruicorium, & alio tempore XX. solidos. Filius autem X. solidos Medantensium pro concessione recepit. Chartam verò huius pacti Ioannes Remensis præloquente Hugone Fraisnello ante turrim Breheruallì dictauit, & Hugo Paganus cum suis confirmauit. Post aliquot temporis præfatus Hugo Monachus factus est; & filij eius C Rodulfus, Simon, & Rodbertus Monachis Vicecomitiam auferre conati sunt. Monachi verò vt habita in pace possiderent, Rodulfo qui primogenitus erat dederunt centum & decem solidos nummorum Medantensium, Simoníque quinque solidos, & Roberto sotulares * corduanos.

* subtolares.

ANNO quo Goëllus obiit, Alexander & Gislebertus dederunt sancto Ebrulfo vnum campum de mansura Rodberti cuiusdam villani, in præsentia Rodberti de sancto Nicolao: ipso Rodberto cõquerente, quod terram non haberet vni carrucæ sufficientem. Quicquid Fulco de sancto Albino in Villariis de terra sua dedit sancto Ebrulfo, heredes eius Tedricus & Rainerius concesserunt, & vxores eorum Emmelina & Tescelina (ex quibus erat hereditas) retinentes indè partem aliquam ad hospitandum, Domino illorum Alexandro annuente.

PROLIXAM narrationem de rebus Vticensis Ecclesiæ datis protelaui: sed necdum omnes in præsenti comprehendere valui. Sunt etenim paruæ & à mediocribus aut blanditiis abstractæ, aut vi seu precio, vel alio quolibet modo extortæ, sparsímque per plurimas dioceses diffusæ: in quibus Monachorum numerus secundum D quantitatem possessionis constituitur, & pro fautoribus suis in hymnis & precibus & continenti vita Domino quotidie famulatur. Quæ restant in sequenti Opusculo veraciter colligentur: & notitiæ fratrum, qui nobis ad laborandum in agro Dominico succedent, liquidò pandentur.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER SEXTVS.

A HVMANI acumen ingenij semper indiget vtili sedimine competenter exerceri: & præterita recolendo præsentiáque rimando ad futura feliciter virtutibus instrui. Quisque debet quemadmodum viuat quotidie discere, & fortia translatorum exempla heroum ad commoditatem sui capessere. Plerúmque multa, quæ velut inaudita putantur rudium auribus insonant: & noua modernis in repentinis casibus frequenter emanant: in quibus intellectuales inexpertorum oculi nisi per reuolutionem transactorum caligant. Studiosi ergo abdita inuestigant, & quicquid benignæ menti profuturum autumant, piè amplexantes magni existimant. Ex beniuolentia laborant, & præterita posteris sine inuidia manifestant; quorum solertiam dente canino nonnumquam inertes lacerant. Vnde inuidiosi quidam inuidorum morsibus iniuriati plerúmque torpescunt: & ab incœpto specimine (quod æterno fortassis silentio recludetur) desistunt. Sic interdum friuola occasione seculo damnum oritur lugubre: quod beniuola posteritas si posset restaurare, & intermissa recuperare, alacris excusso insurgeret torpore: & inuisi operis florem fructúmque obnixa expeteret voluntate, & ardenter perscrutaretur sedula perspicacitate. In priscorum questibus hoc plerumque legimus: & insignes didascalos de suorum insultationibus æmulorum
B plangentes plangimus. Hieronymum & Origenem, aliósque Doctores de cauillationibus oblatratorum in allegationibus suis conquestos cernimus: & contristamur quod hac de causa nostris multa præcipua subtracta sunt obtutibus, dum dicaces sophistæ malebant in ocio quiescere, quàm abdita disertè proferendo laborare, & maledicis corrodentium latratibus patere. Conticescant obsecro qui nec sua edunt, nec aliena benignè suscipiunt: nec si quid eis displicet pacificè corrigunt. Discant ea quæ nesciunt, & si discere nequeunt; patiantur saltem symmatites suos edere quæ sentiunt.

DE humano statu lapsúque, de labentis seculi volubilitate, & prælatorum Principúmque nostrorum vicissitudine: de pace seu bello, & multimodis qui non deficiunt casibus terrigenarum, cuilibet dictanti thema scribendi est copiosum. De miraculis verò prodigiisque Sanctorum, quia nimia nunc in terris est penuria eorum, modo Scriptoribus in referendo non est insudandum. Antiqui enim patres Martialis & Taurinus, Siluester, Martinus, & Nicolaus, aliique mirabiles viri, quorum linguæ claues cœli factæ sunt: qui diuinis charismatibus pleni vt Phœbus in Ecclesia fulserunt, & elementis mundi aëreisque potestatibus in virtute omnipotentis imperantes dominati sunt: iam cum Rege suo superna mercede potiti felices in cœlo consistunt. Successoros autem eorum, qui potestatis apicem obtinent, & Rabi vocitantur, atque super Cathedram Moysi resident; secularibus pompis & diuitiis (quibus plerique nimium inhiant) multipliciter pollent: sed meritò sanctitatis potentiáque virtutum & prodigiorum non æquè renitent. De cursu tamen seculi & rebus humanis veraciter scribendum est: atque ad laudem Creatoris omnium rerum, & iusti gubernatoris Chronographia pandenda est. Æternus enim condi-

GVILLELMVS II. tor vsque modò operatur, & omnia mirè disponit: de cuius gloriosis actibus quisque pro suo libitu & posse piè promat, quod ei diuinitus inspiratum fuerit. A

ANNO ab Incarnatione Domini MLXVI. Indictione V. Guillelmus Dux Normannorum, deficiente stirpe Regis Edgari, quæ idonea esset ad tenēdum sceptrum regale, cum multis milibus armatorum ad Anglos transfretauit, & in campo Senlac inuasorem regni Albionis Heraldum bello peremit. Deinde Francis & Anglis peroptantibus in die Natalis Domini apud Guestmonasterium ab Adelredo Eboracensi Archiepiscopo Rex consecratus est: regnóque Anglico XX. annis, & VIII. mensibus ac XVI. diebus fortiter potitus est. Contumaces regni filios confregit, vinculis iniecit, exheredauit, expulit, & extra limitem natalis soli dispersit. Clientes vero suos & fautores sublimauit, magnis honoribus locupletauit, regníque negociis præficiens magnificauit. Ex his Hugo Abrincatensis Ricardi cognomine Goz filius inter ceteros Magnates effulsit: cui, postquam Gherbodus Flandrensis ad suos recessit, Rex Comitatum Cestrensem consilio prudentum concessit. Hic nimirum amator seculi seculariúmque pomparum fuit, quas maximam beatitudinum putabat esse portionem humanarum. Erat enim in militia promptus, in dando nimis prodigus, gaudens ludis & luxibus; mimis, equis, & canibus, aliísque huiusmodi vanitatibus. Huic maxima semper adhærebat familia, in quibus nobilium ignobiliúmque puerorum numerosa perstrepebat copia. Cum eodem Consule commorabantur viri honorabiles Clerici & milites, quos tàm laborum quàm diuitiarum gratulabatur esse suarum participes. In Capella eius seruiebat Abrincatensis Clericus nomine Geroldus, religione & honestate peritiáque litterarum præditus. Hic seruitium Domini quotidie agebat, & sacrosanctum libamen deuotè frequenter exhibebat. Viros curiales quoscúmque poterat, ad emendationem vitæ propositis antecessorum exemplis inuitabat. In multis videbat, meritóque vituperabat carnalem petulantiam: nimiúmque in pluribus erga Dei cultum lugebat ingentem neglegentiam. Præcipuis Baronibus & modestis militibus, puerísque nobilibus salutares monitus promebat, & de veteri Testamento, nouísque Christianorum gestis imitanda sanctorum militum tirocinia vbertim coaceruabat. Luculenter enim enarrabat conflictus Demetrij & Georgij, Theodori & Sebastiani, Mauricij Ducis Thebææ legionis, & Eustachij præcelsi Magistri militum cum sociis suis, qui per martyrium coronari meruerunt in cœlis. Addebat etiam de sancto athleta Guillelmo, qui post longam militiam abrenunciauit seculo, & sub Monachili regula gloriosè militauit Domino. Multis igitur profuit eius exhortatio, quos ad tutam regularis vitæ stationem è mundiali protraxit pelago. B C

NVNC quia de sancto Guillelmo nobis incidit mentio, libet vitam eius breuiter hîc inserere. Noui quod ipsa raro inuenitur in hac Prouincia, & nonnullis placebit de tali viro relatio veridica. Hanc etenim Antonius Guentoniensis Monachus nuper detulit, & nobis eam videre desiderātibus ostendit. Vulgo canitur à joculatoribus de illo cantilena: sed iure præferenda est relatio autentica, quæ à religiosis doctoribus solerter est edita, & à studiosis lectoribus reuerenter lecta est in communi fratrum audientia. Verùm, quia portitor festinabat adire, & brumale gelu me prohibebat scribere, sinceram abbreuiationem sicut tabellis tradidi compendiosè, sic nunc satagam membranæ summatim commendare, & audacis Marchisi famam propalare. D

TEMPORE Pipini Regis Francorum Guillelmus ex patre Theoderico Consule, & matre Aldana natus est. In infantia litteris imbutus est, & sub Carolo Magno militiæ mancipatus est. Nomen Consulis & Consulatum, & in rebus bellicis primæ cohortis sortitur Principatum. Deinde à Carolo Dux Aquitaniæ constituitur, eíque legatio contra Teodebaldum Regem & Hispanos atque Agarenos iniungitur. Acriter Septimaniam ingressus Rodanum trāsiuit, Arausicam vrbem obsedit, & fugatis inuasoribus eripuit. Deinde cum barbaris transmarinis, & vicinis Agarenis multos conflictus egit, in gladio suo populum Dei ope diuina saluauit, imperiúmque Christianum dilatauit, & Sarracenos perdomuit. In territorio Luteuensi, in valle Gellonis inter innumeros scopulos in honorem Saluatoris & XII. Apostolorum Monasterium construxit, Monachósque religiosos cum Abbate ibidem constituit, & omnia eis necessaria largiter præparauit, & ipsorum Chartas sui

A & regalibus testamentis confirmauit. Duæ verò sorores eius Albana & Bertana factæ sunt ibi Sanctimoniales, & in Dei cultu benè perseuerarunt. GVILLELMVS II.

POST longum tempus à Carolo accitus Franciam expetiit, & honorificè susceptus, se Monachum fieri velle denudauit. Rex illi cum multis fletibus concessit, & de thesauris suis quicquid vellet ad Ecclesiam suam deferri iussit. Guillelmus autem omnes terrenas opes respuit, sed phylacterium quoddam sanctæ Crucis lignum continens requisiuit & obtinuit. Illud nempe dum Carolus Rex primo anno imperij sui Romæ moraretur, Hierosolymitanus Patriarcha per Zachariam magni testimonij sacerdotem transmiserat. Audita mutatione Guillelmi tota domus regia cõsurgit, omnisq; ciuitas subitò ruit. Adest magna Procerũ frequentia, & plorãs intrat cum violentia: & Guillelmo ne deserat eos supplicat cum lugubri querimonia. Ille verò Dei igne feruens omnia reliquit, & cum ingenti honore deductus omnibus valefecit, demúmque ab exercitu Francorum cum lacrymis suspirante discessit. Ad Briuatensem vicum perueniens, arma sua ad altare sancti Iuliani Martyris offert, galeam & spectabilem clypeum in templo ad tumulũ Martyris, foris verò ad ostium B pharetram & arcum, ingens telum & versatilem gladium Deo præsentat. Deinde peregrinus Christi per Aquitaniam ad Monasterium properat, quod ipse paulò antè in eremo construxerat. Nudis pedibus appropinquat Monasterio, ad carnem indutus cilicio. Audito eius aduentu venitur ei obuiam procul in biuio, & valde contradicenti festiua fit à fratribus processio. Ibi tunc offert philacterium omni auro preciosius, cum calicibus aureis & argenteis, & aliis multis ornamentis multimodis: factáque petitione mundum cum suis omnibus reliquit pompis & lenociniis.

IGITVR anno ab Incarnatione Domini DCCCVI. imperij Caroli quinto, in natale Apostolorum Petri & Pauli Guillelmus Comes Monachus factus est, subitóque immutatus in Christo Iesu & alteratus est. Factus enim Monachus docebatur, nec confundebatur: corripiebatur, sed non irascebatur. Interdum cæsus, & iniuriis læsus non resistebat, neque comminabatur. Gaudebat in subiectione, & delectabatur in omni abiectione: paratus cunctis seruire, obsequi & obedire. Proficiebat quotidie in omni sanctitate & religione, & in omni sanctæ regulæ obseruatione, sicut aurum in camino mirabili coctione. Monasterium quod ante Monachatum ex toto non perfecerat, adiuuantibus filiis suis Bernardo & Guillelmo (quos C Comitatibus suis præfecerat) Comitibúsque vicinis, perfecit vt cœperat. Difficilem viã ad iam dictum Monasteriũ pro asperitate montiũ direxit, rupem cum malleis & securibus, variísque ferramentorum generibus argumentosè incidit, iactatóque de lapidibus fundamento secus flumen Araris viam altiùs sustulit, & monti coniunxit.

LVDOVICVS Caroli filius Rex Aquitaniæ, cum omni bonitate de fiscis sui iuris Guillelmo petente Monasterio dedit, & cum præcepto regio anulique sui auctoritate firmauit. Guillelmus circa Monasterium fecit vineta & olíueta plantari, hortósque plurimos constitui: ipsámque vallem destructis arboribus infructuosis, fructiferis pomeriis meliùs complantari. His ipse & aliis huiuscemodi studiis intentus laborabat, propriásque manus rusticanis actibus pro amore Dei mancipabat: & sic in vera humilitate & religione se iugiter exercebat. Coram Abbate & fratribus crebro prouoluebatur, petens vt pro misericordia Dei ampliùs abiici & humiliari sibi concedatur. Viliora in Monasterio expetebat officia. Optat vilissimus fieri, & cõtemptui haberi. Vult esse vt iumentum, ac vt pullus asini, portare onera fratrum in D domo Domini. Quondam Dux potentissimus non erubescit vili asello gestari cum suis flasconibus. Ecce domnus Guillelmus fit de Consule coquus, de Duce magno fit inquilinus, ligna collo deferens, amphoram aquæ baiulans, ignem excutiens & succendens. Manibus propriis parophides abluit, olera colligit, pulmenta condit, legumina infundit. Ipsa verò refectionis hora, nulla interueniente mora, cuncta lautè præparata fratribus anteponit: ieiunia continuans, lares fouet & custodit. Ipse pistor clibanum calefacit, panes imponit, & coctos extrahit.

QVONDAM pro penuria lignorum ad coquendum panes sarmenta congerit, stipulam colligit, & quicquid manus inuenit, in caminum citò proiicit, ac fortiter calefacit. Cúmque seruum Dei tempus vehementer vrgeret, eúmque nimis introrsus argueret, quòd hora reficiendi fratres aliquantulum præteriret, nec ille haberet vnde fornacem cineribus euacuandam extergeret: Christum inuocat, signo crucis

GVILLELMVS II. munitur, medium fornacis intrat, & omnia quæ ibi agenda erant diligenter illæsus præparat. Carbones nudis manibus proiicit, illæso scapulari cineres exponit, lares aptat, & intromittendis panibus temperat. Sic Guillelmus in igne diu stetit, nec vllam adustionem in corpore seu veste sua pertulit. Postea consilio fratrum Abbas seruilia ei opera omnino prohibuit; sed orationi & sanctæ meditationi vacare præcepit, idoneámque Cellam ei deputauit. Sic diu exercitatus in actiua, incepit requiescere in vita speculatiua, & post Marthæ seruitium frequénsque ministerium, delectabatur cum Maria in perenni theoria.

TANDEM Guillelmus perfectus virtutibus spiritu Prophetiæ donatur, & diuinis oraculis vita eius declaratur. Obitus sui diem Abbati & fratribus prædixit, multísque vicinis scripto eam significauit, & Carolo Regi delegauit nuncium, & signum quod fieret dum moreretur manifestissimè indicauit. Tandem omnibus rite consummatis migrauit B. Guillelmus v. Kal. Iunij, Angelis gaudentibus, & terrigenis plorantibus. Tunc fit per omnes circumquáque Prouincias, per omnes minores ac maiores Ecclesias magnus valde & insolitus clangor signorum, & campanarum sonitus, longa pulsatio, mirabilis tinnitus, nullis hominibus funes trahentibus, vel signa cõmouentibus, nisi sola virtute diuina quæ superuenit cælitus. Eximij viri sanctum corpus ibidem honorificè tumulatur, multísque miraculis gloriosè patratis laus Dei fideliter cantatur. Venerabile Cœnobium illic vsque in hodiernum diem perseuerat, & ingens Monachorum exercitus Domino Deo Sabaoth cum ingenti tripudio militat, atque meritis sancti Guillelmi ex illustri milite religiosi Monachi turba infirmantium conualescens exultat in Christo Iesu, qui omnes sibi adhærentes in æternum glorificat.

INVICTISSIMORVM itaque militum trophæa frequenter Abrincatensis Geroldus referebat: & coëssentes athletas armigerósque generosos ad similem cõuersationem blandiciis & terroribus incitabat. In primis igitur quinque illustres viri de familia Consulis egressi sunt, quorum nomina hæc sunt. Rogerius Erneisi filius, nepos Guillelmi de Garenna Comitis Suthregiæ: & Ernaldus Vnfridi de Telliolo filius, nepos Hugonis de Grentemaisnilio Vicecomitis Legrecestræ, cum Guidone Medantensi eiusdem armigero: Drogo etiam filius Goisfredi de Nouo-mercato, & Odo Capellanus Comitis, filius Ernulfi Dolensis. Isti nimirum instinctu Ernaldi (cuius parentes Vticensem Abbatiam construxerant) Vticum adierunt; & à Mainerio Abbate gratanter in Monasterio suscepti sunt. Qui longo tempore regulariter ibidem conuersati sunt, & Ecclesiasticas res industria & sollicitudine sua commodè auxerunt.

GEROLDVS autem, qui sicut gallus dormientes in profunda nocte cantando excitabat, sic in obscuritate letheæ obliuionis & profunditate mũdialis illecebræ illectos verbum Dei serendo ad meliora extulerat: sese tandem propriis pennis percutiens à torpore viuaciter excussit, discipulósque suos (de quibus prædictum est) sequens, Vticum adire sategit. Verùm volente Deo in Anglia remanere coactus est. Nam vbi Guentam peruenit, grauiter ægrotare cœpit, metúque mortis in veteri Monasterio sancti Petri Monachile scema deuotè suscepit; diúque sub Gualchelino Præsule, & Godefrido peritissimo ac religioso Priore regulariter vixit. Inde post aliquod tempus ad regimen Ecclesiasticum canonicè prouectus est; & Theochesburiæ (dum Bajocensis Samson Guigornensi Episcopio præerat) primus Abbas effectus est. Ibi nempe Cœnobium sanctæ Mariæ Rodbertus Haimonis filius super Sabrinam fluuium construxerat, & multis opibus tempore Guillelmi iunioris Anglorum Regis affatim locupletauit. Geroldus autem officium sanctæ prædicationis, quod in Clericatu gratanter exercuerat (quo plures de cœno libidinis & rapacitatis ad puritatem innocentis vitæ pertraxerat) in pastoralis culmine regiminis positus vigilanter excoluit, & pluribus opitulante Deo profuit. Nouum Monasterium regularis Ordinis sanctionibus instituit, Nouitiorum copiam Monachili normæ mancipauit, neophitísque optimos ritus rigidæ conuersationis tradidit. Ad exercitium spirituale cum subiectis commanebat, ad laboriosa etiam iuniores interdum præibat, solertíque studio Monasteriis res intus & extra prudenter disponebat. Post plures annos inuidus sathan in Dominicum gregem surrexit, & opilione nequiter perturbato teneras oues atrociter vexauit. Rodbertus enim Brito post mortem Rodberti

A berti filij Haimonis Abbatem suum (à quo susceptus fuerat ad Monachatum) de quibusdam falsis criminibus accusauit apud Regem Henricum. Porrò Abbas ante Regem accersitus, prolixis rationibus vti noluit, sed innocenti conscientia contẽtus Abbatiæ dominatum Regi vltro reliquit:& post laboriosos Marthæ famulatus, optimam Mariæ partem intra secretum Guentoniensis claustri repetiit. Denique dum post aliquod tempus à venerabili Radulfo Rofesi Episcopo inuitatus fuisset, & ipse rogatu plurimorum eundem Pontificem causa sanctæ collocutionis adiisset, ibidem vocante Deo in lectum decubuit; & completis omnibus quæ seruo Dei ritè competunt, reuerenter obiit. GVILLELMVS.II.

ROGERIVS verò de Guarenna (quem præfati Socerdotis diximus hortatu fuisse conuersum, & Vticum quasi de flammis Sodomæ cum IIII. commilitonibus pro Monachatu accurrisse) ferè XLVI. annis ibidẽ vixit,& in ordine feruens multimoda honestate viguit. Erat enim corpore venustus, habitúque vili sponte deiectus. In omni esse suo venerabili pollebat modestia, voce clara, & facũda loquela. Ad labo- B res tolerãdos erat validus, ad Psalmos & Hymnos canendos voluntarius:in cõuersatione verò suo contubernalibus tractabilis & benè morigeratus. In victu sibi parcus, aliísque largus: in vigiliis semper promptus,& indicibiliter sobrius. Non fastu carnalis nobilitatis tumuit, sed in humilitate consistens Regulæ succubuit,& vilia quęque fratrũ obsequia hilariter agitare prælegit. Per plures enim annos vltro solitus est omnium calciamenta fratrum perungere,pedulesque lauare,aliáque seruitia (quæ quibusdam hebetibus & turgidis despicabilia videntur) libenter exercere. Textum Euangeliorum auro & argento gemmísq; decorauit; & plura vestimenta cappásque cantorum & tapetia cum cortinis, aliósque plures ornatus Ecclesiæ suæ procurauit. Fratribus & parentibus suis quæ poterat opportunè rapiebat, & subtracta corporibus pro salute animæ diuino cultui gaudens applicabat.

RICARDVS igitur de Colungis præfati Rogerij frater Vticum venit,& Ecclesiam de Estolueio (quam ab Erneiso quodam homine suo redemerat) B. Ebrulfo dedit:decimam quoque duum molendinorum adiecit. Harum itaque donationem C rerum cum Adelaisa coniuge sua, & præfato Erneiso super altare posuit. Pro hac concessione Monachi dederunt Ricardo VIII. libras nummorum, Rodberto etiam de Molbraio, qui capitalis dominus erat, C. solidos dederunt, & ipse incunctanter in viridario Turstini de Solengi S. Ebrulfo concessit Ecclesiam de Estolueio vt Monachi petierunt. Præfatus autem Ricardus valde locupletatus est, & Henrico Regi amicus inter compares suos magnificatus est. vsque ad senectutem prosperè vixit, & ex coniuge sua XI. filios & IIII. filias habuit, quibus hæc indita sunt vocabula. Hugo, Goiffredus, Ricardus, Ioannes, Rodbertus, Odo, Henricus, Yvo, Rodulfus, Guillelmus, & Henricus: Rohes, Adelisa, Mathildis, & Auicia. Ex his duo ab infantia Deo dicati sunt. Ioannes enim Monachatui Vticensis Ecclesiæ addictus est, & Adeliza in Cœnobio S. Trinitatis Cadomi sanctimonialis effecta est.

DEINDE anno ab incarnatione Domini MCXXV. præfatus Ricardus XVII. Kal. Octobris obiit, & sequenti anno filius eius Hugo Vticum venit, scutellã argenteã Deo super altare obtulit: & omnia quæ pater eius (vt suprà dictum est) dederat, D libenter concessit, donúmque super aram posuit:se etiam ex toto deuouit.

SERENITATE prosperi temporis arridente, Mainerius Abbas in Angliam XIIII. anno regiminis sui transfretauit, & Rogerium de Guarenna, Drogonémq; de Nouo-mercato secum adduxit. Curiam verò Guillelmi Regis (à quo multoties accersitus fuerat) adiit;& Lanfrancum Archipræsulem aliósque sibi carissimos caritatiuè visitauit. A Rege & Optimatibus eius honorificè susceptus est,& fratres Vticensis Ecclesiæ prudenti affatu exhortatus est: illos scilicet qui de Normannia exierant, & in Anglia spe exuberantiùs sublimati fuerant. Illustres quoque Monachi à nobilibus regni Proceribus gaudenter suscepti sunt: & de opibus in aliena regione violenter acquisitis, vt forensis fauor appetit, honorati sunt. Rex itaque & Magnates fundos, & pecunias, ac ornatus Ecclesiæ cum gaudio eis dederunt, & orationibus eorum sese fideliter & deuotè commendarunt. Possessiones, & Ecclesiæ, decimæque, quas amici & affines Vticensium eis condonarunt, ad notitiam futuræ posteritatis in Charta consignatæ sunt. Magnificus enim Guillelmus hu-

GVILLELMVS II. iuscemodi Testamentum S. Ebrulfo condidit, in quo sua hominúmq; suorum dona in his verbis regali auctoritate gratanter confirmauit. A

GVILLELMVS *Dei gratia Rex Anglorum & Dux Normannorum, atque Princeps Cenomannorum, omnibus fidei Catholicæ fautoribus, pacémque in Ecclesia seruantibus, summum & inexplebile gaudij munus. Quoniam breuis est mortalis vita, & de generatione in generatione transeunt omnia, volumus litterarum testimonio temporis nostri decreta confirmare, vt quæ nos rectè facimus ex nostro iure, & ex data à Deo potestate, nemo successorum nostrorum audeat violare, ne scilicet ei contradicat qui omnia regna suo arbitrio dispensat. Ego itaque Guillelmus Dei gratia Rex in regno mihi diuinitus commisso eleemosynã, quæ mihi perenniter prosit, Cœnobio B. Ebrulfi tradere dispono: & ea quæ fideles nostri pro communi omnium salute de possessionibus, quas eis dedi, legitimè dant Deo, concedo, præsentique cirographo confirmationem nostram præsentibus & futuris omnibus Dei fidelibus notifico. In primis igitur Vticensi Monasterio, quod beatus Christi Confessor Ebrulfus construxit in heremo, de dominio meo pro amore Dei dono in Gloucestre scira villam, quæ Rauella, id est Capreæ fons dicitur; & in Nichole scira quandam Ecclesiam, & quicquid ad eam pertinet in villa quæ Nethleham vocatur. Præterea Optimates nostri de rebus suis S. Ebrulfo hæc largiti sunt: atque vt in Charta regia auctoritatis contra omnium infestationes inserantur, poposcerunt. Rogerius Comes Scrobesburiæ dedit omne quod habebat in Melleburna, in Granteburge scira: Othnam quoque & Merestonam in Estaforde scira, & vnam hidam terræ in Graphan, & terram Vulfuini aurifabri in Cicestra, decimámque caseorum & lanarum de Pultona, & decimam de Senegai in Granteburge scira. Mabilia verò eiusdem Comitis filia de redditibus suis in Anglia LX. solidos sterilensiũ pro decimis suis dedit S. Ebrulfo per singulos annos ad luminaria Ecclesiæ. Guarinus Vicecomes de Scrobesburia dedit S. Ebrulfo Neutonam, & Ecclesiam de Halis cum decima, decimámque de Guestona in Estaforde scira; & hæc Dominus eius Rogerius Comes concessit. Porrò Hugo de Grentemaisnil (qui cum Roberto fratre suo, & auunculis suis Guillelmo & Roberto filiis Geroij Vticense restaurarat Cœnobium) hæc eidem dedit in Anglia in perpetuam hæreditatem. Totam terram, quam habuit in parua Pilardentona, in Guareuiche scira, omniúmque duas partes decimarum totius terræ suæ dedit: & XVI. rusticos ad ipsas decimas custodiendas, atque nouem Ecclesias. Dedit enim tres villanos Sceltones, tres Guaris, duos Belegraua, vnum Stotonæ, vnum Cherchebiæ, vnum Mersitonæ, vnum Ostesiluæ, vnũ Cherlẽtonæ, & alium in alia Cherlentona. Dedit etiam Ecclesiã de Guaris & totam decimã quæ ad illam pertinebat, terrámq; duarũ carrucarum; Ecclesiam de Turchillestona, decimámque ad illam pertinentem, & duas virgatas terræ: Ecclesiam de Clenefeld cum decima tota, & duabus virgatis terræ: Ecclesiam de Charlentona, cum decima & quinque virgatis terræ: Ecclesiam de Noneslai cum decima & duabus virgatis terræ; Ecclesiã de Merthegraua, quæ nunc alio nomine Belegraua dicitur, cum tota decima & XI. virgatis terræ, & Guillecotã, & quicquid Hugo Clericus de Sappo in Anglia de ipso tenebat; Ecclesiam de Mersitona cum tota decima & terra ad Ecclesiam pertinente: Ecclesiã verò de Coteford cum decima, & vna hida terræ: Ecclesiámq; de Pellingis, cum toto quod Leofricus ibidem de ipso tenebat. Hæc sunt quæ Hugo de Grentemaisnil S. Ebrulfo me concedente dedit in Anglia. Radulfus quoque de Conchis eidem Sancto dedit duos manerios, Aluuintonam in Guighercestre scira, & Caldicotã in Nortfuch: & Hugo filius Constantij dedit Ecclesiam de Gasra, & vnam hidam terræ. Hugo autẽ Cestrensis Comes filiũ suum nomine Rodbertũ in Vticensi Eccl. ad Monachatũ Deo obtulit, & eidem Ecclesiæ dedit vnam hidam terræ in parua Pilardẽtona, & decimam ac vnum rusticum in villa quæ dicitur Brichella, decimámque de Sanleia in Buccingeham scira. Robertus verò de Rodelento præfato Hugone Cestrensi Comite domino suo concedente dedit S. Ebrulfo Cherchebiã cum duabus Ecclesiis, vna scilicet quæ in ipsa villa est, & alia prope illum manerium in Insula maris, & Ecclesiam S. Petri Apostoli, & quicquid ad eam pertinebat in Cestrensi vrbe, & in Merestona, quæ est in Northamtone scira, Ecclesiam S. Laurentij, & quicquid ad eam pertinet: & in eadem Prouincia Ecclesiam de Binella cum duabus terræ carrucatis. Alij quoq; homines Hugonis Comitis Vticensi Ecclesiæ decimas suas dederunt. In Nichole scira Rozscelinus de Estentona, Osbernus Tezsonis filius de Neubela, Baldricus de Farefort decimam cum vno rustico, Rogerius de Millai & Brisard, & Robertus Pultrel in Legrecestre scira. Omnes hi decimas suas S. Ebrulfo dederunt, & prædictus Comes gratanter concessit. Hæc itaque, quæ de nostro dominio sæpè memorata Ecclesiæ dedi, & omnia quæ à Baronibus nostris eidẽ data sunt concessi, anno ab incarn. Dom. MLXXXI. Indict. IV. præsenti cirographo in vrbe Guenta corroboro: & Proceribus meis, qui eleemosynas suas dederũt, vel astipulatores earum sunt, hoc testamentum signo S. Crucis dedicandũ trado: vt in æternum regali auctoritate rata sit hæc donatio,*

B

C

D

A *& sacrilegos sacrarum violatores rerum irremediabilis; nisi à reatu resipuerint, feriat maledictio.* GVILLELMVS II.

IN hac nimirum Charta Guillelmus Magnus (id est Cõquestor) Rex Anglorum primus signum sanctæ Crucis edidit: & subsequentes Magnati subscripserunt, quorum nomina hîc subscripta sunt. Rodbertus & Guillelmus filij Regis, maximique Consules, Rogerius de Scrobesburia & Hugo de Cestra, Rodulfus de Conchis, & Guillelmus de Britolio, Hugo de Grentemaisnil, & nepos eius Rodbertus de Rodelento, Rodbertus filius Murdaci, & Gulferius de Villereio, Guillelmus de Mollinis, & Richerius de Aquila, Eudo Dapifer, & Guarinus Vicecomes de Scrobesburia.

REGRESSVS de Anglia Mainerius Abbas huiusmodi Chartam secum detulit, & archiuis Ecclesiæ ad seruandum porrexit. Tunc Mathildis Regina, comperto laudabili rumore de moribus Vticensium, orationis gratia Vticum venit; & à fratribus honorificè suscepta, marcum auri super aram obtulit, séque cum filia sua Constantia precibus fratrum commendauit: eísque datis sumptibus lapideum tricorium vbi vnà reficerent construi præcepit. Casulam auro & margaritis comptam, & ele-
B gantem cappam sancto Ebrulfo dedit, & plura si diu viueret promisit: sed morte præueniente promissa complere non potuit. Adelina quoque vxor Rogerij de Bellomonte albam aurifrasio copiosè ornatam Vticensibus contulit, qua indutus sacerdos præcipuis in solemnitatibus Missam celebrare cõsuescit. Sic alij plures vtriusque sexus prædicto Monasterio de suis donariis in diuersis speciebus erogabant, & participatione beneficiorum, quæ ibidem cœli architecto conferebantur, spiritualiter perfrui peroptabant.

HIS temporibus tres ibidem germani laudabiliter militabant in Monachili habitu, Robertus cognomento Nicolaus, Rogerius, & Odo. Hi fuerunt filij cuiusdam Presbyteri nomine Geruasij de Monasteriolo, quẽ Theodericus Abbas iamdudum de Sartis transtulit ad regendam diocesim de Sappo. Tres itaque prædicti fratres ad conuersionem in iuuentute venerunt, & bonis moribus inter fratres pollentes Deo grati & hominibus habiti sunt. Primus eorum illiteratus, sed feruidus amator virtu-
C tis erat; nouæque basilicæ, quæ construebatur, operi solerter præerat. Alij duo erant Grammatici & Sacerdotes conspicui, Abbatísque sui adiutores strenui, & intus ac foris illustres vicarij. Præfatus enim Archimandrita Odonem, qui ætate iunior, sed eloquentior, & ad tolerandos labores erat robustior, Priorem Monasterij sui constituit. Rogerium verò, qui ætate & eruditione litterarum maior erat, in Angliam pro vtilitatibus Ecclesiasticis destinauit. Ipse autem haud segniter iussa Magistri compleuit, & capsam, in qua reliquiæ sanctorum aptè conderentur, procuratione sua fabricauit, quam auro argentóque comiter ornauit. Solertia itaque sua Ecclesiæ suæ nactus est plurima bona, variã scilicet supellectilem & Cantorum cappas atq; vestes: candelabra & argenteos calices, alióśque ornatus diuino cultui congruentes. Erat enim mitis & modestus, in cibo & potu somnóq; sobrius, & pro insolita mãsuetudine amabilis omnibus. Per diuersa igitur officia XX. annis, vt ordo Monasticus exigit, exercitatus est: & succedenti tẽpore post Maineriũ & Serlonẽ ad tenẽdum regimen Vticensis Abbatię communi fratrũ electione promotus est. Quod XXXIII. annis in aduersis & prosperis tenuit: senióque fractus vni discipulorum suorum nomine Guarino commisit; & ipsum, quantum in ipso fuit, tribus annis ante obi-
D tum suum sui Vicarium & successorem constituit. Verùm de his in subsequentibus, si vita comes fuerit, si facultas opitulante Deo suppetierit, sedimine nostro manifesta posteris enarratio res gestas enodabit. Nunc ad differendas res sancto Ebrulfo datas regrediar.

RADVLFVS tiro filius Alberti de Creuento dum primitus arma militaria gestare cœpit, contra Guitmundum Monachum cũ famulo suo Maulia venientem in valle Guidonis insurrexit, deiectóque Monacho, caballos abduxit. Monachus verò pedes Paceium expetiit, Albertum mœrens vt erga filium sibi suffragaretur rogauit. Cui præfatus miles proteruè respondit, & de reddendis equis omne subsidium mox denegauit. Hoc videns Alberada vxor eius cœpit plorare, manus torquere, capillos trahere, atque filium quasi mortuum iam flere. Alta voce velut amens clamabat, & cum multis fletibus eiulans dicebat: Fili mi Radulfe, qualem «
cœpisti non militiam, sed dementiam exercere? Detestabilibus pædagogis prauè «
proh dolor! agitaris, quorum lethiferis sophismatibus insulsè nunc seduceris, & in «

GVILLELMVS II barathrum perditionis miserabiliter traheris. O quàm triste mihi nuncium misisti, A quámque acerbum mihi mœrorem peperisti! Decepte iuuenis, quid tibi dicam? Nequiter iniuriando inermem famulum Christi mortiferam tibi deiectionem promeruisti. Fili mi Radulfe, quid debacchando fecisti, qui primordia tuæ militiæ contra Omnipotentem exercuisti? Noui certissimè quod breue gaudium, & longam tristitiam habitura sum pro tuo facinore. Nónne omnes doctores pariter consonant, & vna voce passim prædicant, quod Altissimus in sanctis suis habitat, & cum eis læta vel aduersa pie tolerat? Succurre pater insanienti filio, & omni elabora studio, vt ablati cornipedes lugubri reddantur Monacho: ne vnicus filius tuus pro tanto scelere statim tradatur dæmonio. Sic prudenti matrona pro salute filij supplicante, Monachúmque desolatum fideliter mulcere satagente, Albertus cum omni familia sua commotus contremuit, mulam suam Monacho tradidit; armigerósque suos cum illo Breheruallum destinauit: filiúmque suum, vt ei sine mora quæque ablata fuerant redderet, terribili adiuratione obtestatus constrinxit. Guitmundus itaque receptis equis Paceium remeauit, Alberto & vxori eius gratias egit, à quo B vterque veniam pro commisso reatu postulans impetrauit. Præfata nempe mulier Hugonis Bajocensis Episcopi filia fuit, & inter affines pro modulo suo multa honestate viguit.

EODEM anno præfatus tiro ægrotauit, factúsque sui pœnitens ab Vticensibus veniam petiit, se & omnia sua sancto Ebrulfo deuouit. Quo defuncto pater mœrens corpus eius Vticum deuehi fecit, & medietatem decimæ de Vlmeio totam liberam, sicut eam tenuerat, ipse sancto Ebrulfo concessit. Aliam nempe decimæ medietatem de eo Monachi Columbenses tali tenebant pacto, vt omnes Episcopales consuetudines, & omnes exactorias seruitutes persoluerent pro illo. Hæc itaque donatio facta est Vticensibus anno Incarnationis Dominicæ MLXX. tempore Philippi Regis Francorum, & Goisfredi Carnotensis Episcopi, nepotis scilicet Rainaldi Parisiensis Episcopi. Radulfus autem cognomento Malus-vicinus, qui capitalis dominus erat, gratanter apud Medantum annuit poscenti Mainerio Abbati decimam de Vlmeio, quæ (vt dictum est) in ius Ecclesiæ cesserat.

NON multò pòst præfatus Albertus defunctus est, & corpus eiusdem Vticum delatum est. Heredes verò decimam, quam dederat sancto Ebrulfo, concesserunt, Guido scilicet gener eius Ebrardi de Rui filius, & Radulfus de Cunella, aliique qui vsque in hodiernum diem successerunt: eámque Vticenses Monachi sub tribus Episcopis Goisfredo, Iuone, & Goisfredo, per annos fermè x. opitulante Deo quietè possederunt. C

NVNC qualiter & quo tempore Alfagiensis Cella sit in Comitatu Talogij constructa, & Guillelmi Regis atque Ioannis Archiepiscopi tempore Vticensibus subacta, placet scripto posteris intimare: & Chartam donationis atque confirmationis, quæ tempore Henrici Regis sancita est, huic Operi coaptare.

QVIA mortalis vita quotidie labitur, & mortalis homo irrecuperabiliter perdit mundanos honores, quos cum summo labore adipiscitur: debet quisque præceptis Dei dum viuit & potest, fideliter obtemperare, vt contemptis læbilibus per Dei gratiam æterna possit impetrare. Hæc diligenter considerans quidam generosus in Normannia miles nomine Gulbertus Ricardi de Hugleuilla filius, instinctu Beatricis coiugis suæ decreuit in patrimonio suo apud Alfagium Monachos constituere, quorũ precibus meritísq; iuuaretur in extremo examine. Et quia Drogo nepos suus seculare militiam nuper reliquerat, & apud Vticum Monachatum assumpserat; Maineriũ Abbatem & Ebrulfianos Monachos vehementer adamauit, eísque Ecclesiam S. Mariæ de Alfagio cum omnibus præbendis suis dedit: tali pacto vt sex Monachi pro sex Canonicis, qui tunc ibidẽ deseruiebant, cõstituerentur; & Canonicis quolibet modo vel emendatioris vitæ pio conatu mundum relinquentibus, præbendas eorum nanciscerentur. Dedit etiam præfatus Heros eisdẽ Monachis totam villam de Parco cum Ecclesia & tota decima eiusdem villæ ita liberam, & ab omni molesta consuetudine absolutam, sicut ipse hactenus tenuerat eam. Homines de Parco omnino absoluit, vt nullam sibi coactitiam exhibeant seruitutem; nec eant nisi in generalem Principis Normanniæ expeditionem. In molendino de Alfagio dedit pro decima duos modios tritici singulis annis, & in alio molendino super D

A Sedam dimidium modium cuiuslibet segetis. Concessit etiam vt Monachi de lignis siluæ suæ, quæ Harulsart dicitur, ad fomitem ignis duas sagmas asini quotidie acciperent. Præfatus miles duas quadrigatas vini de Principe Normannorum in feudo tenebat singulis annis: ex quibus vnum modium ad celebrandas Missas perenniter concessit Monachis. Dedit nimirum duas Ecclesias cum tota decima & terra, quæ ad easdem pertinebant: vnam scilicet de Parco, quæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructa erat, aliámque de Beluaio, quæ in honore sancti Petri Apostolorum Principis condita erat. Quas, quia præbendæ Alfagiensis Ecclesiæ erant, duo Canonici tunc possidebant. Radulfus enim Ecclesiæ de Parco deseruiebat, quem post aliquod tempus de Anglia redeuntem marina tempestas inuoluit, & fracta naui cum omnibus sociis fluctus absorbuit. Galterius autem Ecclesiam de Beluaio tenebat, qui postmodum Monachus sancti Ebrulfi factus est. Gvillelmvs II.

Hæc omnia Gulbertus cum coniuge sua Beatrice libenter Ecclesiæ Dei pro æterna salute contulit, hominésque suos & amicos vt eleemosynam suam augmentarent multoties benigniter obsecrauit. B Goisfredus igitur miles eius Ecclesiam sancti Dionysij cum tota decima sanctæ Mariæ dedit; partésque decimæ, quas de eo tres milites, Osbernus Capes, & duo filij Aszonis Bernardus & Radulfus tenebant, hortatibus & muneribus datis Ecclesiæ Dei recuperauit. Ipse quoque terram, & villanos, & omnes consuetudines de ipsis villanis in vico Siluatico concessit. Rodbertus miles de Hugleuilla Ecclesiam sancti Albini cum tota decima Monachis concessit; & inde ex eorum caritate XVI. libras Rodomensium habuit. Bernardus Goisfredi de Nouo-mercato filius Ecclesiam de Spemis in Anglia, & totam terram ad ipsam pertinentem, cum tota decima, quam Ebrardus Presbyter tenebat, sanctę Mariæ dedit: & pro mutuatione Ecclesiarum de Burchella & de Bruneshopa XX. solidos de censu Neoburiæ ad festiuitatem sancti Michaëlis concessit. Baldricus filius Nicolai ad Deppam dedit vnum burgensem: & Radulfus Anseredi filius ad Hotot dedit vnum hospitem.

Anno itaque Incarnationis Domini MLXXIX. Indictione II. anno scilicet XIV. Guillelmi magni Regis Anglorum & Ducis Normannorum, præfatus Gulbertus, & Beatrix vxor eius suprascriptarum rerum donationem super altare sanctæ C Mariæ posuerunt: & hi sunt testes qui præsentes affuerunt. Gilbertus & Radulfus, Galterius & Ioannes, quatuor Canonici eiusdem Ecclesiæ, Bernardus de Nouomercato, & Goisfredus de sancto Dionysio, Osbernus Capes, & Osbernus Buflo, Eustachius de Carquita, & Eustachius de Torceio, Rodbertus de Hugleuilla, Rogerius de Parco, & alij multi.

Denique Gulberto XVIII. Kal. Septembris defuncto, & à Monachis, quos in fundo suo constituerat, honorabiliter sepulto: Galterius filius eius paternum honorem obtinuit, & omnia quæ pater suus, hominésque eius S. Mariæ dederant, concessit. Iterum tempore Rodberti Ducis Normannorum, postquam Auiciam Herbranni de Salcheuilla filiam vxorem duxit, ipsius instinctu patris & matris eleemosynam concessione sua confirmauit. Decimam quoque thelonei de Alfagio addidit, & sex burgenses, omnésque consuetudines eorum concessit, eósque penitus sic absoluit, vt sibi nil ab eis exigat, nisi generale Comitis Normanniæ seruitium. Totam verò aquam suam ad piscationem annuit prout Monachis libuerit.

D Præter hæc Auicia vxor eius amore Dei feruens LX. solidos de censu suo Kalendas Octobris Monachis concessit annis singulis, vt inde emant ceram & oleum ad luminaria Ecclesiæ, & thus per totum annum: & donationem super altare sanctæ Mariæ cum marito suo posuit. Testes harum donationum sunt Adam & Guillelmus filij Tedfredi, Osbernus Buflo, & Eustachius de Torceio, Rodbertus de Cropus, & Rodbertus filius Godmundi, Ioannes Cattus, & multi alij. Post aliquot annos idem Galterius & Auicia vxor eius in amore Dei proficientes à Rogerio Abbate sancti Ebrulfi XII. Monachos expetierunt: eísque ad victum necessarium molendinum de Parco (quod reddebat XI. modios & V. acras terræ ad Hugleuillam) & tres hospites in anno XV. solidos habentes, ac ad villam quæ Centumacras dicitur, Ecclesiam sanctæ Trinitatis cum tota decima dederunt.

Hæc omnia, quæ à Gulberto, & ab hominibus eius data Vticensibus retuli,

GVILLELMVS II. Guillelmus Rex Anglorum,& Ioannes atque Guillelmus Rotomagenses Archiepiscopi concessione sua confirmauerunt. Deinde quicquid Galterius Gulberti filius eleemosynæ patris addidit, Rodbertus II. Dux Normannorum Monachis sancti Ebrulfi concessit, & nundinas etiam ad Parcum in natiuitate sanctæ Mariæ ipsis erigere permisit,& per seniorem Galterium cognomento Gifardum omnino interdixit,ne vllus aliquam consuetudinem seu priuilegium absque Monachorum voluntate in ipsis haberet. Fratres quoque eius Guillelmus Rufus,& Henricus Reges Anglorum,atque Goisfredus Archiepiscopus,omnia quæ præscripta sunt Vticensibus Monachis concesserunt,qui iam per multos annos eadem in pace possederunt. Canonici quippe Monachis cesserunt, quia virtutes eorum, quas assequi nequibant,in omnibus excellere viderunt. Guinimarus enim & Benedictus, atque Ioannes filius ipsius Monachis pluribus annis comitati sunt, morbísque tandem ingrauescentibus decesserunt. Gislebertus autem, qui sociis omnibus sapientior eminebat,& Galterius, Monachatum sponte subierunt, & emendationem vitæ pollicentes iam senio fracti migrauerunt. B

NVNC de generositate Alfagensium Heroum,& moribus eorum libet parumper annotare. Gulbertus cognomento Aduocatus de sancto Galerico filiam Ricardi Ducis vxorem duxit,ex qua Bernardum patrem Galterij de sancto Galerico,& Ricardum de Hugleuilla genuit. Ricardus autem Duci Normanniæ auunculo videlicet suo diu militauit,cuius dono nobilem Adam Herluini senis de Hugleuilla relictam cum toto patrimonio eius accepit. Multa siquidem Dux illi dedit, & multò maiora promisit,& promissa liberaliter complesset, si humiliter illi famulando placuisset. Hic super Sedam,in vico,qui olim Isnelli villa vocabatur, burgum constituit: & pro imminenti monte altis fagis obsito Alfagium nuncupauit. Leges etiam Cormeliensium colonis intulit. Militari probitate & ingenti liberalitate viguit: vnde hostibus formidabilis,& fidus amicis extitit.

TEMPORE Guillelmi iuuenis filij Rodberti Ducis, Guillelmus de Archis contra Ducem rebellauit, & pene omnium Calogiensium parilis defectus nothum Principem deseruit: solus Ricardus contra rebelles in castello suo secus Ecclesiam sancti Albini perstitit, & pro fidelitate Ducis contra discursus Archacensium Prouinciam circumiacentem defensare curauit. Adiutores autem eius in illo conflictu Goisfredus gener eius, & Hugo de Morio-monte Turchetilli de Nouo-mercato filij, fuerunt: ex quibus Hugonem cum omnibus suis Archacenses apud Morium-montem repentè circumdederunt, seséque viriliter defendentem interemerunt. Porro Goisfredus ex Adda Ricardi filia Bernardum & Drogonem genuit, quibus varius euentus extitit. Drogo enim relicta militia apud Vticum religiosè vixit, & in Monachatu litteras didicit, & per sacrorum gradus ordinum vsque ad sacerdotium ascendit. Bernardus autem vsque ad senium militiæ inhæsit, & sub tribus Angliæ Regibus strenuè militauit. Denique tempore Guillelmi Rufi contra Resen Guallorum Regem pugnauit, quo perempto Brachaniaucum castellum condidit: regnúmque Britonum, cuius caput Talgard vocatur, multis annis possedit. Ecclesiam quoque in honore sancti Ioannis Euangelistæ in oppido suo construxit, ibíque Monachos constituit, & omnium eis rerum suarum decimas donauit. C D

GVLBERTVS autem Ricardi filius Beatricem filiam Christiani de Valencenis illustris Tribuni vxorem duxit,quæ viro suo Galterium, & Hugonem,atque Beatricem peperit. Præfatus Heros consanguineus Ducis semper ei fidelis fuit, & cum illo præcipua cœtibus suis stipatus in bello Anglico discrimina pertulit. Verùm postquam regnum pacatum est,& Guillelmus regnauit; Gulbertus (Rege multas in Anglia possessiones offerente) Neustriam repetiit,legitimáque simplicitate pollens de rapina quicquam possidere noluit. Suis contentus aliena respuit, filiúmque suum Hugonem Ecclesiasticæ disciplinæ sub magisterio Mainerij Abbatis in Vticensi Monasterio deuotus obtulit. Cum religiosa coniuge (quæ Mathildis Reginæ consobrina erat) diu vixit,& eleemosynis ac orationibus aliísque bonis operibus vsque ad finem laudabiliter studuit. Venerabilis autem Beatrix post obitum viri sui tribus annis superuixit, & in sancta confessione II. Nonas Ianuarij obiit.

GALTERIVS verò puer elegans, sed parum sapiens fuit; & ob hoc Godmundo

A aliisque dolosis tutoribus vltro subiacuit. Societatem nebulonum familiariter sibi asciuit; quorum nefaria persuasione paternum honorem insipienter dilapidauit; & Monachos ac Clericos, legitimósque colonos iniuriis crebrò illatis perturbauit. Tandem miles effectus pulchram & eloquentem Auitiam Herbranni filiam vxorem duxit: cuius consilio & sagaci conatu à pristina prauitate aliquatenus retrahi cœpit. Erat enim prudens & facunda, & à puerilibus annis Deo deuota; multísque pro posse suo bonis operibus dedita. Hæc tres fratres habebat præclaros milites, Iordanum, Guillelmum atque, Rodbertum: quorum auxilio sororius eorum in dolosos peruasores præualuit, & plura, quæ fraudulentis surreptionibus nequicquam distraxerat ac perdiderat, recuperauit. Præfata mulier viro suo filios & filias numero XII. peperit, quorum maiorem partem immatura mors in infantia mox absorbuit. Deinde ipsa completis cum viro suo XV. annis VIII. Kal. Februarij defuncta est, & in claustro Monachorum (quos valde dilexerat) ad ostium basilicæ sepulta est. Arcum verò lapideum super ipsam Guarinus Prior construi fecit, & B Vitalis Angligena Epitaphium huiusmodi edidit.

Nobilis Auiciæ corpus iacet hic, sine fine
Christus ei tutam concedat in æthere vitam,
Cui proba dum vixit cum laude frequens inhiauit,
Ac studuit iugi conatu iure lucrari.
Pulchra fuit valde, facunda satis, sapiénsque.
Cultibus assiduè diuis satagebat adesse.
Cotidie Missas audire studebat, & Horas.
Viuere sponte sua sic cœpit honesta puella.
Denique Galterio generoso nupta marito,
Cum quo quindenis vixit feliciter annis,
Edidit optatam prolem numero duodenam.
Moribus egregiis specialiter hæc hera fulsit,
C *Ecclesiæ cultum satagens extollere, multum*
Contulit ornatus proprios altaris in vsus.
Presbyteros, Monachos, viduas, ægros, & egenos
Semper honorauit, multóque iuuamine fouit.
Casta fuit tantùm quod nullus eam nebulonum
Infamare palam notis præsumeret vmquam.
In Februo lucem, qua Petrus Pontificalem
Conscendit cathedram, nece mœstam sensit & atram.
Pro tanta casu Dominæ flent Alsaienses.
Ast animæ Deus Auiciæ det gaudia vitæ, Amen.

Galterius autem post humationē coniugis ferè tribus annis vixit, & diutino langore cruciatus Monachi cuculam induit; & paulò pòst data confessione, perceptáque pœnitentia VI. Kal. Iunij obiit. Porro corpus eiusdem Hildegarius Prior ad pedes præfatæ coniugis suæ tumulauit, & Vitalis huiusmodi nænias super illo prompsit.

Alsaiensis herus Galterius hîc requiescit,
In requie vera locus illi perpetuò sit.
D *Viginti septem soles iam Maius habebat,*
Dum vir hic in Monachi tunica de carcere migrat,
Quem longus langor cruciauerat, ipse reatus
Confessus proprios, per te sit Christe solutus, Amen.

DEFVNCTO Galterio, quatuor pupilli desolati remanserunt, Ricardus & Iordanus, Galterius & Helias: quos Henricus Rex in sua tutela suscepit, & Alsaiense ius Roberto Vicecomiti duobus annis regendum præcepit. Porro Iordanus de Salcauilla seruitiis & muneribus Regi oblatis totum ius obtinuit: ipsósque nepotes suos alturus cum patrimonio suo recuperauit, & quatuor annis honorificè conseruauit & auxit. Interea Ricardus duodennis puer obiit, & in Ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ tumulatus quiescit. Iordanus deinde successit frater eius, iuuenis pulcher, bonísque pollens moribus. In Curia Regis Henrici inter coæuos militauit, cui præfatus Rex prudentem & pulchram coniugem nomine Iulianam Godescali filiam dedit, quæ cum Adelide Regina de Louennensi regione in Angliam venit.

GVILLELMVS II.

HVC vsque de rebus S. Ebrulfi diutiùs locutus sum, quæ nostrum magna ex A parte implent Libellum. Indè mihi quæso non indignentur Lectores, si beneficij accepti memor recolo nostros benefactores. Opto equidem fundatores & beniuolos cooperatores eorum scripto commendare tenaci memoriæ posterorum, vt filij Ecclesiæ coram Deo in conspectu Angelorum memores sint eorum, quorum beneficiis in hac mortali vita sustentantur ad peragendam seruitutem conditoris vniuersorum. Hinc victor Abram, postquam à cæde quatuor Regum remeauit: & Loth nepotem suum cum concaptiuis suis vtriusque sexus, & substantia sua reduxit: sociis suis vt partes suas de spoliis Sodomorum acciperent præcepit. Per Abram, qui Pater excelsus interpretatur, perfecti viri designantur, qui contra malignos spiritus & vicia carnis quotidie dimicant, mundum mundique Principem superant, terrenos fastus & lenocinia carnis conculcant, ac veluti stercus deputant. Per Loth à barbaris in captiuitate ductum, sed viuaci virtute spiritualis patrui nobiliter ereptum, qui vinctus vel declinatio interpretatur, carnalis animus seu bestialis populus significatur, qui in Sodomis, id est delectabilibus flagitiis, illaqueatur, & nexu peccati vinctus à Deo declinans, à malignis spiritibus captiuatur. Per B socios Abræ, qui pugnasse leguntur, fideles laici iure intelliguntur, qui iussu eius portionem exuuiarum sibi sumpsisse referuntur. Sic enim in libro Geneseos scriptum est: *Dixit Rex Sodomorum ad Abraham: Da mihi animas, cetera tolle tibi. Qui respondit ei: Non accipiam quicquam ex omnibus quæ tua sunt, exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum qui venerunt mecum. Aner, Escol, & Mambre, isti accipiant partes suas.* Plerique laicorum mansuetis & modestis moribus adornantur, fide & bona voluntate perfectis Christi bellatoribus adiunguntur: eisque in dæmones viriliter pugnantibus benigniter congratulantur. Fragile tamen seculum non relinquunt, omnino mundana deserere nolunt, sed legali coniugio deseruiunt, legis transgressionibus Deum in multis offendunt: eleemosynis tamen peccata sua secundum Danielis consilium redimunt. Isti nimirum partes suas de manibus hostium accipiunt, dum de terrenis possessionibus Deo seruientium Monasteria construunt; & de iniquo mammona pauperum & infirmorum Xenodochia piè construunt; & de substantiis suis Oratoribus cæli victum & vestitum porrigunt. Porro Rex Sodomorum triumphanti Abram adulans diabolum figurat, qui mille artibus nocendi Sanctos quotidie tentat, quos blanditiis & terroribus nocte dieque impugnat; & omnia mundi delectamenta diuitiasque vel honores ad hoc callidè C subministrat, vt animas solummodo in barathrum perditionis secum pertrahat. Abram verò blandientis assentationes Regis contempsit, nec laudes nec munera quælibet ab illo recipere dignum duxit: sed commilitonibus tantùm suis partes suas, & quæ ad esum necessaria erant, sumere permisit. Sic nimirum sancti viri dum in hac vita tempus militiæ suæ peragunt, omnia mundana pro cælesti desiderio spernunt: nec vllam mercedem pro sanctitatis remuneratione appetunt. Verùm mundanos Principes, qui de fide Catholica & æternorum desiderio bonorum eis comitantur, admonent vt Ecclesiis partes suas de patrimoniis & quæstibus suis donent, & egenos mundique contemptores suis beneficiis sustentent: vt à Christo, qui se in pauperibus esse asserit, perennem gloriam sibi vendicent. Multis approbari potest auctoritatibus & exemplis, quòd tantum sibi homines retinent D ad emolumentum æternæ salutis, quantum in eleemosyna misericorditer distribuunt iuxta præceptũ Saluatoris. Nam ea quæ pro delectatione carnis prodigè distrahunt, seu pro mundialis inani splendore felicitatis inutiliter diffundunt: sine dubio velut aqua defluens irremediabiliter transeunt. Alij verò, qui heredibus suis ingentes gazas augent & reseruant, proh dolor! augmentum malitiæ miseriæque sibi multoties accumulant, natósque suos ad multorum detrimenta solerter educant. Ipsi enim furtis & rapacitatibus, multimodisque nequitiis summopere inseruiunt, meritóque malignitatis suæ dignis vltionibus multati depereunt. Sic nempe fit, vt nec cœlo, nec terra digni iudicentur; & amplos honores ingrati successores adipiscantur: & antecessores, qui prauis heredibus nimias opes procurauerint, à multis maledicantur.

PROVIDI Sophistæ de mammona iniquitatis amicos sibi faciunt: qui dum carnalia eorum ad præsentis vitæ sustentationem percipiunt, meritis & orationibus

A spiritualia benefactoribus suis in æternum rependant. Baiocensis Ebrulfus summopere sibi perquisiuit debitores huiuscemodi: de cuius iam rebus in præsenti opusculo plurima retuli. Amodò de ipso Patre ordiar, & eius gesta, sicut à priscis scripto seu relatione traduntur, breuiter prosequar: & vitam eius ad refectionem legentium hîc ita inserere nitar. GVILLELMVS II.

VENERABILIS igitur Pater Ebrulfus admodum nobili ortus prosapia, Baiocasinæ vrbis oriundus extitit. Quem parentes nimia educantes cura Catholicæ fidei magisterio tradiderunt. Qui mira velocitate diuina & humana diligenter percurrens studia, etiam adhuc puer ipsos magistros dicitur præcessisse doctrina. Cœlestis enim gratia, quæ sibi eum religionis Doctorem futurum præuiderat, in omnibus efficacissimè docilem reddiderat. Neque ex insolentia (vt mos est huius ætatis) superbè aliquid agendo, tantæ indolis dignitatem inficiebat. Vultus siquidem spectabilis & affatu dulcis, nulli leuitate aliqua existebat grauis. Qui (sicut dictum est) nobilitatis lampade clarus, immortalis Dei iam notus præscientiæ, mox B innotuit Clothario Regi filio Clodouei (qui primus ex Christianorum Regibus Christianus factus est) & à beato Remigio Remorum Archiepiscopo cum tribus nobilium milibus baptizatus est. Qui comperiens quis, vel cuius nobilitatis esset, ilicò præsentari sibi eum iubet: condignum fore diiudicans, vt quem mentis nitor extulerat, regalibus ministeriis deseruiret. Per humilitatis autem officium tantam ei supernus Imperator gratiam contulit apud terrenum, quatinus ceteris prælatus maximum in palatio obtineret locum. Oratoris quippe facundia præditus, ad agendas causas inter aulicos residebat doctissimos. Ita tamen secularibus intendebat negociis, vt nunquam relaxaret animum ab aspectu internæ dilectionis.

SED cùm opportuna spes propagandæ sobolis haberetur in domo patris, crebra & honesta amicorum compulsus persuasione, condignam natalibus vxorem instituit ducere. Quam gratia posteritatis suscipiens, non carnis voluptate, diuina C præcepta exequendo deuotè, solerti eadem crebrò secum voluebat meditatione. Fruebatur itaque vir Deo plenus temporalibus, cauta cogitatione prouidens, ne displiceret conditori in acceptis rebus. Cúmque locupletatus nimis fieret, plus gaudebat bono opere quàm bona possessione. Priscorum Patrum gesta, quæ per multos Codices legerat, qualiter in sese transferret summo studio elaborabat. Insistens autem eleemosynis, orationibus, atque vigiliis, coniugem quam duxerat ad idem sanctitatis opus euocabat: quatinus per virum fidelem etsi fidelis, accresceret deuotio mulieris. Sicque degens adhuc sub laicali habitu vitam instituerat, vt nihil ab his discrepare videretur, quos imperium regulare coërcebat.

CVM ergo beatissimus vir quadam propria lege laudabiliter viueret, & Dominicis præcepis ardenter inseruiret, contigit vt Dominum in Euangelio suis præcipientem audiret. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: Illud etiam ad cumulum perfectionis altæ memoriæ condiderat: quod ipsa contemptoribus mundi pollicetur veritas. *Amen dico vobis quòd vos, qui propter me reliquistis omnia, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Veridicis igitur ac-D census promissis (quod antea cum discretione fecerat) facta distractione rerum, quicquid habere potuit, pauperibus erogat. Coniugem (quam vt patris nomen haberet acceperat) sacro velamine consecrans cœlesti sponso condonauit. Ipse tanquã elapsus à naufragio ad Monasterium festinauit. Et factus Monachus mansit ibi in omni humilitate seruiens Deo per aliquod tempus: excrescebátque in eo magis magísque sanctæ conuersationis affectus.

RELATOR vitæ, Monasterium, ad quod præfatus vir confugit, proprio nomine non distinguit. Vnde quod de hoc seniorum relatione didici, dignum duco futuris breuiter enodare. Venerabilis Martinus Vertanensis Abbas Abbatiam construxerat in loco, quem Duos-gemellos ab antiquitate vulgus vocitat, pro resuscitatione geminorum, quam ibidem factam vetustas memorat. Nam geminam prolem potentis heri mors immatura sine baptismate rapuerat, vnde nimius dolor vtrósque parentes inuaserat. Martinus autem ab Anglia reuersus amicos lugentes inuenit, consolationem è cœlo quæsiuit, meritis & preci bus geminos vitæ reddidit, eósque in patrimonio eorundem Monachos Deo dicauit. Antiquum ab euen-

GVILLELMVS II. tu eidem loco nomen vsque hodie perseuerat: & ingens congeries lapidum in fundamentis ædificiorum, & ruinis maceriarum euidens testimonium dat; quòd magnæ dignitatis hominum habitatio Baiocesem pagum illustrauerit. Ebrulfus adhuc diuitiis & honoribus potens laicus, præfati (vt dicunt) Cœnobij constructionis astitit cooperator idoneus. Incipientes enim consilio adiuuit, hæsitantes corroborauit, opibus & fundis, multísque modis res nuper incœptas augmentauit. Ad postremum omnibus nudatus ibi se abdicauit, verúsque Dei pauper Monachile scema ibidem suscepit, & armis obedientiæ Deo militauit, & intuentibus exemplo coruscauit. A

VERVM cùm ob sanctitatis gratiam cœpisset gloriosus Confessor Ebrulfus à fratribus honorari; casum elationis metuens incurrere, accitis secum tribus Monachis, quos sibi familiari collocutione coniunxerat, & ad id perfectionis certamen promptiores cognouerat, vtpote solius Dei contemplationi volens incumbere, summa cum velocitate studuit heremum expetere.

QVI per Oximensem pagum in locum, qui Mons-fortis dicitur, venerunt, ibique quia locus amœnus siluis & fontibus abundabat, hospitati sunt: & aliquandiu solitariam vitam ducentes sanctè vixerunt. Sed quia duo castella Oximis, Guaceíumque in vicinio erant, vbi plures acturi forenses causas veniebant, serui Dei aduentantium multitudine molestias plerúmque perferebant. Præfata nempe oppida tempore Cæsaris fuisse, eique leguntur fortiter restitisse; ibique per multa secula Principum sedes permansisse. Inde frequentia Procerum atque mediocrium, quibus antea nobilis Heros in seculi fastigio notus fuerat, iam speciali Theoriæ feruenter inhærentem visitabat: & multiplici colloquio de causis vtilibus prolato cœlestia meditantem inquietabat. Illum igitur venerabiles viri locum deseruerunt: ibique posteri Basilicam (quæ adhuc perdurat) in honore S. Ebrulfi condiderunt. B

DEINDE siluam ingressi sunt amatores heremi, quam Vticum protestantur incolæ. Quæ silua densitate arborum horribilis, crebris latronũ frequentata discursibus, habitationem præstabat immanibus feris. Cúmque intrepidis gressibus vastissima loca solitudinis peragrarent, non inuenientes vbi conueniens suæ deuctioni hospitium collocarent, B. Ebrulfus puræ conscientiæ spiritu inardescensorauit ad Dominum, dicens: „Domine Iesu Christe, qui populo tuo Israël gradienti per desertum, te ductorem fidelissimum in columna nubis & ignis exhibuisti: dignare propitius nobis volentibus Ægyptiacæ seruitutis damnationem effugere, locum libertatis, & nostræ fragilitati opportunum, clementer ostendere." Mox verò completa oratione apparuit fideli viro Angelus Domini aduenienss quod poposcerat indicare. Quem sequentes præuium peruenerunt ad fontes habilissimos ad potandum: qui paulùlum diriuati colligebantur in magnum stagnum. Vbi genua flectentes monstratori Deo immensas referunt laudes, qui nunquam seruos suos spernit sperantes in se. Celebrata autem gratiarum actione, nomen Domini inuocantes, pro quantitate habitantium de virgultis & frondibus construxere tugurium. Quod claustro paruulo eiusdem materiæ circumcingentes, manserunt ibi optatæ quietis defugium consequuti. Quorum seruitus quantum libera, tantum Deo comprobatur extitisse grata. Omnem quippe mundi strepitum conculcantes pedibus, solis inhærebant cælestibus: & qui cuncta contempserant, præter Deum nihil habebant. Vnde benè cum Psalmographo cantare meruerunt: *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.* Summi namque Dei obsequentes legi, eum solum Patrem conabantur adipisci. C D

DVM ergo tanta vigilantia interioris hominis profectum acquirerent, neque eos aut loci asperitas, aut bestiarum feritas à proposito deterreret; factum est vt quidam latronum, qui siluam incolebant, ad eos diuerteret. Et admirans eorum constantiam, & in Christi seruitio perseuerantiam, ait: „O Monachi, quæ causa turbationis vos has partes coëgit adire? Vel quomodo præsumpsistis hospitari in tanta solitudine? Non optimum locum inuenistis. An nescitis, quia hic est locus latronum & non heremitarum? Huius nemoris incolæ rapina viuunt, proprio viuentes labore consortes pati nolunt. Nôn diu tuti hîc esse potestis. Præterea arua inculta & infructuosa, vestróque labori ingrata inuenistis." Ad hæc venerabilis pater Ebrulfus,

A vt erat vir eloquens, singula propositionum executus respondit: Verè frater non turbationis insolentia, sed cunctipotentis Dei huc nos appulit præscientia. Neque ex vlla vsurpatione ad hæc deuenimus loca: sed potius vt liberius defleamus peccata nostra. Et quia nobiscum est Dominus, in eius tutela positi non timemus minas hominum, cùm ipse dixerit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ non habent quid faciant.* Illud autem quod proposuisti vltimum de labore, noueris quia potens est Dominus seruis suis parare in deserto mensam refectionis. Cuius opulẽtiæ fieri & ipse particeps potes, si prauitatẽ quam exerces deseris, & Deo qui vnus & verus est, te famulaturũ deuotissimè spoponderis, fili. Noster namque Deus (vt ait Propheta) in quacumque die peccator conuersus fuerit, quæcúmq; operatus est mala obliuioni tradit. Ne ergo desperes, frater, de bonitate Dei propter immanitatem scelerum: sed admonitionem Psalmographi sequens, *Diuerte à malo, & fac bonum.* Pro certo intelligens, quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Sed & illud nolumus te ignorare, quod idem Propheta personat continuò terribili relatione. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Quòd si diuinæ pietatis intuitus præsens adest iustis, vt eorum preces exaudiat, patet proculdubio quia diuertitur ab iniustis, vt eorum quandóque impudentiam potenter puniat. Tunc ille in his sermonibus superna compunctus gratia, reuersus est ad propria. Mane autem facto, renunciatis omnibus quæ habebat, deportans secum tres tantùm subcinericios panes & fauum mellis, citato calle repedauit ad seruos Dei. Et procidens ante pedes S. Ebrulfi, protulit eulogias benedictionis. Moxque sancto afflatus Spiritu, emendatiorem vitam pollicitus ibidem Monachilem adeptus est professionem primus. Quem imitantes multi eiusdem siluæ latrones per admonitionem beati viri aut fiebant Monachi, aut deserentes latrocinia efficiebantur cultores agri. Ex vicinis etiam locis fama diuulgante beati viri nomen & meritum, nonnulli veniebant ad eum, desiderantes eius contemplari Angelicam faciem, & iocundissimum audire sermonem. Cúmque ei administrarent quæ corpori erant necessaria, refecti spiritualibus cum alacritate mentis remeabant ad sua. Quidam autem ex ipsis vt meruerunt perfrui eius colloquio, deprecabantur ascribi tam spirituali collegio. Iamque propter frequentiam venientium prædicta silua solitudinis amiserat vocabulum.

GVILLELMVS II.

ACCRESCENTE itaque numero fratrũ, accrescebat & in B. Ebrulfo gratia virtutũ. Patientiæ quippe singularis, abstinentiæ erat prædicabilis. Creber in oratione, hilaris in exhortatione. Probitate nesciebat extolli, aduersitate non poterat frãgi. Qui quod ei deferebatur à fideli populo, pauperibus qui ad eum confluebant mandabat distribui, dicens non oportere Monachos aliqua angi sollicitudine de crastino.

QVADAM igitur die deficiente copia panis, pauper ad ianuam veniens eleemosynam postulare cœpit. Qui cùm denegantem se habere quod largiri posset, ministrum inclamaret, venerabilis Pater ait: Frater, quare negligis clamorẽ pauperis? Da quæso eleemosynam inopi. At ille: Non habeo, inquit, pater, nisi dimidium panis quem reseruo paruulis nostris. Nam cetera secundum iussũ tuum erogaui. Cui ille: Non debes hæsitare fili. Num legisti Prophetã dicentem: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus?* Nũquam sane desinet fidelis cõditor pascere, pro quibus dignatus est affixus cruci preciosũ sanguinẽ impendere.

D His à venerando Patre auditis, minister dimidium panis quem reseruauerat paruulis, vni famulorũ tradidit dicens: Citò curre, & pauperi largire, sed noli eum reuocare. Qui iussis obtẽperans tamdiu cucurrit, donec egenũ ferè vno stadio à Monasterio remotũ reperit. Cui cùm diceret: Accipe Domine eleemosynã quam tibi Abbas mittit: ille baculũ quem manu gestabat in terra defixit, Deóq; gratias agens ambabus manibus agapem suscepit. Cũq; de humo baculũ abstraxisset, nec adhuc eleemosynæ portitor de loco recessisset, subitò fons magnus cuspidem baculi secutus erupit, qui vsq; in hodiernũ diem ebulliens ibidẽ fluit. In quo loco multæ infirmorũ sanitates patratæ sunt, & de longinquis regionibus febricitantes pro desiderio curationis illuc asciti sunt. Per visum etiã pluribus iussum est, vt pro salute nanciscenda Vticensem saltum quærerent, & de S. Ebrulfi fonte qui manat illic biberent. Plures igitur è Burgundia vel Aquitania, seu de aliis Galliarũ regionibus exierunt, Vticúmq; cum summa difficultate quæsierunt: & vix (quia tunc locus ille

GVILLELMVS II. obscurus erat uti desertus) indagantes inuenerunt. Tandem inuento fonte cùm A haussissent, & indè cum sancti nominis inuocatione fideliter bibissent, seu caput vel alia membra lauissent, recepta sanitate gaudebant, Deóque gratias agentes ad propria læti redibant.

HÆC ibidem per multa secula vsque ad tempora Henrici Regis Francorum agebantur, dum post deuastationem Danorum rarò cultore Vticensis pagus incolebatur. Tunc quidam pagensis nomine Berengarius ex paterna successione illud rus suscepit; & ne aduentantes infirmi sata sua deuastarent fontem sepe circumclusit. Dolens namque ruricola crebro irascebatur; quod prata, horti, & alia quæ in circuitu habebantur, ab extraneis, qui causa salutis illuc confluebant, conculcabantur. Ab eodem tempore miracula sanitatum ibidem fieri cessauerunt, quandiu præfatus Berengarius & heredes eius Letherius & Guillelmus atque Geruasius prædium illud possederunt.

EROGATO itaque à S. Ebrulfo pane pauperi, ecce ante Solis occasum quidam clitellarius astitisse pro foribus Cellulæ visus est, pane & vino sufficiēter onustus. B Qui verò eum adduxerat, dicens se fœneratorem esse, ministrum aduocauit. » Cui tradens quæ detulerat, ait: Vade frater, & da tuo Abbati. Quo dicto, velut iter accelerans equum ascendit, festinúsque abscessit. Cumque Pater personam datoris requireret, responsum est ei quanta celeritate discessisset. Intellexit ergo hæc sibi à Deo delata fuisse, & exhilaratus spiritu gratias egit pietati eius immensæ, qui multiplicat misericordiam suam seruis suis, & reddit plura pro paucis. Ab illo verò die numquam defuit illis quod posceit vsus humanæ fragilitatis.

SED cùm paulatim pio Domino præstante auxilium temporibus bonis augmentari cœpissent: duo sæui latrones ex alia Prouincia audiētes multiplicari eorum substantiam, direxerunt gressum ad beati viri Cellulam. Et assumpto grege porcorum, cùm egredi syluam festinarent, reciprocato itinere ipsam heremum cœperunt circumire. Et non inuenientes liberam exeundi potestatem, obstupefacti cur hoc contingeret, & iam errando fatigati, audierunt signū, quo fratres acciti conuenirent ad orationis studium. Ad cuius sonitum nimio terrore perculsi sunt, & relictis porcis ad hominem Dei velociter accesserunt. Et confessi crimen quod C egerant, facti sunt ei Monachi.

VERVM ad commendandam illustrem gloriam Magistri, non illud tacendum esse diximus, quòd per quendam discipulorum eiusdem honorificentissimi viri exhibuit præcellens gratia septiformis spiritus. Coruus namque, qui prope Monasterium nidificauerat, oua furtiuè rapiebat, & per incertam fenestram Refectorium » intrans omnia turbabat, nidóque suo quod tollere posset asportabat. Tunc vnus ex » fratribus, cuius hoc erat officium, simpliciter orans inquit: Domine, vindica nos de aduersario, qui aufert quod nobis donat tua miseratio. Nec mora reperierunt volucrem sub arbore mortuam, qua sibi collocauerat nidum. Sic quicquid eis nocere voluit, aut citò periit, aut pœnitens melioris propositi habitum recepit.

IGITVR cùm omnium inspector Deus gloriosum certamen dilecti sui Ebrulfi clementer aspiceret, cor illius fidei soliditate corroborauit: quatinus perseuerans in opere, exemplum fieret ceteris regularis disciplinæ. Qui licet vehementer arderet adire remotioris deserti loca, hominúmque declinare consortia; prudentiori tamen consilio deliberauit præsens prodesse exercitui, cuius dux atque magister extiterat propositi. Metuens videlicet, si se fundamenti auctor subtraheret, opus D ædificij propter nouitatem aliquatenus vacillaret: præcauebat ne dum sibi locum quietis prouideret, aliis detrimentum foret. Persistit ergo Princeps agonizantis exercitus, & in acie vt miles pugnans, & extra aciem vt fortis ductor per incrementa virtutum sese proferendo sublimans. Cuius celeberrima sanctitatis opinio plurimas percurrens Prouincias, ad eiusdem professionis certamen felices & strenuas Deumque metuentes personas illexerat. Tradebant autem beato viro domos, prædia, possessiones & familias; rogante vt eis Monasteria ædificari præciperet, & ordinem quem vellet, vitæ solers Pastor imponeret. Quorum petitionibus vir sanctus acquieuit, & XV. Monasteria virorum seu mulierum regulariter instituit, & singulis probatissimæ vitæ personas præfecit. Ipse autem proprio Cœnobio, quod prius ædificauerat, præfuit, in quo iugiter in Dei seruitio permansit, exhortans

A exhortans fratres ad altiora progredi, & pertimescere multiformes insidias diaboli. Fama sanctitatis tanti Patris peruenit ad aures Principum, qui temporibus illis frena regni rexerunt Francorum, qui nuper submissi fuerant leui iugo Christianorum. GVILLELMVS II.

CLOTHARIVS enim senior annis quinquaginta & vno regnauit, moriénsque quatuor filiis suis regnum in Tetrarchias diuisum reliquit. Aribertus itaque Parisius, Chilpericus Suessionis, Guntrannus Aurelianis, & Sigibertus Mettis regni sedem sibi collocauit. Sigisbertus autem, qui iunior omnibus erat, primus omnium duxit vxorem filiam scilicet Regis Galliciæ Brunichildem, quæ peperit ei Childebertum Regem, & Ingundem Herminegeldi Guissigotorum Regis & Martyris coniugem, & Bertam Adelberti Cantuariorũ Regis vxorem, atque Bouam* Deo sacratam virginem. Deinde post VIII. annos fraude Chilperici fratris sui occisus est, & Childebertus adhuc puer cum Brunichilde matre sua regnum adeptus est: quo ferè XXV. annis fortiter, vt in gestis eius legitur, potitus est. Qui postquam B multos labores perpessus veneno periit, Theodeberto & Theoderico filiis suis duas Tetrarchias patris sui dimisit; cum quibus Clotharius magni Chilperici filius ferè XX. annis inimicitias exercuit. Tandem Theodebertum Regem bello peremit, & vetulam Brunichildem ad caudas equorum indomitorum crudeliter ligari fecit, potentem Reginam, cui quondam Gregorius Papa, vt in gestis Pontificalibus & registro declaratur, suppliciter fauerat, frustratim discerpsit. Sic nimirum omnibus æmulis de medio ablatis Monarchiam Franciæ solus obtinuit, moriénsque Dagoberto filio suo, cuius gesta Francis notissima sunt, reliquit.

*f. Bonã.

IN illo tempore, dum isti Gallis principati sunt, Romanum Imperium Iustinianus & Iustinus minor tenuerunt, Tiberius quoque & Mauritius, Phocas & Eraclius. Apostolicam verò sedem tunc rexerunt, Hormisda, Ioannes, Felix, Bonefacius, Ioannes, Agapitus, Siluerius, Vigilius, Pelagius, Ioannes, Benedictus, Pelagius, & magnus Doctor Gregorius, Sabinianus, Bonefacius, Deusdedit, & Bonefacius in sollemnitate omnium Sanctorum famosus. In diebus illis Rotomagensem metropolim tenuerunt Flauius & Prætextatus, Melan- C tius, Hildulfus, celebrisque proles Benedicti Romanus.

HÆC de Chronicis rimatus sum, lectoríque meo satisfacere volens breuiter annotaui, vt satis eluceat quibus temporibus octogenaria floruerit in mundo vita sancti patris Ebrulfi. Nunc ad quædam enarranda regredi nitor, quæ non scripto, sed seniorum didici relatione. In nimiis enim procellis, quæ tempore Danorum enormiter furuerunt, antiquorum scripta cum basilicis & ædibus incendio deperierunt, quæ feruida iuniorum studia quamuis insatiabiliter sitiant, recuperare nequeunt. Nonnulla verò, quæ per diligentiam priscorum manibus barbarorum solerter erepta sunt, damnabili subsequentium negligentia, proh pudor! interierunt: qui sagacem spiritalium profunditatem Patrum libris insertam seruare neglexerunt. Codicibus autem perditis, antiquorum res gestæ obliuioni traditæ sunt, quæ à modernis qualibèt arte recuperari non possunt, quia veterum monimenta cum mundo prætereunte à memoria præsentium deficiunt, quasi grando vel nix in vndis cum rapido flumine irremeabiliter fluente de- D fluunt.

NOMINA locorum, in quibus Pater Ebrulfus XV. Monasteria construxit, & vocabula Patrum, quos idem Cœnobialibus turmis Vicarios Christi præfecit, variis mutationibus rerum per CCCC. annos abolita sunt, quæ sub multis Principibus à Chlotario Magno & Childeberto contigerunt, qui vsque ad Philippum & Ludouicum eius filium in Galliis regnauerunt. Quædam tamen annosi senes visa vel audita filiis ore facundo retulerunt, quæ nihilominus & ipsi tenaci glutino memoriæ retinuerunt, & sequenti æuo diuulgauerunt. Digna itaque relatu serentes fratribus suis insinuant; per quæ dura mortalium corda Creatoris ad amorem incitant, ne pro abscondito in terra talento cum torpenti seruo damnationem incurrant. Igitur quæ priscis à patribus iamdudum puer didici auscultate, & mirabilem Deum in sanctis suis mecum magnificate.

DVM longè latéque fama beati Patris diffunderetur Ebrulfi, ad Regis Franciæ peruenit aures Childeberti. Qui nimio cupiens desiderio videre illum, cum

vxore sua & aliquibus de familia sua perrexit Vticum. Cúmque prope Monasterium viri Dei peruenisset, in locum scilicet vbi nunc Basilica beatæ Dei Genitrici & Virgini Mariæ constructa est, de equo reuerenter descendit, ac vt omnes ad obuiandum seruo Dei honestè se præpararent imperauit. Tunc Clerici qui comitabantur ei vestimentis induti astiterunt, manus ad reliquias atque cruces quas super pallia posuerant miserunt, & eadem resumere voluerunt, sed nullo modo mouere potuerunt. Vnde omnes nimio mœrore affecti in terrã se prostrauerunt, & misericordiã Domini suppliciter deprecati sunt. Regina verò sese voto cõstringẽs, ait: „ Si omnipotens Deus dederit nobis potestatem, vt sacra quæ hic posuimus sospites recipere possimus, in hoc loco venerabilem Ecclesiam in honore Genitricis ipsius construi faciam. His dictis Clerici manus sacris apposuerunt, sed nihil profecerunt. Tunc Regina nimis mœsta cum lacrymis aiebat: „ Scio peccata mea promereri, vt seruum Dei non possim contemplari. Attamen si per intercessionem ipsius Sancti creator omnium Deus nos respexerit, & sanctas nobis reliquias auferre permiserit; altare marmoreum ex propriis sumptibus præparabo, & eidem faciam deferri beato. Cúmque ab ore hoc protulisset, omnes reliquiæ per se ipsas motæ sunt, quas accipientes obuiam viro Dei cum gaudio processerunt. Iam enim beatus vir adunata fratrum turma veniebat, & cum eo multitudo populi vtriusque sexus in aduentu Regis tripudians properabat. Susceptus itaque Rex per triduum ibidem demoratus est. Tertio autem die sub cirographo XCIX. villas B. Ebrulfo tradidit, ac ad suos indè lætus lares remeauit.

REGINA verò voti sui memor in colle, qui inter riuum Carentonæ & syluam consistit, intemeratæ Dei genitrici Mariæ honorabilem Ecclesiam construi fecit, & altare marmoreum, vt spoponderat, venerabili viro transmisit, quod multis annis in eodem loco perdurauit. Deinde post multorum annorum curricula quidam homuncio partem eiusdem marmoris ad alium locum transferre voluit, sed casu illud per medium fregit. Quod factum, vt omnibus manifestaretur Deo displicuisse, non in longum passus est inultum remanere. Nam antequam annus reuolueretur, præfatus homo vita priuatur.

IN basilica, quam retuli Reginam condidisse, duæ aræ sunt consecratæ, quarum vna dicata est sanctæ & indiuiduæ Trinitati, altera verò intactæ Virgini Dei genitrici. Fertur quod ibi fuerit Cœnobium Sanctimonialium, necnon Cimiterium Monachorum & sublimium virorum, quorum illuc cadauera baiulabantur ad sepeliendum, quia in valle palustris humus erat, & in hieme passim dum foderetur, limpha mox scaturiebat, manánsq; foueam fons adimplebat. Vnde in prædicta æde Virginis matris plurima insignis habitationis indicia panduntur, & vsque in hodiernum diem honorabiles ibidem sarcofagi seruantur, qui spectabilium fuisse personarum sine scrupulo creduntur. His ita se habentibus, ad ea narranda quæ restant veniamus.

VIR Deo plenus, vt frequentiam ad se aduentantium se ferre non posse vidit, suum dignè Monasterium ordinauit. Latenter indè secessit, & in cripta quadam per tres annos ita delituit, quatinus à nullo Monachorum penitus sciretur, excepto vno nomine Malcho, qui filiolus viri Dei erat, cæterísque familiarior arcana eius nouerat. Cripta verò sub monte frondoso prope riuulum erat, & à Monasterio ferè dimidia leuga distabat. Diabolus autem omnium bonorum inimicus videns fratres in bonis exercere opibus, nisus est ex felle malignitatis suæ eos nequiter inebriare, & nefaria perturbatione omnes pariter contristare. Seditionem itaque inter eos quondam immisit, quæ adeo conualuit, vt duo ex illis necarentur, & reliqui omnes indicibili mœrore afficerentur. Filiolus ergo serui Dei, vt insanabile sibi vlcus in corpore fratrum prospexit, concito cursu ad archiatrum properauit. Quem cùm vir sanctus venientem conspiceret, à longè intellexit, non sine causa illum tantoperè festinare: veniensque in occursum illius, sciscitatus est causam aduentus ipsius. Porro Malchus seriatim exposuit illi, quomodo fratres immissione dæmonis in seditionem fuissent excitati. Quod cùm ille audisset, zelo Dei succensus infremuit, & cum nuncio festinus accurrit. Cúmque Cœnobio appropinquasset, & in locum, vbi nunc

A Ecclesia in honore ipsius condita stat, aduenisset, omnia signa Cœnobij per seipsa
sonare cœperunt. Similiter de Ecclesia B. Mariæ signa sonuerunt, & de basilica S.
Martini (qui Elegans dicebatur) vbi parrochia conueniebat, in loco qui Bercote-
ria vulgò nuncupatur.

TVNC diabolus animaduertens Sanctum aduenire, adsumpta humana effigie
cœpit fugere. Quod cernens vir beatus, ait ad filiolum suum: Vidésne frater ho-
minem illum currentem: At ille, Non video Domine. Ecce, inquit, diabolus in
hominis forma transfiguratus aufugit, timens ibidem ampliùs remorari. Hoc di-
cens, insequebatur Belial fugientem. Qui cùm in illum locum, qui nunc ab inco-
lis Escalfou vocitatur, peruenisset, Sathan vlteriùs fugiendi licentiam non habens
stetit. B. verò Ebrulfus audacter accessit, in furnum ardentem, qui coquendis pa-
nibus parabatur, illum proiecit, & os clibani operculo ferreo, quod ibi fortè repe-
rit, protinus obstruxit. Locus idem indè ab euentu Escalfou vocatus est. Hoc
itaque mulieres, quæ panes suos ad coquendum detulerant, vt viderunt, obstupe
factæ viro Dei dixerunt: Quid faciemus Domine de panibus nostris? Quibus ille
B ait: Potens est Deus absque corporeo igne panes vestros coquere. Plateam ante
clibanum diligenter scopate, & seriatim panes vestros ibidem exponite, & cùm
ad plenum excocti fuerint, ad proprias domos deferte. Quod ita factum est, cun-
ctis Deum collaudantibus, quibus hoc ostensum est. Deinde B. Ebrulfus ad Mo-
nasterium suum rediit, duósque fratres qui perempti fuerant coram se deferri præ-
cepit. Prostratus autem in oratione ad terram tandiu precibus incubuit, donec
ipsi à somno mortis excitarentur. Qui data confessione, & communicati Domini-
co corpore, rursus spiritum exhalauerunt, mirantibus cunctis & exultantibus qui
hoc viderunt. Quos venerabilis Pater honorificè tumulari iussit, & de saluatione
illorum certus, Deo gratias deuotus reddidit.

HÆC & multa his similia seniores referunt exhibita per Ebrulfum: addentes
quod grandæuum Monachum viderint nomine Natalem apud Vticum, qui gran-
de volumen habebat de miraculis & rebus gestis per sæpefatum omnipotentis Dei
famulum. Quondam Missa finita, ardens candela per incuriam super altare di-
C missa est. Incolis verò alia curantibus flamma lichinum vsque ad mappulam altaris
absumpsit, & ignis edax indè altaris linteamina casu corripuit: & librum, cuius e-
xemplar à nobis vsquam reperiri nequit, & quæque ibidem comburi potuerũt, quæ
circa vel super aram erant, concremauit. Omnes igitur irreparabile damnum de
notitia præter itorum planxerunt, & quia illiterati erant heremicolæ non scripto
reparauerunt, sed eloquio iunioribus de his quæ visu vel auditu perceperant inti-
mauerunt. Ipsis ergo deficientibus ignorantiæ caligo nepotes obtexit, & indagi-
nem transactorum irrecitabiliter abdidit, nisi ea tantùm quæ solertia cuiusdam
Sophistæ in vita sancti Patris ad legendum in Ecclesia strictim congessit. Nunc au-
tem sicut principium eiusdem lectionis nostro inserui opusculo, sic etiam finem o-
perum & vitæ sine fuco falsitatis vtiliter compaginabo.

ELAPSO interea anno vicesimo secundo inchoationis eorum in ipsa heremo, in
eodem Monasterio ab incursione insidiatoris generis humani pestifera clades su-
bitaneæ mortis ingressa affuit. B. verò Ebrulfus non sicut mercenarius, qui in
medio luporum derelictis ouibus fugam arripuit, sed vt verus pastor cum eis certa-
D men iniit. Et implens Apostoli monita, gaudebat cum gaudentibus, flebat cum
flentibus. Quibus verba exhortationis faciens, ait: O fratres roborate corda ve-
stra, & estote parati. Viriliter agite, & confortamini in Domino, scientes quòd
tribulatio patientiam operatur. Renouamini spiritu mentis vestræ, & pugnate cum
antiquo serpente. Sit vobis cor vnum, & anima vna in Domino. Ecce appropin-
quat vocatio nostra, & manifestabuntur opera nostra, reddétque verus arbiter
prout exposcunt singulorum merita. Vigilate ergo & orate, quia nescitis diem ne-
que horam. Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus inuenerit vigilantem.
His & huiusmodi Dominicis persuasionibus prudens concionator conscientias
fratrum conueniebat, adnectens etiam, quæ bonis gaudia, quæ malè viuentibus
debeantur tormenta.

CVM igitur velociter interire cœpissent, vt pleniùs beati viri sancti-
tas claresceret, quidam ex fratribus Ausbertus nomine sine viatico de-

GVILLELMVS II. functus est. Custos autem eius ad Abbatem veniens, ait: Ora pater pro filio, A
" rebus humanis miserabiliter iam egresso. Tua ei ducatum præstet oratio, cuius iter non muniuit salutaris hostiæ communio. Qua de re B. Ebrulfus semetipsum multum incusans, quasi negligenter acciderit, ad thorum defuncti venit. Et præcedentibus lacrymis stratus in puluere, arma orationis quæ consueuerat arripuit. Postquam autem sibi sensit adesse diuini fauoris præsidium, surgens à terra inclamauit mortuum. Ad cuius vocem qui lumen amiserat caput erexit, & apertis o-
" culis suæ libertatis intuens auctorem ait: Benè venisti liberator meus, benè venisti.
" Me etenim, quem inimicus sibi vendicauerat (quia incommunicatum reperit)
" tua saluat oratio; quæ calliditatis eius argumenta soluit. Priuatus námque beato-
" rum conuiuio sententiam exceperam, vtpote non habens viaticum miseræ famis
" cruciandus supplicio. Quapropter, benigne Pater, rogo ne differas, quin saluta-
" ris hostiæ me participem facias. Quid multa? Iubetur afferri sacrificium. Quod mox vt accepit, admirantibus cunctis quod reuixerat, prouida dispensatione Dei rursus spiritum exhalat. Exultat gloriosus Pater certior factus de salute fratris, e- B
xultant fratres collaudantes Deum pro nouitate miraculi. Ille lætatur, quia fratrem morti ereptum per acceptam vitam vitæ remiserat: illi gloriantur se habere Patrem, cuius ad preces infernus expauescat. Qui etsi imminentis pestis considerant periculum: minus tamen sub tali ac tanto Duce iam formidant improuisæ mortis interitum. At verò eodem mortalitatis ingruente incommodo, mortui sunt ex Monachis LXXVIII. Sed & famulorum non minima multitudo.

CETERVM, quid de quodam eorum contigerit, non oportet præterire silentio. Ipso namque die Dominicæ Natiuitatis ab vno valde necessario Monasticæ rei ablata est anima. Qui diligenti studio funeris compositus, extra Monasterium, vbi locus erat sepeliendi asportatur, ibique eum deponentes, expectabant quatinus expleto Missarum præconio sepulturæ traderetur. Flebat autem totius Ecclesiæ Conuentus pro tanti famuli morte. Procurator quippe diligentissimus res C
fratrum administrabat officiosissimè, qua de causa nimio ab omnibus colebatur amore. Cùm ergo omnes pariter flerent, B. Ebrulfus Spiritum sanctum tota mente concipiens infremuit, dolorique fratrum compatiens, ad nota præsidia recurrit: orationi incubuit, pectus vehementer cædit. Tamdiúque sese lacrymabiliter afflixit in prece, donec pro quo precabatur famulus resurgeret: & gratias agens pro reddita vita ante pedes resuscitatoris procumberet. Quo facto, ad cœlum clamor tollitur, nomen sanctæ Trinitatis in commune benedicitur: clarus & Apostolicus, quia mortuos suscitauerit, apud cunctos Ebrulfus habetur. Qui autem viuificatus fuerat, pristino restitutus officio postea plures vixit annos. At demum annuente nutu supernæ pietatis, cessauit langor ille mortalis.

VERVM cessante infirmitate, non cessabat pius pastor pro defunctis exorare: intelligens quia vera caritas ampliùs laborat pro anima quàm pro corpore. Qui licet canicie veneranda canderet, nescius tamen cedere senectuti, aut legendo, aut orando diem continuabat nocti, iuxta illud quod inter alia de beato viro Psalmista dicit: *Et in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Charitatis quidem igne repletus, in D
omni exercitio virtutum persistebat attentiùs. Peccantibus misericors, sui oris inuigilabat firmissimus custos. Cui neglecta suæ cutis cura, tribus vicibus tantum in anno tondebatur coma. Nulli vmquam in vltione retribuit mala. Si quis aliquod
" damnum de rebus transitoriis ei nunciasset, continuò respondebat: Dominus de-
" dit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum. Tanta ei virtus reconciliandæ pacis inerat, vt quicúmque discordes ad eum venirent, eius mellifluis mitigati sermonibus pacifici remearent.

OMNES autem ad se venientes tam nobiles quàm ignobiles, pauperes atque peregrinos hilari vultu recipiebat. Semper apud cunctos lætissimus esse volebat. Raróque aut vix quem reciperet absque quolibet munusculo à se recedere permittebat. Infirmi etiam per benedictionem eius sanitate recepta, benedicentes Deum redibant cum ingenti lætitia. Cunctis denique beatum virum petentibus optata proueniebat salus. Multi quoque, quos adeò vexabat immanissima vis febrium, cùm nequirent adire beatissimi viri conspectum, missis legatis rogabant eius munificentiam; quatinus cinctorium, quod sibi de funiculo

A parauerat, aut aliquid de veste sua caritatis gratia mererentur accipere. Qui ex fide hoc ipsum contingebant, pristina donabantur sanitate.

QVÆDAM materfamilias, quam nullus Medicorum sanare poterat, audita fama virtutum beatissimi viri, poscit eius fimbriam sibi per nuncium afferri. Quam cùm acciperet, ipsa infirmitatem euasit, & alij quamplures. Ecce medicus laudabilis, qui præsens præsentibus beneficia sanitatis impertit; & absens absentibus idem exhibere non desistit. Sentiunt virtutem qui eius non nouere faciem.

CONFLVENTIBVS itaque ad eum vniuersis certis ex causis, aduenit etiam inter eos ex alia regione quidam pauperculus. Quem cum omni corpore attenuatum ex nimia infirmitate,& curuatum super crura piissimus senex cerneret incedere, dixit: O frater, quomodo valuisti explicare tantum laborem itineris, cùm tanta debilitate afficiaris? Cui ille: Gemina, inquit, necessitate compulsus, tuam Domine sanctitatem decreui adire; videlicet vt & famelicum saties, & mediceris infirmum potestate qua præuales. Quem cùm ibi residere iuberet, continuò sanum B reddidit, & faciens Monachum hortolanum esse præcepit. Itaque qui duo petiturus aduenerat, trino munere se donari gauisus est. Famis itaque effugato periculo, incolumitatis inuenit remedium, & emendatioris vitæ adeptus est propositum.

INTER hæc igitur virtutum insignia, cùm iam Christi miles emeritus LXXX. esset annorum, toto desiderio mentis, cui deuotè seruierat, faciem adoptabat contemplari. Seruum videlicet arguens infidelitatis, qui præsentiam velit refugere Domini. Qui febricitatus nullum visus est per XLVII. dies sumpsisse cibum, nisi aliquotiens Domini Iesu corporis sacramentum: incessanter fratribus erogans, quasi nihil inæqualitatis pateretur, diuini verbi mysterium. Et dum ex vicinis locis religiosi viri studio visendi ad eum deuenirent; lacrymantésque precarentur vt aliquid ex oblata caritate accipiens corpusculum dignaretur recreare, dicebat: Silete, silete fratres, nolite suadentes mihi fastidium ingerere, quod nolo penitus. Neque enim terrenis epulis indigebat, quem Spiritus sanctus intus alebat. Pascebatur quippe spe æternæ suauitatis, certus donari pro labore commercio beatæ immortalitatis. Denique instante die, qua ei voluntas erat dissolui, & optato perfrui C vultu Creatoris, conuocauit fratres. Quos eius discessu mœrentes, & quid agerent mortuo Pastore proclamantes, sic allocutus est: Filioli, vnanimiter persistite, connexi vinculo charitatis. Sit vobis in inuicem dilectio spiritualis. Non vos subripiat subdola fraus insidiatoris, & quod promisistis Deo implere studete. Sobrietatem diligite, castitatem custodite. Humilitatem tenete, superbiam vitate, & alius alium in bono opere præire festinate. Hospites & peregrinos benigno animo suscipite, propter illum qui dixit: *Hospes fui, & suscepistis me.* Hæc & alia huiusmodi glorioso Ebrulfo perorante, data etiam pace fratribus, sanctissima eius anima egressa est de corpore. Móxque tanta claritate enituit vultus, vt nulli dubium quin triumpharet liber spiritus in cælestibus. Migrauit autem à seculo IV. Kal. Ianuarij, tempore Rodoberti Sagiensis Episcopi, anno videlicet XII. regni Regis Childeberti. Quem fratres cum magna reuerentia in Ecclesiam deportantes, tribus diebus ac noctibus hymnos ac laudes Deo canentes, sanctum illius corpus diligenter visi sunt custodisse, expectantes Conuentum seruorum Dei. Postquam verò com-D pertum est in prędicta ciuitate excessisse rebus humanis consolatorem totius patrię, concurrunt omnes ad Monasterium, beato funeri congaudentes interesse. Lamentabantur quoque pauperes verum Dei pauperem, diuites diuitem, pueri patrem, senes senem. Commune namque bonum omnibus merito communis habebatur luctus.

VERVM illud pietatis insigne, quod vir piissimus inter cetera egit, fruens æterna luce, non arbitror tacendum esse. Quidam namque ex fratribus religionis & obedientiæ gratia conspicuus, in ipso Monasterio seruiebat Diaconi titulo sublimatus. Quem Pater ob sanctitatis prærogatiuam nimium dilexerat. Hic ergo cùm videret priuatum se tanto Patre, nimio affectus dolore dicebat. Heu! quid faciam miser? Cur destituis, quem te fatebaris dilexisse, Pater? Qui tuis eram intimus consiliis, cur à te diuelli pateris? Quem tractabas vt filium, cur despicis vt exosum? Sane nunquam apud te promerui, vt ante me velles sepulturæ tradi.

GVILLELMVS II.

Talia perstabat, memorans, lacrymásque ciebat. A

Et ecce in ipsa nocte Dominicæ Circumcisionis nutu diuino emisit spiritum. Quod nimirum precibus beatissimi Patris Ebrulfi constat fuisse gestum, videlicet ne quem dilexerat huius mundi ludibrio subiaceret, & vt precantum votis se promptissimè affuturum demonstraret. Sicque Monachus ille (iuxta quod precatus fuerat) expositus est ad sepeliendum in crastino cum Abbate suo. O mors gloriosa, quæ preciosior existit quàm vita! Quod enim subripuit mundo, indubitanter ascripsit cœlo. Verùm (quantum possum coniicere) melius fuit illi sic mori, quàm de morte iterum ad mortem resuscitari. Nunc enim certus de salute, nullo timet contaminari peccamine. Si resuscitaretur, spe anxius laboraret dubio discrimine. Non ergo istud leuius accipiendum est supra scripta mortuorum viuificatione.

ITAQVE venerabilis Pater Ebrulfus in Basilica sancti Petri Apostolorum Principis, quam ipse ex lapidibus ædificauerat, in saxo marmoreo mirificè sepultus est. Vbi vsque in hodiernum diem diuersi curantur langores, & præstante pio Redemptore nostro mœrentibus proueniunt consolationes: cui est honor B & potestas, vnà cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum, Amen.

ECCE vitam S. Ebrulfi veraciter descripsi, eámque sicut à prioribus edita est, idcirco huic Opusculo diligenter inserui, vt legentibus prosit tanti notitia patroni; Dominóque Deo placeat meus labor & affectus, qui satago propalare nutritoris mei gloriosos actus, ad laudem illius in quo viuimus, mouemur, & sumus. Verùm ex quo præfatus heros transiit è mundo: qui vel quot successores illi fuerint per cccc. annos in Vticensi Cœnobio, seu quales euentus pertulerint Prouinciales vel Cœnobitæ, penitus ignoro. Nam subsequenti tempore, sicut iam in plerisque locis pleniter enodaui, Piratæ de Dacia egressi sunt: & priùs Hastingo ductore, ac postmodum Rollone, in Neustriam venerunt, & Christianæ fidei diuinique cultus ignari, super fidelem populum inaniter debacchati sunt. Nouiomum atque Rotomagum, aliásque multas vrbes & oppida vicósque concremauerunt, Cœnobia multa ingenti religione pollentia destruxerunt; plurésque innumeris cædibus regiones admodum deuastatæ sunt: & fugatis vel interfectis incolis, ciuitates & villæ in solitudinē redactæ sunt. In tanta desolatione inermes Monachi quid facerent nescij sæpè contremuerunt: in miseriis afflicti sedulo ploratu dolori suo satisfecerunt, finémque suum in latebris gementes præstolati sunt. Quidam verò intolerabilem barbarorum immanitatem metuentes ad extera regna fugerunt, vbi paganorum bellicæ vires nondum attigerunt. Corpora quoque Patrum suorum secum transtulerunt: quorum animæ regnant cum Rege Sabaoth, cui deuotè in hoc seculo seruierunt. Scripta etiam de gestis eorundem Patrum, & de possessionibus Ecclesiarum, quæ & quantæ fuerint, vel à quibus datæ, fugitiui secum peregrè asportauerunt, quorum magnam partem tot perturbationum procellæ rapuerunt, quæ, proh dolor! in tantis motionibus tam periculosis irreparabiliter perdita sunt. C

HOC nimirum Gemmeticenses & Fontinellenses fecerunt, tristíque infortunio præuenti ablata nunquam reportauerunt. Gemmeticenses enim corpora sanctorum Hugonis Archiepiscopi & Aichadri Abbatis Haspas transtulerunt, quæ in D scriniis preciosis Camaracenses & Atrebatenses incolæ reuerenter vsque hodie seruant & excolunt. Fontinellenses nihilominus reliquias sanctorum Confessorum Vvandregesili Abbatis, Ausberti & Vvulfranni Archiepiscoporum Gandam portauerunt, quæ à Flandritis vsque in hodiernum diem seruata magnæ ibidem venerationi sunt. Similiter aliis pluribus contigere, quorum nomina singillatim proferre, aut pro inscitia (quoniam omnia mihi non comperta sunt) omitto, aut pro nimia prolixitate fastidientia minúsque necessaria protelare verba omitto.

DE aduentu Normannorum, & crudeli barbarie illorum Dudo Veromandensis Decanus studiosè scripsit, & Ricardo II. Gunnoridis filio Duci Normannorum destinauit. Guillelmus quoque cognomento Calculus Gemmeticensis Monachus Dudonis materiam subtiliter replicauit, facetè abbreuiauit, & successorum actus vsque ad subiectionem Anglorum adiecit, post certamen Senlacensium narrationem suam consummauit, Guillelmóque Regi subtilissimo suæ gentis

A obtulit. Ego autem, sicut alij de sublimibus locis ad sublimes personas sublimia ediderunt, & res magnas magnificè gratis extulerunt: eorum exemplo prouocatus ad simile studium assurgo, & plurima iamdudum dictaui de Monasterio in Vticensi saltu tempore Guillelmi Ducis postea Regis honorificè restaurato. Nihil quippe de antiquis temporibus post transitum Patris Ebrulfi scriptum reperire potui, ideóque præcipuè conabor litteris mandare quæ à senioribus audiui, qualiter corpus sancti Confessoris de loco suo translatum est Ebrulfi. Lectiuncula siquidem reperitur apud Resbacum, quam non satis approbo, edita nimirum ab auctore ignaro, cui plenè vt opinor non patuit rerum & temporum certitudo. Oportet ergo vt dum alterius relationi non acquiescam, illud quod à senioribus indigenis Vtici didicerim euidenti scripto detexam, qualiter & quando Francigenæ preciosam venerabilis Ebrulfi obtinuerint glebam. GVILLELMVS II.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCCXLIII. postquam Arnulfus Flandrensis Satrapa Guillelmum Ducem Normannorum cognomento Longamspatam per proditionem occidit, & Ricardus Sprotaides filius eius decennis Ducatum B Normanniæ suscepit, hominiúmque & fidelitatem cunctorum Optimatum ante humationem Patris Rothomagi accepit, Ludouicus Rex Francorum cognomentò Vltramatinus in Normaniam cum exercitu venit, puerúmque Ducem secum fraudulenter Laudunum duxit, sub iureiurando Normannis promittens quòd eum veluti filium suum educaret, ac ad regendam Rempublicam in aula regali erudiret. Verùm res alios exitus habuit. Ludouicus enim Rex instinctu Arnulfi proditoris decreuit præfatum puerum occidere, vel amputatis membris ita debilitare, vt non posset vlteriùs arma gestare. Hoc itaque vt Osmundus pueri pædagogus per Iuonem de Credolio Regis balistarium agnouit, ei ex industria vt infirmum se simularet persuasit, simulatáque infirmitate custodes minus sollicitos reddidit.

QVADAM die dum Rex cœnaret, & vnusquisque sibi vel suis commoda procuraret, Osmundus fasciculum viridis herbæ sibi emit, in turrim sustulit, Ducémque Ricardum inuoluit. Inde descendens ad hospitium suum festinauit, & coram equo suo herbam expandit, puerúmque abscondit. Occumbente verò sole ipsum C cautè secum sustulit, & egressus vrbem Codiciacum perrexit, ibique puerum Ducem sub tutela Bernardi Siluanectensis Comitis, qui patruus eius erat, dimisit. Bernardus verò Danus, qui Normanniam tuebatur, legatos in Daciam misit, & Haroldo Danorum Regi mortem Guillelmi Ducis, & exheredationem prolis eiusdem mandauit. Mox ille cum magna classe properauit in Normanniam, iussu Bernardi à Constantinis susceptus biennio expectauit opportunitatem Gallis damnosam, & demum pro nece consanguinei sui, & exulatione sobolis eiusdem exercuit vltionem truculentam. Nam Ludouicum Regem orta in colloquio inter Danos & Frãcos seditione comprehendit, Herluinum & Lambertum, aliósque XVI. Consules cum multitudine vulgi peremit. Interea dum Ricardus puer ferè tribus annis exularet, & Rex Franciæ sibi Normanniam penitus subiugatam esse putaret, timens ne Hugo Magnus Aurelianorum Dux Normannos adiuuaret, Oximos & Bajocas cum toto Constantiensi pago vsque ad Montem sancti Michaëlis in periculo maris eidem donauit, & imperiosè mandauit vt valida manu rebelles Normannos impeteret, & oppida eorum sibi strenuè subigeret. Quod audiens cupidus Marchio ex- D ultauit, fœdera cum Normannis olim pacta libenter rupit, & regiones eorum magno cum exercitu hostiliter inuasit. Apud Guaceium propria cum familia ipse Dux hospitatus est, & exercitus illius passim per Prouinciam diffusus est. Tunc Herluinus Cancellarius Ducis, & Radulfus de Dragiaco Vticum diuerterunt, & in Cœnobio sancti Ebrulfi Confessoris hospitati sunt. Erant ambo religiosi, & in timore Dei studiosi. Tantorum itaque virorum aduentu simplices Monachi lætati sunt, & omne illis officium caritatis pro posse suo benigniter exhibuerunt. Per Capellas & Oratoria sua atque priuatas ædes eos familiariter deduxerunt, philacteriásque suas cum Sanctorum reliquiis ad sui damnum illis ostenderunt. Illi quidem tunc secreta Monachorum reuerenter intuiti sunt, & oblatis muneribus, atque orationibus recesserunt: sed paulò post velut Chaldæi in Hierusalem reuersi sunt, & vasa templi Dei & omnia preciosa eius crudeliter asportauerunt.

HVGO siquidem Magnus Oximos cum exercitu suo obsedit, sed bellica vis op-

GVILLELMVS II. pidanorum ei fortiter obstitit,& ne vltra procederet iter eius obstrusit. Rex autem A Francorum Ebroicensem pagum nimia cum virtute intrauit, totámque Normanniam rapinis & incendiis depopulari cœpit. Bernardus verò Danus vt hoc audiuit, certósque rumores de Neustriæ desolatione comperiit; anxius quòd tam robustos Principes solus cum Normannicis viribus bellando sustinere nõ posset, callidè prospexit,& perspicax ingenium qualiter anceps discrimen à se & à suis abigeret, solerter apponens exercuit: Protinus ergo Regi occurrens supplex: Quid est,inquit, quod agis Domine Rex?Rem facis impiam, & dignitati tuæ prorsus incongruam, Num tota Normannia,quam disperdis,tua est?Ecce Rotomagus & aliæ vrbes cum vicis suis & oppidis iussui tuo patescunt,& omnes incolæ diuites & mediocres tibi seruiunt, aliúmque Dominum non habentes te reuerentur & diligunt. Quis tibi dedit tam triste consilium,vt ferro malignantium pessumdes tuum peculium,& diligentem te trucides populum? Maliuolus & infidus Regiæ maiestati comprobari potest,qui persuasionem vt proprias regiones ferro seu flamma deuastares tibi largitus est. His aliísque lenibus verbis cor Regis emollitum est, & dimisso exercitu B ipse Rex cum Bernardo Rotomagum ingressus est. Ibi Regem Bernardus cum ingenti ciuium tripudio suscepit,dapsile conuiuium præparauit, ipsúmque per plurimos dies cum summo fauore detinuit. Cúmque Rex quadam die post prandium in aula principali resedisset,& cum sibi assidentibus lætus negocia regni tractasset, solers Bernardus ambiguam plurimis locutionem callidè promouet. Ingens, inquit, gaudium,ô Normannici Proceres, nobis exortum est, vnde Deo gratias agamus vt dignum est. Hactenus seruiuimus Duci de progenie Rollonis: nunc volente Deo paremus Regi magno de prosapia Caroli Magni Imperatoris. Huc vsque fuimus Ducales,nunc verò sumus Regales,vel quod maius est, Imperiales. Cúmque omnes huiuscemodi sermonibus applaudissent,& Gallos blandis sophismatibus illusissent,iterum Bernardus silentium petiit, cunctísque tacentibus ita dixit: In multis sagacitatem Francorum approbo, verumtamen Dominus meus Rex vnam fecit rem quam non laudo,in qua damnum eius & maximum dedecus video. Notum est C omnibus quod Hugo Magnus perfidus est, & proditoris filius: cui Rex noster nimias vires auxit ad suum,ni fallor,dedecus, dans illi Oximensem pagum & Constantinum cum multis armatorum millibus. Pestilens Consiliarius simplicem Herum dolosè decepit, & cultrum in animam suam, iustitia trutinante, defixit, qui Domino suo confortare inimicum suum contra se persuasit. Admodum miror,Domine mi Rex,quod præteritorum nimis immemor es. Satis omnibus sub cœlo patuit(neque enim tantum facinus in abdito perpetrari potuit)quod Robertus pater Hugonis traditor fuit,& contra Carolum patrem tuum rebellauit,raptóque diademate periurus contra Dominum suum pugnauit, & in bello percussus merito periit.His molitionibus Hugo interfuit, & te apud Edelstanum Regem auunculum tuum in Anglia exulante, septem annis Galliam turbauit. Numquid luce clarius omni sensato patescit, quòd Regiæ Maiestatis reus existit, qui Regi malitiosè suggerit,vt propriis rebus spoliatus dominium suum imminuat, & inimici sui vires sibimet perniciosas adaugeat? Absit vt in Ducatu Normanniæ quislibet participium capiat,sed solus Rex Francorum omnibus Normannis sibi gratulanter fauentibus præsideat. D

His auditis Rex anxius factus est de dono, quod Hugoni non roganti sponte sua largitus est. Cúmque consilium quæreret, quid indè agere deberet,versipellis Danus repentè persuadet,vt omnia promissa denegando penitus irrita faceret, imperióque minaci Hugonem ab obsidione Oximorum abire compelleret, & si præcepto adhuc rebellis persisteret,communis omnium virtus bello illum ibidem impeteret. Ad hanc legationem Bernardus duos milites ilicò præparauit, & Rex imperiosa dicta,quæ Hugoni deferrentur,illis iniunxit. Nuncij verò Hugonem festinanter expetierunt, & verba Regis constanter ei nunciauerunt. Abominabilem, inquiunt,temeritatem præsumpsisti,qui dominium Domini Regis Francorum inuasisti: & oppidum Oximense, vbi propria sedes eius ab antiquis temporibus est, nunc obsedisti. Nunc super hac re præceptum eius audi, & per fidem quam ei debes sine mora obedi. Ante solis occasum ab obsidione recede,& pro reatu temeritatis in Regem fac illi rectum apud Laudunum tempore quo decreuerit ipse, Opti-

GVILLELMVS II.

A matum iudicio & persuasione. Alioquin paratus esto cum tuis ad prælium. Nam Rex Dominus tuus si te inuenerit, in hac septimana tecum viribus Francorum & Normannorum dimicabit.

HÆC audiens Hugo vehementer iratus est, & præ ira furibundus sic suos affatus est: Vnde stolidum Regem tanta inuasit dementia, vt mihi totis viribus illum adiuuanti mandaret talia? Normanniæ Principatum non concupiui, neque partem aliquam ab illo requisiui: sed ipse totam regionem citra Sequanam vsque ad mare vltro mihi obtulit, auxiliúmque meum vt indomitos piratas edomaret poposcit. Nónne manifesta cunctis insania patescit, quod inde mecum confligere decernit, vnde famulor illi, sicut ipse mihi præcepit? Miser est qui seruit iniquo, & imbecilis qui fraudulento subigitur & stulto. Festinanter modo recedite, totámque regionem istam deuastate, Ecclesias destruite, domos concremate, furnos & molendinos deiicite, greges pecorum & armentorum abducite, & omne genus spoliorum huc vlteriùs non redituri asportate, & prædis onusti nefarios relinquite.

B HIS ita dictis dissoluti prædones per Prouinciam diffusi sunt, improuisos pagenses, qui iam sub tutela Hugonis tuti esse putabant, circumdederunt, & absque misericordia Ducis iussa peregerunt. Tunc Herluinus Cancellarius & Radulfus de Dragiaco rusticorum pecudes siue supellectilem non curauerunt: sed Vticensis hospitij memores illuc reuersi sunt, & ex insperato cum suis in Cœnobium irruerunt. Basilicam quoque, stupentibus & nil mali suspicantibus Cœnobitis, cum armatorum manu & violentia ingressi sunt: arcana templi & sacra busta mox adierunt, tria corpora sanctorum Ebrulfi, Ebremundi, atque Ausberti de Mausoleis sustulerunt, & coriis ossa ceruinis inuoluta cum aliis Sanctorum reliquiis asportauerunt. Satellites autem illorum vbique diffusi sunt, & quicquid humanæ vitæ commodum repererunt, flentibus Monachis & vociferantibus irreuerenter rapuerunt. Ibi nimirum rapacitatis habenis omnino relaxatis neminem reueriti sunt, sed libros & vestes, variámque supellectilem tam Monachorum quàm clientum eorum diripuerunt; & perscrutantes omnia quæ pridem Monachis, vt dictum est, ipsis pandentibus compererant, sustulerunt. Denique iuncti reliqui multitudini de Neustriæ C finibus exierunt, & sic omnes conglobati ad Natale solum cum præda repedare festinarunt. Vticenses autem in tanta desolatione nimis lugubres effecti sunt, & quid agerent, vel quò irent amissis omnibus nescierunt: consideratis tamen euentibus cum translato Patre sancto peregrinari decreuerunt.

QVIDAM senex venerabilis nomine Ascelinus Vtici Præpositus erat, officiúmque Prioratus secundum opportunitatem temporis diligenter agebat. Hic dùm vidisset Monachos & eorum vernulas in nimio constitutos mœrore; & omnes velle locum pariter desolatum relinquere, Patrémque beatum peregrè sequi cum hostili agmine, multa secum reuoluens subtili meditamine, decreuit ibidem cum timore Domini finem suum expectare. Denique cunctos fratres accersiit, & in vnum congregatis ait. Pro peccatis nostris, & patrum nostrorum diuina percussio super nos descendit, & terribiliter irruens nos & nostra penitus contriuit, irreparabiliterque deiecit. Ecce Iudex omnipotens sicut per manus Nabugodonosor & Chaldæorum Hierusalem & templum Salomonis destruxit, Sanctuariúmque suum iustè humi-D liauit: sic per manus Hugonis atque Francorum hunc locum pluribus modis affligendo puniit; præcipuè (quod supra omnia dolendum est) ossibus B. Patris Ebrulfi aliisque Sanctorum reliquiis nos priuauit. Vobis autem, quos sequi pignora Patris nostri video, hoc plurimis pro occasionibus prohibere non audeo, quia tota hæc iam deserta est regio, & inter bellantium arma Principum inermes cucullati carent victu necessario. Ite cum Dei benedictione, & benigno Patri, qui vos hactenus aluit, in sua regione fideliter seruite, in aliena cum eo peregrinantes regione. Ego autem Vticensem locum non relinquam, sed hîc, vbi multis bonis potitus sum, Creatori meo seruiam, nec indè quandiu vitalis calor in me fuerit, non recedam. Scio quòd multa hîc Sanctorum requiescunt corpora: & hunc locum sancto Patri designauit visio Angelica, vbi se deberet ad multorũ ædificationem in spirituali exercere militia. Multi fideles hic Altissimo Regi obstulerunt grata sanctæ vitæ libamina: pro quibus iam in Elisiis sedibus coronati perceperunt præmia. Hîc in bona spe vobis discedentibus manebo, locúmque siluestrem antecessorum sequax in nomine Do-

 mini seruabo, donec prosperius nobis tempus arrideat donante ipso dominantium Domino. His dictis mœsti fratres ab inuicem dimisi sunt.

VTICENSES itaque & clientes eorum modo natale rus deseruerunt, & associati hostibus plorantes ossa Magistri secuti sunt. Omnes quippe tam Monachi quàm famuli eorum ferè XXX. erant, qui conglobati Capellanis pedetentim adhærebant. Porro ipsi eosdem benè cognoscebant, sed nullam illis familiaritatem impendebant, quia suspectos formidabant: & ne precioso thesauro furtim priuarent, Francos metuebant. Benignus autem Dominus, qui erroneos verberat, vt rectum ad callem reducat, conuersos paterno affectu demulcet, mirísque modis indigentibus suffragium exhibet.

PRIMA nocte post exitum de Neustria exercitus in loco qui Campus dicitur castrametatus est: & post comestionem cœnę à quibusdam parasitis cauillatio & » incongruus sermo exortus est. Vnde quidam mimus Duci iocosè dixit: Notúmne » vobis est Domine Dux, quod Herluinus Cancellarius & Radulfus Cubicularius fe- » cerunt? Cadauera quorumdam rusticorum in Normannia effoderunt: & malè de- » lusi sanctas reliquias esse putantes in Capella tua collocauerunt, & secum in Gal- » liam reuerenter deferunt. Cúmque Dux nomina eorum inquisisset, ioculator ait: » Ebrulfus, Ebremundus, & Ausbertus. Porro Franci, quia minus vsitata illis essent hæc vocabula, & nescissent quanta prænominatis viris ante Deum in cœlis esset gloria, dissoluti sunt in multa verba ociosa & derisoria. Deinde prima noctis vigilia, vt quies somni mortales oppressit, Altitonās de cœlo terribiliter intonuit, fulmina cum nimiis coruscationibus emisit, ioculatorem cum sociis nebulonibus, qui sanctis reliquiis detraxerant, percussit: quibus extinctis, Ducem & totum eius exercitum haud modicè deterruit. In crastinum mane Dux omnem exercitum cōuocauit, Cancellario sancta reuerenter deferri ante se corpora præcepit, & omni exercitui iussit, vt antequam de loco illo migrarent, sanctis reliquiis deuotè offerrent. Flebiles quoque Monachos cum clientulis suis accersiit, quis & qualis fuerit vir Ebrulfus & socij eius ab eis requisiuit: respondentes & referentes venerabilium gesta virorum libenter audiuit, ac ad audiendum Optimates Belgicæ alacriter asciuit. Interea maturitatem & simplicitatem Vticensium piè considerauit, instinctú- „ que Dei, qui suorum vbique miseretur condolens, illi dixit: Ossa patris vestri, quæ „ sequimini vltrò, omni auro & argento preciosiora habeo. Vobis pro amore illorum „ faueo, & vestri curam gerens Cancellario præcipio, vt vos honorificè secum habeat: „ omnésque oblationes, quæ sanctis reliquiis offerentur vobis annuat, donec Aurelia- „ nis (quæ Ducatus mei caput est) perueniatis: ibíque prouidebo vobis, vnde victum „ sufficientem habeatis.

VTICENSES itaque inter exteros spe melius habiti sunt, & ingentem quotidie munerum copiam à fidelibus receperunt: affatímque donis, quæ necessitas infirmantium, seu bona voluntas deuotorum extorsit, opitulante Deo refocillati sunt. Cúmque Aurelianis venissent, & præliatorum turmæ armigeris & equis domos per totam vrbem occupassent; Monachi cum sanctorum pignoribus in clibanum quendam diuerterunt, ibíque necessariò prima nocte hospitati sunt. Ciues ergo postmodum in honore sancti Ebrulfi basilicam ibidem construxerunt, meritísque Sanctorum infirmantibus sanitatum beneficia diuinitus plura collata sunt. Herluinus Cancellarius Abbas erat sancti Petri de Puncto, ibíque venerabiles reliquias Hugonis Magni collocauit imperio. Tunc Radulfus de Dragiaco huiuscemodi prædæ partem suam requisiuit, nec pro quolibet precio portionem suam indulgere cuipiam voluit. Hic nimirum inclitus erat Suessionensium ciuis, præcipuus Ducis Camerarius, pollens possessionibus amplis, honoribus & diuitiis, fidéque clarus, & virtutibus aliis. Tanto igitur Baroni nemo audebat iniustitiam ingerere, sed communi decreto in conspectu Iudicum allatæ sunt & diuisæ reliquiæ. Herluinus quidem, quia Sacerdos erat & Abbas Canonicorum sancti Petri, & Capellæ Ducis Capellanorum maximus; caput & maiorem partem ossium sancti Ebrulfi, Librum quoque & arulam argēto coopertam, & cambutam atque cinctorium eiusdem, Chartásque donationum sibi retinuit; reliquam verò corporis partem Radulfo tradidit. In partitione aliorum ossium nulla difficultas fuit. Aurelianenses enim ossa sancti Ebremundi Abbatis sibi elegerunt: ossa verò sancti Ausberti Monachi Radulfo dede-

A runt. Ipse verò cum tanto thesauro Resbacum festinauit, & eidem Cœnobio, quia frater & amicus erat, deuotè obtulit. Resbacenses autem candidis holosericisque vestibus induti processerunt, cum cereis ardentibus & turibulis fumantibus reliquias tripudiantes susceperunt, & vsque hodie reuerenter custodierunt. Tunc Radulfus, vt de beneficiis suis Ecclesiastica res augmentaretur, portum Alnonis & Bonolium donauit: & ne quid deesset ad condendas eorum thecas, magnam auri argentique quantitatem donauit, pro quibus exeniis idem heros in Ecclesia, vt defunctus est, sepeliri meruit.

In huiusmodi permutationibus exteri cultores falluntur, sed beniuolentia pleni facilem veniam non malitiosi erroris consequuntur. Nactas quippe fortuitu reliquias pro posse suo sublimant, sed de peregrino in sua indagatione Ansberto errāt, quem plus iusto promouentes Archiepiscopum Rotomagensem autumant. Verùm audacter asseuero quod plurima inuestigatione edidici sine dubio. Vticensis nimirū Ansbertus ille iuuenis est, qui sine viatico repente defunctus est, sed mox à sancto Patre Ebrulfo resuscitatus est. Deniq; percepta cōmunione migrauit ad Dominū, B & Sanctorum feliciter adeptus est conuiuium. Rotomagensis autem Ansbertus cū Vvandregesilo Abbate & Gulfranno Archipræsule Senonensi Fontinellæ seruatur, debitaq; à suis reuerentia quotidie honoratur. Hæc de partitione corporis S. Ebrulfi veraciter notaui, sicut à religiosis & veracibus silicerniis iamdudum audiui.

DEFVNCTO Hugone Magno, Hugo filius eius in Ducatu successit: & ortis quibusdam simultatibus inter Carolum regniq; Proceres Hugo regnū obtinuit, & heredibus suis vsque in hodiernū diem reliquit. Goisfredus Andegauorū Comitis filius præfati Hugonis filiolus fuit, ab eo educatus ad virile robur creuit, adultus arma militiæ ab eo accepit. Qui mortem patris vt in Curia Regis audiuit, mœstus à Rege ius hereditarium requisiuit, & de ossibus sancti Patris Ebrulfi (cuius miracula sæpè viderat Anrelianus positus) sibi aliquid dari obnixè poposcit. Hugo autem, quia præfatum iuuenem multū dilexit, paternum honorem illi concessit, & partem reliquiarum S. Ebrulfi erogauit. Ille itaque Andegauēsibus reliquias S. Ebrulfi primus exhibuit, quas in Ecclesia S. Maimbodi vsque nunc veneratio deuotorum excolit. Vticenses autē Monachi, qui cum corpore sancto peregrinati sunt, opitulāte Deo benignum apud externos hospites affectū inuenerunt: abundantiámque pa-C nis & vini pisciumque (quos Ligeris fluuius suppeditabat) habuerunt: multimodásque mobilis fortunæ varietates experti finem suum in Gallia sortiti sunt.

ASCELINVS verò senex Vticensem Heremum cum paucis pauperibus incolis incoluit, & Ascelinum nepotem suum, atque Guitbertum de Gaceio, & Haimonem de Telleia, aliósque pueros enutriuit: & communes litteras, vt in illo loco quotidianum Deo seruitium exsoluerent, docuit. Quodam die circūpositos Heremicolas vndique conuocauit, festiuitatis diem illis denunciauit, Deique constituto solemnitatem pro modulo suo celebrauit, & inter Missarum solemnia sermonem astanti populo fecit: Diuinas, inquit, comminationes formidare debuimus, « sed obdurato corde quæ dicebantur audientes paruipendimus, donec virgam fe- « rientis vt nequam serui persensimus: acritérque percussi medullitus dolentes « ploramus & lugėmus. Olim dum Daci (qui adhuc pagani erant) cum Hastingo « Neustriam vastauerunt, & rursus Rollone cum suis sæuiente, plures Ecclesiæ cum « vrbibus & oppidis desolatæ sunt: nos suffragante Deo in syluestri sterilíque rure « D latuimus, & debacchantium gladios licet in timore nimio & egestate sospites eua- « simus. Nunc autem super nos tempus iræ, proh dolor! irruit, & ex insperato Crea- « toris vltio super nos descendit & circumuallauit: & per manus eorum, in quibus « hospitalitatis tenore confidebamus, sacris ossibus, quæ omnibus diuitiis chariora « sunt, spoliauit. In sacris Scripturis legimus, quod repulit tabernaculum Silo Do- « minus, & tradidit in captiuitatem incircumcisis Philistiim, id est, calumniantibus « tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus. Nobis autem simile iudicium « nunc contigit. Corpora Sanctorum perdidimus, in quibus spem nostram maximè « posuimus, sociisque peregrè polyandra Patrum sequentibus nos pauci & debiles « in inculta solitudine remansimus. «

CÆTERVM quamuis Franci ossa sancta transtulerint, & libros atque vestes, aliá- « que preciosa nobis necessaria diripuerint; sepulchra tamen & puluerem sanctissima «

GVILLELMVS II. nobis reliquerunt, & alia sacra quæ secum deferre nequiuerunt, nobis fauente A Deo ad magnam consolationem inuiti dimiserunt. Nos autem non negligenter » ea tractare debemus, immò derelicta nobis ab hostibus diligenter recondamus, » & veneranter seruemus. Miserante Deo pilum de barba S. Petri Apostoli adhuc » habemus, quem B. Ebrulfo ad dedicationem huius Ecclesiæ destinauit Papa Ro» manus. Alias quoque preciosas reliquias nouimus, quæ in hac basilica reconditæ » sunt à priscis patribus. Laudo si placet vobis omnibus, vt vniuersa reuoluentes » videamus, & tuto in loco propter sacrilegos recondamus: donec reuelante Deo » manifestentur futuris cultoribus. Annuentibus cunctis & laudantibus senex Missa compleuit, finitâque Missam populum cum benedictione dimisit, pueròsq; scolasticos ad ministerium thuribuli & candelarum retinuit. Deinde cum commentario quodam ad tumulum S. Ebrulfi accessit, laminam reuerenter amouit, sanctæque carnis puluerem instar tortellorum congessit. Pixidas verò plures protulit, ac philacteria, in quibus erant sacra cum inscriptionibus suis pignora. Denique pueris vt irent manducare præcepit, & ipse cum macione & maturis necessariisque ministris reliquias in maceria recondidit, ideòque pueros vt arcanum eos lateret B abesse compulit. Ab ipsis nimirum post multos annos hæc audiuimus, sed certum locum vbi reliquiæ positæ fuerint, scire nequiuimus: quia ipsi relatores à collocatione pignorum exclusi fuerant, vt diximus.

HÆC itaque contigerunt Ricardi primi Ducis tempore, qui duobus & quinquaginta annis præfuit Normanniæ: & sicut supradictum est, in primis exitium & magnas tribulationes pertulit, sed postmodum opitulante Deo compressis inimicis strenuè præualuit. Inter sæuas tempestates bonus senex Ascelinus Monachatum vsque ad decrepitam ætatem seruauit, moriénsq; Ascelino nepoti suo Clerico tutelam Vtici commisit. Qui iuuenili leuitate feruens siluestrem vitam, & vrbanis à facetiis separatam odio habere cœpit, discendique causa Galliam expetiit: inuentâque deliciarum copia ferè L. annis ibi habitauit, & per diuersos gradus vsque ad sacerdotium ascendit. Carnalibus itaque oblectamentis irretitus in Francia, instāti prosperitate turgens, per omne tempus vitæ suæ vsque ad senectam oblitus est omnia quæ sibi antecessores sui dimiserant in Normannia.

INTEREA obeuntibus vel abeuntibus incolis Vticus in solitudinem rediit, & remotis hominibus in Oratoriis & domibus ingens silua creuit, & habitatio ferarum C multo tempore ibidem extitit. In Prouincia Beluacensi Restoldo cuidam Presby„ tero per visionem tunc dictum est: In Normanniā ad S. Ebrulfum vade, ibíque per„ frueris dierum lōgitudine & felicis vitæ iocunditate. Hic ergo natale solum egressus est, & Neustriam peruagatus est, & habitationem S. Ebrulfi quæsiuit, sed per multos dies quærens neminem qui sibi demonstraret inuenit. Deniq; apud Montfortem S. Ebrulfi veterem basilicam reperit, ibíque multo tempore habitauit, credens quod illum locum sibi cæleste oraculum seminíque suo insinuauerit.

IN territorio Balgenzaij cuidam pagēsi Taurus nomine fala erat, quæ sæpè gregem armentorum relinquens in saltum currebat, & à possessore cum familia & canibus diu quæsitus inueniri nequibat: sed post V. vel VII. dies dum irrecuperabiliter perditus putaretur, repentè sospes redibat. Hoc itaque frequenter factum est, & huiusmodi res in consuetudinem versa est. Ludus indè vicinis intuentibus agebatur, & libera iuuenco facultas eundi vel redeundi permittebatur. Post aliquod tempus curiositas Pastorum indignata est, & discursus tauri pertinaciter D explorare conata est, ipsúmque per spissitudinem luci sequuta est. Sagacem etiam indagatorē nomine Duiletum sibi adiunxit, qui more canum vestigia tauri sagaciter inuestigauit, donec illum coram altare S. Petri Apostoli iacentem quasi oraret ibidem inuenit. Maceriæ siquidem discoopertæ erant, nisi retibus hederæ: & ruinæ antiquorum ædificiorum spectantibus patuere. Condensa silua creuit intus & extra, vbi nemo habitauit per annos L. Tunc albescentes silicernij hæc audientes rememorati sunt, quod sicut patres eorum illis narrauerunt, S. Ebrulfus, aliíque plures mundi contemptores illic habitauerunt.

REDIVIVA quoque visio Restoldum repetens redarguit, quòd plenè non adhuc obaudierit primæ iussioni. Cumque Presbyter sollicitè requireret quomodo iussioni gratiosiùs obtemperare deberet, dictum est illi quòd deberet Vticum adire, ibíqe

A que sancti sequax Ebrulfi Deo militare. Restoldus ergo pristina Montfortis habitatione relicta Vticũ perrexit, ibiq; cũ cõiuge, & Ilberto filio suo primus habitauit. GVILLELMVS II.

TVNC Guazso de Montforti nobilis miles fuit; qui timore Dei plenus in corde suo piè proposuit: vt omnes in vicinio suo Ecclesias, quæ vetustate & incuria in multis desolationibus, quas suprà memoraui, dirutæ erant, restauraret: & ad tam laudabile studium omne ingenium suũ cum tota possibilitate medullitus applicaret. Hic nimirum basilicam veterem S. Petri Apostoli propriis sumptibus reparauit, talique studio cunctipotentem Deum sibi placare desiderauit. Quodam manè dum bubulcus eius boues in colle super riuulum Carẽtonæ custodiret, & inter parietinas vbi fœcundior herba esset excubaret, ecce peregrinus ei quidam astitit, ibique quasi labore itineris fessus resedit, & cũ eodem aliquamdiu confabulari cœpit. Celeriter, inquit, ad Guazsonem vade, & dic ei vt veniat ad me. Cúmque bubulcus ad herum suum cucurrisset, & peregrini verba intimasset, ille pigritia detẽtus iussis non obsecundauit, sed peregrinum mox per famulum ad se venire præcepit. Ille verò iterum ac tertiò cliẽtẽ direxit, sed obstinatus heros nescio quibus occupatus nõ iuit. Cúm-
B que bubulcus tertiò redisset, Dominúmq; suum nolle venire nũciasset; Veni (inquit « senior) & diligenter intende quæ loquor. Hic locus à prisco tempore diuina bene- « dictione sanctificatus est, & sanctissimis reliquiis ditissimus est. Hæc dicens cãdidus « relator surrexit, in medio areæ sedẽ altaris sanctæ Dei genitricis Mariæ ostẽdit, itẽque aram sanctæ & indiuiduæ Trinitatis ad Orientẽ monstrauit. Deinde obstupẽti bubulco adiũxit: Si Dominus tuus ad me venisset dũ modo ipsũ per te accersiui, « secretũ thesaurum ostendissem illi, vnde posset hic antiquam reparare basilicam: & « rursus aliud arcanum prodidissẽ, quod toti Normanniæ lætitiã peperisset ingentẽ. « Cúmq; famulus hæc ad vltimũ audisset, & reciprocato calle audita Guazsoni retulisset: ille tunc festinus equũ ascendit, & perueniens ad locum desiderabilẽ nunciũ non inuenit. Mœstus ergo pro tarditate sua nimis factus est, & à seruo quæ de sãctificatione loci, & de duobus altaribus audierat auidè perscrutatus est. Deinde cũ Radulfo Fraxinello Turulfi filio, qui tunc temporis eiusdẽ loci capitalis dominus erat collocutus est: Deóque iuuãte basilicã in honore perpetuæ Virginis Mariæ restau-
C rare conatus est. Operantes antiquam ruinam effoderunt, & ingentem lapidum copiam inuenerunt, vnde incœptum opus instanter perfecerunt. Ibi multa Mausolea nobilium personarum inuenerunt, in quibus Regum & Pontificum corpora (ob insignia quædam quæ ibi repererunt) condita fuisse seniores asserunt.

NONNVLLA etiam signa diuinitus ibidem acta sũt. Harduinus enim quidã eques ingens saxum inter lapides Ecclesiæ vidit, quod ad opus suũ concupiscens, in domũ suam deuexit, ibiq; aquarium sibi suisq; iumentis facere voluit: sed post incœptam cauationem in languorem cecidit. Eo languente Gumfoldus de Toltheta pagensis eques visionẽ vidit, qua edoctus Harduinũ ægrotãtem visitauit, & sacrũ ad pristinã sedem reuehi saxum commonuit; alioquin illum ineuitabiliter moriturũ prædixit. Quod audiens æger familiam actutum cõuocauit, quadrigã cũ bobus coaptari præcepit, saxúmq; ad sanctam Virginis matris ædẽ reduci obnixè rogauit. Saxo itaq; in curru leuato ipse superpositus est, & lapide de sacra domo, quem rapuerat, reddito, reatũ confessus est, & omnipotentis Adonai clementiã exorauit, & mox sanatus est.

MVLTA quidem & alia signa ibidem perpetrata sunt quæ deficientibus terrenis illius temporis obliuioni tradita sunt: quia pro penuria Scriptorum, quibus tunc
D Neustria maximè carebat, scripta non sunt.

EA tempestate Guillelmus Geroij filius dominatum Escalfoij tenebat, & in silua fontem S. Ebrulfi, & super riuulum Carentonæ veterẽ Ecclesiam S. Petri Apostoli esse audiuit. Qui curiositate ductus omnia perlustrauit, locũ Dei cultorib. idoneũ vidit, reuerẽter laudauit, ibiq; Restoldum & Ingranum eidem loco Presbyteros delegauit, eisque victum sufficientem de redditibus Escalfoij ordinauit. Processu verò temporis (vt in tertio huius Operis Libro pleniter notatum est) à præfato Guillelmo & fratribus ac nepotibus eius Vticense Cœnobium restauratum est, & labore studióque Gemmeticensium regulariter institutum est.

ANNO siquidem Dominicæ Incarnationis MLI. Theodericus Gemmeticensis Monachus Abbatiæ curam suscepit, & neophitum gregẽ per octo annos piè & prudenter educauit, atq; secundum normã S. Benedicti ambulare in lege Domini di-

GVILLEL-MVS II. gniter docuit. Deinde (vt in præcedentibus dictum est) onus regiminis fastidiuit, A mœstis Præsulibus, Maurilio Rothomagensi & Hugone Lexouiẽsi vltrò deposuit, terrena spernens exilium petiit, cælestémque Hierusalẽ desiderans, terrestrẽ videre laborauit. Tandem in Cypro insula in Ecclesia S. Nicolai ante altare Kal. Augusti obiit, ibique à Conuentu Monachorũ venerabiliter sepeliri meruit, & frequentib. miraculis in ægrotorũ curationib. coruscauit. Heroicũ quoq; super illo epitaphium sic edidi.

Ecclesiam primus Vticensem Theodericus
Rexit, & edocuit bona quæ prius ipse peregit.
Annis tricenis Monachatus ipse rigorem
Gessit, & in sathanam tolerauit ouanter agonem.
Officium Patris octonis exercuit annis,
Inter Siluestres vbi pauper mansit homones.
Ipse manu propria scribendo volumina plura
Ecclesiæ natis dedit exemplum bonitatis.
Denique Hierusalem peregrinus pergere cœpit.
In Cypro vitæ finem tumulúmque recepit. B
Vltima vidit eum Quintilis lux morientem,
Quem foueat Christus Patris in thalamo renitentem.

VTICENSES autem Monachi corpus patroni sui non se habere doluerunt, & quomodo sibi redderetur multis modis quæsierunt, nec inuenire adhuc valuerunt. Et quoniã totum desiderium suũ super hac re nondũ impleuerũt, iam plures reliquias diuersis modis procurauerunt, variisque temporibus fauente Deo reduxerunt.

FVLCO Præpositus Vticensis Ecclesiæ qui postea Diuẽsis Abbas factus est, à Guillelmo Notho Rege Anglorum ad Bertã, Comitissam pro priuatis causis in Brigiam missus est. Tunc per quendam Capellanum Comitissæ (quem natione Normannũ cognouit) quia familiaris Ecclesiæ Resbacensis erat, dentem sancti Ebrulfi obtinuit, ac ad Vticensem Ecclesiam remeans gaudentibus cunctis attulit.

REGNANTE Ludouico Rege quidã Canonicus nomine Fulbertus Parisius erat, qui os integrum de spina S. Ebrulfi habebat: quod Capellanus de Capella Henrici Regis Francorum subtraxerat, eíque iamdudum pro amoris pignore dederat. Timens autem pro diuersis causis illud habere, Fulcone Presbytero Mauliæ mediãte, C accersit Guillelmum de Mosterolo Priorem Mauliæ: eíque reliquias tradidit deferendas Vticensi Ecclesiæ. At ille gaudens munus excepit, & iussa quantocius compleuit. In itinere dum festinaret, sancti Patris sensit suffragium. Præfatus enim Prior in cibo venenum nescius manducauit, quod protinus equitantis per membra & viscera sese diffudit. At ille vt mortẽ cordi vicinã sensit, formidolosus ad Deum exclamauit, & vt sibi per merita sancti Ebrulfi misereretur orauit. Factísque precibus & votis venenum euomuit, citóque sanatus, Saluatori suo gratias egit, & reliquias Vticensi Cœnobio lætus exhibuit, atque easdem argento decenter inclusit.

ANNO ab Incar. Domini MCXXX. Guarinus septimus Abbas Resbacum adiit, vbi medietatem corporis S. Ebrulfi esse audierat. Cũ Præfato Patre duo Monachi profecti sunt, Odo nãque de Monsterolo, & Guarinus Sagiensis, vt sancta Patris sui pignora quærerent, comitati sunt, quibus plurimæ difficultates contigerunt. Natalis enim Resbacensis Abbas aberat: voluntas Conuẽtus, non vt hospites, sed vt hostes eos cauere erat. Par etiam incolarum alienatio verbis desolatoriis vt fugerent, deterrebat. Bonum tamen desiderium quod habebant, crescebat, eósque magis ad D effectum pertrahebat. Abbas ergo dimissis duobus sociis apud Resbacum Prælati schemate deposito iter arripuit laboriosum, & quasi pauper Monachus equitãs occursum non erubuit obuiantium: sed Natalem Abbatem obnixè quæsiuit, ad Curiã Tedbaldi Comitis adiit Ruginiacum municipium. Secunda verò die ad Abbatem venit, nec quis esset, sed quid quæreret indicauit. Ille autem Claras-valles se ire velle intimauit, & si secum ire vellet annuit. Ambo itaque cum suis famulis Claras-valles abierunt, benignè à fratribus illius Cœnobij suscepti sunt, qui Regulã S. Benedicti omninò ad literã obseruare satagunt. Domnũ verò Bernardũ illius Monasterij Patrem quæsierunt, cum eo locuti sunt, & plurima sciscitantes magnam in eodẽ sapientiam inuenerunt. De sanctis enim Scripturis luculenter tractauit, & votis eorũ & interrogationibus satisfecit. Causam quoque Vticensiũ vt audiuit, Guarinũ Abbatẽ benigniter adiuuit, literásq; exhortatorias Resbacensi Cõuẽtui destinauit.

Denique Guarinus Abbas cum Natali Abbate reuersus Odonem & Guarinum inuenit alacres, atque Resbacensibus charos & amabiles. Erant quippe ambo maturi, affabiles, & modesti, geminàque litterarum eruditione imbuti. Et quamuis facundia ambo pollerent & eruditione; Odo tamen charitatiuo feruore summopere studebat sibi Guarinum præferre. Guarinus enim gratiam & sapientiam in diuinis sermonibus habuit, & per VIII. dies hospitalitatis instinctu Almarici Prioris exhortationem omnibus in claustro exhibuit, beniuolentiámque totius Conuentus non iam vt hostis, sed vt fidelis amicus obtinuit. Guarinus ergo Abbas Epistolam venerabilis Bernardi Abbatis protulit, quam Resbacensis Conuentus libenter suscepit, & audita libentiùs complere decreuit. Stephanus Parisiensis Episcopus, & Burchardus Meldensis Episcopus nutu Dei aderant, & Resbacenses vt caritatis nectare Vticenses exhilararent, obnixè admonebant. Igitur annuentibus cunctis dies ab Episcopis indicitur, quo multorum pignora Sanctorum ibi detenta pariter extraherentur, populus terræ hæc visurus congregaretur, & multiplici benedictione
B confirmatus lætificaretur, ac postmodum Vticenses optata susciperent, & sic propria reuiserent.

Porro Natalis Abbas consilium mutat, Vticenses mobilitate versuta turbat, dicens quod nisi Tedbaldus Comes concederet, numquam ea quæ Conuentus annuerat traderet. Igitur communi consilio in Normanniam Odo Vticensis ad Comitem mittitur, qui tunc ad auunculum suum Henricum Regem ierat vt cum eo loqueretur. Obediens Monachus difficilem viam arripuit, Comitéq; sequens Vernonum venit, suúmque secretum priùs Regi, vt iuuaret, detexit. Rex verò auxiliaturum se illi pollicetur, Comitéq; nepotem pro Monachorum negocio precatur. Comes autem precanti auunculo concedit, & per Andreā Dapiferū suum Resbacensibus concessionem suam mandauit, qui ad diē quo reliquiæ monstrabātur non venit, sed apud Colummers Comitis castrum remansit. Illuc Vticensis Abbas & Guarinus Sagiensis ac Andreas Columbensis ad Andreā perrexerunt. Quos vt vidit benignè suscepit, eorū orationibus se commendauit, cōcessionem Comitis intimauit, seque legatū indè & fideiussorē nunciauit. Tunc Guarinus Abbas lætus cum sociis
C suis Resbacum remeauit, & Natalis Abbas vt concessionē Consulis audiuit, pœnitentia motus quòd Vticenses valde vexauerat, votis eorū annuit. Almaricus itaque Prior mane Conuentū excitauit, cū Vticensib. ad Ecclesiam duxit, omnísq; Conuentus ordinata processione ad sacrariū vadit. Vas argenteum, in quo B. Ebrulfi pignora clausa erant frangitur, reliquiæ reuerenter extrahuntur, brachium dextrum cum pixide plena fracturis ossium erogatur. Vticenses itaque in Neustriam redierunt, atque Vticum VII. Kal. Iunij peruenerunt. Magna multitudo vtriusque sexus ferè ad quatuor milia conuenit, ac ad suscipienda tanti Patroni beneficia occurrit, & eius ante Deum suffragia promereri fusis precibus sategit. Ægri diuersarum infirmitatum molestia prægrauati accurrunt, & remedia suis doloribus ab Altissimo per almi Patris Ebrulfi merita deposcunt, & plurimi petita consecuti Deo gratias & laudes deuotè concinunt. Multa illic habitantes beneficia Dei sentiunt, meritóque gratulantes in B. Patris Ebrulfi meritis tripudiant & confidunt.

QVIDAM vir genere Brito nomine Goisfredus in pago Corboniensi habitauit; qui multis (vt ipse referebat) in iuuentute rapinis & latrociniis studuit; sed post aliquod tēpus inspirāte Deo vitā salubriter mutauit. Legitimā enim coniugē nomine
D Hildeburgē duxit, eiúsq; vtilibus monitis acquieuit; crudelibus & lethiferis satellitiis renūciauit, & labore manuū quæ sibi necessaria erant procurauit. Porro de reb. cū sudore acquisitis eleemosynas faciebat, egenis & clericis ac heremitis Monachísque distribuebat, & huiusmodi viris toti⁹ sui porismatis quæstus superflua tribuebat; suóque suorūq; victui sola necessaria reseruabat. Hic societatē Vticēsiū expetiit, & frater in Christo factus fraternitatē optimè seruauit. In præcipuis SS. festis ad Vticēse Cœnobiū veniebat: sed præcepti legis memor, vacuus fratres visitare nolebat.

QVONDAM biennio ante mortem Henrici Regis, admirabilis res contigit: nocte scilicet Innocentium Natalis nix ex improuiso tanta cecidit, quantam nullus mortalium illius æui viderat, vel à pædagogis suis visam aliquando audierat. Nam aditus domorum obstruxit, viarum superficies obtexit, mōtes & valles coæquauit, aues & animalia suffocauit, homines etiam submersit, innumerísque fidelibus Ec-

GVILLELMVS II. clesiarum introitus ipso die penitus denegauit. Sub tanta aëris intemperie præfatus Goisfredus surrexit, niuiúmque medietatem postposuit: iumentum panibus similagineis onerauit, & filium suum secum ducens, ad solemnitatem sancti Patris Ebrulfi festinauit. Qui cùm ad quandam aquam nomine Risellam peruenisset, nec eam, quia pons ibi nullus erat, & aquæ intumuerant, transuadare potuisset: timore & tremore anxius ad clementem Dominum suspirauit, ac vt sibi suffragaretur exorauit. Pio itaque flagrans desiderio, diuinam opem protinus persensit, & vltra ripam absque visibili ductore se solum inuenit: filium verò suum cum iumento & sarcina remansisse in altera ripa cognouit. Deinde filius eius (qui forsitan inæqualis fidei & meriti erat) pauidus vsque ad vmbilicum aquam intrauit, iumentum panibus onustum secum traxit, & licet difficulter saluus exiit. Panis siquidem, qui seruis Dei deferebatur, in aquis fuit: sed aquis intactus & inhumectatus mansit. Idoneus itaque panis ad vsum famulorum Christi cælitus seruatus, miróque modo siccus de mediis vndis extractus est. Denique Pater cum prole ad destinatum locum peruenit: viarum & aquarum pericula qualiter euaserit gaudens enarrauit, meritísque sancti Patris Ebrulfi (cuius festum expetebat) deputauit. Multi, qui tunc ad solemnia conuenerant, vt hæc audierunt, Dominum Deum Sabaoth, qui suos semper consolatur, glorificauerunt.

TVNC Guarinus Abbas Vticense Cœnobium regebat, & præfatum virum pro magna deuotione, qua erga Deum feruebat, vehementer diligebat, & veneranter honorabat. Idem namque Pater erga Dei cultum feruidus erat, atque huiusmodi sediminis specimen in assiduis exercitationibus agitabat. Religiosos homines honorabat, sibíque reuerenter præferebat, studiísque bonis solerter inhærebat. Ipse nimirum quamuis peritia litterarum admodum imbutus esset sese humiliabat, & postposita magisterij dignitate ad diuersa officia, quæ iunioribus competunt, velut vnus ex illis auidè currebat, alacritérque pergens laudabile subiectis exemplum exhibebat. Staturæ quidem mediocris & gracilis ac macilentus erat, agilisque ad omnia commoda, vtpote qui corpulentia nulla grauabatur, properabat. Ab aliis doctrinæ & instructionis verbum humilitatis causa cupidè audiebat: & multoties ea etiam, quæ melius nouerat, à paribus vel à subiectis diligenter inquirebat, atque velut discipulos humiliter auscultabat. Eloquentia in differendis lectionibus diuinæ legis vbertim affluebat, & profunda syntagmata lucidè discutiens reserabat. Adolescens ferè XXIII. annorum ad Monachatum venit, in quo XLIII. annis summo Regi militauit, ingeniíque sagacis & seduli sediminis emolumenta metricis carminibus & dicacibus Epistolis, aliísque dictatibus propalauit. Ex quibus vnum miraculum huic nostro nitor Libello indere, quod ipse didicit in Anglia positus apud Torneiam cum Rodberto Abbate, & scripto tradidit Eliensi Episcopo cum Monachili Conuentu deprecante. Textus autem Epistolæ huiusmodi est.

» VNIVERSIS sanctæ Ecclesiæ filiis, præcipuè mandatis Regulæ eximij Patris
» Benedicti obedientibus, vtinam minimus seruus seruorum Dei, Herueus Eliensis
» Ecclesiæ minister indignus, propositum benè incœptum meliori fine concludere.
» Ad laudem & honorem patroni Monachorum S. Benedicti rem nouiter apud nos
» relatione dignam, non immeritò audientibus suauem, retinentibus vtilem, adhuc
» nescientibus fortasse profuturam notificare voluimus.

TEMPORE Henrici Regis Anglorum, Ducis Normannorum, anno Regni eius in Anglia XVI. Comitatus in Normannia X. in possessione Ecclesiæ nostræ erat quidam homo nomine Bricstam in villa quæ vocatur Catriz. Hic testantibus vicinis eius iniustè nulli nocebat: aliena non rapiens, pacificè suis contentus erat. Ipse etiam nec multum diues, nec nimium pauper, secundum laïcorum ordinem in possessione mediocri seipsum & familiolam honestè regebat. Vicinis suis indigentibus nummos non tamen ad vsuram accommodabat, sed propter infidelitatem multorum à debitoribus vadimonia retinebat. Ita se inter vtrúmque habebat, quòd nec optimis viris melior, neque malis deterior æstimaretur. Qui cùm se quietum ab omni parte putaret, nec alicui se esse inuidiosum æstimaret, diuina gratia (sicut rei exitus probauit) inspiratus, vinculis Regulæ sancti Benedicti sese ligari & habitu insigniri desiderauit. Quid plura? Venit ad Monasterium nostrum in honore sancti Petri Apostoli, & sanctæ Etheldridæ constructum,

A à Monachis misericordiam petiuit, se suáque ditioni eorum tradere promisit. Sed proh dolor! ille iniquus, per cuius inuidiam de paradiso Adam cecidit, illius posteritati vsque ad nouissimum qui venturus est inuidere minimè cessabit. Verùm Deus, qui misericorditer omnia suauitérque disponit, semper velut omnipotens de malis bona, sic de bonis meliora facit. Hoc cùm à multis audiretur (nam licet maioris non esset, aliquantulæ tamen famæ homo ille erat) quidam Henrici Regis minister, specialiter autem diaboli seruus, armatus lupinis dentibus accurrit. GVILLELMVS II.

VERVM, vt sciatis quis vel qualis iste fuerit, paululum à proposito digrediamur. Hic Robertus nominatur, & Malarteis cognominatur: quod nos lingua Latina malum artificem exponimus, nec immeritò. Ipse namque nullum penitus officium habebat, nisi tantum insidiari. Omnibus dico Monachis scilicet vel Clericis, militibus & rusticis, & totius Ordinis hominibus tam religione famosis quàm aliter viuentibus. Sed ne mendacium incurrere videar, frequenter hoc agebat quocumque malitiam suam dilatare valebat. Omnes itaque æqualiter pro posse accusabat, vt omnes in damnum mitteret totis viribus laborabat. Cùm alicui vel pluribus no-B cebat, inter hos numerabatur, de quibus dicitur: *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis*. Si autem ex vero damnare nequibat, per illum qui in illo loquebatur diabolum inuentor falsitatis mendax & pater eius efficiebatur. Sed cùm nullus etiam cum eo ab infantia inseparabiliter permanens huius viri mala non dico scribere, sed etiam referre valeat (nam iure mille artifex vocaretur) redeamus ad incœpta.

AVDITO vt diximus rumore prædicti viri religionis habitum arripere cupientis, magistri sui doctrinam, qui semper mentitur aut decipit, secutus, aduenit ille Robertus. Qui dicturus mendacium, à mendacio incipiens ait nobis: « Hunc hominem Bricstam scilicet furem esse, pecuniam Regis propriam in latrocinio habere, « celare: & vt criminis huius iudicium & pœnam euadere valeat, non causa alterius « salutis Monachatum quærere sciatis. Ipse namque thesaurum occultum inuenit, « ex quo furtim sublato fœnerator effectus est. Tantorum itaque reus criminum, la- « trocinij videlicet & vsuræ, præsentiæ Regis vel iudicum metuit assistere. Quapro- « C pter huc ad vos ex Regis imperio missus, interdico ne illum in vestro collegio au- « deatis suscipere. Nos autem audita Regis defensione, timentes iram eius incurrere « noluimus hunc hominem cœtui nostro coniungere. Quid plura? Sub fideiussoribus missus, ducitur ad iudicium. Radulfo autem Basso sedente pro tribunali, congregatis etiam Prouincialibus vniuersis apud Huntedoniam (vt mos est in Anglia) ego ipse Herueus cum Abbatibus Rainaldo Ramesiensi, & Roberto Tornensi, necnon Clericis pluribus & Monachis interfui. Et ne vos longius protraham, accusatus ille cum vxore præsentatur, crimina sibi falsò imposita renouantur. Ille non acta negabat, quod non fecerat confiteri nequibat. Econtra de mendacio arguitur, deridetur (erat enim aliquantulum corpulentus, mediocris personæ, & honestam (vt ita dicam) cheriem habebat. Post multas verò illatas sibi sine merito contumelias, velut Susannam præiudicauerunt ipsum cum omni omnino possessione ditioni Regis tradendum. Post tale iudicium cùm sua reddere cogeretur, quæ in promptu erant reddidit: absentia vbi essent, & qui essent debitores indicauit. Sed cùm plura reddere, & maiora indicare compelleretur, Anglica lingua *ϸat min lauert godel* D *mihtin hicsege sod*, respondebat. Quod nos Latini dicimus; « Mi Domine, scit Deus « omnipotens quia veritatem dico. Hoc verbo sæpiùs repetito, nihil aliud dicebat. « Propalatis omnibus quæ habebat, afferuntur reliquiæ. Qui cùm iurare deberet, dixit vxori suæ: « Soror mea, per illud quod nos astringit vinculum charitatis te adiuro, « ne me periurium incurrere patiaris. Plus enim animæ periculum quàm corpo- « ris cruciatus expauesco. Si igitur aliquid tua tibi conscientia demonstrat, in « medium proferre non differas. Plus enim inimicus noster spiritualis anima- « rum damnationem, quàm carnis lacerationem desiderat. Ad quem illa: « Domine, inquit, præter indicata nil omnino nisi XV. solidos & duos tantùm « anulos IIII. denarios appendentes habeo. Quibus in præsentia prolatis vira- « go subiunxit: « Charissime coniunx modo iura securus: ego postea confirmans mea « teste conscientia te verum iurasse, nuda manu ferrum calidum, si iusseris, co- « ram omnibus qui videre voluerint portabo. Quid multa? iurauit, ac deinde sub «

GVILLELMVS II. custodia ligatus, ac Lundoniam ductus, ibi in carcerem obscurum retruditur. A Ibique vinculis ferreis plus quàm satis ponderosis fortiter & contumeliosè constrictus, famis & frigoris cruciatibus diuturnis non modico tempore coartatur. Positus in tali miseria, diuinum auxilium pro posse suo & scientia tam graui necessitate cogente adesse sibi postulabat. Sed quia meritis suis, quæ permodica, vel vt veriùs dicam nulla esse credebat, hoc se impetrare diffidebat: sanctum Benedictum, cuius se præceptis (vt dictum est) subditurum non fictè deuouerat; nec non sanctam virginem Egeldridam, in cuius Monasterio hoc idem se facturum præuiderat, corde lacrymabili, & voce qua poterat incessanter aduocabat. Hinc itaque oneratus ac constrictus ferro, hinc frigore cruciatus, illinc fatigatus ieiunio miserabilem vitam (qui pro certo mori mallet, quàm infeliciter viuere iuxta æstimationem meam) integris v. mensibus lugens in tenebris sustinuit. Et videns nullum penitus humanum sibi adesse auxilium, sanctum Benedictum, & sanctam Egeldridam continuis gemitibus, suspiriis, singultibus, quandóque lacrymis corde vel ore ruminando prouocare non cessabat. B Quid plura? Nocte quadam cùm signa per vrbem ad nocturnas laudes pulsarentur, & ille in carcere cum cæteris angustiis ab omni cibo triduum continuasset ieiunus: iam penè deficiens, & à corporis reparatione penitus desperans nomina Sanctorum flebili voce repetebat. Sed Deus clemens & misericors, qui fons totius bonitatis indeficiens permanet, qui nullum in necessitate positum spernit, neminem pro potentia vel diuitiis eligit; satis optatam & propter desiderij augmentationem, & vt adepta magis diligeretur dilatam, tandem poscenti misericordiam suam exhibuit. Assunt enim clamanti sanctus Benedictus & sancta Egeldrida, cum sorore sua sancta Sexburga. Ille verò præuium lumen, quod Sanctos antecedebat insolitum adesse expauescens, manu sua oculos suos operuit. Venientibus autem sanctis cum ipso lumine, sancta Egeldrida priùs locuta est. » Quid nos, inquit, Bricstam totiens lacrymis pulsas? Quid nos » tantis clamoribus commoues? Ille quidem iam debilitatus ieiunio, nunc quasi in C excessu mentis redditus, & gaudio repletus pro tanto miraculo, nihil omnino respondere poterat. Tunc sancta subiungens ait: Ego sum Egeldrida, quam tu to» tiens inuocasti. Hic adest sanctus Benedictus, sub cuius habitu te Deo seruiturum » deuouisti, & à quo auxilium multoties poposcisti. Vis liberari? Audita hac voce » reuixit spiritus eius, & quasi de somno euigilans ait: Domina mea, si aliquo modo » viuere possem, ab hoc execrabili carcere exire vellem. Sed me iam diuersis angu» stiis sic afflictum video, quod amissis viribus corporis omnibus euadendi spem nul» lam vlterius non habeo. Tunc sancta Virgo ad sanctum Benedictum conuersa di» xit: Sancte Benedicte, quare non facis quod tibi à Domino præceptum est? Ad hæc verba vir venerabilis Benedictus manum suam ad boias misit, & ex vtraque parte fregit; atque de pedibus vinculati sic extraxit, quod ille nihil omnino sensit, & plus iussu quàm actu illas fregisse visus est. Qui cùm ab eo illas remouisset, de manu quasi indignans proiecit: trabem, quæ solarium illius ergastuli substinebat, tam fortiter percussit, quòd fissuram in ea non modicam fecit: ac de sonitu tantæ percussionis exterriti custodes, qui super solarium iacebant, omnes euigilati sunt. D Qui timentes effugisse vinctos, accensis luminibus festinanter ad carcerem cucurrerunt. Inuenientes autem ostia penitus integra ac firmata, adhibitis clauibus intrauerunt. Videntes verò illum, quem ligatum miserant, solutum; magis mirati sunt. Et interrogantibus de tanto sonitu quem audierant, vel quis eum fecisset, qui etiam compeditum soluisset, alius quidam in carcere cum eo ligatus illo tacen» te respondit: Nescio quæ personæ cum maximo lumine carcerem intrauerunt, » & cum isto socio meo plura locuti sunt. Sed quid ei dicerent vel facerent, ip» sum qui meliùs scit interrogate. Conuersi ad illum dixerunt: Dic nobis quid » audisti, vel vidisti? Et ille: Sanctus, inquit, Benedictus cum sancta Egeldri» da & sorore sua Sexburga hîc affuerunt, & compedes de pedibus meis abstu» lerunt. Si verò non creditis mihi, vel oculis vestris credite. Illi autem viso miraculo, nec indè dubitantes, manè facto Mathildi Reginæ, quæ tunc forte in eadem erat vrbe, nunciauerunt. At illa Radulfum Bassum, qui eundem Bricstam præiudicari iusserat, & hoc factum arte Magica peractum adhuc dicebat,

A ad carcerem misit. Qui veniens illuc, quasi irrisoriè, sicut dudum fecerat, cum eo cœpit loqui. Quid agis Bricstam? Numquid per Angelos suos tibi locutus est Deus? Numquid ad te in carcerem descendit? Enarra mihi quæ sunt hæc maleficia tua. Ipse verò velut mortuus nullum omnino dedit responsum.

TVNC Radulfus videns quomodo compedes illæ fractæ fuerant, audiens etiam per socium eius de personis tribus, quæ cum lumine carcerem intrauerant, de verbis quæ locutæ fuerant, de sonitu quem fecerant: & animaduertens hæc indubitanter diuinitus contigisse, abundanter cœpit flere. Et conuersus ad Bricstam ait: Frater, seruus sum ego sancti Benedicti, & sanctæ virginis Egeldridæ, in eorum amore mecum loquere. At ille respondit, Si seruus es Sanctorum prædictorum, bonus est aduentus tuus. Ista verò quæ vides vel audis circa me patrata, vera scias esse, non magica. Radulfus autem apprehendens eum, ad præsentiam Reginæ & multorum qui aderant Baronum gaudens & plorans duxit. Interim rumor ille ocior qualibet volucre totam vrbem Lundoniæ peruolans aures omnium penè B ciuium attigit. Tunc ciues vndique in cœlum clamorem attollunt, omnis sexus & ætas in commune nomen Domini benedicunt; & ad Curiam, vbi ductum esse audierant, currunt: lacrymas lætitiæ quamplurimi fundunt, ceteri mirantur quæ vident vel audiunt. Regina verò gaudio repleta (erat enim bona Christiana) pro tanti nouitate miraculi, iubet per omnia ciuitatis Monasteria signa pulsari, & ab omni Ecclesiastici Ordinis conuentu laudes Deo cantari. Cúmque ille quamplures Ecclesias ciuitatis deuotas Deo gratias referens ex abundanti gaudio suæ liberationis visitaret, turba multa per vicos eum sequebatur & præcedebat, & quasi nouum hominem vnusquisque videre cupiebat. Cùm autem beati Basilicam, quæ Vvestmonasterium Anglicè nuncupatur, deuenisset, Abbas eiusdem loci Gislebertus vir litteris liberalibus & diuinis eruditissimus, cum omni grege Monachorum & apparatu Ecclesiæ obuiam illi processionem extra Monasterium duxit. Dicebat enim: Si hominis alicuius mortui reliquiæ in Ecclesia festiuè recipi debent, multò magis viuas reliquias, hunc videlicet hominem, honorificè suscipiamus. De mortuo námque vbi sit spiritus eius nos adhuc in fragili vita positi dubitamus: de C isto verò quod à Deo, qui nihil iniustè facit, in nostra præsentia visitatus ac liberatus sit, non ignoramus.

CVMQVE Deo pro posse suo iuxta æstimationem suam venerationem debitam pro illius liberatione reddidissent, Regina illum ad Ecclesiam sanctæ virginis Egeldridæ in Eliensi Insula cum grandi honore remisit. Ego autem, & omnis Monachorum Conuentus cum cereis & crucibus processionaliter obuiam ei, *Te Deum laudamus* cantantes exiuimus. Cúmque illum festiuè, vt decebat, in Ecclesiam introduceremus; diuinis laudibus celebratis, Monachilem habitum (quem diu desiderauerat) in honore sanctissimi Benedicti liberatoris sui ei tradidimus. Boias autem, quibus compeditus fuerat, ob honorem sancti Benedicti, qui eas confregerat, necnon venerationem virginis Egeldridæ, quæ collega illius astiterat, in eadem Ecclesia suspensas, quasi memoriale tanti miraculi ad populi spectaculum posuimus; ibique non modico tempore, vt per eas resciretur, dependere visæ sunt.

D HÆC venerabilis Patris Benedicti opera sanctæ Ecclesiæ filiis notificare voluimus, non quia satis non fecisset maiora, sed quia ista sunt nouiora, & nostris temporibus in finibus Angliæ inusitata videntur. Nec de B. Patre nostro Benedicto vllus miretur, si magna & etiam inæstimabilia faciat: quippe qui Papa Gregorio teste, in latice producto de rupe Moysi coæquatur, in corui obedientia Heliæ assimilatur, in ferro de profundo abyssi reuocato Helisæus dicitur, in discipulo iussu suo super aquas ambulante Petro coniungitur. Ipse etiam (vt notum est) Propheta præuidendo futura fuit, Apostolus patrando miracula extitit; vel vt breuiùs dicam, omnium iustorum spiritu plenus fuit. Quia ergo sine scrupulo nouimus de ipso, quodcúmque voluerit consequitur à Domino, lætabundi maneamus in illius seruitio, scientes nos eius prece non fraudari denario. Si autem sanctus Benedictus huic auxilium non negauit, qui se suum fore Monachum deuouit, quale subsidium his qui vltro vinculis Regulæ illius iam constringuntur, suppeditabit? Multis euidentibus documentis manifestè patescit, quòd benignus Magister iam à Deo

GVILLELMVS II. in cœlis glorificatus pro supplicibus discipulis indesinenter intercedit, eisque quotidie in necessitatibus suis efficaciter subuenit. Nos itaque, qui iam leue iugum Christi suscepimus, & pondus diei & æstus in eius vinea laborantes ferimus, in bonitate Dei constantes & perseuerantes certi esse debemus, quod meritis & precibus signipotentis Didascali nos proteget atque saluabit omnipotens Dominus. Obnixè ergo ipsum exoremus conditorem vniuersorum, vt nos egredi faciat de Babylonia & de finibus Chaldæorum: & in Hierusalem currere in consortio ciuium supernorum, omnipotens & misericors Deus, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen. A

HVC vsque per diuersas discurrens materias scribendo fatigatus sum, & huic VI. Historiæ Ecclesiasticæ Libro nunc impono terminum. In alio quippe volumine VII. Libellos auxiliante Deo iam peregi, in quibus de morte Guillelmi Regis & de tribus filiis eius plura edidi: & iter Hierosolymitanum euentúsque varios nostris temporibus contingentes referendo addidi. Cunctipotens creator Deus vt ab initio cœpit, sic mirè disponit cursus seculorum, & dociles instruens animos terrigenarum, à noxio reuocat appetitu infirmorum, ad meliora quoque prouocat memorabilium exhibitione gestorum. Nam deiectione sublimium, & exaltatione humilium, damnatione reproborum, & saluatione iustorum incessanter eruditur genus humanum, ne per execrabilem Theomachiam fiat profanum: sed vt diuinum semper metuat iudicium, & diligat imperium, inobientiæ deuitet reatum, & fidelem iugiter offerat famulatum Patri, & Filio, Spirituíque sancto, vni Deo Regi seculorum, Dominóque vniuersorum, qui viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Virgo parens duc omnigenas, ô ianua cœli,
Tolle tua preßis tantos pietate labores.

AD LECTOREM.

Arma, Duces, Monachos, si quæris, Presbyterósque,
*Hæc tibi Vitalis pars ea quarta * dabit.*

* imò, *secunda.*

ORDERICI
VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ PARS TERTIA.

Qua de morte Guillelmi Regis, & de tribus filiis eius plura referuntur; ac iter Hierosolymitanum, euentúsque varij, qui temporibus illis contigerunt adijciuntur.

LIBER SEPTIMVS.

A ANNO ab Incarnatione Domini DCLXXXVIII. PIPINVS Auster Maior Domus Regiæ Principatum Francorum suscepit. 688.

ANNO Domini DCCXI. obiit CHILDEBERTVS Rex Francorum. 711.

ANNO Domini DCCXII. obiit PIPINVS senior, & filius eius, qui dicebatur KAROLVS MARTELLVS Principatum vsurpauit. 712.

ANNO Domini DCCXV. obiit DAGOBERTVS Rex iunior, XIV. Kal. Feb. qui regnauit in Francia annis V. Secundo anno post mortem eius, pugnauit primùm Karolus Martellus Princeps contra Radbodum ad Coloniam: regnante THEODORICO filio suprascripti Dagoberti iunioris. Eo tempore gens impia Vvandalorum Galliam deuastare cœpit. Quo tempore destructæ Ecclesiæ, subuersa Monasteria, captæ vrbes, desolatæ domus, diruta castra, strages hominum innumeræ factæ, & multus vbique humani generis sanguis effusus. Ea tempestate grauissimè per totam Galliam detonabat, Vvandalis omnia flammis & ferro proterentibus. B Peruenientésque Senonis ciuitatem, cœperunt eam omni arte iaculis & machinis infestare. Quæ cernens Præsul eiusdem vrbis EBOBA nomine, exiens de ciuitate cum suis, fretus diuina virtute, exterminauit illos ab vrbis obsidione: fugiẽtibúsque illis, persecutus est eos vsque dum egrederentur de finibus suis. 715.

ANNO Domini DCCXLI. obiit KAROLVS MARTELLVS Princeps, sepultúsque est in Basilica sancti Dionysij Parisius. Hic res Ecclesiarum propter assiduitatem bellorum laicis tradidit. Quo mortuo, KARLOMANVS & PIPPINVS filij eius Principatum suscipiunt. 741.

ANNO Domini DCCL. PIPPINVS electus est in Regem, & CHILDERICVS, qui de stirpe CLODOVEI Regis remanserat, consecratus est. Hîc deficit progenies Clodouei Regis. 750.

768. ANNO Domini DCCLXVIII. Pippinus Rex moritur: & filij eius, KAROLVS, qui A
778. dictus est Imperator Magnus, & KARLOMANNVS, eliguntur in regno.
807. ANNO Domini DCCLXXVIII. * Karlomannus obiit.
*l.814. ANNO Domini DCCCVII. obiit ALCVINVS Philosophus, Abbas sancti Martini Turonorum.

ANNO Domini DCCCXVII. * obiit Karolus Imperator Magnus, & Ludouicus filius eius, qui Pius dicitur, regnum Francorum & Imperium Romanorum suscepit. Huius in tempore Pagani diffusi sunt in prouincia, quæ Pontiuus pagus appellatur. Vicesimo igitur anno regni domni Hludouici piissimi Imperatoris, rebellauit contra eum Hlotarius filius eius, auferens illi regnum Francorum. Ipso anno, collecto exercitu copioso valde, Hludouicus pater restituit sibi regnum, quod illi abstulerat filius.

840. ANNO Domini DCCCXL. obiit Ludouicus Pius Imperator XII. Kal. Iulij. Eodem anno facta est eclypsis solis feria quarta ante Ascensionem Domini, hora diei nona, II. Non. Maij. Vertente igitur anno, in die Ascensionis Domini, fit bellum Fontanetum in Burgundia à quatuor filiis supradicti Hludouici, Karolo scili- B cet, Lothario, Hludouico, & Pippino: vbi multus effusus est sanguis humanus. E quibus Karolus, qui appellatus est Caluus, regnum Francorum & Imperium Romanorum obtinuit. Lotharius verò partem Franciæ sibi vendicauit, quæ vsque in hodiernum diem ex suo nomine Lotharij regnum appellatur. Hludouicus autem Burgundiam sibi vendicauit, & vnctus est in Regem.

877. ANNO Domini DCCCLXXVII. Karolus Imperator, qui Caluus vocabatur, filius Hludouici Piissimi Imperatoris, cùm secunda profectione Romam peteret, III. Kal. Octobris in ipso itinere obiit Vercellis ciuitate; ibíque sepultus in Basilica beati Eusebij Martyris requieuit annis VII. Post hæc autem per visionem delatum est corpus eius in Franciam, & honorificè sepultum in Basilica beati Dionysij Martyris Parisius. Suscepit autem regnum Hludouicus filius eius. Sequenti verò anno Ioannes Papa Romanus ad Gallias veniens cum Formoso Episcopo Portuensi, ferens secum preciosas reliquias, primo..................mum, aliasque ciuitates. ....Hludouico...........................repedauit. Post hæc defunctus est C Ludouicus Rex Francorum, Karoli Calui filius, reliquítque filium suum paruulum Karolum, qui Simplex appellatur, cum regno, in custodia Odonis Principis.

EO TEMPORE gens incredula Hunnorum per Gallias sese diffudit, cædibus, rapinis, atque omni crudelitatis genere debacchata. Franci, Burgundiones, & Aquitanienses Proceres congregati in vnum, ODONEM Principem elegerunt sibi in Regem. Obeunte verò Odone Kal. Ianuarij, recepit regnum Karolus Simplex filius Hludouici. Sub ipso tempore venerunt Normanni in Burgundiam ad sanctum Florentinum. Occurrit autem illis RICARDVS Dux Burgundiæ cum suo exercitu in territorio Tornodorense, irruénsque in eos percussit multitudinem ex eis in ore gladij, & reliqui fugerunt v. Non. Iunij. Tempore illo factus est terræmotus circa Cœnobium sanctæ Columbæ Virginis, v. Idus Ianuarij. Hoc tempore pagani obsederunt Carnotinam ciuitatem. Collecto igitur exercitu, Ricardus Dux Burgundiæ, & Robertus Princeps, irruerunt in eos, peremptis ex paganis sex milibus octingentis: & à paucis, qui remanserant, obsides capientes, XIII. Kal. Augusti in sabbato, auxiliante illis superna clementia, per intercessionem D sanctæ Dei genitricis Mariæ. Post hæc igitur, mediante mense Martio, apparuit stella à parte Circij, emittens radium magnum ferè diebus XIV.

SEQVENTI anno fuit fames magna per totam Galliam. Deindè post quinque ferè annos, Kal. Februarij, igneæ acies visæ sunt in cœlo diuersorum colorum. Quod initium fuit alterius se * insequentes. Ipso anno fuit magna dissentio inter Regem & Principes eius. Ob hanc causam plurimæ strages factæ sunt Christiani populi, sed fauente Deo cessauit omnis illa contradictio.

TERTIO autem anno post...........defunctus est Rodulfus Rex Francorum, sepultúsque est in basilica sanctæ Columbæ, in oratorio sancti Symphoriani Martyris. Secundo anno post eius mortem, Robertus Princeps rebellauit contra Karolum Simplicem, vnctúsque est in Regem III. Kal. Iulij. Et nondum anno expleto, XVII. Kal. Iulij factum est bellum Suessionis ciuitate inter Karolum Sim-

A plicem, & ipsum Robertum, qui inuaserat Francorum regnum, vbi interfectus est ipse Rodbertus. Karolo verò à cæde belli victore reuertente, occurrit illi Herbertus infidelium nequissimus, & sub fictæ pacis simulatione, in castro quod Parrona dicitur, vt hospitandi gratiâ diuerteret, compulit, & sic dolo captum retinuit. Habebat enim idem Rodbertus sororem istius Herberti in coniugio, de quo ortus est Hugo Magnus. Illic itaque positus Karolus, Rodulfum nobilem filium Ricardi, Burgundionum Ducem, quem de sacro fonte susceperat, vnâ cum consilio Hugonis Magni filij supradicti Roberti, & Procerum Francorum, in regnum sublimauit. Idem autem Karolus Simplex, post longam carceris macerationem, defunctus est in ipsa custodia, & sepultus in Basilica sancti Furcei Confessoris, quæ est in ipsa Parrona castro. Vnctus est verò in Regem ipse Rodulfus IIII. Idus Iulij Suessionis ciuitate.

HIS temporibus Pagani iterum Burgundiam vastauerunt. Factum est bellum inter Christianos & Paganos in monte Chalo, peremptis à Paganis ex Christianis B multis milibus, VIII. Idus Decembris.

IGITVR defuncto Rodulfo Rege XVIII. Kal. Feburarij sepelierunt eum in Basilica sanctæ Columbæ virginis. Post mortem igitur Rodulfi Regis, Hugo Magnus vnà cum Francis accersiens GVILLELMVM Ducem, qui Longa-spata dicitur, misit illum ad OVIAM * vxorem iamdicti Karoli Simplicis, vt indè reduceret Hludouicum filium eius. Fugerat enim ad patrem suum Regem Anglorum, ob timorem Herberti & Hugonis. Veniénsque illuc Guillelmus .... datísque obsidibus sub sacramentis, titulo .... matri eius reduxit Hludouicum in Franciam. *al. Ogiuam.

IGITVR XIII. Kal. Iulij vnctus est in Regem Hludouicus filius Karoli Simplicis apud Laudunum. Secundo post hæc anno, XVI. Kal. Martij, circa gallorum cantum vsque illucescente die, sanguineæ acies per totam cæli faciem apparuerunt. Sequenti autem mense, VIIII. Kal. Aprilis, Hungri adhuc pagani Franciã, Burgundiam, atque Aquitaniam, ferro & igne depopulari cœperunt. Post hæc rebellauerunt Francorum Proceres contra Hludouicum Regẽ, super omnes autem Hugo Magnus. In ipso anno facta est fames valida per totum regnum Francorum C itaut modius frumẽti venũdaretur XXIIII. .... Deinde non post multos dies captus est Hludouicus Rex filius Karoli Simplicis dolo, Baiocas ciuitate, à Normannis, multis ex Francorum populo interemptis, consentiente Hugone Magno. Post hæc mense Maio, feria III. pluit sanguis super operarios. Et ipso anno, mense Septembrio, Hludouicus Rex totum tempus vitæ suæ plenum ducens angustiarum & tribulationum, diem clausit extremum, sepultúsque est Remis in Basilica S. Remigij.

SEQVENTI quoque mense, II. Idus Nouembris Hlotarius iam iuuenis filius eius vnctus est in Regem Remis, & Hugo Magnus factus est Dux Francorum. Secundo autem anno post hæc mense Augusto, obsedit supradictus Hugo Magnus Pictauis ciuitatem, sed nihil ei profuit. Dum enim obsideret eandem vrbem, quadam die intonuit Dominus terrore magno, disrupítque turbo papilionem eius à summitate vsque deorsum: stupórque magnus inuasit illum cum exercitu suo, itaut viuere nequirent. Statímque in fugam versi, recesserunt ab vrbis obsidione. Fecit autem hoc Deus per intercessionem beati Hilarij, qui semD per tutor & defensor illius est vrbis.

IN ipso anno, defunctus est GISLEBERTVS Dux Burgundiæ, relinquens Ducatum OTHONI filio Hugonis Magni. Habebat namque Otho filiam illius Gisleberti in coniugio. Secundo anno obiit Hugo Magnus Dux Francorũ apud Drodingã villã XVI. Kal. Iulij, sepultúsque est in Basilica B. Dionysij Martyris Parisius. Cui successerunt filij eius, Hugo videlicet, Otho, & Hainricus, nati ex filia Ottonis Regis Saxionorum. Hugo Dux Francorum effectus est, & Otho Dux Burgundionum. Defuncto Othone Duce Burgundionum, successit Hainricus frater eius.

SVB ipso tempore oritur contentio inter Ansegisum Episcopũ Trecarũ, & Rodbertũ Comitẽ. Eiectus verò ex ciuitate Ansegisus Episcopus à Rodberto Comite, perrexit in Saxoniã ad Ottonẽ Imperatorẽ, adducénsque Saxones mẽse Octobrio obsedit ciuitatẽ Trecas longo tempore. Venientes autẽ in prædã Senonis, occurrerũt illis Archébaldus Archiepiscop9, & Rainard9 Comes vetul9, cũ magno exercitu in loco qui vocatur Villare: interfectísq; Saxonib9, cũ Duce suo HELPONE nomine,

Senonenses extiterunt victores. Dixerat enim Helpo, incensurum se Ecclesias & A
villas, quæ sunt super Venena * fluuium, vsque ad ciuitatem, infigeréque lanceam
suam in portam sancti Leonis. Interfectus autem cum populo suo à Senonensibus,
reportatus est in patriam suam Ardennam à seruis suis. Sic enim iusserat mater ipsius Helponis nomine Vvarna. Planxerunt autem cum planctu magno RAINARDVS Comes, & Archembaldus Archiepiscopus. Consanguineus enim illorum erat. Videns itaque BRVNO Dux socius eiusdem Helponis, qui obsederat Trecas ciuitatem, quòd mortuus esset socius suus Helpo cum suis, reuersus est in patriam suam.

DEINDE post non multos dies, Hlotarius Rex congregans exercitum copiosum valde, renouauit in ditionem suam Hlotharium regnum. Veniénsque ad Palatium, quod vocatur Aquisgrani, vbi manebat Otto Imperator cum vxore, horâ prandendi, ingressúsque in palatium, nemine contradicente, comederunt & biberunt quicquid illi ad suos vsus parauerant. Otto verò Imperator cum vxore sua & populo fugiens, reliquit Palatium. Deprædato itaque Hlotharius Rex Palatio, & tota Prouincia, reuersus est in Franciam cum pace, nemine persequente. B

POST hæc, Otto Imperator congregans exercitum suum, venit Parisius; vbi interfectus est nepos ipsius Ottonis, cum aliis pluribus, ad portam ciuitatis, incenso suburbio illius. Iactauerat namque se extollendo, dicens, quòd lanceam suam infigeret in ciuitatis portam. Conuocans igitur Hlotharius Rex Hugonem Ducem Francorum, & Hainricum Ducem Burgundionum, irruénsque in eos; fugientibus illis persequutus est vsque Suessionis ciuitatē. Illi autem ingressi fluminis alueum, quod dicitur Axona, nescientes vadum plurimi ibi perierunt. Et multò plures consumpsit aqua, quàm gladius vorasset. Et tanti ibi perierunt, vt etiam aqua redundaret cadaueribus mortuorum. Aqua enim impleuerat ripas suas. Hlotarius verò Rex constanter persequens illos tribus diebus, & tribus noctibus, vsque ad fluuium, quod fluit iuxta Ardennam, siue Argonam, interfecit ex hostibus maximam multitudinem. Desinens autem persequi illos Hlotharius Rex, reuersus est in Franciam cum magna victoria. Otto verò Imperator cum his, qui euaserant, cum magna confusione reuersus est ad propria. Post hæc non apposuit vltra Otto Imperator venire aut ipse, aut exercitus eius, in Franciam. In ipso anno, pacificatus est C
Hlotharius Rex cum Ottone Rege, Remis ciuitate, contra voluntatem Hugonis & Hainrici fratris eius, contráque voluntatem exercitus sui. Dedit Hlotharius Rex Ottoni Regi in beneficio Lotharium regnum. Quæ causa magis contristauit corda Principum Francorum.

*al. 986. ANNO DCCCCLXXVI. * obiit Hlotarius Rex senex, plenus dierum, sepultúsque est in basilica beati Remigij Remis. Cui successit HLVDOVICVS filius eius iuuenis.

*al. 987. ANNO DCCCCLXXVII *. obiit Hludouicus Rex iuuenis, qui regnauit in
*al. anno Francia annis VI. * Sepultus est verò in basilica beati Cornelij Compendio. Cui
1. successit KAROLVS frater eius, filius Hlotharij Regis. Eodem anno rebellauit contra Karolum Hugo Dux Francorum, eò quòd accepisset Karolus filiam Herberti Comitis Trecarum. Collecto igitur Hugo exercitu copioso valdè, obsedit Laudunum, vbi commanebat Karolus cum vxore sua. Exiens verò Karolus de ciuitate, fugauit Hugonem cum exercitu suo. Incensa hospitia, vbi manebant hostes. D
Cernens itaque Hugo Dux, quòd minimè posset Karolum vincere, consilium habuit cum Ascelino traditore vetulo, qui erat Episcopus falsus Lauduni, & Consiliarius Karoli. Itaque tradens Ascelinus Episcopus Laudunum noctu, quiescentibus cunctis, Hugoni Duci Francorum, vinctus est Karolus cum vxore sua, & ductus in custodia Aurelianis ciuitate. Nondum autem ipse Karolus erat vnctus in Regem, resistente Hugone Duce. Manens verò idem Karolus in custodia Aurelianis in turrim, genuit illi vxor sua filios duos, Ludouicum, & Karolum. Eodem anno vnctus est in Regem Remis ciuitate Hugo Dux. Et in ipso anno RODBERTVS filius eius Rex ordinatus est. Hîc deficit regnum Karoli Magni.

IN illis diebus erat Remensium ciuitate Archiepiscopus vir bonus & modestus, frater Lotharij Regis ex concubina nomine ARNVLFVS. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharij Regis. Congregánsque in vrbe Remensi Synodū, idem Hugo rex inuitauit Archiepiscopum Senonicæ vrbis nomine Seuuinum,

A Seuuinum, cum suffraganeis suis. In quo consilio fecit degradare domnum Arnulfum Archiepiscopum Remorum dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere: dicens, non debere esse Episcopum natum ex concubina. In loco verò eius consecrari fecit domnum GERBERTVM Monachum Philosophum. Qui Gerbertus magister fuit Rodberti Regis filij istius Hugonis, & domni Leotherici Archiepiscopi successoris venerabilis Seuuini. Arnulfum autem fecit mancipari custodiæ Aurelianis ciuitate. Venerabilis itaque Seuuinus Archiepiscopus non consensit in degradatione Arnulfi, neque in ordinatione Gerberti. Iussio autē Regis vrgebat. Alij verò Episcopi, licèt inuiti, tamen propter timorem Regis, degradauerunt Arnulfum, & ordinauerūt Gerbertum. Seuuinus autem plus timens Dominum, quàm terrenum Regem, noluit consentire Regis nequitiæ: sed magis inquantū potuit redarguit ipsum Regem, propter quam causam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iussit Rex Arnulfum de Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ Remensis, & sic alligatū retrudi in carcerē. Alligatus autem in carcere Aurelianis ciuitate, vbi detinebatur nepos eius Karolus, mãsit ibi annis tribus. Nunciãtur hæc omnia Præsuli Romano. Qui valde indignatus super hoc, interdixit omnes Episcopos, B qui Arnulfū deiecerãt, & Gerbertū ordinauerant. Misit quoque Leonem Abbatem à Sede Apostolica ad domnū Seuuinū Archiepiscorum vrbis Senonicæ, qui vice sua in vrbe Remensi Synodum congregaret: mandans illi, vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio, iterum in vrbe Remēsi ex iussione Apostolica reuocatus est Arnulfus de custodia, & cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autē intelligens, quòd iniustè Pontificalem dignitatem suscepisset, pœnitentiâ ductus est. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde vtilem pleniùs inuenies in gestis Pontificum Remorum. Post hæc domnus Gerbertus electus est Pontifex in vrbe Rauenna ab Ottone Imperatore, & à populo eiusdem vrbis. Residénsque in eadem vrbe Pontifex quamplurimos annos, defunctus est Papa vrbis Romæ. Statímque omnis populus Romanus sibi dari adclamat domnum Gerbertum. Assumptus autem de vrbe Rauenna ordinatus est Pontifex summus in vrbe Roma.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCCXCVIII. obiit Hugo Rex, sepultúsque est 998. in Basilica beati Dionysij Martyris Parisius. Cui successit RODBERTVS filius eius C Regum piissimus & modestus.

ANNO Domini DCCCCXCIX. venerabilis Seuuinus Archiepiscopus ab imo cœpit 999 restaurare Cœnobium sancti Petri Milidunensis: & Monachos ibi mittens, Abbatem GAVTERIVM eis præfecit. In ipso anno tradidit Gualterius miles, & vxor eius, castrum Milidunum ODONI Comiti. Congregans verò Rodbertus Rex exercitum copiosum valdè, & Burchardus Comes, conuocánsque Normannos cum Duce suo Ricardo, obsedit castrum Milidunum. Castro igitur capto, suspensus est Gualterius, & vxor illius in patibulo. Burchardus autem Comes recepit castrum Milidunum, sicuti ante possederat.

IGITVR RAINALDVS Comes vetulus Senonum post multa mala perpetrata defunctus est, & sepultus in Basilica sanctæ Columbæ virginis. Cui successit FROMVNDVS filius eius, habens in coniugio filiam RAINALDI Comitis Remorum.

ANNO Domini M. Indictione XIII. XVI. Kal. Nouembris, transiit ad Christum 1000. venerabilis Seguinus Metropolitanus Episcopus. Post transitum verò illius, stetit D Ecclesia Senonica sine benedictione sacerdotali anno I. Adclamabat autem omnis populus sibi ordinari domnum Leothericum nobilissimis ortum natalibus, tunc Archidiaconum, omni bonitate conspicuum. Sed resistebant quamplurimi Clerici, cupientes Episcopalem conscendere gradum. Præcipuè verò Frotmundus Comes, filius Rainardi vetuli, natus ex mala radice, hoc non permittebat fieri: eo quòd haberet filium Clericum nomine BRVNONEM, volens de eo facere Episcopum. Dei autem nutu congregati suffraganei Episcopi Senonicæ Ecclesiæ, cum voluntate & auctoritate Apostolica, sublato omni timore humano, solemniter ordinauerunt domnum Leothericum in sede Pontificali, vt præesset Ecclesiæ Senonensi.

ANNO Domini MI. obiit HAINRICVS Dux Burgundiæ sine filiis. Rebellaueruntque Burgundiones contra Regē Rodbertū, nolentes eum recipere. Ingressus itaq; 1001.

1003. Landricvs Comes Autissiodorum tenuit ciuitatem. A
Anno Domini MIII. Rodbertus Rex assumptis Normannis cum Duce suo Ri-
cardo,& exercitu copioso valde,vastauit Burgundiam,obsidens Autisiodorum die-
bus multis. Burgundiones autem nullomodo ei se subdere volentes,vnanimiter re-
sistebant ei. Obsedit verò Auallonem castrum tribus ferè mensibus, & famis ne-
cessitate eum cepit. Túncque reuersus est in Franciam.
Mortvo itaque Frotmundo Comite Senonum, successit ei Rainardvs fi-
lius eius infidelium nequissimus. Hic persecutionem intulit Ecclesiis Christi, & fi-
delibus eius, quanta non est audita à tempore paganorum vsque in hodiernũ diem.
Archiepiscopus autem Leothericus nimis angustiatus pro hac re, quò se verteret
omninò nesciebat. Totum verò se Domino committens, in orationibus & vigiliis
exorabat Christum, vt eius superna pietas dignaretur auxilium ministrare.
1016. Igitvr anno à passione Domini MXVI. Indict. XIII. X. Kal. Maij, capta est ci-
uitas Senonum ab Archiepiscopo Leotherico per consilium Rainoldi Episcopi
Parisiacensis, & Regi Rodberto reddita. Rainardus autem fugiens, nudus euasit. B
Fromvndvs verò frater eius, & ceteri milites de ciuitate ingressi turrim, quę est in
ciuitate,obtinuerũt.Rex autẽ oppugnãs eam diebus multis,cepit eam,& Frotmũdũ
fratrẽ Rainardi Comitis,quẽ duxit in carcerẽ Aurelianis ciuitate,vbi & defũctus est.
1031. Rodbertvs siquidem Rex Francorum XXXVII.annis regnauit,& coniugẽ pro-
bitate ac sapientiâ famosam Constantiam habuit,quæ generosam ei sobolẽ pepe-
rit, Henricum, Rodbertum, & Adalam. Anno autem Dominicæ incarn. MXXXI.
Indictione XIV. Rodbertus Rex obiit,& Henricvs filius eius ferè XXX. annis re-
gnauit. Rodbertvs autem Ducatum Burgundiæ habuit,& tres filios genuit,Hen-
ricum,Rodbertum,& Simonem. Henricvs verò, qui primogenitus erat, Hugo-
nem & Odonem genuit: sed ante patrem suum obiit. Hvgo siquidem auo in Du-
catu successit,ingentique probitate pollens tribus annis tenuit:ac deinde Odonem
fratrem suum Ducem vltrò constituit, & ipse Dei compunctus amore Monachus
Cluniacensis ferè XV. annis religiosè Deo militauit. Adala verò filia Rodberti C
Regis Baldvino Satrapæ Flandrensi in coniugio data fuit, quæ multiplicem ei
prolem peperit: Rodbertum Fresionem, Arnulfum,& Balduinum,Consules; Vdo-
nem Treuerensium Archiepiscopum,& Henricum Clericum,Mathildem quoque
Reginam Anglorum,& Iuditham Tostici Ducis vxorem.
His temporibus, dum Robertus & Henricus Gallis præfuerunt, decem Papæ in
Apostolica Sede sibi successerunt:id est Gerbertus Philosophus,qui Siluester dictus
est, & Ioannes, Benedictus, & Ioannes frater eius, Benedictus quoque nepos eo-
rum, Clemens, & Damasus nobilitate & ardore boni feruidus, Leo, & Victor, Ste-
* l. Annã phanus, & Nicolaus. Henricus autem Francorum Rex Bertradam * Iulij Claudij
Regis Russiæ filiam vxorem duxit, quæ Philippum & Hugonem Magnum Crispeij
Comitem peperit. Philippvs verò post patris occasum XLVII. annis regnauit, &
Bertrandam Florentij Frisiorum Ducis filiam in coniugium duxit, quæ Lvdovi-
cvm-Tedbaldvm, & Constantiam peperit.
1047. Anno ab Incarnatione Domini MXLVII. Indictione XV. Guillelmus Nothus
Dux Normannorum Henricum Regem in Neustriam adduxit, eóque adiutore
contra cognatos homines suos apud Vallesdunas pugnauit,& Gvidonem Burgun- D
dionẽ aliósque rebelles superauit,sibique subiugauit, aliósque fugauit.Pósthæc, in
potestate confirmatus,Mathildem Balduini Flãdriæ Marchionis filiã vxorẽ duxit,
quæ quatuor filios, & quinque filias ei peperit: id est Rodbertum,Ricardũ,Guillel-
mum,& Henricum:Agathen,ac Adelizam,Constantiam,Adalam, & Ceciliã.Tam
claram progeniem varia fortuna per diuersos discursus egit, diéque suo quemque
* filius in occasum præcipitauit: sicuti filius * noster aliàs sufficienter notificauit. Seditio-
sis deinde insurgentibus,& inter præfatos Principes dissensionem serẽtibus,ingens
guerra inter Francos & Normannos orta est, vnde multorũ nimia strages facta est.
1054. Tandem anno Dominicæ incarnationis MLIV. Henricus Rex in Ebroicensem
pagum intrauit, & ingentia deprædando, siue concremando, detrimenta facere
cœpit: & Odonem fratrem suum cum multis milibus per Beluacensem pagum
trans Sequanam direxit. Guillelmus autem Dux cum turmis suis Regem à late-
re comitabatur, & resistere pro opportunitate præstolabatur. Porrò, Rogerium

A de Mortuomari, & omnes Caletenses asciuit *,& in Regalem exercitum abire velociter præcepit. At illi iussis cito obsecundantur,& occurrentes Gallis apud Mortuum-mare pugnauerunt: & victoriam nacti, Guidonem Pontiui Comitem ceperunt,Odonem verò,& RADVLFVM Comitem de Montedesiderij pluribus peremptis fugauerunt. Tunc Leo Papa sexto anno Papatus sui obiit,cuius secundo anno Vticensis Abbatia restaurata est, & THEODORICVS sancti Ebrulfi primus Abbas Nonis Octobris consecratus est. Qui post VIII. annos peregrè profectus est, & in Cypro Insula Kal. Augusti defunctus est. Ad cuius sepulcrum miraculorum copia celebrata est. GVILLELMVS II. * accersiuit.

EDVARDVS Rex Anglorum, postquam XXIII. annis regnauit,anno sexto Philippi Regis Francorum hominem exiuit. Cuius genealogia de stirpe Sem filij Noë ita descendit. Sem genuit Arfaxat & Beadumg. Beadumg genuit Vvala. Vvala genuit Hatra. Hatra verò genuit Itermod. Itermod autem genuit Heremod. Heremod autem genuit Sceldunea. Sceldunea genuit Beavv. Beavv genuit Cetuna. Cetuna verò genuit Geatam,quem Geatam Pagani iamdudum pro Deo venerabantur. Hic B genuit Findggoldvvlf, patrem Fidhulput. De quo Frealaf pater Frithovvald. De quo Vvoden ortus est, à quo Angli feriam VI. Vvodenis diem nuncupant. Hic magnæ sublimitatis inter suos, & potentiæ fuit * * *

Hic desunt nonnulla , quæ tamen videntur esse veluti recapitulatio rerum illarum quas iam in superioribus Libris fusius enarrauit: à transitu scilicet Guillelmi Ducis in Angliam, vsque ad annum Christi MLXXXIII.

ANNO ab Incarnatione Domini MLXXXIV. HENRICVS Teutonicus Rex multitudinem Saxonum, Alemannorum, Lotharigensium, aliarúmque gentium coaceruauit. 108. Italiam violenter ingressus penetrauit, Romam obsedit & expugnauit. Porro Romanis pro cupiditate munerum, quæ illis spoponderat, sese dedentibus, vrbem cepit. GREGORIVM VII. de Sede Apostolica expulit, & Vvitbertum Rauennatium Metropolitam ei nefariè subrogauit. Tunc Gregorius Beneuentum secessit,& maxima dissentio in orbe orta magnum filiis Ecclesiæ detrimētum generauit, & ad multorum perniciem diu permansit. Gregorius enim Papa, qui Hildebrannus in baptismate dictus fuerat, à puero Monachus fuit, omníque vita sua sa- C pientiæ & religioni admodum studuit,assiduúmque certamen contra peccatum exercuit. Per singulos gradus Ecclesiasticorum ordinū vsque ad summi Pontificatus apicem ascendit, in quo sexdecim annis legem Dei vigilanter obseruare studuit. Zelo quippe veritatis & iustitiæ inflammatus,omne scelus arguebat, nullíque contra rectitudinem pro timore seu fauore parcebat. Inde persecutionem & exilium ab indomitis, & iugo Domini contrariis pertulit, nec tamen ab eis qualibet arte vinci vsque ad mortem potuit.

HENRICVM ergo Teutonicorum Regem, quia diuinæ legis præuaricator erat incorrigibilis,sæpè admonuit,corripuit,ad postremum excommunicauit. Nam Princeps præfatus vxorem suam Eustachij Bononiensium egregij Comitis filiam reliquit, & sordidis adulterij voluptatibus,vt porcus luto gaudens,inhæsit: Deique legibus & bonorum exhortationibus omnino infestus obstitit. Godefridus autē Lotharingiæ Dux turpi repudio sororis suæ mœstus, bellum contra Henricum commouit, & multis in vnum millibus congregatis cum eo conflixit, ipsúmque cum dedecore victum de campo fugauit, & sic iniuriam sororis suæ vindicauit.

D SÆPE idē Rex Proceres suos,quorū vxores,seu filias,vel prædia concupiscebat,ad Curiam suā fraudulēter accersiebat;& occultè præmissis satellitibus suis,in via securos perimebat. His aliisq; multis nequitiis fœdus Rex se interficiebat, *& innumeros * *f.* inficiebat, complices pariter proditionis ad perniciē secū trahebat. Gregorius Papa tantorum scelerū querelas vt audiuit,præfatū virum vt vitam suam emendaret plerúmque obsecrauit. Sed illo nequiter Medicū & Doctorē subsannāte,nihil profecit. Sæpè multorum Præsulum Synodū adunauit, & de Christiano Imperio, quod tam turpiter & nefariè polluebat,qualiter corrigeret tractauit. Denique Hēricū sæpiùs admonitū,& in facinorib⁹ pertinaciter resistētē iudicio Synodi excōmunicauit,& sub anathemate obduratū potestate regni dānabiliter vsurpata expoliauit; & CONRADVM Comitem auctoritate Apostolica per plurimorū manus Præsulū in Regem consecrauit. Priuatus itaque Henricus per vnū annū in domo propria cōticuit,& Comitatu,quem he-

GVILLELMVS II. 1084. reditario iure à parentibus susceperat, potitus delituit. Sed auxilia multa, sumptibus de thesauro, quem copiosum olim congesserat, dapsiliter datis, procurauit. Deinde multis millibus complicum aggregatis, commune decretum contempsit, publicus hostis rebellauit, contra Conradum Regem pugnauit, ipsúmque deiectum iugulauit, & exercitum eius varia clade quassauit. A

HENRICVS itaque hac victoriâ elatus, Imperium quod amiserat inuasit, rebelles coërcuit, magnísque sibi viribus adauctis Romam obsedit, totúmque conatũ contra Gregorium Papam exeruit. Menti eius, vt reor, penitus exciderat, quòd Absalon ingentes turmas contra Dauid patrem suum congesserat, consilio Architophel Gilonitis arma leuauerat, ipsóque patre cum suis discedente Hierusalem inuaserat, ac ad vltimum multa bellatorum millia pessum dederat; sed nefaria voluntate in multis completa miserabiliter perierat. Sic iste contra patrem suum arma sustulit, meritóque postea diram à prole sua persecutionem pertulit. Inquirentibus verò, cur tam horrenda contra caput Ecclesiæ præsumpserat, hanc tantæ discordiæ causam inter se & Papam esse, cum cachinno asserebat; quòd Medicus ægrotum nimis acriter curare impatientem nisus fuerat. B

OBSIDIONEM ergo validam Rex effrenis Romæ applicuit, Romanos minis & viribus terruit, muneribus & promissis leniuit, & his modis ciues alliciens vrbem obtinuit. Deficientibus itaque Romanis, Gregorius Papa Apuliam expetiit, ibíque à Normannis honorificè susceptus quatuor annis habitauit, & mandata vitæ filiis Ecclesiæ propinans finem laborum peregit. Tunc Henricus Augustus Vvitbertum Rauennatium Metropolitanum, quem Clementem nuncupauerunt, in ouile Domini contra fas intromisit: & hac de causa grauis in mundo & diutina dissentio multos duplici morte mulctauit. Mediolanenses & Maguntini, & multi alij, qui Vvitberto fauebant, Gregorianos omnes anathematizabant, armis quoque crudeliter impugnabant. Econtra Gregorius cum suis errantes Vvitbertinos ad vnitatem Ecclesiæ reuocabat, & redire contẽnentes secundũ ius Ecclesiasticũ excõmunicabat.

ODO Sutriæ Comes inuasoris Vvitberti nepos erat, omnésque tam peregrinos quàm indigenas quos poterat ad nefariam partem deflectere vi precibúsque elaborabat, & resistentes indebitámque subiectionem hęretico denegãtes torquebat, aut morte ferali puniebat. In tanta obscuritate Catholica gemebat Ecclesia, orans Dominum, qui vera lux est & iustitia, vt prostratis & ablatis discordiæ auctoribus pacem & veritatem conferret in terra bonæ voluntatis hominibus. C

IN diebus illis eloquens Græcia graui bellorum turbine quatiebatur, & ingentibus damnis afflicta, timore & luctu affatim replebatur. Bitinacius enim Græcus, nimiæ cupiditatis & proteruiæ spiritu inflatus, Imperium inuasit, Michaëlem Cõstãtinopolitanum Imperatorem de regno expulit; & filium eius, qui in regno ei succedere deberet, oculis priuauit, & in carcere compedibus constrinxit: filias duas Roberti Vviscardi, quarum vnam idem iuuenis desponderat, custodiæ mãcipauit. Perturbatus verò Michaël in Italiam cõfugit, auxiliúmque Normannorum sibi, sobolique suæ humiliter efflagitauit. Magnanimus autem Vviscardus Dux Augustæ maiestatis exulem honorificè suscepit, obsequiis & fauoribus leniuit, & multiplex ei adiutorium alacriter spopondit. Nec mora, sicut pollicitus est, eum vlcisci vehementer mollitus est. Verùm multa laboriosa, nolente Deo, frustra comminatus est: sed ei ad effectum rem, quam summopere flagitabat, perducere permissum non est. D

ALEXIVS Princeps Militiæ iussu Michaëlis in Paphlagoniam ierat, secúmque contra Turcos Niceam Bithyniæ vrbem obsidem captãtes exercitum Græciæ duxerat. Qui dum audisset expulsionem ingenui Imperatoris, & temerariam tyrãnidem perfidi præsumptoris, exercitum alloquitur, & quid agendum sit percunctatur. Erat enim prudens & probus, audax & largus, & amabilis omnibus. Omnes igitur ei fauent, eiúsque iussu se promptos exhibent. Ille mox hortatur, vt vnanimes Bizantium obsideant, & imperanti iis vecordi tyranno viriliter auferant. Obsidione itaque Constantinopolis aliquot diebus vallata est. Sed per Raimundũ Flandrensem, qui præcipuus custos & ianitor vrbis erat, consulto ciuium patefacta est. Alexius Augustale Palatium intrauit, Bitinacium de regali throno præcipitauit, prolixam ei barbam detruncauit, & carcerali custodiæ illæsum commendauit. Ipse cunctis gaudentibus Imperiale sceptrum & diadema sumpsit, Regnúmque XXX. annis

A in aduersis & prosperis strenuè nobiliterque rexit. Erat enim multùm sapiens, & misericors pauperibus, bellator fortis & magnanimus, affabilis militibus, munerúmque dator largissimus, diuinæque legis cultor deuotissimus. Ipse mox vt regnare cœpit, filium Michaëlis, quem cæcatum retuli, de vinculis sustulit, & Abbati Cœnobij sancti Cyri tutandum tradidit. Ille verò, vtpote mundo inutilis, Monachus ibidem factus est; omníque vita sua cum seruis Dei commoratus est. Filius quoque Vviscardi præfatus Heros, ac si ipse genuisset eas, amauit blanditer, & piè tractauit; & ferè xx. annis sub tutela sua in deliciis educauit. Officium illarum erat manè, dum Imperator de suo stratu surrexisset, manúsque suas ablueret, mappulam & pectinem eburneum afferre, & barbam Imperatoris pectere. Nobiles puellæ facili gratóque seruitio à liberali Principe deputatæ sunt, quæ post longum tempus Rogerio Comiti Siciliæ Augusto faueнti vt amico redditæ sunt.

GVILLELMVS II. 1084.

Cotidie mundi rota versatur titubantis.
Vera probant fieri mortales dicta Tonantis.

B *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* Ecce, sicut Michaël pepulit Diogenem vitricum suum de Regali solio, sic ipse de eodem culmine præcipitatus est à Bitinacio; qui nihilominus simili repulsa deiectus est ab Alexio.

ALEXIVS cum Patriarcha Regiæ vrbis, ac Sapientibus & Senatoribus Regni Græcorum definiuit, ne sanctum Imperium redderetur Michaëli, qui ad hostes publicos confugerat, & malefidis se & omnia sua Normannis commiserat, quibus moris est Imperium sociis non reddere, sed auferre: & quos ab aliis debent liberare, atque ad obtinendum debitos fasces adiuuare, crudeli ritu demptis honoribus sibi penitus subiugare. Anglos igitur, qui perempto Heraldo Rege, cum Proceribus Regni Albionem reliquerant, & à facie Vvillelmi Regis per pontum in Thraciam nauigauerant, Alexius in amicitiam sibi asciuit, eísque principale Palatium, Regiósque thesauros palam commendauit: quin etiam eos capitis sui, rerúmque suarum custodes posuit. A quatuor mundi climatibus in munere bellatorum cohortes contra eum conueniunt, ipsúmque vitâ regnóque priuare multum conati C sunt. Sed frustra vehementer laborauerunt. Nam ipse multas inimicorum insidias protegente Deo euasit, & in senectute sua Ioannem filium suum consortem Imperij fecit. Sic cunctis sapienter intuentibus perspicere licet, quòd quem Deus defendit ac refouet, nemo deicere vel adnihilare præualet.

PROCELLIS itaque tot motionum, vt diximus, in Illyrico sæuientibus, ac Michaële Italos ad auxilium sui sollicitante lacrymis & questibus, Robertus Vviscardus ex omni Ducatu Apuliæ & Calabriæ fortem exercitum Normannorum & Langobardorum contraxit, & valida classe parata, portum Ottrentæ intrauit: deinde prosperis ventis spirantibus per mare Diracio applicuit, & oppidanis viriliter obstantibus, in fine mensis Iunij vrbem obsedit. In exercitu quippe suo non plus quàm x. millia bellatorum habebat, nec numero, sed in fortitudine virorum aduersarios terrebat, & bellicosam à priscis temporibus Adrasti & Agamemnonis Græciam inuadebat. Robertus Gifardus, & Gulielmus de Grentesmainillo, aliíque probatissimi tyrones, qui nuper de Neustria venerant, huic expeditioni aderāt. M. Buamundus Vviscardi filius ex Normānica matre patrem iuuabat, partem exer-D citus ab absente patre prouido regimine ducebat; & in omnibus prudenter agēs, futuræ virtutis specimē præstabat. Rogerius autē frater eius, cognomento Bursa, iussu patris in Apulia remanserat, & Ducatū sibi ex hereditate matris debitū custodiebat.

ALEXIVS Imperator Dirrachianorum planctu excitus ingētem exercitū aggregauit, & obsidētes vrbē suā terrestri naualíque prælio cōterere sategit. Interea dū Augustales veredarij vndique mitterentur, & cohortes bellatorū de Insulis maris & de adiacentibus Prouinciis contraherentur, quadā die M. Buamūdus cū quinquaginta militibus pabulatū perrexit, & quingentis militibus, qui obsessis adminiculaturi exercitū expediti præibant, forte obuiauit. Mox vt sese mutuo viderunt, verè certamen inierunt. Porro Danai Normannorum impetum non ferentes terga verterunt, multásque manubias amiserunt. Tunc æream crucem perdiderunt, quam Constantinus Imperator pugnaturus cōtra Maxentiū, visa cruce in cœlo, fecerat. Redeūtes itaque de cōflictu Normanni gaudiū ingens & victoriæ spē sociis intulerūt. Pelasgi autem grauissimū dolorem, & diffidentiā pro amissa Cruce Domini habuerūt, quā

GVILLELMVS II. 1084. maximo auri talento redimere multùm laborauerunt. Verùm Vuiscardus talem mercatum agere indignum duxit, quia æs in cruce pro virtute Christi pretiosius omni auro ęstimauit. Hanc itaque crucem secum in multis periculis portauit, quam post mortem eius Cœnobium sanctæ Trinitatis Venusiæ reuerenter vsque hodie custodit, & cum aliis Sanctorum pignoribus excolit. A

MENSE Octobri Alexius Imperator Dyracio appropiauit, & legiones suas ex multis nationibus accitas ad bellum ordinauit. Deinde commisso prælio, magna sanguinis effusio facta est, & ingens detrimentum vtrique parti sæuo Marte furente collatum est. Denique fidelem paucitatem, & instantiam Occidentalium peregrinorum Dominus de cælo respexit, eísque victoriam concessit; copiásque Orientales, quæ in virtute sua confidebant, terruit, & cum dedecore fugauit. Deinde Robertus Dux tam nobili triumpho exhilaratus Dyracium reliquit, longiúsque cum exercitu suo progressus, in Bulgaria hiemauit. Regionem enim circa Dyracium obsidione trium mensium deuastauerat, & nihil ibi vnde homines vel equi subsistere possent dimiserat. B

TVNC Legati Romanorum ad Robertum Ducem cum litteris Apostolicis venerunt, eúmque suppliciter salutantes dixerunt: GREGORIVS Papa, ô strenuissime Dux, vt Pater, filium te humiliter & obnixè obsecrat, vt Apostolicæ Sedi festinanter inuincibilis tua probitas subueniat, nec vllam huic subuentioni pro amore Dei excusationem præponat. Henricus enim Alemannorum Rex Romam obsidet, & Papam cum Clero sibi adhærente in arce Crescentis inclusum coërcet. Ibi nimirum Papa circumseptus cum turma fidelis populi, timet defectione Quiritum, qui nimis cupidi sunt & versipelles, deludi, & manibus inimicorum tradi irreuerenter. Ad te igitur ab illo missi sumus, celerémque opem tuam ad tantam necessitatem requirimus. Fortitudo tua super omnes inimicos tuos diuinitus sublimata est, nec ei mortalis manus resistere potest, quamdiu Deo militaueris, & Vicario sancti Petri Principis Apostolorum obedieris.

HIS auditis magnanimus Heros valde anxiatus est. Nam venerando Papæ à proteruis leonibus profligato, sicut Petro in carcere Herodis succurrere desiderat, & exercitum suum, quem numero paucissimum inter multos hostes & callidos atque atroces computat, in terra aliena sine duce velut agnos inter lupos relinquere vehementer hæsitat. Tandem erectis luminibus mentis ad Dominum, à quo omne bonum procedit, conuocatis agminibus suis cum Buamundo filio suo ait: Semper obsecundare Deo, qui per communem Ecclesiæ Catholicæ Pastorem alloquitur nos, oportet. Auxiliante Deo, iussioni Papæ obediam, & quàm citiùs potero, ad vos redire satagam. Interea vos prudenter in hac Prouincia requiescite, & inter hostes vndique circumspecti estote. Si quis pręsumpserit bello vos impetere, in virtute Dei viriliter resistite. Vos tamen cauete ne bellare incipiatis, nec occasionē præliandi hostibus detis, neque indigenas quousque regressus fuero lacessatis. Iniunctā mihi à Domino seruitutē inibo, & si vita comes fuerit celeriter redibo. Per animā Tancredi patris mei iuro, & hoc iureiurando vobis firmiter assero, quòd donec reuersus ad vos fuero, nō vtar balneo, barba mea nō radetur, neq; cæsaries mihi tōsurabitur. C

POST hæc verba bellicosus miles cum paucis commilitonibus mare mox ingressus est, Deóque ducente in Apuliam profectus est. Et indè assumptis armatorum cœtibus Romam aggressus est. Porro Henricus Imperator vt veraci rumore comperit, quòd Rodbertus Dux Constantinopolitanum Imperatorem superauerit, ac ad subuentionem Papæ quasi fulgur cum nimio impetu ex improuiso aduenerit; variis euentibus sollerter consideratis valde timuit. Iamque facta cum quibusdam Romanorum Proceribus pace, partem vrbis recepit, ac postmodum Occiduas regni sui partes repetiit. Maluit quippe sanus & liber honestè discedere, quàm furibundum agonothetam expectare, & repentini certaminis inuolui turbine. D

DVM tam graues tumultus, & tot bellorum tempestates in mundo sæuirent, & regna terrarum vt puppem inter pelagi fluctus agitarent, venerabilis Robertus Abbas sanctæ Eufemiæ, postquam de bello Dyraceno in Calabriam rediit, veneno, vt fertur, in esca sumpto II. Kal. Decembris ægrotare cœpit. Nam quidam genere Saracenus arte pistoria Brixensi Cœnobio seruiebat. Hic sororem Vuillelmi Prioris filij Ingrāni in matrimonio habebat, & pro quadam latenti causa, satísque parua,

A occultum contra Abbatem odium gestabat. Vnde instinctu diaboli ferculum eius veneno corrupit, imitatus Ismaëlem patrem suum, qui ferali ludo simplicem Isaac grauare studuit. Deinde vir Dei Monachis lugentibus XIII. diebus æger iacuit, datáque confessione, sanctáque sumpta communione II. Idus Decembr. obiit. In Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ, quam ipse à fundamento construxit, sepultus est; & per singulos annos anniuersarius dies reuerenter celebrari ob memoriam eius constitutus est. Hoc libenter agitur à Monachis, quos ipse in domo Dei vt pater filios educare molitus est. Pauperibus quoque vberem eleemosynam ipso die pro defuncto Pastore largiri mos est. GVILLELMVS II. 1084.

APPROPINQVANTE Vviscardo turgentes Romani conueneruntt, & quòd ab aduenis persecutoribus caput orbis impugnaretur indignum duxerunt. Multis igitur hortatibus animati, cum armis obuiam processerunt. Sed statim à Normannis in re militari nimis obduratis, facto impetu, repulsi sunt. Deindè victores ciuibus mixti fugientibus vrbem intrauerunt, iussúque feruidi Ducis ignem tectis iniecerunt. Sic Vviscardus ferro & flamma sibi aditum Romæ patefecit, nec vllus ciuium postea contra eum mutire ausus fuit. Deinde peruenienti ad turrim Crescentis Papa cum Clero obuiam exiit, pro labore & subuentu gratias egit, pro obedientia à reatibus absoluit, & æternam ei à Deo benedictionem peroptauit.

POST alternam Heroum collocutionem, post depromptam à Papa querelarum relationem, iratus Dux subintulit huiuscemodi comminationem: Romani ciues « pessimi sunt & infidi, Deóque & Sanctis eius pro innumerabilibus beneficiis sibi « collatis sunt & erunt semper ingrati. Roma, quæ mundi caput, & peccatorum me- « dicina olim dicta est; nunc habitatio draconum, & totius nequitiæ fouea facta est. « Hanc igitur speluncam latronum ferro seu flamma destruam, sordidos nefariósque « habitatores eius perimam. Persecutionem in Episcopum, quam Iudæi cœperunt, « Romani pertinaciter perficere conati sunt. Nónne sicut Iudæi Christum crucifixe- « runt, sic Romani membra Christi Petrum & Paulum martyrizauerunt? Quid dicam « de Lino & Cleto, Clemente & Alexandro, Sexto & Thelesphoro, Calixto & Vr- « C bano, Cornelio & Fabiano? Omnes hi Pontificali cura mederi languentibus studue- « runt, & à propriis ciuibus, quos saluare nitebantur, iniuriosè perempti sunt. Denique quid referam de Sebastiano, quem sagittatum in cloaca suspenderunt gumfo? « Quid de Laurentio, quem crati ferreo imposuerunt, & prunis subpositis vt piscem « assauerunt? Quid de Hippolyto, quem alligatum equis indomitis discerpserunt? « Quid de Hermete, Tiburcio, Zenone, Valentino, aliísque Sanctis, quorum nume- « rus humanæ notitiæ est incomprehensibilis? Fama refert, & adstipulatur assertione « multorum, quòd tota Roma perfusa est precioso cruore Martyrum, & in latrinis « Romanorum innumera latent corpora Sanctorum. Eadem crudelitas, quæ tunc « grassabatur in paganis, nunc debacchatur in falsis Christianis, qui cupiditate illecti « fauent profanis, & contra Catholicam Ecclesiam auxiliantur hæreticis insanis. « Nulla igitur pietas eis impendenda est. Vltore gladio impios puniam, cruentam ci- « uitatem igne succendam, & trans-Alpinis gentibus replendam, opitulante Deo, « meliorem restituam. «

TVNC Papa ad pedes Ducis corruit, lacrymísque profusus ait: Absit hoc à me, « D vt Roma destruatur pro me. Non enim ad destructionem vrbis, sed ad saluationem « electus sum plebis. Malo Dominum nostrum Iesum Christum morte sequi, quàm « peccatoribus punitis iniurias meas nequiter vlcisci. Creatori quippe nostro con- « trarij sunt, qui statuta eius dispiciunt, & ordinem Ecclesiæ truculenter impediunt, « Dominicúmque gregem vt lupi rapaces dispergunt. Ipsius nimirum est iniuria & vl- « tio, seruitus quoque & retributio. Nouit pios clientes, & abhorret aduersarios fu- « rentes. Eius igitur omnipotentiæ nos & nostra commendamus, & corde beniuolo « exoramus, vt legi sacræ aduersantia censorio ense rescindat, & nos ad beneplacitam « voluntatem suam dirigat. «

SIC iratum Ducem Papa leniuit, acceptóque consilio de turre Crescentis cum Clero sequaci exiuit, & comitante Duce cum valida manu ductus Albam adiuit. Hanc itaque vrbem Ascanius Iulius Æneæ filius condidit, & Constantinus Augustus sancto Siluestro Papæ dedit. Dux autem Apostolica benedictione accepta, iter ad mare accelerauit, & trans Pontū cœtus suos festinanter, vt eis iurauerat, expetiit.

GVILLELMVS II. 1084.

INTEREA callidus Imperator Græcorum, vt Robertum adiisse Italiam cognouit, ratus quòd Normannos absente Duce destitutos debilitare posset; insurrexit, A multas cohortes adunauit, & inuitos ad bellum Normannos coëgit. Commisso autem prælio Normanni debiles in primis reperti sunt, & multis ex causis in initio certaminis territi, & penè victi sunt. Nam vt paucitatem sui, & absentiam fortunati Ducis, & multitudinem hostium perpenderunt, penè fugam ante pugnam inierũt. Sed cùm Buamundus in conflictu cum turmis suis vacillans trepidaret, & anxius Deum ex corde inuocaret; diuinæ pietatis auxilium affuit, & vox huiuscemodi de- » super intonuit: Buamunde, quid agis? Præliare fortiter. Nam ille, qui patrem tuum » iuuit, te similiter adiuuabit, si in illo confisus fueris, eique fideliter militaueris. Hac voce Normanni recreati & confortati sunt, & inantea progressi Pelasgos acriter impulerunt; quorum impetu Archiui repente repulsi sunt, & terga vertentes spolia multa indigentibus peregrinis dimiserunt.

REGRESSVS de Tuscia Vviscardus suos hac victoria sat hilares inuenit. Ipse B quoque tam nobili tripudio exultans Deo gratias egit. Buamundum verò, qui vulneratus fuerat in certamine, vt curaretur misit ad medicos Psalerniæ, quorum fama per orbem admodum diuulgata est excellentia medicinalis peritiæ.

PORRO Dyraceni dum Normannos perpendunt in Bulgariam longè progressos, pluresque Prouincias de Imperio Bizanteo militari manu adeptos, seséque ab auxilio Thracum, seu Macedonum, omniúmque affinium suorum penitus remotos, diffidentes mutuò sæpè tractant, qualiter siti nimis in arcto positi consulant. Tandem procaciores quid agant vicissim diffiniunt, Legatos ad Ducem clam mittunt, pacem poscunt; & quòd azylum vrbis satellitibus eius tradant veraciter promittunt. At ille quod postulant concedit, & CCC. milites ad recipiendam vrbem mittit. Noctu itaque venientibus Normannis ciuitas aperta est, quibus receptis pax inter vtrosque, & securitas firmata est.

SICHELGVADA vxor Roberti Vviscardi, filia erat Guaimalchi Ducis Psaler- C nitani, sorórque Gisulfi, qui Ducatu priuatus fuerat per auidam inuasionem sororij sui. Hæc Buamundum priuignum suum odio habebat, metuens ne per eum, quia fortior erat, & sensu multáque probitate pollebat, Rogerius filius suus amitteret Ducatum Apuliæ & Calabriæ, qui sibi competebat hæreditario iure. Vnde ipsa lethiferam potionem confecit, & Psalernitanis Archiatris misit, inter quos enutrita fuerat, & à quibus veneficiorum eruditionem perceperat. Protinus ipsi voluntatem dominæ & alumnæ suæ cognouerunt, & Buamundo, quem curare debuerant, virus mortis contulerunt: quo percepto ad mortem ægrotauit, patríque suo per nuntium languorem suum protinus intimauit. Callidus verò Dux dolos vxoris suæ su- » bitò animaduertit, ipsámque ante se tristis accersens, sic interrogauit: Viuitne Bua- » mundus Dominus meus? Quæ respondit: Nescio, Domine. At ille, Afferte, in- » quit, mihi textum sancti Euangelij, & gladium. Quibus allatis, gladium accepit, & » super sacra sic iurauit. Audis Sichelguada, per hoc sanctum Euangelium iuro, quòd » si Buamundus filius meus hoc morbo, quo detinetur, mortuus fuerit, hoc ense in- » terficiam te. Porro illa tali allegatione nimis territa, salutare antidotum præparauit, D & Medicis suis, per quos mortem parauerat, Psalerniam confestim transmisit nuncium, qui vt sibi periclitanti adminicularentur, blanditiis & precibus obnixis sollicitauit. Archiatri detectam fraudem, & angustiam herilem audientes, & in futurum ne terribiles minæ Ducis explerentur precantes, toto nisu iuueni, quem læserant, in omni exercitio Physicæ artis mederi certabant. Opitulante Deo, qui per eumdem Turcos, & Agarenos Christianæ fidei hostes comprimere decreuerat, æger conualuit. Sed in omni vita sua, præ veneno, quo infectus fuerat, pallidus permansit.

INTEREA versipellis & ingeniosa mulier multa secum reuoluebat, nimióque metu indesinenter stimulata considerabat, quòd si legatus suus ad transfretandum mare tardaret, & ægrotus ante aduentum eius emigraret, illa iuratam sibi mortem ense mariti non euaderet. Igitur aliam econtra tergiuersationem truculentam & omninò execrabilem excogitauit. Veneno virum suum, prô dolor! infecit. Protinus vt ille ægrotare cœpit, & ipsa de ineuitabili casu eius non dubitauit, conuocatis parasitis suis cum reliquis Langobardis noctu surrexit, & ad mare progressa naues

GVILLELMVS II. 1084.

A optimas cum omnibus suis intrauit, & omnes reliquas naues, ne Normanni eam persequerentur, incendit. Dum verò litus Apuliæ attigit, quidam miles de satellitio eius clam egressus Psalerniam noctu venit, & Buamundum festinanter aggressus, ait: Surge citò, & fuge, & salua te. Cúmque ille causam inquireret, nuntius respondit: Pater tuus mortuus est, & nouerca tua in Apulia est. Huc autem festinat venire, vt occidat te. Nec mora Buamundus tam graui rumore turbatus asinum ascendit, clam vrbem exiuit, ad Iordanum Capuæ Principem consobrinum suum cõfugit; à quo amicabiliter receptus, fraudes & minas nouercæ suæ euasit. Illa verò vt Psalerniam peruenit, & egresso quem quærebat, delusam se comperit, vehementer contristata est: & Rogerius filius eius cognomento Crumena, amplum citra mare Ducatum ex successione maiorum adeptus est.

VNDIQVE nimiis anxietatibus aggrauati sunt in peregrina regione Normanni, dum maximum ac strenuissimum Ducem suum vident muliebri dolo periclitari, & robur exercitus sui defectione Langobardorum, qui cum Domina sua clam discesserant, imminui; & se non posse in Italiam, quia naues eorum combustæ erãt, B sine graui mora & difficultate proficisci. Magnanimus itaque Dux Robertum Comitem Lorotelli, & Goisfredum de Conuersana nepotes suos, Hugonem monoculum de Claromõte, & Guillelmum de Grentemaisnilio, Odonem quoque Bonummarchisum sororium suum, aliósque cognatos procerésque suos ad se conuocauit, & quid acturi essent interrogauit. Cúmque omnes inter se mussitarent, nec certum quid proferrent, ait: Vltio diuina pro peccatis nostris nos percutit, & à nimiis cupiditatibus nostris nos reprimit. Iustè nos vt Dominus seruos suos verberat, & perspicuè quòd mundi gloria non sit appetenda, nobis nuntiat. Gratias illi pro omnibus, quæ nobis impertiri dignatus est, agamus, & vt nostri semper misereatur, toto corde appetamus. Ecce nos de pauperibus infimísque parentibus processimus, & sterile rus Constantini, vacuósque necessariis rebus Penates reliquimus, & profecti Romam cum magno timore vix pertransiuimus. Deinde donante Deo magnas & multas vrbes obtinuimus. Sed hoc non nostris viribus nec meritis, sed diuinæ ordinationi imputare debemus. Denique de Imperio Constantinopolitano pro reatibus indigenarum inuasimus, quantum potuimus in XV. peragrari diebus. C Optimè nostis, quòd in sui præsidium inuitatus sum à Michaële Imperatore, quem ciues sui de solio regni nequiter expulêre, quia filiam meam filio eius tradidi legitimè. Constantinopolim, quam possidet imbellis populus deliciísque seruiens & lasciuiæ, decreueram, si Deo placuisset, Catholicis pugnatoribus subiugare, qui sanctam Dei ciuitatem Ierusalem Turcis auferrent: Ethnicísque bello repulsis, Christianum Imperium dilatarent. Propter hoc desiderium tam magnum laborem, & tam periculosum agonem iniui. Sed hoc aliter ordinauit irreprehensibilis voluntas omnipotentis Dei. Dauid templum Deo Hierosolymis construere voluit, sed hoc à Solomone filio eius peragi cum ingenti tripudio Deus disposuit. Sic labor meus, vt autumo, futuris temporibus consummabitur, & fructus laboris quandóque manifestabitur, & incitamentum tantæ probitatis vtiliter posteris nostris propinabitur. Hinc igitur, ô viri fortes, sapiens consilium accipite, pristinámque virtutem vestram, quam in arduis & angustis rebus multoties expertus sum, perdere nolite. Vnus homo sum, ac vt reliqui mortalis. Vos autem multi estis, multísque charismatibus D largiente Deo vigetis. Famosa verò gesta, quæ longè latéque diuulgata sunt, vos fecistis; nec vmquam maiora à tam paucis & infimis hominibus leguntur in aliquibus historiis quàm iuuante Deo à vobis facta sunt. Fortiorem itaque & sapientiorem de vobis eligite, ipsúmque vobis Ducem constituite. Ne perdatis fœcundam tellurem quæsitam magno labore, sed paruo tempore. Buamundus filius meus, si vita & sospitate viget, quantotius vobis succurrere sataget.

HÆC & his similia Duce prosequente, Petrus Francigena aliíque contubernales, Ducis dicta subtiliter intuentes dixerunt: In hoc negotio, quod nobis imperas, ingens discrimen est, & maxima difficultas. Innumeri sunt hostes, & nos pauci sumus, nimiúmque nobis aduersatur Imperator potens & callidus, quem te cohibente grauiter in multis sæpè offendimus. Fortitudini eius, lataque potentiæ nequiuimus resistere. Multis enim dominatur regnis & nationibus. Vtinam ad domos nostras, vnde discessimus, cum pace & salute regredi valeamus!

GVILLELMVS II. 1084. His auditis Dux valdè ingemuit, Deúmque cum fletu inuocare, filiúmque suum sic lugere cœpit. Heu! me miserum tot infortuniis circundatum! Olim multis nocui, & iniustè multa peregi. Nunc simul mala inuenerunt me, quæ promerui longo tempore. Summe Deus, nunc parce mihi. Pie Deus, miserere mihi peccatori. Fortis Deus, succurre populo tuo, quem huc adduxi. Fili mi Buamunde, virtute & sensu Thebano par Epaminonde, vbi reperiam te? Nobilis athleta Buamunde, militiâ Thessalo Achilli, seu Francigenæ Rollando æquiparande, viuísne, an detineris pernicie? Quid tibi contigit? quid probitas tua deuenit? Quòd si sospes, qualem te dum Thusciam adirem dimisi, præsto adesses, opulentam Bulgariæ regionem armis nostris obtentam possideres. Scio namque quòd tanta, si viuis, strenuitate polles; vt si morti meæ diuino nutu interesses, ius quod bello adquisiui, iuuante Deo, nullatenus amitteres. Eia commilitones optimi, cautè vobis consulite, & quòd à laribus vestris valde remoti estis perpendite. Recolite quàm magna Normanni fecere, & quòd parentes nostri Francis & Britonibus, & Cœnomannensibus multoties restitêre, & fortiter vicere. Ad mentem reducite, quàm magna me Duce gessistis in Italia & Sicilia. Psalerniam & Barrum, Brundisium & Tarentum, Bismannum & Regium, Siracusam & Palernum, Cosentiam & Castrum-Ioannis, aliásque multas vrbes & oppida obtinuistis. Gisulfum quoque Psalernitanum Ducem, & Vvazsonem Neapolitanum Comitem, aliósque Principes fortissimos me Duce per Dei iuuamen superastis. Nunc igitur ne vilescatis amisso pristinæ magnanimitatis cognamine. Electione communi vnum ex vobis, vt dixi, Ducem constituite, vberésque Prouincias, quas iam nacti estis, insigniter vobis retinete.

Nvllvs eorum, qui rebus istis interfuere, ausus fuit Ducatum huiuscemodi suscipere, sed omnes de fugæ præsidio maluerunt cogitare. Deinde anno ab Incarnatione Domini MLXXXV. Robertus Vviscardus Apuliæ Dux insignis, nostrísque temporibus pene incomparabilis, facta confessione à peccatis mundatus, & salutaris Eucharistiæ perceptione munitus; non militari robore prostratus, sed liuore femineo corruptus, quo primus Adam est de Paradisi sede proiectus; non armis, sed veneno læsus, adueniente mortis hora mundo est sublatus. Quo defuncto, Normanni corpus eius sallierunt, & cum pace reditum in patriam suam ab Imperatore petierunt. Imperator verò, licèt lætaretur, quia liberatus à terribili hoste fuerat, defunctum tamen Ducem, qui numquam de bello fugerat, ex pietate multum planxit. Licentiam his, qui redire in Italiam vellent cum cadauere Principis sui, & omnibus suis, benigniter concessit. Aliis verò, qui secum remanere, sibique seruire vellent, larga stipendia pepigit. Bizantino extunc itaque fideliter famulati sunt, qui antea fortiter impugnauerant. Remeantes autem in Apuliam, corpus Ducis Venusiæ detulerunt, ibíque in Cœnobio sanctæ Trinitatis cum luctu magno sepelierunt. Venerabilis Berengarius Abbas, filius Vrualdi, filij Helgonis, eidem Monasterio præerat, quem Theodericus Archimandrita pius apud Vticum educauerat, & inde Robertus Abbas secum in Calabriam adduxerat. Deinde ab Alexandro Papa Venusiensi Monasterio Abbas consecratus est, atque post aliquot annos pro merito vitæ & sapiente doctrina ad Pontificatum præfatæ vrbis à Papa Vrbano promotus est.

Dvm furerent in orbe tempestates, quæ superiùs memoratæ sunt, quidam sortilegi Romanorum, quis in Papatu succederet Hildebranno, indagarunt: & quòd post transitum Gregorij, Odo Romanus Papa foret, compererunt. Hoc audiens Odo Præsul Bajocensis, qui cum fratre suo Guillelmo Rege Normannis dominabatur & Anglis, parui pendens potestates & diuitias regni Occidentalis, nisi iure Papatus dominaretur latiùs, & omnibus terrigenis; Romam misit, Palatium sibi emit, Senatores Quiritum magnis muneribus datis sibi amicitiâ copulauit, Palatiúmque suum multis sumptibus, & superfluis apparatibus exornauit. Hugonem Cestrensium Comitem, magnámque cohortem præcipuorum militum asciuit; vt secum in Italiam proficiscerentur obsecrauit, & ingentia precibus promissa prodigus addidit. Illi verò, quia Normanni leues & extera videre cupidi sunt, protinus præsumptori Episcopo, cui Principatus Albionis & Neustriæ non sufficiebat, assenserunt. Ingentes quoque fundos, quos in occiduis climatibus possidebant, deserere decreuerunt: ac vt præfato Præsuli trans Padum comitarentur, per fidem spoponderunt.

A APPARATVM huiusmodi prudens Rex Guillelmus edidicit, sed non approbauit; regnóque suo, multísque aliis valde nociturum æstimauit. Vnde festinanter in Angliam transfretauit, ac Odoni Episcopo cum grandi pompa nauigare in Normanniam cupienti, ex insperato in insula Vecta obuiauit. Ibi nimirum congregatis in aula Regali primoribus regni Rex ita locutus est. GVILLELMVS II. 1085.

EGREGII Proceres, verba mea diligenter audite, & salubre consilium mihi quæso tribuite. Antequam transfretassem in Normanniam, regimen Angliæ fratri meo Bajocensi Episcopo commendaueram. In Normannia multi contra me surrexerunt: &, vt ita dicam, inimici & forinseci me inuaserunt. Robertus filius meus, & tyrones quos enutriui, & quibus arma dedi, contra me rebellauerunt: eísque mei malefidi clientes & finitimi hostes gratanter adhæserunt. Verùm Deo, cuius seruus sum, me protegente, nil profecerunt: nec de meo aliquid, nisi ferrum in vulneribus suis obtinuerunt. Conglobatos in me Andegauenses paratus ad bellum terrore compressi, parique modo rebellantes Cœnomannos armis & viribus compescui. B His nimirum occupationibus vltra mare irretitus fui, ibíque diu moratus, publicis vtilitatibus laboriosè deseruiui. Interea frater meus Angliam vehementer oppressit, & Ecclesias fundis & redditibus exspoliauit, ornamentis ab antecessoribus editis nudauit; milítésque meos, qui contra Danos & Hibernenses, & alios hostes mihi nimis infestos Angliam tutari debuerant, seduxit, & trans Alpes in extera regna, me contempto, pertrahere disponit. Nimius labor cor meum angit, præcipuè pro Ecclesiis Dei, quas afflixit. Christiani Reges, qui ante me regnauerunt, Ecclesiam Dei amauerunt, honoribus & xeniis multi generis locupletauerunt: vnde nunc, vt credimus, in amœna sede felici retributione gaudentes requiescunt. Adelbertus, & Eduinus, ac sanctus Osvvaldus, Athulfus, ac Alfredus; Edvvardus senior, & Edgarus, cognatúsque meus & carissimus dominus Edvvardus, dederunt opes Ecclesiæ sanctæ, quæ est sponsa Dei. Et frater meus, cui totius regni tutelam commendaui, violenter opes diripuit, crudeliter pauperes oppressit; friuola spe milites mihi surC ripuit, totúmque regnum iniustis exactionibus concutiens exagitauit. Quid indè agendum sit cautè considerate, & mihi quæso insinuate.

CVMQVE omnes tantum virum timerent, & sententiam in illum proferre dubitarent, magnanimus Rex ait: Noxia temeritas semper comprimenda est, nec vni ad detrimentum Reipublicæ pro aliquo fauore parcendum est. Hunc ergo virum, qui terram turbat, comprehendite; & ne in deterius præualeat solerter custodite. Cúmque nullus in Episcopum auderet iniicere manum, Rex ipse primus apprehendit eum. Illo autem reclamante: Clericus sum, & minister Domini, non licet Pontificem damnare sine iudicio Papæ: prouidus Rex ait: Ego non Clericum nec Antistitem damno, sed Comitem meum, quem meo vice mea præposui regno, rationem commissæ villicationis audire volens comprehendo.

SIC regia potestas præfatum Præsulem cepit, in Normanniam deduci fecit, & in arce Rothomagensi incarcerauit: ibíque intrusum quatuor annis, id est vsque ad finem vitæ suæ diligenter custodiuit. Capite verò inquietudinis deiecto, militum motio conquieuit, inibíque Regis prouidentia regnum suum intus & extra D fortiter muniuit.

ECCE in hoc homine palam completum videmus, quod in Libro Mythologiarum dicit Fulgentius: Qui plus quærit quàm licet, minus erit quàm est. Præsulatus Bajocensis & Comitatus Cantiæ ingentibus casis abundans, & per totam Angliam atque Normanniam Regia potestas cum propria communis vni Clerico non sufficiebat, qui vniuerso mundo præferri satagebat: quem ad hoc non cogebat diuina assumptio, nec Canonica electio, sed insanabilis cupiditatis immoderata præsumptio. Ergo quod habebat perdidit, & inclusus gemuit, exemplúmque posteris ne honoribus inhient dereliquit.

HIS temporibus Indictione VII. Mathildis Regina Anglorum ægrotauit, diutina infirmitate anxia reatus suos cognouit, & obnixè defleuit, omnibúsque ritè peractis, quæ mos Christianus exigit, salutari sacramento munita III. Non. Nouembris obiit. Deinde corpus eius ad Cœnobium sanctæ Trinitatis, quod ipsa Sanctimonialibus apud Cadomum construxerat, delatum est, & ab Episcopis & Abbatibus multis inter chorum & altare venerabiliter tumulatum est. Exequias eius ce-

GVILLELMVS II. 1085. lebrarunt Monachi & Clerici cum pauperum agmine, quibus ipsa viuens frequenter profuit in Christi nomine. Memoriale eius super ipsam ex auro & gemmis mirificè constructum est, & Epitaphium huiusmodi literis aureis comiter exaratum est. A

Egregiè pulchri tegit hæc structura sepulcri
Moribus insignem, germen Regale, MATHILDEM.
Dux Flandrita pater, huic extitit Hadala mater.
Francorum gentis Roberti filia Regis,
Et soror Henrici Regali sede potiti.
Regi magnifico Vvillermo iuncta marito,
Præsentem sedem, præsentem fecit & ædem,
Tam multis terris quàm multis rebus honestis
A se ditatam, se procurante dicatam.
Hæc consolatrix inopum, pietatis amatrix,
Gazis dispersis pauper sibi, diues egenis.
Sic infinitæ petiit consortia vitæ,
In prima mensis post primam luce Nouembris.

B Cadomense Cœnobium sanctæ & indiuiduæ Trinitati dicatum Mathildis Abbatissa per annos XLVII. strenuè rexit, atque Ceciliam Regis filiam, aliásque plures in Dei famulatu sollertes educauit, & regulariter instruxit. Qua defuncta, nobilis Cecilia successit, & pluribus annis tempore fratris sui Henrici Regis officium matris gessit. Deinde filia Vvillermi Consulis filij Stephani Blesensis regimen eiusdem Ecclesiæ suscepit, sed immatura morte præuenta paruo tempore tenuit.

POST obitum gloriosæ Mathildis Reginæ, Vvillelmus Rex penè IV. annis, quibus superuixit, multis procellis tribulationum contra eum insurgentibus vehementer laborauit. Nam quidam Cœnomanensium, qui quasi naturali semper inquietudine agitantur, & mobilitate sua pacem turbant, ipsíque turbantur, contra Regem Vvillermum arma sumpserunt, sibíque multísque aliis dispendia magna procurauerunt. Hubertus enim Vicecomes gener Vvillermi Niuernensis Comitis quibusdam paruis occasionibus Regem priùs offendit; sed postmodum in maius crescentibus, castra sua Bellummontem & Fredenaicum reliquit, & cum vxore sua, omnibúsque suis ad castrum, quod sancta Susanna vocatur, vt publicus hostis secessit. Istud nempe municipium, ad quod confugit, super Arna fluuium situm est, in ardua rupe, in confinio Cœnomanensium & Andegauensium. Illuc militarem manum sibi accersiit, & Normannis, qui Cœnomanensem pagum tutari conabantur, damna damnorúmque formidinem non segniter intulit. Erat enim nobilitate clarus, sensuum probitate præcipuus, ingenti virtute & audacia feruidus, & pro his insigniis longè latéque famosus. Custodes autem Cœnomannicæ vrbis, & circumiacentium oppidorum infestationibus Huberti frequenter lacessiti sunt; Regíque Vvillermo querelas infortunij sui retulerunt, & ab eo auxilium poposcerunt. C

REX igitur exercitum Normannorum actutum asciuit, partémque Cœnomannorum qui sibi cohærebant, accersiuit, & hostilem patriam cum valida manu adiuit. Sed castrum sanctæ Susannæ, quod inaccessibile erat præ rupibus & densitate vinearum, quibus circumdabatur, obsidere nequiuit; nec hostem, qui intus erat, ad libitum coartare valuit, quia fortiter sibi procurabat, & amplos aditus habebat. Rex itaque quoddam municipium in valle Beugici construxit, ibíque magnam militum copiam ad arcendum hostem constituit, Ipse verò pro magnis regni negotiis in Neustriam rediit. Regis familia, cui Alannus Rufus Britonum Comes præerat, diuitiis, epulis, ac bellicis sumptibus præstabat. Sed castrensis cuneus eis virtute & multitudine æquiparari satagebat. Nam de Aquitania & Burgundia, alíísque Prouinciis Galliæ probati milites ad Hubertum conuolabant, eíque totis nisibus auxiliari, suámque probitatem ostentare feruenter optabant. Vnde factum est, vt de detrimentis Beugicorum Suzannense castrum ditaretur, & quotidie ad resistendum magis magísque confortaretur. Multoties opulenti Normannorum & Anglorum Proceres capiebantur, quorum redemptionibus Vicecomes, & Robertus Burgundio, cuius neptem in coniugio habebat, alíique adiutores sui honorificè ditabantur. Sic tribus annis Hubertus Normannis restitit, & inimicorum opibus locuples inuictus permansit. D

A permansit. In hac guerra Robertus de Veteri-ponte, & Robertus de Vxeio, aliique egregij Normannorum milites, multúmque lugendi, occisi sunt. Nam XIV. Kal. Decembris dum Normannica cohors impetum in hostes faceret, quidam puer imberbis, qui secus viam inter vepres absconditus erat, sagittam emisit, & Richerium de Aquila Engenulfi filium lethaliter sub oculo percussit. Furentes autem socij concurrerunt; & puerum statim comprehenderunt, atque pro vindicta nobilissimi Baronis occidere voluerunt. Sed moriens Richerius ei subuenit. Nam dum vellent eum iugulare, vulneratus quanto potuit conatu exclamauit: "Sinite illum pro amore Dei. Peccatis meis exigentibus sic debeo mori. Mox dimisso percussore, lugendus heros peccata sua sodalibus suis confessus est; & antequam vrbem adduci potuisset mortuus est. Deinde corpus eius delatum est ad quoddam Monachorum Monasterium, quod Engenulfus pater eius in sua possessione construxerat in honore sancti Sulpitij Præsulis Bituricensium; ibique cum ingenti luctu parentum & affinium tumulatum est à Gisleberto venerabili Episcopo Ebroicensium.

GVILLELMVS II. 1085.

B MERITO vir iste à notis plangebatur, quia multis bonis in vita sua decorabatur. Erat enim corpore fortis, pulcher, & agilis, in lege Dei fidelis, religiosis hominibus supplex & humilis: in negotiis verò seculi cautus & facundus, & in omni conuersatione sua tranquillus & dapsilis. Hic habuit coniugem Iudith filiam Ricardi Abrincatensis cognomento Goz, sororem scilicet Hugonis Cestrensium Comitis; ex qua genuit Gislebertum Aquilensem, & Engenulfum, & Mathildem, & alios plures filios & filias. Gislebertus autem solus, aliis decedentibus, paternæ probitatis & honoris hæres successit, & Iulianam strenuissimi Comitis Mauritaniæ Goisfredi filiam coniugem duxit, quæ Richerium, & Engenulfum, ac Goisfredum, & Gislebertum peperit; quorum duo medij cum Vvillelmo Adelino Henrici Regis filio, aliisque multis nobilibus VII. Kal. Decembris naufragio perierunt. Mathildis autem potenti viro Roberto de Molbraio Comiti Nordanhumbrorum nupsit, qui eodem anno contra Vvillelmum Rufum Regem Anglorum rebellauit. Sed paulò pòst captus, ferè XXXIIII. annis in carcere præfati Regis, & Henrici fratris eius sine prole consenuit. Nunc ad rem, vnde parumper digressus sum, remeabo.

MENSE Ianuario Guillelmus de Vvarenna, & Baldricus de Chitreio Nicolai C filius, atque Gislebertus de Aquila, cupiens mortem Richerij fratris sui vindicare, cum valida manu Normanorum impetum facere super oppidanos conati sunt. Sed nihil præter ferrum in vulneribus suis lucrati sunt. Tunc Guillelmus Ebroicensium Comes captus est, & Machiellus de Guitot filius Godefridi Parui lethaliter vulneratus est. Deinde à lugentibus armigeris & commilitonibus ad hospitium suum reportatus est, & mox accersito Sacerdote reatus suos confessus est, & sacro viatico communitus, obitúmque suum præstolari præparatus est.

NORMANNI, qui munitionem in valle Beugici custodiebant, grauibus damnis afflicti, & fortissimorum ensibus tyronum imminuti, deteriora adhuc sibi formidabant. Et quia Hubertum nec probitate, nec felicitate superare valebant, mutato studio consilióque ad Regis amicitiam eum reuocare tentabant. Ille nihilominus, licèt in hac guerra diuitiis ac potestate admodum esset corroboratus, serenæ pacis securitatem præoptans, prudenter annuit sequestrorum conatibus. Nec mora Legati ad Regem in Angliam missi sunt. Rex autem vt Herueum Britonem, quem D Magistrum militum constituerat, & Richerium, aliósque pugiles acerrimos interiisse audiuit, suúmque aduersarium felici fortuna prouehi, quotidiéque contra se confortari comperit, nimia procacitate in deteriorationem præcipitari res suorum præcauit. Prudenter igitur omnes præteritos reatus Huberto indulsit. Ille autem accepta securitate ad Regem transfretauit, & facta inter eos amicitia omne paternum ius honorificè recepit. Normanni & Cenomanenses gaudebant, qui quasi triennio conflictu multipliciter vexati fuerant. Deinde quandiu Rex Vvillelmus vixit, præfatus heros ei fidus extitit, honorémque suum libertate plaudens gratante tenuit, filiisque suis Radulfo & Huberto moriens dimisit.

HIS temporibus militiam Anglici regni Rex Vvillelmus conscribi fecit, & LX. milia militum inuenit, quos omnes dum necesse esset, paratos esse præcepit. Nam Chunutus iunior Rex Dacorum ingentem classem tunc parabat, & in Angliam,

GVILLELMVS II. 1086. quam parentes sui, Suenus & Chunutus olim sibi subiugauerāt, venire & ius suum repetere disponebat. Erat enim ante Deum pietate deuotus, inter homines potētia magnus, multarúmq; probitatū laude dignus. Hic nimirū minis & apparatibus suis Normannos, qui Angliam incolebāt, terruerat. Sed variis euentibus impeditus, viuente Notho Rege ad effectū non attigerat. Regnante autem Vvillelmo iuniore, dum multæ naues paratæ in littore starent, idoneóq. vento iam flante, in Angliam nautæ per naues armatum exercitū collocarent; Rex Chunutus velle Dei exploraturus Ecclesiā intrauit, ante altare humiliter procubuit, Deúmque vt iter suum secundum beneplacitā voluntatē suam dirigeret, cum lacrymis orauit. Deinde frater eius templum ingressus est, qui dum Regem solum ante aram prostratū prospexit, cogitare cœpit quàm magnus labor, & quàm graue periculum tot millibus per vnum hominē immineret; & si idem auferretur, cita veheménsque mutatio fieret. Nec mora gladiū abstraxit, & orantis Regis caput abscidit, statimq. in exilium aufugit. Porro tam tristi nuntio mox exercitus dispersus est, & ad propriū vnusquisq. negotiū reuersus est. Denique Seniores populi Calomanoth fratrem Regis, parricida exulante, Regē constituerunt. Corpus verò Chunuti Regis honorificè in basilica sepelierunt, ad cuius tumulū multa miracula diuinitus facta sunt. Ibi grande Cœnobium Monachorū constructū est, & Monasticus Ordo, sicut in Anglia apud Coueshamium seruatur, regulariter constitutus est. Inde nimirum primi Monachi Danos adierunt, & Cœnobiale ius, barbaris mirantibus, diligenter ostenderunt.

A

B

MERITO præfatus Rex à Monachis, aliisque religiosæ vitæ viris honoratur. Primus enim ritus gentis suæ, quæ neophyta nimiúmque effrenis erat, correxit, & Metropolitanas Sedes, & Episcopales, secundum scita Canonum construxit, Monachósque, qui prius inuisi & incogniti Danis erant, accersiit, & opportunæ habitationis locum in regno suo liberaliter eis delegauit.

1087. ANNO ab Incarnatione Domini MLXXXVII. Indictione X. nono die Maij, corpus sancti Nicolai Archiepiscopi & Confessoris de Myrea in Barum translatum est. Quam translationem, qualiter & à quibus facta sit, Ioannes Archidiaconus Barensis Ecclesiæ luculenter describit. Ex eius dictis libet parumper decerpere, & mentionem tam gloriosæ rei huic Opusculo inserere ad notitiam studiosorum, qui nondum dicta Ioannis vidêre; si fortè contingat vt istud dignentur inspicere. C

TEMPORE Alexij Imperatoris Turci, aliique Paganorum populi rabiem suam exercere volentes fines suos exierunt; Deóque permittente, Lyciam aliásq. regiones Christianorum depopulati sunt, Ecclesias propter peccata Christianæ plebis destruxerunt, cruces & imagines Christi atq; sanctuaria multis modis violarunt, & multas vrbes cum ciuibus suis incendio tradiderunt. Sic per multos annos debacchati sunt, & innumeras strages Christianorum peregerunt.

MYRREA itaque metropolis Lyciæ Turcorū dominio subacta est, propriisque ciuibus peccatis eorum exigentibus euacuata est. Barenses autē, qui tribus cum nauibus Antiochiā negotij causâ proficisci disposuerūt, vt Myrreū lætantes ad tentorium accesserunt, peregrinū quendā ad basilicā B. Nicolai, quæ in castro est, exploraturū præmiserūt, qui rediens multos Turcorū renunciauit adesse, & ad exequias Principis castri, qui defunctus ibidē iacebat, cōuenisse. Quo audito, Barēses carbasa expanderunt illico, versus Antiochiā proras ratium direxerunt, paucísq. diebus secundo cursu Myrram adierunt. Ibi nauem Veneticorū inuenerunt, & de pluribus, vt mos est, mutuo percunctari cœperunt. Erant enim de Barensib. quidā Veneticis noti & amici, qui cœperunt de corpore sancto alternatim cōfabulari. Venetici autē quod dudum conceperant animis, non dubitauerunt edere verbis. Palos quoq. ferreos, & malleos se habere præparatos cōfessi sunt, & quia tentare deberent consiliū habitū, illic prandere non distulerūt. Quod cùm audissent Barini, ad hoc incipiendū & perficiendū maiori desiderio sunt accensi, non tam sui pro gloria & honore, totiúsq. patriæ magnitudine, quàm pro tam excellētissimi Confessoris amore. Negotiū igitur, ob quod Antiochiā ierant, expleuerunt, & inde quātociùs ducēte Deo remeauerūt. Cùm verò prosperè Mirrense ad littus appropinquarēt, iámq; à priore deficientes ardore vltra transire vellent, imperāte Deo contrarius ventus à Boreali parte surrexit, nautásque Barinos austro quiescente ibi remorari coēgit. Voluntatē itaq; Dei intelligentes, arma continuò comprehenderunt, paucósq; qui rates inte- D

A rim custodirent acie facta relinquunt: & reliqui muniti & prouidi, velut hostibus obuiarent festinant ad Ecclesiam ire, quæ longè quasi spatio trium milliariorum erat à littore. Denique claustrum Ecclesiæ introeunt, arma deponunt, ædémque sanctam humiliter subeunt, sanctúmque Præsulem flagitare satagunt. Finitis verò singulorum precibus, cœperunt æditúo percunctari, vbi iaceret corpus sancti Nicolai. Qui mox locum ostendunt, & de liquore sancto extrahentes illis tribuunt. Tunc Lupus Barensis Presbyter de oleo sancto in vitrea ampulla suscepit, ipsámque in alto, vt ibi tutiùs seruaretur, ponit: quæ casu, dum loquerentur, pauimentum super marmoreum cecidit, sed illæsa non sine admiratione omnium permansit. Porro Barenses cum tribus Monachis, qui ad custodiendas reliquias relicti erat, quasi attemptantes colloqui cœperunt: Volumus hinc sanctum corpus tollere, " nostrámque ad patriam transportare. Hac enim pro causa Romano missi à Pontifice venimus, tribus aduecti nauibus. Si consentire nobis hoc volueritis, dabimus vobis de vnaquaque puppi centum aureos solidos. "

GVILIELMVS II. 1087.

B Avdientes autem hæc Monachi, statim stupefacti & pauidi dixerunt: Qualiter hoc audemus incipere, cùm nullus mortalis hactenus hoc voluerit impunè tẽptare? Quis temerarius tanti commercij esse poterit emptor vel venditor? Quæ tam pretiosa res & admirabilis tanto thesauro comparabitur? Si Domini terrarum non temerariè, sed precibus & supplicationibus istud non inchoare temptauerunt, qualiter vos valebitis operari? Sinite ergo amplius tantum nefas prosequi, quia diuinæ placitum non est Maiestati. Tamen probate, ecce locus. Hoc dicentes, non posse fieri putabant, quod illi volebant. Nam ferè cc. Olympiad. curricula transierant, ex quo B. Nicolaus, qui in Nicæna Synodo sub B. Siluestro Papa & Constantino Principe facta fuisse legitur, de mundo migrauit, nullúsque de reliquiis eius vel occultè furari, vel manifestè viribus rapere, vel à Domino precibus valuit hactenus impetrare. Barenses verò pauebant, quia in extraneo loco pauci intèr multos erant, & Sol ad occasum vergebat, reditúsque ad naues formidabilis erat. Sed hi diuinitus confortati, primò Monachos comprehendunt, tentósque sollerter custodiunt. Speculatores quoque cautiùs exponunt, qui vndique veniẽtes prospiciunt. Et ipsi hinc
C & indè cum armis diuisi per tramites stant. Audacter itaque probissimi iuuenes xl. & iv. foris ad resistendũ parati stãt, & duo Presbyteri Lupus & Grimoaldus cũ paucis aliis in Ecclesia quæ agenda sunt procurant, & preces, quæ Letaniæ vocãtur, inchoant. Sed nimio timore correpti quod inchoarãt, clariùs exprimere nõ poterant.

Interea Mathæus vnus ex nautis ferreum viriliter malleum arripuit, marmoreum pauimentum percussit, & fregit, sub quo cæmentum reperit, quo diminuto & eiecto, vrnæ dorsum marmoreæ statim apparuit. Hinc ergo exorta lætitia magis magísq; infodere, veterémq. iuncturam calce colligatam quadã cum asciola rumpere ac dissipare, fragmẽtáq. non tardabant eiicere. Quibus eiectis foris, piláq. detecta, & à præcedente iuuene malleo percussa, vnóque in latere fracta, fragrantissimus odor exiit, qui mira eos qui aderant delectatione suauitatis impleuit. Porro præfatus iuuenis manum misit, nimiũque liquorẽ adesse primò sensit, quo vrna eadẽ, quæ non parua, plena quasi vsque ad mediũ videbatur esse. Deinde dexteram immersit, pretiosissimumq. thesaurum, quem summo desiderio quærebat, inuenit, celeriterque
D impauidus extrahere cœpit. Deniq. pro capite quærẽdo totus in multitudinẽ liquoris intrauit, & pedib. ac manibus, vt necesse erat, caput hinc inde requirens inuenit, ac demũ de salutifero latice vestibus & toto corpore madefactus exiuit. Hoc itaque post obitum sancti Nicolai ferè post dccc. annos, xii. Kal. Maias actum est.

Deinde quia loculus deerat, ac res inopinata tã citò euenerat, Barẽses reliquias tunica Lupi Presbyteri prout poterãt inuoluerũt, ipsũmque Lupũ ferẽtẽ sacrũ onus statim omnes secuti sunt. Laudantes itaque Dominum pro sanctissima præda, quam non de hostibus, sed Dominico de gazophylacio sumpserant, ad littora maturabãt. Frusta quoque de marmorea vrna, quam ruperunt, quidam asportauerunt, ex quibus à multis Pontificibus per Italiam multa altaria tabulæque temerariè cõsecratæ sunt. Ad portum autem vt conuenere, orta est contentio, in cuius naui mitteretur onus desiderabile. Optabant enim secum omnes tantum sodalem & patronum habere. Omnibus tãdem pacificè placuit, vt Mathæi nauis illud veheret, si tamen ipse prius iureiurando de bona societate fidem illis faceret. Quod ita factum est.

GVILLELMVS II. 1087.

RATEM itaque læti ascendunt, reliquias alio panno nouo & candido inuoluunt, & in vasculo ligneo, quo nautæ sibi temetum seruare solebant, recondunt. A De dolore verò Mirrensium pro damno sibi facto, dum notum illis factum est, multa referre necesse non est. Nam vt huiusmodi famam incolæ Mirrei castri, quod non longiùs milliario vno ab Ecclesia in monticulo quodam situm est, audiunt; vndique velociter concurrunt, irati nimium ac tristissimi ad littora tendunt, raptóque de Pastore Dominóque lugentes, crines & barbas euellunt, & conclamantes lugubre Carmen depromunt.

Tempore quid miseris, heu! nobis accidit isto?
Quod patriæ nostræ dedecus aspicimus?
Munera namque Dei multos seruata per annos
Iam facili rapto perdidimus subito.
Hactenus hoc fuerat Lyciæ ditata superno
Thesauro tellus, ac decorata nimis.
Laudibus eximiis totum celebrata per orbem,
Et munita Patris magnanimi meritis:
Infelix Mitrea tuis spoliata manebis B
Cultibus & donis, mœstáque semper eris.
O Nicolae Pater, toto venerabilis orbe,
Cur patriam nostram deseris, immò tuam?
Hîc genitus fueras, sanctísque parentibus altus,
Hic puer & iuuenis, virque senéxque pius.
Hic Pater & Dominus, Pastor custósque benignus
Hactenus hac patria viuus & exanimis.
Qualibet hanc miseram quoties aduersa premebant,
Auxilium petiit mox, Pater alme, tuum.
Rebus in aduersis aderas spes vna salutis,
Munimen tribuens supplicibus populis.
Quorum tunc precibus præsens venerande fauebas,
Votáque suscipiens, quæque rogata dabas.
Vndique currebant cunctis è partibus orbis C
Ad sacrum tumulum sæpè salutiferum.
Nouerit, heu! vacuum simul hac quod turba fidelis,
Omnis cessabit cultus, & omnis honor.
Munera quippe Dei deerunt, & gratia prima
Historiæ solùm nomen erit veteris.
Pastor, oues proprias cui nos committis alendas,
Te linquente gregem mox lupus adueniet.
Virtus, solamen nostrum, decus omne, leuamen,
Tu spes vna, salus, causáque lætitiæ.
Væ nobis miseris! hæc omnia perdimus: at nos
Hinc subit & luctus, perpetuúsque dolor.
Heu! cui tale nefas fuit hac permissa potestas
Efficere, & tantum sic violare locum?
Et male tractauit cuius temeraria dextra? D
Fecit & hoc furtum quis modo sacrilegus?
Sed fortunati, qui prædam fertis opimam,
Nos infelices occupat omne malum.

Mirreis itaque nimium lugentibus, luctúmque suum vlcisci non valentibus, læti Barenses celeriter rudentes exoluunt, & remigantes nocte illa Insulam, quæ Cacabum dicitur, adeunt, & indè Maiestras ad Insulas profecti sunt. Hinc verò discedentes nimia cum festinatione remorum, ad loca vbi Macri dicũtur applicuerunt, ibíque triduo propter Boream sibi contrarium permanserunt. Vnde nimium turbati sunt, & dubitare vtrúmne corpus sancti Nicolai secum haberent, an ipse ab eis vltra ferri vellet, cœperunt. Tunc Eustacius vnus ex illis per visionem de dubietate correptus est, & nimis, dum in visu hirundinum morsibus lingua eius cruentaretur, territus est.

A DEINDE communi decreto minutas reliquiarum portiunculas, quas furtim sibi quidam eorum subtraxerant, protulerunt, & cum iureiurando, quòd nihil de reliquiis sibi peculiariter retinerent, asseruerunt. Romoaldus duos de dentibus & de minutis articulis, quos occultos habuerat, manifestauit. Sic omnes alij particulas, quas sibi clàm sequestrarant, attulerunt, & cæteris artubus restituerunt. Denique prospero vento flante, latúmque carinis æquor sulcantibus, Disigio vni nautarum in somnis sanctus Nicolaus apparuit, confortauit, & quòd vigesimo die, ex quo corpus eius abstulerant, Barinum portum intraturi essent, prædixit. Ille visum sociis narrauit, & ipsis indè magna confidentia inhæsit. GVILLELMVS II. 1087.

AVICVLA quædam ex improuiso nautis in naui volitans apparuit, eósque frequenti aduentu suo lætificauit. Sæpè etiam odorem suauissimum nautæ sentiebant, aliísque delectabilibus indiciis roborati gaudebant, & læti ad sua littora appropinquabant.

DVCENTE Deo ad portum sancti Georgij, qui quasi quinque milliariis à Barinis mœnibus abest, aduenerunt, & indè ad Clerum Barensem & populum nuntios præmiserunt. Totáque ciuitas inopinato gaudio confestim repleta est, & mox vterque sexus, & omnis ætas ad littora egressa est. Porro nautæ capsellam cum reliquiis commendarunt religioso Heliæ Abbati Cœnobij sancti Benedicti, quod supra portum situm est. Ille verò sacra pignora reuerenter suscepit, in præfatam Ecclesiam cum fratribus nona die mensis Maij deposuit, & tribus diebus diligenter custodiuit.

B

TVNC Vrso Barinorum Archiepiscopus, vir religiosus, Deo dignus, Italicísque Dominis notissimus & familiaris amicus, aberat. Nam apud Tranum nauis præparata stabat, quam idem Præsul post diem alterum disposuerat ingredi, causáque orationis Hierusalem proficisci. Sed legatus cum litteris à ciuibus ad illum aduenit, nuntiúmque tanti gaudij protinus intimauit. Ille igitur dimisso quod incœpit itinere, gaudens Barrum non distulit properare. Corpus itaque sancti Nicolai à Barensibus susceptum est, & solemnitas translationis eius VII. Id. Maij constituta est. Tunc ad Curiam Caterpam portatum est, ibíque in Ecclesia beati Stephani protomartyris, quæ ante tres annos fabricata fuerat ab Archiepiscopo, nautis petentibus, & cunctis ciuibus, reuerenter positum est.

C

DEINDE propriam Basilicam sancto Nicolao cœperunt, sanctúmque corpus & oblationes fidelium, & opus Basilicæ venerando Heliæ Abbati commiserunt, ipsúmque Præpositum consensu Archiepiscopi & fauore omnium, super omnibus quæ agenda erant constituerunt. Protinus diuersæ multitudines ab vniuersis totius Hesperiæ Prouinciis conuenerunt. Innumera quoque signa & miracula quotidie diuinitus fiunt. Nam in primo die, dum sanctum corpus in Ecclesia sancti Benedicti, vt dictum est, dispositum fuit, ampliùs quàm XXX. infirmantes vtriusque sexus, & omnis ætatis à multimodis infirmitatibus liberantur, perfectáque sanitate recepta, cum gratiarum actione læti & incolumes ad propria remeant. Aliis quoque diebus sequentis temporis, quot dæmoniaci vel surdi, quot claudi seu muti, siue cæci, quot denique alij multigenis ægritudinibus oppressi, penitus alleuiati sunt & sanati, notis particulatim signare negauimus, & numerare. Infinitus enim est, vt æquipolenti significatione præostendimus, & nobis incognitus numerus.

D

PRÆFATVS Ioannes Barensis Archidiaconus, ex cuius Libro breuiter hoc excerpsi, XII. præclara miracula scripto signauit. Sed nec ipse, nec alius omnes sanitates & alia subsidia posteris notificare potuit, quæ Deus omnipotens pro meritis sanctissimi Pontificis Nicolai, seruis suis fideliter petentibus vsque hodie clementiùs exhibuit. Denique permittente Deo, plures Ecclesiæ de sanctis reliquiis præfati Præsulis obtinuerunt. Et non solùm Itali & Pelasgi, sed & aliæ gentes, sanctis pignoribus habitis, Deo gratias concinunt. Christophorus enim quidam miles, qui translationi nobilis Nicolai interfuit, vnam costam in manica sua sibi retinuit, nec multò pòst infirmatus ad Venusiense Cœnobium confugit, Monachatum à Berengario Archimandrita requisiuit, & impetrauit; secúmque costam sancti Nicolai sanctæ Trinitati præsentauit, & de morbo conualuit.

EODEM tempore Stephanus Cantor Cœnobij, quod Fulco senior Comes apud Andegauam vrbem in honore sancti Nicolai construxerat, Apuliam abiit, & per licẽtiam domni Natalis Abbatis sui Monachile schema ex industria dimisit, deinde

GVILLELMVS II. 1087.

vt Clericus Bari habitauit, magnámque familiaritatem, ac postmodum potestatem inter æedituos Basilicæ sancti Pontificis obtinuit. Tandem conspecta facultate, brachium sancti Nicolai, quod aptè argento tectum erat, & extra mausoleum ad signãdum populum seruabatur, furtim arripuit, & in Gallias aufugere, patriámque suam, Cœnobiúmque suum tanto thesauro ditare sategit. Verùm, quia mox vt tale latrocinium sibi factum Barenses compererunt, longè latéque veredarios suos ad confines suos, & amicos, atque patronos miserunt; omnésque tramites, quibus itur in Franciam, sollicitè tutari, ne fur huiusmodi elongaretur, conati sunt: Stephanus Venusiam diuertit, ibique timidus latere volens hiemauit, & serenum ver expectans ægrotare cœpit. Deinde deficiente sibi censu necessario, coactus est pro victu distrahere argentum de sancto brachio. Interea per totam Italiam & Siciliam fama volitauit, quòd à Gallis surreptum esset brachium beati Nicolai. Denique dum de tali furto crebra locutio populos moueret, & à quibusdam Venusiensibus famulísque Monachorum argentea textura visa & cognita esset; & in Conuentu Monastico rumor huiuscemodi perstreperet, Erembertus impiger Cœnobita B cum famulis Monasterij ad exmonachum languentem accurrit, subitóque frendens impetu brachium sancti Nicolai, ac si eidem commendasset, atrociter exposcit. At ille vt deprehensum se vidit, & in tanto turbine nesciens quò se verteret, pallidus & tremens perurgenti Monacho preciosum pignus exhibet, quod ille cum ingenti gaudio recepit, & mox ad Cœnobium sanctæ Trinitatis, Monachis & cunctis ciuibus Deum laudantibus deuehit: ibíque sanctus Nicolaus vsque hodie pignora sua fideliter poscentibus in multis necessitatibus mirificè succurrit. Præfatus autem Erembertus erat natione Normannus, ante conuersionem miles strenuus, postmodum verò Monachus in Ordine feruidus.

HISDEM temporibus quidam miles de Normannia Guillelmus, cognomento Pantulfus, in Apuliam abiit, & quòd sanctum Nicolaum valde diligebat, de reliquiis eius multum quæsiuit, Deóque iuuante procurationem eius, à reliquiarum translatoribus vnum dentem, & duo frusta de marmoreo tumulo obtinuit. Erat enim in armis strenuus, ingenio præditus, inter collimitaneos sensu diuitiísque maximis Angliæ Italiæque Dominis notissimus. Dentem itaque tanti Baronis nactus Normanniam rediit, & ad proprium prædium, quod Norom dicitur, plures personas, vt C congruè reliquias susciperent, denuntiato die accersiit.

ANNO itaque Dominicæ Incarnationis MXCII. Indictione XV. dens almi Confessoris Nicolai, cum aliis Sanctorum reliquiis à Guillelmo Pantulfo de Apulia delatus est, & in Basilica Noromensi in honore sancti Petri prisco tempore condita honorificè susceptus. Ad hanc vtique susceptionem Rogerius Vticensis Abbas, & Radulfus tunc temporis Sagiensis Abbas, sed postmodum Cantuariensis Archiepiscopus, accersiti sunt: & cum ingenti studio Monachorum, ac tripudio laicorum, sanctas reliquias mense Iunio susceperunt, & in argentea pixide à supradicto milite liberaliter parata diligenter coaptauerunt. Frequenter à multis febricitantibus, & ab aliis ægrotantibus sæpedicta pignora requisita sunt, meritísque almi Præsulis Nicolai piè postulantes optatam sanitatem adepti sunt.

NON multò post præfatus heros nouæ Basilicæ fundamenta inchoauit, datísque XX. marcis argenti magnam operis partem edidit. Sed pluribus infortuniis insur- D gentibus opus impeditum est, & ad effectum, primo fundatore moriente, perductum non est. Ipse quidem XVI. Kal. Maij, & Kelina vxor eius XI. Kal. Octobris defuncti sunt, & ibidem in claustro Monachorum sepulti requiescunt. Sed Philippus, & Robertus, ac Iuo, & Arnulfus, filij eorum studia parentum in Ecclesiasticis rebus perfectè assequi nondum intenderunt. Hæc itaque de translatione corporis sancti Nicolai veraciter Operi nostro inseruimus, ipsúmque mirabilium opificem fideliter deposcimus, vt suorum memorum memor nostri misereatur, & pro nobis Deum indesinenter deprecetur. Nunc ad incœptam, vnde aliquantulum digressi sumus, redeamus materiam.

ANTIQVO rancore inter Normannos & Francos renouato, bellorum incendium exortum est, vnde grauissimum pondus detrimentorum Clericis & laicis malè interfectum est. Hugo namque cognomento Stauelus, & Radulfus Malusuicinus, aliíque oppidani Medantensis castri contra Regem Guillermum insurrexerunt,

A & magna manu latrunculorum aggregata, plures discursus in Normanniam fecerunt. Auturam fluuium dirimentem à Francia Neustriam noctu cum satellitio suo pertransibant, & in Ebroicensem diocesim ad nocendum crudeliter parati protinus irruebant. Terram maximè Guillelmi de Britolio circa Paceium, & Rogerij de Ibreio deuastabant, ductisque armentorum gregibus, & captis hominibus Normannos subsannantes immodicè turgebant. Vnde bellicosus Rex Guillermus vehementer iratus totam Vvlcassinam Prouinciam calumniari cœpit, Pontisariam, & Caluimontem, atque Madantum reddi sibi à Philippo Francorum Rege requisiuit, & nisi ius suum sibi reddatur, terribilibus minis in hostes euehitur. Ratio calumniæ huiusmodi est. GVILLELMVS II. 1087.

REX Henricus Roberti Regis Francorum filius, dum post mortem patris iure primogeniti deberet redimiri Regni fascibus, sed à Regina Constantia matre sua nouercali odio insequeretur; eique ipsa in regno Gallorum præponere Robertum fratrem suum Ducem Burgundionum conaretur; consultu Amalrici Senioris de Monte forti, filij Guilelmi Hanoensis, Fiscanum cum XII. satellitibus venit, & B Robertum Normaniæ Ducem, vt sibi materna fraude miserabiliter exulanti subueniret, humiliter expetiit. Quem præfatus Dux, vtpote naturalem Dominum suum liberaliter suscepit, & secum donec Paschalis festiuitas expleretur, gratanter detinuit. Deinde Normanorum agmina vndique aggregauit, acerrimam expeditionem in Gallia fecit, & Aurelianensem vrbem, Normannico impetu ignem immittens, incendit. Damnis itaque incomparabilibus ceruicositatem Francorum compegit. Quibus coërcitis repulsum clitonem regno suo restituit. Henricus autem in regno confirmatus Roberto Duci gratias egit, eique pro beneficio suo totum Vvlcassinum à fluuio Isara vsque ad Eptam donauit. Hoc nimirum DROGO eiusdem Prouinciæ Comes libentissimè concessit, hominióque facto dum auixit, præfato Duci fideliter seruiuit. Ambo Consules stemmate virtutum pollebant, & sese vicissim admodum diligebant, mutuáque honoratione & prouectu tripudiabant.

PRÆFATVS Drogo, vt dicitur, erat de prosapia Caroli Magni Regis Franco-C rum, eique sæpedictus Dux in coniugium dederat consobrinam suam Godiouam sororem Eduardi Regis Anglorum, ex qua orti sunt Radulfus & Gauterius Comites, ac venerandus Fulco Præsul Ambianensium. Hæc nimirum puella cum fratre suo in Neustria exulabat, dum Canutus Danorum Rex Angliam virtute bellica inuaserat, & geminos heredes Alfredum & Eduardum fugauerat, ac Edmundum & Eduinum clitonem Edrici dolis peremerat.

POST aliquot annos, defuncto Roberto Duce apud Niceam Bithyniæ vrbem, rebellauerunt Proceres Normaniæ contra Guilelmum infantem; qui, dum pater eius cum Drogone Comite iter iniit Hierosolymitanum, octo solummodo erat annorum, & à patre commissus tutelæ Alanni consanguinei sui Comitis Britonum. Roberto itaque & Drogone defunctis in peregrinatione, & Alanno, dum Montem-Gomerici obsidet, per fraudem Normannorum lethaliter corrupto venenosa potione, & eorum heredibus nefariè priuatis necessaria tuitione; Henricus Rex consilio Francorum, qui semper Normannis aduersantur, Vvilcassinum pagum auidè repetiit, iurique suo postmodum semper mancipauit. Guillelmus D autem tunc pro puerili debilitate ius vendicare suum non potuit. Postea verò maioribus sibi curis in Cœnomanenses vel Anglos crescentibus conticuit, & contra Henricum dominum suum seu Philippum filium eius pro Vvlcassino pago arma leuare distulit.

IGITVR anno XXI. ex quo super Anglos regnauit, requisitionem & calumniam de Vvlcassino Comitatu Philippo Regi Francorum fecit. Ille autem seditiosorum friuolis sophismatibus vsus est, & Angligenæ Regis petitiones omnino spernens frustratus est. Guillelmus ergo vltimâ mensis Iulij septimana cum exercitu suo Mandantum ex improuiso venit, & cum castrensibus mixtim intrauit. Milites enim occultè exierant, vt viderent conculcationem segetum suarum, & extirpationem vinearum, quas Ascelinus Goëllus pridiè quàm Rex aduenisset, cum Normannorum viribus deuastauerat. Irruens itaque exercitus Regis cum oppidanis portas pertransiuit, & per rabiem armigerorum immisso igne castrum cum Ecclesiis

GVILLELMVS II. 1087. & ædibus combussit; ac, sicut fertur, hominum multitudo violentiâ ignis deperiit. A Tunc ibi ex nimio æstu ac labore pinguissimus Rex Guillelmus infirmatus est, & sex hebdomadibus languens grauiter anxiatus est. Inde quidam, qui paci aduersabantur, gaudebant, & liberam permissionem furandi, seu res alienas rapiendi expectabant. Porro alij, qui securitatẽ pacis expectabant, pacifici patroni mortẽ multũ formidabant. Ille verò, qui semper in omni vita sua sapientium consilio vsus fuerat, Deúmque vt fidelis seruus timuerat, sanctæque matris Ecclesiæ indefessus defensor extiterat, vsque ad mortẽ laudabili memoria viguit. Et sicuti vita, sic etiam finis venerabilis extitit. In ægritudine sua vsque ad horã mortis integrum sensum, & viuacem loquelam habuit: scelerúmque pœnitens, peccata sua sacerdotibus Dei reuelauit, ac secundum morem Christianitatis Deum sibi placare humiliter studuit. Circa illum Præsules, & Abbates, & religiosi viri commorabantur, & morituro Principi salubre consilium perennis vitæ largiebantur. Et quia strepitus Rothomagi, quæ populosa ciuitas est, intolerabilis erat ægrotanti, extra vrbem ipse Rex præcepit se efferri ad Ecclesiam sancti Geruasij in colle sitam occidentali, quam Ricardus B Dux auus eius dederat Cœnobio Fiscannensi. Ibi Gislebertus Luxouiensis Episcopus, & Guntardus Gemeticensis Abbas, cum quibusdam aliis Archiatris, sedulò excubabant, & de spirituali ac corporali salute Regis sollicitè tractabant.

DENIQVE Rex morbo nimium ingrauescente, Dum sibi mortem videt ineuitabilem imminere, pro futuris quæ non videbantur intimo corde reuoluendo pertimescebat, & crebro cum suspiriis ingemiscebat. Filios itaque suos Guilellmũ Rufum, & Henricum, qui aderant, & quosdam amicorum conuocauit; & de regni ordinatione sapienter ac multum prouidè tractare cœpit. Robertus enim filius eius, qui maior natu erat, multotiens olim contra patrem suum litigauerat: & tunc nouiter pro quibusdam ineptiis similiter stomachatus, ad Regem Francorum discesserat. Verùm sapiens Heros in futurum sibi multisque commoda facere non distulit, omnésque thesauros suos Ecclesiis, & pauperibus, Deique ministris distribui præcepit. Quantum verò singulis dari voluit, callidè taxauit, & coram se C describi à Notariis imperauit. Clero quoque Mandantensi supplex ingentia dona misit, vt inde restaurarentur Ecclesiæ, quas combusserat. De fide & iustitia seruanda, de lege Dei & pace tenenda, de priuilegiis Ecclesiarum, & statutis Patrum obseruandis, omnes qui præsentes erant admonuit, & allocutionem per eum memoria dignam, admixtis interdum lacrymis, eloquenter sic edidit:

» MVLTIS, inquit, ô amici, grauibúsque peccatis onustus contremisco, & » mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam ignoro. In armis enim » ab infantia nutritus sum, & multi sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nul» latenus enumerare possum mala, quæ feci per LX. quatuor annos, quibus in hac » ærumnosa vita vixi: pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor æquis» simo Iudici. Dum pater meus, sponte proficiens in exilium, commisit mihi Nor» manniæ Ducatum, tenellus eram puer, vtpote octo annorum: ex quo tempore » vsque nunc semper subij pondus armorum. Ipsúmque iam Ducatum ferè LVI. » annis gessi in discrimine bellorum. Mei, quibus præeram, mihi sæpè insidiati sunt, » & damna grauésque iniurias mihi nequiter intulerunt. TVRCHETILLVM nu» tricium meum, & Osbernum Herfasti filium Normanniæ Dapiferum, Comitém- D » que Gislebertum patrem patriæ, cum multis aliis Reipublicæ necessariis fraudu» lenter interfecerunt. His itaque rebus gentis meæ fidem expertus sum. Noctibus » multotiens cognatorum timore meorum à GVALTERIO auunculo meo de ca» mera principali furtim exportatus sum, ac ad domicilia latebrásque pauperum, nè » à perfidis, qui ad mortem me quærebant, inuenirer, translatus sum.

» NORMANNI, si bono rigidóque dominatu reguntur, strenuissimi sunt, & in » arduis rebus inuicti omnes excellunt, & cunctis hostibus fortiores superare con» tendunt. Alioquin sese vicissim dilaniant, atque consumunt. Rebelliones enim » cupiunt, seditiones enim appetunt, & ad omne nefas prompti sunt. Rectitudinis » ergo forti censura coërceantur, & freno disciplinæ per tramitem iustitiæ gradiri » compellantur. Si verò ad libitum suum sine iugo vt indomitus onager ire permit» tuntur, ipsi & Principes eorum penuriâ & confusione probrosa opperientur. Pluri» bus hoc experimentis iamdudum edidici. Proximi consanguineique mei, qui de-

A buissent contra omnes mortales me omnimodis tutari, frequenti conspiratione facta in me surrexerunt; & penè omnem patris mei hereditatem mihi abstulerunt. GVILLELMVS II. 1087.

GVIDO RAINALDI Burgundionum Ducis ex ADELIZA amita mea filius malum mihi pro bono reddidit. Nam ego eum de alia regione aduentantem benigniter susceperam, ac vt vnicum fratrem honorauueram: atque Vernonum & Brioniam, partémque Normanniæ non modicam donaueram. Ille verò verbis & actibus mihi derogauit, me nothum, degenerémque, & Principatu indignum detestatus iudicauit, & hostiliter diffamauit. Quid plura referam? Fidem suam mihi mentitus in me rebellauit, Procerésque meos, Ranulfum Baiocensem, ac Haymonem Dentatum, & Nigellum de Constantino, aliósque multos mihi subtraxit, secúmque periuros esse nefario monitu coëgit. Immemor itaque hominij & fidelitatis, quam mihi iurauerat, totam Normanniam auferre sategit. Sic igitur adhuc imberbis in illum coactus sum arma leuare, & in planicie apud Vallesdunas contra consobrinum hominémque meum dimicare. Tunc auxiliante Deo, B qui iustus iudex est, inter Cadomum & Argentias * hostes vici: quibus nutu Dei subrutis, patrium ius liberè possedi. Deinde munitionem Brioniæ obsedi. Guidonem vulneratum, & de bello fugâ elapsum inclusi, nec indè discessi, donec hostem publicum de Neustria expulerim, & cuncta eius munimenta obtinuerim. *al. Argentoniū, & in al. cod. Baiocas.

NON multò pòst alia mihi grauissima aduersitas oborta est. Patrui námque mei, MALGERIVS Rothomagensis Archiepiscopus, & GVILLELMVS frater eius, cui Archas & Comitatum Calogij gratis dederam, me velut nothum contempserunt: & HENRICVM Regem, & ENGELRANNVM Comitem Pontiui contra me accerserunt. Mox ego, vt in Constantino huiusmodi rumores audiui, multis dissuadentibus iter iniui. Aliquantos milites, qui feruentiores ad ictus dandos erant, Archas præmisi; & ipse cum exercitu non grandi subsecutus arduam munitionem obsedi. Sed antequam rura, quæ inter duo flumina sunt, Sedam, & Garennam, attigissem, præcursores mei præoccupauerunt Engelrannum Comitem in castrum intrare festinantem; ipsúmque fortiter pugnantem, quia miles erat aspertimus, occiderunt, & agmina eius fugauerunt. Obsidione graui castrenC ses coërcui, & periurum Comitem exulare coëgi: nec in omni vita sua redire ad id, quod amiserat, permisi. Proteruum quoque Præsulem, qui nec Deo deuotus, nec mihi fidus erat, de Pontificali Sede per decretum Papæ deposui: & Maurilium venerabilem Cœnobitam, quem mihi Deus de Florentia ciuitate Italiæ transmiserat, in loco eius subrogaui.

HENRICVS Regali potentiâ fretus, & militari audacia feruidus, hostiúmque meorum derogationibus admodum stimulatus, sæpè visus est me velut inermem conculcare, multísque modis proterere, & indebita mihi iura imponere. Sæpius cum ingenti armatorum manu terram meam ingressus est, sed numquam de præda spoliisque meis, hominúmque meorum captura gauisus est. Cum grandi pompa, minísque terribilibus, plerúmque fines meos intrauit: sed nunquam lætus, nec sine dedecore ad sua repedauit. Plures secum probitate valentes huc adduxit, quos quia meo meorúmque gladio, proh dolor! perierunt, non reduxit.

QVONDAM nimis contra me inflammatus ingentem exercitum Galliæ in duas D partes dimisit Rex Henricus, vt nostros opprimeret fundos geminis irruptionibus. Ipse vnam phalangem in Ebroicensem diocesim, vt vsque ad Sequanam omnia deuastaret, introduxit: aliámque ODONI fratri suo, ac RAINALDO DE CLAROMONTE, & duobus Consulibus, RADVLFO DE MONTE-DESIDERII, atque VVIDONI DE PONTIVO commendauit, vt per vada Eptæ Neustriam cito introirent, Braium & Calcegium *, totúmque Rothomagensem pagum inuaderent, ferro & flamma, necne rapinis vsque ad mare penitus deuastarent. Hæc itaque comperiens ego econtra non segnis processi, cōtra Regis mapalia per litus Sequanæ cum meis me semper opposui: & vbicúmque conaretur cespitem meū depopulari, armis & ferro caluniam paraui. ROBERTVM verò Aucesiū Comitē, & Rogeriū de Mortuomari, aliósque milites probatissimos misi contra Odonē, eiúsque legiones. Qui dum penes castrum, quod Mortuū-mare dicitur, occurrissent Francis, vtriúsque partis agminibus paratis, terribile prælium commissum est, & ex vtráque parte multùm sanguinis effusum est. Vtrobique enim bellatores erant strenui, & vsque ad mortem cedere ne- * Calogiū atq; Rot.

GVILLELMVS II. 1087. scij. Hinc sæuiunt Galli pro cupidine acquirendi, illinc feriunt Normanni spe feruentes euadendi, & se suósque lares defendendi. Tandem, iuuãte Deo, vicêre Normãni, & fugêre Franci. Hoc itaque bellum trans Sequanam in hieme ante Quadragesimam fecêre, octauo anno post bellum Vallesdunense. Tunc Vvido Pontiui Comes captus est, & Odo cum Rainaldo, aliísque, qui velocitate pedum viguerunt, fugatus est. RODVLFVS quoque Comes pariter caperetur, nisi Rogerius Princeps militiæ meæ illi suffragaretur. hominium enim iamdudum illi fecerat. In tali ergo necessitate pulchrum illi & competens seruitium impendit, dum in castro suo illum triduò protexit, & postea saluum ad sua perduxit. Pro hac offensa Rogerium de Normannia ieci, sed paulò pòst reconciliatus illi ceterum honorem reddidi. Castrum tamen Mortui-maris, in quo inimicum meum saluauit, illi iure, vt reor, abstuli: sed Guillelmo de Guarenna consanguineo eius, tyroni legitimo dedi. Vvidonem verò Comitem Baiocis, quamdiu placuit, in carcere habui: & post duos annos hominium ab eo tali tenore recepi, vt exinde mihi semper fidelis existeret, & militare seruitium, vbi iussissem, cum centum militibus mihi singulis annis exhiberet. Deinde muneribus illum magnis donaui, & honoratum cum pace dimisi.

PERACTO certamine, mox vt certos rumores comperi, per Radulfum de Toënia quæ trans Sequanam contigerant Regi Francorum mandaui. Quibus auditis, ille protinus noctu surrexit, & cum exercitu suo velociter aufugit, nec vnquam postea securus in terra mea pernoctauit. Sic à pueritia mea innumeris pressuris vndique impeditus sum, sed per gratiam Dei de omnibus honorificè ereptus sum. Inuidiosus igitur omnibus vicinis meis factus sum, sed auxiliante Deo, in quo semper spem meam posui, à nullo superatus sum. Hoc sæpè senserunt Britones, & Andegauenses. Hoc astipulantur Franci, atque Flandrenses. Hoc grauiter experti sunt Angli, & Cœnomanenses.

GOISFREDVS MARTELLVS Comes Andegauorum, & CONANVS Princeps Britonum, atque ROBERTVS FRESIO Satrapa Morinorum, mihi multis machinationibus insidiati sunt. Sed custodiente Deo, licèt multum optassent, & plures insidias perstruxissent, nunquam voti compotes effecti sũt. Diadema regale quod nullus antecessorum meorum gessit, adeptus sum; quod diuina solummodo gratia, non ius contulit hereditarium. Quantos vltra mare labores, & periculosos conflictus pertulerim contra Exonios, Cestrenses, & Nordanhumbros, contra Scotos, & Guallos, Northvvigenas, & Dacos, & contra ceteros aduersarios, qui conabantur me regno Angliæ spoliare, difficile est enarrare: in quibus omnibus prouenit mihi sors victoriæ. Sed quamuis super huiusmodi triumphis humana gaudeat auiditas, me tamen intrinsecus pungit & mordet formidinis anxietas; dum perpendo, quòd in omnibus his grassata est sæua temeritas. Vnde vos, ô sacerdotes & ministri Christi, suppliciter obsecro, vt orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo; vt peccata, quibus admodum premor, ipse remittat, & per suam infatigabilem clementiam inter suos me saluum faciat. Thesauros quoque meos iubeo dari Ecclesiis & pauperibus, vt quæ congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis Sanctorum vsibus. Debetis enim recolere, quàm dulciter vos amaui, & quàm fortiter contra omnes æmulos defensaui.

ECCLESIAM Dei, matrem scilicet nostram, nunquam violaui: sed vbique, vt ratio exegit, desideranter honoraui. Ecclesiasticas dignitates nunquam venumdedi. Simoniam detestatus semper refutaui. In electione personarum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam inuestigaui, & quantum in me fuit, omnium dignissimo Ecclesię regimen commendaui. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate, hoc in Gerberto Fontanellense, & Durando Troarnense, & in aliis multis regni mei Doctoribus: quorum celebris laus personat in vltimis, vt credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & sapientiam inueni: ideóque semper gaudens optabam eorum consiliis perfrui.

NOVEM Abbatiæ Monachorum, & vna Sanctimonialium, quæ à patribus meis in Normannia fundatæ sunt, me adiuuante, cum auxilio Dei creuerunt, & gloriosè multarum augmentis rerum, quas dedi, magnificatæ sunt. Deinde Ducatus mei tempore, decem & septem Monachorum, atque Sanctimonialium sex Cœnobia cõstructa sunt: vbi magnum seruitium & plures eleemosynæ pro summi Regis amore

A quotidie fiunt. Huiusmodi castris munita est Normannia, & in his discunt terrigenæ præliari contra dæmones, & carnis vitia. Horum quippe aut ego, inspirāte Deo, fui conditor aut fundator, feruidus adiutor, & beneuolus incentor. Omnes quoq. res, quas in terris vel aliis redditibus Proceres mei Deo & Sanctis eius dederunt pro salute spirituali in Neustria & Anglia benigniter concessi, & Chartas largitionum contra omnes æmulos & infestatores principali auctoritate gratis confirmaui. GVILLELMVS II. 1087.

Hæc studia sectatus sum à primæuo tempore, hæc heredibus meis relinquo tenenda omni tempore. In his, filij mei, me iugiter sequimini, vt hîc & in æuum coram Deo & hominibus honoremini. Hoc præcipuè vos viscera mea commoneo, vt bonorum & sapientum indesinenter inhæreatis sodalitio, & eorum in omnibus, si diu gloriosi vultis persistere, obediatis imperio. Piorum Sophistarum doctrina est, bonum à malo discernere, iustitiam omnimodis tenere, nequitiámq. omni molimine cauere. Infirmis & pauperibus ac iustis parcere & subuenire, superbos & iniquos comprimere ac debellare, & ab infestatione simplicium refrenare. Ecclesiã B sanctam deuotè frequentare, diuinitatis cultum super omnes diuitias amare, & diuinæ legi nocte diéque & in aduersis & prosperis infatigabiliter obtemperare.

Dvcatvm Normanniæ, antequam in Epitumo Senlac contra Heraldũ certassẽ, Roberto filio meo cõcessi, quia primogenitus est. Hominiũ penè omniũ huius patriæ Baronum iam recepit. Concessus honor nequit abstrahi. Sed indubitáter scio, quòd verè misera erit regio, quæ subiecta fuerit eius dominio. Superbus enim est & insipiens nebulo, trucíq; diu plectẽdus infortunio. Neminẽ Anglici regni cõstituo heredem, sed æterno conditori, cuius sum, & in cuius manu sunt omnia, illud commẽdo. Nõ enim tantũ decus hereditario iure possedi, sed diro cõflictu & multa effusione humani cruoris periuro Regi Heraldo abstuli, & interfectis vel effugatis fautorib. eius dominatui meo subegi. Naturales regni filios plus æquo exosos habui. Nobiles & vulgares crudeliter vexaui. Iniustè multos exheredìtaui: innumeros, maximè in pago Eboracensi, fame seu ferro mortificaui. Deiri enim & trans-Hũbranæ gẽtes exercitum Sueni Danorũ Regis contra me susceperũt, & Robertũ de Cuminis cum mille militibus intra Dunelmum, aliósq. Proceres meos & Tyrones proba- C tissimos in diuersis locis peremerũt. Vnde immoderato furore cõmotus in Boreales Anglos vt vesanus leo properaui. Domos eorum iussi, segetésque & omnẽ apparatũ atq. supellectilẽ confestim incendi, & copiosos armentorum pecudúmque greges passim mactari. Multitudinem itaque vtriúsque sexus tam diræ famis mucrone multaui. Et sic multa millia pulcherrimæ gentis senum iuuenúmque, proh dolor! funestus trucidaui. Fasces igitur huius regni, quos cum tot peccatis obtinui, nulli audeo tradere, nisi Deo soli: ne post funus meum adhuc deteriora fiant occasione mei. Gvillelmvm filium meum, qui mihi à primis annis semper inhæsit, & mihi pro posse suo per omnia libenter obediuit, opto in spiritu Dei diu valere, & in regni solio, si Dei voluntas est, feliciter fulgere.

Hæc & his similia dũ Rex Guillelmus multa dixisset, & stupor assistẽtes, callidéque futura dimetientes inuasisset; Henricvs iunior filius vt nihil sibi de regalibus gazis dari audiuit, mœrens cum lacrymis ad Regẽ dixit. Et mihi, pater, quid tribuis? Cui Rex ait: Quinq. millia ligras argenti de thesauro meo tibi do. Ad hæc Henricus dixit: Quid faciam de thesauro, si locũ habitationis non habuero? Cui pater re- D spondit: Æquanimis esto, fili, & confortare in Domino. Pacificè patere, vt maiores fratres tui præcedãt te. Robertus habebit Normanniã, & Guillelmus Angliam. Tu autẽ tempore tuo totũ honorẽ, quem ego nactus sũ, habebis: & fratribus tuis diuitiis & potestate præstabis. His ita dictis, metuens Rex ne in regno tam diffuso repẽtina oriretur turbatio, Epistolam de constituẽdo Rege fecit Lanfranco Archiepiscopo, suóque sigillo signatam tradidit Guillelmo Rufo filio suo: iubens, vt in Angliam transfretaret continuò. Deinde osculatus eum benedixit, & trans pontum ad suscipiendum diadema properanter direxit. Qui mox ad portum, qui Vvitsand dicitur, peruenit, ibíque iam patrem audiuit obiisse. Henricus autem festinauit denominatã sibi pecuniã recipere, diligenter ne quid sibi deesset ponderare, necessariósque sodales in quibus confideret aduocare, munitũq. gazophylaciũ sibi procurare.

Interea Medici & Regales Ministri, qui languidum Principem custodiebant, Procerésque, qui ad eum visitandi gratiâ veniebant, cœperunt pro vinctis, quos in carcere tenebat, eum affari: ac vt misereretur eis, & relaxaret, sup-

GVILLEL. MVS II. 1087. plicitér deprecari. Quibus ipse ait: MORCARVM nobilem Anglorum Comitem iam diu vinctum tenui, & iniustè: sed pro timore, ne per eum, si liber fuisset, turbaretur regnum Angliæ. Rogerum verò de Britolio, quia valdè contumaciter contra me * furuit, & Radulfum de Guader sororium suum, & multos alios in me prouocauit, in vinculis arctaui: & quòd in vita mea non egrederetur, iuraui. Sic A
» multos vinculis inieci ex merito propriæ peruersitatis, aliósque plures pro metu fu-
» turæ seditionis. Hoc enim censura rectitudinis exigit, & diuina lex per Moysen Re-
» ctoribus Orbis præcipit, vt comprimant nocentes, ne perimant innocentes. Nunc
» autem in articulo mortis positus sicut opto saluari, & per misericordiam Dei à rea-
» tibus meis absolui, sic omnes mox iubeo carceres aperiri; omnésque vinctos præter
» fratrem meum Baiocensem Episcopum relaxari, liberósque pro amore Dei, vt ipse
» mihi misereatur, dimitti. Nexi tamen tali tenore de carcere procedant, vt antea iu-
» reiurando securitatem Reipublicæ ministris faciant, quòd pacem in Anglia & Nor-
» mannia omnibus modis teneant, & pacis aduersariis pro posse suo viriliter resistant.

* insaniuit.

CVMQVE Robertus Moritolij Comes audisset, Regali sententia fratrem suum perpetuò vinciri, multum contristatus est. Herluinus quippe de Contauilla Herleuam * Roberti Ducis concubinam in coniugium acceperat, ex qua duos filios, ODONEM & ROBERTVM genuerat. Guillelmus autem Dux & postea Rex vitricum suum magnis & multis honoribus in Normannia & Anglia ditauerat, & filios eius, Radulfum, quem de alia coniuge procreauerat, fratrésque suos vterinos Odonem & Robertum, maximis possessionibus sublimauerat. Nam postquam GVILLELMVM cognomento Vverlengum Moritolij Comitem, filium Malgerij Comitis, pro minimis occasionibus de Neustria propulsauerat; Roberto Herluini filio fratri suo Comitatum Moritolij dederat. Defuncto quoque Hugone Baiocensi Episcopo Radulfi Consulis filio, prædictum Præsulatum concesserat Odoni fratri suo, quem postmodum in Anglia præposuit Cantiæ regno. Denique hunc pro nimietate sua, vt superiùs pleniter relatum est, Rex Guillelmus in insula Vecta cepit, quatuor annis in carcere tenuit; nec etiam in morte pro insolentia sua relaxare voluit. Vnde præfatus Moritolij Comes admodum mœrebat, & pro fratre suo per se & per amicos suos suppliciter interpellabat, precibúsq; languentē fatigabat. B C

*Herlettā

CVMQVE multi obnixè pro Baiocensi Præsule rogarent, tantorum supplicatio-
„ ne fatigatus Rex ait: Miror quòd prudenter non indagatis, quis vel qualis est vir,
„ pro quo supplicatis. Nónne pro tali viro petitis, qui iam diu contemptor extitit
„ religionis, & argutus incentor lethiferæ seditionis? Nónne hunc iam coërcui qua-
„ tuor annis Episcopum, qui dum debuerat esse iustissimus rector Anglorum, fa-
„ ctus est pessimus oppressor populorum, & monachilium destructor Cœnobiorum?
„ Seditiosum liberādo, malè facitis, & vobismetipsis ingens detrimentum quæritis.
„ Euidenter patet, quòd Odo frater meus leuis est & ambitiosus, carnis inhærens de-
„ sideriis, & immensis crudelitatibus, & nunquā mutabitur à lenociniis & noxiis va-
„ nitatibus. Hoc perspicuè in pluribus expertus sum. Ideóq; constrinxi non Antistitē,
„ sed tyrannum. Absque dubio si euaserit, totam regionem turbabit, & multis milli-
„ bus perniciē subministrabit. Hæc nō ex odio, vt hostis, profero; sed vt pater patriæ
„ plebi Christianæ prouideo. Si enim castè & modestè se haberet, sicut Sacerdotem &
„ Dei ministrū vbiq; cōdecet, cordi meo maior, quàm possim referre, lætitia inesset. D
„ SPONDENTIBVS autem cunctis emendationem Pontificis, Rex iterum ait: Velim
„ nolim, vestra fiet petitio: quia me defuncto vehemens subito rerum fiet mutatio.
„ Inuitus concedo vt frater meus de carcere liberetur. Sed scitote, quòd multis per
„ eum mors seu graue impedimentum incutietur. Baldrico autem Nicolai filio, quia
„ seruitium meum insipienter reliquit, & sine mea licentia in Hispaniam abiit, totam
„ terram suam pro castigatione abstuli. Sed nunc illi reddo pro amore Dei. Illo me-
„ lior in armis tyro, reor, non inuenitur. Sed prodigus & leuis est, ac per diuersa vaga-
„ tur. Sic Guillelmus Rex, licèt nimio ilium dolore grauiter augeretur, sana tamen mente ac viuaci loquela efficaciter fruebatur, & in omnibus de negociis regni poscentibus promptum & vtile consilium impartiebatur.

DENIQVE quinto Idus Septem. feriâ v. iam Phœbo per orbem spargente clara radiorum spicula, excitus Rex sonum maioris signi audiuit in metropolitana Ba-
» silica. Percunctante eo, quid sonaret, responderunt ministri: Domine, hora pri-

ma

A ma iam pulsatur in Ecclesia sanctæ Mariæ. Tunc Rex cum summa deuotione oculos ad cœlum erexit, & sursum manibus extensis dixit: Dominæ meæ sanctæ Dei genitrici Mariæ me commendo, vt ipsa suis sanctis precibus me reconciliet carissimo filio suo Domino nostro IESV CHRISTO. Et his dictis, protinus expirauit. Archiatri autem, & cæteri coessentes *, qui Regem sine gemitu & clamore quiescentem tota nocte seruauerunt, & nunc ex insperato sic eum mox migrasse viderunt, vehementer attoniti, & velut amentes effecti sunt. Porro ditiores ex his ilicò ascensis equis recesserunt, & ad sua tutanda properauerunt. Inferiores verò clientuli vt magistros suos sic manicasse * prospexerunt: arma, vasa, vestes, & linteamina, omnémque Regiam supellectilem rapuerunt, & relicto Regis cadauere pene nudo in area domus aufugerunt. Cernite, precor, omnes, qualis est mundana fides. Vnusquisque quod potuit de apparatu Regio vt miluus rapuit, & confestim cum præda sua aufugit. Impietas itaque iustitiario labente impudenter prodiit, & rapacitatem circa ipsum vltorem rapinæ primitùs exercuit.

GVILLELMVS II. 1087.

* præsentes

* se subduxisse

B FAMA de morte Regis pernicibus alis volauit, & longè latéque gaudium seu mœrorem audientium cordibus infudit. Nam mors Guillelmi Regis ipso eodem die, quo Rothomagi defunctus est, in vrbe Roma & in Calabria quibusdam exheredatis nunciata est; vt ab ipsis postmodum veraciter in Normannia relatum est. Malignus quippè spiritus oppidò tripudiauit, dum clientes suos, qui rapere & clepere vehementer inhiabant, per occasum Iudicis absolutos vidit.

O SECVLARIS pompa, quàm despicabilis es! quia nimis vana & labilis es. Rectè pluuialibus bullis æquanda diceris, quæ in momento valde turgida erigeris, subitóque in nihilum redigeris. Ecce, potentissimus heros, cui nuper plus quàm centum milia militum seruiebant auidè, & quem multæ gentes cum tremore metuebant, nunc à suis turpiter in domo non sua spoliatus est, & à Prima vsq. ad Tertiam supra nudam humum derelictus est. Ciues enim Rothomagenses audito lapsu Principis valde territi sunt, & penè omnes velut ebrij desipuerunt, ac si multitudinem hostium imminere vrbi vidissent, turbati sunt. Vnusquisque de loco, vbi erat, C recessit, & quid ageret à coniuge, vel obuio sodali, vel amico consilium quæsiuit. Res suas quisque aut transmutauit, aut transmutare decreuit, pauidúsque ne inuenirentur abscondit.

RELIGIOSI tandem viri, Clerici & Monachi, collectis viribus & intimis sensibus processionem ordinauerunt: honestè induti cum crucibus & thuribulis ad sanctum Georgium processerunt, & animam Regis secundum morem sanctæ Christianitatis Deo commendauerunt. Tunc Guillelmus Archiepiscopus iussit, vt corpus eius Cadomum deferretur, ibíque in Basilica sancti Stephani protomartyris, quam ipse condiderat, tumularetur. Verùm fratres eius & cognati iam ab eo recesserant, & omnes ministri eius eum, vt barbarum, nequiter deseruerant. Vnde nec vnus de satellitibus regiis est inuentus, qui curaret de exequiis corporis ipsius. Tunc Herluinus pagensis eques naturali bonitate compunctus est, & curam exequiarum pro amore Dei & honore gentis suæ viriliter amplexatus est. Pollinctores itaque & vespiliones ac vehiculum mercede de propriis sumptibus conduxit, cadauer Regis ad portum Sequanæ deuexit; impositúmque D naui vsque Cadomum per aquam & aridam perduxit.

TVNC domnus Gislebertus Abbas cum Conuentu Monachorum veneranter obuiam feretro processit, quibus flens & orans multitudo Clericorum & laicorum adhæsit. Sed mox sinistra fortuna omnibus pariter maximum terrorem propinauit. Nam enorme incendium de quadam domo protinus erupit, & immensos flammarum globos eructauit, magnámque partem Cadomensis burgi damnosè inuasit. Omnes igitur ad ignem comprimendum Clerici cum laicis cucurrerunt. Soli verò Monachi cœptum officium compleuerunt, & soma * Regis ad Cœnobialem Basilicam psallentes perduxerunt.

* corpus

DENIQVE ad sepeliendum maximum Ducem & patrem patriæ congregati sunt omnes Episcopi & Abbates Normanniæ: ex quibus ad notitiam posterorum libet quosdam nominare, & præsenti breuiter in pagina denotare. Guillelmus Rothomagensis Archiepiscopus, Odo Baiocensis Episcopus, Gisleber-

GVILLELMVS II. 1087.

tus Ebroicensis, Gislebertus Maminotus Lexouiensis, Michaël Abrincatensis, A Goisfredus Constantiniensis, & Girardus Sagiensis. Abbates quoque hi sunt, Anselmus Beccensis, Guillelmus de Ros Fiscannensis, Gerbertus Fontinellensis, Guntardus Gemeticensis, Mainerius Vticensis, Fulco Diuensis, Durandus Troarnensis, Robertus Sagiensis, Osbernus Bernaicensis, Rogerius de Monte sancti Michaëlis in periculo maris: Rothomagenses Archimandritæ, Nicolaus de sancto Audoëno, & Gaulterius de Monte sanctæ Trinitatis, & alij plures, quos nominatim proferre perlongum est. Omnes hi ad exequias famosi Baronis conuenerunt, ipsúmque in Presbyterio inter chorum & altare sepelierunt.

Expleta Missa, cùm iam sarcofagum in terra locatum esset, sed corpus adhuc in feretro iaceret, magnus Gislebertus Ebroicensis Episcopus in pulpitum ascendit, & prolixam locutionem de magnificentia defuncti Principis eloquenter protelauit: quòd ipse fines Normannici iuris strenuè dilatauerit, gentémque suam plus quàm omnes antecessores sui sublimauerit: iustitiam & pacem sub omni ditione sua tenuerit, fures & prædones virgâ rectitudinis vtiliter B castigauerit, & Clericos ac Monachos & inermem populum virtutis ense fortiter munierit. Finita verò locutione, plebem rogauit, & pro pietate multis flentibus, ac » verba eius attestantibus, adiecit: Quia nullus mortalis homo potest in hac vita si- » ne peccato viuere, in charitate Dei vos omnes precamur pro defuncto Principe, » propter illum apud omnipotentem Deum studeatis intercedere, eíque si quid in » vobis deliquit benigniter dimittere.

Tunc Ascelinus Arturi filius de turba surrexit, & voce magna querimo- » niam huiusmodi cunctis audientibus edidit: Hæc terra, vbi consistitis, area » domus patris mei fuit, quam vir iste, pro quo rogatis, dum adhuc esset Co- » mes Normanniæ, patri meo violenter abstulit, omniúmque denegata rectitu- » dine istam ædem potenter fundauit. Hanc igitur terram calumnior, & palam » reclamo; & ne corpus raptoris operiatur cespite meo, nec in hereditate mea » sepeliatur, ex parte Dei prohibeo. Hoc vt Episcopi & Proceres alij audierunt, & vicinos eius, qui eundem vera dixisse contestabantur, intellexerunt: C hominem accersiunt, omníque remota violentiâ, precibus blandis lenierunt, & pacem cum eo fecerunt. Nam pro loculo solius sepulturæ sexaginta solidos ei protinus adhibuerunt, pro reliqua verò tellure, quam calumniabatur, æquipollens mutuum eidem promiserunt: & post non multùm temporis pro salute specialis heri, quem diligebant, pactum compleuerunt. Porrò, dum corpus in sarcofagum mitteretur, & violenter, quia vas per imprudentiam cæmentariorum breue structum erat, complicaretur, pinguissimus venter crepuit, & intolerabilis fœtor circumastantes personas, & reliquum vulgus impleuit. Fumus thuris, aliorúmque aromatum, de thuribulis copiosè ascendebat: sed teterrimum putorem excludere non præualebat. Sacerdotes itaque festinabant exequias perficere, & actutum sua cum pauore mappalia repetere.

Ecce subtiliter inuestigaui, & veraciter enucleaui, quæ in lapsu Ducis præostendit * dispositio Dei. Non fictilem tragœdiam venundo, non loquaci comœdia cachinnantibus parasitis faueo: sed studiosis lectoribus varios euentus veraciter intimo. D Inter prospera patuerunt aduersa, vt terrerentur terrigenarum corda. Rex quondam potens & bellicosus, multísque populis per plures Prouincias metuendus, in area iacuit nudus, & à suis, quos genuerat vel aluerat, destitutus. Ære alieno in funebri cultu indiguit, ope gregarij pro sandapila & vespilionibus conducendis eguit, qui tot hactenus & superfluis opibus nimis abundauit. Secus incendium à formidolosis vectus est ad Basilicam, liberóque solo, qui tot vrbibus & oppidis & vicis principatus est, caruit ad sepulturam. Aruina ventris eius tot delectamentis enutrita cum dedecore patuit, & prudentes ac infrunitos, qualis sit gloria carnis, edocuit. Inspecta siquidem corruptione cœnosi cadaueris, quisque monetur, vt meliora, quàm delectamenta sunt carnis, quæ terra est, & in puluerem reuertetur, laboro salutaris continentiæ mercari feruenter conetur.

* al. piè offendit.

A DIVITIS & pauperis par est conditio, & similiter ambos inuadit mors & putredo. Nolite ergo confidere in Principibus falsis, ô filij hominum: sed in Deo viuo & vero, qui creator est omnium. Veteris & noui Testamenti seriem reuolui-te, & exempla indè multiplicia vobis capessite, quid cauere, quidve debeatis appetere. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere. Diuitiæ si af-fluant, nolite cor apponere. Omnis enim caro vt fœnum; & omnis gloria eius vt flos fœni. Exaruit fœnum; & flos eius cecidit. Verbum autem Domini manet in æternum. GVILLELMVS II. 1087.

HIC septimo Libro Vticensis Historiæ placet cum fine Regis terminum dare, & in octauo de filiis eius, & multimoda perturbatione, quæ diu Neustriam vehementer & Angliam afflixit, aliquid volo posteris edonare.

B

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ

LIBER OCTAVVS.

C ANNO ab Incarnatione Domini MLXXXVII. Inditione x. Guillelmus Nothus Rex Anglorum v. Idus Septembris Rothomagi defunctus est, & corpus eius in Ecclesia sancti Stephani protomartyris Cadomi sepultum est. ROBERTVS autem filius eius, Normannorum Dux, & Cœnomannorum Princeps nomine tenus multis annis factus est: sed torpori & ignauiæ subiectus, nunquam, vt decuit, in virtute & iustitia principatus est. Guillelmus Rufus Epistolam patris sui Lanfranco Archiepiscopo detulit, quâ perlecta idem Præsul cum eodem iuuene Lundoniam properauit, ipsúmque ad festiuitatem sancti Michaëlis in veteri Basilica sancti Petri Apostoli, quæ Vvestmonasterium dicitur, Regem consecrauit. Hic XII. annis, & X. mensibus regnauit, patrémque suum in quibusdam secundum seculum imitari studuit. Nam militari probitate, & seculari dapsilitate viguit, & superbiæ libidiníque, aliisque vitiis nimium subiacuit. Sed erga Deum & Ecclesiæ frequentationem cultúmque frigidus extitit. RODBERTVS II.

D HIC auri & argenti, gemmarúmque copiam Othoni aurifabro erogauit, & super patris sui mausoleum fieri mirificum memoriale præcepit. Ille verò regiis iussis parens, insigne opus condidit; quod ex auro & argento & gemmis vsque hodie competenter splendescit. Egregij versificatores de tali viro, vnde tam copiosum thema versificandi repererunt, multa concinna & præclara poëmata protulerunt. Sed solius Thomæ Archiepiscopi Eboracensis versus huiusmodi pro dignitate Metropolitana ex auro inserti sunt.

Qui rexit rigidos Normannos, atque Britannos
Audacter vicit, fortiter obtinuit.
Et Cenomanenses virtute coërcuit enses,
Imperiique sui legibus applicuit.
Rex magnus paruâ iacet hîc GVILLELMVS in vrna,
Sufficit & magno parua domus Domino.

RODBERTVS II. *Ter septem gradibus se voluerat, atque duobus,* A

Virginis in gremiis Phœbus, & hic obiit.

1087. Eodem anno multi Normannorum nobiles Regi suo morte comitati sunt. Nam dum Rex adhuc ægrotaret, cognatus eiusdem Guilbertus Alfagiensis, filius Ricardi de Hugleuilla, vir bonus & simplex, XIX. Kalendas Septembris defunctus est, & in Ecclesia sanctæ Mariæ, vbi sex Monachos ex Vticensi Cœnobio constituerat, sepultus est. Ibi etiam post quatuor annos religiosa mulier Beatrix vxor eius II. Nonas Ianuarij tumulata est. Moriente Duce suo Normanni multas lacrymas fuderunt, & si non pro illo, saltem pro amicis & cognatis suis, qui tunc mortui sunt. Simon de Monteforti gener Ricardi Comitis Ebroicensium, & Guillelmus Paganellus; Hugo quoque iuuenis strenuissimus, Hugonis de Grantemaisnil filius, & cognatus eius Robertus de Rodelento, atque Guillelmus de Abrincis filius Vvitmundi, aliique illustres viri obierunt. Beati qui benè mortui sunt, qui ærumnas desolatæ regionis ac defensore carentis non viderunt. B

TVNC in Normannia facta est nimia rerum mutatio, gelidúsque timor inermi inhæsit populo, & potentibus impunè flagrans ambitio. Robertus de Bellisma festinabat ad Curiam Regis, loqui cum illo de rebus necessariis. Perueniens ad introitum Brionnæ, audiuit Regem mortuum esse. Qui mox compede regirato Allencionem venit, & improuisos Regis satellites statim de Prætorio eiecit. Hoc quoque fecit Bellismæ, & omnibus aliis castellis suis: & non solùm suis, sed & in vicinorum suorum, quos sibi pares dedignabatur habere, municipiis, quæ aut intromissis clientibus suis sibi subiugauit, aut penitus ne sibi aliquando resistere possent, destruxit. Guillelmus etiam Comes Ebroicensis de Dangione regios expulit excubitores. Et Guillelmus de Britolio, ac Radulfus de Conchis, aliique omnes in sua ditione redegerunt munitiones, vt vnusquisque liberè posset contra vicinum suum & collimitaneum exercere inimicitias damnabiles. Sic Proceres Neustriæ de munitionibus suis omnes Regis custodes expulerunt, patriámque diuitiis opulentam propriis viribus vicissim expoliauerunt. Opes itaque, quas Anglis aliisque gentibus violenter rapuerunt, meritò latrociniis & rapinis perdiderunt. C

OMNES Ducem Robertum mollem esse desidémque cognoscebant, & idcirco facinorosi eum despiciebant, & pro libitu suo dolosas factiones agitabant. Erat quippe idem Dux audax & validus, multáque laude dignus, eloquio facundus: sed in regimine sui suorúmque inconsideratus, in erogando prodigus, in promittendo diffusus, ad mentiendum leuis & incautus, misericors supplicibus, ad iustitiam super iniquo faciendam mollis & mansuetus, in definitione mutabilis, in conuersatione omnibus nimis blandus & tractabilis, ideóque peruersis & insipientibus despicabilis. Corpore autem breuis & grossus, ideóque Breuis-ocrea à patre est cognominatus. Ipse cunctis placere studebat, cunctísque quod petebant aut dabat, aut promittebat, vel concedebat. Prodigus dominium patrum suorum quotidie imminuebat, insipienter tribuens vnicuique quod petebat: & ipse pauperescebat, vnde alios contra se roborabat. Guillelmo de Britolio dedit Ibericum, vbi arx, quam Albereda proauia eius fecit, fortissima est. Et Rogerio de Bellomonte, qui solebat Ibericum iussu Guillelmi Regis custodire, concessit Brioniam; quod oppidum munitissimum, & in corde terræ situm est. D

ODO Baiocensis Episcopus, postquam de carcere liber egressus est, totum in Normannia pristinum honorem adeptus est, & Consiliarius Ducis videlicet nepotis sui factus est. Erat enim eloquens & magnanimus, dapsilis & secundum seculum valde strenuus. Religiosos homines diligenter honorabat, Clerum suum acriter ense & verbo defendebat, Ecclesiámque preciosis ornamentis copiosè per omnia decorabat. Hoc attestantur ædificia quæ construxit, & insignia ex auro & argento vasa & indumenta, quibus Basilicam vel Clerum ornauit. In adolescẽtia pro germanitate Ducis datus est ei Baiocensis Præsulatus, in quo plusquàm quinquaginta annis pollẽs diuersa est operatus. In quibusdã spiritus ei laudabiliter dominabatur, in nõnullis verò spiritui caro miserabiliter principabatur. Carnali ergo ardore

A stimulatus genuit filium nomine Ioannem, quem nunc in Curia Henrici Regis videmus eloquentia magnáque probitate pollentem. Sed quamuis in quibusdam præfatum Odonem secularis detinuisset leuitas, multum tamen exterius ipse res emendauit Ecclesiasticas. Ecclesiam sanctæ Dei genitricis Mariæ à fundamentis cœpit, eleganter consummauit, multísque gazis & ornamentis affatim ditauit. Ad Ecclesiam sancti Vigoris Episcopi Baiocensis, quæ sita est iuxta murum vrbis, Monachos posuit, eísque religiosum & sapientem Robertum de Tumbalenia patrem præposuit; qui inter reliqua peritiæ suæ monumenta, breuem & luculentam, sensúque profundam super Cantica Canticorum expositionem dimisit in Ecclesia. Verùm postquàm præfatus Pontifex, vt prædictum est, clausus fuit in carcere, prædictus Abbas relictis omnibus perrexit peregrè, veniénsque Romam, à Gregorio VII. Papa detentus honorificè, vsque ad mortem Romanæ fideliter seruiuit Ecclesiæ. Fundatore itaque Episcopo vinculis mancipato, & Abbate in Latias partes abeunte, nouitius grex Monachorum dispersus est, & quæsitis prout quisque potuit sedibus, ad idem Cœnobium numquam reuersus est.

B DENIQVE Præsul Odo Grentoni Diuionensium Abbati dedit prædictum Monasterium, ibique vsque hodie Cella floret Diuionensium. Sic euidenter patet, quòd Antistes Odo Monasticum Ordinem valde dilexisset. Dociles quoque Clericos Leodicum mittebat, & alias vrbes, vbi Philosophorum studia potissimum florere nouerat: eísque copiosos sumptus, vt indesinenter & diutiùs Philosophiæ fonti possent insistere, largiter administrabat. De discipulis, quos ita nutriebat, fuerunt Thomas Archiepiscopus Eboracensis, atque Samson frater eius Episcopus Vvigornensis, Guillelmúsque de Ros Abbas Fiscannensis, & Turstinus Glestoniensis: multíque alij, qui nostris temporibus in Ecclesia Dei floruerunt, & subiectis ouibus pabulo doctrinæ, radiísque virtutum solerter profuerunt. Sic Odo Pontifex, licet secularibus curis admodum esset irretitus, multa tamen laudabilia pertimescebat illicitis actibus, & quæ facinorosè aggregarat largitus est Ecclesiis & pauperibus. Tandem nutu Dei omnipotentis, Dominicæ Incarnationis anno MXCVI. Indictione IV. omnia reliquit, & iter Hierosolymitanum cum Roberto Duce nepote suo, vt in sequentibus volente Deo pleniùs dicemus, arripuit, &

C præsente Gisleberto Ebroicensium Episcopo in vrbe Panormitana obiit. Corpus vero eius in basilica S. Mariæ sepultum est, super quod insigne opus à Rogerio Comite Siciliæ factum est.

ROBERTVS Normanniæ Dux opes, quas habebat, militibus vbertim distribuit, & tyronum multitudinem pro spe & cupidine munerum sibi connexuit. Deficiente ærario Henricum fratrem suum, vt de thesauro suo sibi daret, requisiuit. Quod ille omninò facere noluit. Dux autem mandauit ei, quòd si vellet, de terra sua venderet illi. Henricus vt audiuit quod concupiuit, mandato fratris libenter adquieuit. Pactio itaque inter fratres firma facta est. Henricus Duci tria milia librarum argenti erogauit, & ab eo totum Constantinum pagum, quæ tertia Normanniæ pars est, recepit. Sic Henricus Abrincas & Constantiam, Montémque sancti Michaëlis in periculo maris, totúmque fundum Hugonis Cestrensis Consulis, quod in Neustria possidebat, primitus obtinuit. Constantiensem itaque Prouinciam benè gubernauit, suámque iuuentutem laudabiliter exercuit.

D Hic in infantia studiis literarum à parentibus traditus est, & tam naturali quàm doctrinali scientia nobiliter imbutus est. Hunc Lanfrancus Dorobernensis Episcopus dum iuuenile robur attingere vidit, ad arma pro defensione regni sustulit, eúmque lorica induit, & galeam capiti eius imposuit; eíque vt Regis filio, & in regali stemmate nato militiæ cingulum in nomine Domini cinxit. Hic XII. annis, quibus super Anglos Guillelmus Rufus regnauit, laboriosam per varios mobilis fortunæ rotatus vitam transegit, & tristibus seu lætis exercitatus multa edidicit. Denique defuncto fratre suo regni culmen conscendit, quod iam ferè XXXIII. annis tenuit. Mores eius & actus suis in locis, donante Deo, si vita comes, enodabo. Nunc verò ad narrationis ordinem redire decerno, & quæ nostris temporibus acta sunt posteris intimabo.

IN PRIMO anno Principatus duorum fratrum, Optimates vtriusque regni conueniunt, & de duobus regnis nunc diuisis, quæ manus vna pri-

RODBERTVS II. 1087. dem tenuerat tractare satagunt. Labor, inquiunt, nobis ingens subitò creuit, & A maxima diuinutio potentiæ nostræ opúmque nobis incumbit. Hactenus enim Normannia sub Ducibus magnis honorificè potiti sumus, paterna hæreditate, » quam parentes nostri, qui de Dacia cum Rollone ante ducentos & duodenos an- » nos venêre, nacti sunt cum magna strenuitate. Deinde nos cum Guillelmo Duce » Pontum transfretauimus, & Saxones Anglos viribus armísque nostris prostraui- » mus, & fundos eorum cum omnibus diuitiis, non sine magno cruoris nostri discri- » mine obtinuimus. Proh dolor! en violenta nobis orta est mutatio, & nostræ sub- » limitatis repentina deiectio. Quid faciemus? Ecce defuncto Seniore nostro, duo » iuuenes succedunt, iamque dominatum Angliæ & Normanniæ subitò segrega- » runt. Quomodo duobus dominis tam diuersis, & tam longè ab inuicem remotis » competenter seruire poterimus? Si Roberto Duci Normannorum dignè seruieri- » mus, Guillermum fratrem eius offendemus. Vnde ab ipso spoliabimur in Anglia » magnis redditibus, & præcipuis honoribus. Rursus si Regi Guillermo congruè pa- » ruerimus, Robertus Dux in Normannia penitus priuabit nos paternis hæreditati- B » bus. Summopere cauendum est, ne tale diuortium contingat nobis sub Principibus » his, quale sub Roboam & Hieroboam contigit Israëlitis. Vnus populus per duos » Principes in sese diuisus est, & lege, templo, cæremoniísque Dei pessundatis, in » apostasiam lapsus est. Sic Hebræi per detestabile dissidium in sua viscera nequiter » armati sunt, & seruientes Baalim multa suorum millia trucidarunt. Ad postremum » verò pars eorum, qui numquã postea redierũt, sub Assyriis in Mediam captiuata est; » & alia pars sub Chaldæis Babylonicam captiuitatem passa est. Et Thebæis quid » contigit sub duobus fratribus Eteocle & Polinice? Nónne multa millia vtriúsque » partis corruerunt? Ad vltimum verò ipsi fratres mutuis vulneribus conciderunt, » & extraneis successoribus hæreditarium ius dimiserunt? Hæc & multa huiusmodi » solerter intueri debemus, & prudenter præcauere, ne per consilium iuuenile pe- » reamus, inuiolabile fœdus firmiter ineamus, & Guillelmo Rege deiecto vel inter- » fecto, qui iunior est, & proteruus, & cui nihil debemus, Robertum Ducem, qui C » maior natu est, & tractabilior moribus, & cui iamdudum viuente patre amborum » fidelitatem iurauimus, Principem Angliæ ac Neustriæ ad seruandam vnitatem v- » triúsque regni constituamus.

HOC itaque consilium Odo Præsul Baiocensis, & Eustachius Comes Boloniensis, atque Robertus Belesmensis, aliíque plures communiter decreuerunt, decretúmque suum Roberto Duci detexerunt. Ille verò, vtpote leuis & inconsideratus, valde gauisus est promissis inutilibus, seséque spopondit eis, si inchoarent, affuturum in omnibus, & collaturum mox efficax auxilium ad perpetrandum tam clarum facinus. Igitur post Natale Domini prædicti Proceres in Angliam transfretauerunt, & castella sua plurimo apparatu muniuerunt, multámque partem patriæ contra Regem infra breue tempus commouerunt.

ODO nimirum, vt suprà dictum est, Palatinus Cantiæ Consul erat, & plures sub se Comites virósque potentes habebat. Rogerius Comes Scrobesburiensis, & Hugo de Grantemaisnil, qui præsidatum Legrecestræ regebat, ac Robertus de Rodelento nepos eius, aliíque plures fortissimi milites seditiosis fauebant, & munitiones suas fossis, & hominibus, atque alimentis hominum & equorum abundanter D instruebant. Iam auidi prædones inuadebant prædas pagensium, ouanter præstolantes Ducem Robertum, qui statuerat præcursores suos vere redeunte sequi cum multis legionibus militum. Tunc Osbernus Ricardi cognomento Scrop filius, & Bernardus de Nouo-mercato gener eius, aliíque complices eorum, qui fines Merciorum possidebant, in territorio Vvigornensi rapinis & cædibus, prohibente & anathematizante viro Dei Vulfstano Episcopo, nequiter insistebant. Rex verò Guillermus vt vidit suos in terra sua contra se pessima cogitare, & per singula crebrescentibus malis ad peiora procedere; non meditatus est vt timida vulpes ad tenebrosas cauernas fugere, sed vt leo fortis & audax rebellium conatus terribiliter comprimere. Lanfrancum itaque Archiepiscopum cum suffraganeis Præsulibus, & Comites, Anglósque naturales conuocauit, & conatus aduersariorum, ac velle suum expugnandi eos indicauit. At illi Regem, vt perturbatores pacis comprimeret, adhortati sunt, seséque promptissimos ad adiuuandum polliciti

A sunt. Anglorum verò triginta milia tunc ad seruitium Regis sponte sua conuenerunt, Regémque, vt perfidos proditores absque respectu puniret, admonuerunt, dicentes: Viriliter age vt Regis filius, & legitimè ad regnum assumptus, securus in hoc regno dominare omnibus. Nónne vides quot tecum sumus, tibique gratanter paremus? Passim per totam Albionem impera, omnésque rebelles deiice regali iustitia. Vsque ad mortem pro te certabimus, nec vmquam tibi alium præponemus. Stultum nimis est & profanum noto Regi præferre hostem extraneum. Detestabilis gens est, quæ Principi suo infida est. Phalanx morti sit vicina, quæ domini sui gaudet ruina. Solerter Anglorum rimare historias, inueniésque semper fidos Principibus suis Angligenas.

REX ergo Rufus indigenarum hortatu promptior surrexit, & congregato exercitu magno contra rebelles pugnaturus processit. Tunc Odo Bajocensis cum quingentis militibus intra Rofensem vrbem se conclusit, ibique Robertum Ducem cum suis auxiliaribus secundum statuta quæ pepigerant præstolari proposuit. Non enim B seditiosi, quamuis essent plurimi, multísque gazis & armis & ingenti apparatu stipati, ausi erant contra Regem in regno suo præliari. Oppidum igitur Rouecestræ sollicita elegerunt prouisione, quoniam si Rex eos non obsedisset in vrbe, in medio positi laxis habenis Lundoniam & Cantuariam deuastarent; & per mare, quod proximum est, insulásque vicinas, pro auxiliis conducendis nuntios citò dirigerent. Animosus autem Rex conatus eorum præuenit, oppidúmque Maio mense cum grandi exercitu potenter obsedit, firmatísque duobus castellis omnem exeundi facultatem hostibus abstulit. Prædictum, vt prælibauimus, oppidum Odo Præsul, & Eustachius Comes, atque Robertus Bellesmensis, cum multis nobilibus viris & mediocribus, tenebant: auxiliúmque Roberti Ducis, qui desidia mollitiéque detinebatur, frustra expectabant. Rogerius verò Merciorum Comes, multíque Normannorum, qui cum Rege foris obsidebant, clam adminiculari quantum poterant inclusis satagebant. Non tamen palam contra Regem arma leuare audebant. Omnes Episcopi C Angliæ cum Anglis sine dolo Regem iuuabant, & pro serena patriæ pace, quæ bonis semper amabilis est, laborabant. Hugo Comes Cestrensis, & Robertus de Molbraio Nordanhumbrorum Comes, & Guillermus de Guarena, ac Robertus Haimonis filius, aliique legitimi maturíque Barones Regi fideliter adhærebant, eíque armis & consilio contra publicos hostes commodè fauebant.

IN oppido Rofensi plaga similis Ægyptiorum plagæ apparuit, qua Deus, qui semper res humanas curat, & iustè disponit, antiqua miracula nostris etiam temporibus recentia ostendit. Nam sicut scinifes importunitate sua Ægyptios infestabant, & nec ad momentum ab infestatione sua circa ipsos cessabant: ita muscæ obsessos incessanti molestiâ importunè vexabant. Obsessi nempè extra castellum exire nequibant, & plures eorum ex diuersis infortuniis grassante morbo interibant. Innumerabiles ergo muscæ hominum & equorum cœno nascebantur, & tam æstatis, quàm anhelitus cohabitantium calore confouebantur: & oculis ac naribus, & cibis ac potibus inclusorum horribiliter ingerebantur. Tanta itaque importunitate muscarum stimulabatur cohors superba rebellium, vt numquam die vel nocte D possent capere cibum, nisi magna pars ipsorum ab inquietudine muscarum vicissim flabellis defenderet ora sociorum. Igitur Odo Bajocensis & complices sui diutius obsidionem pati non potuerunt. Vnde Guillermum Regem nuntiis petierunt, vt pacem cum eis faceret, ac oppidum ab eis reciperet: tali tenore, vt terras, fundos, & omnia, quæ hactenus habuerant, ab ipso reciperent, & ipsi eidem vt naturali domino fideliter amodo seruirent. His auditis Rex iratus est, & valdè rigidus intumuit, & in nullo flexus legatorum postulationibus non acquieuit: sed perfidos traditores in oppido virtute potenti capiendos iurauit, & mox patibulis suspendendos, & aliis mortium diuersis generibus de terra delendos asseruit. Videntes autem ij, qui obsidebant cum Rege, ad necem parentum & amicorum, qui obsessi erant, tam validè Regis animum furere; cum ingenti supplicatione ad eum accesserunt, eíque multa prece, multóque fauore blandiri conati sunt. Dicunt itaque: Laudetur Deus, qui semper adiuuat sperantes in se, & dat bonis patribus eximiam sobolem succedere. Ecce turgidi iuuenes, & cupiditate cæcati senes iam satis edocti sunt, quòd Regiæ vires in hac Insula nondum defecerunt. Nam qui de Normannia

RODBERTVS II. 1087.

tanquam milui ad prædam super nos cum impetu aduolarunt, & in Anglia regiam A stirpem defecisse arbitrati sunt, iam Guillelmum iuuenem Guillelmo sene non debiliorem, cohibente Deo, experti sunt. Iam penè victi viribus tuis succumbunt, & fatiscentes magnitudinem tuam supplices exposcunt. Nos quoque, qui tecum maximis in periculis, sicut cum patre tuo, perstitimus, nunc tibi humiliter astamus, & pro compatriotis nostris obnixè supplicamus. Decet nimirum, vt sicut timidos & vecordes vicisti fortitudine, sic humiliatis & pœnitentibus parcas mansuetudine. Seueritatem regiam temperet clementia, & gloriosæ virtuti tuæ sufficiat celebris victoria. Dauid Rex magnus Semei maledicenti se pepercit, & Ioab atque Abisai, aliósque bellatores pro aduersante sibi Absalon, ne perimerent eum, obnixè rogauit. In diuinis voluminibus abundant exempla huiuscemodi, à quibus non discrepat sagax Poëta in Libello de Mirabilibus mundi,

Parcere prostratis sit nobilis ira leonis.
Tu quoque fac simile quisquis dominaris in orbe.

HÆC ita dicentibus Guillermus Rex ait: Fateor me viribus vestris hostes expugnasse, & per auxilium Dei cum labore vestro gratanter trophæo appropinquasse. B Verùm tantò cautiùs præcauere debetis, ne me precibus vestris à rigore rectitudinis deuiare cogatis. Quisquis parcit periuris & latronibus, plagiariis & execratis proditoribus, aufert pacem & quietem innocentibus, innumerásque cædes & damna serit bonis & inermibus. Quid sceleratis peccaui? quid illis nocui? quid mortem meam totis nisibus procurauerunt, & omnes pro posse suo contra me populos cum detrimento multorum erexerunt? Omnia sua illis dimisi, nullóque reatu contra me commoui. Et illi summopere mihi facti inimici. Vnde reor omninò esse iustum, vt Dauid magni Regis, quem mihi proposuistis imitandum, irrefragabiliter teneamus iudicium. Sicut Baana & Rechab filij Remmon Berotitæ, qui Regem Isboseth in domo sua decolauerunt, iudicante Dauid, in Hebron suspendio perempti sunt; sic isti insidiatores regni puniantur terribili animaduersione, vt præsentes & futuri terreantur, & castigentur huius vltionis relatione.

AD hæc Optimates Regi dixerunt: Omnia, quæ dicis, domine Rex, vera & iusta esse censemus, nec vno verbo rationi tuæ contradicere valemus. C Beniuolentia tamen cogente potentiam tuam humiliter oramus, vt consideres qui sunt, pro quibus tantopere rogamus. Bajocensis Odo patruus tuus est, & Pontificali sanctificatione præditus est. Cum patre tuo Anglos subiugauit, eique in multis anxietatibus periculosè subuenit. Quid tanto viro agendum est? Absit vt in Sacerdotem Domini manus inicias, & sanguinem eius effundas in tali causa. Reminiscere quid fecerit Saül in Nobe, & quid pertulerit in monte Gelboë. Quis præsumet tibi nefarius suadere, vt Antistitem Domini, patruúmque tuum velis condemnare? Nemo. Omnes ergo precamur, vt illi beneuolentiam tuam concedas, & illæsum in Normanniam ad diocesim suam abire permittas. Comes etiam Boloniensis patri tuo satis fuit fidelis, & in rebus arduis strenuus adiutor & contubernalis. Robertus quoque Belesmensis, qui patri tuo fuit valde dilectus, & multis honoribus olim ab ipso promotus, nunc magnam Normanniæ partem possidet, fortissimísque castellis corroboratus, penè omnibus vicinis suis, & Neustriæ proceribus præeminet. His itaque si animi tui rancorem indulseris, & tecum benigniter retinueris, aut saltem à te cum D pace dimiseris, eorum adhuc amicitia seruitióque in multis euentibus vtiliter perfruêris. Idem qui lædit, fors post vt amicus obedit. In horum comitate pollent, séséque tibi offerunt eximij tyrones, quorum seruitutem, inclyte Rex, parui pendere non debes. Igitur quos iam superasti potestate, diuitiis, & ingenti probitate, subiuga tibi magnificentia & pietate.

MAGNANIMVS itaque Rex fidelium suorum precibus victus assensit, exitium & membrorum debilitationem obsessis indulsit, & de oppido exeundi facultatem cum equis & armis concessit. Sed omnem spem habendi hæreditates & terras in regno eius, quamdiu ipse regnaret, funditus abscidit. Tunc Odo Pontifex à Rege Rufo impetrare temptauit, ne tubicines in eorum egressu tubis canerent, sicut moris est, dum hostes vincuntur, & paruum oppidum capitur. Rex autem iratus quod petebatur omninò denegauit, nec se concessurum etiam propter mille auri marcos palam asseruit. Oppidanis ergo cum mœrore & verecundia egredientibus, & re-

A galibus tubis cum gratulatione clangentibus, multitudo Anglorum, quæ Regi ad- RODBERTUS II. hærebat, cunctis audientibus vociferabatur, & dicebat: Torques, torques afferte, & traditorem Episcopum cum suis complicibus patibulis suspendite. Magne Rex Anglorum, cur sospitem pateris abire incentorem malorum? Non debet viuere periurus homicida, qui dolis & crudelitatibus peremit hominum multa milia. Hæc & alia probra mœstus Antistes cum suis audiuit. Sed quamuis acerba minaretur, indignationi suæ satisfacere non potuit. Sic irreligiosus Præsul de Anglia expulsus est, & amplissimis possessionibus spoliatus est. Tunc maximos quæstus, quos cum facinore obtinuit, iusto Dei iudicio cum ingenti dedecore perdidit, & confusus Bajocas rediit, nec in Angliam postmodum repedauit.

ANNO itaque primo Guillelmi Rufi Regis, in initio æstatis Rofensis vrbs ei reddita est, omniúmque, qui contra pacem enses acceperant, nequam commotio compressa est. 1088. Nam iniqui & omnes malefactores, vt audaciam Regis & fortitudinem viderunt, quia prædas & cædes, aliáque facinora cum auiditate amplexati fuerant, contremuerunt; nec postea XII. annis quibus regnauit, mutire ausi fuerunt. Ipse B autem callidè se habuit, & vindictæ tempus opportunum expectauit. Quorumdam factiones sæuissimis legibus puniit, aliquorum verò reatus ex industria dissimulauit. Antiquis Baronibus, quos ab ipso aliquantum desciuerat nequitia, versutè pepercit pro amore patris sui, cui diu fideliter inhæserant, & pro senectutis reuerentia: sciens profectò quòd non eos diu vigere sinerent morbi & mors propria. Porrò quidam, quantò grauiùs se errasse in regiam maiestatem nouerunt, tantò feruentiùs omni tempore postmodum ei famulati sunt, & tam muneribus quàm seruitiis ac adulationibus multis modis placere studuerunt.

CVM supradicta tempestate vehementer Anglia vndique concuteretur, & mutuis vulneribus incolæ regni quotidie mactarentur; quia hi Regem deicere tentabant, illi econtra pro Rege viriliter dimicabant, GRITHFRIDVS Rex Guallorum cum exercitu suo fines Angliæ inuasit, & circa Rodelentum magnam stragem hominum & incendia fecit; ingentem quoque prædam cepit, hominésque in captiuitatem duxit. Robertus autem Rodelenti Princeps de obsidione Rofensi rediens, & tam atroces damnosósque sibi rumores comperiens, vehementer dolens ingemuit, ac terribilibus minis iram suam euidenter aperuit. Erat enim miles fortis C & agilis, facundus & formidabilis, largus & multis probitatibus laudabilis. Hic Eduardi Regis armiger fuit, & ab illo cingulum militiæ accepit. Vmfridus pater eius, fuit filius Amfridi de progenie Dacorum. Adeliza verò mater eius, soror Hugonis de Grentemaisnil, de clara stirpe Geroianorum. Hic præcipuus agonotheta inter militiæ labores Ecclesiæ cultor erat, & Clericos ac Monachos valde diligens honorabat, ac eleemosynis pauperum pro modulo suo libenter instabat.

PORRO Vticense Cœnobium, vbi fratres sui Ernaldus & Rogerius Monachi erant, & pater suus ac mater, aliique parentes eius tumulati quiescebant, valde dilexit, & pro viribus suis locupletauit. Hinc illi Ecclesiam de Telliolo, & hoc quod habebat in Ecclesia de Dambleinuilla, & Presbyterium dedit; & hoc quod habebat in Ecclesia de Cornero cum Presbyterio concessit. Decimam molendinorum, & omnium exituum suorum, & redecimationem promptuariorum suorum addidit. Idem verò Robertus in Anglia dedit sancto Ebrulfo & Monachis eius Cumbinellam terram duarum carrucarum, & XX. villanos, & Ecclesiam cum Presbyterio, D decimámque totam & villam, quæ Chercabia dicitur, cum Ecclesia & Presbyterio, Ecclesiámque de Insula, & in ciuitate Cestra Ecclesiam sancti Petri de Mercato, & tres hospites. Quæ omnia vt sanctus Ebrulfus solidè & quietè, sicut ea ipse dederat, possideret, in Capitulum Vticense venit, & de his omnibus quæ dicta sunt, coram Mainerio Abbate & Conuentu Monachorum concessionem suam confirmauit. Tunc ibidem cum eo fuerunt Razso Decanus, & Hugo de Millaio, Guillelmus Pincerna filius Grimoldi, & Rogerius filius Geroij, Durandus, & Burnellus, Osbernus de Orgeriis, atque Gauterius Præpositus. Interfuerunt hi, dum Robertus in Basilicam perrexit, & donationem rerum supramemoratarum super altare posuit. Hæc breuiter tetigi de donis quæ præfatus Heros Vticensi contulit Ecclesiæ, nec me velit, quæso, prudens lector inconsideratè subsannare, si titulum incœpti Operis, dum tempus est, prosequor in narratione.

RODBERTUS II. 1088. ROBERTVS Vnfridi filius, dum puer erat, cum patre suo in Angliam transfretauit, & Eduardo Regi, donec ab eodem miles fieret, domi militiæque seruiuit. Deinde fulgentibus armis iam indutus, regiisque muneribus honorificè ditatus, parentes suos reuisere concupiuit, & Regis adepta permissione ad suos ouans repatriauit. Facto autem Senlatio bello, & Rege Guillelmo multis hostium tumultibus occupato, præfatus tyro cum Hugone consobrino suo, Richardi de Abrincis cognomento Goz filio, iterum ad Anglos transiit, & semper in omnibus exercitiis, quæ à militibus agenda erant, inter præcipuos viguit. Deinde post multos agones prædicto Hugoni Comitatus Cestrensis datus est, & Robertus Princeps militiæ eius, & totius prouinciæ Gubernator factus est. Tunc vicini Britones, qui Gualli, vel Guallenses vulgò vocitantur, contra Regem Guillelmum & omnes eius fautores nimis debacchabantur. Decreto itaque Regis, oppidum contra Guallos apud Rodelentum constructum est, & Roberto, vt ipse pro defensione Anglici regni barbaris opponeretur, datum est. Bellicosus Marchio contra inquietam gentem sæpissimè conflixit, crebrísque certaminibus multùm sanguinis effudit. Incolis itaque Britonibus sæuo Marte repulsis fines suos dilatauit, & in monte Dagaunoth, qui mari contiguus est, fortissimum castellum condidit. Per XV. annos intolerabiliter Britones protriuit, & fines eorum, qui pristina libertate tumentes nihil omnino Normannis debuerunt, inuasit. Per syluas & paludes, & per arduos montes persecutus hostes multis modis profligauit. Nam quosdam comminus vt pecudes irreuerenter occidit, alios verò diutiùs vinculis mancipauit, aut indebitæ seruituti atrociter subiugauit. Christicolæ non licet fratres suos sic opprimere, qui in fide Christi sacro renati sunt baptismate.

SVPERBIA & cupiditas, quæ per totum orbem mortalium possident pectora, Robertum Marchisum absque modo ad prædas stimulabant, & homicidia, per quæ idem in horrendum præcipitium mersus est postea. Nam tertio die Iulij Grithfridus Rex Guallorum cum tribus nauibus sub montem, qui dicitur Hormaheua littori appulsus est, & mox pyratarum exercitus quasi lupi rapaces ad depopulandam regionem diffusus est. Interim mare fluctus suos retraxit, & in sicco littore classis pyratarum stetit. Grithfridus autem cum suis per maritima discurrit, homines & armenta rapuit, ac ad naues exsiccatas festinè remeauit.

INTEREA clamor vulgi Robertum meridie dormitantem excitauit, eíque hostilem discursum per terram suam nunciauit. Ille verò vt iacebat impiger surrexit, & mox præcones ad congregandum agmen armatorum per totam regionem direxit. Porro ipse cum paucis bellatoribus imparatus Guallos prosecutus est, & de vertice montis Hormoheuæ, qui nimis arduus est, captiuos à pyratis ligari, & in naues cum pecoribus præcipitari speculatus est. Vnde Marchisus audax vt leo nobilis vehementer infremuit, hominésque paucos, qui secum inermes erant, vt antequam æstus maris rediret, super Guallos in sicco littore irruerent admonuit. Illi verò prætendunt suorum paucitatem, & per ardui montis præcipitium descendendi difficultatem. Denique Robertus dum videret inimicum agmen cum præda sua præstolari reditum maris, quo aufugeret, nimis doluit, impatiénsque moræ per difficilem descensum sine lorica cum vno milite nomine Osberno de Orgeriis, ad hostes descendit. Quem cùm viderent solo clypeo protectum, & vno tantùm milite stipatum, omnes pariter in illum missilia destinant, & scutum eius iaculis intolerabiliter onerant, & egregium militem lethaliter vulnerant. Nullus tamen quamdiu stetit, & parmam tenuit, ad eum comminus accedere, vel eum ense impetere ausus fuit. Tandem bellicosus heros spiculis confossus genua flexit, & scutum missilibus nimis onustum viribus effœtus dimisit, animámque suam Deo sanctæq; Dei genitrici Mariæ commendauit. Tunc omnes in illum irruunt, & in conspectu suorum caput eius abscindũt, ac super malum nauis pro signo victoriæ suspendunt. Hoc plures de cacumine montis cum ingenti fletu & mœstitia cernebant, sed hero suo succurrere non valebant. Deinde comprouinciales de tota regione adunati sunt, sed frustra, quia Marchiso iam multato suffragari nequiuerunt. Classe tamen parata pyratas per mare fugientes persequebantur nimis tristes, dum caput Principis sui super malum puppis intuebantur. Cúmque Grithfridus & complices sui respicerent, & persecutores nimis iratos pro iniuria herili aduerterent, caput deposuerunt, & in mare

A proiecerunt. Hoc vt Roberti milites conspexerunt, nequicquam prosequi homicidas desierunt. Corpus verò eius cum nimio luctu Anglorum & Normannorum sustulerunt, & Cestram detulerunt, ibique in Cœnobio sanctæ Vvalburgæ virginis sepelierunt. Nuper illud Cœnobium Hugo Cestrensis Consul construxerat, eique Ricardus Beccensis Monachus Abbas præerat, ibique Deo Monachorum gregem inter belluinos cœtus nutriebat. RODBERTVS II. 1088.

POST aliquot annos Ernaldus Monachus Vnfridi filius in Angliã trãsfretauit, & ossa Roberti fratris sui Roberto de Limesia Merciorũ Episcopo concedente sustulit, & in Normanniam ad Vticense Monasteriũ trãstulit: quæ Rogerius Abbas cum Conuentu fratrũ honorificè suscepit, & in claustro Monachorũ secus Ecclesiam in Meridiana parte tumulauit. Præfatus Ernaldus, cũ quatuor nobilibus sociis, Vvidone & Rogerio, Drogone & Odone, in adolescentia militiã deseruit, & fact⁹ Monachus plus cũctis sodalibus suis in Monachatu desudauit, & ferè quinquaginta annis in ordine Monachili feruid⁹ vixit. Hic nimirũ Ecclesiæ suæ vtilitati satis inhiauit, pro quibus Britanicũ pelagus multoties trãsfretauit, atq; Apuliam, & Calabriã, Siciliamque, vt de spoliis parentũ suorũ Ecclesiæ suæ subsidiũ suppeditaret, penetrauit.
B Tunc Guillelmum Abbatẽ sanctæ Eufemiæ fratrem suum, & Guillelmũ de Grãtemaisnil consobrinum suum, aliósq. cognatos suos in Italia locupletatos adiit, ipsisque benigna vi quantum potuit vt Monasterio suo conferret abstulit. Sic de rebus parentum suorum ornatus, & alia commoda Ecclesiæ suæ procurauit, ipsósque consanguineos vtilitatibus Monasterij subiugauit. Multas iniurias atque repulsas plurimis in locis pertulit, sed ab incœpto conatu, licèt plurimis aduersitatibus interdum & frequenter impediretur, depelli non potuit. Prædictus vir his & huiusmodi nisibus sat procaciter studuit, eiúsque studio conditus super tumulum fratris sui lapideus arcus vsque hodie consistit. Rainaldus pictor cognomento Bartolomæus variis coloribus arcum tumulúmque depinxit, & Vitalis Angligena satis ab Ernaldo rogatus Epitaphium Elegiacis versibus hoc modo edidit.

Hoc in mausoleo Robertus de Rodelento
Conditur humano more soli gremio.
C *Filius Vnfreni Dacorum spermate nati,*
Fortis & illustris iste fuit iuuenis.
Dapsilis & pugnax, agilis, formosus & audax
Miles in orbe fuit, viuere dum licuit.
Marchio munificus, sociisque fidelis amicus,
Vt Christi sponsæ paruit Ecclesiæ.
Presbyteros, Monachos, pupillos & peregrinos
Semper honorabat, largáque dona dabat.
Construxit castrum, tenuitque diu, Rodelentum,
Firmiter indigenis oppositum rabidis.
Barbaricas contra gentes exercuit arma,
Mille pericla probo sponte ferens animo.
Montem Suaudunum, fluuiúmq; citum Coluenum
Pluribus armatis transiliit vicibus.
Præcipuam pulcro Blideno Rege fugato
D *Prædam cum paucis cepit in insidiis.*
Duxit captiuum, lorísque ligauit Hoellum,
Qui tunc Vvallensi Rex preerat manui.
Cepit Grithfridum Regem, vicitque Trehellum,
Sic micuit crebris militiæ titulis.
Attamen incautè Vvallenses ausus adire,
Occidit æstiui principio Iulij.
Prodidit Ouuenius, Rex est gauisus Houellus,
Facta vindicta monte sub Hormaheua.
Ense caput secuit Grithfridus, & in mare iecit,
Soma quidem reliquum possidet hunc loculum.
In claustro sancti requiescit Patris Ebrulfi,
Pro meritis cuius sit sibi plena salus.

ROBERTVS II. 1088.

Quondam robustus, iacet hic nunc exanimatus.
Hinc dolor in tota personat, heu! patria.
Hic modò fit puluis, iam nil agit vtilitatis.
Ergo pie lector eius adesto memor.
Hunc vt in æthereá locet arce roga prece digna,
Cum lacrymis verum, qui regit omne, Deum.
Christe Dei splendor, vita dator, & reparator
Orbis, huic famulo propitiare tuo.
Eripe tartareis Robertum Christe camœnis.
Est nimis ipse reus, terge precor facinus.
Parce quòd ipse piam rogitans clamore Mariam,
Consutus rigidis occubuit iaculis.
Indulge culpas, mansuras annue gazas,
Vt queat in nitidis semper inesse choris. Amen.

GVILLELMO Rufo per omnes Anglorum regiones dominante, & vbique rebelles principali censura fortiter comprimente, turgidus Odo de Anglia eiectus Baiocensem diocesim repetiit, & Roberto Duce molliter agente toti Normanniæ dominari sategit. Prouincia tota erat dissoluta, & prædones cateruatim discurrebant per vicos & per rura, nimiúmque super inermes debacchabatur latrunculorum caterua. Robertus Dux nullam super malefactores exercebat disciplinam, & grassatores per octo annos sub molli Principe super imbecillem populum suam agitabant furiam. Importunè sanctam Ecclesiam vexabant, & possessiones, quas antecessores boni liberaliter dederant, violenter auferebant, aut deuastabant. Desolata gemebant Monasteria, & Monachi ac Sanctimoniales grandi premebantur penuria. In tantarum simultatum pestilentia, nullus honos Deo sacratis exhibebatur, seu reuerentia. Quotidie fiebant incendia, rapinæ, & homicidia; & lugebat plebs nimiis calamitatibus anxia. Filij nequam emergebant in Normannia, qui enormi cum auiditate ad cuncta prompti erant facinora, & crudeliter materna depascebantur viscera. Inter hæc impunè procedebat petulans illecebra, molles flammísque cremandos turpiter fœdabat Venus sodomitica. Maritalem thorum publicè polluebant adulteria, & erga diuinæ legis obseruantiam multiplex aderat negligentia. Episcopi ex auctoritate Dei exleges anathematisabant, Theologi prolatis sermonibus Dei reos admonebant. Sed his omnibus tumor & cupiditas cum satellitibus suis immoderatè resistebant. Adulterina passim municipia condebantur, & ibidem filij latronum ceu catuli luporum ad dilacerandas bidentes nutriebantur. Occasiones inimicitiarum ab iniquis quærebantur, vt mutuis conflictibus finitimæ cædes frequentarentur, & rapacitates cum incendiis irreuerenti conatu agitarentur. Grauiter hoc sentit, & mihi attestatur depopulata regio, & gemens viduarum debiliúmque pluribus oppressa malis concio. Sic per desidiam ignaui Ducis in breui disperiit, & in magnam egestatem ac perturbationem dedecúsque cecidit, quicquid per viuacitatem studiúmque solertis heri & fautorum eius actum est, longóque tempore in Neustria propagatum est.

IN æstate, postquam certus rumor de Rofensis deditione citra mare personuit, Henricus Clito Constantiniensis Comes in Angliam transfretauit, & à fratre suo terram matris suæ requisiuit. Rex autem Guillelmus benigniter eum, vt decuit fratrem, suscepit, & quod poterat fraternè concessit. Deinde peractis pro quibus ierat, in Autumno Regi valefecit, & cum Roberto Belesmensi, qui iam per amicos potentes cum Rege pacificatus erat, in Normanniam remeare disposuit. Interea quidam maliuoli discordiæ satores eos anticipauerunt, & falsa veris immiscentes Roberto Duci denunciauerunt, quòd Henricus frater suus, & Robertus Belesmensis cum Rege Rufo essent pacificati, ac ad Ducis damnum sacramenti etiam obligatione confœderati. Dux igitur illos potentes ac fortissimos milites sciens, eorúmque conatus valde pertimescens, cum Baiocensi Episcopo consilium iniit, & præfatos Optimates præoccupauit. Nam antequam aliquid molirentur, cùm securi ad litus maris de nauibus egrederentur, valida militum manu missa illos cõprehendit, vinculis coartauit, & vnum Baiocis, aliúmq; Noilleio sub manu Baiocensis tyranni custodiæ mancipauit. Rogerius Comes Scrobesburiæ vt Robertum

A tum filium suum captum audiuit, accepta à Rege licentiâ festinus in Neustriam venit, & omnia castella sua militari manu contra Ducem muniuit. Porro Baiocensis Odo, velut igniuolus draco proiectus in terram, nimis iratus contra Regis insolentiam, variis seditionibus commouebat Normanniam, vt sic de aliquo modo nepoti suo, à quo turpiter expulsus fuerat, machinaretur iniuriam. Ipsum nempe Dux multùm metuebat, & quibusdam consiliis eius adquiescebat, quædam verò flocci pendebat.

VNDIQVE furentibus in Normannia seditiosis, & multa mala cupientibus addere, pessimus Præsul Odo ad Ducem Rothomagum venit, & consideratis totius Prouinciæ negotiis Duci ait: Quisquis gubernaculum regni debet tenere, populóque Dei, qui diuersis in moribus diffusus est, præeminere; mitis & asper prout ratio expetit, sit. vbique sit mitis vt agnus bonis, & subiectis, ac humilibus: asper autem vt leo prauis, & rebellibus, ac contumacibus. Hoc Domine Dux, sagaciter perpende, vt benè nobili præsis Ducatui Normanniæ, quem diuinitus suscepisti ex paterna successione. Confortare & viriliter age. B Ecce proterui & exleges per totam terram debacchantur, & pessimis assiduísque actionibus penè paganis assimilantur, & enormitate scelerum, si dici fas est, adæquantur. Clamant ad te Monachi & viduæ, & dormis. Inaudita facinora frequenter audis, & paruipendis. Non sic egit sanctus Dauid, nec magnus Alexander. Non sic Iulius Cæsar, nec Seuerus Affer. Non sic Hannibal Carthaginensis, nec Scipio Africanus, nec Cyrus Persa, nec Marius Romanus. Quid moror in relatione barbarorum, obscura quorum etiam nomina tibi sunt incognita? Replicemus notiora, & sanguini nostro propinquiora. Reminiscere patrum & proauorum, quorum magnanimitatem & virtutem pertimuit bellicosa gens Francorum. Rollonem dico & Guillelmum Longamspatam, atque tres Richardos, & Robertum auum tuum, postremò Guillelmum patrem tuum cunctis antecessoribus sublimiorem. Horum, quæso, C rigorem æmulare, & efficaciam: sicut illi prædecessorum suorum sectati sunt vigorem & industriam, qui regna mundi per immensos labores obtinuerunt, tyrannos compresserunt, & sæuas gentes edomuerunt. Expergiscere, & inuictum aggrega exercitum Normanniæ, & in vrbem Cenomannicam proficiscere. Ibi sunt municipes tui in arce, quam pater tuus condidit; & tota ciuitas cum venerabili Hoëllo Episcopo tibi gratanter obedit. Iube vt illuc omnes Cenomannensium Proceres veniant ad te, & obsecundantibus lætis affatibus, & beniuola mente congratulare. Contemnentes verò cum virtute militari aggredere, & munitiones eorum, nisi citò dediderint se, protinus obside. Cenomannensibus subiugatis, Rogerium Comitem aggredere, & ipsum cum progenie sua de finibus Normanniæ funditus exclude. Ne timeas, sed in virtute Dei confidas. Virile robur arripe, & consiliis sapientum vtere. Iam Robertum Rogerij primogenitum tenes in carcere. Iam si pertinaciter, vt bonum Ducem decet, perstiteris in agone, Taluatios subuersores de Ducatu tuo poteris penitus expellere. Maledica est prosapia eorum, alit nefas, & maD chinatur quasi ius hereditarium. Hoc nimirum horrenda mors eorum attestatur, quorum nullus communi & vsitato fine, vt cæteri homines, defecisse inuenitur. Talauatiana propago, nisi nunc eam eradicaueris, adhuc vt opinor, noxia tibi erit, & inexpugnabilis. Habent quidem fortissima castella, Bellismum, Lubercionem, Axeium, Alencionem, Damfrontem, sanctum Cenericum, Rupem de Ialgeio, pro qua ab audaci Hugone digladiata est Mabilia, Mamercias, & Iunacium, & alia plura, quæ Guillelmus Bellesmensis, & Robertus, Iuo, & Guarinus, aliique successores eorum superbè construxerunt; aut vi, seu frande, dominis suis vel finitimis subripuerunt. Dolis & scelestis machinationibus semper inhiauerunt, nec vlli amicorum vel affinium fidem seruauerunt. Simplicibus itaque vicinis nece seu captione supplantatis admodum creuerunt, & ingentes domos ac fortissimas munitiones cum nimio sudore pagensium condiderunt. Nunc omnia, optime Dux, iure illis auferre poteris, si magnanimi patris tui, & operum eius fortis æmulator extiteris. Pater enim tuus omnia prædicta munimenta in vita sua habuit, & quibuscúmque voluit, àd tutandum commendauit. Verùm Robertus, quem

RODBERTVS II. 1088. iam ligatum coërces, mox vt Regem defunctum audiuit, municipes tuos de munitionibus tuis per superbiam suam expulit, suæque ditioni, vt exhereditaret te, munimina subegit. Hæc omnia quæ dixi sapienter inspice, ac vt bonus Princeps, » pro pace sanctæ matris Ecclesiæ, & pro defensione pauperum debiliúmque lau» dabiliter exurge, & resistentes virtute contere. Confractis cornibus primorum, » qui ceruicem erexerunt contra te, reliqui visa deiectione contubernalium for» midabunt te, & iussis tuis famulabuntur sine contradictione. Tunc populus Dei » sub tutela protectionis tuæ securus in pace lætabitur, & pro salute tua omnipo» tentem Deum piè deprecabitur. Cultus *diuinitatis in regione tua cunctis ab or» dinibus iugiter celebrabitur, & lex Dei cum securitate communi salubriter ob» seruabitur.

EXHORTATORIAM Antistitis allocutionem omnes qui aderant laudauerunt, & sese ad Ducis officium pro defensione patriæ totius hilariter obtulerunt. Dux igitur Robertus aggregato exercitu Cenomannis profectus est, & tam à Clero quàm à ciuibus tripudiante susceptus est. Deinde legationibus eius auditis, conuenerunt ad eum Goisfredus * Madeniensis, Robertus Burgundio, & Helias filius Ioannis, aliíque plures parati ad seruitium Ducis. Agminibus verò Normannorum præerant Præsul Baiocensis, & Guillelmus Comes Ebroicensis: Radulfus de Conchis, & nepos eius Guillelmus Bretoliensis, aliíque militares viri multis probitatibus præcipui. Paganus de Monte Dublabelis, cum aliis contumacibus castrum Balaonem tenebat, & venienti Duci cum turmis suis acriter resistebat. Ibi Osmundus de Gaspreio pulcherrimus miles & honorabilis, Kal. Septembribus occisus est. Cuius corpus ab Ernaldo Monacho Vticum deductum est, & in porticu ante valuas Ecclesiæ sepultum est.

*Meduanensis.

POST plurima damna vtriusque partis, Balaonenses pacem cum Duce fecerunt, & postmodum Normanni simul ac Cenomannenses cum Duce castrum sancti Cerenici obsederunt. Ibi familia Roberti Belesmensis erat, cui Robertus Quadrellus accerrimus miles, & multo vigore conspicuus præerat, qui hortatu Rogerij Comitis obsidentibus fortiter obstabat. Verùm deficiente alimonia castrum captum est, & præfatus municeps iussu irati Ducis protinus oculis priuatus est. Aliis quoque pluribus, qui contumaciter ibidem restiterant Principi Normanniæ, debilitatio membrorum inflicta est ex sententia Curiæ.

TVNC Gaufridus Madeniensis cum Cenomannensibus Tribunis ad Ducem accessit; eíque Robertum Geroium, Roberti Geroiani filium, præsentauit, » Iste, inquit, vir, domine Dux, consobrinus tuus est, & in Apulia cum pa» rentibus tuis, qui magna ibidem potentia pollent, iam dudum conuersatus » est. Nunc autem ad te dominum suum & consanguineum fiducialiter accedit; » seruitiúmque suum tibi fideliter offerens, hoc à te castrum iure requirit, quod » pater suus omni vita sua hereditario iure possedit, tenuit, & istic obiit. Tunc Robertus Dux ista poscentibus facile annuit, & Roberto Geroio castellum sancti Serenici reddidit. Ille verò ferè XXXVI. annis postmodum tenuit, muris & vallis, zetísque muniuit, & moriens Guillermo & Roberto filiis suis dereliquit.

HABITATORIBVS huius municipij quies & pax penè semper defuit, finitimíque Cenomannenses, seu Normanni insistunt. Scopulosum montem anfractus Sartæ fluminis ex tribus partibus ambit, in quo sanctus Cerenicus venerandus Confessor tempore Milehardi Sagiorum Pontificis habitauit. Ibi Monachis Cœnobium fundauit, cum glorioso cœtu Domino militante, vitæque cursu beatè peracto Nonis Maij feliciter ad Dominum migrauit. Denique CAROLO Simplice regnante, dum Hastingus Danus cum gentilium phalange Neustriam depopulatus est, sanctum corpus à fidelibus in Castrum-Theoderici translatum est, & dispersis Monachis Monasterium destructum. Succedenti verò tempore incolarum facta est mutatio. Sanguinarij prædones ibi speluncam latronum condiderunt, vbi sub regimine sancti Cerenici contemptores mundi modestè conuersati sunt, & in ordine Monachico iugum Domini fine tenus gesserunt. Centum quadraginta, vt fertur, sub præfato Archimandrita cultores ibidem in vinea Domini Sabaoth laborauerunt, quorum lapidea sepul-

A gra palam aduentantibus inter Basilicam & in circuitu eius testimonio sunt, cuius RODBERTVS II. meriti & reuerentiæ homines inibi requiescant. Scelesti ergo habitatores multa infortunia merito perpessi sunt; & cædibus ac combustionibus, multimodisque 1088. pressuris ac deiectionibus frequenter afflicti sunt.

MVNICIPES Alencionis & Bellesmi, aliarúmque munitionum, vt audierunt quàm malè contigerit Roberto Quadrello, & complicibus qui cum eo fuerant, valde territi sunt, & vt debitas venienti Duci munitiones redderent, consilium inierunt. Verùm Robertus ab incœpta virtute citò defecit, & mollitie suadente ad tectum & quietem auidè recurrit; exercitúmque suum, vt quisque ad sua repedaret, dimisit.

ROGERIVS igitur Comes dissolutis agminibus Normannorum atque Cœnomannensium gauisus est, & per dicaces legatos à Duce pacem, filiíque sui absolutionem postulans, multa falso pollicitus est. Dux autem, qui improuidus erat & B instabilis, ad lapsum facilis, ad tenendum iustitiæ rigorem mollis, ex insperato friuolis pactionibus insidorum adquieuit, & pace facta Rogerio Comiti petita concessit, atque Robertum Belesmensem à vinculis absoluit. Ille verò iam liberatus intumuit; iussa Ducis atque minas minus appreciauit, præsentísque memor iniuriæ diutinam multiplicémque vindictam exercuit. Nam per xv. annos, quibus postmodum in Neustria simul manserunt, admodum furiit, totámque terram eius pluribus modis turbauit. Multos ab auxilio eius & famulatu callidis tergiuersationibus auertit, & dominium Ducis, quod antecessores eius possidebant, & copiosè auxerant, imminuit. Erat enim ingenio subtilis, dolosus & versipellis, corpore magnus & fortis, audax & potens in armis, eloquens, nimiúmque crudelis, & auaritiâ & libidine inexplebilis, perspicax seriorum commentor operum, & in exercitiis mundi grauissimorum patiens laborum. In extruendis ædificiis & machinis, aliísque arduis operibus ingeniosus artifex, & in torquendis hominibus inexorabilis carnifex. Sanctam Ecclesiam non vt filius matrem honorauit, adiuuit atque vestiuit; sed velut priuiguus nouercam deturpauit, oppressit, & spoliauit. Hunc denique post innumeros reatus, & dolosas factiones Dei iudicio in vinculis arctauit Henricus Rex vt æquissimus censor, & ad hoc à Deo specialiter inspiratus miserorum strenuus vindex. Verùm de his aliàs.

C PRÆFATVS vir procurante Vuillermo Rege, qui multū eundem dilexerat, propter amorem parentum eius Rogerij & Mabiliæ, filiam Guidonis Pontiui Comitis Agnetem nomine vxorem duxit, ex qua filium nomine Guillelmum progenuit, qui hæreditario iure amplas possessiones in Neustria & Pontiuo postmodum tutè possedit. Robertus enim vt diuitiis, sic tyrannide omnes fratres suos superauit, & omne antecessorum suorum in Normannia & Cœnomannico rure patrimonium, exhæredatis fratribus inuasit, & longo tempore solus obtinuit. Contribules suos nobilitate pares sibi subiugare summo nisu laborauit, & quosdam prout insatiabilis cupiditas dictauit, dolis & intolerabilibus bellis, aut insidiosis assultibus suæ ditioni curuauit. Hoc experti sunt Hugo de Nouanto, Paganellus & Robertus de sancto Serenico, Bernardus de Firmitate, & alij multi, quos idem sæpè contristauit, multísque modis terruit & afflixit. Multos nimirum demptis honoribus, & combustis munitionibus humiliauit, seu depopulatis possessionibus in nimiam egestatem redegit, vel, quod est peius, debilitatis membris mancos, aut loripedes, D vel orbatis luminibus inutiles reddidit. Misera itaque regio in desolationem redibat, dum flagrans tyrannis cruenta Marchionis omnes finitimos conculcare ambiebat: contra quem animositas ingenuitate pari tumentium pristinam libertatem vsque ad mortem defensare satagebat. Sic immensa quotidie detrimenta crescebant, & pro vindicta vel adquisitione damna damnis adiecta res mortalium conterebant, terrigenásque ad inediam minabant.

GOISFREDVS Rotronis Mauritaniæ Comitis filius contra Robertum arma sustulit, & Excalfoium, multásque alias in circuitu villas combussit, multásque prædas hominésque adduxit. Erat idem Consul magnanimus, corpore pulcher, & callidus, timens Deum, & Ecclesiæ cultor deuotus, Clericorum pauperúmque Dei defensor strenuus, in pace quietus & amabilis, bonísque pollebat moribus: in bello grauis & fortunatus, finitimísque intolerabilis Regibus, & ini-

RODBERTVS II. 1088. micus omnibus. Hic nobilitate parentum suorum, & coniugis suæ Beatricis inter illustres spectabilis erat; strenuósque Barones, & in bellis acres oppidanos suæ ditioni subditos habebat. Filias quoque suas Consularibus viris dedit in matrimonio, Margaritam Henrico Comiti de Couarenico, & Iulianam Gisleberto de Aquila oppido, ex quibus orta est elegans sobolis generosæ propago. Goisfredus itaque Comes tot stemmatibus exornabatur, & armis animísque cum diuitiis & amicis fulciebatur; & quod est super omnia, timore Dei stipatus, neminem timens vt leo progrediebatur. Damfrontem fortissimum castrum aliósque fundos iure calumniabatur, & Roberto cognato suo auferre nitebatur. Contristabatur quòd inermes & immeritos premebat, sed in campo publicum hostem reperire nequibat, contra quem debitam vltionem exercebat. Nam ille, qui pene omnes comprimebat, omnes nihilominus metuebat: ideóque publicum certamen cum hoste comminus agere non audebat. In munitionibus igitur suis callidè latitabat, & prædones discurrere per fines suos plerúmque mœrens sinebat, nec obuiam procedere, quamuis militiæ fortissimus esset, præsumebat. Callidus enim præcauebat, ne si progrederetur, à domesticis suis in manibus hostium relinqueretur. Sic longa lis inter duos potentes Marchisios perdurauit, & multa subditis detrimenta cædésque generauit. Par equidem malorum fomes inter alios Proceres vndique per Normanniam pullulauit, & enormem tragœdis farraginem præparauit.

PERTVRBATA vndique Procerum turgidis seditionibus Neustria sub molli Principe, pacificisque inter incendia crebrásque deprædationes gemitibus, filiis Ecclesiæ, clementissimus generis humani Rector seruis suis condoluit, emeritósque quosdam de lacu miseriæ & conualle lacrymarum, consortio mortalium exemit, & in amœnitate desiderabili paradisi, vt remur, notis in consimili studio Religionis commilitonibus piè associauit. Durandus siquidem Troarnensis Abbas grandæuus, ab infantia Monachus, religione & sapientia præcipuus, Ecclesiastici cantus, & diuini dogmatis Doctor peritissimus, sibi durus carnifex, aliísque mitis opifex, post multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit: & benè, vt prudens & fidelis seruus, ire ad Curiam Domini sui paratus, III. Idus Februarij de seculo migrauit. In eius transitu res non silenda contigit. In corpore præfati Patris, dum obiret, bipartitus color visus est. Nam in sinistra parte vultus eius, & totius corporis, vsque ad pedes, niueus candor adparuit; totámque dexteram partem plumbeus liuor obtexit, & omninò dexteram medietatem, vt albedo sinistram à vertice capitis vsque ad pedes obtinuit. Insolitum itaque discrimen conspecti coloris terrorem intuentibus incussit, & inusitatæ rei causam studiosis inquisitoribus ad exprimendam subtilitatem perspicacitatis suæ ingessit. Inde diuersi diuersa dixere. Sed non est nostrum huic breuiloquio singula inserere, quæ multipliciter eloquentes ex abundantia sensus sui protulêre. Quidam quidem læuam & dexteram ad actualem & contemplatiuam, vel præsentem & futuram vitam interpretati sunt. Alij verò prodigium hoc præsagium fore futurorum opinati sunt.

VENERABILES discipuli glebam religiosi Doctoris in Capitulo suo reuerenter sepelierunt, & in candido lapide, qui subpositus est, Epitaphium hoc addiderūt.

Hac tegitur tumba bonus & venerabilis Abba
Durandus nostri norma Monasterij.
Ad Domini laudem præsentem condidit ædem;
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub vndena Februi resolutus habena
Carnis, ad Angelicam dirigitur patriam.

Sepulto Pastore, Troarnensis grex Arnulfum Sagiensis Monasterij Priorem eligit, ac vt sibi præponeretur, à Rectoribus Ecclesiasticis, ac Principibus suis expetiit. Illis autem congratulantibus, & libenter quod postulabant annuentibus, Arnulfus Troarnensium regimen suscepit, quod ferè XXII. annis sollerter tenuit, & tam verbis quàm scriptis, & salutaribus exemplis subiectos erudiit. Præfata nimirum duo Monasteria sicut ab vno Principe primordium fundationis ceperunt, sic ex vno fonte vsus diuinæ seruitutis, & Monastici ordinis institutionem sumpserunt. Rogerius enim de Monte-Gomerici vtrúmque Cœnobium Monachis dicauit,

A & Fiscannensis norma vtrumque Monachico ritu applicauit. Vnus amor hos pariter Cœnobitas connexuit, signipoténsque Martinus Turonensis Archipræsul suo mancipatu commissos custodit. Sagienses à Troarnensibus primum sibi Abbatem sumpserunt, & nunc eodem adhuc patre viuente amicabilem sibi vicissitudinē de discipulis eius repetierunt. Quo adepto, Deo gratias egerunt, bonique Pastoris solertiâ benè profecerunt.

RODBERTUS II. 1088.

TVNC Robertus Normanniæ Dux Optimatum suorum supplicationibus adquiescens, Henricum fratrem suum concessit, & à vinculis, in quibus cum Roberto Belesmensi constrictus fuerat, absoluit.

CIRCA hæc tempora Gregorius Papa in vrbe Beneuentana defunctus est, & Desiderius Cassinensis Abbas in Victorem Romanum Papam electus & inthronizatus est. Defuncti verò Papæ corpus in Confessione sancti Bartholomæi Apostoli tumulatum est, vbi meritis eius fidei petentium miraculorum copia diuinitus ostensa est. Nam leprosi de aqua, vnde corpus eius ablutum fuerat, petierunt: qua consecuta fideliter loti sunt, & opitulante Deo protinus mun-B dati sunt.

VICTOR Papa postquam apicem Pontificatus ascendit, primam Missam in die sancto Pentecostæ solemniter cantare cœpit. Sed occulto Dei nutu grauem morbum subitò incurrit. Nam diarria cogente, ter ad latrinam de Missa ductus est, & sic in Papatu vix vnâ tantùm Missâ perfunctus. Hic magnæ nobilitatis & sapientiæ fuit, ac religionis, Cœnobiúmque sancti Patris Benedicti, quod in Monte Cassino constructum est, longo tempore rexit. Inde ad Præsulatum assumptus, repentè, vt diximus, infirmatus est. In ægritudine tamen à Pentecoste vsque ad Augustum languens defunctus est. Quo defuncto Romanus Clerus conuenit, & Odonem ex Monacho Præsulem Hostiensem in Vrbanum Romanum Papam elegit. Hunc Deus Israël maximum Principem contra Allophilos constituit, turrémque Dauid cum propugnaculis contra faciem Damasci commisit. Hic erat natione Gallus, nobilitate & mansuetudine clarus, ciuis Remensis, Monachus Cluniacensis, ætate mediocris, corpore magnus, modestiâ discretus, religio-C ne maximus, sapientiâ & eloquentiâ præcipuus. Adhuc Guitbertus inuasor Apostolicæ Sedis Ecclesiaam Dei conturbabat, ac adulando vel persequendo cunctos quos poterat ab vnitate pacis ad suum schisma pertrahebat. Odo nimirum Comes Sutriæ nepos eius erat, & Ecclesiasticæ pacis fautores pluribus pressuris coërcebat.

VRBANVS Papa confisus in Domino cœlorum, qui non relinquit virgam peccatorum super sortem iustorum, misit Legatos & Epistolas Romanæ auctoritatis Francis & Græcis, aliisque gentibus per orbem constitutis, vt in fide Catholica irrefragabiliter persisterent, & omnem scissuram à lege Dei & corpore Christi, quod est Ecclesia, callidè præcauerent. Solus Henricus Teutonum Princeps & pedisequi eiusdem Guidberto cohærebant. Galli verò & Angli, aliæque gentes penè omnes per orbem Vrbano piè obsecundabant.

IN Apulia omnes Normanni Catholico Papæ concorditer fauebant. Verùm inter se truculenter dissidebant, & fratres plus quàm, ciuilia bella vicissim conse-D rebant. Rogerius enim cognomento Crumena, id est Bursa, Ducatu Calabriæ solus cum matre potiebatur. Quod Buamundus frater eius apud Iordanum Principem Capuæ exulans ægrè patiebatur. Vnde auxilio eiusdem Iordani sororij sui, aliorúmque parentum, amicorúmque suorum, arma contra fratrem suum corripuit: partémque paterni honoris, quem ipse cum patre bello subegerat, viriliter repetere cœpit. Cuius guerram frater & nouerca tolerare nequiuerunt, commodiusque consilium ab amicis expetere coacti sunt. Persuasione igitur Rogerij Siciliæ Comitis, aliorúmque affinium pacem fecerunt; eique Barum atque Tarentum, aliásque duas vrbes, cum multis oppidis tradiderunt. Fratres itaque postquam talem concordiam fecerunt, Mabiliam sororem suam Guillelmo de Grentemaisnil in matrimonium dederunt; & ditioni eius, quia valde probus erat, plurima castra submiserunt. Connexione huiusmodi necessitudinis Normanni prouidè mutuò religati sunt, & magnam Italiæ partem, quam Drogo, & Vnfridus, atque Ricardus, & super omnes Robertus Vviscardus obtinuerant, vsque hodiè possederunt.

RODBERTVS II. 1089. ANNO ab Incarnatione Domini MLXXXIX. Indictione XII. Robertus primus Abbas Sagiensis Monasterij, vir bonus & simplex, mense Ianuario in lectum cecidit, & perceptis Dominicis Sacramentis, XVIII. Kal. Februarij de seculo migrauit. Cui Radulfus Seifredi de Scurris filius, eiusdem Cœnobij Monachus, in regimine successit. Hic literis admodum fuit imbutus, eloquens, & iocundus, ideóque amabilis omnibus. In iuuentute de illustri familia Monachilem ad conuersationem venit, & decem annis in Monasterio per diuersorum gradus officiorum humiliter ministrauit. Vndecimo tandem anno Abbatiæ curam, iubente & consecrante Girardo Sagiensi Præsule, suscepit, & XVI. annis inter sæuos bellorum turbines strenuè rexit: Deique fretus auxilio, pro temporis opportunitate res Ecclesiæ diligenter auxit. Deinde Roberti Bellesmensis sæuitiâ nimis imminente in Angliam confugit, quem Rex Henricus honorificè secum detinuit, & per Gondulfum Præsulem Roffensi Episcopio præfecit. Inde post aliquot annos promotus, venerabili Anselmo Archipræsuli successit, & nouem annis Doroberniæ Metropoli præfuit.

ANNO tertio Guillelmi Rufi Regis Anglorum, Lanfrancus Cantuariensis Metropolis Episcopus defunctus est, & in basilica sanctæ Trinitatis, quam ipse mirifico opere construxerat, ante Crucifixum sepultus est. Beccensis autem Anselmus supra scriptam compatriotæ sui memoriam heroïco carmine volumini lacrymabiliter indidit, Deique nutu post triennium in Cathedram Dorobernaiæ Ecclesiastica electione promotus ascendit. Deinde infra decem annos, quibus postmodum regnauit Guillelmus Rufus, Thomas Eboracensis Metropolita Coepiscopum suum morte secutus est, cum aliis multis Episcopis & Abbatibus. Nam Vulstanus Præsul Guigornensis, & Robertus Herfordensis, Hosmundus Salesburiensis, & Guathelinus Guentoniensis: Balduinus quoque Archidiaconus & Abbas S. Edmundi Regis & Martyris, Turstinus Glestoniensis, & Rainaldus Abundoniensis, aliíque plures Episcopi & Abbates obiere; quos sigillatim præ fastidio legentium nolo nominare.

HIS temporibus quidam Clericus nomine Rannulfus familiaritatem Rufi Regis adeptus est, & super omnes Regios officiales ingeniosis accusationibus & multifariis adulationibus magistratum à Rege consecutus est. Erat enim ingenio acer, corpore pulcher, turgens disertis comessationibus & ebrietatibus, libidiníque nimis deditus: crudelis & ambitiosus, suísque prodigus; extraneis autem prædo rapacissimus. Hic de obscura satis & paupere parentela prodiit, & multum vltra natales suos ad multorum detrimentum sublimatus intumuit. Turstini cuiusdam plebeij Presbyteri de pago Baiocensi filius fuit, & à puerilibus annis inter pedissequos curiales cum vilibus parasitis educatus creuit, callidísque tergiuersationibus, & argutis verborum machinationibus plus quàm arti literatoriæ studuit. Et quia semetipsum in Curia magni Regis Guillermi arroganter illustribus præferre ardebat, nesciente non iussus, multa inchoabat, infestus in Aula Regis plures procaciter accusabat: temeréque Maioribus quasi regia vi fultus imperabat. Vnde à Roberto dispensatore Regio Flambardus cognominatus est, quod vocabulum ei secundum mores eius & actus quasi propheticè collatum est. Flammâ quippe ardens multis factis intulit genti nouos ritus, quibus crudeliter oppressit populorum cœtus, & Ecclesiæ cantus temporales mutauit in planctus. Hic iuuenem fraudulentis stimulationibus inquietauit Regem, incitans vt totius Angliæ reuiseret descriptionem, Anglicæque telluris comprobans iteraret partitionem, subditísque reciderет tam aduenis quàm indigenis, quicquid inueniretur vltra certam dimensionem. Annuente Rege, omnes carrucatas, quas Angli hidas vocant, funiculo mensus est, & descripsit; postpositísque mensuris, quas liberales Angli iussu Eduardi Regis largiter distribuerant, imminuit, & regales fiscos accumulans colonis arua retruncauit. Ruris itaque olim diutius nacti diminutione, & insoliti vectigalis graui exaggeratione, supplices Regiæ fidelitati plebes indecenter oppressit, ablatis rebus attenuauit, & in nimiam egestatem de ingenti copia redegit.

HVIVS consilio iuuenis Rex, morientibus Prælatis, Ecclesias cum possessionibus olim sibi datis inuasit, & tàm in Abbatiis Cœnobitas, quàm in Episcopiis Epi-

A scopales Decanos & Canonicos cuilibet satellitum suorum subegit. Parcam autem ad victum suum distributionem rerum eis delegabat,& reliquos redditus suæ ditioni mancipabat. Sic auaritia Regis in Ecclesia Dei nimis exarsit,& nefarius mos, tunc incœptus, vsque in hodiernum diem perseuerans, multis animabus exitio fit. Hac enim de causa cupidus Rex Pastores Ecclesiis imponere differebat; & populus Rectore,& grex pastore carens lupinis dentibus patebat, & multimodarum toxicatis missilibus culparum sauciatus interibat. Princeps itaque nimia cupiditate flagrans suo infert ærario largas opes,quas Ecclesiæ Dei gratanter & deuotè dederunt antiqui Anglorum Reges, Edilbertus scilicet, ac Eduinus; Offa quoque ac Athulfus, Elfredus & Edgarus, aliique Principes cum suis Optimatibus. Illi nimirum ad fidem nouiter conuersi Deum fideliter coluerunt, & de suis abundantiis Monachis & Clericis affluenter largiti sunt; vt speciales ministri sacræ legis copioso victu pasti gauderent, Deique cultum absque vlla recusatione nocte diéque alacriter peragerent,& in locis constitutis celebres excubias Deo indesinenter exhiberent. Illuc peregrini & viatores securi veniebant,& ibidem per laborem citam repausationem B sumebant, atque post inediam vberem alimoniam ex institutione principali reperiebant. Igitur ex insperato consolati Deo gratias agebant, & pro benefactoribus, qui longè ante tantum sibi suffragium præparauerant, Creatorem omnium piè exorabant. Antequam Normanni Angliam obtinuissent, mos erat, vt dum Rectores Ecclesiarum obirent, Episcopus Cœnobiorum, quæ in sua diocesi erant, res sollicitè describeret,& sub ditione sua, donec Abbates legitimè ordinarentur, custodiret. Similiter Archiepiscopus Episcopij res, Antistite defuncto, seruabat, & pauperibus vel structuris basilicarum, vel aliis bonis operibus, cum consilio domesticorum eiusdem Ecclesiæ distrahebat. Hunc profecto morem Guillelmus Rufus ab initio regni sui persuasione Flambardi aboleuit,& Metropolitanam Cantuariæ Sedem sine Pótifice tribus annis esse fecit, eiúsque redditus suis thesauris intulit. Iniustum quippe videtur, omníque rationi contrarium, vt quod Deo datum est fidelium liberalitate Principum, vel solertia dispensatorum Ecclesiasticæ rei laudabiliter est auctum, denuò sub laicali manu retrahatur,& in nefarios seculi vsus distrahatur. Indubitanter credendū est, quòd sicut illi, qui Deo de suis opibus piè dederūt, iam retributionem meritorum donante Deo receperunt: sic sacrilegi sacrorum inuasores vltore Deo C punientur, opibúsque, quas iniustè possident, cum iugi dedecore spoliabuntur. Omnipotentis enim lex æterna est & vera. Vnde sicut iustitiæ cultoribus gratiosa pollicetur stipendia, sic transgressoribus pro nequitiis dira comminatur supplicia. In omni pagina diuinæ auctoritatis misericordia & veritas prædicantur,& luce clariùs omni erudito manifestantur. Mirum ergo est, quòd humanum cor in nefas tam facile labascit,& plus præsentia & caduca, quàm futura & perpetua concupiscit; dum omnia diuino patere obtutui, & nihil è diuino examine indiscussum euadere nouerit.

POSTQVAM Dorobernensium Metropolis Præsule viduata in timore & luctu exegerit triennium, tandem iustus arbiter, qui de cœlo prospicit super filios hominum,& videt omnes amplecti vanitates vanitatum, acerba passione perculit Regem Anglorum multimoda scelerum fæce coinquinatum. Ægritudine igitur mulctatus, Sacerdotes Domini aduocauit, spiritualibus Archiatris animæ suæ vlcera confessione denudauit, emendationem vitæ promisit,& Ecclesiasticos Rectores se- D cundum voluntatem Domini Archiepiscopum eligere præcepit. Tunc fortè Anselmus Beccensium Abbas pro vtilitatibus Ecclesiæ suæ in Angliam transfretauerat. Audita iussione Regis de Metropolitani electione, sancta Ecclesia exultauit, Conuentum seniorum vnà congregauit,& de negotio pro quo conuenerant tractare cœpit. Tandem considerata sanctitate & sapientiâ venerabilis Anselmi, concorditer omnes ipsum elegerunt in nomine Domini, multúmque renitentem secundum morem Ecclesiasticum præposuerunt Cantuariorum Metropoli. Inthronisatus itaque solers Pastor frequenter ingemuit, prudenter perpendens quàm graue & periculosum pondus ad portandum susceperit. Non intumescebat pro sui sublimatione, sed trepidabat pro multorum perditione, quos à lege Dei videbat aberrare sua sub gubernatione. In diocesi sua multa corrigenda perspexit. Peccantem Regem, toruósque Proceres sæpè corripuit. Vnde plurima ab eis aduersa tulit, & pro

RODBERTVS II. 1089. zelo iustitiæ bis exulauit. Dictis & exemplis salutaribus peruersos mores subditorum emendare studuit, sed obdurata quorumdam iniquitate, in multis non sicut voluisset profecit. Peruersi quippe, sicut Salomon ait, difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. A

IN diebus illis lucerna veræ sanctitatis obscuriùs micabat penè cunctis in Ordinibus, mundique Principes cum subiectis agminibus inhærebant tenebrosis operibus. Guillelmus Rufus Albionis Rex iuuenis erat proteruus & lasciuus, quem nimis inhianter prosequebantur agmina populorum impudicis moribus. Imperiosus & audax atque militaris erat, & multitudine militum pomposè tripudiabat. Militiæ titulis applaudebat, illisque propter fastum secularem admodum fauebat. Pagenses contra milites defendere negligebat, quorum possessiones à suis tyronibus & armigeris impunè deuastari permittebat. Tenacis memoriæ, & ardentis ad bonum seu malum voluntatis erat. Terribilis furibus & latrunculis imminebat, pacémque serenam per subiectam regionem seruari valenter cogebat. Omnes incolas regni sui aut illexit largitate, aut compressit virtute & terrore, vt nullus contra eum auderet aliquo modo mutire. B

„ CONFIRMATVS itaque in regno turmas Optimatum asciuit, & Guentoniæ
„ congregatis, quæ intrinsecus ruminabat sic ore deprompsit: Nostis, inquit, egregij
„ Barones, qualiter egerit erga me Roberti fratris mei fides, & quantos mihi procura-
„ uerit labores. Non opus est multis sermonibus referre, quot homines meos in re-
„ gno meo excitauerit contra me, & summoperè machinatus fuerit me regno vitá-
„ que priuare. Satis omnibus liquet quòd intolerabile mihi primo regni mei anno in-
„ tulisset, nisi diuina virtus per pietatem suam illud à me repulisset. Ecce lacrymabi-
„ lem querimoniam sancta Ecclesia de transmarinis partibus ad me dirigit, quia valde
„ mœsta quotidianis fletibus madescit: quòd iusto defensore & patrono carens, in-
„ ter malignantes quasi ouis inter lupos consistit. Terram meam fraudulentiâ & viri-
„ bus auferre satagit, qui terram suam à malignis prædonibus defendere neglegit. C
„ Nunc igitur commoneo vos omnes, qui patris mei homines fuistis, & feudos ve-
„ stros in Normannia & Anglia de illo tenuistis; vt sine dolo ad probitatis opus mihi
„ viriliter vnanimes faueatis. Non debemus pati latronum conuenticula, vt ab illis
„ fideles opprimantur, & Sanctorum destruantur Cœnobia, quæ patres nostri summo
„ nisu construxerunt in Neustria. Tota regio cædibus paret atque rapinis, sæpius ex
„ necessitate reminiscens Guillelmi magni Principis, qui bellis eam eripuit externis,
„ & intestinis. Decet ergo, vt sicut nomen eius & diadema gero, sic ad defensionem
„ patriæ inhæream eius studio. Colligite quæso Concilium, prudenter inite cõsilium,
„ sententiam proferte, quid in hoc agendum sit discrimine. Mittam si laudatis, exer-
„ citum in Normanniam, & iniuriis, quas mihi frater meus sine causa machinatus est,
„ talionem rependam. Ecclesiæ Dei subueniam, viduas & orphanos inermes prote-
„ gam, fures & siccarios gladio iustitiæ puniam.

HIS dictis omnes assensum dederunt, & magnanimitatem Regis collaudauerunt. Tunc Guillelmus Rex Guillelmum de Guarenna Comitem Suthregiæ constituit, quem paulò pôst mors nulli parcens è medio rapuit. Corpus verò eius Cluniacenses Monachi, quos Laquis honorificè locauit, in Capitulo suo sepelierunt: & quis vel qualis vir ibidem requieuerit, his versibus super tumulum in albo lapide sculptis denotauerunt. D

Hic, Guillelme Comes, locus est laudis tibi fomes.
Huius fundator, & largus sedis amator.
Iste tuum funus decorat, placuit quia munus
Pauperibus Christi, quod prompta mente dedisti.
Ille tuos cineres seruat Pancratius hæres,
Sanctorum castris qui te sociabit in astris.
Optime Pancrati, fer opem te glorificanti,
Dáque poli sedem, talem tibi qui dedit ædem.

PRÆFATI Consulis filij Guillelmus & Rainaldus cum Gundreda matre sua successerunt, & sub Guillelmo atque Henrico Angliæ Regibus probitate & potentiâ diu claruerunt.

ROBERTO quoque Haimonis filio Rex Guillelmus magnos honores tribuit,

A & inter maximos Optimates Angliæ ipsum sublimauit. Hic Sibiliam Rogerij Comitis filiam vxorem duxit, quæ filiam eius nomine Mathildem peperit, quam postmodum Robertus Henrici Regis filius in matrimonium sibi coniunxit.

PRIMVS Normannorum Stephanus de Albamarla filius Odonis Campaniæ Comitis Regi adhæsit, & Regiis sumptibus castellum suum super Aucium flumen vehementer muniuit, in quo validissimam Regis familiam contra Ducem suscepit. Quem mox Gornacensis Girardus secutus est. Nam Gornacum, & Firmitatem, & Goisleni fontem, aliásque munitiones suas Regi tradidit, finitimósque suos Regiæ parti subiicere studuit. Deinde Robertus Aucensium Comes, & Gauterius Gifardus, & Radulfus de Mortuomari, & pene omnes qui trans Sequanam vsque ad mare habitabant, Anglicis coniuncti sunt, & de regiis opibus ad muniendas domos suas armis & satellitibus, copiosam pecuniam receperunt.

TVNC Robertus Dux contra tot hostes repagulum parauit, filiámque suam, quam de pellice habuerat, Heliæ filio Lamberti de sancto Sidonio coniugem dedit; B & Archas, cum Buris, & adiacente Prouincia in mariagio tribuit, vt aduersariis resisteret, Calegiíque Comitatum defenderet. Ille verò iussa viriliter complere cœpit. Roberto enim Duci, & Guillelmo filio eius semper fidelis fuit, & sub duobus Regibus Guillelmo & Henrico multa pertulit, labores videlicet, ac exhereditationem, damna, exilium, ac multa pericula.

AVDIENTES Cenomãni dissidium Normannorum, cogitauerunt fastuosum excutere à se iugum eorum, quod olim facere multoties conati sunt sub Guillelmo Magno Rege Anglorum. Hoc Robertus Dux vt comperiit, Legatos & exenia Fulconi Andegauorum Satrapæ destinauit; obnixè rogans, vt Cenomãnos à temerario ausu compesceret, ac in Normanniam ad se grauiter ægrotantem veniret. At ille obsecranti libenter adquieuit, Ducémque iam conualescentem reperiit. Post plurima pacis & amicitiæ colloquia, Fulco Comes dixit Duci Roberto: Si mihi quam « C valde cupio rem feceris vnam, Cenomãnos tibi subiiciã, & omni tempore tibi vt a- « micus fideliter seruiam. Amo Bertradam sobolem Simonis de Monteforti, ne- « ptem scilicet Ebroicensis Comitis Guillermi, quam Heluissa Comitissa nutrit, & « sua sub tutela custodit. Hanc mihi coniugem trade obsecro, & quæque tibi pepigi « seruabo. Protinus ex parte Ducis super hac re Comes Ebroicensis requisitus est. « Qui mox cum suis necessariis amicis consilium iniit, & exitum rei sollicitè inuestigauit. Tãdem negotio diligenter indagato, ad Curiam Ducis accessit & inter cetera sic Duci dixit: Rem, domine Dux, postulas à me mihi valde contrariam, vt ne- « ptem meam, quæ adhuc tenera virago est, digamo tradam, quam sororius meus mi- « hi commendauit nutriendam. Verùm, prouidè commodum tuum quæris, meúm- « que paruipendis. Cenomãnensem Comitatum vis tibi obtinere per neptem meam, « & tu mihi aufers hereditatem meam. Iustúmne est quod moliris? Non faciam quod « poscis, nisi reddideris mihi Bathuentum, & Nogionem, Vaceium, & Crauentio- « nem, Scoceium, alió sque fundos Radulfi patrui mei, qui pro magnitudine capi- « tis, & congerie capillorum iocosè cognominatus est Caput-asini; nepotíque meo « Guillelmo Bretoliensi Pontem sancti Petri, & reliqua quæ rationabiliter & legali- « D ter poterimus approbare, quòd nostra debeant esse hereditario iure. Legitimi si- « quidem mihi testes sunt, & in omnibus idonei, quòd Robertus de Guaceio filius « præfati Radulfi patrui mei, me totius iuris sui heredem constituit. Sed Guillelmus « Rex consobrinus noster, quia potentior nobis fuit, omnes hereditatis nostræ par- « tes, sicut leo in partitione cerui, suas fecit. His, domine Dux, sapienter considera- « tis, tene rectitudinem nobis, & nos tuis obtemperabimus iussis. «

DVX autem huiusmodi responsione audita, ex consultu sapientum decreuit dare minora, ne perderet maiora. Tunc Edgarus, Adelinus, & Robertus Belesmensis, atque Guillelmus de Archis Monachus Molismensis, præcipui Ducis Consiliarij erant. Guillelmi ergo Ebroicensis, & Guillelmi Bretoliensis nepotis eius petitionibus Dux adquieuit, & prænominata cum territoriis suis oppida tribuit, præter Scoceium, quod Girardus de Gornaco possidebat, qui de eadem parentela prodierat. Filius enim Basiliæ Girardi Fleitelli filiæ erat, tantæque potentiæ, cui nemo vim inferre poterat. Deinde Andegauensis Consul concupitam puellam gaudens suscepit, & viuentibus adhuc duabus vxoribus tertiam desponsauit, quæ filium ei

RODBERTVS II. 1089.

nomine Fulconem peperit. Pactique sui memor Fulco Cenomannos adiit, eósque A plus precibus & promissis, quàm vi compescere studuit, & conspiratam rebellionem in annuum saltem spatium distulit. Hic in multis reprehensibilis & infamis erat, multisque vitiorum pestibus obsecundabat. Ipse nimirum, quia pedes habebat deformes, instituit sibi fieri longos & in summitate acutissimos subtolares; ita vt operiret pedes, & eorum celaret tubera, quæ vulgò vocantur vniones. Insolitus indè mos in Occiduum orbem processit, leuibúsque & nouitatum amatoribus vehementer placuit. Vnde sutores in calceamentis quasi caudas scorpionum, quas vulgo pigacias appellant, faciunt. Idque genus calceamenti penè cuncti diuites & egeni nimium expetunt. Nam antea omni tempore rotundi subtolares ad formam pedum agebantur, eísque summi & mediocres, Clerici & laici competenter vtebantur. At modò seculares peruersis moribus competens scema superbè cupiunt: & quod olim honorabiles viri turpissimum iudicauerunt, & omnino quasi stercus refutauerunt, hoc moderni quasi mel dulce æstimant, & veluti speciale decus amplectentes gestant. B

ROBERTVS quidam nebulo in Curia Rufi Regis prolixas pigacias primus cœpit implere stuppis, & hinc inde contorquere instar cornu arietis. Ob hoc ipse Cornardus cognominatus est. Cuius friuolam adinuentionem magna pars nobilium, ceu quoddam insigne probitatis & virtutis opus mox secuta est. Tunc effeminati passim in orbe dominabantur, indisciplinatè debacchabâtur, Sodomiticisque spurcitiis fœdi catamitæ flammis vrendi turpiter abutebantur. Ritus heroum abiiciebant, hortamenta sacerdotum deridebant, barbaricúmque morem in habitu & vita tenebant. Nam capillos à vertice in frontem discriminabant, longos crines veluti mulieres nutriebant, & summoperè curabant; prolixísque nimiúmque strictis camisiis indui, tunicísque gaudebant. Omne tempus quidam vsurpabant, & extra legem Dei morémque patrium pro libitu suo ducebant. Nocte comessationibus & potationibus, vanísque confabulationibus, aleis & tesseris, aliísque ludicris vacabant: die verò dormiebant. Sic post obitum Gregorij Papæ, & Guillelmi Nothi, aliorúmque Principum religiosorum, in Occiduis partibus penè totus abolitus est honestus Patrum mos antiquorum. Illi enim modestis vestiebantur indumentis, C optiméque coaptatis ad sui mensuram corporis. Et erant habiles ad equitandum & currendum, & ad omne opus quod ratio suggerebat agendum. Ast in diebus istis veterum ritus penè totus nouis adinuentionibus commutatus est. Femineam mollitiem petulans iuuentus amplectitur, feminísque viri curiales in omni lasciuia summoperè adulantur. Pedum articulis, vbi finis est corporis, colubrinarum similitudinem caudarum imponunt, quas velut scorpiones præ oculis suis prospiciunt. Humum quoque puluerulentam interularum & palliorum superfluo scirmate verrunt, longis latísque manicis ad omnia facienda manus operiunt: & his superfluitatibus onusti celeriter ambulare, vel aliquid vtiliter operari vix possunt. Sincipite scalciati sunt vt fures, occipite autem prolixas nutriunt comas vt meretrices. Olim pœnitentes, & capti, ac peregrini vsualiter intonsi erant, longásque barbas gestabant; iudicióque tali pœnitentiam, seu captionem, vel peregrinationem spectantibus prætendebant. Nunc verò penè vniuersi populares cerriti sunt & barbatuli, palam manifestantes specimine tali, quòd sordibus libidinis gaudent vt fœtentes hirci. Crispant crines calamistro. Caput velant vitta, sine pileo. Vix aliquis militarium procedit in publicum capite discooperto, legitiméque secundum Apostoli D præceptum tonso. Exteriùs itaque habitu gestúque monstrant, quales interiùs cõscientias habeant, & qualiter per arctum cultum ad Deum percurrant.

ALTISSIMVS igitur Iudex, & sublimi residens solio, quòd nimium flagitiis inhæret humana intentio, populum ineruditum, plebémque indisciplinatam multiplici percutit flagello. Morbis enim macerari, & bellis inquietari terrigenas permittit. Hypocriticísque Præsidibus subiicit, quos sibi contrarios, suæque legis spontaneos præuaricatores perspicit. Electi autem, qui zelo Phinees inflámantur, inter reprobos crebro irascuntur, ac ad Dominum cum Propheta conqueruntur, *Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Vnde à bonis Doctoribus arguuntur, obsecrantur, increpantur in omni patientia & doctrina. Sed his omnibus pertinaciter obstat maliuoli cordis obduratio nefaria, quæ solet omnium fouo-

A re ac defendere scelerum contagia. Si Persius & Plautus, aliíque mordaces Satyrici nunc adessent, & curiosè indagarent qualiter nostrates clam palámque libitus suos perpetrent, immensã reprehendẽdi materiã & subsannãdi in propatulo reperirent. RODBERTVS II. 1089.

INNVMERIS itaque lapsibus perspectis in mundo, Geroius Grossiuus in quadam Epistola scripsit inter reliqua Gisleberto Maminoto Luxouiensium Episcopo.

Virtutun lampas, qua pristina splenduit ætas,
Transtulit omne suum prorsus in astra iubar.
Temporibus nostris tenebris inuoluitur orbis,
Nec valet extinctus iam releuare caput.
Nec probus est hodie, nec curans de probitate;
Nec pretium, nec honor, nec probitatis amor.

ENORMITATI malitiæ, quam passim grassari perspexit, ardens Scolasticus hyperbolicè detraxit. Blittero quoque Flandrita in Poëmate, quod super Henri- B co Cæsare nuper edidit, mundi, & miseros mortalium euentus Elegiacis modis luculenter denotauit. Alij quoque plures litterati sophistæ magnos questus protulerunt de flagitiis & ærumnis huius seculi, quos secutus in præsenti Opusculo breuiter memini, quo tempore cis Alpes cœpit ineptia pigatiarum, & superflua prolixitas capillorum, atque vestium, terræ sordes frustra scopantium.

DE sanctitate & miraculis Sanctorum mallem scribere multò libentiùs, quàm de nugis infrunitorum, friuolísque nepotationibus; si Principes nostri & Antistites sanctis perfectè instarent charismatibus, & prodigiis pollerent sanctitatem præconantibus. Ast ego vim illis, vt sanctificentur, inferre nequeo. Vnde his omissis, super rebus, quæ fiunt, veracẽ dictatum facio. Nunc autem ad narrationis ordinẽ redeo.

ANNO ab Incarnatione Domini MXC. Indictione XIII. Cenomanni contra Normannos rebellauerunt, eiectísque custodibus de munitionibus, nouum Principem sibi constituerunt. Nam qui viuente Guillelmo Rege contra eum rebellare multoties conati sunt, ipso mortuo statim de rebellione machinari cœperunt. Legationem igitur filiis Azsonis Marchisi Liguriæ direxerunt, eísque velle suum intimantes per legatum dixerunt: Cur tam segnes & ignaui estis, vt hereditatem vestram non repetatis, quam nos vltrò seruamus vobis? Mortui sunt omnes Cenomannensis Principatus legitimi heredes. Iámque nullus nobis vicinior C est heres. Gullelmus etiam violentus multorum inuasor iam decidit, qui per Margaretam Herberti filiam, quam Roberto filio suo sociare voluit, suæ diutiùs ditioni nos mancipauit. Ecce filij eius, quorum vnus regno præest Angliæ, alter Ducatui Normanniæ, mutuis cædibus conturbantur, sibi inuicem aduersantur, rapinis & incendiis malignantur, & penè vsque ad internecionem sæuientes labuntur. Nos autẽ Cenomannicam vrbem, & oppida eius, in pace possidemus, vobísque fideliter mandamus, vt huc confestim veniatis, & hereditario iure nobis præsideatis. Hæc itaque Cenomanni Liguribus mandauerunt, non pro amore eorum, sed vt aliqua rationabili occasione iugum excuterent à se Normannorum, quod ferè XXX. annis fortiter detriuerat turgidas ceruices illorum. 1090.

LIGVRES germani audita legatione gauisi sunt, initóque consilio cum necessariis amicis quid agendum esset perscrutati sunt. Tandem definierunt, vt Fulco, qui maior natu erat, patris honorẽ in Italia possideret. Hugo autem frater eius Cenomannensem Principatum ex matris hereditate sibi reposceret. Deniq; Gaufridus D Madeniensis, & Helias, aliíque ciues & oppidani venientẽ Hugonem susceperunt, eíq; ad obtinendũ ius ex materna hereditate cõpetens aliquandiu suffragati sunt.

VENERABILIS autem Hoëllus Antistes, qui dono Guillelmi Regis Præsulatum habuit, ipsi filiísq; eius semper fidelis extitit, & inquantũ potuit truculentã recalcitrationẽ dissuasit: pertinaces verò interdixit, Põtificali iure anathematizauit, & à liminib. sanctæ matris Ecclesiæ sequestrauit. Quapropter rebellionis incẽtores contra eum nimis irati sunt, & iniuriis eũ afficere terribiliter cõminati sunt. Interea dum per diocesim suã cum Clericis suis equitaret, & Episcopali more officiũ suum sollerter exerceret, Helias de Flechia eum cõprehendit, & in carcere donec Hugo in vrbe Cenomãnica susceptus fuisset, vinctũ Præsulẽ tenuit. Porrò Ecclesia dicti Põtificis suæ afflictioni condoluit, Dominiq; sanctas imagines cum crucibus, & sanctarũ scrinia reliquiarũ ad terram deposuit, & portas basilicarũ spinis obturauit, &

RODBERTVS II. 1090.

à clangore signorum, celebríque cantu, solitísque sollemniis, vt vidua mœrens A cessauit, lacrymísque vacauit.

CENOMANNI postquam nouum Comitem suum diuitiis, & sensu, ac virtute inopem esse cognouerunt, imprudentes facti sui pœnitentes, eum sicut Sichimitæ Abimelech despicabilem & exosum habuerunt. Imprudens enim & ignauus, ac deses erat, tantæque dignitatis habenas moderari nesciebat. Hic filiam Roberti Vviscardi coniugem habuit, sed generosæ coniugis magnanimitatem vir ignauus ferre non valens, ipsam repudiauit. Pro qua re Papa Vrbanus palam eum excommunicauit. Omnes Allobroges ipsum execrati sunt, & iuuentæ occasione ferocibus Cisalpinis extorrem destinauerunt. Inscius inter gnaros, & timidus inter animosos milites Consul constitutus vilis habebatur, multiplicíque terrore frequenter exanguis angebatur, & fugam, quod præcipuum sibi remedium putabat, meditabatur. Hoc aduertentes Cenomanni valde lætati sunt, & maiorem ei metum * Sempectas incusserunt.

TANDEM Helias consobrinus eius ad eum accessit, & cum eo de imminenti-
» bus causis tractans dixit: Audio mussitantem populum, Domine, quòd in patriam B
» tuam vis redire, durósque mores, & Comitatum indomitæ gentis relinquere.
» Hoc profectò nullus amicorum tuorum tibi debet dissuadere. Nam sicut mores
» tui placidi sunt, amantque tranquillitatem pacis: sic huius incolæ regionis conti-
» nuis vacant bellis, & impatientes sunt quietis. Præterea implacabiles Normanni
» Cenomanniã calumniantur, & cum ingenti feritate Cenomannicis dira commi-
» nãtur. Nam filij Regis Guillelmi, qui olim inter se dissidebãt, nunc recõciliati sunt,
» & in Normanniam cum grandi exercitu conueniunt, vt in terram nostram repente
» accurrant, & nos qui contra illos rebellauimus atrocibus armis impugnent & pu-
» niant. Hanc sine dubio crede præcipuam causam, pro qua Guillelmus Rex cum in-
» genti pompa venit in Neustriam, cuius vt reor aduentus nobis pariet grauem me-
» tum & occupationem maximam. Hæc ita dicenti manifestè Hugo propalauit He-
liæ, quòd suum vellet Consulatum vendere, patriósque penates reuisere. Helias
» dixit: Cognatus tuus sum, Domine, suffragióque meo sublimatus es in Consulatus
» honore, quem nulli potes nisi mihi dare vel vendere. Nã filia Herberti Comitis Lã- C
» celino de Balgenceio nupsit, eique Lancelinum Radulfi patrem, & Ioannem meum
» genitorem peperit. Hoc itaque disserui manifestè, vt me sicut te scias ortum de Co-
» mitis Herberti progenie. Nunc igitur de meo quod inter nos conuenerit accipe, &
» Consulatus stemma mihi dimitte, quod meũ debet esse consanguinitatis iure. Gra-
» ue quidem & laboriosum quod appeto, quia vix aut nunquam, cùm tres filij Regis
» Guillelmi aduixerint, in pace possidebo. Valde indignũ videtur tantis Principibus,
» qui nos circumuallare possũt militũ centũ milibus, vt à collimitaneis contribulib.
» impunè patiãtur aliquod dedecus, vel aliquo modo amittãt sine terribili calumnia
» quodlibet ius, quod pater eorum qualicumque pacto fuerit nactus. Me quoque li-
» bertatis amor nihilominus stimulat, & hereditatis auitæ rectitudo dimicandi pro
» illa fiduciam in Deo mihi suppeditat.

HIS dictis ignauus Allobrox annuit, & pro Comitatu Cenonannensi x. milia solidorum Cenomannensis monetæ recepit. Helias verò recedẽte Ligure Comes Cenomãnorũ factus est, & xx. annis adepto Consulatu strenuè potitus est. Hæresquoque soceri sui Geruasij de Castro-Ligeri factus est, cuius filiam habuit, ex qua filiam D nomine Eremburgem genuit, quam domini sui filio Fulconi Andegauorũ Comiti in matrimonium copulauit. Hic in accepta potestate viam suam multum emendauit, & multiplici virtute floruit. Clerum & Ecclesiam Dei laudabiliter honorauit, & Missis seruitióque Dei quotidie feruenter interfuit. Subiectis æquitatem seruauit, pacémque pauperibus pro posse suo tenuit.

HIS temporibus in Normannia nequitiæ rabies nimium creuit, & in cunctis climatibus eius vltra modum redundauit, miserósque regionis indigenas miserabiliter conturbauit. Armorum crebra collisio in conflictibus frenduit, & multorum sanguine tellus maduit.

ANNO secundo postquã Rex Guillelmus obiit, Ascelinus cognomẽto Goellus Guillelmo Bretoliensi domino suo arcem Ibreij fraude surripuit, & Roberto Duci prodidit. Guillelmus autẽ pro redemptione arcis, qua carere noluit, MD. libras Duci erogauit.

A erogauit. Recepta verò turri, Præsidatum Ibreij pro vindicta Goello abstulit, & omnibus rebus, quas sub sua ditione habebat, eum spoliauit. Indè diutinū inter eos bellum fuit, rapinis incendiisque, cum cædibus hominum, vicina regio luxit. Almaricus de Monteforti, qui Fortis cognominabatur, pro virtute qua vigebat, & cunctis affinibus, qui secus eum cōmorabātur, audacia & feritate formidabilis erat, dum in terram Guillelmi Bretoliensis vt leo sæuiens irrueret, & solus contra duos milites certamen iniret, ab vno eorum lancea in latere percussus est, ipsóque die mortuus est. Quo defuncto, Ricardus frater eius patrium honorem adeptus est, & perniciem germani super Guillermum vlcisci summopere molitus est.

RODBERTVS II. 1090.

ROBERTVS Dux Gisleberto Ingenulfi de Aquila filio militaria, quoniā valde probus erat, seruitia crebro iniunxit, eíque pro remuneratione, patriæque tuitione, castrū de Eximiis donauit. Vnde Robertus Bellesmensis felle liuoris & iræ cōmotus exercitū aggregauit, & in prima Ianuarij septimana castrū per quatuor dies obsedit, & inter hibernos imbres & prunas acerrimis assultibus impugnauit. Gislebertus B autē cum paucis, sed animosis pugnatoribus fortiter intus obstitit, iactísq; missilibus & lapidibus hostes resisit, in vallum præcipitauit, quosdā vulnerauit, nonnullos etiā exanimauit. Interea Gislebertus tyro, Aquilensis herus, ei suppetias venit, cum LXXX. militibus noctu castrum introiuit, alimētis & armis ac propugnatoribus illud muniuit, adminiculóq; tali patruum suum corroborauit. Porrò Belesmensis tyrannus videns loci munitionem, validámq; defensorum obstinationē, commorari non ausus in obsidione diutina, furibundus recessit cum ingenti mœstitia, nihil lucratus præter suorum vulnera. Sequenti anno cùm præfatus eques Gislebertus de sancta Scholastica veniret, & Molinis colloqui cum Duda eiusdem castri domina diuertisset, post colloquium Antonio cognomēto Haren ibidem arma sua fortè dimisit, & inermis ipse cum armigeris suis circa vesperā festinanter abscessit. Protinus eum Gerardus Capreolus, & Rogerius de Ferrariis, aliiq. Corboniēses milites ferè XIII. persecuti sunt, viuúmque comprehēdere conati sunt. Qui dum veloci equo veheretur, & manus inimicorum effugere niteretur, ab vno eorum lancea in latere punctus est, ipsisq; mœrentibus qui hoc perpetrauerunt, nobilis heros ipso die mortuus C est. In crastinum autē bissextili die corpus eius ad S. Sulpitium delatum est, ibique cum parentibus suis à Gisleberto Ebroicensi Episcopo, & Serlone Vticensi Abbate cum multorum luctu tumulatus est. Porro Goifredus Mauritaniæ Comes perpendens quod homines sui, qui graue facinus peregerant, ex occisione strenuissimi Baronis ingentium detrimentorū terræ suæ seminarium procreauerant, cū Gisleberto Aquilēsi nepote eius pacem fecit, eíque Iulianam filiā suam in matrimonium coniunxit, quæ Richeriū, & Goifredum, ac Gislebertū ipsi peperit. Sapiens itaq. Consul subiectis & heredibus suis commodè cōsuluit, dum dulcedine coniugalis amplexus exortum scelus occauit, ne de radice prauę actionis multiplicius nefas pullularet, & rediuiuū inter posteros semper in peius excresceret. Fœdus itaq. in cōsobrinos hæredes nunc vsq. indissolubile persistit, & serena pax eos blandè seneritérq. cōnectit.

EADEM septimana, qua Gislebertus, vt dictum est, inter Molinos & Aquilam interiit, Goëllus contra Guillelmum Bretoliensem dominum suum campestri certamine dimicauit, & secum habens Ricardum de Monteforti, magnámque multitudinem Francorum, hostilē exercitum contriuit. Guillelmum autem cum multis aliis captum in vinculis iniecit, & squalore carceris sequenti quadragesima crudeliter D afflixit, & rigorem quadragesimalis pœnitentiæ inuitū pro peccatis suis subire coëgit. Denique per hanc occasionē Ricardus de Monteforti, & Hugo de Monte-Gomerici, Geruasius de Nouo-castello, aliique plures Francorum & Normannorum vnà conuenerunt, & pacem inter Guillelmum & Goëllum apud Breheruallū composuerunt. Tunc Guillelmus, vt pactum exigebat, Goëllo Isabel filiam suam in coniugium sociauit, & pro redemptione sua mille Drocensium libras, & equos, & arma, & alia multa donauit. Quinetiam arcem Ibreij tristis & mœstus adiecit. Nefarius itaque prædo his opibus admodum ditatus, intumuit; & castellum suum, quod reuera spelunca latronum erat, fossis & densis sepibus ad multorum damna conclusit, vbi totam vitam suam rapinis & cædibus finitimorum exercuit. Ex coniuge sua septem filios genuit, quorum nequitia nimis excreuit: & multos fletus viduarum & pauperum sæuis operibus exciuit.

RODBERTVS II. 1090. EODEM tempore alia turbatio in Neustria surrexit. Robertus Comes Mellenti A muneribus & promissis Guillelmi Regis turgidus de Anglia venit, Rothomagũ ad Ducem accessit, & ab eo arcem Ibreij procaciter repetiit. Cui Dux respondit: Æ- » quipotens mutuum patri tuo dedi Brioniam nobile castrum pro arce Ibreij. Comes » Mellenti dixit: Istud mutuũ non concedo, sed quod pater tuus patri meo dedit ha- » bere volo. Alioqui per S. Nigasium faciam tibi quod displicebit. Iratus igitur Dux illico eum cõprehendi, & in carcere vinciri præcepit, & Brioniã Roberto Balduini filio custodiendã commisit. Callidus senex Rogerius de Bellomonte, vt captã prolem audiuit, per aliquot dies aliis actionibus, quasi infortuniũ pignoris non curasset, specie tenus intendit, suiq; mœrorẽ tristis animus læto vultu dissimulauit. Deinde vt mitigatum Ducem æstimauit, præmissis muneribus eum adiuit, & honorificè sa- » lutauit. Cúmq. ab illo resalutatus fuisset, dixit: Gratias ago, domine Dux, vestræ su- » blimitati, quia filij mei superbiam principali seueritate castigasti. Hoc ego iamdudũ » debuissem facere, si necessaria mihi virtus inesset in hac senili ætate. Crebro nem- B » pè nimia eius proteruia me contristauit, monitúsque meos multotiens contempsit. » Corripiẽdus ergo erat & docẽdus qualiter loqui debeat dominis suis & maioribus.

HÆC & alia huiusmodi Rogerius ad fauorẽ Ducis leniter locutus est. Et ille futura non præcauẽs adulanti congratulatus est. Ad omnia Ducis cõsilia familiariter iam admissus est, & sic postmodũ de sobolis ereptione prudẽter agere visus est. Erat enim ex antiquis & præcipuis Roberti Ducis & Guillelmi Regis Optimatib. gener Gualerani Comitis Mellẽtici, & Hugonis sororius, fidei & legalitatis probabili laude dignus: amicis fultus & parentib. diuitiis & amplis honorib. munitis oppidis atq; probis hominib. validísq; filiis & sublimib. quorũ vnus Mellẽti Comes erat in Gallia, alter Gauguerici Cõsul in Anglia. Hic itaq; sensu & opib. & amicis stipatus, ac- » cedẽs ad Ducẽ dixit: Debes, domine Dux, mecũ clemẽter agere, & frequẽter reco- » lere, quòd omni tẽpore fidelis extiterim dominis Normãniæ. Nũquã Domino meo » fraudẽ feci, sed pro illo magnos & periculosos labores sustinui. Hoc nimirũ potes » in bello tuo clari9 intueri, quòd in præsẽtia patris tui cõtra rebelles gessi, in quo cor- » ruerũt Rogeri9 de Hispania, & filij eius Elbretus & Elurãtius, atq. plures alij. In fide » sẽper persistere ab infãtia elegi. Et hoc hereditariũ ius in Turolfo auo meo, & Vn- » frido patre meo accepi, omníque vita mea in aduersis & prosperis feruẽter seruaui. » Absit, vt amodò, cùm sim silicernius, incipiã deseruire fraudib. quas odiui hactenus, C » & ab ineũte sẽper ætate totis deuitaui nisib. Et quia pater tuus nũquã deuiantẽ me » inuenit à suo latere, sed fortiter perdurãtẽ in sua fidelitate, nimiásq. pro illo aduer- » sitates tolerãtẽ virili robore, præ cæteris Optimatib. suis ad omnia secreta sua sẽper » habuit me. Rogerio talia dicenti Dux dixit: Magnã legalitatẽ tuã, domine Rogeri, » qua tẽpore patrum meorũ magnificè viguisti, multis attestãtib. optimè noui. Vnde » sicut illi te dilexerunt, consiliísq. tuis probabilibus vtiliter acquieuerũt, ego nihilo- » minus prudentiæ tuæ cõgratulor, monitúsq. tuos amplector. Quòd verò filiũ tuum » vinculis inieci, hoc sine dubio pro cõtẽptu tuo nõ feci, sed pro eius stomachatione » stulta nimiúmq. procaci, qua minaciter & importunè insistebat mihi. Rogerius di- » xit: Quia temerarium iuuenem castigasti, lætus gratias egi, magnásq. iterum gratias » ago vestræ sublimitati. Amodo, si placet vestræ serenitati, parcendũ est illi. Relaxa » castigatum, & fidelem tibi exhibebit famulatũ. Delibutus itaq. Dux huiuscemodi verbis, Mellenticũ Comitem à vinculis absoluit, & cum patre liberũ abire permisit.

NON multò pòst Rogerius cũ filio suo Ducẽ, vt Brioniã sibi redderet, requisiuit, D & ob hoc ingẽs pecuniæ põdus promisit. Dux autẽ pecuniæ cupidus poscẽti facilè annuit, & præfato municipi oppidũ Rogerio reddi præcepit. Ille verò Duci reman- » dauit, dicens: Brioniã si tibi vis retinere, sicut eam pater tuus in sua tenuit proprie- » tate, tibi non differo reddere. Alioquin hereditatẽ meam seruabo, nec alicui tradã » dum aduixero. Omnib. enim huius Prouinciæ indigenis euidenter innotuit, quòd » Ricardus senior Dux Normãnorũ Godefrido filio suo Brioniã cum toto Comitatu » donauit, quam ipse nihilominus Gisleberto filio suo moriẽs dimisit. Deinde Gisle- » berto Comite nequiter interfecto à malignis hominibus, & pædagogis filiorũ eius » cum eisdẽ pueris ad Balduinũ Flandrensẽ timore inimicorũ fugiẽtibus, pater tuus » aui mei Comitatũ partim dominio suo mãcipauit, partim extraneis ad libitũ suũ di- » straxit. Post longũ tẽpus, dum ipse filiã Balduini Flandritæ conjugẽ accepit, precib. » eiusdẽ Balduini, Balduino patri meo Molas & Sappũ reddidit, & filiam amitæ suæ

vxorem dedit. Ricardo autem fratri eius Berefactam & Orbeccum restituit. Denique gratia vestra, Domine, cui per omnia parere desidero, Brioniam Gisleberti Comitis aui mei principale oppidum nunc possideo, Deóque rectitudini meæ adminiculante, sine tenus tenebo. RODBERTVS II. 1090.

His auditis, Rogerius Ducem acriter stimulauit, ne deficeret: sed vt repente armatorum manu aggregata rebelles comprimeret, & munitissimum castrum, quod in meditullio terræ situm est, obsidione sibi subigeret. Igitur Robertus Dux in hebdomada Pentecostes Brionnam obsedit, quod Robertus Balduini filius cum sex tãtum militibus contra phalanges armatas defendere satagit. Ceterum Belmõticus heros & Mellenticus Comes ingentes bellatorum turmas adunauerant, & præfatam munitionem, ne sociorum adminiculis & alimentis perfrueretur, subitò cinxerant: & viriliter instantes oppidum post Nonam acerrimè impugnabant. Tunc calor ingens incipientis æstatis, & maxima siccitas erant; quæ forinsecus expugnantes admodum B iuuabant. Callidi enim obsessores in fabrili fornace, quæ in promptu structa fuerat, ferrum missilium calefaciebant, subitóque super tectum principalis aulæ in munimento iaciebant: & sic ferrũ candens sagittarũ atque pilorum in arida veterũ lanugine imbricũ totis nisibus figebãt. Inde magnus ignis celeriter cõfectus est, & defẽsoribus oppidi validè pugnãtibus, dolúmq; nescientib. nimis confortatus est, donec flamma super capita eorum progressa est. Quam mox vt super se cũcta corripere viderunt, collapsis viribus defecerunt, & furentibus per omnia intrinsecus flãmarum globis, clementiæ Duci sese dediderunt. Sic Robertus Dux ab hora Nona Brionnam ante solis occasum obtinuit, quam Guillelmus pater eius cum auxilio Henrici Frãcorum Regis sibi vix in tribus annis subigere potuit, dum Guido filius Rainaldi Burgundionis post prælium Vallisdunensis illic præsidium sibi statuit.

In expugnatione prædicti castri Gislebertus de Pino Princeps militiæ erat, & obsidentium turmas de Ponte-Aldemari & Bellomonte prouidè ordinabat, ac vt intolerabilem assultum darent, audacter incitabat. Interea pilo desuper ruente lethaliter in capite percussus est, & protinus à sociis lugentibus penè exanimis de pressu-C ra præliantium eiectus est. Deinde per breue spatium saucius de lipotosmia rediit, & terribiliter ad circumstantes vociferari cœpit: O miseri, miseri, quid facitis? cur " tempora nostra perditis? cur mundi vanitates diligitis, & ea, quæ verè salubria sunt " & permansura, obliuioni traditis? Si miserias & tormenta, quæ malè viuendo meremini, sciretis, & horrẽda quæ modo vidi vna saltẽ hora sentiretis; omnia profectò " labentis seculi delectamenta pro nihilo æstimaretis. Hæc dicens, & his addere plura volens obmutuit; & famosus optio sic inter verba deficiens hominem exuit. "

His ita gestis, Dux Brionnã Rogerio reddidit, & Roberto municipi cõpatiẽs patriũ feudum promisit. Amicis enim & parẽtibus admodũ stipatus erat, & erga Ducẽ plurimos adiutores habebat. Nam sicuti supra dictum est. Guillelmus Rex filios Gisleberti Comitis Ricardũ & Balduinũ caros habuit, & tam pro vicinitate sanguinis, quã pro strenuitate amborũ eos sublimauit, & pluribus fũdis atque honoribus & potestatibus in Anglia & Normãnia ditauit. Præfati quoq. fratres bonis vxoribus, & honorabili sobole donati sunt. Ricardus enim Roaldẽ Gaulterij Gifardi filiã accepit, quæ filios ei & filias peperit, Rogerium & Gislebertum, Gaulterium & Rober-D tum, atque Ricardũ Beccensem Monachũ, cui Henricus Rex cõmisit Eliense Cœnobiũ. Balduinus verò genuit Robertũ & Guillelmũ, Richardũ, nothũque Guigerium. Isti nimirum tẽpore Guillelmi Regis & filiorum eius laboriosa seculi probitate viguerunt, variisque flatibus instabilis fortunæ agitati, in pelago huius mundi periculosè fluctuauerunt. Vvigerius autem nouissimus horum mundialis militiæ discrimen sponte deseruit, in Beccensi Cœnobio comam deposuit, & in Monachatu ferè XL. annis sub venerabilibus Archimandritis Guillelmo & Bosone vixit.

Perstrepentibus vndique præliis in Neustria, securitate pacis perfrui non potuit Ebroicensis prouincia. Illic nempe plus quàm ciuile bellũ inter opulentos fratres exortũ est, & maligna superbarum æmulatione mulierũ malitia nimis augmentata est. Heluisa nàq. Comitissa contra Isabelẽ de Cõchis pro quibusdã cõtumeliosis verbis irata est, Comitẽq; Guillelmũ cũ Baronibus suis in arma per irã cõmouere totis viribus conata est: Sic per suspiciones & litigia feminarum in furore succensa sunt fortium corda virorum, quorum manibus paulò pòst multus mutuo cruor ef-

RODBERTVS II. 1090. fusus est mortalium; & per villas & vicos multarum incensa sunt tecta domorum. A Ambæ mulieres, quæ talia bella ciebant, loquaces & animosæ, ac forma elegantes erant, suisque maritis imperabant, subditos homines premebant, variisque modis terrebant. Magna tamen in eisdem morum diuersitas erat. Heluisa quidem solers erat & facunda, sed atrox & auara. Isabel verò dapsilis & audax, atque iocosa, ideóque coessentibus amabilis & grata. In expeditione inter milites vt miles equitabat armata, & loricatis equitibus ac spiculatis satellitibus non minori præstabat audacia, quàm decus Italiæ Turni manipularibus virgo Camilla. Æmulabatur Lampedonem & Marseppiam, Hippolyten & Pētesileam, aliásque Reginas Amazonum bellatrices: quarum certamina Pompeius Trogus & Maro Virgilius referunt, aliique Historiarum scriptores: quibus attinuerunt Asiæ Reges, & per XV. annos armis edomuerunt Asiaticas gentes. Ebroicenses multos adiutores habebant, & incendia multa prædásque Cōchanis plerúmque faciebant. Sed interdum illi non dispares inimicis taliones reddebant. Radulfus Robertum Ducem adiuit, querelas damnorum, quæ à contribulibus suis pertulerat, intimauit, & herile adiutorium ab eo poposcit: sed frustra, quia nihil obtinuit. Hinc aliàs conuersus est, & vtile sibi B patrocinium quærere compulsus est. Regem Angliæ per Legatos suos interpellauit, eíque sua infortunia mandauit: & si sibi suffragaretur, se & omnia sua permisit. His auditis Rex gauisus est, & efficax adminiculum indigenti pollicitus est. Deinde Stephano Comiti, & Gerardo de Gornaco, aliisque tribunis & centurionibus, qui præerant in Normannia familiis eius, mandauit, vt Radulfum totis adiuuarent nisibus, & oppida eius munirent necessariis omnibus. Illi autem Regiis iussionibus alacriter obsecundauerūt, & Radulfo, per omnia Regi placere nitētes, suffragati sunt.

MENSE Nouembri Guillelmus Comes ingentem exercitum aggregauit, & Cōchas expugnare cœpit. Duo nepotes eius viri potentes, Guillelmus de Bretolio, & Ricardus de Monteforti cum eo erant, & cum turmis suis Concheios impugnabant. Ibi Ricardus de Monteforti, dum Cœnobialem Curiam beati Petri Castellionis inuaderet, nec pro reuerentia Monachorum, qui cum fletibus vociferantes Dominum interpellabant, ab incœptis desisteret, hostili telo repentè percussus est: ipsóque die cum maximo luctu vtriusque partis mortuus est. Germanus enim frater erat Isabel, & ex sorore nepos Guillelmi Comitis. Vnde formidabilem Marchi- C sum vtraque pars luxit; qui pro nimio tumore & procacitate pertinaciter malum faciens interiit. Cadauer autem prædicti militis ad natale solum à suis translatum est, & Asparlone in cimiterio sancti Thomæ Apostoli sepultum est. Ibi nempe Maioris-Monasterij regulares Monachi Deo seruiunt. Ibique senior Simon Amalrici filius, & filij eius tumulati sunt.

NON multò post Ebroicenses denuò conglobati sunt, & dolorem suum vlcisci cupientes, Conchense territorium deprædari aggressi sunt. Tunc Radulfus perualidum agmen de suis, & de familia Regis habuit; cupidísque tyronibus foras erumpere, dixit: Armamini, & estote parati; sed de munitione non exeatis donec ego iubeam vobis. Sinite hostes præda onerari, & discedentes mecum viriliter insectamini. Illi autem Principi suo, qui probissimus, & militiæ gnarus erat, obsecundarunt, & abeuntes cum præda pedetentim persecuti sunt: eísque sæuientibus Ebroicenses relicta præda fugerunt. Tunc Guillelmus Bretoliensis cum pluribus captus est, & victoriam huiusmodi pax secuta est. Ebroicenses enim erubescentes, quòd guerram superbè cœperant, & indè maximi pondus detrimenti cum D dedecore pertulerant; conditioni pacis post triennalem guerram adquieuerunt, & in vnū conuenientes huiusmodi pactum confirmauerunt. Guillelmus auunculo suo Radulpho tria milia librarum pro redēptione sua dedit, & Rogerium consobrinum suū Radulfi filium totius iuris sui heredē fecit. Ebroicensis quoque Comes eundem Rogerium, vtpote nepotem suum, Consulatus sui heredem constituit. Sed diuina dispositio, quæ nutibus humanis non subiicitur, aliud prouidit. Idem iuuenis moribus egregiis pollebat, & cunctis sodalibus ac subiectis clientibus & vicinis admodū amabilis erat. Clericos & Monachos diligebat, & cōpetenter honorabat. Preciosis vestibus, quibus superbi nimis insolescunt, vti dedignabatur, & in omni esse suo sese modestè regere nitebatur. Quondam milites otiosi simul in Aula Conchis ludebāt & colloquebantur, & coram Domina Elisabeth de diuersis thematibus, vt mos

A est huiusmodi, confabulabantur. Tunc quidam eorum dixit; Nuper vidi somnium, quo valde territus sum: Videbam Dominum in cruce fixum de toto corpore liuentem, sesèque quasi præ angustia nimis torquentem, méque terribili visu aspicientem. Talia narranti, qui aderant dixerunt: Hoc somnium graue est ac terribile, & videtur horrendum Dei iudicium tibi portendere. Balduinus autem Eustachij Boloniæ Comitis filius dixit: Et ego nuper in somnis videbam Dominum Iesum in cruce pendentem, sed clarum & pulcrum, ac mihi alacriter ridentem, dexteráq. sua me benedicentem, signúmque crucis super caput meum benigniter facientem. Astantes verò responderunt: Tali ostensione dulcedo magnæ gratiæ videtur tibi fulgere. RODBERTVS II. 1090

His auditis, Rogerius adolescens matri suæ dixit: Noui hominem, nec longe est, qui similia per visum contemplatus est. Cúmque mater insisteret, & diligenter inquireret, quis aut quæ vidisset; adolescens erubuit, & manifestè rem publicare noluit. Tādem à genitrice & præsentibus amicis multum rogatus, respondit: Quidam in visione sua nuper vidit Dominum Iesum capiti suo manum imponentem, & clementer benedicentem, hisque verbis eum vocantem: Veni cito, dilecte meus, ad me; & dabo tibi gaudia vitæ. Audacter igitur eum in hac vita non diu victurum assero, quem sic à Domino vocatum cognosco.
B

Non multò post tres præfati tyrones, vt diuersa retulerunt, varios euentus experti sunt. Primus enim in expeditione quadam malè sauciatus est, & sine confessione ac viatico mortuus est. Balduinus autem gener Radulphi de Conchis in dextero humero Domini crucem sumpsit, & Vrbani Papæ iussu secundam contra Ethnicos peregrinationem arripuit. In illo itinere super omnes compares suos exaltatus est, & virtute cruciferi Opificis, prout in somnio speculatus fuerat, gloriosè suffultus est. Prius enim Rages, id est Edissæ nobilissimæ vrbis Dux factus est, & post aliquot annos defuncto Godefredo fratri suo, diu regno Hierusalem potitus est. Hic contra paganos multoties præliatus est, multísque triumphis adminiculante Deo gloriatus est. Rogerius verò eodem anno, quo hæc visa fuerant in lectum decubuit, & deuote complexis in eo quæque fideli viro competunt, Idus Maij de mundo migrauit, & cum luctu multorum Castellionis cum parentibus suis sepultus quiescit.
C

Eodem tempore Constantinienses Henricus clito strenuè regebat, rigidúsque contra fratres suos persistebat. Nam contra Ducem inimicitias agitabat pro iniusta captione, quam nudiustertius, vt prædictum est, ab illo perpessus fuerat. Regi nihilominus Angliæ hostis erat pro terra matris suæ, qua Rex eumdem in Anglia dissaisiuerat, & Roberto Haimonis filio dederat. His itaque pro causis oppida sua constanter firmabat, & fautores sibi de Proceribus patris sui plurimos callidè consiliabat. Abrincas, & Cæsarisburgum, & Constantiam, atque Guabreium, aliásque munitiones possidebat; & Hugonem Comitem & Ricardum de Radueriis, aliósque Constantinienses, præter Robertum de Molbraio, secum habebat, & collectis vndique viribus prece precióque, quotidie crescebat. Tot pestibus inquietabatur Neustria, & cædib. ac flammis homines ac vicos & casas tradebat gehennalis furia.

D Vis Anglici Regis penè per totam Normanniam discurrebat, & Normannicis Optimatibus ei fauentibus propter eius pecuniam, rectore desolatam sibi mancipabat Prouinciam. Ciues etiam Rothomagi regiis muneribus & promissis illecti de mutando Principe tractauerunt, ac vt Normanniæ Metropolim cum somnolento Duce Regi proderent consiliati sunt. Huius nimirum factionis incentor Conanus Gisleberti Pilati filius erat, qui inter ciues, vtpotè ditissimus eorum, præcellebat. Is cum Rege de tradenda ciuitate pactum fecerat, & immensis opibus ditatus in vrbe vigebat, ingentémque militum & satellitum familiam contra Ducem turgidus iugiter pascebat. Maxima pars vrbanorum eidē adquiescebant. Nonnulli tamen pro fide Duci seruāda resistebant, & opportunis tergiuersationibus detestabile facinus impediebant. Ceterùm Conanus de suorū consensu contribulium securus, terminū cōstituit, diéque statuto exercitū Regis de Gornaco, aliisque Regalib. castris accersiit, & Rotomagum confestim venire præcepit. Dux autem vbi tantam contra se machinationem comperiit, amicos, in quibus cōfidebat, ad se cōuocauit. Tunc etiam cū Henrico fratre suo, & cū aliis quibusdā, qui ab eo desciuerāt, fœdus amicitiæ pepigit: & Guil. Comiti Ebroarū, & Rob. Belesmēsi, atq. Guillel. Bretoliēsi,

RODBERTVS II. 1090. & Gilberto de Aquila, aliisque fidelibus suis desolationem sui cita legatione inti- A mauit. Henricus igitur primus ei suppetias venit, & primò subsidium fratri contulit, deinde vindictam viriliter in proditorem exercuit.

TERTIO die Nouembris, Gislebertus de Aquila militum turmam Ducis ad seruitium duxit, & per pontem Sequanæ ad australem partem vrbis accessit. Et tũc ex alia parte Rainaldus de Garenna cum CCC. militibus ad Calcegiensem portam properauit. Tunc Conanus dixit suis: Surgite confestim, & armamini, quia tempus non est vlteriùs præstolandi. En à meridie veniunt hostes nos impugnare, & ab Occidente feruentes socij nos adiuuare festinant. Ergo fautoribus & inimicis vt decet occurrite, aditum sodalibus aperite, & hostibus armis acriter obserate. Pars igitur ciuium cucurrit, vt Gislebertum cum suis repelleret, & alia pars conata est Occidentalem portam reserare, vt Rainaldum cum suis intromitteret. Præterea iampridem quidam de regiis satellitibus in vrbem introierant, & parati, rebellionem tacitè præstolantes, seditionis moram ægrè ferebant.

DENIQVE dum militaris & ciuilis tumultus exoritur, nimius hinc & inde clamor attollitur, & tota ciuitas pessimè confunditur, & in sua viscera crudeliter debacchatur. Plures enim ciuium contra cognatos vicinósque suos ad vtramque por- B tam dimicabant, dum quædam pars Duci, & altera Regi fauebant. Dux autem vbi furentes, vt dictum est, in ciuitate aduertit, cum Henrico fratre suo, & commanipularibus suis de arce prodiit, suísque velociter suffragari appetiit. Sed dum perturbationis ingens tumultus cuncta confunderet, & nesciretur quam quisque ciuium sibi partem eligeret: Dux, persuadentibus amicis, ne perniciem inhonestam stolidè incurreret, cunctísque Normannis perenne opprobrium fieret, fugiens cum paucis per Orientalem portam egressus est: & mox à suburbanis vici, qui Mala-palus dicitur, fideliter vt specialis herus susceptus est. Deinde cimba parata Sequanam intrauit, & relicto post terga conflictu, trepidus ad Ermentrudis-villam nauigauit. Tunc ibidem à Guillelmo de Archis Molismensi Monacho susceptus est, ibíque in basilica sanctæ Mariæ de Prato finem commotæ seditionis præstolatus est. C

POSTQVAM Gislebertus Aquilensis tam virtute sua suorúmque, quàm iuuamine ciuium, qui proditionis participes non erant, Australem portam obtinuit, & Henrico aliisque Ducis auxiliaribus associatus, contra rebelles in vrbe certamen iniit: tumidis & reis præsumptoribus in nefario conatu deficientibus, pars Ducis creuit, atque aduersarios ferro fortiter feriens superior præualuit. Tunc vehemens burgensium cædes facta est, & Conanus proditorum signifer cum aliis multis captus est. Timor & luctus erat ingens in ciuitate: virísque certantibus aut cadentibus aut fugientibus, flentes vociferabantur feminæ. Innocentes & rei passim cædebantur, aut fugiebant, aut capiebantur. Ciuibus, vt prælibatum est, vicissim dissidẽtibus, & tristis infortunij procellis periclitantibus, regia cohors territa fugit, latebrásque siluarum, quæ in vicinio erant, auidè poscẽs delituit; & subsidio noctis discrimen mortis seu captionis difficulter euasit. Conanus autem à victoribus in arcem ductus est, quem Henricus per solaria turris ducens, insultando sic allocutus est. Considera Conane, quàm pulcram tibi patriam conatus es subicere. En ad meridiem delectabile parcum patet oculis tuis. En saltuosa regio siluestribus abũdans feris. Ecce Sequana piscosum flumen Rotomagensem murum allambit, nauésque D pluribus mercimoniis refertas huc quotidie deuehit. En ex alia parte ciuitas populosa, mœnibus sacrísque templis, & vrbanis ædibus speciosa: cui iure à priscis temporibus subiacet Normannia tota. Conanus ironica insultatione Henrici pauidus ingemuit, & supplex clementiam exorans, ait: Proprio reatu, Domine, damnandus sum, sed nunc misericordiam posco propter Deum creatorem omnium. Pro redemptione mei Domino meo aurum dabo & argentum, quantum reperire potero in thesauris meis, meorúmque parẽtum, & pro culpa infidelitatis fidele vsque ad mortem rependam seruitium. Cui Henricus dixit: Per animam matris meæ traditori nulla erit redemptio, sed debitæ mortis acceleratio. Tunc Conanus gemens clamauit alta voce: Pro amore, inquit, Dei confessionem mihi permitte. Verùm Henricus acer fraternæ vltor iniuriæ præ ira infremuit, & contemptis elegi supplicationibus, ipsum ambabus manibus impulit, & per fenestram turris deorsum præcipitauit. Qui miserabili casu in momento confractus est, & antequam solum attingeret mortuus est. Deinde cadauer illius iumenti caudæ innexũ est, & per omnes Rotho-

A magi vicos ad terrendos desertores turpiter pertractū est. Locus ipse, vbi vindicta huiusmodi perpetrata est, saltus Conani vsque in hodiernam diem vocitatus est. RODBERTVS II. 1090.

ROBERTVS autem Dux vt de prato ad arcem rediit, & quæ gesta fuerant comperit, pietate motus infortunio ciuium condoluit; sed fortiori Magnatorum censura præualente, reis parcere nequiuit. Tunc ibi Robertus Belesmensis, & Guillelmus Bretoliensis affuerunt, & Rodomanos incolas velut exteros prædones captiuos abduxerūt, & squaloribus carceris grauiter afflixerūt. Guillelmus Ausgerij filius Rodomensium ditissimus à Guillelmo Bretoliēsi ducitur captiuus, & post lōgos carceris squalores redimit se librarū tribus millibus. Sic Belesmici & Aquilini, cæterique Ducis auxiliarij contra se truculenter sæuiunt, ciuésque Metropolis Neustriæ vinculatos attrahunt, cunctísque rebus spoliatos vt barbaros hostes malè affligunt.

ECCE quibus ærumnis superba profligatur Normannia, quæ nimis olim victa gloriabatur Anglia, & naturalibus regni filiis trucidatis siue fugatis vsurpabat eorum possessiones & imperia. Ecce massam diuitiarum quas aliis rapuit, eísque pol-B lens ad suam perniciem insolenter tumuit; nunc non ad delectamentum sui, sed potiùs ad tormentum miserabiliter distrahit. Nunc sicut Babylon de eodem bibit tribulationum calice, vnde nequiter alios solita est inebriare. Visis tot malis, pauper gemit Clerus, Monachorum plorant cœtus, & desolatus vbique mœret inermis populus. Soli gaudent, sed non diu nec feliciter, qui furari seu prædari possunt pertinaciter. Proh dolor! sacerdotalis penè adnihilatur reuerentia, cui penè omnis denegatur obdientia; vehementer insurgente & furente malorum violentia. Vt quid in Neustria tantum effrenata furit Erynnis, indigenásque Normannos proculcat, subigítque ruinis? Quia in diebus illis non erat Rex neque Dux Hierusalem, aureísque vitulis Ieroboam rebellis plebs immolabat Indan & Bethel. Vnde transgressores legis ab eruca & brucho & locusta & rubigine comesos plangit & hortatur Ioël. Quatuor his cladibus à Propheta prolatis denotantur quatuor animi passiones, metus & cupiditas, dolor & gaudium. Metus & cupiditas humana præcordia stimulant & corrodunt, eademque lethali gaudio seu dolori subdentes deiiciunt. Læta obsecundant libidini, tristia verò inhærent crudelitati. Ho-C rum meminit Virgilius in Poëmate suo, dicens,

Hinc metuunt cupiúntque, dolent, gaudéntque, neque auras
Respiciunt, clausi tenebris, & carcere cæco.

Qui enim perturbationum tenebris inuoluuntur, clarum sapientiæ lumen iam non valent intueri, nec vitiorum glutino exui. Multa intueor in diuina pagina, quæ subtiliter coaptata nostri temporis euentui videntur similia. Ceterum allegoricas allegationes, & idoneas humanis moribus interpretationes studiosis rimandas relinquam, simplicémque Normannicarum Historiam rerum adhuc aliquantulum protelare satagam.

IAM descriptis laboribus Ebroicensium, & factionibus periculísque Rothomagensium, expediam conflictus & damna Oximensium. Robertus Belesmensis, in eminenti loco, qui Furcas vulgo dicitur, castellum condidit, & illuc habitatores Vinacij transtulit, omnes finitimos tyrannide sua sibi subigere sategit. Aliud quoque oppidum, quod Castellum-Gunterij nuncupatur, super Olnam fluuium ad Curbam construxit, per quod Holmetiam regionem sibi, licèt iniustè penitus D subiugare putauit. Sic vltra natales suos & auorum in nimium elatus insurrexit, & penè per totam iusti patrocinio Aduocati carentem Normanniam paribus suis obstitit, & collimitaneos omnes comprimere cœpit. Quibus visis, Normannici Proceres turbati sunt, nimióque mœrore afflicti de resistendo diu multúmque tractauerunt. Præcipuè, quia viciniores erant tyranni terminis, & conatui nefario, insurrexerunt primi Hugo de Grentemaisnilio, & Ricardus de Curceio; & municipia sua munierunt armis, & alimentis, & militum auxilio. Præfati quippe viri ætate canebant, audacia & nobilitate pollebant, vicinitate ac necessitudine connexi vigebant. Robertus enim Ricardi filius vxorem duxerat filiam Hugonis, quæ marito suo quinque filios peperit.

MAGNANIMVS Hugo in iuuentute sua magna probitate floruerat, coniugémque pulcherrimam Adelidem filiam Iuonis Comitis de Bellomonte duxerat, quæ peperit ei Robertum, Guillelmum, Hugonem, Iuonem, & Albericum: A-

RODBERTVS II. 1090. delinam, & Haduisam, Rochesiam, & Matildem, & Agnetem. Tantam progeniem & tam speciosam multifida sors inuoluit; & nullum ex his præter Robertum ad canos vsque viuere permisit. Ipse nimirum primogenitus extitit, cunctísque fratribus suis & sororibus defunctis trigamus consenuit. Primò duxit Agnetem Ranulfi Baiocensis filiam. Deinde Emmam Roberti de Stoteuilla filiam. Denique Luciam Sauarici filij Cani filiam. Guillelmus autem & Iuo coniuges habuerunt. Quorum primus in Apulia duxit vxorem Mabiliam Roberti Vuisgardi filiam, & alter in Anglia Gisleberti de Ganda filiam. Adelina verò nupsit Rogerio de Ibreio, & Rohes Roberto de Curceio: Mathildis Hugoni de Monte-pincionis, & Agnes Guillelmo de Saia. Haduisa autem iam nubilis obiit. A

PRÆCIPVVS itaque Hugo filiis generísque & pluribus amicis fretus, acriter bellum contra Robertum cœpit, tyrannidique illius insignium virtute auxiliatorum fortiter restitit. At ille fratrum suorum Rogerij & Arnulfi, multorúmque sibi subiectorum viribus tumens finitimos despexit; multísque conatibus illos pessundare, & possessiones eorum deuastare cœpit. Ad conflictus istorum conuenerunt B Mathæus Comes de Bellomonte, & Guillelmus de Guarenna, aliíque plures, vt in tali gymnasio suas ostentarent probitates. Ibi Tedbaldus Gualeranni de Britolio filius, & Guido Rubicundus occisi sunt. Quorum prior, quia cornipes & omnia indumenta eius candida erant, Candidus eques appellabatur. Sequens quoque Rubeus, quia rubeis opertus erat, cognominabatur. Robertus autem videns, quod insignes vicinos per se vincere non posset, quia nobilitas in eis, & audacia, & robur, ad perferendum vel agendum ardua præualeret; Ducem Normannorum supplex promissis deliniuit, & contra æmulos venire suos, obnixis precibus exorauit.

1091. ANNO igitur ab Incarnatione Domini MXCI. Indictione XIV. Robertus Dux Normannorum mense Ianuario Curceium obsedit. Sed ingenuis Optimatibus suis parcens, coartare obsessos neglexit. Robertus verò per tres septimanas dolis & viribus in hostes omnimodis surrexit, & diuersis machinationibus municipium infestauit. C Sed copia militum multoties intus obstante, repulsus erubuit. Ingentem machinam, quam berfredum vocitant, contra munitionem erexit, & copiosè bellicis apparatibus instruxit. Sed nec sic oppidanos ad libitum suum coartauit. Quotiens enim assultum contra Curceium inchoabat, totiens militaris virtus de Grentonis mansione suppetias festinabat, & assultores ab incœpto violenter retrahebat. Interea Castellani Guillelmum de Ferrariis, & Guillelmum de Ruperia, & alios plures comprehenderunt. Quorum redemptionibus opimè adiuti sunt. Sed bellica sors variatur, & victor à victo plerúmque superatur. Iuo filius Hugonis, & Ricardus Gisleberti filius à forinsecis hostibus capti sunt, aliíque plures, qui Roberti dirum carcerem experti sunt. Tunc Hugo arma pro senio non ferebat, sed sapientia consilióque acutus omnibus eminebat. Hic obsidione diutiùs grauari vehementer doluit, ideóque obsidenti Duci mandauit: » Patri tuo & » auo diu seruiui, & in eorum seruitio multa grauia pertuli. Tibi quoque semper fi» delis extiti. Quid egi, quid in te peccaui? vnde promerui tam hostiliter à te impu» gnari? Dominum meum te publicè fateor, & idcirco contra te non præliabor. Sed » nunc à me ducentas libras accipe, & vno tantum die quò vis recedam. D Te absente » liceat mihi cum Roberto Belesmensi dimicare. Patet itaque Robertum sub pro» tectione Ducis admodum confidere, & obsessos plus coërceri cum reuerentia fi» delitatis, quàm hostilium terrore.

CLIBANVS extra munitionem inter machinam oppidíque portam stabat, ibique panificus ad subsidium inclusorum panes coquebat: quia pro acceleratione obsidionis in nouo munimento construere furnum oppidanis fas non fuerat. Contigit ergo vt circa clibanum creberrimæ cædes fierent, & plurimo sanguine fuso plures animæ de carcere carnis atrociter exirent. Curceienses enim panes in furno armis tuebantur, eísque Belesmenses auferre nitebantur: & hac de causa multæ strages crudeliter agebantur. Quadam die dum panis in furno coqueretur, & inter inimicas partes ex procacitate vehemens ira oriretur; armatæ acies vtrimque conuenerunt, initóque conflictu ferè XX. homines occisi sunt; multíque vulnerati, qui de panibus emptis cruore suo non gustauerunt. In conspectu obsidentium

A commilitones obsessorum in castellum quotidie intrabant, & armis ac alimentis non curante Duce socios, ne deficerent, confortabantur.

QVONDAM de conflictu Roberto cum suis fugiente, insecutores armigerum quendam fecerunt in berfredum ascendere, & à Boreali plaga ignem immittere. Iusto itaque Dei iudicio machina combusta est, quæ tyrannico iussu in diebus sanctæ Natiuitatis Domini proteruè fabricata est. Ad obsidionem solers Girardus Sagiensis Episcopus vt dissidentes parrochianos suos pacificaret, venit; hospitiúmque suum apud Diuense Cœnobium constituit. Pacem dissidentibus proposuit, sed discordia præualente repulsus ingemuit. Robertus insuper iniuriam ei maximam fecit, eúmque minis contristauit. Nam puerum quendam, qui Præsuli ministrabat, dum per exercitum puerili more ludens equitabat, eiectum de equo comprehendit, & in carcere trusit, sibíque cornipedem retentauit. Idem puer Ricardus de Guaspreia, filius Seuoldi, vocitabatur: cuius parentela contra Robertum sese B iamdudum defendere totis viribus nitebatur. Episcopus autem vt Clericum suum sine reatu à Roberto captum audiuit, sibi eundem protinus reddi præcepit: & nisi redderetur, totum exercitum interdixit. Post aliquot igitur dies, imberbis Clericus liber dimissus est, & Antistes languens Sagium ad primam sedem reportatus est. Ibi Dominicis sacramentis munitus est, & inter manus discipulorum x. Kal. Februarij defunctus est. Cuius corpus in Ecclesia sancti Geruasij Martyris tumulatum est.

IN eadem septimana Guillelmus Rufus Anglorum Rex cum magna classe in Normanniam transfretauit. Cuius aduentu audito, territus Dux, cum Roberto, aliísque obsidentibus actutum recessit, & vnusquisque propria repetiit. Mox omnes penè Normannorum Optimates certatim Regem adierunt, eique munera, recepturi maiora, cum summo fauore contulerunt. Galli quoque, & Britones, ac Flandritæ, vt Regem apud Aucum in Neustria commorari audierunt, aliique plures de collimitaneis Prouinciis, ad eum conuenerunt. Tunc magnificentiam eius alacriter experti sunt, domúmque petentes cunctis eum Principibus suis diuitiis & liberalitate præposuerunt. Denique duo fratres Rothomagum pacificè conuenerunt, & in vnum congregati, abolitis prioribus querimoniis pacificati sunt. Tunc ingentia Robertus Dux à Rege dona recepit, eique Aucensem Comitatum C & Albamarlam, totámque terram Gerardi de Gornaco & Radulfi de Conchis, cum omnibus municipiis eorum eísque subiectorum concessit: vbi præfatus Rex à Ianuario vsque ad Kal. Augusti regali more cum suis habitauit.

QVID in Episcopatu Lexouiensi in capite Ianuarij contigerit cuidam Presbytero, prætereundum non æstimo, nec comprimendum silentio. In villa, quæ Bonauallis dicitur, Gualchelmus sacerdos erat, qui Ecclesiæ sancti Albini Andegauensis ex Monacho Episcopi & Confessoris deseruiebat. Hic anno Dominicæ Incarnationis MXCI. in capite Ianuarij accersitus, vt ratio exigit, quendam ægrotum in vltimis parrochiæ suæ terminis noctu visitauit. Vnde dum solus rediret, & longè ab hominum habitatione remotus iret, ingentem strepitum velut maximi exercitus cœpit audire, & familiam Roberti Belesmensis putauit esse, quæ festinaret Curceium obsidere. Luna quippe octaua in signo arietis tunc clarè micabat, & gradientibus iter demonstrabat. Præfatus Presbyter erat iuuenis, audax, & fortis, corpore magnus & agilis. Audito itaque tumultu properantium timuit, & D plurima secum tractare cœpit; an fugeret, ne à vilibus parasitis inuaderetur, & inhonestè spoliaretur; aut validam manum pro defensione sui erigeret, si ab aliquo impeteretur. Tandem quatuor mespileas arbores in agro procul à calle prospexit, ad quas latitandi causa, donec equitatus pertransiret, citò diuertere voluit. Verùm quidam enormis staturæ, ferens ingentem maxucam, Presbyterum properantem præuenit, & super caput eius leuato vecte dixit: Sta, nec progrediaris vltra. Mox Presbyter diriguit, & baculo quem baiulabat appodiatus immobilis stetit. Arduus verò vectifer iuxta eum stabat, & nihil ei nocens prætereuntem exercitum expectabat. Ecce ingens turba peditum pertransibat, & pecudes ac vestes, multimodámque supellectilem, & diuersa vtensilia, quæ prædones asportare solent, super colla scapulásque suas ferebat. Omnes nimirum lamentabantur, sesèque vt festinarent cohortabantur. Multos etiam vicinorum suorum, qui nuper

RODBERTVS II. 1091. obierant, Presbyter ibidem recognouit, & mœrentes pro magnis suppliciis, quibus ob facinora sua torquebantur, audiuit. Deinde turma vespilionum secuta est, cui præfatus gigas repente associatus est. Feretra ferè quinquaginta ferebantur, & vnumquodque à duobus baiulis ferebatur. Porro super feretra homines parui velut nani sedebant, sed magna capita ceu dolia habebant. Ingens etiam truncus à duobus Æthiopibus portabatur, & super truncum quidam misellus dirè ligatus cruciabatur, & inter angores diros vlulatus emittens vociferabatur. Teterrimus enim dæmon, qui super eundem truncum sedebat, igneis calcaribus in lumbis & tergo sanguinolentum importunè stimulabat. Hunc profectò Galchelmus interfectorem Stephani Presbyteri recognouit, & intolerabiliter cruciari pro innocentis sanguine vidit, quem ante biennium idem effudit, & tanti non peracta pœnitentia piaculi obierat. A

DEINDE cohors mulierum secuta est, cuius multitudo innumerabilis Presbytero visa est. Femineo more equitabant, & in muliebribus sellis sedebant, in quibus claui ardentes fixi erant. Frequenter eas ventus spatio quasi cubiti vnius sublevabat, & mox super sudes relabi sinebat. Illæ autem candentibus clauis in natibus vulnerabantur, & punctionibus ac adustione horribiliter tortæ, væ væ vociferabantur, & flagitia pro quibus sic pœnas luebant, palam fatebantur. Sic nimirum pro illecebris & delectationibus obscœnis, quibus inter mortales immoderatè fruebantur, nunc ignes & fœtores, & alia plura quàm referri possint supplicia dirè patiuntur, & eiulantes miserabili voce pœnas suas fatentur. In hoc agmine præfatus Sacerdos quasdam nobiles feminas recognouit; & multarum, quæ vitales adhuc carpebant auras, mannos & mulas cum sambucis muliebribus prospexit. B

STANS Presbyter talibus visis contremuit, & multa secum reuoluere cœpit. Non multò pòst, numerosum agmen Clericorum & Monachorum, Iudices atque Rectores eorum, Episcopos & Abbates cum pastoralibus cambutis aduertit. Clerici & Episcopi nigris cappis induti erant. Monachi quoque & Abbates nigris nihilominus cucullis amicti erant. Gemebant & plangebant, & nonnulli Galchelmum vocitabant, ac pro pristina familiaritate vt pro se oraret, postulabant. Multos nimirum magnæ æstimationis ibi Presbyter se vidisse retulit, quos humana opinio Sanctis in cœlo iam coniunctos astruit. Hugonem nempe vidit Luxouiensem Præsulem, & Abbates præcipuos, Mainerum Vticensem, atque Gerbertum Fontinellensem, aliósque multos, quos nominatim nequeo recolere, neque scripto nitor indere. Humanus plerúmque fallitur intuitus, sed Dei medullitus prospicit oculus. Homo enim videt in facie, Deus autem in corde. In regno æternæ beatitudinis perpetua claritas omnia irradiat, ibíque perfecta sanctitas omne delectamentum adepta in filiis regni exultat. Ibi nihil inordinatè agitur, nihil inquinatum illuc intromittitur. Nihil sordidum honestatíque contrarium illic reperitur. Vnde quicquid inconueniens fæx carnalis commisit, purgatorio igne decoquitur, variisque purgationibus, prout æternus censor disponit, emundatur. Et sicut vas excocta rubigine mundum, & diligenter vndíque politum, in thesaurum reconditur: sic anima omnium vitiorum à contagione mundata Paradisum introducitur, ibíque omni felicitate pollens sine metu & cura lætatur. C

TERRIBILIBVS visis Presbyter admodum trepidabat, baculóque innisus terribiliora expectabat. Ecce ingens exercitus militum sequebatur, & nullus color nec nigredo & scintillans ignis in eis videbatur. Maximis omnes equis insidebant, & omnibus armis armati velut ad bellum festinabant, & nigerrima vexilla gestabant. Ibi Ricardus & Balduinus filius Gisleberti Comitis, qui nuper obierant, visi fuere; & alij multi, quos non possum enumerare. Inter reliquos Landricus de Orbecco, qui eodem anno peremptus fuerat, Presbyterum alloqui cœpit, eíque legationes suas horribiliter vociferando intimauit, ac vt mandata sua vxori suæ referret, summopere rogauit. Subsequentes autem turmæ, & quæ præcedebant, verba eius interrumpendo impediebant, Presbyteróque dicebant: „Noli credere „Landrico, quia mendax est. Hic Orbecci Vicecomes & causidicus fuerat, & vltra natales suos ingenio & probitate admodum excreuerat. In negociis & placitis ad libitum iudicabat, & pro acceptione munerum iudicia peruertebat: magísque cu- D

A pidicati & falsitati; quàm rectitudini seruiebat. Vnde meritò in suppliciis turpiter deuotatus est, & à complicibus suis mendax manifestè appellatus est. In hoc examine nullus ei adulabatur, nec ingeniosa loquacitate sua ei aliquis precabatur. Verùm, quia dum poterat aures suas ad clamores pauperis obturare solitus est: nunc autem in tormentis vt execrabilis, auditu indignus omnino iudicatus est. Gualchelmus autem postquam multorum militum ingens cohors pertransiit, intra semetipsum sic cogitare cœpit: Hæc sine dubio familia Herlechini est, à multis eam olim visam audiui, sed incredulus relationes derisi; quia certa indicia numquam de talibus vidi. Nunc verò manes mortuorum veraciter video; sed nemo mihi credet cùm visa retulero, nisi certum specimen terrigenis exhibuero. De vacuis ergo equis, qui sequuntur agmen, vnum apprehendam, confestim ascendam, domum ducam, & ad fidem obtinendam vicinis ostendam. Mox nigerrimi cornipedis habenas apprehendit, sed ille fortiter se de manu rapientis excussit, aligeróque cursu per agmen Æthiopum abiit. Presbyter autem voti compotem se non esse doluit. Erat enim ætate iuuenis, animo audax & leuis, corpore verò velox & fortis. In media igitur strata paratus constitit, & venienti paratissimo cornipedi obuians manum extēdit. Ille autem substitit ad suscipiendum Presbyterum, & exhalans de naribus suis proiecit nebulā ingentem veluti longissimam quercum. Tunc sacerdos sinistrum pedem in teripedem misit, manúmque arreptis loris clitellæ imposuit, subitóque nimium calorem velut ignem ardentem sub pede sensit, & incredibile frigus per manum, quæ lora tenebat, eius præcordia penetrauit.

Dvm talia fiunt, quatuor horrendi equites adueniunt, & terribiliter vociferantes dicunt: Cur equos nostros inuadis? Nobiscum venies. Nemo nostrum læsit te, cùm tu nostra cœpisti rapere. At ille nimium territus caballum dimisit, tribúsque militibus eum prendere volentibus, quartus dixit: Sinite illum, & permittite loqui mecum, quia coniugi meæ filiisque meis mea mittam mandata per illum. Deinde nimium pauenti Presbytero dixit: Audi me quæso, & vxori meæ refer quæ mando. Presbyter respondit, Quis sis nescio, & vxorem tuam non cognosco. Miles dixit: Ego sum Guillelmus de Glotis filius Baronis, qui famosus fui quondam Dapifer Guillelmi Bretoliensis, & patris eius Guillelmi Herfordensis Comitis. Præiudiciis & rapinis inter mortales anhelaui, multisque facinoribus plus quàm referri potest peccaui. Ceterùm super omnia me cruciat vsura. Nam indigenti cuidam pecuniam meam erogaui, & quoddam molendinum eius pro pignore recepi; ipsóque censum reddere non valente, tota vita mea pignus retinui, & legitimo herede exheredato, heredibus meis reliqui. Ecce candens ferrum molendini gesto in ore, quod sine dubio mihi videtur ad ferendum grauius Rothomagensi arce. Dic ergo Beatrici vxori meæ, & Rogerio filio meo, vt mihi subueniant: & vadimonium vnde multo plus receperunt quàm dedi, velociter heredi restituant. Presbyter respondit: Guillelmus de Glotis iamdudum mortuus est, & huiusmodi legatio nulli fidelium acceptabilis est. Nescio quis es, nec qui tui sunt heredes. Si Rogerio de Glotis, vel fratribus eius, aut matri eorum præsumpsero talia enarrare, vt amentem deridebunt me. Porro Guillelmus obnixè insistens rogabat, & plurima notissimáque signa diligenter inculcabat. Presbyter autem intelligens ea quæ audiebat, omnia tamen se scire dissimulabat. Tandem multa prece victus adquieuit, & iterum vt rogatus fuerat se facturum promisit. Tunc Guillelmus cuncta recapitulauit, & longa confabulatione multa eidem replicauit. Interea Sacerdos cœpit secum tractare, quòd non auderet execrabilia biothanati mandata cuilibet annunciare. Non decet, inquit, talia promulgare. Nullatenus quæ iniungis cuilibet referam. Mox ille furibundus manum extendit, & Presbyterum per fauces apprehendit, secúmque per terram trahens minare cœpit. Captiuus autem manum, qua tenebatur, ardentem velut ignem persensit, & in tali angustia repente exclamauit: Sancta Maria gloriosa mater Christi adiuua me. Protinus ad inuocationem piissimæ genitricis filij Domini auxilium præsto adfuit, quale Omnipotentis ordinatio disposuit. Nam quidam miles ensem dextra ferens superuenit, gladiúmque suum, quasi ferire vellet, vibrans dixit: Cur fratrem meum

RODBER-TVS II. interficitis, maledicti? Sinite illum, & abite. Mox illi auolarunt; Æthiopicámque phalengem prosecuti sunt. A

1090. ABEVNTIBVS cunctis miles in via cum Gualchelmo demoratur, & ab eo
» sciscitatur: Cognoscis-ne me? Presbyter respondit, Non. Miles dixit; Ego sum
» Robertus filius Rodulfi cognomento Blondi, & sum frater tuus. Cúmque Presbyter pro tam insperata re vehementer admiraretur, nimiúmque pro his quæ viderat, vt dictum est, vel senserat, angeretur; miles ei de pueritia vtriusque multa cœpit recensere, & notissima signa recitare. Sacerdos autem audita optimè recolebat, sed ore confiteri non ausus omnia denegabat. Tandem præ-
» fatus eques ait: Miror duritiam & hebetudinem tuam. Ego te post mortem
» vtriusque parentis nutriui, & super omnes mortales dilexi. Ego te ad Scholas
» in Galliam direxi, & vestes nummósque tibi copiosè porrexi: aliísque multis
» modis tibi prodesse satis elaboraui. Nunc horum immemor efficeris, méque
» tantummodo recognoscere dedignaris. Tunc Presbyter veridicis faminibus v- B
bertim prolatis conuictus est allegationibus certis: palámque cum lacrymis fas-
» sus est affamina fratris. Tunc miles dixit ei: Meritò debuisses mori, nostrarúm-
» que particeps pœnarum nunc nobiscum trahi; quia res nostras nefaria temeri-
» tate inuasisti. Hoc nullus alius inchoare ausus fuit. Sed Missa, quam hodie can-
» tasti, ne perires te saluauit. Mihi quoque nunc permissum est tibi apparere,
» meúmque miserum esse tibi manifestare. Postquam in Normannia tecum lo-
» cutus fui, à te salutatus in Angliam perrexi, ibique finem vitæ iussu Creato-
» ris accepi, & pro peccatis quibus nimis oneratus eram immania supplicia per-
» tuli. Arma quæ ferimus ignea sunt, & nos fœtore teterrimo inficiunt, ingen-
» tíque ponderositate nimis opprimunt, & ardore inextinguibili comburunt. Ha-
» ctenus itaque huiuscemodi pœnis inenarrabiliter cruciatus sum. Sed quando in
» Anglia ordinatus fuisti, & primam Missam pro fidelibus defunctis cantasti, Ra-
» dulfus pater tuus suppliciis ereptus est, & scutum meum quo vehementer an-
» gebar elapsum est. Ensem hunc, vt vides, fero. Sed in anno relaxationem ab
» hoc onere fiducialiter expecto.

DVM miles hæc & alia huiusmodi diceret, & diligenter ad eum Presbyter intenderet, quasi strumam sanguinis instar humani capitis ad eius talos
» circa calcaria vidit, stupénsque sic interrogauit: Vnde tanta coagulatio cruo- C
» ris imminet calcaneis tuis? At ille respondit: Non est sanguis, sed ignis; &
» maioris mihi videtur esse ponderis, quàm si ferrem super me montem sancti
» Michaëlis. Et quia preciosis & acutis vtebar calcaribus, vt festinarem ad ef-
» fundendum sanguinem, iure sarcinam in talis baiulo enormem; qua into-
» lerabiliter grauatus, nulli hominum exprimere valeo pœnæ quantitatem.
» Hæc indesinenter meditari mortales deberent, & timere, imò cauere, ne
» pro reatibus suis tam dira luerent. Plura mihi non licet tecum, frater, fari,
» quia miserabile agmen festinanter cogor prosequi. Obsecro memento mei;
» precibúsque piis & eleemosynis succurre mihi. Nam à Pascha florum vsque
» ad vnum annum spero saluari, & clementiâ Creatoris ab omnibus tormentis li-
» berari. Tu verò sollicitus esto de te, vitámque tuam prudenter corrige, quæ plu-
» ribus vitiis sordescit, scitóque quod diuturna non erit. Ad præsens sile. Res,
» quas nunc ex insperato vidisti & audisti, silentio comprime, & vsque ad tres dies
» nemini præsumas enarrare.

HIS dictis miles festinus abscessit. Presbyter autem tota septimana grauiter D ægrotauit. Deinde postquam inualescere cœpit, Luxouium adiit, Gislebertо Episcopo cuncta ex ordine recitauit, & ab eo medicamenta sibimet necessaria impetrauit. Postmodum ferè XV. annis vegetus vixit, & hæc quæ scripto tradidi, aliáque plurima, quæ obliuione abolita sunt, ab ore ipsius audiui, & faciem eius horrendi militis tactu læsam prospexi. Hæc ad ædificationem legentium scripsi, vt in bonis consolidentur iusti, & à malis resipiscant peruersi. Amodo incœptam repeto materiam.

1091. ANNO ab incarnatione Domini MXCI. Indictione XIIII. mense Ianuario, Guillelmus Rufus Rex Anglorum cum magna classe in Normanniam transfretauit, & Robertus Dux audito Regis aduentu statim obsidionem Curceij

reliquit,

A reliquit, & Robertus de Belesmo cum suis complicibus aufugit. Rex autem in Neustria vsque ad Augustum permansit, & dissidentes qui eidem adquiescere voluerunt, regali auctoritate pacauit. Henricus verò, quia ingentes querelas contra vtrúmque fratrem promebat, partémque de ampla possessione magnifici patris sui requirebat; sed eorum tenacitate nimium perdurante nil impetrabat; aggregatis Britonibus & Normannis, Constantiam, & Abrincas, aliáque oppida muniuit, & ad resistendum totis nisibus insurrexit. Verùm Hugo Cestrensis Comes, aliíque fautores eius paupertatem perpendentes, & amplas opes terribilémque potentiam Guillelmi Regis metuentes, egregium clitonem in bellico angore deseruerunt, & municipia sua Regi tradiderunt. In medio igitur Quadragesimæ Guillelmus Rex, & Robertus Dux Montem S. Michaëlis obsederunt, ibique Henricum fratrem suum incluserunt, & ferè XV. diebus eum cum suis aquæ penuria maximè coërcuerunt. Porro callidus iuuenis dum sic à fratribus suis coartaretur, & à cognatis atque amicis & confœderatis affinibus vndique destitueretur, & multimoda penè omnium, quibus homines indigent, inedia angeretur: prudenter secum B tractans varios mortalium casus præcogitauit, & infrunito impetu pessumdato sese ad meliora tempora reseruare decreuit. Liberum tandem sibi, sociísque suis exitum de Monte ab obsidentibus poposcit. Illi admodum gauisi sunt, ipsúmque cum omni apparatu suo egredi honorificè permiserunt. Henricus itaque redditis munitionibus suis per Britanniam transiit; Britonibus, qui sibi solummodo adminiculum contulerant, gratias reddidit, & confines postmodum Francos expetiit. In pago Vilcassino nobilis exul non plenis duobus annis commoratus, diuersa hospitia quæsiuit. Vno tantum milite, vnóque Clerico cum tribus armigeris contentus pauperem vitam exegit. Sic Regia proles in exilio didicit pauperiem perpeti, vt futurus Rex optimè sciret miseris & indigentibus compati, eorúmque deiectioni vel indigentiæ regali potentia seu dapsilitate suffragari; & ritus infirmorum expertus, eis piè misereri.

Rodbertus II. 1091.

C Nvnc Robertus Dux Magnam partem Normanniæ Guillelmo Regi concessit, feréque duobus annis à bellis Normannia quieuit. Post solemnitatem Pentecostes Guillelmus Archiepiscopus Synodum Episcoporum & Abbatum apud Rotomagum aggregauit, & cum Duce Roberto, suffraganeísque Præsulibus de Sagiensi Præsulatu tractare cœpit. Tandem finito Consultu Serlonem Vticensium Rectorē elegit, eíque Salariensem Episcopatum valdè renitenti commisit. Denique x. Kal. Iulij præfatum Cœnobitam Rotomagum conuocauit, & in Ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ Canonicè consecrauit. Porro venerandus Serlo susceptam Pontificatus sarcinam XXXII. annis & IV. mensibus strenuè gessit, Ecclesiæque Dei sollerti studio inter prospera & aduersa prodesse sategit. Sed duros nimis & proteruos habuit parrochianos, Robertum scilicet Belesmensem, & Rotronem Mauritaniensem, eorúmque complices, qui crudeliter inter se dissidebant, & pacem Ecclesiæ Dei frequenter violabant, ouésque Dominici gregis, quas Christus sanguine suo redemit, bellicis tumultibus dispergebant, & multimodis factionibus opprimentes dilaniabant. Contra eos gladium verbi Dei audacter exeruit, obduratos in nequitia D multotiens excommunicauit; sed in pace firma rebelles discipulos erudire vel seruare, vix aut nunquam potuit. Vnde nimirum quamdiu Pontificatum tenuit, semper in tumultu & perturbatione laborauit, & plerúmque furia Roberti nimium sæuiente in Anglia vel Italia exulauit, multóque metu anxius gemuit.

Vticensis autem Abbatia, postquam præfatus Rector suus Episcopatum suscepit, de Pastore sollicita, prædictum Pastorem suum XII. Kal. Augusti accersit, factóque triduano ieiunio, de eligendo Abbate tractare cœpit. Affuerunt etiam tres Abbates, Fulco Diuensis, Arnulfus Troarcensis, & Radulfus Sagiensis. Lecta autem lectione de ordinando Abbate secundum Regulam sancti Benedicti, elegerunt domnum Rogerium de Sappo Monachum eiusdem Cœnobij, qui simplicitate pollebat, & peritia literarum, multáqne honestate & bonorum dulcedine morum. Tunc Hermanus Prior, & Ernaldus de Telliolo, aliíque plures eum ad Curiam Ducis duxerunt, sed Ducem in Normannia non inuenerunt. Clandestinis enim factionibus, quibus transmarini cōtra pacem & securitatem regni moliebātur, subito auditis, ambo fratres de Neustria in Angliam ex insperato transfretauerant,

RODBERTVS II. 1091. mirantibus cunctis. Tunc Hermanus ad Domum regendam Vticum regressus est, A & Ernaldus cum electo Abbate Principes regni per mare secutus est. Peruenientes autem in villam regiam, quam Vvindresorias dicunt, electionem Monachilem Cõuentus cum auctoritate Sagiensis Episcopi, triúmque Abbatum Duci ostenderunt. At ille gratanter assensum dedit, & præfato Rogerio per baculum pastoralem, vt eo tempore moris erat, Cœnobij curam in exterioribus rebus commisit: apicibúsque suis Luxouiensi Episcopo, vt eum in omnibus Canonicè proueheret, mandauit. Guillelmus quoque Rex eundem Monachum tunc ibidem benigniter asciuit, & omnia quæ pater suus, procerésque eius Vticensi Ecclesiæ olim dederant concessit, & regali auctoritate in Charta firmauit. Peractis itaque pro quibus ierat Rogerius, Vticum xv. Kal. Ianuarij rediit, & à fratribus honorificè susceptus, xxxiv. annis Abbatiæ præfuit. Hic centum & quindecim discipulos ad Monachatum suscepit, quorum vitam mobilis fortuna variabiliter agitauit. Nam quidam eorum virtutibus florentes ad supernę vocationis brauium Deo iuuante peruenerunt. Nonnulli verò insidiante Sathana in cœnolentam vitiorum voraginem relapsi sunt, à iusto recepturi Iudice quod meruerunt. B

SEX nimirum ex his, quos venerabili Rogerio subiectos diximus, Abbates vidimus: id est, Guarinum Sartensem, Godifredum Aurelianensem, Gislebertum Glotensem, atque Robertum Prunneriensem, Guillelmum Bassum, & Ludouicum. Guarinus enim Magistro successit, & Vticensis Ecclesiæ regimen pluribus annis tenuit. Robertus autem Prunneriensis Tornense Cœnobium in Anglia strenuè gubernauit. Goifredus verò Aurelianensis Eulandensi Ecclesiæ fere xv. annis præfuit. Et Guillelmus Bassus Holmiense Monasteriũ sancti Benedicti diu rexit. Porro Ludouicus, iudicio maiorum expulsis Canonicis de Balcheriuilla, primus Monasticum ordinem cum x. Monachis cepit in S. Georgij Martyris basilica. Guillebertus verò de Glotis, vir nobilis & facundus, Lirense Cœnobium ferè x. annis rexit, & in multis emendauit. Vticenses itaque Monachi de penetralibus Monasterij regulariter extracti sunt, & ad plurimorum emolumẽtum in culmine prælationis sublimati sunt: vt dum quasi lucernæ super candelabrum lucerent, cupientibus ingredi domũ Domini per semitam iustitiæ aditum salutis ostenderent. Sed exteriorum perturbationes rerum, quæ per desidiam seu nequitiam secularium Principum fiunt, Ordini Ecclesiastico, & rigori Monastico multotiens impedimento sunt. Quod omnes, qui in Normannia vel confinio eius religioni seruire concupierunt, tempore Roberti Ducis & Philippi Regis Francorum nimis experti sunt. C

1092. ANNO ab Incarnatione Domini MXCII. Indictione xv. Henricus Guillelmi Regis filius Danfrontem oppidum auxilio Dei suffragióque amicorũ obtinuit; & indè fortiter hereditariũ ius calũniari sategit. Nã idẽ, dum esset iunior, non vt frater à fratribus habitus est; sed magis vt externus, exterorũ, id est Francorũ & Britonũ, auxilia quærere coactus est: & quinque annis diuersorũ euentuũ motibus admodũ fatigatus est. Tandẽ Danfrõtani nutu Dei ærumnis tam præclari exulis compassi sunt, & ipsum ad se de Gallia accersitum per Harecherium honorificè susceperunt, & excusso Roberti de Belesmo, à quo diu grauiter oppressi fuerãt, dominio, Henricũ sibi Principẽ constituerunt. Ille verò contra Robertũ Normanniæ Comitẽ viriliter arma sumpsit, incẽdiis & rapinis expulsionis suæ iniuriã vindicauit, multósq; cepit, & carceri mãcipauit. Inter hęc, dum quendã hominem nomine Rualedum de terra S. D Ebrulfi cepisset, apud Danfrontem castellum deposuit. Qui cùm sederet ad focum

» (hiems enim erat) cum lacrymis S. Ebrulfum cœpit inuocare ac dicere: Deprecor
» te, sancte Ebrulfe amice Dei, vt me de ista captiuitate eripias. Scis enim quia sem-
» per tibi fideliter deseruiui. Cúmque hæc dixisset, subitò obdormiuit. Et ecce quidã manũ eius apprehẽdens, cœpit eũ trahere. Tunc expergefactus, sensit omninò dolorem de corpore suo recessisse. Erat enim valdè debilitatus, intantum vt nec de loco absq; adiutorio alterius mouere se posset. Ceciderat verò in itinere de iumẽto, super quod ligatus erat. Itaq; cœpit intra semetipsũ cogitare quid ageret, quomodo de domo egredi posset. Viderat enim quòd miles, qui eũ ibidẽ deposuerat, ostiũ, per quod exitus in hortũ patebat, valde cũ cuneo obfirmasset. Tamẽ assũptis virib⁹ fidei, accessit ad ostium, & manu repagulã tenuit. Tunc, mirũ dictu! cuneus, qui fortiter infixus fuerat, ad terrã decidit. Ille verò aperiẽs ostiũ peruenit ad exitũ hortuli, & aspiciens

A multitudinem militum ante se in platea vidit consistere, & extendens manum dixisse fertur: Sancte Ebrulfe ducito me. Sicque vt erat nudis pedibus, linea tantum atque pallio amictus per medias acies transiuit, ac si oculos non habuissent. Nullus enim eum interrogauit, quis esset, vel quò tenderet. Puto quòd virtute sanctissimi viri eum videre nequiuerant. Circa sextam verò horam respiciens post se, vidit militem, qui eum ceperat, concito cursu venientem. Qui magno timore perculsus, inter quædam fruticeta, quæ se oculis eius obtulerunt, semet occuluit. Cúmque prędictus miles prope eundem locum aduenisset, interrogauit bubulcos qui ibidem arabant, si hominem quendam fugientem vidissent: promittens tres solidos illi absque mora se daturum, qui ei insinuasset. At illi timore admoniti, quamuis illū scissent, negauerunt se scire. Cúmque ille recessisset de loco, in quo se occuluerat, captiuus surrexit, & fretus Dei adiutorio & beati Ebrulfi, incolumis ad sua remeauit, perdurans in corpore vsque ad nostra tempora. Hoc verò, quod retulimus, ex ipsius ore didicimus, eique, quia legitimus, & laudabilis vitæ est, sine scrupulo credimus.

B CIRCA hæc tempora, in regno Galliæ fœda turbatio exorta est. Bertrada enim Andegauorum Comitissa metuens ne vir suus, quod iam duabus aliis fecerat, sibi faceret, & relicta contemptui ceu vile scortum fieret; conscia nobilitatis & pulchritudinis suæ fidissimum legatum Philippo Regi Francorum destinauit, eique quod in corde tractabat euidenter notificauit. Malebat enim vltro virum relinquere, aliúmque appetere, quàm à viro relinqui, omniúmque patere despectui. Denique mollis Princeps, comperta lasciuæ mulieris voluntate, flagitio consensit, ipsámque relicto marito Gallias expetentem cum gaudio suscepit. Porro generosam & religiosam coniugē suam nobilis Florentij Ducis Fresionum filiam, quæ Ludouicū & Cōstantiam enixa fuerat ei, dimisit: & Bertradam, quæ ferè quatuor annis cum Fulcone Andegauēsi demorata fuerat, sibi copulauit. Odo Baiocensis Episcopus hanc execrandam desponsationem fecit, idoneóque dono mœchi Regis pro recompensatione infausti famulatus, Ecclesias Madanti oppidi aliquamdiu habuit.

C Nullus enim Francorum Pręsulum execrabilem consecrationem dignatus est facere: sed in rigore stantes Ecclesiasticæ rectitudinis, Deo magis quàm homini studuerunt placere, & omnes turpem copulam vnanimiter detestati sunt pari anathemate. Sic petulans pellex adulterum Comitem reliquit, adulteróque Regi vsque ad mortem eius adhæsit. Abominabile crimen mœchiæ in solio regni Galliæ, proh dolor! perpetratum est. Vnde inter opulentos riuales minarum ingens tumultus, & præliorum conatus exortus est. Verùm versipellis mulier inter riuales simultatem compescuit, ingenióque suo in tantam pacem eos compaginauit, vt splendidum eis cōuiuium præpararet, & aptè prout placuit illis ministraret. Vrbanus Papa legatos Apostolicæ Sedis in Galliam destinauit, per Epistolas & Sacerdotum prædicationem erroneum Regem arguit, obsecrauit, & increpauit, qui legitimam coniugem repudiauerit, adulterámque sibi cōtra Dei legem sociauerit. Ceterùm in flagitio grauiter obduratus, ad instar surdæ aspidis, quæ obturat aures suas ad vocem incantantis, corripientiū hortamēta Patrum spreuit, & in adulterij fœtore diu putridus iacuit, & donec filios duos, Philippum & Florum ex adultera genuit. Tempore igitur Vrbani & Paschalis Romanorū Pontificū, ferè XV. annis interdictus fuit. Quo tempore nūquam diadema portauit, nec purpurā induit, neque solemnitatē aliquam regio more celebrauit. In quodcúmque oppidum vel vrbem Galliarum Rex aduenisset, mox vt à Clero auditum fuisset, cessabat omnis clangor campanarum, & generalis cantus Clericorum. Luctus itaque publicus agebatur, & Dominicus cultus priuatim exercebatur, quamdiu transgressor Princeps in eadem diocesi commorabatur. Permissu tamen Præsulum, quorum Dominus erat, pro regali dignitate Capellanum suum habebat, à quo cum priuata familia priuatim Missam audiebat.

D

HIS temporibus Gallia religiosis & eruditis Præsulibus florebat. Nam Leuterius senex Bituricensi præerat metropoli, & Daimbertus Senonensi. Inclytus verò Rainaldus Remēsi, eiq; defuncto Radulfus cognomēto Viridis successit in eadē diocesi. Eruditissimus quoq; Iuo Carnotēsi pręerat Ecclesiæ, cui perhibet euidēs testimoniū laus bonę vitę & rectę doctrinę. Walo etiā pręerat Parisiēsib⁹, aliiq; plures Episcopi fulgebāt in suis regionib⁹, quorū religione admodū Gallia gaudebat, & sacris dogmatib⁹. Rex tamē Philippus eorū admonitionibus de corrigenda vita procaciter obsti-

RODBERTVS II. 1092.

tit, adulterióque putridus in malitia perdurauit. Ideóque dolori dentium & scabiei, multísque aliis infirmitatibus & ignominiis meritò subiacuit. Ludouico igitur filio suo consensu Francorum Pontisariam, & Madantum, totúmque Comitatum Vilcassinum donauit: totiúsque regni curam, dum primo flore iuuentutis pubesceret, commisit. Constantiam verò filiam suam Hugoni Trecassino Comiti priùs dedit, quam postmodum firmissimo Duci Antiochiæ Buamundo apud Carnotum tradidit. Hic nempe Dux anno ab Incarnatione Domini MCVI. Gallias venit, & ab Occidentalibus populis, vtpote præcipuus Christiani exercitus signifer susceptus vbique claruit. Præfatam quoque Regis filiam in Eoas partes secum duxit. Multa quoque Occidentalium milia secum contra ethnicos perduxit. Sed in illa tunc profectione peregrinantibus ad votum per omnia non contigit. A

ANNO ab Incarnatione Domini MCVIII. Indictione prima, Guillelmus Archiepiscopus Concilium Præsulum & Abbatum Rotomagi congregauit, & de necessariis Ecclesiæ rebus cum suffraganeis suis per aliquot dies tractauit. Tunc Radulfus Constantiæ vrbis Episcopus ad hospitium Serlonis Sagiensis Episcopi, qui sapientior erat, venit, & cum eo de plurimis locutus copiosam rationem de B
» propositis audiuit. Tandem inter cætera præfatus Pontifex retulit, dicens: In vrbe
» nostra est basilica in honore beati Petri Apostoli ab antiquis temporibus constru-
» cta, vbi diuinitus multa olim perpetrata sunt miracula. Multæ sanitates ægrotis ibi
» contigerunt, & multotiens desursum ardentes candelæ demitti visæ sunt. Quæ-
» dam verò Sanctimonialis magnæ, vt creditur, religionis, hanc Ecclesiam quotidie
» frequentat, & plurima huiuscemodi se vidisse sæpiùs enarrat. Et vt certum speci-
» men suæ narrationis exhiberet, quondam dum in Oratorio sola excubaret, & can-
» delam ardentem de sublimi sine humana ope deponi vidisset, reuerenter ad aram
» accessit, candelam extinxit, linteolo mundo inuoluit, & in scrinio suo reclusit.
» Cúmque opportuno tempore quod viderat retulisset, & scrinium aperuisset, vt
» depositum ostenderet, fauillam solummodo pro indicio concremationis inuenit:
» sed totam penitus candelam sine læsura mappulæ, aliarúmque rerum, quæ ibidem
» erant, combustam prospexit.
» NVPER in eadem Basilica, dum plebs Dei festiuitatem beati Petri Apostoli C
» celebraret, & Clerus ad vespertinalem synaxim in choro celebrandam astaret; tres
» cereos clarè ardentes desursum vsque ad altare demitti omnes viderunt, & pro re
» insolita admirantes obstupuerunt. Cerei autem vsque ad finem Matutinorum arse-
» runt, & tunc ad auroram consumpti sunt. In aëre quidem super aram ordinatè sta-
» bant, sed tamen altaris mappulam non tangebant. Medius eorum maximus erat,
» & quadratus: alij verò duo mediocres erant, & rotundi. Fama huius rei personuit
» in tota vrbe, & penè omnes Clerici & laïci post Vesperas ad spectaculum occurre-
» re. Porro nullus cereos ausus fuit tangere, sed in quadrato cereo Clerici scripturam
» huiusmodi legêre. In primo latere, *Manda Petre iram de cælo*. In secundo, *Populum tari-*
» *sum peccato*. In tertio, *Miserere mei*. In quarto, *Lacrymas*. Litteræ quidem optimè for-
» matæ erant ad legendum, & litterati lectores studiosè inquisierunt huius scripturæ
» sensum. Et necessariis subauditionibus additis, exposuerunt secundum suum intel-
» lectum. Sic nimirum visum est illis, vt diuinitus diceretur Petro, qui caput est orbis,
» Iudex seculi, Clauiger regni cælestis: *Manda Petre iram de cælo, vt effundatur super po-*
» *pulum tarisum, id est totum aridum peccato. Miserere mei, pro misererei, si lacrymas dignæ pæni-* D
» *tentiæ mihi offerret*. Diuina quippe locutio Grammaticorum regulis subiecta non est,
» & humanæ loquacitatis idioma sequi ex necessitate cogi non potest. His itaque in
» Constantino visis territi sumus, & inter pestilentias ac tempestates bellorum, quas
» toleram⁹, imminẽtia nobis pericula sẽtimus, & in futuro adhuc peiora formidamus.

HÆC Radulfo Constantiensi Episcopo referente, audiẽtes mirati sunt, & in Normãnia paulò pòst multæ calamitates bellorum ac tempestatũ atque famis subsecutę sunt. Nam idem Præsul non multò pòst defunctus est, & lethifera clades per totam diocesim eius debacchata est. Anno ab Incarn. Domini MLXXXIX. Indict. x. venerabilis Lanfrancus Dorobernensis Archiepiscopus defunctus est, & Ecclesiastica possessio, quæ Metropolitæ competebat, dominio Regis per triennium subdita est. Deinde sacer Anselmus Beccensis Abbas dispensante Deo successit, & multorum patiens laborum ac aduersitatum per XVII. annos sanctè rexit.

A Eo tempore multa malitia in terris orta est, & vehementer augmentata est. Militares viri mores paternos in vestitu & capillorum tonsura dereliquerunt, quos paulò pòst burgenses & rustici, & penè totum vulgus imitati sunt. Et quia diuinæ legis præuaricatio nimis exuberauit, cælestis iræ animaduersio multis variisque calamitatibus reos meritò protriuit.

In illo tempore Melcoma Rex Scotorum contra Regem Anglorum rebellauit, debitúmque seruitium ei denegauit. Porrò Guillelmus Rex, postquam in Normannia, vt suprà retulimus, cum Roberto fratre suo pacem fecerat, ipsúmque contra infidos proditores, qui contra Regem conspirauerant, secum duxerat, exercitum totius Angliæ conglobauit, vt vsque ad magnum flumen, quod Scottè Vvatra dicitur, perduxit. Sed quia inaccessibilis transitus erat, super ripam consedit. Rex autem Scottorum è regione cum legionibus suis ad bellandum paratus constitit, Regique Anglorum per internuntios ista mandauit: Tibi, Rex Guillelme nihil debeo, nisi conflictum si à te iniuriis lacessitus fuero. Verùm si Robertum B primogenitum Guillelmi Regis filium videro, illi exhibere paratus sum quicquid debeo. His auditis, ex consultu Sapientum Robertus Dux cum paucis militibus transfretauit. Rex autem Scotorum benigniter illum suscepit, secúmque tribus diebus amicabiliter detinuit. Tunc super quendam montem excelsum Ducem deduxit, & inde in quadam planitie ingentem exercitum armatorum ei ostendit. Deinde inter duos montes eundem ex alia parte minauit, & in alio campo maiorem exercitum ei demonstrauit. Talibus, inquit, stipatus cuneis Scotiæ, paratus sum fratrem tuum suscipere, si huc ad me præsumpserit transfretare. Vtinam velit nos aggredi, & missilium nostrorum acumen experiri! Fateor, quòd Rex Eduardus, dum mihi Margaritam proneptem suam in coniugium tradidit, Lodonensem Comitatum mihi donauit. Deinde Guillelmus Rex quod antecessor eius mihi dederat concessit, & me tibi primogenito suo commendauit. Vnde quod tibi promisi conseruabo. Sed fratri tuo nihil promisi, & nihil debeo. Nemo, vt Christus ait, potest duobus Dominis seruire. Robertus respondit: Vt asseris, ita est. Sed mutationes rerum factæ sunt, & statuta patris mei à pristina soliditate in mulC tis vacillauerunt. Nunc igitur, inclyte Rex, adquiesce mihi, & mecum ad fratrem meum veni, inueniésque apud eum dulcedinem bonique affluentiam: quia vicinior est & potentior, & maiorem habet diuitiarum copiam. His itaque promissis, Rex credulus effectus est, & peractis colloquiis cum Rege pacificatus est. Deinde Reges agmina sua remiserunt, & ipsi simul in Angliam profecti sunt.

Post aliquod tempus, dum Melcoma Rex ad sua vellet remeare, muneribúsque multis honoratus à Rege rediret pacificè: propè fines suos Robertus de Molbraio cum Morello nepote suo & militibus armatis occurrit, & ex insperato inermem interfecit. Quod audiens Rex Anglorum, regnique Optimates, valdè contristati sunt, & pro tam fœda re, támque crudeli à Normannis commissa nimis erubuerunt. Priscum facinus à modernis iteratum est. Nam sicut Abner filius Ner à Ioab & Abisai de domo Dauid pacificè rediens dolosè peremptus est: sic Melcoma Rex de Curia Guillelmi Regis cum pace remeans à Molbraianis trucidatus est.

Margarita Scottorum Regina tam tristi nuntio de morte viri sui perculsa, contremuit; omnésque regni sui Proceres conuocauit, eísque filios suos Edgarum D & Alexandrum & Dauid commendauit; ac vt eos sicut filios Regis honorarent, obsecrauit. Susceptis autem precibus eius cum ingenti fauore à Curia iussit aggregari pauperum agmina, eísque pro amore Dei omnem thesaurum suum distribui: omnésque rogauit vt pro se, marito suo, proléque sua Dominum studerent deprecari. Hæc nimirum filia fuit Eduardi Regis Hunorum, qui fuit filius Edmundi cognomento Irnesidæ, fratris Eduardi Regis Anglorum: & exul coniugem accepit cum regno filiam Salomonis Regis Hunorum. Generosa quippe mulier de sanguine Regum à proauis orta pollebat; sed morum bonitate, vitæque sanctitate magis præcluebat. Denique competenter ordinatis rebus, & gazis distributis pauperum cœtibus, Ecclesiam intrauit, Missam à Capellanis celebrari rogauit. Sacris deinceps deuotè solemniis interfuit, & post sacræ perceptionem Eucharistiæ inter verba orationis expirauit.

Inter cetera bona, quæ nobilis hera fecerat, Huésc Cœnobiū, quod seruus Christi

RODBERTVS II. 1092. Columba tempore Brudei Regis Pictorum filij Meilocon, construxerat, sed tempestate præliorum cum longa vetustate dirutum fuerat, fidelis Regina reædificauit, datisque sumptibus idoneis ad opus Domini Monachis reparauit. A

DVAS filias, Edith, & Mariam, Christianæ sorori suæ, quæ Rumesiensis Abbatiæ Sanctimonialis erat, educandas, sacrisque litteris imbuendas miserat. Illic diutiùs inter Monachas enutritæ sunt, & tam litteratoriam artem quàm bonorum obseruantiam morum edidicerunt, nubilémque ætatem pertingentes solatium Dei deuotæ virgines præstolatæ sunt. Nam vtroque, vt dictum est, parente orbatæ, & fratrum, aliorúmque amicorum seu parentum auxilio destitutæ; cuncta benè disponentis Dei clementiam sibi promptam auxiliatricem persensere. Alanus enim Rufus Britannorum Comes Mathildem, quæ priùs dicta est Edith, in coniugem sibi à Rege Rufo requisiuit; sed morte præuentus non obtinuit. Deinde Guillelmus de Guarenna Suthregiæ Comes Mathildem expetiit; sed diuinitus reseruata celebriùs alteri nupsit. Henricus verò, adepto Anglorum regno, præfatam virginem desponsauit: ex qua Guillelmum, Adelinum, & Mathildem Imperatricem genuit. B Mariam verò Eustachius Boloniensis Comes coniugem accepit, quæ filiam ei vnicam peperit, quam Stephanus Moritoliensis Comes cum paterna hereditate sibi sociauit.

INTERFECTO à Normannis Melcoma Rege Scottorum, seditio de successione grauis orta est in regno eorum. Edgarus enim primogenitus Regis paternos fasces iure assumpsit. Sed Duuanaldus frater Melcomæ Regis, arrepta tyrannide, per aliquod tempus crudeliter ei restitit. Tandem strenuus iuuenis à patruo suo peremptus est. Sed Alexander eius frater occiso Duuanaldo regnum sortitus est. Vltor itaque & successor fratris, aliquot annis Alexander regnauit, & filiam Henrici Regis Anglorum ex concubina vxorem duxit. Moriénsque sine liberis, Dauid fratri suo regnum dimisit. Sic omnes isti fratres vicissim in Scotia regnauerunt, bonísque moribus & amore Dei pollentes viguerunt; atque pro modulo suo, vtpote adolescentes, viríque seculares, laudabiliter vixerunt. C

DAVID autem minimus fratrum sagaci consultu deuitans atroces incursus Scottorum, expetiit Curiam Henrici Regis Anglorum. Qui, dum intestina clades Scottos vexaret, & bellica rabie in sua viscera impacabiliter armaret, Curiæ sororij sui inseparabilis inhæsit, & inter domesticos educatus pueros creuit, Regísque sapiẽtis & potentis familiarem amicitiam promeruit. Vnde ab illo præclara militiæ arma recepit, & multiplicibus exeniis muneratus inter præcipuos Optimates penes illum consedit. Filiam quoque Gualleui Comitis, & Iudith consobrinæ Regis vxorem duxit, binósque Comitatus Northamtonæ & Huntendonæ, quos Simon Siluanectensis Comes cum præfata muliere possederat, habuit. Illa verò peperit ei filium nomine Henricum, duásque filias, Clariciam, & Hodiernam. Porro primogenitam eius sobolem masculini sexus ferreis digitis crudeliter peremit quidam miserabilis Clericus, qui ob inauditum, quod apud Northuigenas perpetrauerat, scelus, oculorum priuatione & pedum manuúmque præcisione fuerat multatus. Illic enim quẽdam Sacerdotem, dum Missam celebraret, post perceptionem Sacramentorum, dum populus recessisset, ingenti cultello fortiter in aluo percussit, & intestinis horribiliter effusis super aram mactauit. D Hic postmodum à Dauid Comite in Anglia pro amore Dei susceptus, & victu vestitúque cum filia paruula sufficienter sustentatus, digitis ferreis, quibus vtebatur, vtpote mancus, biennem filium benefactoris sui quasi mulcere volens, immaniter pupugit: & sic instigante diabolo inter manus nutricis viscera lactentis ex insperato effudit. Prima itaque proles Dauid sic enecata est. Igitur ad caudas quatuor indomitorum equorum innexus est, quibus in diuersa validè trahentibus, ad terrorem sceleratorum discerptus est.

ANNO ab Incarn. Domini MCXXV. Alexander Rex Scotorum vitâ exiuit, & Dauid frater eius regni gubernacula suscepit. Melcofus autem Nothus Alexandri filius regnum patruo præripere affectauit, eíque duo bella satis acerrima instaurauit. Sed Dauid, qui sensu & potentiâ, diuitiísque sublimior erat, illum cum suis superauit.

ANNO ab Incarnatione Domini MCXXX. dum Dauid Rex in Curia Henrici Regis cautè iudiciũ indagaret, & de reatu perfidiæ, quam Goifredus de Clintonia,

A vt dicunt, contra Regem agitauerat, diligenter discuteret: Aragois Comes Morasiæ cum Melcolfo & quinque milibus armatorum Scotiam intrauit, totámque regionem sibi subigere studuit. Porro Eduardus Sivvardi filius, qui sub Eduardo Rege Tribunus Merciorum fuit, Princeps Militiæ, & consobrinus Dauid Regis, exercitum aggregauit; & hostili repentè exercitui obuiauit. Tandem facta congressione Aragois Consulem occidit, eiúsque turmas prostrauit, cepit, atque fugauit. Deinde cum cohortibus suis iam triumpho elatis fugientes auidè insecutus est, & Morasiam defensore dominóque vacantem ingressus est: totúmque regionis spatiosæ Ducatum Deo auxiliante nactus est. Sic Dauid aucta potestate super antecessores suos exaltatus est, studióque eius religionis & eruditis personis Regio Scottorum decorata est. En causa Scottorum, qui ab antiquis temporibus adhæserunt Catholicæ fidei, & Christianæ gratanter seruierunt simplicitati. Incœptam epanalempsim aliquantulum protelaui. Sed nunc ad propositum nitor opus de nostris regredi.

RODBERTVS II. 1092.

PLERIQVE Normannorum, qui diuitiis labore aliorum quæsitis in Anglia B ditati nimis intumuerunt, ardentioris cupiditatis & superbiæ molesta inquietudine admodum stimulati sunt. Inuidebant quippe, & dolebant, quòd Guillelmus Rufus audacia & probitate præcipuè vigeret, nullúmque timens subiectis omnibus rigidè imperaret. Arrogantes ergo conglobati sunt, & in Regem nefariam conspirationem fecerunt, fideique immemores quam Domino suo promiserunt, in facinus proditionis turpiter prolapsi sunt.

ROBERTVS Rogerij de Molbraio filius potentiâ diuitiísque admodum pollebat, audacia & militari feritate superbus pares despiciebat, & superioribus obtemperare, vana ventositate turgidus, indignum autumabat. Erat enim corpore magnus, fortis, niger, & hispidus: audax & dolosus, vultu tristis ac seuerus. Plus meditari quàm loqui studebat, & vix in confabulatione ridebat. Hic nimirum CCLXXX. villas in Anglia possidebat, quas Guillelmus Rex magnus Goifrido Constantiniensi Episcopo dederat. Præfatus enim Præsul nobilitate cluebat, magísque peritiâ militari quàm Clericali vigebat. Ideóque loricatos milites ad bellandum, quàm reuestitos Clericos ad psallendum magis erudire nouerat. Conflictibus ergo contra Da- C cos & Anglos sæpè interfuit, & ingentes subactis hostibus possessiones obtinuit, quas moriens Roberto nepoti suo Comiti Nordanhimbrorum dimisit.

ROBERTVS autem vt fines suos vndique dilataret, & ditissimis contubernalibus affinitate potentum sibi copulatis robustior ardua tentaret; Mathildem generosam virginem filiam Richerij de Aquila vxorem duxit, quæ neptis erat Hugonis Cestrensis Comitis ex sorore nomine Iudith. Hic itaque primus cum complicibus suis futile consilium iniit, & manifestam rebellionem sic inchoauit.

QVATVOR naues magnæ, quas Canardos vocant, de Northvvegia in Angliam appulsæ sunt, quibus Robertus & Morellus nepos eius, ac satellites eorum occurrerunt, & pacificis mercatoribus quicquid habebant violenter abstulerunt. Illi autem amissis rebus suis ad Regem accesserunt, durámque sui querimoniam lacrymabiliter deprompserunt. Qui mox imperiosè mandauit Roberto, vt mercatoribus ablata restitueret continuò. Sed omninò contempta est huiusmodi iussio. Magnanimus autem Rex quantitatem rerum quas amiserant inquisiuit, & omnia de suo eis D ærario restituit. Deinde ad Curiam suam Robertum accersiit. Sed ille venire noluit.

TVNC Rex nequitiam viri ferocis intelligens, exercitum aggregauit, & super eum validam militiæ virtutem conduxit. Denique vt Rex finibus Roberti appropinquauit, Gislebertus de Tonnebrugia miles potens & diues Regē seorsum vocauit, & pronus ad pedes eius corruit; eíq; nimis obstupescenti ait: Obsecro, Domine « mi Rex, ignosce quod deliqui, & ingens tuæ saluationis emolumentum insinuabo « tibi. Cúmque Rex miraretur & hæsitaret, & intra se aliquantulum deliberaret: tandem supplicanti leniter ignouit, & promissum auidus expectauit. Gislebertus ait: « Siste pedem quæso Rex nobilis, & hanc syluam, quæ ante nos est, ne ingrediaris. « Hostes enim illic in armis parati præstolantur, qui te nunc inquietare conantur. « Contra te conspirationem fecimus, & mortem tuam iureiurando machinati sumus. His auditis Rex substitit, & præfato Barone indicante, quot & qui fuerant proditores agnouit.

RODBERTUS II. 1093.

DELVSIS itaque sicariis, qui Regem occidere moliti sunt, armatæ phalanges A prosperè loca insidiarum pertransierunt, & munitissimum castrum, quod Babbenburg dicitur, obsederunt. Et quoniam illa munitio inexpugnabilis erat, quia inaccessibilis videbatur propter paludes & aquas, & alia quædam itinerantibus contraria, quibus ambiebatur: Rex nouam munitionem ad defensionem Prouinciæ, & coartationem hostium construxit, & militibus, armis, ac victualibus impleuit. Conscij autem perfidiæ, & fautores eorum detegi verentes conticuerunt, & metu exangues, quia conatus suos nihil valere perpenderunt, Regiis cohortibus immixti, eius seruitium, cuius exitium optauerant, promptè aggressi sunt. Interea dum Rex in armis cum agminibus suis ad bellum promptus constaret, & Chiliarchos ac Centuriones, aliósque Proceres Albionis cum subditis sibi plebibus operi nouæ munitionis indesinenter insistere compelleret; Robertus de propugnaculis suis contrarium sibi opus mœstus conspiciebat, & complices suos alta voce nominatim compellebat, ac vt iusiurandum de proditionis societate conseruarent, palam commonebat. Rex autem cum fidelibus suis hæc audiens ridebat, & conscia reatus publicati mens cōscios & participes timore & verecundia torquebat. B Rege autem ad sua prosperè remeante, & de moderamine regni cum suis amicis sollerter tractante, Robertus longæ obsidionis tædio nauseatus noctu exiliuit, & de castro in castrum migrare volens, in manus inimicorum incidit. Captus itaque à satellitibus Regis Robertus finem belli fecit, & ferè XXX. annis in vinculis vixit: ibíque scelerum suorum pœnas luens consenuit.

MATHILDIS verò vxor eius, quæ cum eo vix vmquam læta fuerat, quia in articulo perturbationis desponsata fuerat, & inter bellicas clades tribus tantùm mensibus cum tremore viri thoro incubuerat, maritali consolatione citò caruit, multísque mœroribus afflicta diu gemuit. Vir eius, vt dictum est, in carcere viuebat. Nec ipsa eo viuente secundum legem Dei alteri nubere legitimè valebat. Tandem permissu Paschalis Papæ, cui res à Curiosis enucleata patuit, post multos dies Nigellus de Albineio ipsam vxorem accepit, & pro fauore nobilium parentum eius aliquamdiu honorificè tenuit. Verùm, defuncto Gisleberto de Aquila fratre eius, vafer occasionem diuortij exquisiuit, eámque, quia consanguinei sui coniunx fuerat, repudiauit: C & Gundream sororem Hugonis de Gornaco vxorem duxit. Morellus autem, Domino suo vinculis indissolubiliter iniecto, de Anglia mœstus aufugit, multásque regiones peruagatus pauper & exosus in exilio consenuit.

EXHILARATVS nacto de rebellibus trophæo Rex amicos remuneratur, factiosos conuenit, diuersísque modis conuictos puniuit. Rogerium de Laccio penitus exheredatum de Anglia fugauit, & hereditatem eius Hugoni fratri eius, qui fideliter iustitiæ seruierat, tribuit. Hugonem Scrobesburiensium Comitem priuatim affatus corripuit, & acceptis ab eo tribus milibus libris in amicitiam callidè recepit. Sic & alios plures, ingentem pecuniæ massam accipiendo castigauit, & pro nobilium reuerentia parentum, qui talionem in Normannia recompensare possent, velle suum prouidè dissimulauit.

TVNC Guillelmus de Auco palam de nequitia conuictus fuit, quem Rex luminibus priuauit, & amputatis testiculis euirauit. Hoc nimirum Hugone Cestrensium Comite pertulit instigante, cuius sororem habebat; sed congruam fidem ei non seruauerat, quia secus eam trinam sobolem de pellice genuerat.

CONSVLES & Consulares viri nefandæ coniurationis gnari incentores erant. D Sed praua conspiratione detecta, secum plura pertractantes erubuerant, & potentissimo eorum confracto, ne similiter quærerentur, contabuerant. Porro hæc subtiliter Rex comperiit, & consultu Sapientum huiusmodi viris pepercit. Nec eos ad iudicium palam prouocauit, ne furor in peius augmentaretur, iterúmque in generale facinus contra Rempublicam lacesserentur, & multa multis indè damna, pernicies & luctus publicè gigneretur.

1094. ANNO ab Incarnatione Domini MXCIV. rebellium conatus in Anglia compressus est, & Guillelmus potens nullo resistente in sui regno patris confirmatus est. Verùm Normannia incolis vbique territis & commotis miserè turbata est, & Robertus Dux, seditionibus admodum sæuientibus pro mollicie sua despicabilis effectus est. Tunc nimia guerra inter Guillelmum Bretoliensem, & Ascelinum Goël-

A ium orta est: cuius occasio talis est. Guillelmus frater Goëlli iuuenis miles cuidam apud Paceium iniuriam mulieri fecit. Vnde conquerenti, Guillelmus Bretoliensis, vt iustum Principem decuit, de contumaci adolescente legitimam rectitudinem tenuit. Ascelinus igitur iratus est contra dominum suum, quòd publicè placitare cogeret fratrem suum. Non multò pòst arcem de Ibreio ingeniosa fraude illi surripuit, & Roberto Duci Normannorum tradidit, à quo ille ingenti pondere argenti dato redemit. Postmodum inter illos pro huiusmodi furto immanis simultas furuit, & vterque alteri nocere concupiuit. RODBERTVS II. 1094.

Mense Februario, Ascelinus Ricardum de Monte-forti & familiam Philippi Regis sibi asciuit, & Guillelmum dominum suum contra se ad pugnam venientem audacter excepit, vicit, & comprehendit, & exercitum eius captis quibusdam militibus fugauit. Hac itaque victoria elatus nimis intumuit, dominúmque suum, & Rogerium de Glotis, aliósque quos ceperat, crudeliter cruciauit. Nam per tres mẽ-
B ses in castro Breheruallo eos in carcere strinxit, & multotiens dum nimia hiems sæuiret, in solis camisiis aqua largiter humectatis in fenestra sublimis aulæ Boreæ vel Circio exposuit: donec tota vestis circa corpus vinctorum in vno gelu diriguit. Tandem intercurrentibus amicis pax inter eos facta est, ac tali tenore Guillelmus egredi de carcere permissus est. Isabel filiam suam Goëllo coniugem dedit, & tria milia librarum cum equis & armis, aliisque multis sumptibus erogauit, & arcem de Ibreio promisit. His ita compositis, Guillelmus liber extitit. Sed pax quam pepigerant, parum durauit.

Sequenti anno Guillelmus, inquietudine stimulante, guerram iterauit, & munitionem in Cœnobio Monachorum, quos Rogerius de Ibreio in honore sanctæ Mariæ construxerat, militibus suis constituit. Porrò Goëllus, qui arcem tenebat, copiam militum conduxit, ad Cœnobium, quod tunc spelunca latronum, proh dolor! effectum fuerat, appropinquauit; & æstiuis ardoribus circa Pentecosten torrentibus acriter impugnauit, ignem iniecit, & edacibus flammis Basilicam & ædes Monachorum cum supellectili sua consumpsit. Tunc Guillelmus Alis, & Ernaldus
C Popelinæ filius, aliique octo milites capti sunt, qui diu Goëlli crudelitatem in eius carcere nimis experti sunt. Guillelmus autem Britoliensis fugiendo vix euasit, vltionémque de tantis iniuriis summo nisu concupiuit. Diues herus intrinsecus nimio dolore punctus irascebatur, quòd homo suus contra se tanta vi grassabatur: & vires eius per tres annos redemptionibus captorum, spoliisque pagensium nimis angebantur. Tandem Philippo Regi Francorum DCC. libras pepigit, & Roberto Duci Normannorum, aliisque pluribus ingentem pecuniam promisit, si fideliter sibi adminicularentur, & hostiles copiæ subigerentur.

Igitvr Quadragesimali tempore Rex Franciæ & Dux Normanniæ Breheruallum obsederunt, ibique ferè duobus mensibus laborauerunt. Illuc Presbyteri cum parochianis suis vexilla tulerunt, & Abbates cum hominibus suis coacti conuenerunt. Illuc Robertus Belesmensis ingeniosissimum artificem adduxit, cuius ingeniosa sagacitas ad capiendam Hierusalem Christianis profecit. Hic machinas construxit, contra munimentum hostile super rotulas egit, ingentia saxa in oppidum & oppidanos proiecit, bellatores assultus dare docuit, quibus vallum & sepes
D circumcingentes diruit, & culmina domorum super inhabitantes deiecit, tantísque calamitatibus aduersarios ad deditionem coëgit. Vetus odium inter Robertum & Goëllum diu pro antiquis reatibus inoleuerat, idémque Robertus vt tempus vltionis opportunum viderat, Guillelmum Bretoliensem consilio & auxilio plus quàm omnes alij pares sui adiuuerat. Goëllus autem probus & callidus, & prædo malignus, Ecclesiarúmque violator erat. Nobiles & animosos parentes habebat, quorum adminiculis Breheruallum in deserta & siluestri regione castrum firmauerat, & magnanimitate subsidiisque tanta præliorum pondera strenuè pertulerat. Denique vt tam magnos Principes & animosos sibi summopere aduersari prospexit, pacem à Domino socero suo petiit, & gaudente Guillelmo impetrauit. Eique tunc, Regibus & Ducibus diu vexatis, arcem de Ibreio honorificè reddidit.

Hæc nimirum est turris famosa, ingens, & munitissima, quam Albereda vxor Radulfi Bajocensis Comitis construxit, & Hugo Bajocensis Episcopus frater Ioannis Rotomagensis Archiepiscopi contra Duces Normannorum multo tempore te-

RODBERTVS II. 1094. nuit. Ferunt quòd præfata matrona, postquàm multo labore & sumptu sæpefatam A arcem perfecerat, Lanfredum architectum, cuius ingenij laus super omnes artifices, qui tunc in Gallia erant, transcenderat, qui post constructionem turris de Peduēriis, magister huius operis extiterat, ne simile opus alicubi fabricaret, decollari fecerat. Denique ipsa pro eadem arce à viro suo perempta est, quia ipsum quoque ab eadem munitione arcere conata est.

EN volubilis fortuna quotidie rotatur, & mundi status variabiliter agitatur. Insipiens nimis excæcatur, qui talia videt assiduè, nec castigatur: sed confidit in eo, qui citò præcipitatur. Mortalis mortalem in mortem impellit, parique cursu sequitur illum, quem in exitium præmisit; meritóque sibi, vel aliis suffragari posse, proh dolor! amittit.

PACE facta inter pugnaces aduersarios, multis gaudentibus solus Robertus Belesmensis admodum fuit iratus: quia ipse ad consilium pacis, ne impediret, non fuerat inuitatus, qui præcipuus præsederat ad bellicos apparatus, vt atrox & proteruus hostis confunderetur superatus. Roberti enim argutiæ & vires formidandæ super B omnes alios præualuerunt, & insignem sensu militiáque prædonem mirandis machinationibus terruerunt, quem antea Reges & Duces in asylo suo ludentem, & inimicos multis versutiis subsannantem à cachinnis cohibere nequiuerunt. Denique præfatus miles, vt concordiam inter discordes factam cognouit, cuneos suos protinus conuocauit: nullíque fraudem sui cordis detegens festinanter remeauit, & ad sanctum Cerenicum super Robertum Geroianum ex improuiso conualuit. Municipes autem Robertum in expeditione generali cum Duce putantes exierant, & sparsim per agros securi pro libitu suo discurrebant. Cúmque vafer insidiator cum copiis suis repentè irrueret, & oppidum ingredi, Castellanósque sibi subire satageret; Geroianus nutu Dei hostilem impetum præuenit, & munitionem cum suis celeriter intrauit. Et Belesmensis, quòd velle suum de capiendo castro frustratum est, doluit. Deinde ad prædandum sese conuertit, vnum militem occidit, & plurima damna fecit. Sic nequitia eius & fraus detecta est, & exinde manifesta guerra inchoata est. Geroianus autem Goifredum de Madenia, & Guillelmum de Silleio, aliósque plurimos auxiliatores habuit: totámque circa Alencionem per tres menses Prouinciam deuastauit Henricus Guillelmi Magni Regis Anglorum filius Dáfrontem possidebat, & super Robertum, cui præfatum castellum abstulerat; imò super fratres suos Regem & Ducem, guerram faciebat, à quibus extorris de cespite paterno expulsus fuerat. C

IN initio mensis Iulij Robertus Geroianus cum familia Henrici, aliísque commanipularibus suis expeditionem fecit, & ingenti præda direpta, Belesmensis hostes cum copiis suis insectari cœpit. Cúmque Geroianus auxiliarios suos ad sua properantes conduceret, & alacriter confabulando cum notis & amicis longiùs iret; subitò rumor ortus est, quòd occisus esset. Mox dolor ingens omnes perculit, & terribilis clamor in castro personuit. Castrenses expalluerunt, & omne consilium ac virile robur amiserunt. Paganus itaque de Mondublel, & Rotro de Monteforti, alii'que muniones castri defecerunt; ac vt Belesmensi fauerent, sicut quidam ferunt, nemine cogente castrum sine defensore deseruerunt. Radegundis autem vxor tam diris perculsa rumoribus expalluit, & in castro certitudinem rei cum suis præstolari decreuit. Sed sola mulier contra procaces viros quod sibi bonum videbatur D defendere non potuit. Porro illis de castro egredientibus, & impudenter vociferantibus, Robertus Belesmensis comperta huiusmodi re statim affuit, munitionem propugnatore vacuam reperit, facilè intrauit, penitúsque spoliauit, flammísque reliqua concremauit. Ingressi castrum lebetes super ignes feruentes inuenerunt carnibus plenas, & mensas mappulis coopertas, & escas cum pane super appositas. Sagiensésque Monachi brachium sancti Cerenici de Ecclesia tulerunt, & in sancti Martini Cœnobium reuerenter transtulerunt. Nam reliqua pars corporis eius in Castello-Theodorici super Maternam fluuium seruatur, & à Gallis celebri deuotione veneranter excolitur.

CVMQVE Geroianus ab amicis lætus reuerteretur, & de damno inimicis iterum inferendo frustra meditaretur, quia nulla potentia mortalium longa est, aduersis rumoribus perceptis ex insperato confractus est. Sic nobilis miles protinus ex-

A heredatus est,& extraneorum hospitia exul repetere coactus est. Eodem anno Radegundis vxor eius proba femina & honesta defuncta est. Quam paulò pòst Guillelmus infans filius eius moriendo secutus est, quem Robertus Belesmensis obsidem habuerat, & per manus Roberti de Poileio, vt dicunt, veneno extinxerat. RODBERTVS II. 1094.

GEROIANVS itaque tot infortuniis læsus ad amicos confugit, auxiliúmque petiuit: solatióque parentum & amicorum corroboratus spem ad meliora erexit. Deinde castellum sequenti anno super Montem-acutum firmauit, acerrimámque vltionem contra Belesmensem exercuit. At ille nimis furens ad Ducem concurrit, multísque questibus ac promissis exciuit; atque ad obsidendum Montem-acutum cum exercitu Normanniæ adduxit. Tunc Gaufridus Madeniensis, aliíque Optimates Cenomannorum Ducem conuenerunt, eíque pro Geroiano cognato scilicet suo blandè supplicauerunt. A quo protinus, quia flexibilis erat ad misericordiam, impetrauerunt vt castrum, quod nuper constructum fuerat, dirueretur, eíque tota hereditas eius cum pace restitueretur. Quod & ita factum est.

B SICVT post nimiam tempestatem serenitas redit, hominésque lætificat: sic diuina iustitia reos plerúmque verberat, & clemens bonitas afflictos mitigat, & pœnitentes iustificat, purgatósque piè remunerat.

GEROIVS itaque multis calamitatibus eruditus Deo gratias egit, cuius ope post multos agones pristinum honorem recuperauit, & ferè XXX. annis postmodum inter læta & tristia vitæ cursum peregit. Feliciam verò Guarnerij de Coneraia filiam coniugem accepit, quæ tres filios, totidémque filias peperit: Guillelmum scilicet, & Robertum, ac Mathæum: Agatham, Damatam, & Auelinam.

BELESMENSIS munio Nouum-castellum totis nisibus destruere studuit, & pagenses de omni potestate sua & vicinitate ad angariam cœptæ deiectionis compulit. Et quia homines sancti Ebrulfi ad dissipationem castri non affuerunt, quia ditioni eius subdi minimè debuerunt, vehementer contra Monachos intumuit, & per vnum annum ingentia damna eis intulit. Homines sancti Patris Ebrulfi ad suorum opera castrorum violenter cogebat. Diffugientium verò prædas diripiebat, & ipsum Cœnobium se destructurum crudeliter minabatur, nisi omnino sibi vt Do-C mino in omnibus manciparentur. Denique in tantùm creuit eius vesania, vt penè omnes Ecclesiasticæ possessiones in vicinio eius depopularentur insolentiâ. Vnde Monachi claustrales graui artati sunt penuria. Et Rogerius Abbas compulsus est Guillelmi Regis subsidium deposcere in Anglia, ad vsus egenorum, quibus tyranni depopulatio alimenta sustulerat necessaria. Aliis quoque Dei famulis, qui sub eo, vel in eius vicinio, crudeliter imminebat, eósque pluribus damnis & afflictionibus absque misericordia sæpè contristabat. Hoc Sagienses & Troarnenses, hoc etiam attestantur Cenomannenses, qui per eius sæuitiam & iniustas exactiones frequenter ira tristitiáque expalluere lugentes.

SAGIENSE quoque Episcopium Robertus contra ius & fas comprimebat, & Guillelmo Belesmensi auo eius à Ricardo Duce datum asserebat: & multis oppressionibus ac detrimentis Ecclesiasticas possessiones valdè aggrauabat. Vnde venerandus Serlo Episcopus eum excommunicauit, & Pontificali rigore totam terram eius interdixit; ne diuinum ibidem officium celebraretur, nec mortuorum corpora humarentur. Robertus autem, qui pro duritia iure Talauacius vocabatur, induratus D vt Pharao, Pontificalibus plagis siue vnguentis non emolliebatur; sed ad omne nefas quotidie detestabiliter augmentabatur. Ipse sicut Ismahel contra omnes vicinos manus armatas atrociter erigebat, Monachos & Clericos, & inerme vulgus sæua tyrannide terrebat, & damnis contumeliísque frequenter illatis miserabiliter affligebat. Temporibus illis principalis censura super illum præualere nequibat, quem secularis potentia vnum extollebat, & malorum immanitas morum intolerabilem familiaribus, amicis, & clientibus faciebat. Homines priuatione oculorum, & amputatione pedum manuúmve deformare paruipendebat: sed inauditorum commẽtatione suppliciorum in torquendis miseris more Siculi Phalaris tripudiabat. Quos in carcere pro reatu aliquo stringebat, Nerone, seu Decio, vel Diocletiano sæuior indicibiliter cruciabat, & indè iocos cum parasitis suis, & cachinnos iactabundus exercebat. Tormentorum, quæ vinctis inferebat, delectatione gloriabatur, hominúmque detractione pro pœnarum nimietate crudelis lætabatur: magísque affecta-

RODBERTVS II. 1094. bat supplicia miseris inferre, quàm per redemptionem captiuorum pecunias augere. Plerúmque de vinculis eius auxiliante Deo multi euaserunt, suásque postmodum iniurias fortiter vlti sunt: pro quibus, si humana ratione & clementia tactus voluisset, ingentem censum, & honorifica percipere seruitia potuisset. Terribilis multis multos metuebat, & quia plures conscientia mordaci stimulante suspectos habebat, nocte diéque meticulosus in ærumnis vtique laborabat, sibíque vix aliquem fidum credebat. Miles quidem magnus erat in armis & acerrimus, ingenio & eloquentia cum fortitudine pollebat. Sed nimio tumore & crudelitate omnia polluebat, scelerúmque nefaria congerie dona sibi diuinitus præstita obscurabat. Ob insolentiam & cupiditatem plurima contra collimitaneos prælia cœpit, sed sæpè victus cum damno & dedecore aufugit. Hoc benè nouerunt Corbonienses & Cenomannenses, Normanni affines, proximíque Oximenses, qui tyranno fugiente facti sunt victores. Hoc feliciter experti sunt Goifredus Moritoniæ Comes, & Rotro filius eius. Helias quoque Cenomannensis, aliíque affines, quibus ipse semper infestus detrimenta moliebatur, sed iudicante Deo duriora iure patiebatur. Triginta quatuor castella munitissima possidebat, multísque millibus hominum dominatu præeminebat. Hugo tamen de Nouanto pauper oppidanus & vicinus multis annis ei restitit, & ingentia damna iniuriásque frequenter intulit.

AGNETEM filiam Guidonis Pontiui Comitis vxorem habuit, quæ Guillelmum Taluatium totius honoris eius heredem peperit. Sæuus maritus generosam coniugem, non vt decuit propter dilectam sobolem, honorauit: imò multis eam afflictionibus vt odibilem ancillam contristauit. Quinetiam multo tempore in arce Belesmensi velut latronem custodiæ mancipauit. Tandem auxilio industriáque fidelis Cubicularij erepta de carcere clanculò exiuit, & ad Hadalam Carnotensem Comitissam confugit, & inde numquam ad Tyrannum reditura in Pontiuum secessit.

DIRIS conatibus & tergiuersationibus præfati lanionis Neustria sæpè turbata est, & Cenomannica regio vicinitásque circumiacens prædis ac cædibus incendiísque feraliter profligata est. Episcopatus & Cœnobia super illo ad Dominum Sabaoth clamauerunt, in quorum terris castella violenter consita sunt. Et possessiones Sanctorum temeraria inuasione eius diminutæ vel spoliatæ sunt. Vticenses verò Monachi post multa damna & labores metúsque guerram eius ferre non potuerũt. Vnde coacti dicam per totam terram suam, quæ hactenus à malis consuetudinibus libera fuerat, fecerunt; & LX. libras Cenomannensium de censu pagensium Roberto dederunt, ne Monasterium & colonos eius vlteriùs vexare, sed in pace Dei cultores legali theusebia tripudiare sineret. Alij quoque Monachi & inermes Clerici simili precio se redemerunt, datísque magnis sumptibus frendentem tyrannum sibi placauerunt, quia tunc ingentem sæuitiam eius Reges seu Duces principali censura corrigere ad quietem Ecclesiarum negauerunt.

IN diebus illis, antiqui Optimates, qui sub Roberto Duce, vel filio eius Guillelmo Rege militauerunt, humanæ conditionis more hominem exuerunt. Rogerius de Monte-Gomerici apud Scrobesburiam Monachile scema deuotus suscepit, & in Basilica sancti Petri Apostoli, quam extra vrbem inter duo flumina Meolam & Sabrinam condidit, tribus diebus in colloquiis diuinis & oratione inter seruos Dei permansit. Tandem VI. Kal. Augusti mortuus est, & in basilica sancti Petri sepultus est: postquàm Hugo de Monte-Gomerici filius eius Comes in Anglia factus est, & Robertus de Belismo totum honorem eius in Normannia nactus est. Porro Rogerius Pictauinus, & Arnulfus, Philippus, & Ebrardus, de paterna hereditate nihil habuerunt: quia duo priores, vt dictum est, Robertus & Hugo, citra mare & vltra totum patris ius obtinuerunt. Rogerius tamen & Arnulfus, qui militiæ probitatísque titulis inter contubernales valuerunt, consilio patris, suáque procuratione generosas coniuges acceperunt: & ambo Comites potentiâ diuitiísque pollentes aliquandiu floruerunt. Sed ante mortem pro perfidia sua honores adeptos perdiderunt. Philippus autem & Ebrardus literarum studio, & ..... pueritia, labentis vitæ cursum, fategerunt varia. Philippus enim cum Roberto Duce peregrè profectus est, & Antiochiæ mortuus est. Ebrardus verò, qui de Adelaide Comitissa natus est, in Capella Henciri Regis Clericali officio inter mediocres functus est.

ROGERIVS quoque de Bellomonte sapiens & modestus heros, qui dominis suis

A suis Ducibus Normanniæ fidelis semper extitit, in Cœnobio Pratellensi, post emeritæ militiæ tempus, colla Monachatui submisit. Illud enim Vnfredus de Vetulis pater eius in proprio fundo fundauerat, & ipse post patris obitum multis possessionibus & ornamentis ditauerat. Ibi Robertus de Bellomonte filius Humfredi, quem Rogerius de Clara occiderat, tumulatus quiescit. Et ipse Rogerius iam senex frater eius post aliquot annos conuersionis suæ bono fine quieuit. Filios verò suos Robertum & Henricum honoris sui censatos heredes dereliquit, quos in hoc seculo gratia Dei multum sublimauit. Amicitia siquidem & familiaritate Regum Comitúmque potentium illustrati sunt. Generosis & facundis coniugibus, & insigni prole vtriúsque sexus, multisque diuitiis cum honoribus ditati sunt. Robertus enim Comitatum de Mellento in pago Vilcasino hereditario iure post Hugonem Adelinæ matris suæ fratrem possedit, & in Anglia Comitatum Legecestriæ, cum aliis pluribus, & gazis, Henrici Regis dono feliciter obtinuit. Henricus autem frater eius, strenuitate sua & legalitate Comitatum de Guarevvico promeruit, & elegantem Margaritam Goifredi Moritoniæ Comitis filiam coniugem accepit; B cuius religionis & honestatis fama celebris habetur, & longè latéque in vicinis regionibus inter præcipuas mulieres diuulgatur. Hæc marito suo Rogerium & Robertum de Nouoburgo peperit, quorum sublimitas in Anglia & Neustria tempore Henrici Regis præcipuè fulsit. Præfati Consules Pratellense Monasterium iure dilexerunt, & multis opibus locupletatum honorauerunt, quod antecessores eorum in optimo loco prope portum maris & Pontem Ademari, vbi rapidè pontum Risela petit, construxerunt. Ibi Monachi ad laudem & cultum omnipotentis Dei diuinitus conuocati sunt, & à religiosis ac sapientibus pædagogis regulari disciplinâ piè instituti sunt.

RODBERTVS II. 1094.

PRIMVS Abbas Pratellensis Ecclesiæ, quis, quantúsve fuerit, Epitaphium, quod in claustro super tumulum eius nitescit, ad ostium basilicæ in australi climate sic intuentibus ostendit.
C

Ecce sub hac tumba tegitur sine felle columba,
Abbas Aufridus vir probus atque pius.
Peruigil implebat quod lex diuina iubebat,
Eius consilium quæ fuit, & studium.
Debilibus, dubiis, cæcis, claudis, peregrinis,
Tectum, pes, oculi, consilium, baculus.
Triginta Phœbus dum decidit iste diebus,
Torruerat Pisces, cui Deus esto quies.

RICARDVS autem de Furnellis moderno tempore idem Monasterium rexit, quem Robertus Tumbaleniensis ad Monachatũ Baiocis Ecclesiâ S. Vigoris suscepit. Verùm Odone Præsule, qui noui Cœnobij fundator erat, in carcere Guillelmi Regis gemente, & Roberto Sophista Montem S. Michaëlis de periculo maris, vnde Cœnobita erat, repetente, seu potius in Latias partes, vt suprà retuli, migrante, noua constructio & imperfecta celeriter dissipata est: & concio fideliũ, quæ illuc confluxerat de diuersis locis, Rectore carens citò dispersa est. Ricardus itaque vnus ex illis diuinis literis eruditissimus fuit, & in tanta deuastatione teneri gregis
D
religiosos Sophistas quæsiuit, in quorum contubernio dogmatibus almis inhærens reuerenter habitauit.

EA nempe tempestate in Normãnia florebant Anselmus Beccensis, Gerbertus Fontanellensis, Gontardus Gemmeticensis, aliíque plures, in templo Dei lucentes lucernæ, à quibus insigniter illustratus salubris hauriebat vbertatem doctrinæ. Defuncto autem Goisfredo Abbate Ricardus ad regimen Pratellensis Abbatiæ electus est: quod Roberti Ducis & Henrici Regis tempore ferè XXIV. annis tenuit, ibique defunctus est. Hic in diuinis Codicibus apprimè studuit, in via Dei per antiquorum vestigia Patrum psallens ab adolescentia cucurrit, famelicísque pueris ænigmaticum panem in domo Domini benigniter fregit, manúmque tendentibus alacriter & vbertim distribuit: torpẽtibus quoq; & recusantibus vt manderent vim intulit. Commentariũ super Genesim Mauricio S. Launomari Blesensiũ eruditissimo Abbati edidit, & aliud domno Adelelmo eruditissimo Presbytero conscripsit, Flauiacensi quidẽ Monacho, qui cum Fiscãnensib. S. Trinitati reuerenter militans

RODBERTVS II. 1094.

consenuit. Egregio Cluniacensium Abbati Pontio eximiã explanationẽ super parabolas Salomonis contexuit. Aliisque venerabilibus personis Ecclesiastẽ,& Cantica Canticorum, ac Deuteronomium luculenter exposuit. Multósque Tractatus super obscura Prophetarum problemata allegoricè seu tropologicè disseruit. A

NICOLAVS Leuita & Abbas sancti Præsulis Audoëni, tertij Ricardi Ducis Normannorum filius fuit, multáque benignitate & charitate, aliisque virtutibus floruit, & in Ecclesia Dei vsque ad quartum annum post mortem Guillelmi Regis consobrini sui specialiter effulsit. Hic compellente Roberto Duce patruo suo, puer Monachus in Cœnobio Fiscanensi sub Ioanne Abbate factus est. Sed post aliquot annos à Guillelmo Duce ad præfatæ regimen Abbatiæ in adolescentia assumptus est. In regimine verò positus subiectis intus externisque magis prodesse quàm præesse studuit. Et postquàm adorato in Hierusalem sepulcro Domini remeauit, quinquagesimo sexto regiminis sui anno IIII. Kal. Martij obiit,& in Ecclesia S. Petri Apostoli, quam ipse à fundamentis cœperat, ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus, esse melius in resurrectione expectat. Super ipsum structura de lignis pulchrè depictis condita nitescit, cuius in culmine Mauricius Cœnobita huiusmodi Epitaphium litteris aureis eleganter inseruit. B

Hic amor & pietas, Monachorum flos & honestas,
Deponens artus Domino viuit Nicolaus.
Rexit amore gregem, quam cernis condidit ædem.
Hæc lux occubuit dum pisces Phœbus adurit.

HELGOTVS Cadomensis Prior, eruditione & virtutum exercitio pollens, venerabili Nicolao subrogatus est, & gubernaculo Abbatiæ Sancti Audoëni fere XX. annis potitus est. Cuius tempore Conuentus eiusdem Ecclesiæ numero & religione laudabiliter auctus est. Tunc Gislebertus quidam laicus de Hierusalem Rothomagum venit, & à præfato Patre ad Monachatum susceptus, Ecclesiæ suæ digniter profecit. Opus enim basilicæ, quod iamdudum admiranda magnitudine intermissum fuerat, assumpsit; ibique pecuniam Alberadæ Grossæ dominæ suæ, quæ in via Dei moriens thesaurum ei suum commendauerat, largiter distraxit: & indè aliorum quoque fidelium subsidiis adiutus, insigne opus perficere sategit. Helgoto autem Abbate XII. Kal. Decembris defuncto, & ante altare sancti Stephani protomartyris sepulto, quod in vestibulo, in Aquilonali plaga est, Guillelmus Balotensis eiusdem Ecclesiæ à pueritia Monachus, in ordine regiminis per annos ferè XIIII. subsecutus est. Ipsius quidem tempore Basilica ingens olim à Nicolao cœpta vix in annis LX. consummata est, & à Goisfredo Archiepiscopo cum aliis pluribus Prælatis & subditis XVI. Kal. Nouembris dedicata est. C

EODEM anno Guillelmus Abbas obiit, & Ragemfredus eiusdem Monachus Ecclesiæ regimen suscepit: cuius tempore claustrum cum aliis Monachorum officinis consummatum specialiter emicuit. Tunc Fulbertus Archidiaconus & Decanus Rothomagensis ægrotauit, & Monachile scema deuotus suscepit. Defunctus autem, in claustro sancti Audoëni ante Capitulum tumulatus est, & albo lapide decenter coopertus est. Titulus verò qualis fuerit illic ita insculptus ostendit.

Gloria metropolis, Cleri decus & diadema
Morte tua Fulberte ruit, ruit illa profunda D
Fontis inexhausti sapientia, lingua diserta.
Metropolitanus fuit Archidiaconus iste,
Canonicus primùm, postremò Cœnobialis.
Quarta dies erat ante diem quo claruit orbi
Virgine de sacra Christus, cùm tanta columna
Decidit Ecclesiæ, nulli pietate secundus.

FELICI Patrum decessione in Christo migrantium pius in terris mœret amor filiorum: qui quamuis eos regnum indubitanter speret ascendere supernum, affectuosè tamen absentiam plangit eorum, metuens nimiam desolationem hîc exulantium. Verùm diuina pietas Ecclesiam suam crebro visitat, & inuisibili actu dulcedinis suæ consolatur, ne in via deficiat: quotidiéque missis ad eam

A fortibus agonothetis ad luctam corroborat. Hinc ait Propheta, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*. Apostolis enim astra transuolantibus Apostolici Doctores successerunt, qui verbis & operibus in atriis Hierusalem stantes fulserunt, Deóque suorum fructus laborum huc vsque acceptabiles offerunt. En abundante iniquitate in mundo, vberiùs crescit fidelium in Religione deuotio, & multiplicata seges in agro surgit Dominico. In saltibus & campestribus passim construuntur Cœnobia, nouísque ritibus, variísque scematibus trabeata peragrant orbem cucullatorum examina. Albedine in habitu suo præcipuè vtuntur, qua singulares ab aliis, notabilésque videantur. Nigredo in plerísque locis sanctæ Scripturæ hnmilitatem designat. Quem iccirco colorem Religiosorum feruor hactenus gratanter gestat. Nunc autem nigredinem, qua prisci Patres, tam regulares Clerici in cappis, quàm Monachi in cucullis ob humilitatis specimen vsi sunt, moderni tanquam ob maioris iustitiæ ostentationem abiiciunt: inusitata quoque pannorum sectione suorum, ab aliis discrepare appetunt. Voluntaria paupertas mundíque contemptus, vt opinor, in plerísque feruet, ac vera religio: sed plures eis hypocritæ seductoriíque simulatores permiscentur, vt lolium tritico. Paganus Carnotensis Canonicus cognomento Bolotinus pulcrum Carmen Adonico metro nuper edidit, in quo palliatas horum hypocrisi superstitiones subtiliter & copiosè propalauit. Ego autem in præsenti Chronographia nunc nitor palam enucleare, qualiter & à quibus antiqui schematis mutatio nuper cœperit pullulare, quoniam posteris lectoribus hoc autumo gratum fore.

RODBERTUS II. 1094

B

IN Burgundia locus est, qui dicitur Molismus. Vnde Rainaldus ait Lingonensis Episcopus.

Est quasi baptismus, quibus est in amore Molismus.

IBI tempore Philippi Regis Francorũ venerabilis Robertus Abbas Cœnobium condidit, & inspirante gratia Spiritus sancti, discipulos magnæ religionis aggregauit, studióque virtutum in sancta paupertate iuxta vsum aliorum Cœnobiorum comiter instruxit. Post aliquot annos S. Benedicti Regulam diligẽter perscrutatus est, aliorúmque Sanctorum documentis Patrum perspectis, conuocans fratres sic affatus est: « Nos, fratres carissimi, secundum normam S. Patris Benedicti professionem fecimus. Sed vt mihi videtur, non eam ex integro tenemus. Multa, quæ ibi non recipiuntur obseruamus, & de mandatis eius plura negligentes intermittimus. Manibus nostris non laboramus, vt sanctos patres fecisse legimus. Si mihi non creditis, ô amici, legite gesta sanctorum Antonij, Macarij, Pacomij, & ante omnes alios Doctoris gentium Pauli Apostoli. Abundantem victum & vestitum ex decimis & oblationibus Ecclesiarum habemus, & ea quæ competunt Presbyteris, ingenio seu violentiâ subtrahimus. Sic nimirum sanguine hominum vescimur, & peccatis participamus. Laudo igitur, vt omnino Regulam S. Benedicti teneamus, cauẽtes ne ad dexteram vel ad sinistram ab ea deuiemus. Victum & vestitum labore manuum nostrarum vendicemus. A femoralibus & staminiis, pelliciísque secundum Regulã abstineamus. Decimas & oblationes Clericis, qui diocesi famulantur, relinquamus. Et sic per vestigia Patrum post Christum currere feruenter insudemus. »

C

HIS dictis, Monachorum Conuentus non adquieuit: imo prædecessorum, quorum vita euidentibus miraculis insignita manifestè refulsit, exempla & instituta, venerabilium vestigiis trita virorum moderatis nouitatibus obiecit. « Viam, inquiunt, vitæ, qua sancti Patres olim in Gallia religiosè vixerunt, quorum sanctitatem Deo placitam in vita & post humationem prodigia contestata sunt, iuxta ritum & traditiones eorum iamdiu obseruauimus, & vsque ad mortem toto conatu conseruare peroptamus. De hoc, quod redarguimur à te, pater venerande, quia exorbitamus à rigore Monachilis Regulæ, nec aspero gradimur Ægyptiorum Patrum tramite, qui in Thebaida, & sancta in Terra commorabantur; inter barbaros antiquo tempore necessariam rationem subtili considera examinatione. »

D

« NVLLVS Doctor iure cogit fideles omnia pati pacis tempore, quæ sancti Martyres compulsi sunt in persecutionibus paganorum tolerare: quoniam nec ipsi eadem ante pressuram impiorum vltro perpessi sunt, quæ necessitate postmodum cogente pro fide certantes sustinuerunt. Hoc nimirum Dominus Petro manifestè declarauit, dicens: *Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Secundum

RODBERTUS II. 1094. præcepta diuinæ legis prudenter intuere, quàm discretè in via Dei deceat te illos A
dirigere, qui sponte sua conuersi à mundana prauitate, sub tuo magistratu emenda-
tiorem vitam volunt arripere. Qua ratione potest approbari, vt illos, qui vltrò volũt
» suum nequam esse in bonum mutare, ad latebras Pauli vel Antonij violenter de-
» beas effugare? Illi quippe parentum etiam suorum timore, de paternis laribus, ne
» occiderentur, fugêre. Prouidus Archiater ægrotum fouet temperato medicamine,
» ne si nimis importunæ medicationis vexat infirmum cruciamine, quem curandum
» susceperat videatur extinguere. Nullus prudens inualido infert onus importabile,
» ne lassus portitor vel oppressus sarcina pereat in itinere.

» SIC palam Monachis repugnantibus dixit Abbas Robertus: Inimitabilem Ægy-
» ptiorum Patrum vitam ad informationem boni commemoro. Sed indè nulla vobis
» violenta imponitur exactio, immò salubris proponitur persuasio. Verùm ad tenen-
» dam per omnia sancti Benedicti Regulam vos inuito, quam in pluribus præuaricari,
» secundum id quod professi estis, vos veraciter agnosco. Vnde superni Iudicis ani-
» maduersionem pertimesco, ne in nos desæuiat pro reatu transgressionis in tre- B
» mendo iudicio.

» AD hæc Monachi responderunt: Beatus Pater Benedictus, vt nobis omnibus
» euidenter patescit, beatum Maurum Monasterij sui Priorem, quem à pueritia nu-
» trierat, in Galliam misit, & Librum Regulæ, quem ipse vir Dei propria manu con-
» scripsit, & libram panis eminámque vini per eum Francis destinauit. Hic à Theo-
» deberto Rege susceptus, vsque ad obitum suum in Gallia permansit, atque Floro
» Regis Consiliario adiuuante Cœnobium construxit, ibique C X L. Monachos, in lo-
» co qui Glannifolium dicitur, regulariter instruxit. Discretus autem Pater Maurus
» non mores Ægyptiorum, qui nimio solis ardore iugiter æstuant, imitatus est: sed ri-
» tus Gallorum, qui sæpe brumali gelu in Occidente contremiscunt, piè intuitus est,
» sicut à spirituali Magistro salubriter edoctus est. Dicit enim sanctus Benedictus:
» *Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem vbi habitant, vel aërum temperiem, dentur.*
» *Qui in frigidis regionibus, amplius; in calidis verò, minus indigent. Hac ergo consideratio penes*
» *Abbatem est.* Sic etiam de cibo & potu, & omni conuersatione humana prouidè tem-
» perat & disponit, vt omnia mensuratè fiant propter pusillanimes, & absque murmu- C
» rationibus sint. Abbatem quoque summopere admonet, vt omnium imbecillitatem
» consideret. Fratribus infirmis aut delicatis talem operam vel artem iubet iniungi, vt
» nec otiosi sint, nec violentiâ laboris opprimantur, & effringantur. Paulus & Antoni-
» nus, aliique plures, qui primitùs heremum expetierunt, & in abditis deserti locis
» Monasteria sibi construxerunt, timore Paganorum, vt supra dictum est, illuc com-
» pulsi, artam nimis vitam elegerunt, & cooperante gratiâ Dei necessitatem in volun-
» tatem transmutauerunt. Deinde laudabili eorum exemplo admodum creuit renũ-
» tiantium seculo numerus, & pro diuersitatibus locorum ac moribus hominum va-
» riis incessit institutionibus. Sed in vna fide, vt dicit Gregorius Papa, nihil efficit san-
» ctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Magna pars hominum in calidis regionibus ca-
» ret femoralibus, tunicísque fruitur, vt mulieres, laxis & talaribus. Quorum consue-
» tudinem non abhorret, sed amplectitur indè propagatus, ibique consistens Mona-
» chorum cuneus. Ast omnes populi bracis vtuntur in Occiduo climate, nec eis tam
» pro frigore, quàm pro dedecore norunt carere. Quibus pro causis idem mos est
» in nostro Ordine. Nec illum, qui vtilis & honestus est, nolumus relinquere. Sic de
» omnibus aliis rationabiles causas nobis tradiderunt eruditi Doctores, qui nos in D
» sacro schemate præcesserunt. In Italia, & Palæstina, & aliis regionibus quibus-
» dam, satis abundant oliuæ, cuius fructu ditati, ad diuersos esus condiendos non
» indigent sagimine: quod nobis hîc clementer concessum est carentibus olei pin-
» guedine. Quòd verò manibus nostris quotidie non laboramus, plurimorum dirè
» stimulamur redargutionibus: sed sincerum in diuino cultu laborem audacter obii-
» cimus, quem ab autenticis Magistris diutina diuinæ legis obseruantia probatis olim
» didicimus. Dagobertus Rex, & Theodericus, atque Carolus Magnus Imperator,
» aliique Reges, & augusta Cœnobia deuotè condiderunt, & de suis redditibus ad vi-
» ctum & vestitum seruorum Dei vbertim erogauerunt, multitudinémq; clientum ad
» exteriora ministeria pleniter explenda subiecerunt, Monachósq. lectionib. & sacris
» orationibus pro cũctis benefactoribus suis, & cælestib. mysteriis intẽtos esse cõstitue-

A runt. Exinde Principum institutione, & diutina consuetudine vsitatum est in Gallia, vt rustici ruralia sicut decet peragant opera, & serui seruilia passim exerceant ministeria: Monachi autem, qui sponte relictis huius mundi vanitatibus Regi Regum militant, claustralibus septis vt filiæ Regis quietè insideant, arcana sacræ legis legendo perquirant, & indè semper meditantes taciturnitati delectabiliter insistant: à prauis & otiosis sermonibus os suum coërceant, Dauidicos hymnos, aliásque mysticas modulationes nocte diéque Creatori concinant, aliísque mundis & idoneis actibus quotidie agendis, prout ratio exegerit; secundum præcepta maiorum intendant. Hæc in Occidente Monachi hactenus operari solent, ac studia eorum huiuscemodi esse debere omnes proculdubio norunt & perhibent. Absit vt rustici torpescant otio, saturíque lasciuientes cachinnis & inani vacent ludicro: quorum genuina sors labori dedita est assiduo: Egregij verò milites & arguti Philosophi ac dicaces Scholastici si renunciant seculo, cogantur seruilibus & incongruis more vilium mancipiorum studiis seu laboribus occupari. Pro victu proprio decimæ fidelium vel oblationes generali auctoritate con-
B ceduntur Clericis & Dei ministris, sicut Paulus Apostolus ait Corinthiis, *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt. Qui altari deseruiunt, cum altari participantur.* Ita & Dominus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Nos autem & ordine & officio Clerici sumus, & Clericale seruitium summo Pontifici, qui penetrauit cœlos, offerimus: vt sortem supernæ hæreditatis ipso adiuuante obtineamus. Ecclesiastica igitur beneficia iure possidemus, & communi sanctione semper tenere decernimus. Hoc, ô reuerende Pater, sanctitati vestræ indubitanter notum sit, quæ à prioribus Cœnobiis, qui religiosè vixerunt seruanda didicimus, ac vt hæredes ordinis & professionis habemus. Quamdiu Cluniacenses, siue Turonenses, aliíque Regulares viri ea nacti fuerint, non dimittemus; nec vt temerarij nouitatum adinuentores à fratribus nostris longè latéque condemnari volumus.

HÆC & plura his similia Monachis constanter dicentibus, Abbas in sua satis pertinax sententiâ recessit ab eis, cum duodecim sibi assentientibus; diúque
C locum quæsiuit idoneum sibi suísque sodalibus, qui sancti decreuerant Regulam Benedicti, sicut Iudæi legem Moisi, ad literam seruare penitus. Tandem Odo filius Henrici, Burgundiæ Dux, illis compassus est, & prædium in loco qui Cistertius dicitur, in Episcopatu Cabilonensi largitus est. Ibi Robertus Abbas cum electis fratribus aliquamdiu habitauit in heremo, nimiæ districtionis & religionis Cœnobium construere cœpit, Deóque donante in breui plerósque sanctitatis æmulatores habuit. Cúmque Molismenses Cœnobitæ per aliquod tempus Pastore carerent, viróque Dei virtutibus famoso discedente despicabiliores erga vicinos & notos fierent, Vrbanum Papam supplices adierunt, eíque prorsus enodata serie rerum, quas supra retuli, consilium & auxilium ab eo postulauerunt. Ille verò paterno affectu vtrisque consuluit. Abbati enim Apostolica iussit auctoritate, vt prius Monasterium repeteret, & ne laberetur regulariter regeret; ac in alio, quod postmodum cœperat, quemlibet de suis idoneum substitueret. Deinde firma statuit sanctione, vt in primis quisque quam vellet institutionem vitæ arriperet, ipsámque omni vita sua irrefragabiliter teneret.

D SIC nimirum solers Papa vtile super hoc Decretum promulgauit, dicens: Summoperè cauendum est, ne horridum schisma in domo Dei nutriatur, multorúmque ad detrimentum scaturiat, atque grassetur: & rursus ne bonum culpabiliter præfocetur, quod diuinitus ad salutem animarum inspiratur. *Salubriter ergò paterno more prouidemus, & Apostolica auctoritate iubemus, vt Molismenses, qui generales Monachorum ritus eligunt, inuiolabiliter illos custodiant, ne amodo relicta sede sua transire ad alios ritus audeant; Cistercienses verò, qui sese sancti Benedicti Regulam per omnia seruaturos iactitant, denuò relapsi ad ea, quæ spontaneo despectu nunc deserunt, numquam redeant.* Stabilitas quippe in congregatione, & in omni bono perseuerantia semper attollenda, & firmiter tenenda est: quoniam conditori, qui caudam hostiæ in sacrificio exigit, acceptabilis est, & hominibus, qui viso sanctitatis exemplo ad virtutum apicem prouocantur, commodè grata est.

COACTVS itaque Robertus Abbas Molismũ repedauit, ibique laudabiliter vsque

RODBER- ad finem vitæ suæ Deo militauit. Albericum verò magnæ religionis virum ad opus A
TVS II. Cistercij vicarium sibi elegit, & Ioanni ac Hilbodo Attrebatensibus, aliisque vi-
1094. ginti duobus fratribus Abbatem Cistercij constituit, qui in magna egestate per x. annos ibi deguit, & cum suis contubernalibus Deo laboriosè militauit, à quo securus inæstimabile præmium expectauit. Quo defuncto Stephanus natione Anglicus vir magnæ religionis & sapientiæ successit, & plus quàm viginti quatuor annis doctrina & operatione sancta gloriosè pollens tenuit. Cuius tempore Monasterium in heremo multipliciter creuit. Ipso adhuc viuente & iubente Guido Abbas Trium-fontium electus est, & non multo post venerabilis prædecessor eius defunctus est. Guido autem assumptum Patris officium aliquandiu vituperabiliter tenuit, & post duos annos insipienter reliquit. Deinde Rainaldus iuuenis, filius Milonis Comitis de Bar super Sequanam electus est, & Abbas à Gualterio Cabilonensi Præsule consecratus est.

IAM ferè XXXVII. anni sunt, ex quo Robertus Abbas, vt dictum est, Cistertium incoluit, & in tantillo tempore tanta virorum illuc copia confluxit, vt indè LXV. Abbatiæ consurgerent, quæ omnes cum Abbatibus suis Cisterciensi Archimandritæ subiacent. B Omnes femoralibus pelliciisque carent, ab adipe & carnium esu abstinent, multisque bonis in mundo, vt lucernæ lucentes in caliginoso loco renitent. Omni tempore silentio student, fucatis vestibus non vtuntur, manibus propriis laborant, victúmque sibi & vestitum vendicant. Omnibus diebus, præter Dominicum, ab Idibus Septembris vsque ad Pascha ieiunant. Aditus suos satis obserant, & secreta sua summopere celant. Nullum alterius Ecclesiæ Monachum in suis penetralibus admittunt, nec in Oratorium ad Missam vel alia seruitia secum ingredi permittunt. Multi nobiles athletæ & profundi sophistæ ad illos pro nouitate singularitatis concurrerunt, & inusitatam districtionem vltro complexantes, in via recta læti Christo hymnos lætitiæ modulati fuerunt. In desertis atque siluestribus locis Monasteria proprio labore condiderunt, & sacra illis nomina solerti prouisione imposuerunt, vt est Domus Dei, Clarauallis, Bonus-Mons, & Eleemosyna, & alia plura huiusmodi, quibus auditores solo nominis nectare inuitantur festinanter experiri, quanta sit ibi beatitudo, quæ tam speciali denotetur vocabulo. C

MVLTI ex eorum fonte sitientes hauserunt, & indè plures riuuli per diuersas Galliarum regiones deriuati sunt. Nouæ institutionis æmulatores dispersi sunt in Aquitania, in Britannia, Gasconia, & Hibernia. Mixti bonis hypocritæ procedunt, candidis seu variis indumentis amicti homines illudunt, & populis ingens spectaculum efficiunt. Veris Dei cultoribus schemate, non virtute, assimilari plerique gestiunt, suique multitudine intuentibus fastidium ingerunt, & probatos Cœnobitas, quantum ad fallaces hominum obtutus attinet, despicabiliores faciunt.

EODEM tempore venerabilis Andreas de Valle Bruciorum Monachus, effloruit, & in Bituricensi pago Monasterium, quod Casale Benedicti nuncupatur, construxit, & discipulos in magna paupertate & continentia Deo famulari docuit. Hic erat genere Italus, literarum eruditione pleniter instructus, & lucrandis Deo animabus per eius gratiam idoneus

TVNC Hildebertus Dolensis Abbas ad Archiepiscopatum Bituricensem promotus est, multisque pollens virtutibus sanctitatis documentum sequentibus Christum verbo & actione largitus est. D Guarnerius de Monte-Maurelionis præfati Præsulis frater, miles illustris fuit, & postmodum Casæ Dei Monachus ferè XL. annis Deo militauit. Hic dum adhuc in armis mundo seruiret, quondam dum de S. Iacobi peregrinatione rediret, in introitu cuiusdam syluæ solus cum armigero suo languenti mendico repente occurrit, & poscenti stipem nummos quos daret ad manũ non habuit: sed preciosas chirotecas ab amica sibi directas deuotè porrexit. Deinde post longum tempus cuidam Religioso Dei seruo post Matutinos in Oratorio supplicanti Angelica visio apparuit, & ei quædam agẽda specialiter iniunxit. Cúmque Monachus diligenter inquireret, cuius auctoritate talia sibi præ-
» ciperet: Ille, inquit, me misit ad te, & hæc tibi mandauit, quem Martinus
» parte chlamidis suæ vestiuit, & cui Guarnerius chirothecas suas donauit. Frater hæc Abbati retulit, & Senioribus historia de Martini diuisa chlamide satis claruit, cuius parte Ambianis adhuc catechumenus Christum in paupere texit. Sed

A res de Guarnerij chirotecis omninò diu latuit. Tandem ipse quibusdam percunctantibus simpliciter detexit, qualiter inopi pro amore Christi subuenerit, & ab illis nihilominus reuelationem audiuit: Deóque, qui bona facientibus semper præsto est, gratias egit. RODBERTUS II. 1094.

CIRCA hæc tempora Bernardus Quinciaci Abbas Pictauiense solum reliquit; quia præfatum Monasterium, quod hactenus liberum extiterat, Cluniaco subiugare noluit. Et quia, sicut scriptum est, *Iustus vt leo confidit*, in Romana Synodo contra Paschalem Papam pro libertate litigauit; ipsúmque, quia plenarium sibi rectum non fecerat, ad diuinum examen prouocauit. Cuius formidandam animositatem Papa reueritus est, ipsúmque, vt secum ad Romanæ tutelam Ecclesiæ commoraretur, precatus est. Ille verò mundanas omnino curas deseruit, & plura cum quibusdam Religiosis fratribus ipsum auidè sequentibus loca perlustrauit. Denique post plures circuitus ad venerabilem Episcopum Iuonem diuertit, & ab eo benigniter susceptus in prædio Carnotensis Ecclesiæ cum fratribus quibusdam constitit, & in B loco siluestri, qui Tiron dicitur, Cœnobiũ in honore S. Saluatoris construxit. Illuc multitudo fidelium vtriúsque Ordinis abundè confluxit, & prædictus Pater omnes ad conuersionem properantes charitatiuo amplexu suscepit, & singulis artes quas nouerant legitimas in Monasterio exercere præcepit. Vnde libenter conuenerunt ad eum fabri tam lignarij, quàm ferrarij, sculptores & aurifabri, pictores & cæmentarij, vinitores & agricolæ, multorúmque officiorum artifices peritissimi. Sollicitè quod eis iussio senioris iniungebat, operabantur, & communem conferebant ad vtilitatem quæ lucrabantur. Sic ergo vbi paulò antè in horribili saltu latrunculi solebant latitare, & incautos viatores repentino incursu trucidare, adiuuante Deo in breui consurrexit Monasterium nobile. Theobaldus Comes Palatinus, & Adala mater eius, & Rotro Comes Moritoniæ, ac Beatrix mater eius, illustres quoque ac mediocres Carnotenses, Drocenses, Corbonienses, aliique fideles vicini, vt innocentium simplicitatem Monachorum veraciter experti sunt, benigniter illos C in timore Domini coluerunt: sumptibus & consiliis ad corroborandum quod cœperant Dei castrum summopere adminiculati sunt.

VENERANDVS Vitalis, qui quondam fuerat Roberti Comitis Moritolij Capellanus, & apud Moritolium sancti Ebrulfi Canonicus, secularium curarum ac diuitiarũ depositis oneribus, leue iugum Christi per Apostolorum vestigia ferre decreuit, & in desertis locis aliquamdiu cum religiosis quibusdam habitauit. Ibi mollioris vitæ pristinas consuetudines edomuit, & rigidioris obseruantiæ cultus edidicit. Denique Sauineium vicum, vbi antiquorum ingentes ædificiorum ruinæ apparent, considerauit, sedémque sibi suísque ad habitandum elegit, & in contiguo saltu Monasterium in honore sanctæ & indiuiduæ Trinitatis condere cœpit. Ritus Cluniacensium, vel aliorum, qui Monachilibus obseruantiis iamdudum mancipati fuerant, imitatus non est; sed modernas institutiones neophytorum, prout sibi placuit, amplexatus est. Hic eruditione litterarum erat apprimè imbutus, fortitudine ác facundia præditus, & ad proferendum quicquid volebat animosus: non parcens in populari sermone infimis nec potentibus, quasi tuba exaltabat vocem suam iuxta Isaiæ Vaticinium, annuncians populo Christiano scelera eorum, & D Domui Iacob peccata eorum. Reges igitur Ducésque reuerebantur illum. Plures turbæ manicabant vt audirent verba eius: quæ postmodum auditis ab illo latenter olim actis facinoribus, lugubres & confusæ redibant à facie ipsius. Omnis ordo intrinsecus pungebatur eius veridicis allegationibus. Omnis plebs contremiscebat coram illo ad correptiones eius, & vtérque sexus rubore infectus verecundabatur ad improperia illius. Nuda quippe vitia manifestè premebat, & occultorum conscios probrosis redargutionibus stimulabat. Sic nimirum superbos athletas & indomitos vulgi cœtus plerúmque comprimebat, atque locupletes heras sericis vestibus, & Canusinis pellibus delicatè indutas trepidare cogebat, dum verbi Dei gladio in scelera sæuiret, & spurcitiis pollutas conscientias valde feriret; grandisonóque diuinæ animaduersionis tonitruo terreret. Solers itaque seminiuerbius multis profuit, multos secum aggregauit, in Cœnobio, quod construxerat, per annos VII. Deo militauit, & vsque ad bonum finem bonæ vitæ permansit. In Oratorio post aliquantam ægritudinem, in qua fideliter confessus fuerat, & sacræ commu-

RODBERTVS II. 1094. nionis viaticum deuotè perceperat, ad Matutinos de sancta Virgine Maria Lectori A poscenti benedictionem dedit, & à cunctis qui aderant dicto Amen, mox spiritum exhalauit. Quo defuncto Baiocensis Goisfredus, ac Cerasiacensis Monachus successit, qui & ipse immoderatis adinuentionibus studuit, durúmque iugum super ceruices discipulorum aggregauit.

NOTITIÆ posterorum hæc annotaui de modernis Præceptoribus, qui nouas traditiones priscorum præferunt Patrum ritibus, aliósque Monachos seculares vocitant, ac veluti Regulæ præuaricatores temerè condemnant. Studium & rigorem eorum considerans, illos magnopere non vitupero, attamen Maioribus & probatis Patribus non antepono. Arbitror, ignorant, quòd beatus Pater Columbanus de Hibernia ortus, sancto Benedicto contemporaneus fuerit, paternam domum patriámque relinquens, cum præcipuis Monachis in Gallias nauigauerit, & à Childeberto Rege Francorum filio Sigisberti susceptus in Burgundia Luxouij Cœnobium construxerit, ac postmodum ab impiissima Brunichilde Regina expulsus, in Italiam secesserit, & ab Aigilulpho Langobardorum Rege receptus Bobiense Monasterium condiderit. Hic admirandæ sanctitatis pater inter præcipuos B laborauit, signis & prodigiis gloriosè inter terrigenas effulsit, & Spiritu sancto edoctus Monachilem Regulam edidit, primúsque Gallis tradidit. Florentissimi de schola eius Monachi prodierunt, & in mundo velut astra in firmamento virtutibus micuerunt. Eustasius enim Luxouiensis, Agitus Resbacensis, Faro Meldensis, Audomarus Bononiensis, Philipertus Gemmeticensis, aliique plures Episcopi & Abbates excellentissimæ processere religionis, quorum sanctitas euidentibus miraculis cælitus ostensa est; ipsorúmque studio in filiis Ecclesia insigniter propagata est. Ipsi, reor, B. Maurum eiúsque socios & discipulos nouerunt, vtpote vicini, & ab ipsis sicut ab aliis scripta Doctorum ædificationis causa sancti normam suscepêre Benedicti. Ita tamen vt non abhorrerent sui statuta Magistri, almi videlicet Columbani. Ab ipso siquidem modum diuinæ seruitutis, & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis Ordinibus, qui in Ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium, aliásque obseruationes sumpserunt, quas pro religione & honestate ipsius C tenuerunt, & sequaces eorum vsque in hodiernum diem reuerenter obseruare appetunt.

QVALIS prædictus Doctor ante Dominum & homines, quantúsque fuerit, Liber vitæ eius signis plenus & virtutibus ostendit. In gestis etiam sæpè memoratur Audoëni Rothomagensis Archiepiscopi, & Nouiomensis Eligij, aliorúmque virorum qui ab illo adunati sunt, ac ad pacem virtutum per eius documenta prouecti sunt.

MATERIAM scribendi nuper ab Vticensi Ecclesia cœpi, sed ampla terrarum regna velut in ecstasim raptus prospexi, longè latéque oratione volitaui, & perplura perlustrans longissimam epanalepsim protelaui. Nunc autem stratum meum, quod est Vtici fessus repetam, & quiddam de rebus ad nos pertinentibus in calce Libri liquidò retexam.

ANNO ab Incarnatione MXCVIII. Indictione I. Hugo de Grentemaisnil inclytus Heros in Anglia in lectum decidit, senióque & infirmitate fractus vltimis ap- D propinquauit. Tunc à Goifredo Aurelianensi Vticensium Priore, quem Rogerius Abbas pro tutela eiusdem in Anglia iampridem dimiserat, Monachatum suscepit, sextóque postmodum die, VIII. scilicet Kal. Martij obiit. Inde Bernardus & Dauid Vticenses Cœnobitæ cadauer illius salitum, & corio boum optimè consutum in Normanniam conduxerunt; quod sæpenominatus Abbas & Conuentus Monachorum in Capitulo secus Mainerium Abbatem in Australi plaga honorificè tumulauit. Porrò Ernaldus de Rodolento nepos eius lapidea sarcophagum lamina cooperuit, & Vitalis hoc heroïcis Versibus Epitaphium edidit.

Ecce sub hoc titulo requiescit strenuus Hugo,
Qui viguit multos multa probitate per annos,
Mansio Grentonis munitio dicitur eius,
Vnde fuit cognomen ei multis benè notum.
Guillelmi fortis Anglorum tempore Regis
Inter præcipuos Magnates is cluit heros.

A *Militia fortis fuit & virtute fidelis,*
Hostibus horribilis, & amicis tutor herilis:
Sumptibus, officiis augens, & pinguibus armis
Cœnobium sancti multum prouexit Ebrulfi.
Dum cathedram sancti celebrabat plebs pia Petri
Occidit emeritus, habitu Monachi trabeatus,
Ecclesiæ cultor, largus dator, & reuelator
Blandus egenorum, lætetur in arce polorum. Amen.

Ante septem annos Adeliza præfati Optimatis vxor Rotomagi v. Idus Iulij obierat, & in Capitulo Vticensi ad dexteram Mainerij Abbatis tumulata fuerat. Hæc Iuonis de Bellomonte Comitis de Iudæa genetrice filia fuit. Viróque suo sex filios & totidem filias peperit, quibus varia sors in mundanæ stabilitatis vaga fluctuatione incubuit.

B Robertus, qui maior natu erat, trigamus consenuit. Sub cuius manu patrimonium quod satis amplum receperat à patre decidit. Ipse tandem post xxxviii. annos à morte patris, Kal. Iunij mortuus est, & in Vticensi Capitulo cum duabus vxoribus suis Agnete & Emma sepultus est. Guillelmus frater eius in Curia Guillelmi Regis magnæ æstimationis fuit, ipsúmque Rex adeò dilexit, vt ei neptem suam, Roberti scilicet Moritolij Comitis filiam offerret, quatinus sic iuuenem in magno honore consanguinitatis suæ coniunctum retineret. Denique superbus tyro consilium Regis respuit, & leuitate ductus cum Roberto Gifardo aliisque pluribus Apuliam expetiit, ibique Mabiliam Roberti Vviscardi filiam, quæ Curtalupa cognominabatur, cum xv. castellis coniugem accepit, ibique post reditum de Antiochia obiit, filiósque duos Guillelmum & Robertum honoris sui hæredes dimisit. Hugo strenuus & honestus miles in iuuentute defunctus est, & in Capitulo sancti Patris Ebrulfi honorificè sepultus est. Iuo paternum honorem in Anglia primò aliquandiu tenuit, sed postmodum tempore Henrici Regis Roberto Consuli de Mellento inuadiauit, iter in Hierusalem bis iniit, & prima profectione apud C Antiochiam dura cum sociis tolerauit: in secunda verò vitâ decessit. Albericus, qui ætate iunior erat, in pueritia litteris studit, sed in adolescentia relicto Clericatu ad militiam se contulit, in qua strenuè plura patrare sategit. Tancredum Odonis Boni Marchisi filium multarum titulis probitatum insignem vulnerauit. Vnde præfatus optio postmodum omni vita sua claudicauit. Omnes isti Hugonis filij corpore formosi, & proceri, strenuíque fuerunt. Sed infortunio infestante, nec longæuitate præter Robertum, nec placida felicitate diutiùs potiti sunt.

ORDERICI
VITALIS ANGLIGENAE,
COENOBII VTICENSIS
D MONACHI,
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ
LIBER NONVS.

VICISSITVDINES temporum & rerum æternus Conditor sapienter salubritérque ordinat, nec ad libitus infrunitorum res humanas disponit ac variat: sed in manu potenti, & brachio excelso piè seruat, congruè prouehit ac dispẽsat. Hoc in hieme & æstate palam videmus, hoc nihilominus in frigore & caumate sentimus: hoc in omnium rerum ortu & occasu perpendimus, & in multiplici varietate operum Dei ritè rimari possumus. Inde multiplices propagantur Historiæ de multimodis euen-

RODBERTVS II. tibus, qui fiunt in mundo quotidie, & dicacibus Historiographis augmentantur A copiosè fandi materie. Hæc ideò medullitùs considero, meditatúsque meos literis assigno: quia temporibus nostris insperata fit permutatio, & insigne thema referendi mira præstruitur dictatorum studio. En Hierosolymitanum iter diuinitus initur, à multis Occidentalium populis vnus grex miro modo congeritur, & contra Ethnicos in Eoas partes vnus exercitus conducitur. Sancta Syon à filiis suis, qui de longinquis regionibus vltrò exierunt, eripitur Allophylis deuictis, à quibus olim sancta ciuitas conculcabatur, & Sanctuarium Dei nefariè contaminabatur. Detestabiles enim Agareni, diuino iudicio permittente, Christianorum limites iamdudum transierunt, sancta loca inuaserunt, Christicolas habitatores interemerunt, spurcitiísque suis abominabiliter sacra polluerunt: sed post multa tempora meritam vltionem mucronibus Cisalpinorum dignè luerunt. Nulla, vt reor, vmquam Sophistis in bellicis rebus gloriosior materia prodiit, quàm nostris nunc Dominus Poëtis atque Librariis tradidit: dum per paucos Christicolas de paganis in Oriente triumphauit, quos de propriis domibus dulci desiderio peregrinandi exciuit. Antiqua nempè miracula Deus Abraham nuper iterauit, dum solo ardore visendi sepulchrum Messiæ Occiduos fideles illexit, & sine Rege seculari que exactione per VRBANVM Papam commonuit, de finibus terræ & Insulis maris velut Hebræos de Ægypto per Moysen extraxit, & per exteras gentes vsque in Palæstinam perduxit, ibíque Reges & Principes cum multis nationibus aggregatos superauit, munitissimísque vrbibus oppidísque subactis gloriosè perdomuit. B

FVLCHERIVS Carnotensis GODEFREDI Lotharingiæ Ducis Capellanus, qui laboribus & periculis prædicabilis expeditionis interfuit, certum & verax volumen de laudabili militia exercitus Christi edidit. BALDRICVS quoque Dolensis Archiepiscopus IV. Libros luculenter conscripsit, in quibus integram narrationem ab initio peregrinationis vsque ad primum bellum post captam Hierusalem veraciter & eloquenter deprompsit. Multi etiam alij Latinorum & Græcorum de tam memoranda re tractauerunt, & posteritati claros euentus heroum viuacibus scriptis intimauerunt. Ego quoque minimus omnium, qui Religionis in habitu sequuntur Dominum, quia strenuos Christi agonothetas diligo, & eorum probos actus attollere gestio, in hoc quod cœpi de Ecclesiasticis actibus Opusculo, Christianorum expeditionem in Domino IESV ordiri appeto. Integrum opus peregrinationis almæ aggredi timeo, arduam rem polliceri non audeo: sed qualiter intactum tam nobile thema prætereàm, nescio. Præpedior senio, vtpotè sexagenarius, & in claustro regulari educatus, à pueritia Monachus. Magnum verò scribendi laborem amodo perpeti nequeo. Notarios autem, qui mea nunc excerpant dicta non habeo. Ideóque præsens Opusculum finire festino. Nonum itaque Libellum nunc incipiam, in quo de Hierosolymitanis quædam seriatim & veraciter persequi satagam, Deo mihi conferente opem necessariam. In desertis Idumææ ad te clamo Iesu bone, Rex potenter Nazarene mihi, quæso, suffragare. Præsta vires, quibus dignè tuum promam ius insigne: per quod tuos exaltasti, ac rebelles conculcasti. Tu tuorũ dux & rector, & in arctis es protector. Tu tuorum es adiutor, & victorum retributor. Summe Deus, te adoro, opem tuam nunc imploro. Regi Regum laus æterna sit per secula sempiterna, Amen. C D

1094. ANNO ab incarnatione Domini MXCIV. Indictione II. seditiones & tumultus bellorum penè per vniuersum Orbem perstrepebant: immites terrigenæ ingentia sibi cædibus & rapinis damna mutuò inferebant. Nequitia multiplex nimis abundabat, & innumeras calamitates clientibus suis suppeditabat. Tunc magna siccitas gramina terræ perussit, segetes & legumina læsit, quibus pereuntibus maxima fames successit.

HENRICVS Imperator Romanam Ecclesiam impugnabat, multísque meritò in eundem iusurgentibus, Dei nutu succumbebat. Vrbanus Papa Placentiæ Concilium tenuit, & de pace aliísque vtilitatibus sanctæ Ecclesiæ diligenter tractauit.

1095. ANNO ab incarnatione Domini MXCV. Indictione III. pridie Non. Aprilis, feria IV. Luna XXV. in Gallis ab innumeribus inspectoribus visus est tantus stellarum discursus, vt grando, nisi luceret, pro densitate putarentur. Multi etiam stellas cecidisse opinati sunt; vt Scriptura impleretur, quæ dicit, quia quandóque stellæ cadent de cœlo.

Rodbertus II. 1095.

A Gislebertus Luxouiensis Episcopus senex medicus, multarum artium peritissimus, singulis noctibus sidera diu contemplari solebat, & cursus eorum, vtpote sagax horoscopus, callidè denotabat. Is itaque prodigium astrorum Physicus sollicite prospexit: vigilémque, qui Curiam suam aliis dormientibus custodiebat, aduocauit. Vidésne, inquit Galtheri, hoc spectabile signum? At ille. Domine, video; sed quid portendat nescio. Senex ait: Transmigratio populorum de regno in regnum, vt opinor, præfiguratur. Multi autem abibunt, qui nunquam redibunt, donec ad proprias obsides astra redeant, vnde nunc, vt nobis videtur, liquidò labant. Alij verò permanebunt in loco sublimi & sancto, velut stellæ fulgentes in firmamento. Gualterius itaque Cormeliensis post multum tempus mihi retulit hoc, quod ab ore prudentis Archiatri de discursu stellarum audiuit, in eodem modo quo res monstruosa contigit.

Philippus Rex Francorum Bertradam Andegauensium Comitissam rapuit, suáque nobili coniuge relicta, mœcham turpiter desponsauit. A Pontifici- B bus Galliæ castigatus, quòd ille vxorem, & ipsa maritum vltrò deseruerit, à fœdo reatu resipere noluit: sed senio & ægritudine tabidus, in adulterij stercore flebiliter computruit.

Vrbanus Papa II. regnante Philippo in Gallias venit, & altare S. Petri apud Cluniacum Cœnobium, & multas Sanctorum Basilicas dedicauit; & priuilegiis Apostolicæ auctoritatis ad laudem Christi sublimauit. Tunc in Normannia & Francia mortalitas hominum sæuiebat, domósque plurimas habitatoribus euacuabat, & maxima fames miseros macerabat.

Eodem anno indictione IIII. mense Nouembri præfatus Papa omnes Episcopos Galliæ & Hispaniæ congregauit, & apud Clarummontem Aluerniæ vrbem, quæ antiquitus Aruernis dicta est, Concilium ingens tenuit. Multa verò, quæ cis Alpes agebantur correxit, & multa ad emendationem morum vtilia constituit. In Synodo Aruernensi XIII. fuerunt Archiepiscopi, & CCXXV. Episcopi, cum multitudine Abbatum aliarúmque personarum, quibus à Deo sanctarum curæ delegatæ sunt Ecclesiarum.

C Decreta verò Concilij apud Clarummontem habiti sunt huiuscemodi: Ecclesia sit Catholica, casta, & libera. Catholica in fide & communione Sanctorum, casta ab omni contagione malitiæ, & libera ab omni seculari potestate. Episcopi, vel Abbates, aut aliquis de Clero, aliquam Ecclesiasticam dignitatem de manu Principum, vel quorumlibet laicorum non accipiant. Clerici in duabus ciuitatibus vel Ecclesiis Prælationes seu Præbendas non habeant. Nemo Episcopus & Abbas simul sit. Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Canonicus cuiuslibet Ordinis carnali commercio non vtatur. Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, post lapsum non ministret. Ecclesiasticæ dignitates, vel Canonicæ, à nullo vendantur, vel emantur. Illis tantùm, qui ignorantes Canonum auctoritatem, vel fuisse prohibitum, Canonicas emerunt, indultum sit. Illis verò, qui scienter à se, vel à parentibus emptas possident, auferantur. Nemo laicorum post acceptos cineres in capite ieiunij vsque ad Pascha carnem comedat. Omni tempore primum ieiunium quatuor Temporum prima hebdomada Quadragesimæ celebretur. Ordines omni tempore aut in vespera Sabbati, aut D perseuerante ieiunio Dominica celebrentur. In sabbato Paschæ officium nonnisi post solis occasum finiatur. Ieiunium secundum semper in hebdomade Pentecoste celebretur. Ab Aduentu Domini vsque ad octauas Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad octauas Paschæ, & à prima die Rogationum vsque ad octauas Pentecostem, & omni tempore à quarta feria occidente sole vsque ad secundam feriam oriente sole, treuia Dei custodiatur. Qui Episcopum ceperit, omnino exlex habeatur. Qui Monachos, vel Clericos, vel Sanctimoniales, & eorum comites ceperit, vel expoliauerit, anathema sit. Qui Episcoporum morientium bona, vel Clericorum, disruperit, anathema sit. Qui vsque ad septimam generationem consanguinitati se copulauerit, anathema sit. Nemo in Episcopũ eligatur, nisi aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur, nisi maxima necessitate & licentia summi Pontificis. Filij Presbyterorum, vel concubinarum ad Presbyteratum non prouehantur, nisi priùs ad Religiosam vitam transierint.

RODBERTVS II. 1095. Qui ad Ecclesiam, vel ad crucem confugerit, si reus est, data impunitate vitæ vel A membrorum, iustitiæ reddatur: si innocens, liberetur. Corpus Dominicum, & sanguis Dominicus singulatim accipiatur. Vnaquæque Ecclesia decimas suas ha-» beat, & non in alterius Ecclesiæ ius quolibet dante transeat. Laicus decimas nec » vendat, nec retineat. Pro sepultura mortuorum pactum precium non exigatur, » aut detur. Nullus Principum laicorum Capellanum habeat, nisi ab Episcopo da-» tum. Quòd si in aliquo offenderit, ab Episcopo corrigatur, & alter subrogetur.

HÆC Vrbanus Papa in Aruernensi Synodo Decreta generaliter sanxit, omniúmque Ordinum homines ad tenendam Dei legem summoperè incitauit. Deinde lacrymabiliter querimoniam de desolatione Christianitatis in Oriente vbertim deprompsit, calamitates & oppressiones truculentas à Sarracenis factas Christianis intimauit. Pro conculcatione quoque Hierusalem, sanctorúmque locorum, vbi Filius Dei cum suis sanctissimis Collegis corporaliter habitauit, lacrymosus relator manifestè in sancta concione plorauit. Vnde multos auditorum ex affectu nimio, piáque fratrum compassione secum ferre coëgit. B Prolixum vtillimúmque sermonē consistentibus eloquens seminiuerbius fecit, Occiduæque partis Proceres & subiectos atque commilitones eorum commonuit, vt pacem inter se firmiter tenerent, & signum salutiferæ crucis in dextro humero sumerent, militiæque suæ probitates super paganos famosi optiones satis exercerent. Turci enim, & Persæ, Arabes, & Agareni, Antiochiam & Nicæam, ipsámque Hierusalem sepulchro Christi nobilem, & alias plures Christianorum vrbes inuaserant. Iámque immensas vires in regno Græcorum extenderant: Palæstinam & Syriam securè possidentes, quas sibi iam subiugauerant, Basilicas destruebant, & Christianos vt bidentes perimebant. In Ecclesiis, in quibus diuina olim à fidelibus sacrificia celebrata sunt, Ethnici animalibus suis stabula egerunt, suas etiam superstitiones & idolatriam collocauerunt, & Christianam Religionem ab aula Deo dicata turpiter eliminauerunt. Prædia Sanctorum stipendiis dedita, & nobilium patrimonia sustentandis pauperibus contradita, paganæ tyrannidi subiciuntur: eísque in propriis vsibus redactis domini crudeles abutuntur. Multos iam in longinquam barbariem captiuos abduxerunt, & loris innexos iugis ruralibus exercitiis submittunt: ipsisque veluti bobus aratra laboriosè pertrahentibus arua proscindunt, aliísque belluinis operibus C inhumanè subdunt, quæ feris, non hominibus competunt. Inter hæc assiduè desudantes flagris verberant, aculeis stimulant, & innumeris infestationibus fratres nostros abominabiliter mancipant. In sola verò Africa XCVI. Episcopatus destructi sunt, sicut nobis indè venientes referunt.

IGITVR mox vt VRBANVS Papa huiusmodi planctum auribus Christianorum eloquenter retulit, adiuuante gratiâ Dei nimius amor peregrinandi innumeros inuasit; & prædia sua vendere, & quæque habebant pro Christo relinquere persuasit. Diuitibus itaque & pauperibus, viris & mulieribus, Monachis & Clericis, vrbanis & rusticis, in Hierusalem eundi, aut euntes adiuuandi inerat voluntas mirabilis. Mariti dilectas coniuges domi relinquere disponebant. Illæ verò gementes, relicta prole cum omnibus diuitiis suis, in peregrinatione viros suos sequi valde cupiebant. Prædia verò hactenus chara vili precio nunc vendebantur, & arma emebantur, quibus vltio diuina super allophylos exerceretur. Fures & piratæ, aliíque scelerosi tactu spiritus Dei de profundo iniquitatis D exurgebant, reatus suos confitentes relinquebant, & pro culpis suis Deo satisfacientes peregrè pergebāt. Prouidus verò Papa omnes, qui congruè arma ferre poterant, ad bellum contra inimicos Dei exciuit, & pœnitentes cunctos ex illa hora, qua crucem Domini sumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis suis absoluit, & ab omni grauedine, quæ fit in ieiuniis, aliísque macerationibus carnis, piè relaxauit. Considerauit enim perspicaciter vir prudens, & benignus archiater, quòd hi qui peregrè proficiscerentur, in via multis diutinísque discriminibus sæpissimè vexarentur, & multimodis casibus lætis seu tristibus quotidie angerentur, pro quibus beniuoli vernulæ Christi à cunctis culparum sordibus expiarentur. In Concilio Papa magnificè prædicante, & filios Hierusalem ad receptionem sanctæ matris suæ viriliter exhortante: vir magni nominis HAIMARVS Podiensis

A Podiensis Episcopus surrexit, coram cunctis ad Apostolicum vultu iocundo accessit, & genu flexo licentiam eundi, & benedictionem poposcit, & gaudentibus cunctis impetrauit. Insuper Papa mandatum, vt ei omnes obedirent, promulgauit; ipsúmque Vicarium Apostolici in expeditione Dei constituit. Erat enim summæ ingenuitatis, & magnæ strenuitatis, industriæque singularis. RODBERTVS II 1095.

LEGATI quoque RAIMVNDI-BERENGARII Comitis Tholosani protinus affuerunt, qui ipsum cum multis milibus de suo Ducatu iturum Papæ retulerunt; iámque crucem sibi coaptasse in Concilio testati sunt. Ecce, Deo gratias, Christianis ituris duo vltronei Duces alacriter processerunt. Ecce sacerdotium & regnum, Clericalis Ordo & laicalis, ad conducendum phalanges Dei concordant. Episcopus & Comes Moysem & Aaron nobis reimaginantur, quibus diuina pariter adminicula comitantur. Decima die mensis Februarij eclypsis Lunæ à media nocte vsque ad auroram facta est, & obscuritas in Luna à parte Boreali exorta est.

ODO Episcopus Baiocensis, Gislebertus Ebroicensis, & Serlo Sagiensis, legati quoque aliorum de Normannia Præsulum, cum excusatoriis apicibus Aruernensi Concilio interfuerunt: & indè cum benedictione Apostolica regressi, Synodales Epistolas co-Episcopis suis detulerunt. Guillelmus igitur Archiepiscopus Concilium Rotomagi aggregauit, & cum suffraganeis Episcopis de vtilitatibus Ecclesiasticis tractauit. Tunc omnes mense Februario Rotomum conuenerunt, Capitula Synodi, quæ apud Clarummontem facta est, vnanimiter contemplati sunt: Scita quoque Apostolica confirmauerunt, & huiusmodi scriptum posteris dimiserunt. Statuit Synodus sancta, vt treuia Dei firmiter custodiatur, à Dominica die ante caput ieiunij, vsque ad secundam feriam oriente sole post octabas Pentecostes, & à quarta feria ante Aduentum Domini occidente sole vsque ad octabas Epiphaniæ: & per omnes hebdomadas anni à quarta feria occidente sole vsque ad secundam feriam oriente sole, & in omnibus festis sanctæ Mariæ, & vigiliis eorum, & in omnibus festis Apostolorum, & vigiliis eorum: vt nullus homo alium assaliat, C aut vulneret, aut occidat, nullus namnum vel prædam capiat. Statuit etiam vt omnes Ecclesiæ, & atria earum, & Monachi & Clerici, & Sanctimoniales & feminæ, & peregrini, & mercatores, & famuli eorum & boues, & equi arantes, & homines carrucas ducentes, & herceatores, & equi de quibus herceant, & homines ad carrucas fugientes, & omnes terræ Sanctorum, & pecuniæ Clericorum, perpetua sint in pace: vt in nulla die aliquis audeat eos assalire, vel capere, vel prædari, vel aliquo modo impedire. Statuit etiam, vt omnes homines à XII. annis & suprà, iurent hanc constitutionem treuiæ Dei, sicut hîc determinata est, ex integro se seruaturos tali iuramento. Hoc audiatis, vos, n. quòd ego amodo inantea hanc constitutionem treuiæ Dei, sicut hîc determinata est, fideliter custodiam, & contra omnes, qui hanc iurare contempserint, vel hanc constitutionem seruare noluerint, Episcopo vel Archidiacono meo auxilium feram: itaut si me monuerint ad eundum super eos, nec diffugiam, nec dissimulabo, sed cum armis meis cum ipso proficiscar, & omnibus quibus potero iuuabo aduersus illos per fidem sine malo ingenio, secundum meam conscientiam. Sic Deus me adiuuet, & isti D Sancti. Statuit præterea sancta Synodus, vt omnes feriantur anathemate, qui hoc iuramentum facere noluerint, vel hanc constitutionem violauerint, & omnes, qui eis communicauerint, vel sua vendiderint: siue fabri, siue alij Officiales, siue Presbyteri, qui eos ad communionem susceperint, vel diuinum eis officium fecerint. Hoc etiam anathemate feriuntur falsarij, & raptores, & emptores prædarum, & qui in castris congregantur propter exercendas rapinas, & domini qui amodo eos retinuerint in castris suis. Et auctoritate Apostolica & nostra prohibemus, vt nulla Christianitas fiat in terris dominorum illorum. Statuit etiam sancta Synodus, vt omnes Ecclesiæ ita sint saisiatæ de rebus suis, sicut fuerunt tempore GVILLELMI Regis, & cum eisdem consuetudinibus: & quòd nullus laicus participationem habeat in tertia parte decimæ, vel in sepultura, vel in oblatione altaris, nec seruitium, nec aliquam exactionem indè exigat, præter eam quæ tempore Guillelmi Regis constituta fuit. Statuit etiam, vt nullus laicus det vel adimat Presbyterum Ecclesiæ sine consensu Præsulis;

Rodbertus II. 1095. Præsulis; nec vendat, nec pecuniam inde accipiat. Ac vt nullus homo comam A nutriat, sed sit tonsus, sicut decet Christianum. Alioquin à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ sequestrabitur, nec sacerdos aliquis diuinum ei officium faciet; vel » eius sepulturæ intererit. Nullus laicus habeat consuetudines Episcopales, vel » iustitiam quæ pertinet ad curam animarum. Nullus Presbyter efficiatur homo lai» ci, quia indignum est vt manus Deo consecratæ, & per sacram vnctionem sancti» ficatæ, mittantur inter manus non consecratas: quia est aut homicida, aut adul» ter, aut cuiuslibet criminalis peccati obnoxius. Sed si feudum à laico sacerdos te» nuerit, quod ad Ecclesiam non pertineat, talem faciat ei fidelitatem quòd secu» rus sit.

Hæc itaque Gislebertus Ebroicensis Episcopus, qui pro sua proceritate cognominabatur Grus, & Fulbertus Rothomagensis Archidiaconus, Scita Patrum palam promulgauerunt; & Guillelmus Archiepiscopus, aliique Præsules auctoritate sua corroborauerunt, Odo quippe Baiocensis, & Gislebertus Luxouiensis, Turgisus Abrincatensis, & Serlo Sagiensis, atque Radulfus Constanciensis præfatam B Synodum sanxerunt. Abbates quoque totius Prouinciæ, cum Clero, & parte Procerum pacem optantium affuerunt. Præsules nimirum ex bona voluntate commodissima statuerunt. Sed principali iustitiâ deficiente ad emolumentum Ecclesiasticæ tranquillitatis parum profecerunt. Nam quæque tunc, vt prætaxatum est, definierunt, penè irrita fuerunt. Erat enim eo tempore mira seditio inter Optimates Normanniæ, & discolis per totam regionem grandis conatus & violentum fas furari seu rapere. Incendia & rapinæ totam patriam deuastauerunt. Indigenarum quamplurimos in exilium extruserunt, & parrochiis destructis Ecclesias Presbyteri fugiẽdo desolatas deseruerunt. Indomita gens Normannorum est, & nisi rigido Rectore coerceatur, ad facinus promptissima est. In omnibus Collegiis, vbicúmque fuerint, dominari appetunt, & veritatis fideíque tenorẽ præuaricantes, ambitionis ęstu multoties effecti sunt. Hoc Franci, & Britones, atque Flandrenses, aliique collimitanei crebrò senserunt, Hoc Itali, & Guinili, Saxonésque Angli vsque ad internecionem experti sunt.

De feroci gente Scytharum origo Troianorum, vti refertur, processit: quibus in excidium redactis, Frigius Antenor Illyricos fines penetrauit, & cum vicinis exulãtibus diu longéque locũ habitationis quæsiuit. Deniq; supra littus Oceani maris, in C Boreali plaga consedit; & sibi sociisque & heredibus suis maritimam regionẽ incoluit, & à Dano filio eius gens illa è Troianis orta Danorum nomen accepit. Hæc gens crudelis semper & bellicosa fuit, & fortissimos Reges habuit; sed fidem Christi vix serò recipere voluit. Rollo Dux acerrimus cum Normannis indè genus duxit, qui primus Neustriam sibi subiugauit, quæ nunc à Normannis Normanniæ nomen obtinuit. North enim Anglicè Aquilo, man verò dicitur homo. Normannus igitur Aquilonalis homo interpretatur, cuius audax austeritas delicatis affinibus, vt gelidus Aquilo teneris floribus, nimis infesta comprobatur. Nam in eadem adhuc gente naturalis feritas coalescit, & geminus ardor præliandi sæuit, qui ruricolas & pacatos officiales suis in ædibus quietè cõmorari non permittit. A Rollone validi Duces præfuêre Normannis pugnacibus; Guillelmus scilicet Longaspata, & Ricardus vetulus, Ricardus II. Gunnoridis filius, & duo filij eius Ricardus iuuenis, & Rodbertus Hierosolymitanus, atque Guillelmus Nothus. Iste vero, qui tẽpore vltimus extitit, omnes antecessores suos fortitudine & sublimitate transcẽdit, D moriénsque Rodberto Ducatum Normanniæ, & Guillelmo regnũ Anglię dimisit. Rodbertus autem mollis Dux à vigore priorũ decidit, & pigricia molliciéq; torpuit; plus prouinciales subditos timens, quàm ab illis timebatur. & indè dãnosa peruersitas in terra eius passim grassabatur. Henricus frater Ducis Dãfrontem fortissimum castrũ possidebat, & magnam partem Neustriæ sibi fauore vel armis subegerat, fratríque suo ad libitum suum nec aliter obsecundabat. Porrò alius frater, qui Anglię diadema gerebat, in Normannia, vt reor, plus quàm xx. castra tenebat, & Proceres oppidanósque potentes muneribus sibi vel terrororibus illexerat. Rodbertus enim Comes Aucẽsis, & Stephanus Albæ-Marlę, Girardus de Gornaco, & Radulfus de Cõchis, Rodbertus quoq; Comes de Mellẽto, & Galterius Giffardus, Philippus de Braiosa, & Ricardus de Curceio, aliique perplures, cum omnibus sibi subditis

A munitionibus & oppidanis Regi parebant: eique quia metuendus erat, totis nisibus adhærebant. Sic Normannia suis in se filiis furentibus miserabiliter turbata est, & plebs inermis sine patrono desolata est. Rodbertus II. 1095.

Denique talibus infortuniis Rodbertus Dux perspectis anxius, & adhuc peiora formidans, vt potè ab omnibus penè destitutus, consilio quorumdam Religiosorum, decreuit terram suam fratri suo Regi dimittere; & cruce Domini sumpta, pro peccatis suis Deo satisfacturus, in Hierusalem pergere. Quod Rex Anglorum vt comperit, valdè gauisus consilium laudauit, Normanniam vsque ad quinque annos seruaturus recepit, fratrique suo ad viam Domini peragendam decem milia marcos argenti erogauit.

Vrbanus Papa in sequenti Quadragesima Turonis aliud Concilium tenuit, & ea, vnde apud Clarummontem tractauerat, confirmauit. In medio Quadragesimæ Basilicam sancti Nicolai Andegauis dedicauit, & priuilegiis Apostolicis honorauit. Goifredum Martellum Andegauorum Comitem hortatu & potestate B de vinculis liberat, quem Fulco Richinus iunior frater eius proditione ceperat: dominum quoque suum honore priuatum apud Chinonem castrum ferè xxx. annis carceri mancipauerat.

Igitur anno ab incarnatione Domini mxcvi. Indictione iv. mense Martio, 1096. Petrus de Acheris Monachus, doctrinâ & largitate insignis, de Francia peregrè perrexit, & Galterium de Pexeio, cum nepotibus suis, Galterio cognomento Sine-habere, & Guillelmo, Simone, & Mathæo, aliisque præclaris Gallorum milibus & peditibus ferè xv. milibus secum adduxit. Deinde sabbato Paschæ Coloniam venit, ibique septimanâ Paschæ requieuit, sed à bono opere non cessauit. Alemannis enim sermonem fecit, & ex eis xv. milia ad opus Domini traxit. Duo quippe præclari Comites, Bertaldus, & Hildebertus, & vnus Episcopus, adiuncti sunt: & cum eo per Alemanniam & Hungariam peregrè profecti sunt. Porrò superbi Francigenæ, dum Petrus Coloniæ remaneret, & verbum Dei prædicando phalanges suas augere & corroborare vellet, illum expe- C ctare noluerunt: sed iter incœptum per Hungariam aggressi sunt. Columbanus autem Hunorum Rex tunc eis fauebat, necessariumque subsidium in terra sua præbebat. Deinde transito Danubio per Bulgariam vsque in Cappadociam venerunt: ibique præstolantes sequentibus Alemannis cum Petro sociati sunt.

Apostolicæ iussionis fama per totum Orbem perniciter volauit, & de cunctis gentibus prædestinatos ad summi Messiæ militiam commouit. Ingens nempe illud tonitruum Angliam quoque, aliasque maritimas insulas nequiuit latere: licèt vndisoni maris abyssus illas remoueat ab Orbe. Immò Britannos, & Gascones, & extremos hominum Gallicios fama perniciter succrescens animauit & armauit. Venetij quoque, & Pisani, & Ienuenses, & qui litus Oceani, vel Mediterranei maris incolebant, nauibus onustis armis & hominibus, machinis & victualibus, mare sulcantes operuerunt. Qui verò terrâ ibant, vniuersæ terræ superficiem tanquam locustæ occuluerunt. Mense Iulio, Galterius de Pexeio Simpoli in Bulgaria obiit, & signum sanctæ crucis post mortem in carne eius apparuit. Dux autem & Episco- D pus vrbis, hoc signo audito, foras egressi sunt, & Galterij corpus cum ciuibus cunctis reuerenter in vrbem transferentes sepelierunt, aliisque peregrinis aditum vrbis, quem antea interdixerant, & mercatum, concesserunt.

Eodem anno Hugo Crispeij Comes Radulfo & Henrico filiis suis terram suam commisit: & Ysabel filiam suam Rodberto de Mellento Comiti dedit, & peregrè proficiscens, secum nobile agmen Francorum adduxit. Tunc Stephanus Blesensium Comes, filius Tedbaldi Comitis Carnotensis, qui gener erat Guillelmi Anglorum Regis, crucem Domini sumpsit, & peregrè perrexit. Alij quoque Comites, virique Consulares, Guido Trussellus nepos Guidonis Comitis Castelli-fortis, ac Milo de Braia, & Centorius de Bieria, Radulfus de Balgenciaco, & Ebrardus de Pusacio, Guillelmus Carpentarius, ac Drogo de Monceio, aliique multi Proceres & famosi milites, cum multis cuneis Francorum, pro Christi amore peregrinati sunt. Petrus Heremita cum multis Alemannis & Francis subsequens agmen processerat;

RODBERTVS II. 1096. & Regiam ad vrbem applicuerat. Multos ibi Lombardos inuenit, & Langobardos A & Alemannos, qui eum præcesserant, & ex Imperatoris responso venientem exercitum sustinebant. Imperator interim eis mercatum dari iusserat, sicut in ciuitate rectum erat. Mandauerat quoque, ne quendam sinum maris, quem brachium sancti Georgij vocant, transfretarent, quousque maximus qui sequebatur exercitus aduenisset. Si enim, inquit, aliter egeritis, efferi Gentiles in vos irruent, & hanc imbellem cateruã periment. Quod sic postea contigit. Gens namque illa sine Regę, sine Duce, variis aggregata locis, indisciplinatè viuebant, in res alienas rapaciter inuolabant, plumbum, de quo Ecclesiæ coöpertæ fuerant, absportabant, & vendebant. Palatia destruebant, & in omnibus se nequiter agebant. His cognitis, Imperator valdè iratus est; quippe qui iam eos beneficiis suis ingratos expertus est. Coëgit itaque eos expelli ab vrbe, & transfretare. Transfretati multa iterum illicita in Christianos patrauerunt. Nam terram eorum hostiliter deprædati sunt, & domos eorum Ecclesiásque cremauerunt. Tandem Nicomediam venerunt, Ligures aliæque gentes illic separantur à Francis. Franci siquidem ferociores erant, B & intractabiliores: & ob id ad omne malum procliuiores. Alij ergo quendam Rainaldum sibi præfecerunt, & sub eius ducatu Romaniam ingressi sunt. Vltra Nicæam itinere IV. dierum progressi sunt, & castellum Exerogorgan intrauerunt, & ibidem causa hospitandi demorati sunt. Illud omnium victualium erat plenum, sed incertum est an timore vel industriâ vacuum incolis sit dimissum. Ibi Alemanni à Turcis circumuallati sunt, & vsque ad internecionem, vt in sequentibus elucidabitur, penè deleti sunt.

MENSE Septembri Rodbertus Dux Normannorum Guillelmo Regi Neustriam commisit: & acceptis ab eo decem milibus marcis argenti peregrè perrexit, terribilémque hostibus militum & peditum multitudinem secum adduxit. Nam cum eo profecti sunt Odo patruus suus Baiocensis Episcopus, & Philippus Clericus Rogerij Comitis filius, ROTRO Goisfredi Comitis Moritoniæ filius, Galterius de sancto Galerico Ricardi iunioris Ducis Normannorum ex filia nomine Papia nepos, & Girardus de Gornaco, Radulfus Brito de Guader, & HVGO Comes de sancto Paulo, Yuo & Albericus filij Hugonis de Grentemaisnilio, aliíque multi eximiæ strenuitatis milites. C

GODEFREDVS quoque Lotharingiæ Dux, & BALDVINVS, ac EVSTACHIVS Comes Boloniæ, fratres eius, & Balduinus Comes de Monte: Rodbertus quoque Marchio Flandriæ, nepos Mathildis Anglorum Reginæ, & Rainardus Teutonicus, cum multis milibus armatorum pro amore Christi sua reliquerunt: & exilium, ad confutandos paganos, & releuandos Christianos, libenter petierunt, & per Hungariam cum turmis suis commeauerunt. Haimarus autem Podiensis Episcopus, cum Tolosano Raimundo, prosperè per Sclauariam transiit, eísque BODINVS Sclauorum Rex amicabiliter fauit. Rodbertus verò Normannus, & Stephanus Blesensis sororius eius, Hugo quoque Magnus, & Flandrensis RODBERTVS, & plures alij Alpibus transcensis Italiam intrauerunt, & per vrbem Romam pacificè transeuntes, in Apulia & Calabria hiemauerunt. Rogerius autem Dux cognomento Bursa Ducem Normanniæ cum sociis suis, vtpote naturalem Dominum suum honorificè suscepit, & quę necessaria erant copiosè administrauit. Dum D Marcus Buamundus cum Rogerio patruo suo Comite Siciliæ quoddam castrum obsideret, & motiones Ducum multarúmque gentium audiret: mox singulorum probitates & signa diligenter inuestigauit. quibus subtiliter inspectis, sibi tandem optimum afferri pallium præcepit, quod per particulas concidit, & crucem vnicuíque suorum distribuit, suámque sibi retinuit. Nimius igitur militum concursus ad eum subitò factus est, & Rogerius senex penè solus in obsidione relictus est, dolénsque se suam amisisse gentem, Siciliam cum paucis reuersus est. Prouidus autem & sollers Buamundus modestè viam suam & euectiones præparauit cum Optimatibus suis: & affluentibus armatorum copiis transfretauit, & tandem tranquillo remige in Bulgariæ partibus applicuit. Porro præcipui sodales eius hi fuerunt.

TANCREDVS Odonis Boni-Marchisi filius, & Comes de Rosinolo, cum suis fratribus. Ricardus de Principatu, & Rannulfus frater eius. Rodbertus

A de Auxa, & Rodbertus de Surda-valle. Rodbertus filius Turstani. Hermannus de Rodbertus II.
Canni, & Vnfridus filius Radulphi. Ricardus filius Rannulfi Comitis, & Bartholo- 1096.
meus Boëllus Carnotensis. Alberedus de Cagnano, & Vnfredus de Monte-Sca-
bioso. Hi omnes cum clientibus suis Buamundo vnanimiter adhæserunt, eique se
in via Dei deuotissimè obedituros inseparabiliter iurauerunt.

Hvgo Magnus, & Guillelmus Marchisi filius ad portum Bari pelagus præpro-
perè ingressi sunt, & nauigantes Durachium applicuerunt. Dux autem vrbis ma-
gnos Barones ratus, iussit eos apprehendi, & sub excubanti custodia Constantino-
polim ad Imperatorem sollerter deduci. Adulatorius itaque Dux perfido se vole-
bat obsequio Cæsari commendare, & deuotionem suam erga ipsum indiciis huius-
modi approbare.

Solimannvs Turcorum Dux, vt Christianos super Ethnicos venisse cogno-
uit, ingentem exercitum aggregauit, & castellum Exerogorgam, vbi Alemanni
B erant, obsedit. Turci oppidum circumuallare festinauerunt, & Rainaldum cum
suis egressum, vt venientibus illis insidias prętenderet, prælíando fugauerunt. Tunc
multi Christianorum gladio cæciderunt. Si qui verò potuerunt fugâ elabi, castro
recepti sunt. Quo vndique obsesso, statim hostes inclusis aquam abstulerunt. Fons
& puteus, quo castellum sustentabatur, extra erat, quem vtrúmque viriliter cir-
cumseptum legio Turcorum indesinenter obseruabat. Sitis itaque nimiam incom-
moditatem obsessi per dies octo sustinuerunt, sed ob nimietatem scelerum & duri-
ciam cordium anxiati sunt, nec à Deo adiuuari meruerunt. Tandem Dux eorum
cum Turcis consiliatus est, eísque suorum si posset proditionem fratrum pactus est.
Rainaldus igitur fingens se ad bellum procedere, cum multis exiuit, ac ad Turcos
transfuga fugit. Residui verò inhonestam deditionem coacti fecerunt, & despe-
rantes abominabilem apostasiam in Deum commiserunt. Porrò illi, qui fidei suæ te-
stimonium perhibuerunt, capitalem sententiam subierunt, vel in signum positi sa-
gitati sunt, vel ab inuicē diuisi vili precio venūdati, vel in captiuitate cum Bertaldo
Comite adducti. Hâc III. Kal. Octobris primam persecutionem Christiani perpessi
C sunt; & sic Alemanni, aliæque gentes in Corosaim vel Aleph, captiuati sunt. Sed qui
in fide Christi permanserunt, glorioso fine quieuerunt. Franci quippe iam longè
præcesserant, & Cheuetotem vrbem intrauerant, quam Alexius Imperator nuper
construere cœperat; & Anglis, qui à facie Guillelmi Nothi fugerant, tradere vo-
luerat: sed prohibentibus Turcis eam imperfectam reliquerat. Solimannus verò, vi-
ctis Allobrogibus & Alemannis elatus, Cheuetotem Niceæ vicinam, de triumpho
securus cum suis iam nil nisi sanguinem sitientibus adiit, & cum magno impetu su-
per Gallos irruit. Petrus enim iam Constantinopolim redierat, quoniam illum au-
scultare sua cohors non adquiescebat. Effrenes autem Turci subito accurrerunt, e-
gregio militi Galterio Principi Militiæ suísque commilitonibus obuiauerunt, ip-
súmque cum multis, quia imparati erant, facilè detruncauerunt. Guillelmum verò
fratrem eius, cum quibusdam aliis vulnerauerunt. Ibi etiam decollauerunt quen-
dam Domini sacerdotem, Missarum solemnia celebrantem. Si qui euadere vi po-
tuerunt, in vrbem fugerunt, vel in carectis, aut siluis, seu montanis delituerunt. Pau-
ci verò, qui castellum, vt se defenderent, tenuerunt, multos obsidentiū peremerunt.
D Turci ligna quamplurima vndecúmque attulerunt, incendiū castello & hominibus
præparauerunt. Christiani autem extrema iam in desperatione positi, animosiores
audacter ignē in ligna sunt iaculati. Sic igitur euaserunt incendium. Ex vtrísque pe-
rierunt plurimi, & hoc contigit mense Octobri. Plures ex peregrinis profugi re-
dierunt, & sequacibus, qui adhuc citra Bixantum castra metati fuerant, casus suos
retulerunt. Imperator omnium emit arma, vt inermes incolis minus nocere possent
in regione aliena. Alij alios expectabant, vt consilio communicato, auxiliaribus
freti ducibus, & copiis stipati militaribus, Deum precibus & confessionibus sibi
complacarent, & sic terram inimicorum intrarent.

Solimannvs postquam Francos superauit, & quosdam in bello trucidauit,
quamplures etiam in captiuitatē transmisit, paucos in vrbe acerrimè resistētes obse-
dit. Porro, in crastinum, vt à certis indicibus audiuit, quòd Buamundus Dux Mace-
doniam super Imperatorem inuaserit, & ingentem exercitum Normannorum &
Apulorum ad vlciscendum cruorem Christianorum contra Turcos armauerit:

RODBERTVS II. 1096. nimis indè territus Cheuetotem reliquit, & agmina sua ad muniendùm terram suam citò reduxit. Præcipites itaque Galli auxilium Buamundi, aliorúmque fidelium expectare spreuerunt, sed in virtute sua nimis fisi, ad fines Thracorum appropiauerunt: ibíque permittente Deo, vt prædiximus, graui bello attriti sunt. A

GODEFRIDVS Dux primus omnium Ducum Constantinopolim venit, & prope illam x. Kal. Ianuarij castra metatus est. Buamundus verò suos, qui eum subsequi satagebant, præstolabatur. pedetentim gradiebatur, eósque paulatim eundo callidè indies operiebatur. Alexius autem Imperator in suburbio ciuitatis Duci paulò pòst mandauit hospitium dari. Armigeri verò Ducalis exercitus commoda sibi more procurabant, ad subuehendas paleas, vel cetera sibi necessaria extra vrbem securè cursitabant. Sed Turcopolis & Pincinatis iussu Augusti insidiantibus cotidie peribant. Nondum aliquid de Imperatore suspicabantur sinistrum. quippe qui voluntarius eis præbuisset hospitium. Nimis Dux contristatus est pro defectu suorum, & inopinatis insidiis Turcopolorum. Balduinus igitur ad suorum protectionem exiuit, & hostes qui suos insequebantur inuenit. Ex improuisò incautos inuasit, superauit, partim occidit. Sexaginta ex eis captos fratri suo præsentauit. B Augustus hoc vt audiuit, valde iratus malum peregrinis machinari cœpit. Sapiens Dux dolos præcauens, vrbem exiit, & vbi priùs sua fixerat tentoria rursus collocauit. Nocte superueniente, iussu Cæsaris inuasa sunt castra Ducis, & exercitus eius multis lacessitus iniuriis. Sagacissimus Dux, & acerrimus bellator versutias metuebat, & excubitores qui tentoriis excubarent prudenter disposuerat, & vnumquemque sibi vigilare mandauerat. Repulsi sunt quantociùs inuasores, & ex illis VII. peremptis, vsque ad portam ciuitatis audacter insecutus est Dux fugientes. Deinde ad tentoria sua reuersus, fuit ibi quinque diebus. Imperator interim cogitabat malum in Ducem moliri, Dux sollicitus sibi suísque consiliari. Imperator ei transitum per ciuitatem Regiam prohibere, Dux subsequentium Optimatum aduentum expectare. Denique perspicax & industrius Imperator, vt nihil intentatum relinqueret, cum Duce pacem fecit: quòd si brachium transfretaret, semper ei copiosum mercatum mitteret, & cunctis indigentibus stipem necessariam impertiret: tantum vt iuramento de eo securus esset. Hoc ideò machinatus est versipellis, vt à regione Ducem amoueret Bizantea, cum suis copiis, ne posset coüti superuenturorum Principum consiliis & auxiliis. Dux itaque transmisit facta Cæsaris, & ab eodem accepta identidem promissorum fidelitate, Buamundus in vallem de Andronopoli venit, ibíque suos concionando solerter admonuit, vt cautè se haberent, vt peregrinationis pro Deo susceptæ memores essent, vt à Christianorum penatibus diripiendis rapaces manus cohiberent, vt Deum ante oculos semper præsentem haberent, ac vt ditiores pauperibus, & fortiores debilibus subuenirent, eósque pro amore Dei viribus & opibus sustentarent. De valle tandem Castoriam peruenerunt, vbi Natalem Domini solenniter peregerunt. Ibi per aliquot dies remorati sunt, quæsitúmque mercatum habere non potuerunt: quia ciues non peregrinos, sed gladiatores & tyrannos illos æstimauerunt. Inedia ergo cogente, compulsi sunt boues, equos, & asinos rapere, & si quid quod mandi posset cōuenientius inueniebatur. Egressi verò de Castoria, castra metati sunt in Paphlagonia. Ibi munitissimum castellum hereticorum bonis omnibus abundè refertum vndique aggressi sunt, & habitatoribus eiusdem cum eo cōbustis, omninò pessumdederūt. Omnes siquidem illi viatores Iudæos, hæreticos, Sarracenos, æqualiter habebant exosos, quos omnes Dei habebant inimicos. Inde peruenerunt ad flumen Bardarum, quod Buamūdus cum parte sui exercitus pertransiit. Comes autem de Rosinolo cum fratribus suis remansit. Protinus satellites Imperatoris, quia vias obsidētes explorabant, vt exercitū diuisum viderunt, impetu facto in Comitem & suos irruerūt. Tancredus verò, qui nondū longè aberat, vt cognouit tumultū, rapidū calcarib⁹ vrguēs cornipedē, fulmineus aduolat, & fluuio qui intererat euadato, seu potius enatato, festinū Comiti cōtulit auxiliū. Mox duo milia militum per annem Tancredū subsecuti sunt, & Turcopolis confestim prȩualuerunt, eos de prȩlio fugauerunt, & de fugatis gloriosè triumpharunt. Quosdam verò peremerunt, plures autem apprehensos vinxerunt, & Buamundo præsentauerunt. Interrogati, cur tam nequiter agerent, cùm suo non inimicaretur Imperatori, responderunt: Nos in roga Impe- C D

A ratoris locati nihil aliud agere possumus, quā quod ipse imperat. Hoc ab inuitis bellum peregrinis factum est IV. feria in capite ieiuniorum. Buamundus nequitie Cæsaris indignatus, se tamen repressit. captos quidem impunitos dimisit, sed ne suis de cetero nocerent interminando compescuit. Nos, inquit suis familiaribus, transituri per Imperatorem, tumorem animi compescamus, & ne illum iniustè exacerbemus, prout possumus euitemus. Extremæ imperitiæ genus est, hominem ibi totum efflare spiritum, vbi commotus animus nullum habebit effectum. Porrò, prudentiæ modus est potestatiuum, hominem seipsum dissimulare, vbi potentia sua nequit appetitui satisfacere. Prudentiæ est in tempus differre, quod continuò non possis explere. Rursus socordiæ & ignauiæ redarguendus est, qui cùm vltrà non possit, intonat minis: cùm verò possit, illatæ obliuiscitur improbitatis. Si possumus, Augustum beneficiis superemus: sin autem, mala nobis illata æquanimiter dissimulemus. Hæc ait, & iram animi tacitus continuit, & legatos ad Imperatorem pro impetranda peregrinis IESV CHRISTI securitate direxit. RODBERTVS II. 1096.

B ANNO ab incarnatione Domini MXCVII. indictione v. Rodbertus Dux Normannorum, & Hugo Magnus, Stephanus Blesensis, & Rodbertus Flandrensis, aliique Proceres, qui de multis Prouinciis processerant, & in Italia cum cateruis suis hiemauerant, alacriter parati placido vere pelagus sulcantes Adriaticum transfretauerunt, & Marco Buamundo in Macedonia sociati sunt. Dum tanta nobilitas in vnum conuenit, & incomparabilis probitas sine fictione ad opus Dei se obtulit, ingens cunctis timentibus Deum qui aderant tripudium fuit. Alexius autem Imperator, qui iamdudum Cisalpinorum arma grauiter expertus est, audito aduentu tantorum Baronum nimis territus est; & perspecta arte, per quam periculum euaderet, sub specie pacis eos dolo decipere conatus est. Erat enim callidus & facundus, largus, & fallendi artifex ingeniosus. Legatos igitur ad nobiles peregrinos misit, & pacem ab eis humiliter requisiuit, liberúmque transitum per terram suam, & necessarium negotium atque subsidium se illis daturum cum iuramento promisit. Dux verò Buamundus, qui fraudes eius benè dudum expertus erat, eúmque bello bis deuicerat, simulatis sponsionibus non adquieuit, sed socios suos ad obsidendam Constantinopolim viriliter incitauit: & multis ac probabilibus hoc sibi commodissimum esse allegationibus manifestè ostendit. Franci autem dixerunt: Nos diuitias nostras dereliquimus, & peregrinationem spontè aggressi sumus, vt pro amore Christi paganos confundamus, & Christianos liberemus. Græci autem Christiani sunt. Pacem ergo cum illis faciamus, & quæ Turci abstulerunt eis reddamus. Coactus est itaque sagax Buamundus consiliis Francorum, vt pacem faceret cum Imperatore Græcorum, ad magnum, vt postea claruit, detrimentum Christianorum. Requisitus Imperator fucatis gestibus fauere nostratibus satégit, & Corpalatium sibi valde familiarem cum aliis legatis Buamundo direxit: qui eum per terram illam securè deducerent, & eis vbique mercatum impenderent. Denique prout tempus poscebat, de loco ad locum castra metati sunt, & per ciuitatem Serram vsque Rusam ciuitatem venerunt. Ibi verò quæcumque necessaria erant à Græcis sufficienter comparatis, suos tetenderunt papiliones feria IV. ante Cœnam Domini. Porro Buamundus ibi sua gente dimissa, cum paucis ad Augustum loqui profectus est. Tancredus autem Christianos in expeditione pauperatos per aliam viam in vallem vberem, & nutrimentis corporalibus refertam, conduxit; vbi Pascha Domini celebrauerunt.
D Alexius audiens quem nimium verebatur aduenisse Buamundum, à quo bis in pugna superatus fuerat; honorificè suscepit, & extra ciuitatem, prout vtrumque decebat, copiosè procurauit. 1097.

INTEREA DVM Godefredus vltra brachium relictis sociis Constantinopolim redierat, quoniam Imperator vt ei pepigerat mercatum nullum transmittebat. Episcopus verò Podiensis, & Tolosanus Comes iterum post se intermissa multitudine aderant. Imperator autem consilio Græcorum, qui valde præcauebant, ne fortè Franci congregati in eos insurgerent, bonísque suis eos priuarent, Heroas singulos per internuncios allocutus est, hominiúmque ab eis & fidelitatem exegit. Quod si facerent, mercatum & conductum, séque ipsum post eos iturum, eísque cum omnibus copiis suis subuenturum promisit. Angustiabantur Franci, & iurare nolebant, nec aliter eis Pelasgi transitum permittebant. Franci contra Christianos pugnare

RODBERTVS II. 1097. nolebant, transitum habere pacifici non poterant. Imperfecto ad quod ierant negotio, ad propria regredi abominabantur. Tandem multis coacti necessitatibus, iurauerunt Alexio Imperatori vitam & honorem, quòd neutrum ei auferrent, quoad ipse quod iurabat bona fide teneret. Tolosanus autem Comes plus aliis renitebatur, immò irrequietus cogitabat, quomodo de Imperatore vlcisceretur. Præualuit tamen communis Heroum sententia, & ab hac intentione animosum Comitem vix reuocauerunt. Iurauit itaque; sed ad hominium numquam deductus est. Ilicò igitur præceptum est de nauigio. Tancredus interim cum exercitu sibi commisso aduenerat. Audiens itaque, quòd Alexius à maioribus natu iuramentum exegerat, cum Ricardo de Principatu inter plebeios delituit: & pupibus acceleratis properus pertransiit. Boamundus & Tolosanus Comes remanserunt, donec eis de mercato satisfieret. Godefredus verò Dux cum aliis Nicomediam venit, ibique cum Tancredo tribus diebus mansit. Deinde Dux cognito, quòd nulla, qua tot & tantæ gentes possent procedere, pateret via; misit qui rupium & montium complanarent præcipitia, hominum tria milia. Qui acceptis securibus, asciis, & vidulis, aliisque multimodis ferramentis, ad carecta & frutecta stirpanda, ad prærupta montium coæquanda, viam exercitui præparauerunt: positisque in altum signis, quæ subsequentes cognoscerent, ne fortè deuiarent, Nicæam Bithyniæ venerunt. Castris itaque pridie Nonas Maij metatis, tentoriisque Occidentalium locatis, obsessa est Nicæa totius Romaniæ caput, vrbs munitissima, vtpote quam ostentabant inexpugnabilem esse, in cœlum porrecta mœnia, lacúsque adjacens ciuitatem à latere cingens. Inprimis ibi tam calamitosa fuit inopia panis, antequam mercatus ab Imperatore dirigeretur; vtsi quando vnus panis inueniebatur, viginti vel triginta denariis emeretur. Sed Deo de suis procurante, confestim Boamundus venit, & copiosum terrâ marique exercitum deduxit. Inopia itaque victualium vbertas repètè facta est in tota Christi militia. In die autem Dominicæ Ascensionis aggressi sunt vrbem expugnare, & ligneas contra muralem altitudinem machinas erigere. Per duos igitur dies acriter infestantes ciuitatem, conati sunt effodere murum. Gentiles, qui intus erant, econtra viriliter instare, muros penatésque suos magna vi defensare, lapides & spicula dirigere, clypeis se protegere, & superuenienti telorum nimbo audacter se opponere. E regione Galli nihil intentatum relinquere, consertorum testudine scutorum se occultare, & sic jaculorum ingruentia deuitare, & persæpè fatiscentes obsessos lacessere. Ciues interim missis nunciis à contribulibus suis & affinibus adiutorium conuocarunt, dicentes: „Accelerate, per meridianam portam nihil formidantes intrate, „quæ adhuc ab omni vacat obsidione. Porrò, auxiliante Deo multum aliter euenit hæc sperantibus. Ipso enim die, Sabbato scilicet post Ascensionem Domini, Podiesis Episcopus, & Tolosanus Comes, illuc aduenerant: eisque ab aliis Principib. Australis porta commissa fuit. Comes itaque Sarracenis securè accurrentibus ex improuiso armatus obuiauit, & exercitus eius totus in armis speciosus barbaram stoliditatem viriliter repulit. Sarraceni, multis suorum amissis, turpiter fugerunt, & facilè à Francis superati sunt. Nicæni ciues iterum vicinos accersierunt, quibus certitudinem victoriæ iurando confirmauerunt. Igitur illi audacter venerunt cum funiculis, quibus vinctos ad sua captiuare Christianos autumabant. Verùm Franci cõglobatim Ethnicis venientibus occurrerunt: rursus eos inuaserunt, superauerunt, fugauerunt, multisque peremptis victoriosi redierunt. Deinde Raimundus Comes, & Haimarus Episcopus cum exercitibus suis valdè laborauerunt, multisque modis vrbem aggressi sunt, contra quos obsessi ciues totis nisibus obstiterunt.

TANDEM Christiani Duces in vnum conuenerunt, & hoc ordine Nicæam Bithyniæ vrbem obsederunt. Ex vna parte obsederunt eam Buamundus & Tancredus: iuxta quos cum fratribus suis Dux Godefredus. Deinde Rodbertus Flandriæ Comes strenuus vir, & miles audacissimus. Iuxta hunc Rodbertus Normannorum Dux, & Stephanus Carnotensis Comes, & Hugo Comes de sancto Paulo. Conanus quoque Brito filius Gaufredi Comitis, & Radulfus de Guader, & Rogerius de Barneuilla cum suis agminibus. Ad portam verò Meridianam Tolosanus & Podiensis excubabant. Isti itaque sic vrbem circumdederant, vt nemo ingredi vel egredi posset, nisi lacu qua ciuitas cingebatur. Per lacum quippe, Christianis videntibus, securi gentiles nauigabant, sibique necessaria nauigio deuectabant. Verùm, Christi mi-

A litia laudabiliter Nicæam obsederat, & castra speciosa, tentoriáque imperiosa in RODBERTVS II. 1097.
Christi nomine prudenter disposuerat. Fulgebant in armis Christiani, maximéque in morum ornatu erant decentissimi. Mundi moribus, vegeti corporibus, animosi pectoribus militabant. Animabus suis præcauebant, carnis voluntatibus & voluptatibus omnia illicita abdicabant. Ipsi Duces militabant, omniáque disponentes, aliósque cohortantes ipsi excubabant. Ibi erat omnium rerum magna communitas. Episcopi cotidie de continentia sermocinabantur, omne scortum & abusum de medio castrorum abominabantur. Turci interim pro defensanda vrbe desudabant, & per lacum, Christianis videntibus, tutè ibant & redibant. Franci igitur mœsti qualiter eis lacum auferrent machinati sunt. Legatos Constantinopolim direxerunt, & quid contra hostes præuidissent agendum, Augusto sollerter intimarunt. Mox Imperator, auditis eorum petitionibus, adquieuit; & omnia secundum dispensationem eorum fieri præcepit. Ex præcepto igitur Augusti boues festinanter adducti sunt, & veliuolæ naues portum Cheuetot appulerunt. Turcopoli etiam affuerũt.
B Scaphæ carrucis superpositæ sunt, & bobus huic operi ministrantibus vsque ad crepidinem lacus laboriosè deductæ sunt. Nocte terris incumbente, naues in lacum impegerunt, eásque Turcopolis mandauerunt. Crepusculo diei albescente, lacum sulcãtes ordinatè tendebant puppes ad vrbem. Ciues lacum nauibus opertum eminus aspicientes mirabantur, etsi forte sibi auxilium venire suspicabantur. At postquàm certitudinem de eis perceperunt, diriguêre metu, & exangues facti desperauerunt. Repentino casu perturbatis præter spem omnia contigerunt. Vrbi terrâ lacúque obsessæ nulla spes salutis erat. Ad Imperatorem igitur legatos destinant, & obnixè supplicant, vt iam victis parcat, vrbem deditam recipiat, eámque sicuti suam ab hostibus protegat, ne res eorum alienigenis præda fiat. His Imperator auditis, Christianorum profectui (vt euentus rei postea probauit) occultè inuidens, obsessorúmque legationi satisfaciẽs, Tatano Principi Militiæ, quem nostratibus præuium cum XL. milibus antea constituerat, aliísque satellitibus suis imperauit, vt se & sua dedentes Bizantium impunitos deducerent, & de ciuitate seruanda curiosi pro-
C curarent. Iuxta præceptum Augusti omnia facta sunt, & ciuitas reddita est, génsque Gentilium ad vrbem Imperatoriam indemnis deducta est. Victos itaque Imperator cum honorificentia libertatis suscepit, magnísque dapsilitatibus educauit, & pauperibus Christianis multa donaria donauit. Ciuitate reddita, Christiani ab obsidione secedunt. Ibi nimirum multi fame, vel gladio, vel alio quolibet exterminio mortui sunt; qui, vt credimus, felici martyrio laureati sunt: quoniam pro fratrum compassione corpora sua tradiderunt. Multi etiam Gentilium variis euentibus trucidati sunt, quorum cadauera passim inhumata iacuerunt. Per septem hebdomadas, trésque dies, illic Christiani demorati sunt; & redditâ vrbe, pedem aliàs tristes direxerunt. Pœnitebat enim eos longæ obsidionis, dum non dominati sunt vrbi more subiugatæ ciuitatis. Nam si saltem facultates inimicorum publicarentur, paupertas egenorum temperaretur, & absumptæ impensæ aliquantulum resarcirentur. Mandatum Alexij de non publicandis Nicææ penatibus Christiani æquanimiter non pertulerunt, vbi diu rebus suis in cassum expensis sanguinem suum fuderunt, & facultates quas attulerant in immensum attenuarunt. Fraudulentos itaque mores
D Augusti cum damno experti sunt. Sed tamen, quia tunc nihil proficerent, in tempus siluerunt. Hîc primum patuit odiorum seminarium, hîc compertum est inimicitiarum fomentum. Hîc discordiarum cœperunt incentiua pullulare, hic simultatum simulachra visa sunt succrescere. Nam quoniam Alexius non rectè contra eos egerat, ipsi contra eum de vltione cogitabant. Die, qua Nicæna obsidio soluta est, ad quendam pontem peruentum est, vbi sua Christianus populus tentoria collocauit. Duos ibi dies fecerunt, & tertia die ante lucem iter præproperi arripuerunt: & quoniam nox tenebrosa erat, incertam incerti viam tenuerunt. Diuisi ergo ab inuicem, duorum iter dierum consummauerunt. Buamundus, & Rodbertus Normannus, Blesensísque Comes Stephanus, & Tancredus, Hugo de sancto Paulo, & Girardus de Gornaco, Gualterius de sancto Gualerico, & Bernardus filius eius, Guillelmus filius Rannulfi Vicecomitis, & Guillelmus de Ferrariis, Herueus filius Dodemanni, & Conanus filius Comitis Gaufredi, Radulfus de Guader, & Alannus filius eius, Riou de Lohoac, & Alannus Dapifer Dolensis, & alij plures erant in vno

RODBERTVS II. 1097. agmine. In altero Tolosanus Comes, & Podiensis Episcopus, Godefredus Dux, & A Balduinus, & Hugo Magnus, & Flandrensis Rodbertus, cum copiosis commeantium examinibus.

IN ipsa septimana Turci velut arena maris innumeri contra Boamundum confluxerunt, & magna multitudine confisi Christianos vnanimiter inuaserunt. Dux eorum DALIMANNVS *erat, eósque furor in alienigenas animabat, qui Nicæam præsumpsissent expugnare, & possessiones eorum depopulari. Ibi erant Turci, Sarraceni, Persæ, & Agulani; quorum numerum computauerunt CCCLX. milia, præter Arabes, quorum concursus indeterminatus fuit. Egregiùs verò Buamundus, vt innumerabilem multitudinem inimicorum suis, ore rabido, & effero gladio, minitantem & insultantem vidit; imperterritus stetit, suósque breui, sed sapientissimo * admonuit, & laudabiliter ad honorificum certamen corroborauit. Celeriter mandat sociis, qui ab eo longiusculè recesserant, vt ad eos iuuandos in grãdi necessitate properent. Peditibus iubet, vt impigrè & prudenter tentoria figant, & militibus, vt secum obuiam paganis ad bellum procedant, & laborem certaminis indefessi sustineant. Interim Turci occlamantes aduenerant, & sagitando vel iaculando, B seu cominus feriendo Christianos acerrimè infestabant. Nulla fatigatis dabatur requies, sed omnia Christianorum corpora cruore vel sudore liquentia conspiceres. E contra Franci pondus belli indesinenter sufferre, incursus in hostes aliquando prudenter differre, gladiis interdum resistere, socios vocatos expectare, nec in aliquo titubare. Hanc conflictuum violentiam ab hora diei tertia vsque in horam nonam pertulerunt. Illa die mulieres fuerunt bellantibus pernecessariæ. Nam sitientibus aquam perniciter porrigebant, & pugnantes exhortando confortabant. Martis campus incanduerat. Totis enim viribus vtrinque certabatur. Christiani angebantur. Nam plerúmque in ipsis castris impugnabantur. Alius exercitus legatis Boamundi discredebat, & de belli certitudine ambigebat. Nullam gentem sperabat esse, quæ contra sui exercitus partem saltem decimam de bello auderet anhelare. Postquàm tamen rumor iste per totum exercitũ percrebruit, & legatis legati superadditi sunt: GODEFREDVS Dux, vt erat miles acerrimus, Comes quoque Stephanus vir prudens & modestus, Hugo Magnus, Balduinus quoque & Eustachius C intrepidi cum suis aduolãt commilitonibus. Podiensis Episcopus ponè sequebatur, Comésque Tolosanus Raimundus. Mirabantur iam fatiscentium corda Christianorum, vnde tanta gens, támque repentina præter spem in eos immersisset. Montes enim & valles cooperuerant, & si qua plana erant, densi turmarum cuneis omnia frequentabantur. Auxiliante Deo, Christiani fortiter præliabantur, & gladiis exertis & in mortem vibratis res duntaxat gerebatur. Adsunt repentini, quos aduocauerant, socij. Podiensis Episcopus cum suo magno exercitu à tergo præoccupauit inimicos. Parte altera Comes sancti Egidij, & Balduinus ac Eustachius festinanter equitabant. A dextera Dux Godefredus irruit, & Hugo Magnus, & Flandrensis Rodbertus per omnia miles expeditissimus. RODBERTVS namque Normannus, & Blesensis Stephanus, Tancredus, & Buamundus pugnabant, diúque belli pondus sustinuerunt. Gentiles obstupefacti, quoniam hostiliter à facie & à tergo inopinè premebantur, fugæ se crediderunt, & terga cædentibus concesserunt. Cæcidit autem eos vsque ad internecionem Christianorum gladius, & multi multimodis oppetierunt mortibus. Si qui verò potuerunt, delituerunt. Ibi barbarorum milia D cæsa sunt, quoniam in eos vehementer crassati sunt, quos tota die crudeliter insectati fuerant.

*inf. Solimannus.

GVILLELMVS Marchisus frater Tancredi, & Gaufredus de Monte-scabioso, viri multùm militares, bonæ indolis & illustres, & multi alij milites, & pedites ceciderunt. Turci enim astu nimio pollentes, audaci vigent animo, & irreuerberato confligunt gladio. Mortes eminus inimicis creberrimè infigunt, quia vtuntur arcubus, & multis instrumentis nituntur bellicis. Factitant se de Francorum stirpe genealogiam duxisse, eorúmque proauos à Christianitate desciuisse. Dicunt etiam nullos naturaliter militare, nisi se, & Francos. Hoc itaque prælium Kal. Iulij factum est, diésque solemnis omnipotenti Deo, qui omnia benè disponit, cum deuotis laudibus celebrata est.

ETHNICIS ita pessundatis, & procul effugatis, ad eorum tentoria diripienda

A conuersi sunt Christiani,& inuenerunt ibi auri argentique plurimum. Subiugalia, mulos,& equos,boues,& camelos,verueces,& asinos, & copiosam supellectilem in eorum papilionibus repererunt;& diuersis onusti gazis,cum triumpho & inenarrabili gaudio ad suos redierunt. Fama tantæ victoriæ longinquas & exteras nationes cœpit deterrere,& titulum Christianitatis remotorum auribus populorum infundere.Præclara Christianorum facinora, sibíque superuenturam eorum militiam omnes & singuli formidabant. RODBERTVS II. 1097.

SOLIMANNVS de Nicæa fugiens, Arabum decem milia inuenit; eisque nimiam probitatem & audaciam,& inuictam fortitudinem, & multitudinem, ditissimúmque apparatum luculenter retulit: qua relatione secum omnes fugere compulit. Cæterùm,sicut humanum ingenium plurima commentatur, & friuola meditatur,Turci stropham simplicibus Christicolis nociuam machinati sunt. Solimannus enim,aliique gentiles,ad ciuitates vel castella,in quibus Christicolæ Suriani degebant,venientes,subdolè ad eos dicebant: Deuicimus Francos,omninò defecerunt: & siqui supersunt, in cuniculis absconditi sunt.Sic incautos alloquebantur,& intra B portas eorum recipiebantur.Ingresśique insciorum municipia, domos & Ecclesias deprædabantur. Quicquid erat preciosum & concupiscibile, filios & filias auferebant. Et sic eis passim illudentes,Francorum aduentum præoccupabant. His auditis,Christiani eos insequebantur.Intrauerunt autem terram inaquosam & inhabitabilem,in qua fame & siti defecerunt penè vsque ad mortem. Si fortè tamen immaturas segetes inueniebant, spicas vellebant, & fricantes masticabant, & glutiebant.Multi homines ibi defecerunt,& subiugales: multíque gloriosi milites coacti sunt ire pedites.Et qui potuerunt,pro vehiculis ad se vel sua subuehenda sibi boues adhibuerunt. Nec multò post vberrimam ingressi sunt terram, victualibus & bonis omnibus refertam: excepto quòd equinas sibi nequiuerunt reparare vecturas. Venientes Ichonium,persuasione indigenarum vtres suos aquis repleuerunt: confe-C ctóque itinere diei,ad quendam fluuium venerunt, vbi duos hospitati dies recreati sunt. Cursitores,qui semper exercitum præcurrebant,vt exercitui præuiderent, & paleas & alia necessaria diriperent, præcurrerunt ad Erachiam ciuitatem, in qua multus erat Turcorum conuentus,si quà possent obesseChristianis expectans.Cursitantibus insidias collocauerant, quos audacter Franci aggressi sunt, & fugatos indifficulter dispersérunt.Igitur Erachia,Turcis abiectis, in Christianorum dominationem citò redacta est,ibique quatuor dies confecerunt. Ibi Tancredus & Balduinus ab aliis se disgregauerunt,& vallem de Botrentot cum suis expeditionibus intrauerunt. Tancredus autem iterum à Balduino separatus, Tarsum venit cum suis militibus. Turci verò de vrbe progressi,obuiauerunt eis ad resistendum parati.Tancredus vir equidem singularis strenuitatis hostiliter aggressos viriliter cæcidit, eósque fugientes in vrbem refugauit,& vrbem obsedit. Nocte insecuta, Turci fugerunt,& ciues sub ipso noctis articulo altè clamauerunt: "FRANCI TRIVMPHATORES ORBIS, ET DOMINATORES, Turci recesserunt, vrbs patet, accedite.Currite, Franci inuictissimi, recepturi ciuitatem, currite, ne moremini. Cur tardatis? Hæc nempè castrorum excubitores benè audierunt. Sed quoniam nox D erat,consilium & negocium illud in diem dilatum est. Aurora illuscescente, venerunt ciuitatis maiores,séque suáque Christianis dedentes,& Tancredum sibi Principem eligentes. Ibi Principum magna lis exorta est. Balduinus enim,cuius exercitus maiores erant copiæ, totus erat in penatum depopulatione, vel vrbem dimidiam vendicare. Porrò Tancredus,vt erat moderatus,maluit vrbis dominatu carere,quàm ciuium,qui se benigniter eidem commiserant, facultates diripere. Vndè suis signum dedit, lituísque clangentibus aliquantulum amaricatus abscessit, & Balduinus totam Tarsum solus obtinuit. Nec mora, Tancredo duæ ciuitates optimæ,Azera,& Mamistra,redditæ sunt, & castella quamplurima. Porrò Optimates alij Armeniorum terram cum exercitibus suis intrauerunt. Venientibus illis,Alphia ciuitas reddita est,indigenæque illius terræ militari viro nomine Simeoni ad defensandam terram commissa est.

MAIOR exercitus Cæsaream Cappadociæ venit, quę ad solum vsque diruta erat.Ruinæ tamen vtcumque subsistentes quanti fuerit testabuntur.

PLASTENCIA ciuitas pulchra & vberis,glebæ opima,quam Turci paulò ante,

RODBERTVS II. 1097. tribus obsederant ebdomadibus, sed inexpugnabilis nullatenus expugnari potuit, A
Christianis ilicò gratanter patuit. Hanc quidem Petrus de Alfia petiuit, & ab Optimatibus indifficulter obtinuit, ad tuendam & expugnandam terram in fidelitate sancti sepulchri, & Christianitatis. Boamundus militarium negotiorum vir industrius, accitis militibus de suis quos voluit, Turcos, qui Plastenciam obsederant, & exercitum haud longè præibant vt nocerent; curiosè insecutus est: sed frustra, quoniam eos inuenire non potuit.

VENTVM est ad Coxon nobilem & copiosam ciuitatem, quam alumni illius Christianis fratribus suis libenter reddiderunt. Ibi tribus diebus fatigatus pausauit exercitus. Relatum est Comiti Tolosano, quòd Turci, qui fuerant in Antiochiæ custodia, discedentes aufugissent. Igitur cum suis consiliatus, elegit quos præmitteret, qui iter diligenter inuestigarent, & cetera curiosè explorarent. Ad hoc directi sunt viri Consulares, & disciplinæ militaris gnari. Vicecomes de Castellione, Guillelmus de Monte-Peslerio, Petrus de Roasa, & Petrus Raimūdus, cum militibus multis, in vallem Antiochiæ venerunt, & ibi rem aliter audierunt. Turci enim copiosè B
præparabant se ad defensandam vrbem.

PETRVS DE ROASA declinans ab aliis vallem de Rugia introiuit, inuentisque Turcis quamplurimis, grauiter eos cæcidit, superauit, atque fugauit. Armenij, auditis secundis successibus Christianorum, frequentibus quoque infortuniis paganorum, reddiderunt Petro Rusam ciuitatem, & castella quædam. Maior exercitus difficilè iter aggressus est. Ibi gradiebantur rependo per montana nimis aspera, & scopulosa, vbi tristes mira perpessi sunt detrimenta. Collidebantur, & conquassabantur, laborantes & deficientes per viam inuiam. Labebantur equi in immane præcipitium. Multi equis vel clitellariis cum rebus superpositis illic amissis pauperati sunt. Postquam calamitosas angustias vix euaserunt, ad quandam ciuitatem, quæ vocatur Marasim, diuerterunt. Conuenæ verò nostratibus copiosum mercatum detulerunt. Ibi aliquantisper demorati sunt, donec quantumlibet recrearentur. Post hæc ingressi sunt vallem inclytam, spaciosam, & vberem, in qua regia & C
famosa ciuitas Antiochia sita est: quæ totius Syriæ metropolis & princeps est. in qua Primicerius Apostolorum Petrus cathedram habuit Pontificalem. Nunc occulto Dei iudicio, sed iusto, plurimæ in ea Ecclesiæ dirutæ sunt, & quibusdam humanis vsibus irreuerenter applicatæ sunt. Cursitores, dum ad pontem ferreum propinquarent, Turcos inuenerunt innumeros, munitum Antiochiam festinantes. Itaque repentino in eos impetu facto (semper enim Christiani proficiscebantur armati) subito conflictu eos consternauerunt. Multis deletis, ad propria castra, quæ super fluminis ripas metati fuerant, reduxerunt eorum burdones, quos multimodis onustos victualibus, & diuersis gazis, ad propriam ciuitatem deducebant. Factum est igitur immensum in castris gaudium, tum pro victoria, tum propter opima, quę ad eos reportarant cursitores, spolia. Cotidianas ergo & continuas Deo referebant laudes & gratias, qui pro suo amore à natali solo procul exulantes tam excellenter protegebat inter phalanges ethnicas.

BVAMVNDVS pigritiæ, vel somnolentiæ numquam adquiescens (irrequietus enim homo erat) cum quatuor milibus militum propè Antiochiæ portam cautè clandestinus venit. Si qui fortè latenter ingrederentur, vel egrederentur, expectās: D
summo diluculo exercitus de loco, in quo erant tentoria, collegit, Antiochiam accessit, quarta feria XII. Kal. Nouembris tentoria sua coaptauit, & à tribus portis ciuitatem vsque III. Nonas Iunij viriliter obsedit. Nam altera parte obsessa non fuit, quoniam tam porrectis & inaccessis coangustabatur scopulis & montanis, vt nullus illac se accōmodaret ad obsidendum locus. Nimius timor inuasit Antiochenos, & omnes circumpositos, vt nullus eorum expectare cursitorum auderet occursum. Diebus itaque fermè XV. siluerunt. Terra verò, quæ circa Antiochiam adjacebat, prout vallis est, fertilis erat, vberrima vinetis, referta fructibus, & frugibus jocunda, arboribus nemorosa, hortis opima, & pascuis opulenta. De ciuitate Armenij multi, & Suriani Christiani, sed Turcis obnoxij, fugam simulantes, audacter in castra exibant, mendicantes castrensium esse explorabant, & remeantes Turcis intimabant, & sic eis multum oberant. Antiocheni ergo patefactis castrensium consiliis, cœperunt paulatim intrepidi prodire, & peregrinos aggressibus coangustare,

& incautos

A & incautos trucidare, & latrociniis, aliisque circumuentionibus aggrauare. Sic in circuitu omnes vias obsidebant, & à mari & à montanis omnia Christianis claudebant. Peius itaque obsidebantur qui foris erant, quàm qui intùs latitabant. 1097.
De proximo castello satis munito, nomine Arech, Turci in Christianos irruebant, insidiisque indigenarum multi occubuerant. Optimates ergo Christiani condolentes, Turcis obuiauerunt, ad conflictum eos prouocauerunt, & ad locum, vbi Boamundus cum suis in insidiis delituit, fugam fingentes scienter declinauerunt. Ibi Christianorum duo milia occisi sunt. Porrò, Boamundus præliator fortissimus de insidiis concitus surrexit, & Turcos aggressus multos peremit, & quosdam viuos retinuit, quos ante portam ciuitatis solemniter in spectaculum decollauit. Deinde castrenses super verticem montis, qui dicitur Maregard, castellum ædificauerunt, quod per dierum successiones Heroum vnusquisque in ordine vicis suæ custodiebant. Interim attenuata sunt victualia, quia neque cursitare audebant, neque mercatum habebant. Quod verò in valle reperierant, affluenter consumpserat. Cibaria igitur omnia percara erant, fames inhorrescebat, quoniam pabula omnia de die in diem deficiebant, & intus aduersarij cauillantes gaudebant.
B

ANNO ab Incarnatione Domini MXCVIII. Indictione V. celebrata Natiuitate Christi, Buamundus Dux, & Flandrensis Robertus, non sine remanentium lacrymis processerunt, & cum eis militum & peditum plus quàm XX. milia per Sarracenorum colonias dispersi sunt. Arabes autem & Turci ab Hierusalem & Damasco, & ab aliis multarum regionum municipiis conuenerant, vt Antiochiæ subuenirent. Qui vt Christianos per regionem suam dispersos audierunt, admodum gauisi sunt: sperantes se illos pro certo præualituros, vt pote quos opinabantur paucos, & aduentitios. Intempesta igitur nocte duas acies in insidiis ordinauerunt, vnam à facie, alteram à tergo. Armipotens Comes Flandriæ & Buamundus diluculo in eos vnanimiter irruerunt, & inuocato nomine IESV cum signo crucis, constantissimè præliati sunt, & multi paganorum mortui sunt. Verùm de spoliis eorum parùm ditati sunt Christiani, quia ocium non habuerunt eos persequendi, vel spoliandi. Interea Turci, qui in præsidio vrbis stabant, audientes Buamundum abscessisse, audacter exibant, & in ipsis iam castris discurrebant. Deplorauerunt enim quæ tentoria languidiora reperirentur. Quadam die vnanimiter in castris irruerunt, & cominus in Christianos impegerunt, nondum scientes quòd sui deuicti essent. Die illa vehementer Ismaëlitæ in castris desæuierunt, & multi ex Christianis perempti sunt. Inter quos Podiensis tunc signifer occidit, & nisi luteæ interessent salebræ, quæ ciuitatem à castris dirimebant, & transitum nullum, vel difficilem sinebant, laxis habenis ipsa protererent tentoria, & debaccharentur in Christianorum gentem, quæ iam aliquantulum marcuerat. 1098.
C

BVAMVNDVS de Sarracenorum regrediens bello peracto, sed modico quod deprædaretur inuento, alia conscendit montana. Sed in tantam terra iam redacta fuerat vastitatem, vt multi vacui remeauerint. Incassum ergo laborauerant, nisi quod de Turcis solenniter triumphauerãt. Sed multa victoria famem extinguit, vbi totum quod mandi debeat deficit. Parùm lætitia durat, quã egestas panis cõtristat. Reuersi sunt autem ad castra, quæ perhorrescens sauciabat inedia. Armenij & Sutiani lucris inexplebiliter inhiantes, Christianos rediisse vacuos videntes, ad opportuna & remotiora loca decurrebant, & coëmentes cibaria quæ reperiebãt in castra deferebant, & multo precio quod vili coemptũ erat venditabant. Morbi lues castra contaminabat. Ditiores multa indigentibus & hostiatim postulantibus donaria conferebant, sed tamen multis diebus sustinere tot milia non poterant. Cogitauerunt igitur aliqui castra subterfugere. Guillelmus Carpentarius, & Petrus Heremita latenter fugerunt, quos inuentos Tancredus latenter apprehendit, & inhoneste conuiciatos ad exercitum redire compulit. Dein Boamundus ad se deductos probrosis coërcuit verbis, & dignis castigauit angariis. Tunc homines & equi incommodo pari laborabant, & euadendi desperatione nutabant. Adeò Christianorum equi defecerunt, vt in tanto & toto exercitu vix mille milites inuenirentur, qui caballis vterentur. Tatanus natione Græcus satellitum Imperatoris Princeps metu mortis inter tot detrimenta expalluit, & multa sociis promittens profutura, legationem ad Augustum suscepit: & abscedens, numquam postmodum ad eos re-
D

RODBERTVS II. 1098. diit. Probitates & fidelitatem multimodósque angores obsidentium vrbem Alexio A Cæsari luculenter retulit, & GVIDONEM Guiscardi Ducis filium, præclarósque Francorum Proceres, qui cum multis sodalibus sequebantur, sed ab Augusto Constantinopoli honorificè detinebantur, vt socios adire festinarent exciuit. Auditis itaque certis rumoribus, Imperator ingentem exercitum aggregauit, & cum multis copiis, vt Christicolis subueniret, iter iniit. Sed prauis, vt in posteris dicemus, consiliis bonum incœptum non peregit.

GENS interim pauperata furtim discedebat, vadens quò se viuere putabat. Ad mare nullus audebat accedere, quoniam viæ & auia seruabantur. Ecce iterum fama recens percrebruit, Turcos innumeros aduētare, & ingruentiā necis omnibus confestim imminere. Tot enim erāt, quòd vix multorū stadiorū sufficeret eis quaquauersū porrecta capacitas. Exangues Christiani pallebāt, & multi eorū marcida colla circulabāt. Nobilitas tamē de bello disputare ausa est. Cuncti Optimates confluxerāt, omnésq; se inuicē cohortabātur. Quod videns sagax Buamundus, eis valde congratulatus est. Prolatóq. sapiēti cōsilio, cum admonitione facunda ad bellū cohortatus est. Pedites in castris iussit remanere, & portas ciuitatis diligenter obseruare, ne B reseratis illis ciues possēt liberè discurrere. Omnes milites cū inuocatione nominis Domini Iesu armati, & sancta communione præmuniti, processerunt è castris, cum multis vtriusq; cateruæ lamētis. Neutri confidebant de se, nec sacerdos, nec mulier, nec popularis, nec miles. Nec isti nec illi sperabant se de cætero posse frui aspectu mutuo. Hi & illi proruebant in charorum oscula, & omnes in lacrymas ciebantur. Milites hospitati sunt inter fluuium, qui antiquo nomine Daphnes vocatus est, qui præterluit Antiochiam & lacum. Audierant siquidem Turcos in castello Arech cōuenisse vltra pontem ferreum. Impigri Christianorū Optimates ante lucanum conuenerunt, & aurorâ prima illucescēte gnaros exploratores præmiserunt. Qui celeriter reuertentes, Turcos adesse, & duas copiosas acies præstruxisse, acclamauerūt. Viderant enim eos ex altera fluminis ripa accelerantes. Tunc Christianorū Proceres locuti sunt de bello ordinando, & negotiū illud cōmiserunt Buamundo. Ordinatæ sunt itaq; sex acies. Quinq; ex illis processerunt, quæ belli pondus sustinerent, & inimicū agmen efficaciter feriendo repellerent. Boamūdus cum acie sua postre- C mus paulatim gradiebatur, omnib. prouisurus, & subuenturus: & si Turci præualerent prioribus, totam belli ingruentiā excepturus. Litui clangebant, buxinæ reboabant. Vtriusq. multitudinis clamor audiebatur, & acerrimū certamē vtrinq. agebatur. Cōminus vtræq; instabāt legiones. Iam clypeo clypeus, iam vmbone vmbo repellebatur, & confractis hastis enses mutilabātur. Superuenēre Turcorū succenturiæ, quæ grauiter cœperunt Christianos impellere. Nequibāt Franci tantū impetū tot examinatarū nationū sustinere, sed titubantes cogebantur cedere. Tantus enim erat clamor, & strepitus, & telorū imber, vt ipsum etiā obnubilarent aërē. Ingemuit » Boamundus, qui vndiq; prospiciebat eis, tanquā oculatus totus, & ait: Christe, tuos » sustenta Christianos. Et adiecit: Rodberte (Rodbertus siquidē Girardi filius suum » detulerat vexillū) rapidum calcarib. vrge cornipedē, & Christianis titubantib. im- » perterritus esto iuuamē. Memor esto, precor, parentū nostrorū, & ne liuidaueris ru- » tilantē titulum Francorū. Scito nobis ilico de cælis auxilium futurū. Sed vult Deus, » vt nos velut fortes athletæ promereamur & adipiscamur brauiū. Rodbertus sanctæ D Crucis signo munitus, & auxiliarib. manipulis constipatus, festinus affuit, & cruentissimis Turcis audacissim⁹ miles obstitit. Adeò perfidos aggressus est, vt vexilli Boamundi lingulas in ora Turcorū volitare faceret, altóq; clamore suo aliquantulū Turcos deterreret. Ad illius primipilaris impetū & altū clamorē Franci animos resumpserūt, & in Turcos vnanimiter irruerūt. Fragor armorū multus erat, & ab æreis cassidib. elucubrat⁹ ignis scintillabat. Vulnera vulneribus illudebātur, & campi nimio sāguine purpurabantur. Intestina videres depēdētia, cæsa capita, trūca corpora passim oppetētia. Turci itaq; timore nimio exterriti sunt, & repentè cuneis eorū labantibus fugerūt, quos nostri repentè vltra pontē ferreum persecuti sunt. Cæsi sunt ibi Turcorum multi milites, quoniam præliū illud nō habuerat pedites. Christiani autē magno potiti trophæo, læti reuersi sūt ad suos, secū adducētes multos equos, quibus singulariter indigebāt, & spolia multa quę in prȩlio adquisierāt. Turci ad castellum suū Areth satis inglorij reuersi sunt, quod omninò despoliātes succenderunt &

A fugerunt. Armenij autem & Suriani hoc videntes, arta loca præoccupauerunt, & multos ex eis peremerunt: quosdam autem viuos reduxerunt. Castellum verò prædictum Christianis subiugatum reddiderunt. Franci quoque in castra centum capita peremptorum retulerunt ad consolationem suorum, & ad defectionem obsessorum. Hæc omnia viderunt legati Admirabilis Babyloniæ, qui tunc forte à Babylonia ad eos missi, iuxta eos suis morabantur in tentoriis. Illi autem, qui in castris remanserant, tota die in Antiochenos pugnauerant, & tres portas vrbis, ne foras erũperent, indesinenter seruauerant. Prælium hoc factum est Idus Februarij, feriâ III. quæ caput Ieiunij Quadragesimalis præcedebat.

MVLTITVDO ciuium (licèt in præliis semper victi fuerint, & morte vel vulneribus seu captionibus defecerint) tãta erat in vrbe, vt magis in iram efferati Christianos ardentius impeterent, & incessanter ipsa castra perturbarent; frequenter insilirent, atque quibuslibet mortibus funestarent. Christiani præter hæc magnis affligebantur incommodis, quia nec obsidionem deserere, nec procul à castris audebant procedere. B Regiones circumsitæ iam in tantam redactæ erant solitudinem, vt nullam eis suppeditarent pabulorum subministrationem. Turci nimirum, quibus locorum opportunitates cognitæ erant, frumentatum cursitabant, & Christianis attentiùs insidiabantur. Porrò, quæcumque ciuitates, quæcumque castella, quæcumque municipia, quilibet homo, quælibet mulier, omnes, qui vel propè vel procul erant, Christianis inimicabantur. Omnis locus obstructus erat, ne fortè negotiatores ad eos accessissent. Itaque perhorrenda periclitabantur eduliorum inopiâ. Nobilitas igitur, vt plebi consulerent, misericorditer anxiabantur. Consilium inierunt, vt Machomariam munirent, & Turcis transitum per pontem auferrent. Decreuerũt etiam, vt Buamundus Dux, & Raimundus Tolosanus Comes ad portum sancti Simeonis irent, & populum, qui ibi expectabat, ad obsidionem adducerent. Itaque, qui in castris remanserunt, accincti gladiis ad castellum inchoãdum vnanimiter se præparauerunt. Turci autem nec numero nec armis impares audacter Francis occurrerunt, & in tantum aggressi sunt, vt eos in fugam compulerint, multósque peremerint. C Denique comperto, quòd duo maximi Proceres ad portum abscessissent, clandestinas insidias competenter collocauerunt: & à portu sancti Simeonis remeantes immaniter aggressi sunt. Impetebant enim Sarraceni Christianos sagittis, ensibus, lanceis, missilibus; & omnimoda telorum ingruentia Christianos immisericorditer obtruncabant, & dentibus in eos stridentes clamitabant. Redierat quippe cum præfatis Principibus gens, nec satis armata, nec multum pugnax. Pauci Christiani debacchantium crudelitatem diutiùs perpeti nequiuerunt: sed peremptis in illo conflictu plus quàm mille, alij fugerunt. Tales sunt bellorum euentus, tales sunt vicissitudines & hominum & temporum. Nulli vmquam successit semper feliciter, nemo vmquam de continua prosperitate lætabitur, vel lætatus est. Hac de re, & timenda est, & cauenda in prosperis aduersitas; speranda verò, & optanda in aduersis prosperitas. Rumor de Christianis superatis eos, qui remanserant, valde contristauit: eo maximè, quòd certum numerum viuorum seu peremptorum non retulit. Plurimi per montana repentes euaserunt, & ad tentoria quantociùs redierunt. Boamundus per breuiorem viam reuersus Tolosanum præuenit, & de defectu suorum verus interpres nũciauit. D Christiani verò magis irati quàm exterriti Turcos vnanimiter aggressi sunt, & occisione cõmilitonũ suorũ incitati Gentiles viriliter inuaserũt. Vtrimque acerrimè dimicatũ est. Turci põtẽ trãsierãt, & Christianis audacter obuiarant: à quib. præter spẽ horribiliter excepti sunt: & percussi fugiẽdo elabi voluerũt, sed inita fuga mortẽ inuenerũt. Oberat fugiẽtib. põs angustus, fluuiúsq. rapidus & profundus. Alter eis nõ erat trãsitus Fluuiũ circa põtem nemo euadare, vix aliquis poterat enatare. Grãdis multitudo equitatiũ põtẽ pariter ascenderũt, Franciq; fraternæ vltionis & victoriæ cupidi perimere crudeles belluas sategerunt. Insatiati perẽptores instabãt lanceis, & ensibus in eos cominus vtebantur. Quosdam in fluuium præcipitabant, alios lethalibus gladiis confodiebant. Fluuius sanguine cruentabatur, & cadaueribus supertegebatur. Insignis Dux Godefredus quendã maximũ bellatorẽ aurea lorica indutũ in tergo ense percussit, validóq. ictu per mediũ quasi tenerũ porrũ obtrũcauit. Caput cũ humeris & superiori parte corporis à cingulo in flumẽ cecidit, inferiór quepars super velocissimũ cornipedem remãsit. Equus autẽ rectore carens,

RODBERTVS II. 1098. aspere calcarib. vrgebatur, & laxatis habenis fugiētes præueniens vrbē ingressus est. A Hoc totus populus, qui in muris & propugnaculis stabat, vt prospexit, valde mœstus contremuit: & de tanto strenui Baronis ictu plurima cum lamentis verba euomuit. Dies multimodæ mortis, dies illa gentilibus illuxerat, in qua vix aliquis ibi congregatorum mortem euitare poterat. Mulieres à murorum & propugnaculorum spectaculis suorum miserias prospectabant, & successiuis Francorum prosperitatibus inuidebant. In prælio illo duodecim Principes, quos Admiralios vocant, & mille quingenti milites præcipui mortui sunt: aliíque timore nimio, ne in Christianos aliquid arroganter inirent, perterriti sunt. Intempesta nox prælium diremit. Christiani in Domino Iesu lætantes, ad suos victoriosi redierunt, & equos multos cum spoliis copiosis secum adduxerunt. In crastino mane Turci suorum cadauera collegerunt, & vltra pontem ad Machomariam ante portam ciuitatis sepelierunt. Pallia quoque, & preciosas exuuias subtumulauerunt: & arcus & pharetras, & plurimos bizanteos mortuorum procurationi adiecerunt. Quo Christiani comperto, sepultos desepelierunt, concupiscibilémque substantiam rapuerunt, & corpora congregata in foueam vnam contumeliosè proiecerunt. Burdones verò quatuor cæsorum capitibus onustos ad portam miserunt, quæ ciues & Babylonici legati videntes, vehementer doluerunt, & ad mortem vsque contristati sunt. Tertia die Christiani castellum, de quo suprà memoratum est, ædificare cœperunt, & de lapidibus de sepulturis dehumatorum munierunt. Quo satis munito, iam hostes suos artiùs coangustauerunt. Franci autem securiores ad montana cursitabant, & paleis, aliísque quibuslibet victualibus deuehendis iam liberiùs vacabant. Ex altera verò parte fluminis nondum sua Christiani tentoria locauerant, ibíque Turci securiùs discurrebant. B

COMMVNI ergo consilio castellum vltra flumen ædificatum est, magnanimúsque Tancredus de castello illo seruando cum primoribus Francorum pactus est. Omnes enim alij tutelam huiusmodi refutauerunt. Excitis itaque commilitonibus fautoribúsque suis, castellum muniit, obesse vrbi acriter obstitit, vias & inuia irrequietus obseruauit. Quadam die Surianos & Armenios necessaria, vt solebant, in vrbem abundanter deferentes inuenit, celeriter aggressus omnia quæ deferebant abstulit, spoliísque opimis & victualibus gloriosè ditatus, sociis subuenit. Antiocheni ergo, & omnes fautores eorum valde perterriti sunt, & frequentibus infortuniis & calamitatibus oppressi sunt. Franci moribus ferociores, naturâ animosiores, vsu in bello expeditiores erant, & ad hoc in longinquas regiones & exteras nationes iter arripuerant longanimes. Ad Deum in angustiis suspirabant, ipsúmque in necessitatibus suis adiutorem inuocabant, eíque frequenter pro humanis excessibus deuoti satisfaciebant. Pyrrus Dacianus quidam Admiratus, Turcorum prosapiâ oriundus, in obsessa ciuitate tres turres habebat, qui fœdus amicitiæ per fideles internuncios cum Buamundo inierat: de quo fama volans ad eum multa bona detulerat. Frequenter igitur per fidos interpretes, & nota intersigna loquebantur ad inuicem. Hunc aliquando Buamundus ad Christianitatem incitabat, aliquando ad reddendam ciuitatem multimodis pollicitationibus suadebat, & vt vir callens nihil intentatum relinquebat. Nunc eum pro infortuniis ciuitati imminentibus deterrebat, nunc eum pro præmiis copjosis, quæ à Deo gloriosè destinantur, Christianitati alliciebat. Tandem Pyrrus famoso amico assensum præbuit, & tres ei turres suas obtulit, filiúmque suum obsidem daturum se spopondit: & vt incœptum maturarent negotium, summoperè admonuit. Prudens Buamundus intestinam lætitiam cautè celauit, vultum & os ad tempus compescuit. Optimates deinde allocutus de difficultate capiendæ vrbis, de ingenti tædio longę obsidionis, de laudabili constantia victoriosæ expeditionis, suasit vt cuilibet suorum ab omnibus concederetur Principatus Antiochiæ, qui precio, seu vi, vel amicitia, seu quolibet ingenio posset eam obtinere. Tunc seniores ei non adquieuerūt, sed cōmunem eam omnibus esse debere dixerunt, quia generali conatu omnes ibi laborauerunt. Sapiens heros pluribus auditis conticuit, & opportunitatem optati exitus expectauit. Paulò pòst, fama præsaga mali percrebruit in castris, Turcos, Publicanos, Agulanos, Azimitas, & plurimas gentilium nationes aduentare, & de bello in Christianos condixisse. Iam certi eruperant nuncij, qui de certitudine testabantur imminentis periculi. Christiani ergo Duces ad inuicem locuti sunt, & sponte sua Buamundo subintule- C D

A runt. Vides, quod in articulo res nostra posita sit. Si ciuitatem ergo istam prece vel precio, nobis etiam iuuantibus, poteris obtinere, nos eã tibi vnanimiter cõcedimus: saluo in omnibus, quod Imperatori te collaudãte fecimus, sacramẽto. Si nobis Imperator, vt promisit, adiutor aduenerit, iuratásq; pactiones custodierit, periuri viuere nolumus: sed, quod pace tua dictũ sit, nos eam illi cõcedimus. Sin autẽ, tuæ semper subdita sit potestati. Mox Buamũdus iteratis sermonib. Pirrum interpellauit, & ille nihil percũctatus, filiũ suum obsidem misit. Præco, inquit, vester in castris vestris intonet alta voce, vt gens Frãcorum hodie præparata cras ingrediatur Sarracenorum terrã, deprædandi causa, & sic nostris & vestris dissimulabitur causa nostra. Postquã hostiũ multitudinem longiùs abiisse nostri putauerint, minúsq. solliciti sub noctis silẽtio quieuerint. Vos interim clãdestini, scala muris admota, accelerate: omnem tumultũ cõpescite, murũq. citò & cõfidẽter ascẽdite, turrésq. meas vt promisi recipite. Postmodũ de reb. agẽdis procurate, gladiísq. rerũ euẽtus * proficite, nec aliquid quod agẽdũ sit ceu segnes neglegite. Ego verò insomnis & sollicitus vestrũ præstolabor aduẽtũ. Buamũdus itaq. præconi suo, quẽ Malã-coronã cognominabãt, per castra præconari iussit, vt omnes irẽt hostiũ terras deprædari. Omne verò secretũ credidit Duci Godefredo, & Flãdrẽsi, & Normãno, atq. Tolosano, ac Podiẽsi Episcopo, aliísq. quibusdã Optimatib. Tãcredus autem, suique Consiliarij, rem totam ab origine nouerant. Stephanus verò Carnotensis aberat, qui magna detentus ægritudine, vt asserebat, ad Alexandretã recreationis gratiâ, donec conualuisset, discesserat. Exercitus itaque Christianus huiusce rei ignarus, vesperascente die, castra exiuit: & per quædam deuia deductus ante auroram, prope vrbem per compendiosa diuerticula repedauit. Buamundus interim suis mandauit familiaribus, vt scalam, quam reparauerat, cautè muro apponerent, & taciturni confidenter ascenderent: & reliqua, quæ agenda essent, armis animísque vegeti prudenter agerent. Langobardus quidam nomine Paganus (non sine grandi metu) primus ascendit: quem Fulcherius Carnotensis, & Rogerius de Barneuilla, ac Goisfredus Parented, de castro Secred, aliíque ferè LX. subsecuti sunt, quos Pyrrus diligenter suscepit, & in turribus suis collocauit. Deinde Pyrrus, postquàm vidit, quòd plures non sequerentur, valde tristis maternã dixisse linguâ fertur: *Heu! heu! michro Francos ethome*, hoc est, paucos Frãcos habemus. Langobardus ergo per scalam properus descendit, & expectanti Buamundo eminus dixit: Quid agis? an dormis? Mitte velociter quos missurus es, quia indemnes iam obtinuimus tres turres. Alioquin & nos, & ciuitatem, & amicum tuum, qui totam spem & animam suam in sinum tuum expandit, amisisti. His auditis, Boamundus, & qui cum eo erant, dicto citiùs cursum arripiunt, multi ascensum præoccupãt, & septem alias, Pyrro docente, turres intrant. Occisis omnibus, quos intus inuenerant, iam per muros & plateas personant, passim discurrunt, neminíque obuiãti parcunt. Ciues laboribus longæ obsidionis fatigati vix expergiscebantur, & adhuc somnolenti domos suas inermes egrediebantur; somno sonóque clamãtium stupefacti, cautis incauti occursabant, & rem ignorantes aduersarios, vtpote suos clientes, conuocabant. Vbicumque igitur obuiabantur, tanquam oues procumbebant, & obtrũcabantur. Tunc etiam cõuterinus Pyrri frater mactatus est. Interea tanti per scalam repere cœperãt, vt ipsa scala dissiliens dissolueretur, nec alij, qui nisum * propè muros aderant, sociis sursum pugnantibus auxiliari possent. Pro tali ergo euentu contristatis pietas Dei suffragata est. Nam non procul à scala nutu Dei quandam portam, quam retroactis diebus explorantes viderant, à sinistra parte palpantes inuenerunt, ipsáque fractâ quantociùs ingressi sunt. Tunc nimius fragor exortus est, & vberior dimicandi occasio Christianis succreuit, Turcísque somno vinóque sepultis crudelior necis angustia obuenit. Gentiles dum periculum imminens effugere vellent, in Christianos impegerunt: & impetum euitare satagentes dum nesciunt, in repentinum mortis discrimen ceciderunt. Buamundi vexillum ipso iubente in vrbem elatum est, & cõtra municipium, quod erat in vrbe, in editiori colle collocatum est.

RODBERTVS II. 1098.

* prospicite.

CHRISTIANI III. Nonas Iunij, feria IV. Antiochiam obtinuerunt, & innumeros paganorum ibidem interemerunt. Nec ætati, nec sexui, nec cuiuis conditioni nocte illa indultum est. Nox ambigua erat, & ideò promiscui sexus nullum exceperat. Dies illuxit, & qui morabantur in castris, tumultuantibus populis, & reboantibus lituis exciti, vexillum Buamundi viderunt, & agnoue-

RODBERTVS II. 1098. runt,& de capta ciuitate gauisi sunt. Ad portas igitur cucurrerunt, introierunt, sociósque toto nisu adiuuerunt. Turcos subterfugere molientes, si quos inuenerunt, impigrè cæciderunt. Quidam etiam Turcorum per portas effugerunt, quoniam impetuosis Francis incogniti fuerunt. A

CASSIANVS autem Turcorum dominus Antiochiæ Admiratus inter fugientes delituit, & aufugiens in terram Tancredi peruenit. Ibique suis equis, sodaliúmque suorum, ad extremum fessis, coactus substitit, & in quoddam tugurium diuertit. Hoc vt Suriani & Armenij regionis illius accolæ, quibus multa Cassianus mala fecerat, compererunt; ex eis ferè XX. concursum in eum fecerunt, apprehensi caput amputauerunt, & Buamundo præsentauerunt. Vnde & ipsius gratiâ, & optata libertate potiti sunt. Infelici fortunâ deceptus sic periit Cassianus. Incertum habetur, an totius expers confugij discesserit, an ad disquirendum à contribulibus suis adiutorium discurrerit. Illud certum habetur, quoniam si castellum suum introisset, sibi suísque opportuniùs consuluisset. B Plateæ verò, & omnes ciuitatis intercapedines ita densis erant occupatæ cadaueribus, vt liber nemini daretur incessus. Compita nimirum, & viculi, cæsis impediebantur corporibus, vnde horror & fœtor nimius quibuslibet incumbebat viatoribus.

AVDITIS rumoribus de capta ciuitate, multi, qui ad eius adminiculum confluxerant, vel adhuc confluebant, perempti sunt. Alij in municipium recepti euaserunt. Alij verò vitæ suæ fugâ consuluerunt. Sensadolus autem Cassiani filius Curbaranno Magistro militiæ Soldani Persarum Regis occurrit, & cum multis fletibus diros patris patriæque casus retulit. Hunc nimirum Cassianus, dum obsideretur ab Occidentalibus, ad liberationem Antiochiæ multis inuitauerat legationibus. Tertia die, postquam ciuitas Christianis subiugata est, Sensadolus Curbaranno municipium imminens vrbi, & se, & omnia sua contradidit, ipsúmque multis quęstibus & lacrymis ac promissis in Christianos cõmouit. Curbarannus autem erat audax, & bellicosus, prudens, & diues, laudísque cupidus. A Calipha gentis suæ Apostolico in Christianos sæuiendi licentiam acceperat, séque non reuersurum, donec Syriam, C & Romaniam, Apuliam quoque sibi subdiderit, iurauerat. In viribus suis valdè confidebat, quia secum gentes innumeras habebat. Adiuncti etiam erant illi Damascenorum Rex & Hierosolymorum Admiratus, Turci & Agareni, Arabes & Publicani, Azimitæ, Curti, & Persæ, Agulanorum quoque tria milia illi adhærebant. qui ferro vndique loricati erant, nec sagittas, nec lanceas timebant, nec præter gladios arma in bellum ferebant. Tales tantique hostes ad pontem ferreum castra metati sunt, & firmitatem illam confestim expugnauerunt, & omnes extimplo interfecerunt. Reseruato castelli domino, ferreísque vinculis alligato, qui viuus & vinctus inuentus est bello peracto. Agareni arma vilissima, ensem scilicet rubiginosum, & lanceolam, & arcum aspernabilem quibusdam pauperculis diripuerunt: & Curbaranno ad improperium Francorum cum magna irrisione obtulerunt, quæ ille nihilominus cum cachinnosis exprobrationibus in Corosanum misit, & vanis iactationibus vesanos idololatras in Christum exciuit.

DVM hæc aguntur, Curbaranni mater de ciuitate Aleph ad filium accessit, & de his quæ inchoauerat acriter eum redarguere cœpit: eíque, quòd vincendus esset à D Christianis, & eodem anno non in bello morte subita moriturus, manifestè prædixit. Erat enim senex, vtpote centenaria, & futurorum præsaga. Colligebat etiam multa de constellationibus mulier sortilega, & geniculorum, multarúmque disciplinarum conscia. Iactabundus Heros lugubrem matrem superbis promissionibus compescuit, & tertia die armatus in oppidum sibi commissum cum nimiis viribus venit. Christiani obuiam Ismahelitis exierunt, sed immensam multitudinem & fortitudinem illorum perficere * nequiuerunt. Extimplo in ciuitatem refugere coacti sunt, & in angusto portarum ingressu multi repetino impetu suffocati periérũt. Turci enim vehemẽter eos aggressi sũt. Incubuit ergo Christianis magna desperatio. Alij tamen alios consolabantur, & in diem crastinam de prælio concionabantur. Aliqui tamen vltra ius & fas meticulosiores, ad dedecus sui noctu de fuga cogitauerunt. Vvillelmus enim de Grentemaisnil, & Albericus frater eius, Guido Trussellus, & Lambertus Pauper, aliíque plures hesterni belli timore perterriti sunt & vt in crastinum aufugerent solliciti, funibus per murum demissi sunt. Vnde ac

* f. conficere.

A suam diuturnam ignominiam, furtiui funambuli vocati sunt. Tota nocte per abrupta præcipitiorum ambulauerunt, & cum multis comitibus ad portum sancti Simeonis pedites, manibus & pedibus excoriatis, deuenerunt. Ibi multas naues repererunt, & nautas in portu vacillantes crudelibus nunciis terruerunt, dicentes quòd à Turcis Antiochia capta esset, & ibidem Christiani à paganis deleti essent. His auditis, nautarum alij anchoris abruptis mare iam sulcabant, & carbasa crepitantes in auras obliquabant: alij pigritantes dissimulabant. omnes tamen in commune turbabantur & pallebant. Dum hæc aguntur, ecce Turci subitò litora explorantes aduolant, imparatos & timoratos nautas trucidant: rates in portu remorantes spoliant, ignibus appositis concremant, & desidiosos homines pro voto dilacerant. Pugnaces vrbis muniones pondus Turcani belli tota die sustinere, subitóque sapientum consilio murum de lapidibus impolitis & sine cæmento inter ciuitatem & oppidum ædificauere. Ipsa enim maceria opportunum, vt defenderent se, Christianis præstitit auxilium: importunum autem Turcis impugnandi peperit impedimentum. Franci tota sedulitate propter murum armati assistebant, nec somno, nec quibuslibet aliis curandis indulgebant. Interim fames pedetentim conualuit, & obsessos, vt equos & asinos, & si quid aliud immundum erat, deuorarent, compulit. In tanta egestate fideles inuocabant Dominum, & ipse exaudiuit eos.

B

DOMINVS Iesus cuidam Sacerdoti, dum in Basilica sanctæ Mariæ pernoctaret, & pro afflicta Dei plebe oraret, semisopito cum Sanctorum cœtu apparuit, & de fornicationibus, quibus Christianorum cateruæ cum alienigenis, seu Christicolis meretricibus pollutæ erant, querelam deprompsit, asperásque minas lupananti multitudini adiecit. Interim splendida crux super caput eius resplenduit, qua Presbyter Redemptorem mundi agnouit, & deuotè pronus adorauit. Tunc beata Maria misericordię mater, sanctúsque Petrus Apostolorum Princeps, ceciderunt ad pedes Domini Saluatoris, piisque pro afflictione Christianorum supplicationibus, mitigabant iram minitantis, conquerentes de paganis, qui sanctam domum Dei suis turpiter maculauerãt spurcitiis. Finitis supplicatis matris & Apostoli precibus, Sanctus Sanctorum adquieuit, vultúque iocundior Presbytero præcepit, vt omnem populũ palam castigaret, ac ad pœnitentiam omnimodis inuitaret, & fideliter conuersis ex C parte Dei securus promitteret, quòd infra quinque dies opportunum illis auxilium Deus prouideret. Hæc Presbyter cum iureiurando super sanctum Euangeliũ & crucem coram Podiense Episcopo & omni multitudine contestatus est. Populus confestim ad lamentum conuertitur, & de reatus sui confessione alius alium cohortatur. Suffusi ora fletibus, cineratis capitibus, & nudis pedibus, omnes in Ecclesiis passim orant, Domini petunt auxilium, & rogant consilium. Iurauerunt omnes Duces communi decreto, quòd nullus, quo aduixerit, de illo subterfugeret collegio, donec Hierusalem adissent, & sepulchrum Domini deosculati fuissent. Tancredus etiam iurauit, quòd quãdiu XL. milites haberet, de Hierosolymitano itinere non recederet. Christianos ergo hæc inspiratio multum animauit, corroborauit, & exhilarauit.

PETRVS Abraham quidam Clericus de Prouincia comitibus suis visionem huiusmodi retulit: Cùm obsideretur, inquit, Antiochia, forisque graui premeremur « angustia, multimodáque penuriâ, sanctus Andreas Apostolus mihi apparuit, no- « ménque suum interroganti intimauit, & in Ecclesiam sancti Petri, quæ in hac vrbe « D est, introduxit. Ibique mihi quendam locum demonstrans, dixit: Noueris volo, quo- « niam postquàm hanc vrbem intraueris, hîc lanceam inuenies, quæ latus Domini « Saluatoris in cruce perforauit. Hoc munimen sacrosanctum est, & Christianis spe- « cialiter amplectendum. His ita dictis, Apostolus disparuit, & nemini quæ viderã po- « palandi fiducia mihi fuit. Capta autẽ vrbe iterum eundem Apostolũ vidi. Quare, in- « quit, pusillanimis, lanceã non abstulisti? Et ego: Domine, si indè loquerer, quis mihi « crederet? Noli desperare, ait Apostolus, noli desperare: sed scito pro certo, vt dixi, ti- « bique demonstraui, omnia vera esse. Hæc nimirũ reuelatio multùm fatigatis proderit Christianis, vt pote quibus pro lancea profluet confidentia salutaris. Infra quin- « que dies visitabit eos Dominus, & potenter eruet eos à persequentiũ manibus. Pe- « trus autem cõsilium hoc sibi diuinitus insinuatum comitibus suis patefecit. Sed po- « pulus discredebat, & testificantem subsannabat. Ille verò perstitit, & iureiurando af- «

RODBERTVS II. 1098.

firmauit, populúsque tandem iuranti credidit, virésque pristinas in tolerandis pœnis resumpsit. Interea Turci, qui in castello erant, sedulo Francos incursabant: & illi econtra pro posse suo resistebant. In primo conflictu Rogerius de Barneuilla occisus est, & à Christianis in Ecclesia sancti Petri cum magno luctu sepultus est. Erat enim nobilis Normannus, milésque pulcher & probissimus. Quadam die Turci tres Christianos in quadam turre incluserunt, nec Franci tribulationibus tabescentes inclusis adminiculari ausi fuerunt. Duo ex eis grauiter vulnerati exierunt de turre. Solus Hugo Forsennatus præliator acerrimus, de exercitu Godefredi de Monte-scabioso, tota die viriliter defendit se. Strauit etiam duos Turcos nullis coadiutus auxiliis, sed sola manu persequentium obstitit turmis. Verè fuit hic vir audax & magnanimus, & inter omnes bellicosos præcipua laude dignus. Nimiis calamitatibus nostrates tunc fracti fuerunt, qui vnum ex suis tota die pugnantem viderunt, nec succurrerunt: clamantem audierunt, nec responderunt. Cùm Duces vocarent milites, non conueniebant: cùm litui clangerent, in domibus latitabant. Immò inermes & exanimati bellum diu rogatum abhorrebant. Iámque velut exanimes, inglorij & imbelles mori præoptabant.

BVAMVNDVS, aliique Duces, dum exercitum nimis defecisse viderent, vt eos saltem ad murum vsque, qui ciuitatem ab oppido vtcúmque tenui discrimine separabat, conducere non possent: igne immitti in ciuitatem mandauerunt, & sic euiratos de domibus & latibulis delitescẽtes extraxerunt. Ignis itaque in vrbe, qua parte Palatium Cassiani prominebat, accensus est: & ab hora diei tertia, vsque ad noctẽ mediam, non defecit. Et domus vel Ecclesiæ circiter duo milia combustæ sunt. Ignis igitur sopitus est, quoniam omnis ventorum feritas euanuit. Christiani, furentibus flammis in hospitiis suis, spoliis suis vix arreptis, coacti ad Duces confugerunt; ac ad portas vrbis excubandi gratiâ locum vnusquisque acceperunt. Inter Francos & Turcos oppidanos assiduus conflictus erat. Iam enim res brachio manúque duntaxat gerebatur. Iam cominus vtrinque certabatur, nec bellum ad momentum interrumpebatur. Turci plures numero, & impensiore confortati cibo, vicibus sibi succedere, nihil intemptatum prætermittere, Francos audacter aggredi, vltrò se congressibus ingerere, alius alium commouere. Franci econtra immoderanter angustiati vacillare, nec cibum nec somnum capere, quippe quibus nulla dabatur requies. Altum igitur murum silice & cemento cum calce aggressi sunt prouehere, quoniam alium, quem incementatum erexerant Turci, facilè prostrauerant.

QVADAM nocte ab Occidente ignis de cœlo visus est imminere, & intra Turcorũ castra tanquã cadens desæuire. Et licet ignis gentilibus tunc indemnis fuerit, multũ tamen illis incussit terrorem & mœstitiã, Christianis autem solamen & lætitiã, vtrisque populis signũ illud de cœlo enituit. Oppidani tota die instabant lanceis & missilibus, & illidebant vulnera vulneribus. Castrenses extrinsecus ita ciuitatem circumuallauerunt, vt nemini pateret in die introitus, vel exitus. Nocte aliquando aliquis poterat exire, sed occultè, & cum magno timore. Fames indies conualescebat, & Christianos vltrà quàm credi potest angebat. Multi siquidem expirauerunt fame. Panis paximatus & permodicus si quãdo inueniebatur, bizãteo cõparabatur. Equinæ carnes & asininæ pro Imperialibus delitiis computabantur. Gallinę precium xv. erat solidorũ. Ouũ duobus solidis, nux iuglans vno appreciabatur denario. Multos stateres queq; vilia valebant. Tędet me singillatim enumerare multimodos labores, & omnes miserias ac passiones, quas in vrbe obsessa xxxvi. dieb⁹ perpessi sunt Christicolæ munitiones. Sic Deus suos athletas probauit, & vt à propriis reatibus expiarentur, in camino tribulationis exanimauit, & purgatos gloriosè honorauit.

STEPHANVS interim Comes Carnotensis infirmitate, vt dicebat, detentus aliquãtula, sicut dictum est, ad Alexandretam secesserat conualescendi gratiâ. Huius reditum omnes expectabant, vtpotę quem omnes maiores Ducem & Consiliariũ sibi præfecerunt. Erat enim facundus, & singularis scientiæ. Hic vbi Turcos ciuitatem circumuallasse audiuit, de Alexandreta, quæ non multum ab Antiochia remota est, montana latenter conscendit, & innumera Turcorum tentoria, ipsósque velut arenam maris per plurima stadia diffusos vidit, & ciuitatem circumdatã, manúmq; paruam Christianorũ inclusam agnouit. Nimio igitur metu cum suis perterritus, cursim fugã iniit, & festinanter clandestinus discessit, castellúmque suum reuersus spo-

A liauit. Fugiens itaque Alexio Imperatori, qui cū magno exercitu suppetias obsessis veniebat, ad Philomenā vrbē obuiauit, eiq; seorsū vocato dixit: Antiochiā pro certo captā fuisse noueris à Christianis. Sed castellū, quod munitissimū prominet vrbi, sibi retinuerūt Turci. Et ecce nostros in vrbe obsidēt & expugnāt, seu magis, vt reor, iam expugnauerūt, & omnes nostri perierūt. Cōsule ergo tibi, & genti quā cōducis. RODBERTVS II. 1097.

GVIDO Buamundi frater, aliíque multi Francorum & Græcorum festinabant ad obsessorum auxilium, quibus Imperator accitis suum patefecit consilium. Deinde iussit, vt protinus omnes redirent, & regionem illam penitus deuastarent, & incolæ illius in Bulgariam transmigrarent: ne Turci, si persequerentur, in depopulata regione pabulum sibi reperirent. Diris rumoribus rumigeruli Comitis sparsis, obrepsit in populo Dei mœstitudo inæstimabilis. Nam Episcopi & Abbates & Presbyteri penè triduo à precibus & laudibus Dei cessauerunt, & profundis gemitibus suspirabant. Imperator nimis credulus verbis Carnotensis, Constantinopolim reuersus est, & gloria victoriæ & triumphi de Turcis diuinitus aliis, qui legitimè certauerant, reseruata est. Franci nimis inuiti reuertebantur, & amarissimè lamentabantur. Multi etiam è pauperibus peregrinis passim moriebantur.

GVIDO filius Rodberti Guiscardi pro morte fratris & amicorum multa lamenta edidit, pluresque notos & extraneos in lacrymas exciuit, & in itinere in Stephanum Comitem conuitia multa euomuit. Coactus tamen cum Imperatore aliisque auxiliatoribus tristis remeauit.

BELLATORES Dei, qui in vrbe agonizabant, totā spem suam in supernis collocauerunt, & de lancea Domini disquærenda fiducialiter tractauerunt. In Ecclesiā igitur sancti Petri ventum est, ibique diligenter notato loco diutiùs indè altercatum est. Tandem præualente plurimorum sententia, tredecim laboriosis & strenuis hominibus curiosè fodere iussum est. A mane ergo vsque ad vesperam foderunt, & eodem Petro, cui reuelatum fuerat, præsente, lanceam repererunt. Qua reuerenter leuata, publicus clamor exoritur, celebris ad eam concursus agitur, & tota deuotione deosculatur. Orta est igitur inter eos tanta lætitia, vt remota omni accidia deinceps C nullius meminerint mœstitiæ, & ex tunc ausi fuerint de bello tractare.

COMMVNI Christianorum consilio industrij viri Petrus Heremita, & Herluinus Turcanæ linguæ peritus, ad Curbarannum missi sunt: eique & suis ex parte Dei & populi eius commendarunt, vt pacifici cum suis omnibus ab vrbe, quam sanctus Petrus Apostolus Christo subiugauit, recederent: & si ad baptismi sacramentū suspirarent, tanquam veri fratres eos susciperent, & perennis amicitiæ fœdus eis innecterent. Sin autem, accincti gladio, si auderent, de prælio cogitarent. Tunc Curbaranus toruo vultu legatos respexit, Christianitatē omninò respuit, crucifixū Regem despexit, Petrum Apostolum superstitiosum seductorē nuncupauit, fidémque nostram nugacissimam sectam esse asseruit. Ad cultum Machometis Christianos inuitauit, contemnentes autem de fuga commonuit. Legati retrogradum iter arripiētes, festini redierunt, & baptizatorū exercitū de bello imminenti certiorem reddiderunt. Interim fames inualescebat, & timor Turcorū corda pauitātium adhuc aliquatenus euirabat. Tandē Sacerdotū edicto, triduanū ieiuniū expleuerūt, processiones per Ecclesias cum Letaniis celebrarunt, & Christianorum singuli sacrosancto D viatico muniti, pugnam ordinauerunt. Septem igitur acies in ipsa vrbe parauerunt.

IN prima acie fuit Hugo Magnus, cum Rodberto Flandrensi Comite, & xxx. milibus Francorum & Flandrensium. In secunda, Godefredus Dux, cum Eustachio fratre suo, & Conone Comite, & xxx. milibus fortissimorum bellatorum de Alemannis, & Lotharingis, & Boloniensibus. In tertia RODBERTVS Dux Normannorum cum xv. milibus Cenomannorum, Andegauorum, Britonum, & Anglorum. In quarta Haimarus Podiensis Episcopus, cum aliis Episcopis, & Ordinatis, cum quibus erat Petrus Abraham, qui portabat Domini lanceam, quam Christiani sibi præferri desiderabant, & præsidium & tutamentum ibi magnum credebant. In quinta Rainardus strenuissimus Comes, cum IV. milibus Teutonicorum & Baioariorum. In sexta Tancredus cum IV. milibus Apuliensium. In septima Buamundus Dux Apuliæ cum xxx. milibus Langobardorum & Italorum. Vltimus exiit de vrbe, vt omnibus prouideret, & singulorum in necessitatibus tutus adesset. Raimundus Tolosanus cum xx. milibus ad custodiendam vrbem remansit,

RODBERTVS II. 1098. ne gentiles, quorum multa milia castrum sancti Petri secus muros tenebant, vrbem A inuaderent. Christianis egredientibus, Episcopi & Presbyteri sermocinabantur, & orabant, & signo reuerendæ crucis in editioribus stantes locis omnes consignabant.

DVM ordinatè per portam, quæ est ante Machomariam, de vrbe exirent, & clementis Dei efficax auxilium medullitus implorarent, pluuiola tanquam roscida stilla diuinitus cecidit, quæ quasi ros matutinus irroratos equos & equites lætificauit. Vnde equi velut exhilarati hinnire cœperũt, & equitum animi dulciorati vegetiores & alacriores fuerunt, & omnes seipsos promptiores & expeditiores senserunt. Pluuia tamen illa tam subtilis & modica fuit, vt vix pluuiam eam dixerint: sed quasdam guttulas rorantes plus senserint quàm viderint. Hoc nempe à multis probabilibus viris, qui interfuerunt, relatum est.

» CVRBARANNVS ad bellum procedentes vt vidit, dixit: Plus ad fugam hi pro- » perant, quàm ad pugnam. Sinite eos huc vsque accedere, vt liberè deglutiamus » eos in nostra potestate. Exeant, exeant. Nos enim eos statim circumcingemus, & B » præualebimus, & suffocabimus. Christiani verò gradatim ibant, nec alius alium inordinatè præproperabat. Curbarannus autem postquam vidit eos decenter in armis procedere, nec vsquam ceu formidolosos deuiare, sed gressu maturato proce- » dere, iterum non erubuit dicere: Istæ contemptibiles caniculæ de bello forsitan » audebunt præsumere. Tunc metu diriguit, & viribus corporis solutis animo friguit. Clam igitur procuratori suo, quem Admiralium vocant, mandauit, vt si in capite exercitus sui ignem accensum fumigare videret, suos pro certo superatos sciret, & ille confestim dato signo, suisque omnibus sublatis, recederet: ne fortè populus, qui cum eo erat, vel in papilionibus, totus deperiret. Deinde vt acies ordinatas, & maiores quàm audierat copias vidit, ex industria pedem paulatim ad montana retrahere cœpit; vt eos fugere putantes Franci præcipites insequerentur, & ob id exordinati facilius læderentur. Tunc, cùm nihil ita proficerent, disgregati sunt ab inuicem. Pars à mari veniebat, alij stabant in loco, sperantes includere se posse Christianos. Ac Franci ex acie Godefredi Ducis & Rodberti Normanni partem assumpserunt, quam aciem octauam statuerunt, & illis quendam Rainaldum præfecerunt: qui venientibus à mari gentilibus obuiauerunt. Turci verò in eos instanter præliabantur, & multos ex illis sagittauerunt, vel quælibet alia mortis genera feraliter intulerunt. Aliæ Christianorum turmæ ordinauerunt se exten- C dendo à mari vsque ad montana, quod interstitium quasi duum erat miliariorum à montanis; & à mari sagaciter instabant Turci, Christianos circumcingentes, & eos vndique infestantes. Ecce, Deo gratias, ab ipsis montanis visus est exire exercitus innumerabilis, albis equis insidentes, & in manibus candida vexilla præferentes. Hoc multi viderunt Christianorum, & sicut putant, Gentilium: & hæsitantes, mirabantur quidnam esset. Tandem vtrique cognouerunt signum de cœlo factum, & Duces illius agminis, sanctos Martyres Georgium, Demetrium, & Mercurium sua signa ferentes præcedere cognouerunt. Sarracenis ergo multus timor, inhæsit, & Christianis spes melior creuit. Hoc non omnes viderunt, sed multi videntes contestati sunt. Cœlitus hoc apparuit aliis ad confusionem, aliis ad instantis triumphi ostensionem. Gentiles è regione maris pugnantes, postquam pondus belli sustinere nequiuerunt, sicut Curbarannus condixerat, ignem in herbam miserunt. Signo autem, quod diximus, cognito, qui in tentoriis erant, pernices & irrequieti confugiebant, & tremuli supellectilem preciosiorem diripiebant. D Porro Christiani, qui ex aduerso pugnabant, iam ad tentoria Turcorum pugnam diuertebant, vbi maiorem eorum virtutem remansisse sciebant. Turci adhuc obstabant tota obstinatione qua poterant. Alij siquidem pugnabant, alij tendis spoliandis intendebant. Dux autem Godefredus, & Rodbertus Flandrensis, & Hugo Magnus, iuxta flumen equitabant: vbi rursus maximam pugnantium copiam nouerant. Hi constanter Ethnicos aggressi vnanimiter repellebant. Instabant Gentiles pertinaciter, & vtrinque præliabatur irremediabiliter. Resonabant æneæ cassides tanquam percussæ incudes. Minutatim scintillabat ignis, mutilabantur enses. Eliso cerebro humi procumbebant homines. Loricæ rumpebantur, exta fundebantur, equi sudabant fatiscentes: nec equis, nec equitibus vlla præstabatur requies. Agmina conserta tenui armorum

A discrimine vix à seipsis distabant. Alij siquidem alios comminus impingebant, & manus manibus, pedes pedibus, & corpora repellebant corporibus. Timor tamen super Turcos diuinitus illapsus eos exterruit, & constantia inuicibilis illos admirari & obstupescere fecit, & in fugam coëgit. Legio igitur tota cœpit labare, nec buccina, nec tympanum, nec lituus, nec præco poterat eos reuocare. Fugitantes autem Turci ad tentoria declinauerunt, vbi multos suorum, quos ibi dimiserant, succenturiatos æstimabant: qui, vt dictum est, istis certantibus igne accenso fugerant. Denique Christiani paganos atrociter occidendo vsque ad pontem ferreum fugauerunt, & passim obtruncando vsque ad Tancredi castellum persecuti sunt. Deinde ad tendas eorum redierunt, & quicquid erat concupiscibile diripuerunt. Gasas omnimodas, oues lanigeras, iumenta innumera, alimenta copiosa, & quæcúmque indigentibus erāt necessaria, in ciuitatem detulerunt cũ iocunditate magna. Mos enim Gentiliũ est, in hostem copiosas opes deferre, equos, & asinos, & camelos ad subuehendum clitellarios ducere, & oues & boues ad comedendum habere, annonam & farinam, fabam & oleum, vinúmque non prætermittere. Christiani autem his omnibus abundanter cum optato triumpho ditati sunt, & condignis laudibus Deum benedixerunt, eumque sui protectorem præsentialiter cognouerunt, hymnósque gratulanter in cœlum extulerunt. RODBERTVS II. 1098.

B

SYRI & Armenij regionis illius incolæ, videntes Turcos irrecuperabiliter in bello victos, mõtanearum notos anfractus oppilabāt, & calles angustos præoccupabāt, eísque immensam deletionẽ strictis gladiis parturiebant. Mactabant eos velut oues errantes, præ timore nimio totius defensionis immemores. Admiralius quoq; qui in municipio remanserat, cui Curbarannus illud commiserat, vt suos longè latéque turpiter effusos vidit, timore perterritus sibi consuluit, & antequam Franci redissēt, Christianorum vexillum rogauit & accepit, & in castello in loco editiori collocauit, vt suis & sibi sic parceretur, nec de municipio reddendo dubitaretur. Deinde, C dum Christiani victores redissent, & Langobardi signũ Comitis sancti Egidij, quoniam dum rogaretur præsentior aderat, vidissent, valde indignati sunt, acribúsque minis sæuire cœperunt. Admiralius autem pro controuersia pacificanda signum Comiti reddidit, & signum Buamundi pro pace & salute sua, suorúmque commilitonum, in turre sublimauit. Deinde pactum, quod Buamundus & Admiralius ab inuicem fecerunt, ab omnibus firmatum est, & municipiũ Christianis cõfestim redditum est. Non multò pòst, Admiralius, vt priùs, sicut ipse asserebat, diu optauerat, baptizatus est, & liberali Francorũ munificentia donatus est. Christiani itaque, IIII. Kal. Iulij, in prælio iuuante Deo triumpharunt, & Antiochiam liberam & quietam obtinuerunt. Municipes verò Turcos, qui castellum reddiderunt, & Christianæ fidei, quæ lux animæ, & initium salutis est, recalcitrauerunt, Buamundi conductu, vt promissum illis fuerat, in terram suam remigrauerunt.

REMEANTIBVS Francis, qui eos, vt pactum fuerat, deduxerant, intrepidíque iam ad fines suos Turci appropinquabant: ecce BALDVINVS de Rages subitò illis obuiauit, initáque in nomine Domini pugnâ barbaros percussit, occidit, & penè omnes deleuit. Deinde Antiochiam spoliis onustus cum familia sua venit, & D lætos rumores amicis suis retulit. Verùm, quia nunc se offert occasio referendi, quid Balduino contigerit, stylus nostræ narrationis in nomine Domini succinctè enucleabit. Non enim sileri debet tanta res.

POSTQVAM Balduinus, vt supra dictum est, Tancredo cum amaritudine recedente, Tarsum Ciliciæ vrbem obtinuit, Godefredi fratris sui, aliorúmque Ducũ exercitus deseruit, & cum CCC. militibus armigerísque suis ad Edessam vrbem diuertit. Ducem verò Turcorum, qui eidem Prouinciæ præsidebat, adiit, militiámque suam ad seruitutem eius alacriter obtulit. Ille verò cum ciuibus suis Frācos milites gratanter suscepit, opulenta illis in vrbe hospitia delegauit: vberē victum, & copiosa stipendia constituit, & tutelā totius regionis suæ cõmendauit. Porro Godefredus Dux, aliiq; nostrates, vt Balduinũ tutorem Edesseni Ducatus audierunt, valdè lætati sunt, & pro reuerentia illius, prædictæ Prouinciæ fines contingere præcauerunt. Erat enim idem miles staturâ procerus, pulcher, & magnanimus, scientiâ literarum præditus, multimodáque probitate & honestate præclarus, eximia quóque nobilitate, vt pote de prosapia Karoli Magni Imperatoris, præcluus. Hic

RODBERTUS II. 1098. nimirum cum Edessenis contra finitimos Turcos frequentes expeditiones agebat, A Ethnicos armis proterebat, ingentes prædas, & vinctos hostes reducebat, formidabilémque cunctis affinibus suis Edessenum Ducem sic faciebat.

PRÆFATA ciuitas, vt in priscis Codicibus legitur, Rages dicta est: sed infamis bellorum turbinibus sub antiquis Assyriorum tyrannis & Chaldæorũ destructa est. Succedenti verò tempore Seleucus Nicanor, qui de quatuor præcipuis Ducibus Alexandri Magni vnus fuit, post mortem eius, prædictam vrbem restaurauit, & Edessam nuncupauit. Ibi Tigris & Eufrates mortem & abundantiam delitiarum incolis aduehunt. Abagarus Toparcha Edessæ regnauit, cui Dominus IESVS sanam Epistolam destinauit, & pretiosum linteum, quo faciei suæ sudorem extersit, & in quo eiusdem Saluatoris imago mirabiliter depicta refulget, quæ Dominici corporis speciem & quantitatem intuentibus exhibet. Ad hanc vrbem Taddæus Iesu Christi discipulus venit, Abagarum Regem cum omni populo suo baptizauit; ibíque cultum diuinitatis, cooperante Deo, instituit primùm. Hîc nimirum Græci & Armenij & Syri pariter commorantur, & à primordio Christianitatis cælorum Regi vsque hodie famulantur. Verùm peccatis exigentibus, nuper disciplinæ suæ virgam Deus exeruit, & gentilium debacchatione Christianorum commissa castigari permisit. Vnde pręfata ciuitas dominationi Turcorum veluti circumiacens regio subiacuit. Diuo tamen cultu voluntariè mancipabantur, nec vlla paganorum districtione legem Dei deserere cogebantur. Comes itaque huiusmodi Francorum comitati congratulabatur, & illi contra vt fratres in omnibus amicabiliter eos amplectebantur. Turgidus igitur Princeps liuore perfidiáque cæcatus, Christianis insidias prætendit, & Stantori suo in expeditionem eunti imperauit, vt dum redirent, Balduinum sociósque suos, dum exarmati essent, inuaderet, & absque misericordia interficeret. Perfidus doli artifex scelerosæ factionis nefas præstruxit. Quod Balduinum, quia valde à multis amabatur, non latuit. In remeando de expeditione pagani Christianos, vt arma deponerent, & liberiùs irent quasi iocando, admonuerunt. Sed illi dolum præcauentes non adquieuerunt. Tandem, dum ad vrbem appropinquarent, & Franci cautè in armis equitarent, dato signo, gentiles in eos subito præoccupauerunt, & machinationem nequitiæ C suæ, feriendo sodales, turpiter detexerunt. Christiani autem Deum inuocantes restiterunt, viriliter hostes percusserunt, in fugam compulerunt, & fugientes quosdam occiderunt, aliósque feriendo vsque ad portam ciuitatis persecuti sunt. Deinde Balduinus ilico suis iussit, vt ibidem tentoria figerent, & vrbem obsiderent. In vrbe verò multus mox strepitus exortus est, & populus in vnum vndíque congregatus est. Tunc Tobias de primoribus ciuitatis maximus ait: „O boni ciues, paulisper quiescite, quæso, & ego cum tribus contribulibus meis modo Francos adibo, „& cur ab illis obsidemur indagabo. Quatuor igitur Optimates vrbis egressi sunt, & causam tam repentinæ obsidionis inquisierunt. Balduinus respondit: „Fratres meos „& amicos, & nobilem exercitum Christianorum in Cilicia dimisi, & cum CCC. militibus egregiis seruire vobis huc adueni: & vobis Ducíque vestro in omnibus propugnator fidelis extiti. Christiani pro amore meo limites vestræ regionis contingere veriti sunt, nullóque modo damnum aliquod vobis intulerunt. Ego cum meis „contra finitimos hostes acriter præliatus sum, & de inimicis vestris, ad vestrã pacem D „& securitatem, frequentibus triumphis potitus sum. Hæc proculdubio vos ipsi vidistis, & vos veridici horum nobis, vt opinor, astipulatores eritis. Quid igitur ego, sociíque mei hodie peccauimus? Dum ad vestros, sicut heri & nudius tertius, lares tuti repedaremus, & commilitones nostri, ex insperato strictis nos ad necem impetierunt gladiis & missilibus. Sed nobis in tanta necessitate resistentibus, & Christiano more Deum inuocantibus, Christus Deus noster, qui semper suis promptus adjutor est, nobis de cœlo auxilium præstolantibus celeriter auxiliatus est. Commanipulares nostri, qui nos hostiliter aggressi sunt, arma nostra pro animabus nostris exerta persenserunt, & terga dantes fugerunt: ex quibus nonnulli, vt videre potestis, in via gelidi à consodalibus relicti sunt. His ita peractis, in tentoriis commoramur, auxiliúmque vestrum & consilium præstolamur: quos adhuc non hostes, sed legitimos hospites arbitramur.

HÆC & his similia Tobias vt audiuit, vicinos astantes seorsum asciuit, & breui

A vsus colloquio Francos citò repetiit. Non multis, inquit, opus est verbis, inclyti milites, pacifici nunc expectate nos hîc obsecramus, & nos in vrbe vestrum negocium salubriter exercebimus. His ita dictis, & vtrinque concessis, legati vrbem intrauerunt, & conuicaneis suis, quid audierint vel agitauerint, disseruerunt. Audita cõmuniter laudauerunt, quatuor primariosin Palatium Ducis præmiserunt, & ipsi pedetentim cum armis prosecuti sunt. Seuerum Ducem in aula priuatim sedentem inuenerunt, eúmque quatuor priores more solito salutantes, dixerunt: Ingenti « consilio nunc indigemus, quia nunc hostes valde timemus, quos hactenus fidos ad- « iutores habuimus. Franci nos audacter obsident, & impugnare nos atrociter ardent. « Proditores nos appellant, atque ad iudicium inuitant. A commilitonibus suis de « hostili terra dum remearent, dicunt se esse proditos, & à sociis immanius quàm ab « hostibus læsos. Vnde nisi rectitudinẽ eis fecerimus, nimis nos terrent terribilibus, « quòd contra nos adducent omnes copias Christiani exercitus. Prudenter igitur & « vtiliter tractandum est, ne pereamus, nec iniustè in nos intolerabilem Christianorũ « B furorem prouocemus. Proditio ista nobis ignorantibus facta est, celeriterq. tantum « nefas puniendũ est. Vnde cõmuni ciuiũ sententiâ censetur, vt infidi proditores se- « cundũ priscas leges atrociter puniantur, & egregij sodales, imò tutores honorificè « concilietur. Interim dum Tobias hæc locutus est, turma ciuium palatiũ cum silẽtio « cautè ingressa est. Prophanus autẽ scita pacem quærentiũ arroganter despexit, sese que traditorũ defensorẽ & cooperatorẽ palam ostendit. Vnde irati ciues protinus in eum irruerunt, & irreuerenter caput eius amputauerunt. Tunc Tobias caput abscisum accepit, vicinísq; ciuibus dixit: Hoc Palatiũ cum omnibus rebus, quæ intus « habentur, illæsum custodite, & ego cum sodalib. meis Francos adducã cum gaudio « & pace. His dictis Tobias egressus est, & salutatis Francis ita locutus est: Edesseni ci- « ues de iniuria vobis facta valde mœrentes rectitudinẽ à Duce postulauerunt. Sed « quia ille auctorẽ se proditionis fuisse detexit, caput illius præsecuerunt. Et ecce ca- « put inimici Dei, & vestri, per nos vobis miserunt. Cunctis inde gaudentibus Tobias « adiecit: Veni, miles egregie, & filiam Ducis in coniugẽ accipe. Esto Princeps no- « C ster, & Edessenũ Ducatum posside perenniter. Balduinus itaq; cum suis tripudians, « vrbem ingressus est, & in Palatio principali à cunctis ciuibus valde gaudentibus susceptus est. Insignis puella scelerosi Ducis opportuno tempore baptizata est, & eleganti Balduino, quem viuente patre, sed ignorante, medullitus optauerat, sociata est. Indigenæ Christiani, quòd Christiano Principi subderentur, Deo gratias reddentes, admodum lætati sunt, & Turci amissa dominatione, qua Christicolas hactenus oppresserant, deiecti sunt. Ingens Basilica sanctæ Sophiæ ibidem constructa fuerat temporibus antiquis, quam in honore sancti Saluatoris, qui est virtus & sapientia Dei patris, Balduino principante veneranter cœperunt colere fideles aduenæ cum indigenis. Diuinæ seruitutis series insigniter Edessæ restaurata est, & multò plus incomparabiliter, quàm stylus noster annotare potest, diuina pietas in populo suo mirabiliter intus & exteriùs operata est.

Baldvinvs itaque multiplicibus negotiis ad laudem Christi occupatus, non potuit suffragari Christianis Antiochiam obsidentibus. Auditis tamen rumoribus de oppressione nimia, quam ibidem perpessi sunt, ipse & commilitones eius D Christicolis vehementer condoluerunt, & quàm citiùs potuerunt rebus suis optimè dispositis, ad subsidium eorum festinauerunt. Interim ipsi, auxiliante Domino Iesu, victo Curbaranno cum suis victores triumpharunt, & Balduinus sociique eius Turcos de municipio Antiochiæ, vt dictum est, recedentes confuderunt: ipsisque peremptis, spoliísque direptis, fratres atque amicos visitauerunt. Tunc omnes vtrinque relatis euentibus prosperis gauisi sunt, & triumphatori Deo, qui cuncta laudabiliter disponit, immensas laudes ore & corde reddiderunt.

Post mutuam collocutionem fratrum & amicorum Dux Balduinus Rages expetiit, & Ecclesiam Dei commissúmque sibi populum, vt dulcis Patritius educauit. Finitimos crebris certaminibus Turcos oppressit, & Christianorum ciues profligatis malefactoribus dilatauit. Clerum quoque nobiliter auxit, necessarias opes suppeditauit, ac vt diuinum seruitium ad salutem credentium quotidie persoluerent, sollicitè obsecrant. Ferè quinque annis Ducatum fortiter tenuit. Deinde Godefredo fratri suo in regno Hierosolymorũ successit, quod fermè xv. annis

ROBERTVS II 1098. multa in paganis fortia gerens, strenuè rexit. De Turcana coniuge, quam duxit, A nullam sobolem habuit. Vnde BALDVINVM DE BVRG consobrinum suum in Ducatu & regno successorem sibi constituit. Deinde Fulco Andegauensis Comes in Hierusalem peregrè petrexit, & MILESENDAM secundi Balduini filiam in coniugem cum regno accepit.

MENSE Iulio, post optatam victoriam, & virtute nactam in gratia Dei Antiochiam, Christiani Duces in vnum conuenerunt, & communi consilio HVGONEM Magnum ad Alexium Imperatorem Constantinopolim direxerunt: vt ad vrbem recipiendam, quam calamitosis passionibus ei adquisierant, festinaret, eisque similiter iuratas pactiones illibatas conseruaret: scilicet, vt ipse Comes irremotus in Hierusalem cum illis veniret. Hugo Magnus huiusce legationis officio functus iuit. Sed licet in ipsa expeditione multa manu consilióque gnauiter peregerit, ibi tamen multùm deliquit, vbi ad fratres, sicut promiserat & debuerat, coruini generis legatus postea non rediuit.

DISCEDENTE Hugone, Duces concilium ordinauerunt, & de conducendo B in Hierusalem populo Dei consiliati sunt. Dixerunt igitur: Populus iste qui multas passus est calamitates, vt sepulchrum Domini Dei sui videre promereatur, iam multis fatigatus infortuniis, de accelerando itinere palam conqueritur, & nositidem multo affecti tædio conquerimur. Prouideamus ergo ipsis quod magis vtile sit. Nullas vlterius moras censemus nectendas, præter quas ineuitabilis opposuerit necessitas. Sed tamen singula non impetuosè, sed diligenter æstimanda sunt, & modestè. Terra, per quam ituri sumus, inaquosa est. Æstas vltra modum torrida est. Aëris inclementiam ad præsens ferre non possumus. Longa obsidione & sumptibus & viribus exhausti sumus. Sileamus ergo, & quiescamus, & vulneratos & infirmos reparemus, & interim pauperum nostrorum misereamur. Humida solstitia expectemus, Cancri & Leonis nociuos successus declinemus. In Nouembri tempus refrigerabitur, & tunc congregati vnanimiter, condictum iter aggrediamur. Alioquin totum populum intempestiuis ardoribus affligeremus. Hoc autem consilium turbis flagitantibus enucleatiùs disseratur. Tempus intractabile necesse est declinemus, & hoc omnibus vtilissimum perpendamus. Id in toto exercitu annunciatum est, & tandem ab omnibus collaudatum est. C

DISPERSI sunt ergo Duces & familiæ per finitimas regiones æstiuandi gratia, & egeni eos subsequebantur viuendi causa. Dixerant enim Duces: " Si quis egens est, & corpore vegetus, iungatur nobis: & nos omnibus, datis " vnicuique stipendiis, subsidiabimur. Infirmi publica stipe, donec conualuerint, " sustententur.

TVNC Raimundus Piletus, de familiaribus Comitis sancti Ægidij, magnanimus miles, collegit sibi plures milites ac pedites. Collecto igitur exercitu, quantum potuit, terram Sarracenorum audacter intrauit, & vltra duas ciuitates, ad quoddam castrum Syrorum, cui nomen Talamania, deuenit. Suriani autem habitatores eius sponte sua Christianis se reddiderunt, ibique Franci ferè diebus octo requieuerunt.

DEINDE cingulis militaribus accincti, proximum castellum Agarenorum aggressi sunt, coangustauerunt, & præualuerunt, deprædati sunt, & colonos pessumdederunt. Si qui tamen ad fidem Christi conuerti voluerunt, illæsos seruauerunt. D His ita peractis, gauisi sunt, ac ad prius castellũ reuersi sunt. Iterum tertia die exierunt, & Marram ciuitatem, quæ propè illos erat, venerunt. Vnde multi gentiles, qui ab Aleph, & aliis circũsitis vrbib. conuenerunt, in eos ad bellũ prosilierunt. Franci pugnaturos eos arbitrati, se ad pugnam more castrensium præparauerunt militum, sed delusit eos exinanita spes illorum. Turci namque versum ciuitatem cautè reuersi sunt, non fugientes, neque comminus propugnantes; sed quodam astu pugnæ se subducentes, & iterum Francos celeri gestu impugnantes, inuadebant eos, & giro facillimo reuertebantur: & mox reducti equi rursus indifficulter girabantur. Franci frequentes sustinebant impetus, nec tutò deuitare poterant instantiũ concursus. Si enim recedere attẽptarent, gentiles à tergo, quod accidit postea, cedentibus insisterent. Sustinuerunt ergo vsque ad vesperum laborem & sitis ardorem. Æstus quippe quàmaximus erat. Deniq. postquam laborem nequiuerãt ampliùs susti

A nere, nec sitis ardorem compescere: quoniam ad refocillandum nulla inueniebatur aqua, conati sunt, & condixerunt ad castellum suum conglobatim & gradatim redire. Sed gens inualida & indocta, pedites videlicet ac Suriani, ordine spreto, & edicto militum neglecto, nimio correpti pauore cœperunt disgregatim fugere. Gentiles autem eis indefessi instabant, & terga cedentes insequebantur & cædebant, & lupis atrociores nemini parcebant. Suggerebat illis vires optata victoria, & præsentis temporis opportunitas. Multi itaque sunt de gente plebeia, & pusillanimi, gladio necati, alij verò nimia siti suffocati. Qui autem viui euaserunt, cum Raimundo Talamaniam redierunt, ibique dies aliquot fecerunt. Occisio hæc mense Iulio facta est, & superborum insolentia diuinitus castigata est. Sic nimirum filios Israël in sacris Codicibus frequenter afflictos legimus, & in bello victos à Philistiim, & Edom, atque Madian, aliisque vicinis gentibus: vt cogerentur ad Deum semper recurrere, & in obseruatione mandatorum eius perseuerare.

RODBERTUS II. 1098.

B ANTIOCHIÆ tunc Haimarus Podiensis Episcopus ægrotauit, & paterno more lugubres filios confortauit, viámque vniuersæ carnis ingrediens Kalend. Augusti ad Dominum migrauit. Luctus itaque immoderatus in tota Christi militia factus est, quoniam ipse fuerat consilium nobilium, spes orphanorum, imbecilium sustentamentum, militibus homo militaris. Clericus clericaliter educebat & educabat, prudentiâ singulari præcluebat, eloquens & iocundus omnibus omnis erat. Singultuosus ergo exercitus exequias eius celebrauerunt, & aromatibus condîtum corpus in Ecclesia sancti Petri Apostoli sepelierunt.

COMES sancti Egidij nullatenus pigritiæ vel socordiæ adquiescens, quin gentilibus zelo inimicaretur, continuò terram Sarracenorum ingressus est, & Albaram nobilem eorum ciuitatem expugnauit, & violenter apprehendit. Omnes vtriusque sexus ciuitatis incolas penè peremit, vrbémque subactam suo dominio mancipauit. Idoneum in ea Pontificem Christiani constituerunt, & quæ ad cultum veræ Religionis attinebant, ibi ordinauerunt. Præsul Albarensis Antiochiam missus est, ibique secundum Ecclesiæ ritum dignè consecratus est.

C APPROPINQVANTE condicto tempore iam eundi in Hierusalem, omnes de imminenti negotio differere, ne vlteriùs disturbarentur ab itinere. Verùm, insopibilis altercatio de dominatu ciuitatis inter Buamundum Ducem, & Raimundum Comitem erat, quam maiorum natu peritia multis & profundis commonitionibus compescere nequibat. Vnus dominationem totius vrbis, sicut ei concessum fuerat, dum nec capta ciuitas obsidetur, requirebat. Alter verò sacramentum, prout ipse Buamundus collaudauerat, Imperatori fecerant, prætendebat; nec vllatenus pro deuitando, vt asserebat, periurio emoliri poterat. Buamundus itaque castellum, quod ei redditum fuerat, muniuit alimentis & hominibus, armis & excubitoribus. Comes similiter Palatium Cassiani Admiralij, quod præoccupauerat, & turrem, quæ desuper pontem est, à portu sancti Simeonis summopere seruabat. Tantæ erant ambitiones & simultates, vt neuter alteri crederet, vter sub palliata ambitione ciuitatem sibi attemptaret. Nec mirum, quantum ad honorem & vtilitatem. Antiochia siquidem ciuitas est pulcherrima & munitissima, & copiosorum reddituum opulentissima. Sunt infra ipsam quatuor montaneæ satis altæ, in quarum vna, sublimiori scilicet, castellum est, quod omni ciuitati proimminet. Deorsum ciuitas est decenter ædificata, & duplici muro circum ambita. Murus interior amplus, & in aëra porrectus est. Magnis & quadris lapidibus compactus & compaginatus est. In qua muri compagine turres sunt quadringentæ quinquaginta, formosis venustatæ mœniis, & defensæ propugnaculis. Murus exterior non tantæ est celsitudinis, sed tamen admirandæ venustatis. Continet in se trecentas & quadraginta Ecclesias. Pro suo magno Primatu Patriarcham habet, cui centum quinquaginta tres Episcopi subiciuntur. Ab Oriente clauditur quatuor montaneis, ab Occidente verò ciuitatis muros Farfar flumen præterfluit. Hæc antiquitus, vt Hieronymus in explanatione Prophetarum scribit, Reblatha dicta est, sed à Seleuco Nichanore postmodum aucta est, & à nomine patris sui, scilicet Antiochi Clari,

D

RODBERTVS II. 1098. nominata est. Et quoniam tantæ fuit auctoritatis & nobilitatis, vtpote quæ totius A Syriæ caput exriterat & metropolis, Franci noluerunt eam deuictam temerè dimittere, per quam optabant Primatum suum longè latéque proferre, & regiones etiam longinquas Christianitati subiugare. Hanc per octo menses & vnum diem obsederant, & in eadem iam capta per tres hebdomadas obsessi sunt. In qua obsidione diuturna tantus confluxit conuentus gentilium, vt nullus meminerit copiosiorem se vidisse vel audisse frequentiam populorum. Requieuerunt igitur in ea quinque mensibus, & nouem diebus. Tot rebus occurrentibus noluerunt eam incautè dimittere, sed fideli delegauerunt tutelæ. Comes autem & Buamundus peculiariter super eam sibimet cogitabant. Ciuitatem ergo, vt dictum est, muniuerunt, & in mēse Nouembri alias profecturi rebus quibuslibet compositis Antiochiam exierunt. Comes Raimundus cum suo exercitu exiuit, & duas ciuitates, Rugiam & Albariam pertransiit, quintóque Kal. Decembris applicuit ad Maram ciuitatem munitam & opimam, & multis Agarenorum nationibus refertam. Die verò crastina ciuitatem cum suis expugnare cœpit, sed obstantibus mœniis & defensoribus B tunc nihil profecit. Quem subsecutus die Dominica Buamundus, prædictam ad vrbem venit. Altera verò die viriliter vrbem aggressi sunt, tutores mœniorum variis assultibus infestauerunt, sed parum eis nocuerunt. Scalæ ad murum stabant erectæ, sed Turcis occlamantibus & oppugnantibus nemo præsumebat scandere. Ciues enim se istis obstare posse credebant, sicut Raimundo Pileto antea obstiterant. Raimundus Comes ligneam fecit machinam compaginari, ac vt habilior esset ad conducendum super quatuor rotulas eam collocari. Fuit autem tātæ proceritatis, vt mœniorum culmen despiceret, turrium quoque porrecturam adæquaret. Struem igitur illam propter quandam turrem admouerunt. Lituorum & tubarum clangebant classica, phalanges armatæ circumuallabant ignea. Balistarij & sagittarij dirigebant spicula, & qui in arce erant lignea, saxa iactitabant ingentia. Vuillelmus de Monte-Pislerio, & alij plures, in machina pugnabant, lapidibus aliisque telis ciues desursum grauabant: & percussos in ancilibus vel galeis, vel in capitibus, facile perimebant. Alij alios ferreis vncinis sine intermissione infestabant. Turci de turribus satagebant Christianos sagittis & lapidibus impugnare. Ignem quoque, quem Græcum vocant, in machinam iacere, & nihil ociosum admittere. Christiani econtrà oleum, quod maximè ignem Græcum extinguit, effundere, C ascensum temptare, pedémque retrahere; eósque qui muris supererant, formidare, in nullo tamen deficere. Sic prælium illud ad vesperum vsque protelatum est. Tantùm erat infatigata virtus Agarenorum, vt audacter refellerent versutias Christianorum. Denique Lemouicensis GVLFERIVS DE TVRRIBVS, vir alti sanguinis, & audaciæ mirabilis, primus scalam ascendit, & vsque in murum pedem tetendit. Ascenderunt post eum aliquot, sed non multi. Scala siquidem confracta dissiluit. Gulferius tamen viriliter murum defensabat, & paganis expugnatis, socios nutu & voce conuocabat. Interim aliam scalam festinanter erexerunt, & per eam milites peditésque tot ascenderunt, vt murum magna ex parte præoccuparent & ciues expugnando reicerent. Pagani tamen totis nisibus insurrexerunt, & Christianos aggressi sunt, & tanta illos virtute aliquotiens impetierunt, vt aliqui Francorum timore subacti è muro se dimiserint. Plures tamen in muro remanserūt, qui tamdiu frequentes impetus tolerauerunt, quousque Christiani murum suffodissent, aditúmque patefacerent. Quo Turci cognito, ad desperationem vsque timuerunt, & in fugam irreuocabiliter præcipitati sunt. Idus itaque Decembris vespere Sabbati, Marra ciuitas opulenta capta est. Christiani vrbem deuictam ingressi D sunt, & quicquid gazarum in domibus vel in foueis inuenerunt, rapaciter abstulerunt. Sarracenis perimendis toto conatu institerunt, vt vix aliquem viuere permiserint. Nullus in tota vrbe locus vacabat à cadaueribus, gressus quoque viantium grauiter offendebantur ab extinctis & condensis corporibus. Capta ciuitate, ciuium magna pars cum vxoribus, & filiis, suísque supellectilibus, in palatium, quod supra portam erat, conuenit, ibique Christianorum manui subiacuit. Quorum alij perempti sunt, alij Buamundo iubente in Antiochiam seruitum vel venum deducti sunt; & omnes, ita opibus eorum direptis, dissipati sunt. Franci autem morati sunt in eadem vrbe mensem integrum, & dies tres.

A Ibi Orinsis Episcopus infirmatus à * superis recessit,& ad superos euolauit. Tunc fames valida exercitui surrepsit, & quemlibet inhonesta, vel inconsueta, vel austera, vel illicita dentibus infastiditis attingere coëgit. Tunc etiam Turcinas carnes quidam comederunt. quod maiores natu & honestiores vt audierunt, erubescentes contristati sunt, sed vltionem præ nimia fame suspenderunt. Non enim eis pro maximo scelere imputabatur, quia pro Deo alacriter tantam famem patiebantur, & inimicis Dei dentibus & manibus inimicabantur. Patrabant equidem illicita; sed legem violari compellebat necessitas angustiosa. Fames enim castrensis omnia appetit, nihil respuit. Quidam corpora Turcorum findebant, quoniam in eorum corporibus bisanteos inueniebant, & aurum quod glutierant, & illud tollebant. Plerique autem fame prævalida ibi perierunt. Ibi proceres denuò de concordia inter Ducem & Comitem locuti sunt, sed nihil profecerunt. Vnde Buamundus iratus, Antiochiam confestim reuersus est,& iter in Hierusalem ad populorum detrimentum disturbatum est. Priuatæ Principum simultates subiectos pessundant & affligunt, dum inter se dissentiunt. Dum enim vnusquisque quod suum est quærit, à communi prouidentia tepescit. Populi quoque ad communem perniciem desolantur, vbi Consules seipsos non consolantur. Populus itaque Hierosolymitanus multum erat impeditus pro Ducum suorum querelis peculiaribus.

RODBERTVS II. 1098.

B

Rvrsvs Comes per legatos suos Principes, qui erant Antiochiæ, prosecutus est, ac vt ei ad Rugiam confabulandi gratiâ obuiarent, illos allocutus est. Godefredus igitur Dux, & Rodbertus Normannus, & Rodbertus Flandrensis, aliíque conuocati Principes Rugiam venerunt, & Buamundum secum adduxerunt. Tunc etiam de concordandis Proceribus multum locuti sunt, sed de via naturanda nihil profecerunt. Buamundus ire nolebat, nisi ciuitas ei tota redderetur: neque Comes, nisi Buamundus eos comitaretur. Comes Marram est reuersus, vbi Christianus fame periclitabatur exercitus. Tandem corde compunctus, animo suo liberaliter dominatus est:& vt Dei militibus consuleret eundi in Hierusalem iter aggressus est. Præposuit enim causam Dei suæ voluntati, vel vtilitati. Summa quidem virtus est in Principibus, si sibi ipsi dominentur. In Ducibus enim nimia obstinatio, subditorum omnium est periclitatio. Imperauit igitur Comes sibi ipsi, ne omni noceret Christianitati. Mandauit autem hominibus suis, vt Palatium Cassiani curiosè munirent. Exiuit Marrâ Idus Ianuarij, nudis pedibus, & peregrinis Dei coagulauit se spontaneus. Hoc signum susceptæ peregrinationis humiliatus Comes ostẽdit. Grandis itaque in populo Dei lætitia facta est, & Dux Normanniæ proficiscentibus illis ad ciuitatem Caphardam adiunctus est. Ibi tres quieuerunt dies, & Rex Cæsareę pacem cum Consulibus fecit. Multotiens enim legatos suos antea Marram direxerat, firmiter spondens, quòd Christianis pacificus esset, & multa de suis libenter impartiret, & per totum regnum suum copiosum mercatum suppeditaret: nisi ad eum exhereditandum, vel regnum suum depopulandum Francorum genus indomitum anhelaret. Indè fidelitas à Rege Christianis facta est. Deinde à Capharda omnes egressi sunt, & secus fluuium Farfar prope Cæsaream castra metati sunt. Videns autem Rex Francos propè vrbem suam hospitatos, vehementer indoluit, & celeriter illis hæc mandauit: « Nisi summo diluculo à ciuitatis nostræ suburbio castra vestra remoueritis, vos fœdus initum violabitis, nósque vobis mercatum promissum vetabimus, nósque nobis prouidebimus. » Mane igitur facto, duos de suis ad eos direxit, qui illos euadare fluuium edocerent, & exercitum in terram fertilem deducerent. Intrauerunt autem quandam vallem opimam & locupletem, cui supererat castellum, quod extimplo Consulibus fecit securitatem. Deprædati sunt ergo animalium ad quinque milia. Ibi etiam multum diuersorum alimẽtorum repertum est,& præ vbertate gratuita tota Christi militia refecta est. Castrenses etiã exercitui dederunt equos, aurúmq; purissimũ, multámque pecuniã:& iurauerunt se peregrinis nullatenus deinceps nocituros, neq; subinde mercatũ eis prohibituros. Manserunt autẽ ibi diebus quinque. Porrò, indè digressi, ad quoddã Arabũ applicuerũt castrũ. Mox igitur castelli dominus cum eis locuturus exiuit, & pacẽ fecit, quæ vtrique parti placuit. Demigrauerunt indè ad ciuitatem Cephaliam muris pulcherrimam, & omnibus bonis opulentam, in valle quadam. Ciues autem eius pro timore Francorum vrbem pauitantes exierunt, & hortos oleribus refertos, domósque

C

D

RODBERTVS II. 1098. alimentorum & opum plenas reliquerunt, & inconsulti aufugerunt. Christiani verò gratulanter omnibus bonis eorum potiti sunt, & Deo bonorum datori gratias hilares reddiderunt. Die tertia inde processerunt, & montaneam nimis altam præcipitando transcenderunt, & iterum in vallem vberem descenderunt, vbi XII. dies quieuerunt. Deinde proximum valli castellum Sarracenorum viriliter aggressi sunt, & re vera illud deuicissent, nisi gentiles animalium, & iumentorum, & pecorum greges, foras eiecissent, quæ Christiani diripuerunt, & sic ad tentoria sua onusti præda reuersi sunt. Pagani autem nimirum perterriti noctu secesserunt, & Franci crepusculo diei castellum hominibus vacuum ingressi sunt. Ibi abundantiam frumenti, & vini, & farinæ, & hordei, oleique repererunt: & purificationem Sanctæ Mariæ deuotissimè celebrauerunt. A

IBI Rex de Camela ciuitate Consulibus per nuncios suos larga donaria misit, pacémque suam Christianis obtulit: spondens quòd numquam Christianos offenderet, imò diligeret, ac honoraret. tantùm Christianus populus in bonum ei talionem retribueret. B

REX quoque Tripolis decem equos, & quatuor mulas, & auri pondus immensum Christianis misit, & pacem & amicitiam ab eis per legatos poposcit. Comites cum eo nec pacem fecerunt, nec oblata receperunt: imò fiducialiter responderunt: » Hæc omnia ex te respuimus, quousque satagas fieri Christianus. Postquàm de valle opima egressi sunt, ad quoddam castrum nomine Arese transierunt: iuxta quod pridie Idus Februarij castra locauerunt. Oppidum autem illud innumerabili erat paganorum gente munitum, Arabum frequentiis, & Publicanorum, qui viriliter se defendebant contra assultus Christianorum. Quatuordecim milites Christiani versus Tripolim, quæ non multùm differebat ab exercitu, iuerunt, & sexaginta Turcos inuenerunt, qui ante se multos conducebant homines, Sarracenos, Arabes, & Turcos, mille circiter quingentos, & animalia plurima. Hos Christiani pertinaciter inuaserunt, & ex illis sex occiderunt, equos totidem abstulerunt, aliósque fugauerunt, & animalia reduxerunt. Francorum siquidem inuincibilis ferocitas finitimos & procul positos omnes deterrebat. Deus etenim sic operabatur in illis, qui semper suis præsto est athletis. Res in virtute Dei læta fidelibus contigit, dum XIV. Christiani LX. Turcos superauerint, & residuam multitudinem fugauerint, & animalia ex ipsorum faucibus abstraxerint. C

DE exercitu Raimundi Comitis, Raimundus Piletus, & Raimundus Vicecomes, cum militibus non multis exierunt, & ante Tortosam ciuitatem, vbi non modica multitudo paganorum erat, discurrebant. Sero iam facto, ad secretum locum secesserũt, & opportunis in locis pernoctauerunt, & plurimos ignes, quasi totus aduenisset exercitus, accenderunt. Orto iam sole, Franci vt vrbem aggrederentur conuenerunt, quam vacuam hominibus inuenerunt, ibíque, quamdiu castellum obsidebant, inhabitauerunt.

ADMIRALIVS Maracleæ ciuitatis, quæ non procul erat, pacem cum Christianis fecit, & eorum vexilla in vrbe præfata inuexit. Dux interea Godefredus, & Flandrensis Comes, & Buamundus, vsque Laodiciam, quàm vulgo Liceam vocant, venerunt. Buamundus iterum ab illis segregatus, rediit Antiochiam, quam multum desiderabat esse suam. Dux autem & Comes Gibellum ciuitatem obsederunt. Raimundus Comes audiuit gentiles cum magnis militantium cuneis aduentare, bellúmque Christianis non anceps præparare. Misit igitur ad socios, qui Gibellum obsederant, dicens: Certum nobis imminet bellum, & super nos veniunt agmina paganorum. Cum ciuitate ergo, quam obsedistis, agatis volumus. De pace, tutandísque fratribus expeditiores adestote. Melius est conuenire & præliari, quàm nos à nobis separari, & superari. In bellis mora modica est, sed vincentibus lucrum quàm maximum est. Obsidiones multa consumunt tempora, & obsessa vix subiugantur municipia. Bella nobis subdent nationes & regna. Bello subacti, tanquam fumus euanescent inimici. Bello peracto, & hoste deuicto, vastum nobis patebit imperium. Bonum est ergo vt conueniamus, quoniam si Deum promereri ducem & præambulum poterimus, indubitanter statim de inimicis nostris triumphabimus. Accelerate, inquam, ne nos æmuli nostri, dum venerint, imparatos inueniant. D

A DVX & Comes legationem hanc gratanter audiebant, quoniam bellum inhianter esuriebant. Pacem igitur cum Gibellensi Admiralio fecerunt, & munera multa cum pactionibus placitis ab eo acceperunt. Deinde confratrum ad auxilia profecti sunt. Sed Turcos, quos sperabant, tunc non inuenerunt. Vltra fluuium autem hospitati sunt, & ex illa parte castellum illud obsederunt. Nec multò pòst ex Christianis quidam ad Tripolim equitauerunt, si qua possent obesse gentilibus attemptantes. Inuenerunt autem Turcos & Arabes, ipsósque Tripolitanos extra vrbem effusos, excursum Christianorum similiter expectantes, & velut in insidiis latitantes. Mox alij pertinaciter alios inuaserunt. Agareni siquidem primos impetus aliquantulum sustinuerunt, & diutiùs obluctati sunt. Tandem percutientibus terga dederunt, & in illa tergiuersatione multos ex suis amiserunt. Multi etiam ex nobilioribus ciuitatis ibi ceciderũt. Mulieres, & matres, & virgines, à pinnarum spectaculis mala Christianis imprecabantur, & pro suis anxiabantur. Ingemiscebant, & tantùm earum aliquæ probitati Francorum applaudebant. Paganorum occisione & cruoris effusio-

RODBERTVS II. 1098.

B ne, fluuius, qui ciuitatem affluebat, rubuisse visus est. Et cisternæ, quæ in vrbis erant sinu, quas fluuius alebat, sanguine contaminatæ sunt. Mœror igitur quàm maximus incubuit Tripolitanis, tum pro maioribus suis trucidatis, tum pro cisternis fœda sanguinis incursione pollutis. Duobus itaque damnis vno die affecti sunt, duplicésque lacrymas profundere meruerunt. Angustiabat illos, quòd inopinabiliter Franci potiti sunt tropheo. Contristabat eos cisternarum suarum, quas magni pendebant, sanguinolenta fœdatio. Exterriti sunt igitur vsque ad defectionem Tripolitani, & sine obsidione obsessi vlteriùs non audebant ciuitatem egredi. Tripolitanorum finitimi eisdem percellebantur infortuniis. Franci gratulabunda potiti victoria, hymnizantes Deo reuersi sunt ad suos. Altera verò die milites de exercitu equitauerunt vltra vallem de Sem deprædatum terram, & inuentis bobus & asinis, ouibus & camelis, quorum fuit numerus ferè ad tria milia, tanta onusti præda cum gaudio remearunt ad sua castra. Sederunt igitur ad castellum Archæ (nam nimis erat inexpugnabile) tribus mensibus & vna die. Celebrauerunt etiam ibi Pascha Domini IV. Idus Aprilis. Naues enim Christianorum ad quendam applicuerant portum, satis

C tutum, & castello vicinum, quæ suppeditauerant castrensibus frumẽtum & vinum, caseum & oleum, fabam & lardum, & totius vbertatis mercatum. Frequenter etiam regionem opulentam deprædatum egrediebantur, quoniam suo nullatenus voto fraudabantur, ob id lætiores reuertebantur, iterúmque ad discurrendum vehementiùs incitabantur. Multi etiam Christianorum ibi perempti sunt, quoniam Sarracenorum gladij non semper obtusi fuerunt, nec eorum militia semper fuit otiosa, neque manus inualida. Occiderunt ergo Ansellum de Ribothmonte, & Guillelmum Picardum, viros alti sanguinis, gnarósque rei militaris: quorum præclara facinora euidenter comperta sunt in illa Christi militia, & plures alij cecidêre, quorum nomina Deus contineat in memoriali vitæ suæ.

TRIPOLITANVS autem Rex per internuncios sæpè Christianorum Duces alloquebatur, & omnimodis eorum animos pertemptare nitebatur: vt datis eis muneribus secum pacíscerentur, castrum dimitterent, pactásque pecunias reciperent. Christiani de Christianitate illi proponebant, nec aliter à suo diuelli proposito poterant. Ille verò Christianitati nimium recalcitrabat, patrúmque leges, & atauorum consuetudines relinquere formidabat. Tempore procedente, nouæ fruges exalbue-

D rant. Tractus enim ille terrarum maioribus quàm citramontanus feruoribus vaporat: ideóque properantior properantiores æstas messes maturat. Martio mediante, fabæ colligebantur nouellæ, Idus Aprilis frumenta secabantur, & vindemiarum redibat autumnus. Dux igitur Godefridus, & Comes Normannus, Flandrensis, & Tolosanus, & Tancredus, de via peragenda locuti sunt: quia iam instabat, imò penè transibat temporis opportunitas. Dimisso igitur, quod diu obsederant, castello, Tripolim ventum est, & fœdus cum Tripolitanis firmatum est. Rex siquidem Tripolis XV. milia bizanteorum, & XV. magni precij equos illis dedit, & CCC. peregrinos, quos diu tenuerat, captiuos reddidit. Denique sub obtentu pacis mercatum eis præstitit. Vnde vniuersi refecti sunt, & firmiter eis pepigit, quòd si bellum, quod tunc eis Babylonicus Admiralius præparabat, aliquando vincere possent, ipse Christianus efficeretur, & de cetero terram suam in eorum fidelitate retineret. Itaque

RODBERTVS II. 1098. Maio mediante ab vrbe discesserunt,& tota die per artum, & arduum, inuiúmque A iter iuerunt: seróque ad castrum Betheren peruenerunt. Deinde Zebari ciuitati sitæ in littoribus maritimis appropinquauerũt. Ibi propter aquarum penuriam perpessi sunt immoderatam sitis angustiam, qua nimis defecti,ad Braim fluuium cursim properauerunt,vbi homines & iumenta potu recreati sunt.Die verò Dominicæ Ascensionis commeare per angustam viam illos oportuit. Ibi discursum gentilium tota die metuebant,nec tamen abeundo vacabant.Signiferi & milites armati præcedebant,& toti exercitui ab insidiatoribus præcauebant. Subsequebantur sarcinarum prouisores,& clitellariorum subleuatores.Pone properabat ordo militaris, & omnis omnium aderat necessitatibus. Sic quotidie sarcinarij mediastini properabant,& imbellium eis turmarum greges adhærebant.Buccinæ audiebantur,& gradatim,ne debiliores deficerent in via,pergebatur.Vicissim excubabant noctibus, & vbi maior ingruebat metus,ibi vigilantior præparabatur excubitus. Nihil enim inconsultum,nihil admittebant inordinatum.Indisciplinati castigabantur, inscij erudiebantur,rebelles obiurgabantur,incontinentes de lecacitate sua redarguebantur, B & omnes in commune ad eleemosynam incitabantur. Omnes etiam frugalitati & pudicitiæ studebant, & vt ita dixerim, quædam schola disciplinæ moralis in castris erat.Is erat modus,& hæc erat forma in Hierusalem ambulantium. Igitur dum hũc disciplinæ rigorem tenuerunt, & affectu caritatiuo redundauerunt, euidenter Deus inter eos conuersatus est,& per eos bella sua bellatus est.Hæc iccirco dixerimus,quatinus indisciplinatorum illorum,qui huic expeditioni gloriosæ superciliosi successerunt,illos extollentes,vitam & viam redarguerimus. Nihil enim est inter homines vtilius disciplina.

DENIQVE montaneis,in quibus hostes timebantur,sine hoste transcensis, secus mare quatuor ttansierunt ciuitates, Baruch, & Sareptam, quam vulgo vocant Sagittam,& Tyrum,quæ Sor nuncupatur;& Acharon,quæ Acra dicitur;& inde castellum,quod Caiphas appellatur.Exindè,hospitandi gratiâ iuxta Cæsaream venerunt,vbi die Pentecostes, IV. Idus Iunij quieuerunt. Deinde Diospolim, quæ Ramatha,vel Arimathia,seu Ramula vocatur, venerunt; ibique viâ fatigati substiterunt.& ciues eius præ timore peregrinorum fugâ elapsi sunt. Illic olim Episcopali C honore mater Ecclesia gaudebat, sed nunc viduata dignitate Præsulis admodum mœsta gemebat:quia locus ille ceruicositati Sarracenorum inglorius subiacebat. Porrò,Christiani præfatæ vrbi Pontificem restituerunt, eíque decimas facultatum suarum obtulerunt,quibus potuisset collatis dapsilitatibus viuere,& Ecclesiam diutiùs desolatam reficere.Ibi felix agonista Georgius insigniter certauerat, martyriique sui cursum nobiliter expleuerat, cuius Basilica iuxta ciuitatulam emicat, vbi preciosum eiusdem athletæ corpus quieuerat.Hunc,quem Christiani viderant in bello Antiocheno præambulum & præcursorem,& contra gentem erroneam validum propugnatorem,volebant etiam promereri semper socium & defensorem.Basilicam eius reuerenter honorauerunt,& Episcopum, vt diximus, Ramulæ constituerunt.

DIVINITVS accensi,diluculò egressi sunt,signóque dato,viam in Hierusalem accelerantes ingressi sunt: & sicut diu desiderauerant, ea die ad ciuitatem vsque peruenerunt. Hierusalem enim à Ramula quasi XXIV. miliariis distat. Postquàm D ad locum ventum est,vnde turritam Hierusalem videre potuerunt,ex ingenti gaudio plorauerunt,substiterunt,Deum adorauerunt,& flexo poplite sanctam terram deosculati sunt.Omnes nudis pedibus ambularent, nisi metus eos hostilis armatos incedere præciperet.Ibant,& flebant,& qui orandi gratiâ conuenerant, pugnaturi priùs pro peris arma deferebant.

OBSEDERVNT VIII. Idus Iunij Hierusalem Christiani,non tanquam nouercam priuigni, sed quasi matrem filij. Amici eam & filij circumdederunt,vt aduenas & adulterinos coangustarent: non vt liberam captiuarent, sed vt captiuam liberarent. RODBERTVS Dux Normannorum obsedit Hierusalem à Septentrionali parte, iuxta Ecclesiam beati Stephani protomartyris,vbi lapidatus à Iudæis obdormiuit in Domino. Hunc iuxta Comes Flandrensis sua collocauit tentoria. Ab Occidente obsederunt eam Godefredus Dux, & Tancredus. A Meridie Raimundus Comes obsedit eam in montem Sion,circa Ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ,

A vbi Dominus Iesvs cum suis cœnauit Discipulis. Hierusalem itaque à filiis suis obsessa obcludebatur, intus autem à populis Manzerinis prophanabatur.

Tvnc Hugo Buduellus filius Roberti de Ialgeio ad Ducem Normannorum optimè armis instructus accessit, satellitiúmque suum ei, vt pote naturali Domino fideliter obtulit: & ab eo benigniter susceptus, obsidentes Heliã id est Hierusalem manu consilióque strenuè adiuuit. Hic enim diu ante in Normannia Mabiliam Comitissam frustatim obtruncauerat, quia eadem paternam hereditatem violenter ipsi abstulerat. Vnde præfatus miles, cum fratribus suis, Radulfo, Ricardo, & Goisnelo, pro ingenti facinore peracto in Apulam, deinde in Siciliam confugit, ac postmodum ad Alexium Imperatorem secessit. Sed nusquam tutus diu permanere potuit. Guillelmus enim Nothus Rex Anglorum, cum tota progenie prædictæ mulieris, per totum Orbem missis exploratoribus eum inuestigabat: & spiculatoribus honores & munera promittebat, qui exulantem homicidam interimerent, vbicúmque terrarum inuenirent. Probus igitur Hugo tanti Regis validas manus, & longa brachia metuens, totam Latinitatem reliquit, & baptizatorum gregem formidans inter allophilos diutiùs exulauit, & per xx. annos ritus eorum atque locutionem edidicit. Susceptus ergo à Normannico Duce, multum suis profuit, & mores ethnicos, ac tergiuersationes subdolas, & fraudes, quibus contra fideles callent, enucleauit. Cosam etiam nobilis Heros & potens, de Turcorum prosapia, Christianos vltro adiit, multísque modis ad capiendam vrbem eos adiuuit. In Christum enim fideliter credebat, & sacro baptismate regenerari peroptabat. Ideóque nostratibus, vt amicis & fratribus, ad obtinendum decus Palæstinæ, & metropoli Dauitici regni summopere suffragari satagebat. Die tertia obsidionis milites ex Christianis exierunt castra, Raimundus scilicet Piletus, & Raimundus de Taurina, cum aliis pluribus, circumspiciendi, vel deprædandi causa: & iuuentos Arabes ducentos inuaserunt, superauerunt, & fugauerunt. Multos autem occiderunt, ibíque xxx. equos apprehenderunt. His ita gestis, alacres ad suos reuersi sunt.

Feria secunda constanter impetierunt ciuitatem, & tunc, vt putabant, re vera præualuissent, si scalas sufficienter præparassent. Strauerunt tamen murum exteriorem, & scalam vnam erectam admouerunt ad interiorem. Super illam verò vicissim ascendebant Christiani milites, & comminus præliabantur in muro cum Saracenis, & eos percutiebant ensibus & lanceis. In illa congressione multi ex vtroque populo perempti sunt. Plures tamen ex gentibus perierunt. Audito retrahendi lituo, Christiani ab impetu illo tandem destiterunt, & ad castra remearunt. Victualia verò, quæ secum detulerant, interim defecerant. Nec iam inueniebatur panis ad emẽdum, nec ire poterant frumentatum. Regio illa nullatenus est irrigua, imò torrida & perhorrida, ideoque iumentis & animalibus minus opportuna, vtpote pascuis inopima. Terra quoque illa non est nemorosa, & iccirco minus fructifera. Palmam tantùm alit, & oliuam: patitur autem & vineam. Iordanis ab Hierusalem stadiis ferè xxx. vt putant, seiungitur. Lacus habet sex remotos. Ciuitas habet suas cisternas, vnde alitur. Ad radices montis Sion Siloë fons est, sed vix paucos poterat sustentare homines. Iuuabat tamen, & modica magnis expensis aqua comparabatur. Equos potum ducebant non sine pauore nimio per sex miliaria.

Interim nunciatum est in castris, naues Christianorum onerarias in portu Iaphi, quam antiquo vocabulo Ioppe dictam putamus, applicuisse. Quod valde omnibus complacuit castrensibus. Consiliati sunt Principes, quomodo euntes & redeuntes tutos facerent, qui è nauibus necessaria deueherent. Ioppe siquidem à Ramula quasi octo distat miliariis. Porro Ascalonitæ vel indigenæ, qui vagabantur in montaneis, vel in excisis præruptorum cuniculis, viatores aliquotiens incursitabant, & obtruncabant. Motus iste, vel rumor negotiatorum commeatus disturbabant. Ad hoc exequendum, summo diluculo de exercitu Tholosani Raimundus Piletus & Achardus de Montmerlo, & Guillelmus de Sabra, & commilites exierunt, & quidam pedites ad mare processerunt. Sua verò confisi audaciâ ad portum militauerunt, sed ab inuicem diuisi sunt: incertum habemus an industria, an vix hoc factum sit ignorantia. Triginta nempe milites, qui aliam viam gradientes à sociis seiuncti sunt, centum Arabes, Turcos, & Saracenos de exercitu Admirauisi inuenerunt, & audacter aggressi sunt, & in prælium

RODBERTUS II. 1098.

conuenerunt. Illi verò eregione pertinaciter restiterunt, confisíque multitudine A sua multi paucos circumcinxerunt. Sarracenis enim is modus est pugnandi. Iam Christianos incluserant, iam de mortibus eorum garrientes confidebant: cùm nuncius Raimundum Piletum vociferans, sic exciuit: » Nisi citissimus ad commilitones » tuos euolaueris, auxilium præbiturus eis, omnes pro certo amisisti. Iam enim ab ini- » micis circumuallati sunt, adhuc tamen vtcumque se defendunt. His auditis, habenas laxant, calcaribus cornipedes vrguent, & dicto citiùs omnes aduolant, & scutis pectoribus oppositis turbas contis depellunt, oppositos disiiciunt, vnusquisq; suum sternit humi. Ex improuiso ignari supersunt, & rem totam gladiis committunt, Deóque iuuante præualuerunt. Ethnici duo rursus agmina statuêre, putantes se posse resistere. nec quippiam profecêre. Franci denuò ferociter eos inuaserunt, suósque ab impetu illo sic liberauerunt: excepto quòd Achardum militem audacissimum, & aliquot ex peditibus ibi amiserunt. Fugientes Turcos ferè ad quatuor miliaria insecuti sunt, & plures cuspidibus acutis confoderunt. B Centum etiam & tres equos retinuerunt, & vnum hominem viuum, qui coactus enarrauit per ordinem quæcumque Christianis opparabantur.

In obsidione interim sitis vehemens grassabatur, & perurguebat Christianos. Ducentibus equos adaquatum per sex miliaria gentiles insidiabantur, & ex locorum angustiis grauiter eos aduersabantur. Cedron, & alij torrentes enormi æstu aruerant. Panis ordeiceus in castris erat preciosus. Indigetes in cauernis vel speluncis delitescentes commeatus omnes abdicauerant.

Designati Principes ad consilium conuenerunt, & quid eis in tantis calamitatibus agitandum foret, elocuti sunt. Dixerunt ergo: » Angustiæ sunt vndique, panis » deficit, aqua deest. Nos ipsi grauiter obsidemur, dum ciuitatem istam nos obsedisse » arbitramur. Extra castra vix exire audemus, & tunc vacui redimus. Ex longa mora » penuriam hanc contraximus; & nisi præcauerimus, grauiorem contrahemus. Armis » & brachio sine machinis hanc vrbem expugnare nequimus. Obstant muri & propu- » gnacula, & turres: obstant, qui intrinsecus redundant, defensores. Quid ergo cen- » setis? Aggrediamur aliquid quod nobis omnibus prosit, quod inclusis ciuibus obsit. C » Ligneas facere machinas satagamus, quibus mœnia vel turres impugnemus. Tigna » de domibus, quia terra hæc non est arborifera, quæramus, vel trabes de Ecclesiis ab- » sportemus, machinásque compactas erigamus, & hanc vrbem totis aggrediamur ni- » sibus. Alioquin tempus in cassum consumimus.

Tandem fideles athletæ ligna procul à loco distantia inuenerunt, quæ cum grandi labore attulerũt. Artifices lignarij de toto exercitu acciti sunt, quorum alij lignorum inconcinnam superficiem componũt, alij dolant, alij terebrant, alij lignis ligna copulant. Dux Godefredus vnam de suis facultatibus constituebat, alteram Comes Tolosanus de suis sumptibus statui mandauerat. Nec minus Agareni de vrbe munienda sollicitabantur. Nocte turribus inaltandis insistebant, & vrbi defensandæ irrequieti vacabant. Quodam sabbato nocte intempesta, Ducis Godefredi machinam transtulerunt, & sole exorto ab Oriente erexerunt, & per tres dies tota sedulitate præparauerunt, & coaptauerunt. Comes autem à Meridie suam prope murum conduxit machinam, quam ligneum possumus vocitare castrum. Quoddam verò profundum præcipitium impediebat, ne muro coniungeretur. Talis enim machina nequit ad decliua conduci, D nec contra montuosa dirigi, sed semper æquam expectat planiciem, vt possit conduci. Præcones itaque per exercitum clamauerũt, vt quicumq; in foueã illam tres lapides iaceret; iactis lapidibus, vnum denariũ haberet. Omnes igitur, quibus moræ tædiosę fuerũt, incœpto operi fortiter inhiauerunt.

Pontifices & Presbyteri populares allocuti sunt, & de morte Christi, & de loco passionis eius, quem digito coram demonstrabant, sermonem optimum fecerunt: & de cælesti Hierusalem, cuius figuram terrestris portendit, sanctè & eloquenter affati sunt. Omnes ergo laici armis accincti vnanimiter vrbem impetebant, & quarta quintáq; feria nocte & die ciuitati insistebant. Deinde præmissis orationibus & ieiuniis, singultibus & eleemosynis, sacri viatici communione muniti, sexta feriã Idus Iulij ciuitatem summo diluculo aggressi sunt, nec tunc præualere potuerunt. Qui enim in turribus, vel in mœnibus erant, sibi inuicem opitulabantur, & ignem & lapides continuò iaculabantur. Tolosanus, fouea cõpleta (tribus enim diebus & no-

A ctibus consummauerant) castrum conduxit ad murum, suisque moras succensebat, vsque ad secundam feriam, pro nimio labore, quē per totam pertulerāt hebdomadā.

POST matutinum laborem, Duce iubente, Franci paululum quieuerunt à congressione, & pagani à defensione. Guinimundus autē Admiralius, & Frigolendis Persis nepos eius, in arce Dauid erant, & Magistratus vrbis atque primores illuc ad colloquium conuocauerunt. Interea mulieres vrbanæ super planiciem domorum iuxtà morem Palæstinorum ascenderunt, & choreas ibi statuentes, cantilenā huiusmodi altis vocibus locutione sua cantauerunt: MACHOMETI Deo nostro dignas laudes pangite, victimásque immolate cum iocundo crusmate, vt vincantur pereántque formidandi aduenæ, qui grassantur & tumescunt spiritu barbarico. Nulli parcent, sed resistunt Orientis populo, inhiántque prædis nostra quas nutriuit regio. Infelicitate pressi ad nostras delicias huc venerunt spoliare vberes Prouincias. Damnāt omnes nostras B gentes, æstimántque belluas. Crucifixum colunt Domini abluti baptismate. Ritus nostros, cultus, Deos spernunt cum dedecore. Sed repente inuoluentur pœnis & pernicie. Fortes Turci, dimicando Francos hinc repellite. Gesta patrum antiquorum præclara recolite. Hostes vestri fugabuntur, aut peribunt hodie.

HÆC & multa his similia Turcanæ mulieres in excelso canebant, & Christicolæ stupentes diligenter auscultabant, atque à suis interpretibus quid Turcæ dicerent sollerter ediscebant. Tunc CONO Comes Alemannus, vir probus, & sapiens Consiliarius, qui sororem Godefredi Ducis coniugem habebat, dixit: Domine Dux, audis quid istæ dicunt? intelligísne cur ista faciunt? feminarum gratulabunda cohortatio virorum est formidolosa defectio. En præ labore & metu viri labascunt, & feminæ insurgunt, & quasi ad opprobrium & dedecus bellatorum contra nos garriunt, & nos friuolis allegationibus terrere ac decipere non impunè ausæ sunt. Nos econtrà virili, imò cælesti vtamur consilio. In nomine Domini nostri IESV Christi, qui sextâ feriâ hîc passus est, arma sumamus, & insigniter vrbem aggredientes, Domini sepulchrum hodie adeamus. Hora ergo tertia, qua Dominum ante Pilatum Iudæi damnauerunt, Christiani memores illius passionis tanC quam recentes vires resumpserunt: & quadam noua eis superueniente audaciâ, quasi nihil antea laborassent, præliari cœperunt. Dux enim Godefredus, & Eustachius frater eius fortiter præliabantur, & illos reliqui subsequebantur. Tunc Letaldus, & Raimboldus Croton probi milites, murum ascenderunt, & constanter dimicantes exclamauerunt. Ilico illos & alij subsecuti sunt. Qui verò muros illic vsque defenderant, passim diffugiebant, nec ampliùs de ciuitate tutanda procurabant. Christianorum multitudo ciuitatem ingressa fugitiuos persequebatur, & nemini parcebat.

ARMENII, Græci, & Syri, qui olim in Elia, id est Hierusalem Turcis subiacuerant, & in magnis pressuris Christiano cultui vtcúmque deseruierant, vt Christianos violenter in vrbem irrupisse viderunt, ad Basilicam sancti Sepulchri conglobatim omnes confugerunt, & cum summa deuotione KYRIE ELEISON, & alias supplicationes pro temporis opportunitate clamantes, exitum rei præstolati sunt. Tancredus autem cum sua cohorte viarum ignarus, Dei nutu, illuc aduenit, & præfatos homines per orationes & religiosos eorum gestus ChriD sticolas esse cognouit: Isti, inquit, Christiani sunt. Nemo igitur vestrûm aliquo modo illis noceat. Non enim huc venimus, vt cultores Christi lædamus, sed vt à sæuis exactoribus eruamus. Fratres nostri sunt, & amici fideles, in multis tribulationibus vt aurum in fornace hactenus probati. Tunc insignis athleta Ilgerium Bigodum Principem Militiæ suæ cum CC. militibus illic dimisit, eúmque custodem loci, ne gentiles vlteriùs illuc intrarent, constituit. Ipse verò cum reliquis cuneis ad expugnandas munitiones alias accessit, & per socios vrbem discurrentes & allophilos necando laborantes adiuuit. Interea fideles incolæ, qui cum Ilgerio in Ecclesia remanserant, secretiùs eum allocuti sunt, & patrocinium eius habere captantes, fauorabiliter eū & sodales eius ad sācta duxerunt: sepulchrū scilicet Domini, aliáq. sacra, & quędam, quę pro timore paganorū in abditis ipsi, & antecessores eorū diu occultauerant, eis ostenderunt. Ibi tunc Ilgerius inter reliqua pignora in quodam marmoreo capitello instar sacrarij cauato sub ara, glomusculum de capillis sanctæ Dei genitricis Mariæ inuenit, quod idem postmodum in Gallias detulit, & per

RODBERTVS II. 1098. sacra Episcopatuum & Cœnobiorum loca, reuerenter dimisit. Intacta nempe Virgo mater in passione Christi filij Dominique sui valdè doluit, & veteri more gentis & temporis illius vestes scidit, crines traxit, & lugubres threnos pro tanti amici nece veneranter exoluit. At vicinæ quæ aderant, religiosæ videlicet mulieres, quæ discipulatui diuino dudum adhæserant, flentem superni Regis genitricem piè sustentauerunt: & amplexantes eam, pro temporis opportunitate dulciter confortauerunt. Capillos quoque tunc extractos deuotè collegerunt, & cautè seruauerunt; quos Theologus Ioannes aliique philo-Christi postmodum in tuto loco recondiderunt, quia hoc multorum saluti profuturum mouerunt. Hæc iccirco huic Operi calamus noster inseruit, quia præfatus Ilgerius Ernaldo Monacho consobrino suo apud Carnotum de sacris capillis duos dedit, quos ille Mauliensi Ecclesiæ, vbi multæ sanationes ægrotis per illos contigerunt, exhibuit. Nunc ad nostræ narrationis continuationem reuertar. A

ADMIRALIVS, qui turri Dauid præsidebat, cum primoribus vrbis, aliisque multis, quos illic secum habebat, tremefactus se Comiti Raimundo reddidit, eique portam confestim aperuit. Aditum quippe huius portæ olim peregrini pecuniis suis emebant, quia vectigalia reddere ibi solebant. Alioquin à porta immisericorditer coercebantur. Ciues ad templum Salomonis fugientes conuenerunt, & adhuc in illo se defendere præsumpserunt. Magnos iterum impetus Christianis dederunt. Sed postquàm viderant nihil se profecisse, gladiis proiectis, neci colla submisere. Numerum eorum, qui perempti sunt, nemo nouit. Sanguis autem eorum, qui per templum defluebat, vsque ad suras ambulantium attingebat, & cadauerum per totam ciuitatem magni aceruі augebantur: quoniam victores nec ætati, nec sexui, nec nobilitati, nec cuilibet conditioni miserebantur. Tanto siquidem odio persequebantur eos, & perimebant, quia templum Domini & sancti sepulchri Basilicam polluerant, & templum Salomonis, aliasque Ecclesias suis vsibus illicitis peculiauerãt, ac indecenter contaminauerant. Super Salomonis templum quidam diffugerant, & signum Tancredi rogauerant, vt saltem sic liberarentur. quo accepto fortunam quamlibet opperiebantur. Sed parum, vel nihil sic profecerunt, quia nec eis Christiani pepercerunt: excepto quòd, qui mortuos efferrent, aliquos ad tempus viuos reseruauerunt, quos denique vendiderunt, vel à superis alienauerunt. Tancredus indè multùm contristatus est, nec tamen super hoc contra sodales suos efferatus est. Tolosanus autem Comes Admiralium, qui ei se commiserat, & arcem Dauid reddiderat, aliosque qui cum illo erant; illæsos vsque ad Ascalonem conduci præcepit. Ita enim eis pepigerat, pactúmque suum illibatum conseruauit. Victores autem ciuitatem illam non more subiugatæ vrbis spoliauerunt, vel cremauerunt: sed sicut domos omnibus bonis refertas inuenerunt, eas suis necessitatibus peculiatas reseruauerunt, & multi dapsiliter inuenta pauperioribus communicauerunt. Vnusquisq; domum qualemcunque, magnam seu paruam, quam primitus inuasit, ac ethnicis euacuauit, quietè sibi cum omnibus gazis, quæ intus erant, liberè possedit, & vsque hodie hereditario iure custodit. B C

CHRISTIANI iamdiu desiderato potiti triumpho, manibus à cæde ablutis, multi pedibus discalciatis gaudentes, & præ gaudio plorantes, ad sanctum sancti Saluatoris sepulchrum deosculandum cateruatim properauerunt, ibíque gratulabunda donaria & hostias pacificas obtulerunt. Tunc ingens fidelibus lætitia fuit, vbi omnes adepti sunt quod diu expectauerant, & cum multis laboribus periculisq; expetiuerant. Ibi finem laboris sui alacres videbant, iámque securiores ex præsentibus de futuris bonis sibi retributiones affuturas imaginabantur. De efferendis autem procurauerunt cadaueribus, quoniam horror inualescebat, & fœtor immanissimus. A captiuis gentilibus, & Christianis pauperibus dato precio occisorum corpora per piras coaceruata sunt, quibus combustis nostri ab immundiciis vrbem emundauerunt. D

FIDELES Christi milites in ciuitate Hierusalem securi sederunt, condignas Deo gratias retulerunt, cuius ope gratuita de ethnicis victoriam adepti sunt. Dignitates etiam suas Ecclesiis restituerunt, easque singulas ad opus orationis aptauerunt. Quinta decima die Iulij VI. feria celebritatem instituerunt, qua ciuitatem recuperauerunt. De constituendo etiam ibi Regem consiliati sunt, & octauo die post

A post captam vrbem communi consilio Godefredum Ducem in Regem elegerunt. GVILIELMVS III.
Erat idem vir regij sanguinis, à proauis Christianæ professionis. EVSTACHIVS 1098.
enim Boloniensis Comes, qui cum Guillelmo Senlacium in Anglia bellum peregit, ITAM sororem Godefredi Lotharingiæ Ducis vxorem duxit, ex qua Godefredum, & Balduinum, & Eustachium genuit: quos gratia Dei diuitiis & virtutibus in hoc seculo multipliciter honorauit, præcipuéque in expeditione Hierosolymitana probauit, corroborauit, atque sublimauit. Godefredus itaque, qui maior natu erat, est in solium regni Dauid Regis eleuatus, quia gloriosè vigebat more Gallico militiæ peritus, pectore & brachio vir in re militari efficacissimus, dapsilis & serenus, clementiáque floridus.

TVNC etiam Arnulfus de Zocris, vir eruditissimus, ad vices Episcopi supplendas electus est. Interea Tancredus & Eustachius Comes, cum satellitibus & clientibus multis, Neapolim ab ipsis ciuibus vltro inuitati abierunt, eísque Neapolitani cum pace vrbem reddiderunt. Illic per aliquot dies manserunt, & lætantes quieuerunt, B donec ad eos Rex veloces legatos direxit, per quos eis hæc mandauit: « Audiuimus, & certum est, quoniam Babylonicus Admiralius Ascalone est. Ibi contra nos « ingens bellum præparat. Accelerate igitur, & venite, vt & nos eis audacter pos- « simus obuiare, antequam nos possint in vrbe concludere. Inclusis enim grauis est « introitus & exitus, & frequenter obiurgat eos inconueniens metus. In aperto li- « beri campo concurremus, Deóque gubernante liberior & facilior nobis succe- « det effectus. Expeditiores siquidem sumus armis & manu, quàm illi, & volumus « illis obuiare, vbi nihil adhuc sperabunt se timere. «

HIS auditis, Tancredus & Eustachius iuxta mare Ramulam venerunt, multósque Arabes exercitum Admirauisi præcurrentes repererunt: quos confidenter aggressi sunt, citóque ab inuicem disgregauerunt. Quosdam eorum peremerunt, quosdam viuos reseruauerunt, à quibus de Admirauiso & eius exercitu rumores certos indagauerunt. Ad vnguem igitur singula rimati sunt, qui essent, quàm infinita gens essent, quid præpararent, vbi præliaturos se disponerent.

TANCREDVS à captiuis diligenter exquisita Regi per nuncios mandauit ista. C Sciatis, inquit, indubitanter bellum Ascalone contra nos paratum esse, & pene totum orbem conuenisse, & coniurasse, qui violenter putant nos opprimere & subiugare. Venite igitur, & collectis omnibus vestris viribus, synagogam sathanæ inuadamus. Si enim prout mandastis, imperterriti ex improuiso eis obuiauerimus, adiuuante Deo facilè præualebimus, quia suis armis, multísque vtensilibus occupati sunt, machinásque ad expugnandam vrbem perferunt. Rex igitur per præconem clamauit, vt omnes de bello præmunirentur, & vexillum Regis impigrè omnes subsequerentur. Rex itaque & Patriarcha, condictus Comes Flandrensis, & Episcopus Martoronensis, feria tertia ciuitatem exierunt. Comes autem sancti Ægidij, & Normannus, noluerunt exire, donec certiores fierent de Admirali incursione. Porrò, visis omnibus quæ parabantur, Rex Mataronensem Episcopum direxit in Hierusalem, qui Principibus testaretur quæcunque parabantur. Mataronensis, postquam Tolosano & Normanno locutus fuerat, festinans, vt indicta Comitum verba Regi referret ac Patriarchæ, in manus paganorum deuenit, & dubium est an abductus, an peremptus sit, sed postea non comparuit.

D TOLOSANVS autem & Normannus cum multis ad bellum profecti sunt, & IV. feria Hierusalem exierunt. Clerici Missis & orationibus vacabant. Petrus Heremita, & rara imbecilis populi frequentia, qui remanserunt, & imbelle genus mulierum, processiones de Ecclesia in Ecclesiam agitabant; orationibus & eleemosynis deuotè insistebant, vt propitius populo suo Deus misericorditer subueniret, hostésque suos forti manu irrecuperabiliter prosterneret. Primores itaq; cum suis exercitibus ad flumen, quod est contra Ascalonem, congregati sunt. Illic armenta copiosa inuenerunt, & opimâ prædâ ditati sunt. Trecenti Arabes Francos prosecuti sunt, sed illi protinus in eos irruerunt, & duobus ex ipsis apprehensis, vsque ad exercitum suum fugauerunt. Christiani post illum excursum ad castra reuersi, nocte illa quieuerunt, nisi quòd potiùs omnes excubiis & orationibus incubuerunt. Serò palàm omnibus à Patriarcha interdictum est, ne quis in crastinum pugnaturus ante bellum spoliis vllatenus intenderet diripiendis.

RODBERTVS II. 1098. SOLE orto, pridie Idus Augusti sacra Christi cohors vallem secus mare formosa planicie venustam intrauit, & illic sex acies ordinauit. Rex, & Comes Normannorum, Tolosanus, Flandrensis, & Guaston, Eustachius, & Tancredus, turmis præfuerunt. & vnusquisque sagittarios peditésque suos sollerter instruxit. Ipsis itaque præmissis pedetentim pergentes edocebant, qualiter occlamarent, qualiter obstarent, qualiter impenetrabiles inimicos feriendo penetrarent, ac vt ad sua signa nihil reuerentes frequenter respicerent, & seipsos ad ictus hostiles sufferendos obdurarent. licèt hæc omnia in aliis bellis benè gestis didicissent. A

NEC minus eregione gentiles cuneatim stellis innumerabiliores densabantur, & per agmina innumera legiones à latere in latus extendebantur. Æthiopes autem præmiserunt, quos in loco statuerunt, eósque immotos manere mandauerunt. Hi genibus humi defixis, dextro tamen postposito, ancilibus corpora superiora tutantes, sagittis vtebantur & gladiis. His imperatum fuerat, ne vel ad momentum recederent, vel locum occupatum saltim ad passum excederēt. Porrò manipuli militares prout instructi erant, condicta loca tenebant. Et quoniam sitis immoderantiam ob æstum & puluerulentam nebulam, & propter laborem ac diuturnitatem præliandi metuebant, aquarū cantarulos plenos à collo suspenderant, quibus retentati constantiùs obsisterent, vel fugientes indeficientius persequerentur. De fuga eorum nulla mentio erat. confidebant enim in multitudinibus suis innumeris, & in barbararum pectoribus gentium animosis, & in imperialibus ne vna fugerent edictis. Fugientes, inquit Imperator, capitum animaduersione puniantur. Bello vtrinque sic prouidè parato, vt ad locum belli appropinquatū est, Christiani parumper substiterunt, oculos deuotè in cœlum erexerunt, genibúsque in terram defixis orauerunt. Auxilium enim de cælo sperabant, quod iamdudū in multis necessitatibus sæpè sibi adesse persenserant. Vbi verò breuiter oratū est, & signum salutiferæ crucis reuerenter frontibus admotum est, maiori confidentiâ equitauerūt, & viriliter in nomine Domini IESV Ethnicos aggressi sunt. Gētiles enim iam substiterant, & immoti expectabant. In dextro cornu iuxta mare Tolosanus equitabat. In parte sinistra Rex cum legionibus suis properabat. Porrò, in medio Normannus, & Flandrensis, atque Tancredus, aliique militabant. sed ad decem ex nostris mille allophili insurgebant. Inita pugnâ, RODBERTVS Dux Normannorum Admirauisi stantarum à longè considerans, quod in summitate hastæ aureum pomum habebat, hasta verò argento decenter cooperta albicabat, vbi ipsum esse deprehendit, audacter per medias acies super eum irruit, & grauiter ad mortem vulnerauit. Quod nimium Gentilibus timorem incussit. Comes etiam Flandrita hostiliter eos inuasit, & Tancredus per medium tentorium imperterritus eos impetiuit. Milites pagani mox fugā inierunt. Æthiopes stupefacti substiterunt. Rex autem, & Francorum quidam, ad Æthiopes conuersi, & ibi aliquantulum demorati, eos tanquam segetem in transuerso gladiis secabant, & eorum corpora detruncantes diuidebant. Campi sanguine inundabantur, & passim morticina Gentiliū obuoluebantur. Christiani fugientes insecuti sunt. Gentiles Dei virtute tremefacti non habebant locum respirandi. Oculi eorū (vt ab his, qui euaserunt, postea relatum est) ita caligauerunt, vt apertis oculis Christianos vix possent videre, nihil autē omnino eis nocere. Multi contra paucos oblatrare non audebant, multísque modis euadere satagebant. Sed præualentes nostri Ethnicos in commune puniebant, nullíque parcebant. Lethalis itaque dies paganis incubuerat, qua nemini dabatur euadendi occasio: quia in arboribus, scopulísque, & in cauernarū latibulis, victricis manus armis passim interibāt. B C D

RAIMVNDVS Comes à mari militans interfecit innumeros, & fugientes ad ciuitatem, quæ aliquatenus ab ipsis distabat, insigniter arcebat. Vnde fatigati remanebant, vel confestim percussi oppetebant, vel in mare se præcipitabant, & sic præcipites à morte in mortem ruebant. Nauigium Admirauisi mare totum occuluerat, & gens illa finem belli expectabat. Videntes autem aliam, quàm sperauerant, suis imminere fortunā, scafis ascensis vela in ventum obligauerunt, & sic ad patriā remigauerunt. Dicunt autem Admirauisum vix palpitantem altè ingemuisse, & sic » planxisse: O omnium Creator quid est hoc? Quid accidit, quod factum nobis infe» stum nocuit? Hei mihi! quàm ineffabile dedecus! quàm diuturnum improperium » genti nostræ cōtigit! Gens mēdica, gens modica genti nostræ præualuit. Vnde hoc?

A conuentione facta, huc conduxi militum CC. milia, & peditum non est numerus, quos omni mundo credebam prævalituros. Nunc autem, vt non mentiar, à minùs quàm mile militibus, & XXX. peditum milibus, tam indecenter superati sunt. Aut illorum Deus omnipotens est, & pro eis pugnat; aut noster nobis iratus est, & nos nimis austero furore castigat, & redarguit. Quicquid sit, vnum erit. In eos denuò non erigar, sed potiùs ad patriam meam ignominiosus donec vixero reuertar. His dictis, lacrymabiliter conquerebatur, & ab intimis lamentabatur. Ascalonitæ vt viderunt fugientes Agarenos, vrbem conglobatim intrare, & Raimundum Comitem cum suis Prouincialibus indeficienter persequi & mactare. Valuas clauserunt, & hostes auxiliariósque pariter excluserunt. Metuebant enim ne cum adminiculariis inuincibiles inimici Ascalonem intrarent; eámque penitus, necatis ciuibus, sibi subiugarent. Tolosanus autem cum suis imperterritus copiis ante vrbem perstitit, & immo-
B rantes Philisteos ante azylum suum vt bidentes vsque ad internecionem deleuit. Porrò, ciues de propugnaculis intuentes pertinaciam Christianorum, & formidantes ne sibi contingeret excidium, quale viderant, vel audierant, finitimorum; vexillum Comitis petierunt, certámque deditionem suam ei fideliter spoponderunt. Retractabant siquidem, quia ipse propior erat, eísque magis ad exitium incumbebat: & quòd Guinimundum Admiralium, ceterósque, qui se illius fidei commiserant, saluauerat. Ille verò, poscentibus signiferum suum misit, & fugatis, seu peremptis omnibus, qui extra vrbem erant, ad compares accessit. Quibus à cæde quiescentibus, & in vnum congregatis, dixit: Ecce, Deo gratias, prosperè nobis victoria prouenit, & compressis ciuibus Ascalon penè patescit. Iam vexillum meum Ascalonitæ receperunt; & mihi, si conceditis, subiecti fauebunt, imperiísque meis pro salute sua parebunt. Respondit Rex: Absit, vt huius vrbis dominatum alicui concedam, sed expugnando ditioni meæ mox subiiciam. Ascalon vicina est Hierusalem, & decet vt dominio subdatur eius, qui præsidet Hierusalem. RODBERTVS Normannus, atque
C Flandrensis, alijque Optimates Regi dixerunt: Satis omnes nouimus, quòd Comes sancti Ægidij vberes glebas & munitissima oppida pro Deo sponte reliquit, & in expeditione Dei multa fortia strenuissimè peregit, atque ad tolerandum grauiora discrimina nos omnes antecessit. Vnde si peregrinationem, quam cœpit, perseuerãter explere decernit, & defendere sanctam ciuitatem, quam vt Deo adquireret acriter expugnauit, gratanter ei debes vrbem offerre, quam nondum possides, & ipse requirit. Nobis enim ad loca nostra remeantibus, consilio manúque sine dubio tibi erit valde necessarius. Ciuitas regiæ Maiestati nobiliter & vtiliter subiacebit, pro qua tantus Heros ei hominium faciet, ac militabit. Rege persuasionibus Optimatum non adquiescente, Comes iratus recessit, & Ascalonitis vt sese pertinaciter defenderent mandauit. Rex autem obsidere vrbem voluit; sed Proceribus cunctis præ ira & fatigatione recedentibus, nil perpetrare solus potuit, oppidúmque illæsum mœstus dimisit. Proh pudor! nec ipse, nec alij Reges, qui post eum per XL. annos regnauerunt, sæpedictam Philistinorum Metropolim vsque ad hodiernam diem nancisci potuerunt: imò per eam plus quàm centum milia hominum, præter alia innumera detrimenta perdiderunt. Sic insatiabilis lucratur ambitio. Si vera dilectio Regem
D possedisset, & ipse proximum suum iuxta legem Dei sicut se dilexisset, hostile oppidum ipsa die adipisci potuisset: per quod liber transitus vsque in Babylonem Christicolis patuisset. Godefredum Regem multum laudo, sed sicut Paulus Apostolus Corinthiis scribit, in hoc non laudo.

FERTVR in pugna Admirauisum habuisse CC. milia militum, & innumeras cohortes peditum. Christiani autem habuerunt penè mile milites, & XXX. milia peditum. Qui iuuante Deo, cæde peracta, reuersi sunt ad Ismahelitarum tentoria diripienda. Inuenerunt igitur, vt breuiter dixerim, quicquid bonæ supellectilis excogitari potest. Argentum & aurum, annonam & farinam, & oleum, armenta pecorum innumerabilium, omnem pompam ornamentorum, cumulos armorum, & si quid aliud potest esse melius. His omnibus direptis, in ciuitatem sanctam Hierusalem reuersi sunt, condignásque Deo gratias per singulas Ecclesias retulerunt.

RODBERTVS Dux Normannorum emit stantarum ab his, qui ab Admirauiso sauciato retinuerunt, viginti marcis argenti: & intulit illud in sepulchrum Domiui ad monimentum memorandi triumphi. Alter emit ensem eiusdem

RODBERTVS II. 1099. Admirauisi LX. bizanteis. Factum est igitur gaudium inenarrabile in tota Christianitate. Sic Christiani Hierusalem ab impiorum manibus Turcorum anno ab incarnatione Domini MXCIX. liberauerunt, & multotiens ex ipsis, Christo Duce, triumpharunt. Hoc autem ingens bellum II. Idus Augusti factum est, & Christianitas vbique terrarum Deo gratias exaltata est. A

HVCVSQVE venerabilis BALDRICI prosecutus sum vestigia, & veracem feci narrationem de famosa Christi militia, quæ iuuante Deo insigniter debellauit in eis partibus ethnicorum examina. Multis in locis Operi nostro inserui eadem verba Sophistæ, sicut deprompserat ipse: non ausus aliter eius dicta propalare, quæ non credebam me posse emendare. Quædam tamen, ne prolixitas taxationis nostræ fastidio legentes oneraret, adbreuiando recidi, nonnulla verò posteritati notificanda quæ tacuerat veraciter adieci, prout ab his, qui laboribus & periculis interfuerunt, edidici. Præfatum seniorem, quem benè cognoui, veneranter honorare decreui. Hic ciuis fuit Aurelianensis, Monachus & Abbas Burguliensis, liberalibus imbutus studiis, & religiosæ meritis vitæ venerabilis. Inde B pro religione & sapientia ad gradum Dolensis Archiepiscopatus, delectione prouectus est Ecclesiastica. In Episcopatu Monachatum seruauit, & cum Monachis prout fors dabat, plerùmque habitauit. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum peruersitatem tolerare non poterat. Vnde proteruos & exleges frequenter deserebat, & in Normanniam fugiebat: vbi Dolensis Ecclesia super Riselam fluuium à temporibus sancti Samsonis regnante HILDEBERTO Rege Francorum fundos habebat, & quietè pacificéque possidebat. Ibi scriptis & dogmatibus suis auditores suos ad Dei cultum incitabat, & vicina Cœnobia, Fiscannum scilicet, ac Fontinellam, atque Gemmeticum, aliáque plura visitabat, & in timore Dei sacris sermonibus confortabat. Tandem in senectute bona defunctus est, & Pratellis in basilica sancti Petri Apostoli ante Crucifixum sepultus est.

l. * nonū. * decimo. SIC, quia scribendo, & res longinquas, vtpote in Eois climatibus actas indagando, fessus, requiescere anhelo: * sextum Ecclesiasticæ Historiæ Librum finire C decerno. In * septimo autem, si sospes & liber vixero, auxiliante mihi saluatore nostro, in quo maximè spero, de diuersis euentibus, prosperis vel aduersis, qui per XXX. annos contigerunt, veraciter tractabo, & pro posse meo notitiæ posterorum simpliciter intimabo. Mei nimirum similes autumo quosdam esse futuros, qui generationis huius ordines à Chronographis auidè perscrutabuntur, & actus transitorios, vt coëssentibus sibi ad ædificationem seu delectationem retexere possiunt labentis seculi casus præteritos.

A

ORDERICI
VITALIS ANGLIGENAE,
COENOBII VTICENSIS
MONACHI,
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ
LIBER DECIMVS.

B



ANNO ab incarnatione Domini MXCVIII. indictione VI. omnipotens Creator omnium signa quædam in mundo palam demonstrauit, quibus humana corda diuinitus terruit: & exhibitis & ostensionibus inusitatis terribiliora præstolari præsignauit. Nam V. Kal. Octobris penè per totam noctem cœlum ardere visum est. Deinde Indictione VII. Sabbato, die Natalis Domini, sol in nigredinem versus est. Post hæc multæ mutationes Magistratuum in orbe statim factæ sunt, terribilésque casus & seditiones, grauiáque discrimina in mundo sæuierunt. VRBANVS Papa, postquam X. annis Apostolicam sedem strenuè vtilitérque rexit, eo tempore quo Hierusalem capta est, Romæ ægrotauit, & mercedem à Deo percepturus pro bonis studiis, quibus apprimè floruit, IV. Kal. Augusti ex hac vita migrauit. Cuius opera quàm laudabilia fuerunt; nitore famáque magnitudinis suæ per Orbem latè diuulgata sunt, inimicorum etiam lamenta eo defuncto cõtestata sunt. RODBERTVS II. 1098.

C Petrus Leo tres Elegiacos versus super ipso edidit, & memoriam eius breuiter sic commendauit.

Canonicum Remis tulerat, Monachum Cluniacus ODONEM,
Roma vocat, facit hunc Hostia Pontificem.
Cúmque fit VRBANVS *mutato nomine Papa,*
Redditur expulsus integer vrbis honor.
Exequias huius celebres hic Roma peregit,
Augusti quarto præueniente die.

Alter quoque insignis versificator præfati Papæ vitam, mores, & occasum considerauit, & indè carmen huiusmodi compaginauit.

Canonicus Remensis ODO, *quem Cluniacensis*
Hugo facit monachum, Papa fit eximius.
Hic viuens lux Vrbis erat, defunctus eclypsis,
Vrbs stetit VRBANO *stante, ruente ruit.*
Lege regens, & pace fouens te, Roma, beauit:
Seruans à vitiis intus, ab hoste foris.
D *Non flexit, non extulit hunc, non terruit vmquam*
Diues, fama, potens, munere, laude, minis.
Eloquium linguam, sapientia pectus, honestas
Mores ornabant, exteriora decor.
Ecce per hunc vrbs sancta patet, lex nostra triumphat,
Gentes sunt victæ, crescit in Orbe fides.
Sed citiùs rapitur rosa, quæ plus vernat in horto,
Sic & florentem fata tulêre virum.
Mors hominem, requies animam, cisterna cadauer,
Suscipit, inter nos nil nisi fama manet.

ADHVC Vrbano Papa in domo Domini lucente, & tenebras de cordibus mortalium prædicationibus & exemplis digniter effugante, Guitbertus Rauennatensis,

RODBERTVS II. 1098. quem CLEMENTEM nominarunt, occubuit: cui Petrus Leo huiuscemodi elogium versificando insultans intulit, A

Nec tibi Roma locum, nec dat, Guitberte, Rauenna,
In neutra positus, nunc ab vtraque vacas.
Qui Sutria viuens maledictus Papa fuisti,
In Castellana mortuus vrbe iaces.
Sed quia nomen eras sine re, pro nomine vano
Cerberus inferni iam tibi claustra parat.

DEFVNCTO Vrbano Papa, Rainerius vallis Bruciorum Monachus in PASCHALEM Papam electus est, & XVI. die à transitu prædecessoris sui canonicè consecratus est. Apostolicam verò Sedem ferè XX. annis rexit, Ecclesiæque Dei summo sedimine prodesse insudauit. Tempore PHILIPPI Regis Francorum in Gallias venit, Paschale festum apud Carnotum celebrauit, & priuilegia eiusdem Ecclesiæ venerabilis YVONIS Episcopi petitione confirmauit.

HENRICVS IV. Imperator, qui sanctam Ecclesiam ab adolescentia sua perturbauerat, & inuestituras Ecclesiarum diutiùs violenter vsurpauerat, & prophanos B Ecclesiasticę vnitati aduersarios in domo Domini intruserat, potentiáque seculari truculenter armauerat; iam à KAROLO filio suo de regni solio abiectus, facinorum immanitatem suorum erubuit, & sic in misera senectute ab omnibus amicis destitutus, VII. Idus Augusti obiit. Sed quia pro sceleribus suis Apostolico anathemate perculsus occidit, extra matris telluris gremium, vt belluinum cadauer computruit, nec communi sepulturâ mortalium contegi vel honorari meruit. Hic ferè quinquaginta annis regnauit, sed dira flagitiosę seruitutis stipendia recepit.

KAROLVS-HENRICVS V. Imperator anno ab incarnatione Domini MCVI. indictione XIV. regnare cœpit, & paternam tyrannidem arripuit, & ferè XIX. annis regnauit, & in via patris sui, sicut in Paralipomenon de perfido hærede scelerosi patris legitur, ambulauit. Quinto autem anno regni sui XXX. milibus militum, & ingenti multitudine peditum Romam obsedit, pactísque conditionibus à Romanis susceptus, in Basilicam sancti Petri Apostoli intrauit, & in cathedra Imperiali iussu Papæ resedit. Mox Apostolico, vt Missam caneret, præcepit. Sed ipse, nisi quatuor C Optimates Augusti, quos nominatim anathematizauerat, egrederentur, noluit. Iratus ergo Imperator, Papam ante altare comprehendi imperauit. Protinus de satellitibus Cæsaris vnus Pontificem arripuit: sed audacior ceteris, imitator Simonis Petri, gladium exemit, validiúsque inuasorem Papæ, & atrociùs quàm Petrus Malchum, percussit, & ibidem repentè vno ictu exanimauit. Ingens igitur in vrbe fit perturbatio, & ab vtraque parte sæua concertatio, & in sacris ædibus absque reuerentia sanguinis effusio. Duo milia Normannorum de Apulia Romanis suppetias aduenerāt. Illi cum Latiis & Quiritibus citò egressi sunt, & multitudinem Alemannorum aliarúmq; gentium trucidauerunt, qui iam in veteri vrbe trans Tiberim securi hospitati fuerant. Augustum verò cum suis clientibus de vrbe ter expulerunt. Vinctum tamen Papam, quia oculis eorum abditus fuerat, eripere nequiuerūt. Conatus est Imperator per mediam vrbem in Campaniam cum exercitu suo violenter transire: sed virtute bellica cum dedecore cōpulsus est aliàs abire, & pro interfectione multorū, quos de cuneis eius in vrbe subitò peremptos esse diximus, multi fleuêre. Tunc Papa D solerti custodiâ detentus, omníq; solatio destitutus, Imperatori quicquid petierat concessit. Vnde ab illo dimissus, multis postmodum vilior extitit. Nam RODBERTVS Parisiensis, GVALO Episcopus Leonensis, & PONCIVS Abbas Cluniacensis, aliique plures de Cardinalibus & Prælatis Ecclesiarum, Papam redarguebant, & quicquid Imperatori verbo seu scripto concesserat, irritum esse debere indubitanter censebant. Asserebant enim, quòd pro veritate & iustitia debuisset optare mori, & vsq. ad mortē innocenter Christum sequi: satiúsque malè vincula & flagra perpeti, quàm aliquid cōtra ius & statuta Patrum potestati annuere seculari. Ille verò reprehensiones Sophistarum patienter tolerabat, & assertiones eorum legitimas ac veraces esse allegabat. Non multò post Concilium Episcoporum Romæ congregauit, & omnia testamenta, quæ coercitus Imperatori sanxerat, consilio Iurisperitorum palam dānauit: ipsúmque pro violatione Domus Dei, & captione Sacerdotis Christi, & effusione sanguinis Christianorum, excommunicauit. Imperator itaque sexto regni sui

A anno Latiale decus tanto facinore maculauit, & multas gentes ad tantum nefas peragendum frustrà vexauit. Quàm grauis & periculosa hiems pluuiis & niuibus, glacieque tunc fuerit, & quanta discrimina in angustis & inæqualibus viis, & in transitu fluminum exercitus pertulerit, & qualiter Imperator collectis viribus vrbem obsessam plus minis quàm armis expugnauerit, Irensis quidam Scolasticus decenti relatione literis tradidit. In illa expeditione Imperator Mediolanum impugnauit, sed repulsus indè nil profecit. Tunc etiam MATHILDIS potentis heræ spaciosam regionem deuastauerat, quæ Ticinum, Placentiam, & magnam partem Italiæ, quæ nunc Lumbardia dicitur, possidebat, & sibi patríque suo diu multúmque restiterat, iustísque Apostolicis, Gregorio, Vrbano, & Paschali semper suffragata fuerat. RODBERTVS II. 1098.

HENRICVS Rex Anglorum MATHILDEM filiam suam Imperatori in vxo-B rem dedit, quam Rogerius filius Ricardi, cognatus Regis, cum nobili comitatu de Anglia in Alemanniam duxit. Argenti quoque decem milia marcos cum filia sua Rex opulentus ei donauit, & regali more munera insignia destinauit. Imperator autem tam generosam coniugem admodum dilexit, sed, peccatis exigentibus, sobole Imperio digna caruit. Vnde Imperiale stemma in aliam, iubente Deo, familiam transiit. Nam eo defuncto, LOTHARIVS Saxonum Dux à Proceribus regni electus est, meritóque frugalitatis, ac bonitatis in solium Imperij promotus est. Mathildis autem Imperatrix post mortem mariti sui, natale solum repetiit, & inter suos, licèt ab exteris multùm diligeretur, commorari maluit. Rex Anglorum pater eius IOFFREDO Andegauorum Comiti eam in coniugem desponsauit, quæ marito suo filium nomine HENRICVM anno Dominicæ incarn. MCXXXIII. peperit, quem multi populi dominum expectant, si Deus omnipotens, in cuius manu sunt omnia, concesserit.

C NVNC, quia iam aliquantulum ab incœpta digressus sum materia, & moratus sum in his, quæ vltra Alpes in Ausonia gesta sunt, & Palæstina, reuertar ad res nostras, quæ in Neustria contigerunt & Anglia. GVILLELMVS RVFFVS militiâ clarus post mortem patris in Anglia regnauit, rebelles sibi fortiter virgâ iustitiæ compressit, & XII. annis, ac X. mensibus ad libitum suum omnes suæ ditioni subiugauit. Militibus & exteris largus erat, sed pauperes incolas regni sui nimis opprimebat, & illis violenter auferebat quæ prodigus aduenis tribuebat. Multi sub ipso patris sui Proceres obierunt, qui proauis suis extraneum ius bellicosè vendicauerunt: pro quibus nonnullos degeneres in locis Magnatorum restituit, & amplis pro adulationis merito datis honoribus sublimauit. Legitimam coniugem nunquam habuit, sed obscœnis fornicationibus, & frequentibus mœchiis inexplebiliter inhæsit: flagitiísque pollutus exemplum turpis lasciuiæ subiectis damnabiliter exhibuit. Defunctis Præsulibus & Archimandritis, satellites Regis Ecclesiasticas possessiones & omnes gazas inuadebant, trienniόque seu plus dominio Regis omnino mancipabant. Sic nimirum pro cupiditate redditruum, qui Regis in ærario recondebantur, Ecclesiæ vacabant, necessariísque carentes pastoribus Dominicæ oues lupinis morsibus patebant.

D EODEM tempore venerabiles Episcopi, Osmundus Salesburiensis, & Gualchilinus Guentoniensis, Guillelmus Dunelmensis, & Remigius Lincoliensis, aliíque plures reuerendi Pontifices defuncti sunt; quorum fundos & omne peculium Flambardus, & Fulcherius frater eius, aliíque clientes Regis diu nacti sunt. Sic etiam defuncto Balduino Abbate sancti Regis & Martyris Edmundi, & Simeone Eliensi, aliísque Patribus de seculo migrantibus mortali, per Angliam Regales ministri Cœnobia cum omnibus ad eadem pertinentibus inuadebant, & Monachis victum & vestitum cum parcitate erogabant, cetera verò Regiis thesauris ingerebant. Porrò, pòst longum tempus Rex curialibus Clericis seu Monachis Ecclesiasticos honores, quasi stipendia mercenariis, porrigebat: nec in illis tantùm religionem, quantùm fauorem seruitiúmque sibi gratum ritu seculari attendebat.

RODBERTVS igitur cognomento Bloiet, qui senioris Guillelmi Capellanus fuerat, eóque defuncto de portu Tolochæ cum iuniore Guillelmo mare transfretauerat, & Epistolam Regis de coronanda prole Lanfranco Archiepiscopo detulerat, post mortem Remigij Lincoliensem Episcopatum recepit, quem plus quàm

RODBERTVS II. 1098. xx. annis tenuit. Girardus autem nepos Gualchelini Guentoniensis, priùs Præsul Herfordensis, postea verò tempore Henrici Regis Archiepiscopus factus est Eboracensis. Guillelmus quoque de Guatel-guest Episcopium habuit Exoniense, Ioannes Medicus Badense, Radulfus cognomento Luffa Cistrense, & Rannulfus Flambardus Dunelmense, Herbertus verò Losengia Tetfordense. Sic vtique Capellani Regis & amici Præsulatus Angliæ adepti sunt, & nonnulli ex ipsis Præposituras ad opprimendos inopes, sibique augendas opes nihilominus tenuerunt. Alij verò pro suscepto Ecclesiastici regiminis onere diuinitus perterriti sunt, sibique commissis intus & exteriùs salubriter prodesse studuerunt, vitásque suas secundum beneplacitam voluntatem Dei laudabiliter correxerunt. Homines enim multa faciunt culpabiliter pro explenda sua voluntate, nil appetentes nisi libitum suum in perpetrata prauitate, quæ sapiens arbiter omnium ad multorum commoditatem sua benè disponit ineffabili pietate. Plerúmque leues & indocti eliguntur ad regimen Ecclesiæ tenendum, non pro sanctitate vitæ, vel Ecclesiasticorum eruditione B dogmatum, liberaliúmve peritiâ literarum; sed nobilium pro gratia parentum, & potentum fauore amicorum. Quibus ita promotis clemens Deus parcit ac miseretur, eísque postmodum vbertas gratiæ infunditur, & cælestis sophiæ per eos luce Dei domus illuminatur, & vtilibus studiis plures saluantur.

VENERABILIS Anselmus Cantuariæ Archipræsul, assiduas præuaricationes videns, frequenter contristabatur; imitánsque Ioannem & Heliam, ea crebrò calumniabatur, quæ contra diuinam fieri legem mœrens intuebatur. Superbus autē Rex, qui spiritualis aurigæ freno salubriter regi dedignabatur, malignis & procacibus Consiliatiis in malignitate irretiebatur, & contra salubria pij monitoris hortamenta irascebatur. Vnde prudens Archiepiscopus temporibus eius bis exulauit, & priùs Vrbanum Papam, ac postmodum Paschalem expetiit. Causas autem exilij eius, & qualiter periculosum iter peregerit, Edmarus Capellanus eius, & itineris socius, diligenter enarrauit in Libro, quem de moribus eius & actibus, nectareísque dogmatibus luculenter edidit. In illo quippe itinere Balduinus de Tornaco nobilis heros, & præfatus Angligena, illi comitabantur: quorum virtuosæ strenuitates ab his, qui eorum arcana familiariter rimati sunt, prædicabiles habentur.

IN Apulia Vrbanum Papam Anselmus inuenit, & ab ipso veneranter susceptus, C ibi cum illo aliquandiu habitauit. Tunc ROGERIVS Tancredi filius Siciliæ Consul in Campaniam venerat, Capuam obsidebat; Ricardum Iordani filium, nepotem scilicet suum paterno iuri restituere satagebat, & rebelles Langobardos, qui prædictum iuuenem excluserant, obsidione coartabat. Ibi Papa sequester aderat, & cum venerabili Anselmo legationes pacis inter dissidentes deferebat. Tandem Comes pristinum honorem, compressis rebellibus, nepoti suo restituit: eique Papa domnum Anselmum, & ipsi Consulem commendauit. Cúmque Concilium apud Barum iussu Papæ congregatum esset, & copia perplexarum de fide aliísque mysteriis quæstionum à Græcis prolata fuisset: iussu Papæ pater Anselmus generalem omnibus sermonem fecit, & ad propositas inquisitiones subtili lucidáque Græcis & Latinis responsione satisfecit. Cúmque præfatus Papa Deo, Catholicæque plebi Apostolicam seruitutem peregisset, & in Gallicanis regionibus, vnde prodierat, suis spiritualiter proficere decreuisset: ingentem Synodum apud Clarummontem Aluerniæ vrbem tenuit, populum Domini contra Ethnicos præliari admonendo præcepit: & crucem Domini, quæ diabolo & omni malignitati formidini est, in humeris suis ferre instituit. Tunc nimia motio gentium facta est, sicut in D præcedenti Libello satis dictum est.

TVNC Godefridus Lotharingiæ Dux Bullonem castrum cum omnibus appendiciis suis Episcopo Leodicensi domino suo inuadiauit, & ab eo septem milia marcos argenti recepit. Sic alij plures opulenti & pauperes prædia redditúsque suos distraxerunt, ac pecuniam ad ineundum iter in Hierusalem procurauerunt.

RODBERTVS quoque II. Dux Normannorum, qui Curta-ocrea iocosè cognominatus est, totam terram suam vsque ad quinque annos GVILLELMO Regi fratri suo dimisit, & decem milia marcos argenti ad explendam peregrinationem cupitam ab eo accepit. Guillelmus autem Rex nono anno ex quo regnauit, exhau-

A rire thesauros suos nolens, ornamenta Ecclesiarum expoliauit, quæ studiosa priscorum beniuolentia Regum & Optimatum auro & argento, gemmisque, ac ad laudem Dei, memoriamque sui, sanctæ matri Ecclesiæ reliquerat. Mense Septembri Guillelmus mare transfretauit, dataque pecunia Neustriam recepit, & ferè v. annis, omni scilicet vita sua fortiter conculcauit. Tunc Odo Baiocensis Episcopus cum RODBERTO Duce nepote suo peregrinatus est. Tantus enim erat rancor inter ipsum & Regem pro transactis simultatibus, vt nullatenus pacificari possent ab vllis caduceatoribus. Rex siquidem magnanimus & iracundus, & tenacis erat memoriæ, nec iniuriam sibimet irrogatam facile obliuiscebatur sine vltione. Tumidus nimirum Princeps acerbè secum recolebat, quòd Odo Præsul, qui patruus suus erat, in primordio regni sui primus illi restiterat, & ingentem magnatorum frequentiam in rebellionem contra ipsum contraxerat. Eius instinctu RODBERTVS Moritolij Comes Peneuesellum tenuit, sed postmodum cum Rege obsidente, qui nepos suus erat, pacem fecit, & reddita munitione in amicitiam rediit.
B Gislebertus quoque filius Ricardi cum Rogerio fratre suo Tonnebrugiam muniuit, sed Paschali hebdomada Rex oppidum obsedit, quod ei mox in primo assultu cessit. Denique Pontifex ipse cum EVSTACHIO Boloniensi, & Rodberto Belesmensi, & insigni phalange armatorum Rofense castrum tenuit, ibique duobus municipiis, quæ Rex construxerat, in giro artatus cum dedecore cessit, & de toto Albionis regno irrecuperabiliter exheredatus recessit. Deinde in Normannia, cùm sese Rex vindicaret, & fratrem suum, à quo iniustè & frustra impugnatus fuerat, impugnaret, & Baronibus cupiditate seu timore ad eum flexis magnam portionem Normanniæ nactus triumpharet: Baiocensis Odo totis viribus illi diu restitit, nec Consuli donec ipse sibi deficeret auxilium defuit. Vnde Præsul, postquam Rex Guillelmus, vt dictum est, præualuit, peregrinari quàm inimico subiici maluit. Romæ cum Vrbano Papa Præsul & Dux locuti sunt, & percepta benedictione ab eo, Tiberim transierunt, & in Apulia hiemauerunt.

INDE Pontifex in vrbem Panormitanam, quam vulgò Palernam vocant, secessit: ibique Februario mense ex hac vita migrauit, & in metropolitana sanctæ Dei genitricis Mariæ Basilica Gislebertus Ebroicensis Episcopus eum sepeliuit.
C Hic ab adolescentia sua promotus, Ecclesiæ gubernaculum suscepit, ferè L. annis tenuit, multis honoribus & ornamentis Episcopalem Ecclesiam ditauit, Clerum honorauit, & multos suis exspoliauit, aliisque ablata prodigus donauit. Cuius obitum Rex Guillelmus vt audiuit, Turoldo fratri Hugonis de Ebremou Episcopatum dedit. Qui post annos VII. Præsulatum pro quibusdam arcanis vltro reliquit, & in Cœnobio Beccensi sub Guillermo Abbate Monachili Regulæ se submisit, ibique plurimo tempore vsque ad finem vitæ regulariter Deo militauit. cui Ricardus Sansonis filius per annos XXVI. successit.

GVILLELMVS itaque Rex Normanniam possedit, & dominia patris sui, quæ frater suus insipienter distraxerat, sibi mancipauit, & Ecclesias Pastoribus viduatas electis pro modulo suo Rectoribus commisit. Nam Gemmeticense Cœnobium & Diuense vacabant. GVNTARDVS enim Gemmenticensium strenuus Abbas apud Clarummontem, dum famosa Synodus ibi celebraretur, VI. Kalend. Decem-
D bris obiit. In cuius loco Rex Tancardum Fiscannensem Præpositum subrogauit. Qui post aliquot annos orto inter ipsum & Monachos probroso tumultu cum infamia recessit, eique Potomagensis Vrsus ab infantia eiusdem Ecclesiæ Monachus, per annos XX. successit. Interea FVLCO Vticensis Monachus, & Diuensium Abbas, Vrbanum Papam adierat, & apud Cassinum Montem exulabat. Cuius successor nomine Benedictus, sancti Audoëni Rothomagensis Archiepiscopi Monachus obierat. Diuensibus ergo Guillelmus Rex Etardum Gemmeticensem hortolanum, ab infantia Monachum, Abbatem dedit: qui per aliquot annos gregem Dei diligenter seruauit. Fulconi verò redeunti cum apicibus Papæ, Cœnobialem Magistratum gratanter reliquit, ac ad conuersionis suæ locum reuersus in decrepita ætate hominem exiuit. Fulco autem, qui ante deiectionem suam Diuense Cœnobium XX. annis rigidè rexit, sollertiaque sua numerum fratrum auxit, multisque modis Ecclesiam prouexit, inuidente & instigante sathana, iniustè criminatus & depositus. VII. annis exulauit. Deinde reuersus, Abbatiam suam iterum VII. an-

GVILLELMVS III. nis prosperè gubernauit, & senex in Anglia III. Non. Aprilis Guentæ obiit. A

1097. ANNO ab incarnatione Domini MXCVII. Indictione V. Guillelmus Rufus, vt patris sui casus & bellorum causas comperit, Philippo Francorum Regi totum Vilcassinum pagum calumniari cœpit, & præclara oppida, Pontesiam, & Caluimontem, atque Medantum poposcit. Francis autem poscenti non adquiescentibus, immò præliantì atrociter resistere ardentibus: ingens guerra inter feroces populos exoritur, & multis luctuosa mors ingeritur. Totum tamen pondus detrimentorum Gallis incumbit, & accumulatur. PHILIPPVS enim Rex, piger & corpulentus, bellóque incongruus erat. LVDOVICVS verò filius eius puerili teneritudine detentus, adhuc militare nequibat. Anglorum autem sceptrifer totus militiæ deditus erat, & optimos ac probatos athletas præcipuè diligebat: & electorum phalanges equitum honorificè secum ducebat. Illis nimirum stipatus si Gaius Iulius Cæsar cum Ausoniis cohortibus obstitisset, eíque iniustum quid inferre conatus fuisset, suorum proculdubio vires, & audaciam tyronum comminus in illum experiri præsumpsisset. RODBERTVS BELESMENSIS Princeps militiæ huius erat, cuius fauor erga Regem & calliditas præ ceteris vigebat. Insignis Consul B HENRICVS frater Regis, & Guillelmus Comes Ebroicensis, Hugo Cestrensis, & Gualterius Gifardus Comes Bucchingehamensis, aliíque plures Consules, Tribuni, & Centuriores, Anglici Regis cohortes ducebant, & præclara facinora frequenter, prout variabilis fortuna præstabat, agebant.

PLERIQVE Francorum, qui binis cogebantur dominis obsecundare, pro fiscis, quibus abundè locupletati sub vtriúsque Regis turgebant ditione, anxij quia nemo potest duobus dominis seruire: animis acriorem, opibúsque ditiorem elegerunt, & cum suis hominibus municipiísque fauorabiliter paruerunt. RODBERTVS itaque Comes de Mellento in suis munitionibus Anglos suscepit, & patentem eis in Galliam discursum aperuit: quorum bellica vis plurima Francis damna intulit. GVIDO quoque DE RVPE, Anglorum argenti cupidus, eis fauit, & munitiones suas de RVPE & Vetolio dimisit. Sic alij nonnulli fecerunt, qui suis infidi, exteris auidè obtemperauerunt. Tunc Guillelmus Rex firmissimum castrum GISORTIS construi præcepit, quod vsque hodie contra Caluimontem, C & Triam, atque Burriz oppositum Normanniam concludit: cuius positionem & fabricam ingeniosus artifex Rodbertus Belesmensis disposuit. Quadam die, dum Normanni super Francos irruerent, & ipsi nihilominus eis insigniter occurrerent, TEDBALDVS-PAGANVS DE GISORTIS, & Gualterius de Aufrediuilla, Geroldúsque de Ebremou, capti sunt: quorum redemptionibus opimis egentes Franci ad dimicandum animati sunt. Rodbertus siquidem de Maldestorn, & Odmundus de Caluimonte, Galbertus de Burriz, & Ricardus frater eius, Godefredus & Petrus filij Herberti de Serranz, militiæ Vilcassinorum præerant, & interdum hostibus acriter resistebant. In illa quippe Prouincia egregiorum copia militum est, quibus ingenuitas & ingens probitas inest. Illi nimirum insignem Francorum laudem deperire noluerunt, seséque pro defensione patriæ, & gloria gentis suæ ad mortem vsque inimicis obiecerunt. Vnde passim è tota Gallia electos athletas & audaces tyrones sibi asciuerunt, & multotiens hostibus obstantes sibi vtiliter stipendia lucrati sunt.

QVONDAM, dum Anglici Regis familia Caluimontis confinia deuastaret, & D militum audacia vires suas vtrinque ostentaret, Franci Gislebertum de Aquila cum aliis quampluribus magnæ nobilitatis comprehenderunt, & Angli PAGANVM DE MONTE-GAII cum aliis de partibus eiusdem ceperunt.

1898. ANNO ab incarnatione Domini MXCVIII. Indictione VI. mense Septembri Guillelmus Rex ingentem exercitũ aggregauit, & in Galliã tendens Conchis hospitiũ V. Kal. Octobris suscepit. In ipsa nocte terribile signum mundo manifestatum est. Totum nempe cœlum quasi arderet, ferè cunctis Occidentalibus rubicundũ vt sanguis visum est. Tunc, vt postmodum audiuimus, in Eois partibus Christiani contra Ethnicos pugnauerunt, Deóque iuuante triumpharunt. Guillelmus Rex in Galliam vsque Pontesiam discurrit, incendiis & prædis, hominúmque capturis, omnium vbertate rerum nobilem Prouinciam deuastauit. Multis quoque legionibus armatorum Caluimontis mœnia circumuallauit, & diros assultus à ferratis co-

A hortibus ingeri præcepit. Illustres oppidani propugnacula quidem sua viuaciter protexerunt, sed timoris Dei & humanæ societatis immemores non fuerunt. Insilientium corporibus prouidè benigniterque pepercerunt; sed atrocitatem iræ suæ preciosis inimicorum caballis intulerunt. Nam plusquàm septingentos ingentis precij equos sagittis & missilibus occiderunt, ex quorum cadaueribus Gallicani canes & alites vsque ad nauseam saturati sunt. Quamplures itaque pedites ad propria cum Rege remeant, qui spumantibus equis turgidi equites Eptam pertransierant. Animosi Francigenę, licèt campestres villas à regiis discursoribus, quorum nimia erat multitudo, defendere non potuissent, nec contra potentem Regem innumerabilibus turmis stipatum sine Rege legitimóque ductore comminus dimicare ausi fuissent: munitiones tamen suas fortiter munientes seruauerunt, & bono creatore dante meliora tempora præstolati sũt. Guillelmus Rex cum GVILLELMO Duce Pictauensium, ductu ALMARICI iuuenis, & Niuardi de Septoculo, contra Montemfortem & Sparlonem maximam multitudinem duxit, circum iacentẽ prouinciã deuastauit. Sed SIMON iuuenis munitiones suas auxiliãte Deo illæsas seruauit. B SIMON verò senex seruauit Neëlfiam, Petrus quoque cũ filiis suis Ansoldo & Tedbaldo Mauliã, aliique municipes, quoş singillatim nequeo nominare, firmitates suas procaciter tenuêre. Interea dum Guillelmus Rex pro regni negotiis regrederetur in Angliam, treuiis vtrobique datis, serena pax Gallis dedit serenitatis lætitiam.

ANNO ab incarnatione Domini MXCVIII. MAGNVS Olaui Noricorum Regis filius contra Irenses insurrexit, & classem LX. nauium super illos nauigaturus præparauit. Rex enim Magnus erat corpore fortis & formosus, audax & largus, agilis & probus, & multa honestate conspicuus. Magnam verò potentiam in Insulis Oceani habebat, multísque diuitiis & opibus multarum specierum satis abundabat. De legali connubio Eustanum & Olauum genuit, quibus regnum magnámq; potentiam dimisit. Tertium verò nomine Segurd Anglica captiua, sed nobilis, ei peperit, quem Turer Ingheriæ filius, Regis Magni nutritius, nutriuit. Qui defunctis fratribus superstes diu regnauit, & Episcopatus ac Cœnobia Monachorum, quę antecessores eius non nouerant, in regno Nordico constituit. Antequàm regnaret, C in Hierusalem nauigauit; Tyrum opulentam vrbem in corde maris sitam per mare obsedit: ipsámque Hierosolymitis in terra inuadentibus, cum suis Segurd in salo expugnauit. Per Russiam verò remeans, Malfridam Regis filiam vxorem duxit, domúmque reuersus, paulò pòst regnum dante Deo suscepit. Quinq; ciuitates in circumitu Northvvagiæ supra litus maris sitæ sunt, Berga, Cuneghella, Copenga, Burgus, & Alsa. Turesberga verò sexta ciuitas est, quæ contra Dacos ad Orientem sita est. In meditullio insulæ piscosi lacus & ingentes sunt, & villæ campestres in marginibus stagnorum circumsitæ sunt. Indigenæ verò piscibus & volucribus, omniúmque ferarum abundant carnibus. Religiosis quoq. Christianæ legis vtuntur ritibus, pax & castitas ab illis seruantur, artissimis legibus, sæuísque scelera puniuntur animaduersionibus. Orcades insulæ, & Finlanda, Islanda quoque, & Grenlanda, vltra quam ad Septentrionem terra non reperitur, aliæque plures vsque in Gollandam Regi Noricorum subiciuntur, & de toto orbe diuitiæ nauigio illuc aduehuntur.

NVNC mea mens causam & euentus belli enodare satagit, quod Magnus Rex in Hibernos arripuit, & multa multis detrimenta & strages intulit. Hic filiam Regis Irlandæ vxorem duxerat. Sed quia Rex Irensis pactiones, quas fecerant, D non tenuerat; Magnus Rex stomachatus filiam eius ei remiserat. Bellum igitur inter eos ortum est. Anno v. Guillelmi Rufi Regis Anglorum, vndique bellicas copias extraxit Rex Northvvigenarũ, & Subsolano flante Oceanum perlũstrans, Orcades insulas adiit, Scotiam à parte Circij circumiuit: & alias insulas, quæ ad suam ditionem pertinent, vsque in Anglesiam penetrauit. Hiberniam ingredi voluit, sed Irensibus in maritimis littoribus ad bellum paratis, aliàs diuertit. Insulam Man, quæ deserta erat, inhabitauit, populis repleuit, domibus & aliis necessariis ad vsus hominũ grauiter instruxit. Alias quoque Cicladas in magno mari velut extra Orbẽ positas perlustrauit, & à pluribus populis inhabitari regio iussu coëgit: seséq; per plures annos ad augmentũ rẽgni, & dilatationẽ plebiũ tali studio exercuit. Quondã Princeps Militiæ Magni Regis cũ sex nauibus in Angliã cursum direxit; sed rubeum scutum, quod signũ pacis erat, super malũ nauis erexit. Maritimæ verò

GVILLELMVS III. 1098. plebes, quæ in Anglia litus infiniti Amphitritis incolebant, in Borali climate vt A barbaricas gentes & incognitas naues viderunt ad se festinare, præ timore nimio vociferatæ sunt, & armati quique de regione Merciorum conuenerunt. Tunc nimirum inter Anglos & Gualos ingens erat belli conturbatio. Ideóque cunctos ad arma concitabat actutum omnis repentina vociferatio.

DVO Consules, quibus Merciorum præcipuè regio subiacet, & ambos vno HVGONIS nomine omen edocet, veredarios per totam terram celeriter miserunt; & armatos quósque Francos & Anglos contra extraneas phalanges ad patriæ tutelam properare mandauerunt. Maxima igitur multitudo de Comitatu Cestræ & Scrobesburiæ congregata est, & in regione Dagannoth secus mare ad prælium præparata est. Illuc Hugo de Monte-Gomerici cũ suis cœtibus prior accurrit, & auxiliarios contubernales expectans, multis diebus ibi consedit, patriámque ne Gualẽses, seu Nordvvigenæ in Prouinciales irruerent, circumspectus tutauit. Quadam B verò die, dum supra littus indigenæ turbati discurrerẽt, séq; contra Nordicos, quos in nauibus suis sæuire contra Anglos videbant, præpararent: Hugo Comes equum calcaribus vrguens cœtus suos cõgregabat, & contra hostes ne sparsim diuisi inuaderentur, principali rigore coërcebat. Interea barbarus Nordvvigena vt Comitem agiliter equitantem prospexit, instigante diabolo stridulum missile subitò direxit, egregiúmque Comitem, proh dolor! percussit. Qui protinus corruit, & in fluctibus maris iam æstuantis expirauit. Vnde dolor ingẽs exortus est. Cuius mortẽ Magnus Rex vt comperiit, vehementer cum suis planxit, & Hugoni Dirgane, id est Grosso, pacem & securitatem mandauit. Exercitum, inquit, non propter Anglos, sed Hibernos ago, nec alienam regionem inuado: sed Insulas ad potestatem meam pertinentes incolo.

NORMANNI tandem & Angli cadauer Hugonis diu quæsierunt, pontíque fluctu retracto vix inuenerunt. Deinde illud XVII. die post mortem eius Scrobesburiæ detulerunt, & in claustro Monachorum cum ingenti luctu sepelierunt. Hic solus de filiis Mabiliæ mansuetus & amabilis fuit, IV. annis post mortem Rogerij patris sui paternum honorem moderatissimè rexit, & circa finem Iulij mensis occidit. C

QVO defuncto, Robertus Belesmensis frater eius Guillelmum Rufum requisiuit, eíque pro Comitatu fratris III. milia librarum sterilensium exhibuit: & Comes factus per quatuor annos immania super Gualos exercuit. Oppidum de Quatfort transtulit, & Brugiam munitissimum castellum super Sabrinam fluuium condidit. Blidam quoque totámque terram Rogerij de Buthleio cognati sui iure reperiit, & à Rege grandi pondere argenti comparauit. Verùm, sicut idem vir multis possessionibus in terris est locupletatus, sic maiori fastu superbiæ sequax Belial inflatus, flagitiosos & crudeles ambiebat insatiabiliter actus.

ANGLI & Guali, qui iamdudum ferales eius ludos quasi fabulam ridentes audierunt, nunc ferreis eius vngulis excoriati plorantes gemuerunt, & vera esse quæ comperierant sentientes experti sunt. Ipse námque quantò magis opibus & vernulis ampliatus intumuit, tanto magis collimitaneis, cuiuscumque ordinis fuerint, auferre fundos suos exarsit; & terras, quas prisci antecessores Sanctis dederant, sibi mancipauit. Is iamdudum in Cenomannico Consulatu castra violenter in alieno rure construxit, in possessionibus scilicet sancti Petri de Cultura, D & sancti Vincentij Martyris, quibus colonos grauiter oppressit. Quod probus Comes comperiens HELIAS, non vt ignauus ægrè tulit: eíque cum suis super Riolci riuum in territorio Soonensi armatus occurrit, & in nomine Domini inuocato sancto Iuliano Pontifice pugnauit; victúmque Rodbertum, quamuis maiores habuisset ipse copias, de campo turpiter fugauit. Ibi Rodbertus de Curceio sauciatus fuit, oculúmque dextrum amisit. Gulferius quoque de Vilereio, & Guillelmus de Molinis, atque Godefredus de Guaceio, aliíque multi capti sunt, pro quibus Cenomannnenses maximas redemptiones habuerunt: & sic iniurias Sanctorum, & damna suorum vlti sunt. Conflictus inter eos diu durauit, & innumeris exitio, & in vinculis acerbitati fuit.

NVNC ordinem rerum gestarum libet retexere, & genealogiam regios fasces iam sperantis prosapiæ. HELIAS Ioannis & Paulę filius, Hugonis Cenomannorum Consulis consobrinus, vir multis erga Dei cultum honestatibus viguit, populique regimen

GVILLELMVS III. 1098.

A men in timore Dei salubriter seruauit. Hic generosam coniugem MATHILDAM, filiam Geruasij accepit, qui Rodberti cognomento Brochardi fratris Geruasij Remorũ Archiepiscopi filius fuit. Huic sex fratres fuerunt, quorum duo priores, Goisbertus & Enoch, post militiam Monachi facti sunt. Reliqui verò quatuor, Ioffredus, & Lãcelinus, Milo, & Guillelmus, immatura morte præuenti sunt. Helias de paterna hereditate Flechiam castrum possedit, quatuor verò castella de patrimonio vxoris suæ obtinuit, id est Ligerim, & Maiatum, Luceium, & Vstilliacum. Vxor eius ei filiã EREMBVRGEM nomine peperit, quæ nubilibus annis FVLCONI Andegauorum tunc Comiti, nunc Hierosolymorũ Regi nupsit, & generosam sobolem genuit, IOFFREDVM, & HELIAM, MATHILDEM, & SIBYLLAM, quæ filiis Regum solemniter nupserunt: sed Deo irreprehensibiliter omnia disponente, citò viduatæ sunt.

EA tempestate, qua Rodbertus Dux fratri suo Normanniam commisit, & ab eo magnam argenti copiam ad explendum iter ad sepulchrũ Regis nostri recepit, Helias Comes ad Curiam Regis Rothomagũ venit. Qui postquam diu cum Duce consiliatus fuit, ad Regem accessit, eique humiliter dixit: Domine mi Rex, consilio Papæ crucem Domini pro seruitio eius accepi, & iter in Hierusalem cum multis nobilibus peregrinis Domino Deo deuoui. Amicitiam, vt vester fidelis, vestramq; deposco; & hoc iter cum pace vestra inire cupio. Respondit ei Rex: Quò vis vade, sed Cœnomannicam vrbem cum toto Comitatu mihi dimitte, quia quicquid pater meus habuit volo habere. Helias dixit: Hereditario iure Cõsulatũ auorum meorũ possideo, Deóque iuuãte liberis meis dimittam liberũ sicut nunc teneo. Et si placitare vis, iudiciũ gratanter subibo, & patriũ ius secundũ examen Regũ Comitúmq; & Episcoporũ, perdam aut tenebo. Respõdit Rex: Ensibus & lanceis, innumerísque missilibus tecum placitabo. Helias dixit: Contra Ethnicos in nomine Domini dimicare volebam, sed ecce nunc viciniorẽ contra inimicos Christi reperio pugnã. Omnis enim, qui veritati resistit, iustitiæque, inimicus cõprobatur Dei, qui vera Veritas est, & Sol iustitiæ. Ipse mihi Cœnomannorũ Præpositurã dignatus est cõmendare, quã aliqua vsus leuitate nõ debeo insipiẽter relinquere, ne populus Dei prædonib. tradatur, sicut oues lupis absq; pastore. Consiliũ verò, quod cœlitus inspirata cõcepi mẽte, vniC uersi Optimates, qui astatis, palã audite. Crucẽ Saluatoris nostri, qua more peregrini signatus sũ, nõ relinquã; sed clypeo meo, galeáq;, & in omnib. armis meis eandẽ faciã, & in sella frenóq; meo sacræ crucis signũ infigã. Tali charactere munitus, in hostes pacis & rectitudinis procedã, & Christianorũ regiones militãdo defẽdã. Equus itaq; meus & arma mea notamine sãcto signabũtur, & omnes aduersarij, qui cõtra me insurrexerint, in militẽ Christi præliabũtur. Cõfido in illo qui regit mundũ, quòd ipse nouit cordis mei secretũ, & per eius clemẽtiã opperiar tẽpus opportunũ, quo possim optatũ peragere votũ. Guillelmus Rex ait: Quò libet vade, & quod vis age. Ego cõtra cruciferos præliari nolo, sed vrbẽ quã pater meus in die trãsitus sui nactus erat, mihi vẽdicabo. Tu igitur dilapsos aggeres munitionũ tuarũ sũmoperè repara, & cæmẽtarios, lapidúmq; cæsores lucri cupidos velociter aggrega, vetustásq; neglectorũ ruinas murorũ vtcúmq; resarciẽdo restaura. Cinomãnicos enim ciues quãtociùs visitabo, & centum milia lãceas cum vexillis ante portas ei demonstrabo, nec tibi sine calumnia hæreditatẽ meam indulgebo. Currus etiam pilis atque sagittis onustos illuc à bobus pertrahi faciã. Sed ego ipse cũ multis legionibus armatorũ bubulcos alacriD ter boãtes ad portas tuas præcedã. Hæc verissimẽ credito, & cõplicibus tuis edicito.

HIS ita vtrinq; prolatis, Comes recessit, & Consulatũ suum viriliter muniuit. Ardui proceres, qui tantorum simultates Heroum audiebant, ex sua parte nihil interserere audebant: quia turgidum Regẽ dominúmque suum timebãt, egregióq; Consuli, qui constãter allegationes suas dicerebat, cõdolebant. Erat enim probus, & honorabilis, & multis pro virtutibus amabilis. Corpore præcellebat, fortis, & magnus, statura gracilis & procerus, niger & hirsutus, & instar Presbyteri benè tonsus. Eloquio etiam erat suauis & facundus, lenis quietis, & asper rebellibus: iustitiæ cultor rigidus, & in timore Dei ad opus bonum feruidus. Quantæ pietatis esset in orationibus, ac deuotionis, indicabãt eius genæ crebro madẽtes lacrymis. Defensionibus Ecclesiarũ, elemosynísq; pauperũ, & ieiuniis admodũ vacauit: & singulis hebdomadibus feria VI. in veneratione Passionis Christi ab omni cibo & potu ex integro abstinuit.

PRÆTEREA Guillelmus Rex multis in Gallos & Britones atque Flandrenses cu-

GVILLELMVS III. 1098. ris occupatus est: minásque suas complere differens per biennium, Cœnomannos A oblitus est. Helias interea castrum apud Dangeolum contra RODBERTVM TALAVACIVM firmauit, ibíque satellites suos ad defensandos incolas terræ suæ collocauit. Inde præfatus tyrannus, quòd vicina passim depopulari arua non posset, contristatus est. Intempestiuus igitur mense Ianuario Regem inquietauit, acerbis verborum stimulationibus accendit, & in initio Februi cum Normannico exercitu ad prædictum castrum adduxit. Dixit enim Regi: " Custodes hostilis oppidi securitate torpentes passim dispersi sunt. " Hiemales quippe pluuias & tempestates considerant, " & vos aliis cum exercitu vestro infestationibus irretiri æstimant. " Nunc ergo, si repente illuc accurrimus, accolas & municipes imparatos inueniemus, & " municipium facilè obtinebimus. Inuitus itaque Rex pluribus ex causis expeditionem inchoauit, sed Rodberto instigante, & prospera pollicente, differre, ne ignauus putaretur, erubuit. Porrò, perstrepens rumor aduentum Regis præuenit, & principalis ordinatio Prouinciales competentibus armaturis munitos asciuit, ac ad transitus aquarum sepiúmque, difficilésque aditus siluarum in hostes coaptauit. B Tunc Rex inimicis nihil nocere potuit, sed rancore stomachatus ferocior in illos exarsit, & Rodberto ingentem familiam bellatorum suis in municipiis adunare præcepit, & copiosos pecuniæ sumptus erogauit, vnde municipia eius vallis & muris, ac multiplicibus zetis vndíque clauderentur, & bellicosis larga stipendiariis donatiua largirentur. Belesmensis itaque munio ad hæc promptus oppida noua condidit, & antiqua præcipitibus fossis cingens admodum firmauit. Hic nimirum nouem in illo Comitatu habuit castra, id est Bleuam, & Peretum, Montem de Nube, & Soonam, sanctum Remigium de Planis, & Orticosam, Allerias, & Motam Galterij de Clincampo, Mamerz, & alias domos firmas quamplurimas. Hæc siquidem regio censu argutus artifex sibi callidè præparauit, & in his bestialis sæuitiæ colonos, viciníśque suis malefidos collocauit, per quos arrogantiæ suæ satisfecit, & atrocem guerram in Cœnomannos exercuit. In Quadragesima, dum peccatores cælitus compuncti praua relinquunt, ac ad medicamentum pœnitentiæ pro transactis sceleribus trepidi confugiunt, in carcere Rodberti plus quàm trecenti C vinculati perierunt. Qui multam ei pecuniam pro salute sua obtulerunt, sed crudeliter ab eo contempti, fame & algore, aliísque miseriis interierunt. His temporibus, venerabilis vitæ Hoëllus, genere Brito, Cœnomannorum Episcopus defunctus est. Helias autem Comes Goiffredum Britonem Decanum eiusdem Ecclesiæ ad Episcopatum elegit, sed præueniens Clerus HILDEBERTVM de Lauarceio Archidiaconem in Cathedra Pontificali residere compulit, & altæ vocis cum iubilatione tripudians cantauit, *Te Deum laudamus*, & cetera quæ vsus in electione Præsulis exposcit Ecclesiasticus. Quod Helias vt comperiit, valde iratus, resistere voluit. Sed Clericis dicentibus illi; " Electionem tuam Ecclesiasticæ præferre non debes " electioni, reueritus, quia Deum timebat, siluit: & ne lethale in membris Ecclesiæ scisma fieret, Canonicis consensit.

GOIFFREDVS quippe de Præsulatu iam securus erat, iámque copiosas dapes pro sublimatione sui præparauerat. Paratæ quidem dapes ab auidis comessoribus absumptæ sunt. Sed ipsum Cœnomanni Episcopum habere penitus recusauerunt. Is IVDICAIL Pontificis Aletæ frater fuit, & post obitum Guillelmi Rothomagensis Archiepiscopi Rothomagensibus XVII. annis præfuit. D

HILDEBERTVS autem post mortem Gisleberti Turonensis Archiepiscopi, à Clero & populo electus est, nutúque Dei de Cœnomannico culmine Metropolitanam sedem adeptus est. Hic mansuetus fuit ac religiosus, & tam diuinarũ quàm secularium eruditioni literarum studiosus, temporibus nostris incomparabilis versificator floruit, & multa carmina priscis poëmatibus æqualia, vel eminẽtia condidit; quæ feruidus calor Philosophorũ subtiliter rimari appetit, ac super aurum & topazion sibi consciscere diligenter satagit. Elegãter enim & sapiẽter loquitur de Christo & Ecclesia, de corpore & anima, de gestis Sanctorum & virtutibus eorum, de laude virtutum & vituperatione vitiorum. A Romanis Cardinalibus, qui frequenter Galliarum plagas adeunt, quia mansuetos illic & obedientes se reperiunt, plurima Hildeberti carmina Romam transferuntur, quę dicacium scholis & didascalis Quiritum admiranda censentur. Hic sacer Heros ferè XXXV. annis Præsulatus officium exercuit, studiísque bonis in docendo & faciendo specialiter institit. Ecclesiam

A sancti Geruasij, vbi corpus eximij Confessoris Christi Iuliani requiescit, multis modis laudabiliter decorauit: quam postmodum tempore Guinmari Britonis successoris sui, qui alio nomine Guido de Stampis appellatur, dedicauit. Verùm, peccatis exigentibus, quam bonorum exercitatio affatim decorauit, variisque ad honorem Dei ornamentis ditauit, post VIII. annos dedicationis incendium, quo magna pars vrbis consumpta est, deturpauit, horribilique modo deuastauit. GVILIELMVS III. 1098.

ANNO ab incarnatione Domini MXCVIII. Indictione VI. Helias Comes hebdomada præcedente Rogationes expeditionem super Robertum fecit: & facto discursu post Nonam suos remeare præcepit. Illis autem redeuntibus, Comes cum septem militibus à turma sua segregatus, propè Dangeolum diuertit, ibique in condensis arboribus & frutectis latitantes quosdam aduertit, in quos statim cum paucis sodalibus irruit. Rodbertus in insidiis ibi latitabat. Qui vt paucos incautè discurrentes vidit, vafer militiæque gnarus ex improuiso cum plurimis prosiliuit; Comitémque mox, & Herueum de Monteforti signiferum eius, & penè omnes alios B comprehendit. Præuij verò exercitus, postquam Balaonem alacres peruenerunt, per eos qui euaserant captum esse audierunt, subitóque post inanem lætitiam ingenti mœrore pariter inebriati sunt. Rodbertus deinde Regi Heliam Rothomagum præsentauit, quem Rex honorificè custodiri præcepit. Non enim militibus erat crudelis, sed blandus, & dapsilis, iocundus, & affabilis.

FELICI fortunâ Rex Guillelmus sibi arridente tripudiauit, & conuocatis in vnum Normanniæ Baronibus, ait: Hactenus de nanciscenda hæreditate paterna neglegenter egi, quia pro cupiditate ruris augendi, populos vexare, vel homines perimere nolui. Nunc autem, vt videtis, me nesciente, hostis meus captus est; Deóque volente, qui rectitudinem meam nouit, mihi traditus est. Quid laudatis, quid mihi modo persuadetis? De rebus agendis consilium indagate, & mihi quod salubrius censueritis intimate. Optimates autem, consultu perscrutato, responderunt: Communi consilio, domine Rex, decernimus, vt iussione vestra vniuersus Normannorum aggregetur exercitus, cum quo nos omnes ad obtinendam Cœnomannorum regionem audacter & alacriter ibimus. His auditis, Rex gauisus est. C Porrò, veloces veredarij longè latéque per Prouincias missi sunt, & velle Regis, vt subiecti & affines & amici sine fictione suffragarentur ei, diuulgauerunt. Franci ergo & Burgundiones, Morini & Britones, aliæque vicinæ gentes ad liberalem Patricium concurrerunt, & phalanges eius multipliciter auxerunt. Mense Iunio Guillelmus Rex per Alencionem exercitum duxit, multisque milibus stipatus, hostium regionem formidabilis intrauit. Militum verò turmæ regio iussu Fredernaium repentè adierunt; & cum oppidanis equitibus militari exercitio ante portas castri aliquantulum certauerunt. Verùm RADVLFVS Vicecomes de Bellomonte Regi supplex accurrit, & fœdus pacis, vsque ad terminum, quem denominauerat, obnixè poposcit. A sublimitate, inquit, vestra requiro, domine Rex, inducias, donec saluus de Cœnomannis redeas. Illic enim Præsul, & Senatorum concio consistit: ibique communis quotidie de statu Reipublicæ tractatus & prouidentia fit. Quicquid ibi pactum fuerit vobiscum, nos gratanter subsequemur, & iussionibus vestris in omnibus obsequemur. Hæc iccirco, domine Rex, loco maiorum natu consilio, quia si sine bello primus defecero, pariúmque meorum desertor primus pacem iniero, omni sine dubio generi meo dedecus & improperium generabo. D Membra caput subsequi debent, non præcedere: & faceti legitimique vernulæ magis optant obsequi domino, quàm iubere. Hæc, & plura his similia dicentem Rex laudauit, & quæ postulata fuerant annuit.

GOIFFREDVS quoque de Meduana, & Rotro de Monteforti, aliique plures, per quorum terras transiturus erat, similiter egerunt; & securitatem ab eo vsque ad reditum eius supplicibus verbis impetrauerunt.

GILO de Soleio de nobilissimis Gallorum antiquus Heros, de familia Henrici Regis Francorum, qui multas viderat & magnas congregationes populorum, in arduo monte stans, turmas armatorum vndique prospexit, & quinquaginta milia virorum inibi esse autumauit: nec se vmquam citra Alpes tantum insimul exercitum vidisse asseruit. Prima Regis mansio in terra hostili apud Ruceium fuit, & sequenti die Rex ad Montem Bussoti castra metatus, pernoctauit. Tertia

GVILLELMVS III. 1097. verò die Colunchis venit, & in pratis Sartæ figi multitudinis tentoria imperauit. A In vineis balistarij & sagittarij secus viam erant; qui tramitem, ne hostes impunè transirent, summoperè explorabant, crebrísque missilibus prætereuntes inquietabant.

FVLCO cognomento RICHINVS Andegauorum Comes, vt Heliam captum audiuit, Cœnomannis, quia capitalis dominus erat, actutum aduenit: & à ciuibus libenter susceptus, munitiones militibus & fundibulariis muniuit. Adueniente verò Rege, milites de vrbe obuiam ei egressi sunt, & tota die viriliter in Normannos certauerunt, & militaria ex vtráque parte facinora commiserunt. Famosi nempe pugiles nitebantur vtrinque suas ostentare vires, & promereri à Principibus suis, atque commilitonibus sanguinolentas laudes.

PAGANVS de Montedublelli Normannis olim familiaris amicitiam cum Rege firmauit, & fortissimam, quam apud Balaonem possidebat, Motam Regi tradidit: per quam totum oppidum aduersariis subactum paruit. Rex autem illic Rodbertum de Bellismo Principem militiæ constituit, eíque plus quàm CCC. milites animis & armis instructos associauit. Contra resistentes indigenas vehementer intumuit, & incomparabilibus detrimentis acriter eos afflixit. Vineas enim eorum ingenti multitudine armatorum extirpauit, segetes conculcauit, & circumiacentem Prouinciam deuastauit: sed diuturnam obsidionem tenere nequiuit. Nam egestas victus grauis hominibus & equis instabat, quia tempus inter veteres & nouas fruges tunc iter agebat. Sextarius auenæ decem solidis Cœnomannensium vendebatur, sine qua cornipedum vigor in Occidentis climatibus vix sustentatur. Quapropter Rex legiones suas relaxauit, & messes suas in horreis recondi præcepit, atque vt post collectionem frugum obsidere hostium castra parati essent, commonuit. B

RVFO Rege cum valido exercitu Normanniam repetente, FVLCO Comes Balaonem obsedit, & aggregatis Andegauensibus cum Cœnomannis per aliquot dies opprimere hostes sategit. Castrenses autem hoc statim Regi mandauerunt, & tumore huiusmodi diffuso animosi Optimates cōtribulibus suis adminiculari summopere festinauerunt. Interea, dum Comes & exercitus in tentoriis suis prandecrent, & mendici de oppido accepta stipe obsessis renunciarent, quòd obsidentes tunc, videlicèt circa Tertiam, comederent: in armis ordinatæ acies militum subitò prosilierunt, & inermes ad mensam residentes ex insperato proturbauerunt, & pluribus captis omnes alios fugauerunt. Ibi Galterius de Montesorelli, & Goiffredus de Brioleto, Ioannes de Blasone, & Berlaius de Monsterolo, & alij ferè CXL. milites cum innumeris peditibus capti sunt: & exuuias hostium, arma, & vestes, multimodámque suppellectilem victores diripuerunt. Inter illos, qui capti sunt, multi nobiles oppidani erant, qui magnorum possessores fundorum in præcipuis Baronibus natiuæ regionis pollebant, & multis magnæ strenuitatis militibus hereditario iure præeminebant. C

TERTIA Iulij mensis hebdomada, Guillelmus Rex suis suppetias venit, & terribiles inimicis armatorum globos secum adduxit. Adueniente autem Rege, oppidani cum tripudio ipsum introduxerunt. Quod audientes vinculati, cum vociferatione magna pariter clamauerunt: Guillelme Rex nobilis, libera nos. Quod audiens ille, iussit omnes protinus absolui, eísque cum suis in Curia foris ad manducandum copiosè dari, & per fidem suam vsque post prandium liberos dimitti. Cúmque satellites eius obicerent, quòd in tanta populi frequentiâ facilè aufugerent, Rex illorum duritiæ obstitit, & pro vinctis eos redarguens dixit: Absit à me, vt credam, quòd probus miles violet fidem suam. Quod si fecerit, omni tempore velut exlex despicabilis erit. Fulco Comes de obsidione ad vrbem confugerat, & in Cœnobiis Sanctorum exitus rerum expectabat. Andegauenses autem cum Cœnomannis consiliati sunt, & sese Normannis in omnibus inferiores compererunt, vnde colloquium inter Regem & Consulē procurauerunt. Ibi tunc auxiliante Deo necessaria pax inter eos facta est, & indè multis pro pluribus causis vtriúsque populi gaudium ingens exortum est. Requisitum est, & concessum, vt Helias Comes, & omnes qui capti fuerant ex vtráque parte, redderentur: & Cœnomannis, & omnia castra, quæ Guillelmus Rex habuerat, Rufo filio eius subiugarentur. D

A Conuentionibus itaque pacis decenter confirmatis, Rex Magistrum militum Rodbertum Hugonis de Monteforti filium accersiit, & in turrim Cœnomannicam aliásque munitiones ascendere præcepit: eique DCC. milites electos loricis & galeis & omni armaturâ fulgentes associauit. Protinus illi, custodibus egressis, cunctas vrbis munitiones nacti sunt, & in principali turre vexillum Regis cum ingenti trophæo leuauerunt. In crastinum Rex post illos mille præclaros milites direxit, & pro libitu suo datis legibus totam ciuitatem possedit. Regia turris, & Mons-Barbatus, atque Mons-Barbatulus, Regi subiciuntur. & meritò, quia à patre eius condita noscuntur. Omnes quoque ciues in pace nouo Principi congratulantur plausibus, cantibus, variísque gestibus. GVILLELMVS III. 1098.

TVNC Hildebertus Præsul, & Clerus, & omnis plebs, obuiam Regi cum ingenti gaudio processerunt, & psallentes in Basilicam sancti Geruasij Martyris perduxerunt: vbi Sanctorum Pontificum & Confessorum Iuliani, & Turibij, ac Victoris, aliorúmque plurimorum corpora requiescunt.

B ABSOLVTVS Helias Baiocis de carcere prodiit, ad Regem niger & hispidus Rothomagum venit, eíque humiliter dixit: Qui pluribus suffragaris, Rex inclyte, " mihi quæso subueni pro tua insigni strenuitate. Iamdiu Comes nuncupatus sum, " quia hereditario iure possedi nobilem Consulatum, sed omine mutato nominis & " honoris titulo priuatus sum. Obsecro igitur, vt cùm pristinæ dignitatis vocabulo " in tua me suscipias familia, & ego tibi condigna exhibebo seruitia. Cœnomannorum " non requiro vrbem, vel oppida, donec idonea seruitute illa promeruero à tua " magnificentia. Inter tuos duntaxat anhelo familiares haberi, & regali amicitia perfrui. " Liberalis Rex hoc facilè annuere decreuit, sed Rodbertus Mellenticus Comes pro felle liuoris dissuasit. Callidus enim senex regalibus consiliis & iudiciis præerat. Quapropter in Prætorio principali parem seu potiorem perpeti metuebat. Dixit ergo Regi: Cœnomanni versipelles & infidi sunt, & quod fortitudine ne- " queunt dolis & tergiuersatione faciunt. Ecce deuictus supplicat hostis, & fraudu- " lenter inhiat tuus esse familiaris. Cur hoc appetit? vt quantociùs vicinior inter- " C fuerit arcanis, tanto, dum sibi arriserit opportunitas temporis, contra te ferociùs " insurgens, tuis infestior copuletur inimicis. "

HIS ita dictis, voluntas Regis immutata est, & strenuus Heros, ne in familia Regis computaretur, repudiatus est. Vnde labor ingens cum periculis & detrimentis postmodum multis exortus est. Rursus Helias Regem blandis affatibus lenire studuit, sed frustra. Vnde constanter adiecit. Libenter, domine Rex, tibi serui- " rem, si tibi placeret, gratiámque apud te inuenirem. Amodo mihi, quæso, noli de- " rogare, si aliud conabor perpetrare. Patienter ferre nequeo, quòd meam mihi ab- " latam hereditatem perspicio. Ex violentia præualente omnis mihi denegatur recti- " tudo. Quamobrem nemo miretur, si calumniam fecero, si auitum honorem totis " nisibus repetiero. Cui turgidus Rex ait: Vade, & age quicquid mihi potes agere. "

HELIAS itaque conductum per terram Regis ab illo requisiuit. quo accepto, liber ad sua gaudentibus amicis remeauit. Quinque oppida sua cum adiacentibus vicis instruxit, sollicita procuratione damna suppleuit, propriísque negotiis sedulus institit. Ab Augusto vsque ad Pascha in pace siluit. Interim tamen quali speci-D mine nisus suos hostibus ostenderet, callidè cogitauit, & multotiens cum fidis affinibus tractauit.

GVILLELMVS autem Rex, postquàm Cœnomannis, vt dictum est, sine multi cruoris effusione obtinuit, Guillelmo Ebroicensium Comiti, & Gisleberto de Aquila, aliísque probis optimatibus vrbem seruandam commisit, & regiam turrem armis & cibis & omnibus necessariis opimè instructam Galterio Rothomagensi filio Ausgerij commendauit. Radulfus Vicecomes, & Goisfredus de Meduana, Rodbertúsque Burgundio, aliíque totius Prouinciæ Proceres Regi confœderati sunt: redditísque munitionibus, datis ab eo legibus solerter obsecundarunt.

DVM hæc citra mare in Neustria perpetrarentur, immodicíque sumptus in superfluis apparatibus prodigè distraherentur, Rannulfus Flambardus iam Dunelmi Episcopus, aliíque Regis satellites & gastaldi Angliam spoliabant, & latronibus peiores, agricolarum aceruos, ac negotiatorum congeries immisericorditer diripiebant, nec etiam sanguinolentas manus à sacris cohibebant. Defunctis enim Eccle-

GVILLELMVS III. 1098. siæ Prælatis, regia vi protinus succedebant, & quæque in ærario eorum reperie- A bantur, irreuerenter inuadebant. Cœnobiorum fundos, & Episcopatuum redditus dominio Regis mancipabant, & à superstitibus Archimandritis, seu Pontificibus, enormis pecuniæ vectigal exigebant. Sic immensi census onera per fas pérque nefas coaceruabant, & Regi trans fretum, vt in nefariis seu commodis vsibus expenderentur, destinabant. Huiusmodi vtique collectionibus grandia Regi xenia præsentabantur, quibus extranei pro vana laude ditabantur. Filij autem regni propriis rebus iniustè nudati, contristabantur, & ad Deum, qui per Aoth ambidextrum, perempto Eglon Rege pinguissimo, de manu Moab liberauit Israël, clamantes lamentabantur. Hæc videns sacer ANSELMVS Archiepiscopus valde contristatus est, & oppressis succurrere conatus est. Murus pro domo Israël contra colentes Baalim stare fortiter nisus est. Vnde pro multimodis Ecclesiarum afflictionibus per fideles Legatos cum supplicibus Epistolis Regem interpellans conquestus est. Sed, obdurato corde, Rex malè sanus humili didascalo non paruit: quapropter B ille licentiam eundi Romam ab eo petiuit. Porrò, tumidus Princeps Romam quidem eum abire permisit, sed Normanniam ne intraret prohibuit. Heu! quàm profano tumore cæcatus citò ruiturus desipuit, qui Dei seruum à facie tyrannidis suæ fugientem videre noluit. Quem postmodum, quia paulò post ipse sæua morte collapsus est, numquam videre potuit. Venerandus verò vir iussui Principis obtemperans per Boloniam transiuit, & reuerendos secum itineris comites habuit, Balduinum de Tornaco Beccensem Monachum, & Cantuariensem Edmarum natione Anglicum, qui vitam eiusdem Patris postea diligenter conscripsit ad ædificationem animarum. Præfatus Præsul vsque in Capuam vrbem * Campaniæ caput, laboriosum iter expleuit, ibique Vrbanum Papam inuenit: à quo benigniter & honorificè susceptus, ei causam aduentus sui declarauit. Papa nimirum ibi tunc admodum occupatus erat, quia Capuanos, qui contra Ricardum Principem suum Iordani filium rebellauerant, eidem pacificare satagebat: quos idem iuuenis auxilio & animositate Rogerij senis auunculi sui Siculorum Comitis ad deditionem pertinaciter compulerat. Reuerendus itaque senex inter Italos, de quorum origine propagatus fuerat, aliásque gentes ferè biennio exulauit, & externis auditoribus dicax seminiuerbius spiritualiter profuit. Si quis eius facta seu dicta pleniùs perscrutari voluerit, in præfati Libro Edmari apud Beccum Herluini C prædecessoris sui reperire poterit.

* Vberis.

IN Autumno Guillelmus Rex, postquam Cœnomannenses, vt dictum est, subegit, & Normannicas ad libitum suum res composuit: flante Austro ditissimum Albionis regnum reuisit. Sequenti anno Helias post Pascha iterare guerram cœpit; & clam consentientibus indigenis depopulari confinia, & militiam Regis lacessere sategit. Denique mense Iunio cum insigni multitudine militum venit ad Planchias Godefredi, vadum Egueniæ fluminis pertransiuit, regiósque pugiles, qui vrbem custodiebant, ad conflictum lacessiit. Audaces verò Normanni foras proruperunt, diúque dimicauerunt; sed numerosa hostium virtute præualente in vrbem repulsi sunt. Tunc etiam hostes cum eisdem ingressi sunt, quia eorum violentiâ coërciti municipes portas claudere nequiuerunt: sed per vrbem fugientes vix in arcem, aliásque munitiones introire potuerunt. Ciues enim Heliam multùm diligebant, ideóque dominatum eius magis quàm Normannorum affectabant. Municipes autem, qui munimenta Regis seruabant, omnibus necessariis pleniter abundabant: & iccirco vsque ad mortem pro Domini sui fidelitate præliari satagebant. D Porro Helias à gaudentibus vrbanis in ciuitate susceptus est: sed omnibus illis graue detrimentum inde protinus exortum est. Galterius enim Ausgerij filius custos arcis iussit fabris, quos secum habebat, operari: scoriam quoque candentem super tecta domorum à balistariis impetuosè iactari. Tunc rutilus Titã sublimes Geminos peragrabat, & ingẽti siccitate mũdus arebat, flãmeúsq; turbo imbricibus aularũ insidebat. Sic nimius ignis accẽsus est, quo nimiũ præualẽte tota ciuitas combusta est. Clarembaldus de Tusoriis, & Galterius, aliíque satellites munimenta diligenter seruauerunt. Helias verò & sui frustra machinis & assultibus valdè laborauerunt: sed contra inexpugnabiles munitiones nihil præualuerunt. Rodbertus autem Belesmensis Balaonem muniuit, cursorémque suum Amalchisum confestim ad

A Regem in Angliam direxit. Porrò ille mari transfretato Clarendonam venit, Regi cum familiaribus suis in Nouam-forestam equitanti obuiauit, & alacriter inquirenti rumores, respondit: Cœnomannis per proditionem surrepta est. Verùm dominus meus Balaonem custodit, & Regalis familia omnes munitiones sibi assignatas sollerter obseruauit, auxiliúmque regalis potentiæ vehementer desiderat in hostile robur, quod eos vndique includit & impugnat. His auditis, Rex dixit: Eamus trans mare, nostros adiuuare. Eodem momento inconsultis omnibus equum habenis regirauit, ipsúmque calcaribus vrguens ad pontum festinauit, & in quandam vetustam nauim, quam fortè inuenit, sine regio apparatu velut plebeius intrauit, & remigare protinus imperauit. Sic nimirum nec congruentem flatum, nec socios, nec alia, quæ regiam dignitatem decebant, expectauit: sed omnis metus expers fortunæ & pelago sese commisit, & sequenti luce ad portum Tolchæ Deo duce saluus applicuit. Ibi, vt moris est in æstate, plures vtriusque ordinis adstabant, & visa rate de Anglia velificante, vt aliquid noui ediscerent, alacres expectabant. In primis de Rege sciB scitantibus, ipse certus de se affuit nuncius. Et quia ex insperato respondit ridens, percunctantibus admiratio exorta est: mox & lætitia omnibus. Deinde cuiusdam Presbyteri equa vectus, cum magno cœtu Clericorum & rusticorum, qui pedites eum cum ingenti plausu conducebant, Bonamuillam expetiit; suíque præsentiâ inimicos in circuitu Neustriæ sæuientes valdè terruit. Tandem directis legationibus ingentem exercitum in breui aggregauit, & hostilem prouinciam depopulatum festinauit. Agmen quoque hostium cum Helia duce suo, statim vt Regem citra fretum venisse comperit, absque procrastinatione fugiens inuasam vrbem multò peiorem quàm inuenerat deseruit. Ildebertus Pontifex in Normannia Regem humiliter aggressus est, & ab eo vt familiaris amicus benigniter susceptus est. Non enim consilio, neque præsentia sui prædictis perturbationibus interfuerat.

Animosvs autem Rex hostium audito recessu pedetentim eos sectatus est, & Cœnomannis nec vna nocte eum hospitari dignatus est. Verùm concrematam vrbem pertransiens vidit, & vltra pontem Eueniæ in epitimio spatioso tentoria figi præcepit. In crastinum iniurias suas ferro & flammâ grauiter vltus est. Porrò, ante-C quàm Rex ad inimici castra venisset, eadémque igni tradere potuisset, ipsa hostilis manus omnia incendebat, omnémque regionem suam vltrò denudabat; ne maliuoli prædones ad diripiendum aliquid inuenirent, nec domata vbi ad capessendam quietem strata sibi coaptarent. Sic profectò Valles, & Ostilliacum consumpta sunt, aliáque quamplurima oppida & rura penitus pessumdata sunt.

Rodbertvs de Monteforti Princeps militiæ cum quingentis militibus agmina præcessit, incendium castri de Vallibus extinxit, munitionémque ad opus Regis confirmauit. Tunc Helias cum ingenti militia castro Ligeri morabatur: seséque ad meliora tempora reseruans, exitum rei præstolabatur. Denique feria vi. Rex Maiatum obsedit, & in crastinum expugnare castrum exercitui iussit. Ceterùm Sabbato, dum bellatores certatim armarentur, & acrem assultum castrensibus dare molirentur, Rex consultu sapientum Deo gloriam dedit, & pro reuerentia Dominicæ sepulturæ ac resurrectionis hostibus pepercit, eísque treuias vsque in Lunæ diem annuit. Interea ipsi castrum interins toto annisu munierunt, & in assultum virgeas crates ictibus missilium lapidúmque opposuerunt. Erant enim viri constantes, Dominóq; suo fideles. Ideóque pertinaciter pro illo vsque ad mortē pugnaces, & exD emplo probabilis probitatis prædicabiles. Cúmque forinseci pugnatores admodum insudarent, vt ingenti strue lignorum cingentem fossam implerent, viámque sibi vsque ad palum pluribus sustentamentis magnoperè substratis publicè præpararent, oppidani flascas prunis ardentibus plenas desuper demittebant, & congestiones rerum, quæ ad sui damnum accumulatæ fuerant, adminiculante sibi æstiuo caumate prorsus concremabant. Huiusmodi conflictu feriâ ii. mutuò vexabantur, & hæc videns Rex nimis anxiabatur. Porrò, dum ira & dolore torqueretur, quòd omnes ibidem conatus illius cassarentur: quidam ad illum de sublimi zeta lapidem proiecit, nutu Dei non illum, sed astantis athletæ caput immaniter percussit, & ossa cerebro non parcente ictu commiscuit. Illo itaque coram Rege miserabiliter occumbente, subsannatio castrensium continuò facta est, cum alto & horribili clamore: Ecce Rex modò recentes habet carnes, deferantur ad coquinam, vt ei exhiban-

GVILLELMVS III. tur ad cœnam. Contristatus igitur Rex, Optimates suos seorsum conuocauit, accepto- A
1098. ptóque ab eis consilio, suos Luceium diluculo abire præcepit. Prudentes enim consiliarij prouidè considerabant, quòd in munitione validissima magnanimi pugiles resistebant, munitique firmis conclauibus contra detectos multiplicibus modis facilè præualebant. Sollertes ergo auricularij vtile decretum palam dederunt, & hoc esse subiectis inermibus ad instans negotium salubre censuerunt: vt saluus Princeps cum insignibus cateruis indè recederet, alióque vlciscendi genere inimicos puniret, & sic suæ gēti sospitatem, & hostium deiectionem callidè procuraret. Manè itaque celeres surrexerunt, ac diuersis ad desolationem hostilis patriæ ferramentis vsi sunt. Vineas enim extirpauerunt, fructiferas arbores succiderunt, macerias & parietes deiecerunt, totámque regionem, quæ vberrima erat, igne & ferro desolauerunt. Deinde Rex Cœnomannis triumphans accessit, & multarum tribubus prouinciarum licentiam remeandi ad sua donauit.

1099. HÆC anno Dominicæ incarnationis MXCIX. indictione VII. mense Iulio facta sunt. Tunc Hierusalem Gentilibus victis, qui eam diu tenuerant, à sanctis pere- B grinis, vt in præcedenti Libro dilucidaui, VIII. Idus Iulij capta est. Vrbanus etiam Papa, reddito Christicolis Christi sepulcro sanctè tripudians, V. Kal. Augusti obiit, cui Paschalis Papa XVI. die intronizatus à transitu prioris successit.

GISLEBERTVS Luxouiensis Episcopus à Monachis Vticensibus multoties requisitus fuit, vt Abbatem suum benediceret. Quod ille renuit agere, nisi Abbas sibi cirographum canonicæ professionis exhiberet. Inter eos indè mutua per X. annos altercatio perdurauit, & neuter vinci patiens, trophæum quisque sperauit. Nam SERLO, qui post Mainerium ad Abbatiæ regimen electus fuit, Cœnobitis duobus annis sine benedictione præfuit, quia insolitam Vticensi Ecclesiæ professionem facere recusauit. Similiter Rogerius Sappensis plus quàm VII. annis fratribus præfuit. Sed Episcopo pertinaciter persistente in suo sensu, pastoralem cambutam non portauit. Qua de re regalis potestas à Monachis requisita iure præualuit, & pertinaci Episcopo imperauit; vt mores, quos antecessores eius in Normannia sub patre C suo tenuerunt, obseruaret, & Abbatem sine alicuius nouitatis exactione consecraret. Iussio Regis ab inuito Præsule concessa est, & pristinus mos Cœnobio confirmatus est. Radulfus Abbas Sagiensis electum fratrem Luxouium duxit, & electionem vice Monachilis Conuentus dictauit. Rodbertus autem Sagiensis Monachus, scriptor eximius, Cartam conscripsit, & Herluinus Episcopi Capellanus cunctorum in audientia, Clero silente, sic recitauit.

CHRISTVS *assistens Pontifex & Pastor Ecclesiastici gregis & Pastorum, sicut suum ex mortalibus continua successione perpetuum efficit gregem: ita cùm sit virtus & sapientia Dei, etiam pastoralem ipsa perpetuitate continuat ordinem, plures constituens Sacerdotes, eo quòd morte prohibeantur permanere. Quorum consecrationem per ministerium Episcoporum spirituali benedictione à Deo fieri non dubitamus: nihilominus & electionem per ora subditorum eodem Spiritu sancto dispensari certum tenentes. Quocirca beati Ebrulfi Congregatio vnanimis exempla sequens, traditionésque Apostolicas, post discessum Patris nostri* MAINERII, *patre quoque nostro domno* SARLONE *in Episcopum assumpto, diuina praeunte misericordiâ in Abbatem elegimus domnum* ROGERIVM *fratrem nostrum, conuersatione cognitum, professione coniunctum, præsentiâ & suffragiis egregiorum suffulti, præfati videlicet Episcopi Sarlonis, Abbatis Beccensis Anselmi, Sagiensis Radulfi, Troarnensis Arnulfi, & ceterorum, cum quibus, quantum vide-* D *re sufficimus, ex instructione Apostoli honestatem personæ contemplantes, virum assumimus Catholicum, diuina lege eruditum, castum, sobrium, humilem, mansuetum, misericordem, beneficum, & ceteris Pastoralibus conuenientiis præditum. Hunc itaque electum diuinæ Maiestati consecrandum offerentes, Præsuli nostro Luxouiensi Gisleberto præsentamus, Pontificalem Ecclesiastico more postulantes consecrationem, & canonicam benedictionem.*

HAC itaque Monachorum electione diligenter perlecta, & tam à Præsule, quàm à Clero gratanter suscepta, ROGERIVS in decollatione sancti Ioannis Baptistæ Abbas consecratus est, & in crastinum à fratribus Vtici honorificè susceptus est. Ipso die, dum fratres ad colloquium in claustro sederent, & plurima subtiliter indagantes vicissim conferrent; inspirante Deo, vt æstimo, de Vticensis Ecclesiæ dedicatione orta est confabulatio, & ingens ardor id agendi omnibus creuit multiloquio. Tandem gaudentibus amicis, & confortantibus, consilium diffinitum est; Deóque

A iuuante Vticensis Basilica Idus Nouembris dedicata est. Hoc officium tres Episcopi celebrauerunt. Gislebertus enim Luxouiensis consecrauit principalem aram in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ, & sancti Petri Apostolorum Principis, ac sancti Ebrulfi Confessoris, & Gislebertus Ebroicensis altare ad Austrum in honore omnium Apostolorum. Serlo autem aram in honore omnium Martyrum. Sequenti verò die Serlo Crucifixum benedixit, & altare illius in honore sancti Saluatoris, sanctique Ægidij Confessoris. Et Gislebertus Ebroicensis aram matutinalis Missæ in honore omnium Sanctorum. Denique XVII. Kal. Nouembris Ebroicensis heros ad meridiem altare in honore omnium Confessorum sanctificauit, & completa Missæ celebratione in Capitulum venit, & sanctis exhortationibus, piisque precibus, & benedictionibus, fratres in Dei cultu corroborauit. In fine verò eiusdem anni, Serlo Sagiensis aram in æde Septentrionali II. Kal. Ianuarij dedicauit in honore omnium B Virginum. Sic VII. altaria certis diebus reuerenter à tribus Episcopis dedicata sunt, & gloriosis Ordinibus Sanctorum Ecclesiastico more ad laudem Dei distributa sunt, qui eidem Sancto Sanctorum in cœlesti regno perpetualiter gaudentes assistunt.

GVILLELMVS III. 1099.

AD hanc dedicationem multi Normannorum Proceres adfuerunt, & ex vtróque Ordine Deo fideles orationum suarum libamina obtulerunt. Guillelmus enim Abbas Beccensis, & Radulfus Sagiensis, Arnulfus Troarnensis, & Goiffredus Constantiniensis, & Ricardus de Angeriuilla, & Guillelmus de Glanuilla, Etardus, & Guillelmus Ebroicensis, Hugo Safredi filius, & Guillelmus de Arenis, Archidiacones, & Decani, aliíque honorabiles Clerici affuerunt: & cum Episcopis suis diuinæ seruitutis ministerium solemniter compleuerunt.

TVNC Guillelmus de Britolio eidem Ecclesię de redditibus de Gloz X. libras singulis annis dedit. Rodbertus etiam de Grentemaisnil Ecclesiam sancti Samsonis apud Montem-Calueti maiorem, terrámque vnius carrucæ dedit; decimámque C nundinarum eiusdem villæ, & molendini, ac nemoris, Deo concessit. Gislebertus verò de Aquila medietatem Aquilæ villæ ita sancto Ebrulfo concessit, vt Ricardus miles eam exinde, sicut de præfato milite tenuerat, de Monachis teneret. Alteram quippe partem dono Richerij patris eiusdem in dominio iamdudum possidebant. Radulfus quoque de Conchis Caldeconta & Aluuintonam, quæ in Anglia sunt, & tres agripennas vinearum de Toënia, & quicquid apud Guarlenuillam habebat, & sex hospites in tribus villis suis, sancto Ebrulfo concessit, & ea quæ homines sui dederant gratanter annuens confirmauit.

EODEM tempore multis in Occidente magna erat turbatio, & fœda desertoribus in oculis omnium confusio. Vrbanus enim Papa generali sanxerat auctoritate, & Apostolico iussu inuiolabiliter teneri coëgerat in omni Latinitate, vt vniuersi, qui crucem Christi acceperant, nec iter in Hierusalem pro defectione voluntatis peregerant, in nomine Domini reciprocum callem inirent, aut anathemate percussi extra Ecclesiam pœnas luerent. Multimodis itaque constrictus angariis, Stephanus Blesensis Comes ingemuit, seséque denuò ad peregrinandum præparauit, innumerísque milibus simile desiderium feruenter inoleuit. Bonos enim rumores de D gloriosis [militibus electis] optionibus Christi audierunt: qui contra gentes ethnicas acies sanctæ Trinitatis fide armati expugnauerunt [vel dimicauerunt]: & felicem virtute pij Saluatoris victoriam adepti sunt, æternásque laudes per omnia secula promeruerunt.

NVNC libet, auxiliante Spiritu sancto, ad peregrinos nostros redire: breuiter relaturus de casibus eorum, vel fine, qui post triumphum in Iudæa, vel Syria remansêre, vel de illis qui suos ad penates per iter arduum remeauere.

ANNO ab incarnatione Domini MXCIX. mense Augusto, Godefredus Eustachij Boloniæ Consulis & Itæ filius regnum Dauid in Hierusalem suscepit, & tribus annis regnauit. In ipso mense omnium simul adhuc commilitonum suorum auxilio fretus, in Admirauisum pugnauit, Deóque præsidente feliciter prope Ascalonem triumphauit. In Autumno, postquam gentiles, summo Rege Sabaoth præliante, prostrati sunt; egregij Proceres cum suis commilitonibus redire decreuerunt, & amicis atque consortibus vale dicentes reciprocum callem inierunt. Rodbertus enim Dux Normannorum, & Rodbertus Marchio Flandrensium, atque Raimun-

GVILLELMVS III. 1099.

dus Tolosanus Comes, regressi sunt, quorum strenuitates Turci admodum experti sunt. Cúmque redirent, multis cœtibus peregrinorum obiter obuiauerunt, qui eis in prima profectione comitari nequiuerunt: sed oportunitate data, quando potuerunt, votum eundi ad sepulchrum Domini compleuerunt. Isti siquidem nimiam egestatem in itinere pertulerunt, & penè vsque ad mortem aporiati sunt. Nam præuij, qui pręcedentibus annis regiones inter Antiochiam & Hierusalem depopulati sunt, subsequentibus peregrinis per inediam perniciem in tramite seminauerunt: quia occisis, siue fugatis Prouinciarum colonis, arua inculta nihil quod mandi posset repererunt. Porrò, illi qui redibant ab obuiantibus audierunt, quòd Buamundus Dux Laodiciam obsideret; & intus ei totis nisibus satellitium Imperatoris resisteret. A

ILLVC enim ferè XX. milia peregrinorum applicuerunt, qui de Anglia, & aliis insulis Oceani ad sepulchrum Domini properauerunt, ea tempestate qua gentiles Antiochiam obsidebant, & in vrbe Christianos coartabant. Laodiceni autem Insulanos Christicolas gratanter susceperunt, eorúmque tuitioni sese contra Turcos commiserunt. Inter illos EDGARVS ADELINGVS præcipuus erat, quem Angli quondam post mortem Haraldi Regem sibi frustra præfecerant. Ipse profectò vrbem tuendam suscepit, & RODBERTI Ducis fidelitati seruauit, eique post trophæum de paganis delegauit. Hic corpore speciosus, liguâ disertus, liberalis, & generosus, vtpote EDVARDI Regis Hunorum filius: sed dexterâ segnis erat, Ducemque sibi coæuum, & quasi collactaneum fratrem diligebat. B

RODBERTVS itaque Dux Laodiciam Syriæ adeptus est, ibique cum Normannis & Anglis atque Britonibus aliquandiu commoratus est. Custodes etiam suos in munitionibus constituit, quando peregrinationem suam ad monumentum Domini IESV CHRISTI peregit.

INTEREA Rauendinos Imperatoris Alexij Protospatarius, aliíque stratores nauigio venerunt, & cum magno exercitu ciuitatem obsederunt. Vrbani autem compatriotis suis fauentes, Cisalpinos eiecerunt, & Augustales Præfecti à Græcis & Syris intromissi sunt. Quod audiens Buamundus, confestim illuc cum exercitu conuolauit, & diutiùs obsessam vrbem crebris assultibus impugnauit. Cúmque Laodiceni & Traces reditum Hierosolymitanorum comperissent, metuentes ne insuperabilem, si connecterentur, exercitum facerent, legatis & muneribus callidè præmissis eos illexerunt, eísque vt securi ad vrbem suam defensandam properarent mandauerunt. Igitur illi hæc audientes gauisi sunt, & venientes in vrbe à ciuibus pacificè suscepti sunt. Deinde rebus quæ acciderant ventilatis, & omnibus vtrobique mitigatis, RODBERTVS Dux cum consodalibus suis Buamundo mandauit, vt cum pace recederet. Alioquin ad bellum sese maturiùs præpararet. Buamundus autem, his auditis suos conuocauit, & quid in tantis incursionibus agendum esset inuestigauit. Omnes persuaserunt, vt in pace recederet, suísque contentus aliena iniustè non inuaderet: ne contra fratres & strenuos compares dimicaret, & sic Deum ad iracundiam contra se prouocaret, ne scandalum Christianis, & cachinnum paganis generaret, nec effusione Christiani cruoris gloriam suę strenuitatis macularet. Modestus igitur Dux profunditatem rationis perspicaciter inspexit, & vtillimos sophorum monitus astutè intelligens adquieuit; & quamuis mœstus, suorum tamen pro reuerentia sociorum cum suis abscessit. Tutiores itaque Pelasgi & Syri de commoditatibus suis tractauerunt, & post aliquot dies seorsum nostrates conuocatos sic affati sunt: Inclyti Seniores, quorum fidem ac strenuitatem iam totus cognouit orbis, audite verba quæ bono animo nunc dicemus vobis. Palam scimus, quòd causâ peregrinationis ditia regna reliquistis, eadémque iam, votis vestris nobiliter expletis, reuisere vultis: maximè cùm vos vrgueat dulcis amor coniugum, & dilectæ sobolis, affectúsque parentum stimulet ac amicorum, quos pro Christo deseruistis. Nunc ad hanc voluntatem peragendam breuiter nostrum percipite cōsilium, quod sine dubio vobis, dispensante Deo, comprobabitis salubre & commodum. Vrbes & oppida, quæ in Syria vel Romania possidetis, dimittite nobis ad opus Imperatoris. Nos autem vobis optimam classem præparabimus. Vos, & omnes, quicumque vos sequi voluerint, sine naulo Constantinopolim ad Augustum conducemus: & illuc vsque panem & vinum, & quæque vobis necessaria fuerint, affatim suppeditabimus. C D

A Imperatoris enim voluntatem in hac re scimus, eique tali seruitio placere gliscimus. Francos habere secum valde concupiscit, eorúmque constantiam & viuacem annisum admiratur ac diligit. Nostro consultu per ipsum fiducialiter ite, & experimini consilium istud esse vobis vtile. FRANCI pariter consiliati sunt, & multa, prout vnusquisque commentatus est, callidè considerauerunt. Principes enim cum comitatu suo segregati sunt, & sic adinuicem locuti sunt: Ecce in extraneam regionem elongati sumus, atque ad nostra regredi summopere desideramus. Ast gemina difficultate coangustamur. Hic etenim honorificè, vt nobilitatem nostram decet, remorari nequimus, nec in Gallias remeare sine graui discrimine valemus. Buamundus Antiochiam & circumiacentes Prouincias possidens passim dominatur, nec in his regionibus parem sibi quemlibet pati dignatur. Nauigium verò ad transfretandum nobis deest, & iter nobis terrestre, nisi per terram Augusti, nullum est. Porrò illud, nisi beniuolentiam eius habuerimus, periculosum est, ideóque inter barbaros incolas per dubios calles meticulosum est. Multimoda egestate premimur, & mul-

GVILLELMVS III. 1099.

B tarum incõmoditatum metu angimur. Ingenti labore fatigati sumus, ac ad nostram, vt iam satis dictum est, patriã redire peroptamus: quod per mare seu per terram nisi per manus Imperatoris perpetrare non vellemus. Quid ergo faciemus? Hic diutiùs remorandi votum non est, omniúmque penuria rerum ægris & fessis exulibus in promptu est. Promissa igitur Græcorum, licèt versipelles sint, recipiamus: & ab eis pacificè oblata, quoniam Christiani sunt, læti suscipiamus, quod nobis vt facerent, obnixis precibus obsecrare deberemus. Tandem Galli Deo, in cuius manu sunt omnia, sese commendauerunt & indigenis, in omnibus quæ spoponderant, benigniter annuerunt. Illi ergo admodum lætati sunt, & quæ promiserant fideliter compleuerunt. Imperator autem venientes Francos honorificè suscepit, & auditis pactionibus, quas Achei pepigerant, & Galli concesserant, exultauit, & Imperiali auctoritate confirmauit. Permanere cum illo volentibus magnos honores obtulit, redeuntibus verò in Occiduas partes larga xenia donauit. Raimundus ergo Tolosanus Cõ-

C mes, quandiu vixit cum illo conuersatus est, & inter familiares conuiuas eius ac Cõsiliarios habitus est. Hunc Augustus præcipuè diligebat, & libenter eum audiebat, quia ipsum pro fidelitate sua pertinaciter Buamundo in Antiochia restitisse cognouerat. Vxor quoque eius, filia HILDEFONSI Regis Galiciæ cum illo tam diuturnam peregrinationem peregit, & filium nomine HILDEFONSVM Constantinopoli peperit, qui post BERTRANNVM fratrem suum Comitem Tolosæ patris ius possedit, & vsque hodie Gothos in Prouincia perdomuit. Lanceam verò Domini, quam Petrus Abraham Antiochiæ inuenit, Raimundus Comes apud Bizantium diu in Capella sua seruauit. Alios etiam milites, qui inter Græcos degere voluerunt, Imperator multis honorauit muneribus, & magnis ditauit stipendiis.

RODBERTO autem Normanno, & Rodberto Flandritæ, & commilitonibus eorum, qui repedare festinabant, plurima dona contulit, & liberum eis per terram suam transitum & mercatum habere fecit. Illos profectò, qui regiones Eoas relinquebant, aut secum retinebat, aut in Ausonias partes summoperè transmittebat: quia totis nisibus ad hoc elaborabat, vt in Syria contrarias sibi vires debilitaret, & omnes qui ad auxilium sibi resistentium properarent impediret.

D IMPIGER Buamundus, vt ea quæ gesta retulimus audiuit, stratores scilicet Augusti, & omnes Francos cum suis copiis pontum carinis sulcasse comperit, Normãnos, & Armenios, Allobrogésque, & aliis gentibus copiosum agmen celeriter congessit, Laodiciam obsedit, viriliter expugnauit, captam XII. annis tenuit, & successoribus suis vsque nunc dimisit. Tarsum quoque, & Mamistram, Albaram, & Marram, aliásque munitiones, in quarum medio Reblata consistit, ad laudem Dei & subsidium Christianorum insigniter sibi subiugauit. Græcos, & Armenios atque Syros in Monasteriis Monachatum pro ritu suo seruantes honorauit, & possessiones olim habitas fideliter illis concessit. Porrò, quædam Monasteria, quæ crudeles Turci spoliauerant, & indè religiosos habitatores fugauerant, strenuus Heros Latinis Monachis seu Clericis assignauit, & amplas possessiones liberaliter delegauit, vt omnibus bonis in Dei cultu abundarent, & secundum Latinitatis vsum diuinæ Maiestati seruitium persoluerent.

ANNO ab incarnatione Domini MC. præfati Consules ab Augusto, vt dictum 1100.

GVILLELMVS III. 1100. est, pluribus exeniis honorati, cum suis recesserunt: & à Normannis in Italia, qui A magnis ibidem opibus pollebant, amicabiliter suscepti sunt. ROGERIVS enim Siciliæ Comes, eiúsque nepos ROGERIVS Apuliæ Dux, atque Goiffredus de Conuersana nepos Guiscardi Ducis, aliíque compatriotæ seu cognati eorum saluo reditu gauisi sunt: & fatigatos pro Christo in multis agonibus pugiles lætificare conati sunt. Tunc ibi Rodbertus Normanniæ Dux generosam virginem adamauit SIBYLLAM, Goiffredi de Conuersana filiam, desponsauit, & secum in Neustriam adduxit. Hæc nimirum bonis moribus floruit, & multis honestatibus compta, his qui nouerant illam amabilis extitit. Tertiọ postmodum anno Rodomi filium peperit, quem Guillelmus eiusdem vrbis Archiepiscopus baptizauit, eúmque nomine suo vocitauit. Rodbertus Dux dum exularet, non immemor erat, quòd à fratre suo decem millia marcos argenti receperat, eíque Normanniam vsque ad quinque annos inuadiauerat. Quapropter à suo socero, qui dominus Brundisij erat, vrbis B in qua Gaius Cæsar magnum Pompeium inclusit, vt Lucanus narrat, & ab aliis amicis copiam auri & argenti, rerúmque preciosarum obtinuit: ex quorum donis ingentem pecuniam accumulauit, quam reddere creditori, vt suum Ducatum quietè reciperet, prouidè destinauit.

MEMORANDÆ res, quæ sollenniter ad honorem Christi à Principibus, aliísque fidelibus in Oriente agebantur, famâ volante velociter in Occidente denunciabantur, & Occidentalis Ecclesiæ filij de insigni exceptione Hierusalem, & confusione Babylonis lætabantur. GVILLELMVS Dux Pictauensium, auditis nobilibus triumphis, ad amorem peregrinandi accensus est. Cuius vexillum exercitus trecentorum milium de Aquitania & Gasconia, aliísque regionibus Hesperiæ secutus est. Is nimirum decreuit GVILLELMO RVFFO Regi Anglorum Aquitaniæ Ducatum, totámque terram suam inuadiare, censúmque copiosum abundanter ab illius ærario haurire, vnde nobiliter expleret iter, quod cupiebat inire. Eloquentes itaque legatos ad Regem direxit, eíque quod mente voluebat, per eosdem insinuauit. Pomposus autem sceptriger, qui quantò plus habebat, sitientis hydropici more, C tantò plus cupiebat, veredariorum allegationes auidè percepit, & amplas præfati Ducis possessiones pristinis potestatibus paterni Ducatus & regni addere anhelauit. Maximam igitur iussit classem præparari, & ingentem equitatum de Anglia secum comitari, vt pelago transfretato, in armis ceu leo supra prædam prẹstò consisteret, fratrem ab introitu Neustriæ bello abigeret, Aquitaniæ Ducatum pluribus argenti massis emeret, & obstantibus sibi bello subactis vsque ad Garumnam fluuium imperij sui fines dilataret. Hæc tumidus iuuenis agitabat, & arroganter ad hæc inhiabat. Sed omnipotens Conditor, qui cuncta gubernat, aliter disponebat.

TVNC circa rogationes lugubris euentus in Noua-foresta contigit. Dum regij milites venatu exercerentur, & damulas vel ceruos catapultis sauciare molirentur, quidam miles sagittam, vt agrestem feram vulneraret, emisit, egregiúmque iuuenem RICARDVM Rodberti Ducis filium casu percussit. Qui repentè mortuus corruit, & ingens luctus multis indè fuit. Eques infortunio graui territus, ad sanctum Pancratium statim confugit, ibíque mox Monachus factus, geminam vltionem ita euasit. Reatum enim homicidij per pœnitentiam contemptor mundi expiauit, & maliuolum rancorem parentum & amicorum præclari tyronis declinauit. D Multi præfato militi præcelsam felicitatem auspicati sunt: sed homines, Rege Sabaoth aliter dispensante, crebrò falluntur & fallunt, quoniam ignorantiæ tenebris obnubilatæ cogitationes hominum vanæ sunt. De præfati tyronis origine libet parumper dicere. Dum RODBERTVS Dux in adolescentia stolidè contra patrem suum rebellasset, & cum magna prædonum manu extorris Neustriam prædis & multis facinoribus infestaret, decoram pellicem cuiusdam senis Presbyteri in confinio Franciæ adamauit, & ex ea duos filios, RICARDVM, & GVILLELMVM generauit. Illa deinde per longum tempus infantes diligenter enutriuit, iámque adultos in Neustria Duci filios suos exhibuit, & notissima ei signa de peculiari familiaritate iuuentutis suẹ recoluit. Et quia ille partim recognoscebat, prolem tamen suam cognoscere dubitabat, genitrix candentem calibem manifestè portauit, & ab omni adustione illæsa de filio Regis se concepisse comprobauit. Isti siquidem duo fratres probi & amabiles fuerunt, sed in momento quasi flos fœni citò marcuerunt.

Vnus

A Vnus enim, vt dictum est, in venatione sauciatus occidit, alter verò postquam HENRICVS Rodbertum apud Tenerchebraicum cepit, Hierusalem expetiit, ibique militiâ laudabilis citò corruit.

NVNC de sylua, vbi præfatus tyro periit, vide, lector, cur noua vocitata sit. Ab antiquis temporibus ibi populosa regio erat, & villis humanæ habitationi competentibus abundabat. Copiosa verò plebs Suthamptonæ pagum solerti cura obnixè colebat: vnde Australis prouincia Guentanæ vrbi multipliciter campestri vbertate seruiebat. Guillelmus autem primus postquàm regnum Albionis obtinuit, amator nemorum, plus quàm LX. parrochias vltrò deuastauit, ruricolas ad alia loca transmigrare compulit, & siluestres feras pro hominibus, vt voluptatem venandi haberet, ibidem constituit. Ibi duos filios, RICARDVM, & GVILLELMVM Rufum, nepotémque suum, vt dictum est, Ricardum perdidit, & multiformis visio quibusdam terribiliter apparuit, quibus consecratas ædes pro educatione ferarum derelictas, Dominus sibi displicere palam ostendit.

B MENSE Iulio, dum regiæ classis regalis pompæ apparatu instrueretur, & ipse peruicaciter immensa preciosi metalli pondera vndecumque congerens prope fretum præstolaretur, horrendæ visiones de Rege in Cœnobiis & Episcopiis ab vtrísque Ordinibus visæ sunt: vnde in populis publicę collocutiones in foris & cimiteriis passim diuulgatæ sunt, ipsum quoque Regem minimè latuerunt.

QVIDAM Monachus bonæ famæ, sed melioris vitæ, in Cœnobio erat sancti Petri de Gloucestra, qui huiusmodi somnium retulit se vidisse in visione nocturna. Videbam, inquit, Dominum IESVM in solio excelso sedentem, & gloriosam cœli militiam, Sanctorúmque chorum ei assistentem. Dum verò in extasi supra me raptus obstupescerem, & nimis admirans ad insolita intenderem; ecce quædam splendidissima virgo ante pedes Domini Iesu procidebat, & his precibus suppliciter illum exorabat. Domine Iesu Christe Saluator generis humani, pro quo pendens in cruce preciosum sanguinem tuum fudisti, clementer respice populum tuum miserabiliter gementem sub iugo Guillelmi. Scelerum vindex, omniúmque iudex iustissime, de Guillelmo precor vindica me, & de manibus illius eripe, quia turpiter quantum C in ipso est me polluit, & immaniter affligit. Dominus autem respondebat: Patienter tolera, paulisper expecta, quoniam in proximo tibi sufficiens adhibetur de illo vindicta. Hæc itaque audiens contremui, & cęlestem iram Principi nostro mox imminere non dubitaui: intelligens sanctæ virginis & matris Ecclesiæ clamores peruenisse ad aures Domini, pro rapinis & turpibus mœchiis, aliorúmque facinorum sarcina intolerabili, quibus Rex & pedissequi eius non desistunt diuinam legem cotidie transgredi.

HIS auditis, venerandus SERLO Abbas commonitorios apices edidit, & amicabiliter de Gloucestra Regi direxit, in quibus illa, quæ Monachus in visu didicerat, luculenter inseruit. In eodem Monasterio, Kal. Augusti celebritas sancti Petri ad Vincula solenniter peracta est, & personarum vtriúsque ordinis ingens globus ibidem conglomeratus est. Tunc FVLCHEREDVS Sagiensis feruens Monachus, Scrobesburiensis Archimandrita primus in diuinis tractatibus explanator profluus, de grege seniorum electus in pulpitum ascendit, sermonem ad populum de Salutari Dei fecit. Ibi præuaricatores diuinæ legis palam redarguit, & quasi Prophetico spiritu plenus inter cetera constanter vaticinatus dixit: Anglia prophanis D ad conculcationem datur in hæreditate, quia repleta est terra iniquitate. Totum corpus maculatur multiformis leprâ nequitiæ, & à capite vsque ad pedes occupauit illud languor malitiæ. Effrenis enim superbia vbique volitat, & omnia, si dici fas est, etiam stellas cœli conculcat. Discincta libido vasa fictilia, sed & aurea coinquinat, & insatiabilis auaritia quæque potest deuorat. En subitanea rerum instabit immutatio. Non diu dominabuntur effeminati. Dominus Deus publicos sponsæ suæ hostes iudicare veniet, Moab & Edom rumfea manifestæ vltionis percutiet, & terribili commotione montes Gelboë subuertet. Irâ Dei transgressoribus vltra non parcet. Iam cœlestis vltio super filios infidelitatis desæuiet. Ecce arcus superni furoris contra reprobos intensus est, & sagitta velox ad vulnerandum de pharetra extracta est. Repente iam feriet, seséque corrigendo sapiens omnis ictum declinet. Hæc & multa his similia populo feria IV. in templo Dei dicta sunt, & extemplo flagella prosequi exhibitione operum cœpta sunt.

GVILIEL-MVS III. 1100. In crastinum GVILLELMVS Rex mane cum suis parasitis comedit, seséque A post prandium, vt in Nouam forestam venatum iret, præparauit. Cúmque hilaris cum clientibus suis tripudiaret, ocreásque suas calciaret, quidam faber illuc aduenit, & sex catapultas ei præsentauit. Quas ille protinus alacriter accepit, per opus artificem laudauit, nescius futuri quatuor sibi retinuit, & duas Gualterio Tirello porrexit. Iustum est, inquit Rex, vt illi acutissimæ dentur sagittæ, qui lethiferos inde nouerit ictus infigere. Erat idem de Francia miles generosus, Picis & Pontisariæ diues oppidanus, potens inter Optimates, & in armis acerrimus. Ideò Regi familiaris conuiua, & vbique comes assiduus. Denique dum de pluribus inutiliter confabularentur, & domestici clientes circa Regem adunarentur, quidam Monachus de Gloucestra affuit, & Abbatis sui literas Regi porrexit. Quibus auditis, Rex in cachinnum resolutus est, & subsannando supradictum militem sic affatus est: Gualteri, fac rectum de his quæ audisti. At ille: Sic faciam, Domine. Paruipendens itaque monita seniorum, immemor quòd ante ruinam exaltatur cor, de serie literarum quas audierat dixit: Miror, B vnde domino meo Serloni talia narrandi voluntas exorta est, qui verè, vt opinor, bonus Abbas & maturus senior est. Ex simplicitate nimia mihi tot negotiis occupato somnia stertentium retulit, & per plura terrarum spatia scripto etiam inserta destinauit. Num prosequi me ritum autumat Anglorum, qui pro sternutatione & somnio vetularum dimittunt iter suum, seu negotium? His dictis, celer surrexit, & cornipedem ascendens in syluam festinauit. HENRICVS Comes frater eius, & Guillelmus de Britolio, aliique illustres ibi fuerunt, in saltum perrexerunt, & venatores per diuersa ritè loca dispersa sunt. Cúmque Rex & Gualterius de Pice cum paucis sodalibus in nemore constituti essent, & armati prædam auidè expectarent: subitò inter eos currente fera, Rex de statu suo recessit, & Gualterius sagittam emisit. Quæ super dorsum feræ setam radens rapidè volauit, atque Regem è regione stantem lethaliter vulnerauit. Qui mox ad terram cecidit, & sine mora proh dolor! expirauit. Vno itaque prostrato, terrigena fit multorum commotio maxima, hor- C

HENRICVS I. ribilísque de nece Principis clamor perstrepit in silua. HENRICVS concito cursu ad arcem Guentoniæ, vbi regalis thesaurus continebatur, festinauit, & claues eius vt genuinus heres imperiali iussu ab excubitoribus exegit. Illuc & Guillelmus de Britolio anhelus aduenit, callidóque meditatu præueniens econtra obstitit. Legaliter, inquit, reminisci fidei debemus, quam Rodberto Duci germano tuo promisimus. Ipse nimirum primogenitus est Guillelmi Regis filius, & ego, & tu, domine mi Henrice, hominium illi fecimus. Quapropter tam absenti, quàm præsenti, fidelitas à nobis seruanda est in omnibus. In seruitio Dei iam diu laborauit, & Deus illi Ducatum suum, quem pro eius amore peregrinus dimisit, nunc sine bellico tumultu cum paterno diademate restituit. Inter hæc aspera lis oriri cœpit, & ex omni parte multitudo virorum illuc confluxit, atque præsentis hæredis, qui suum ius calumniabatur, virtus creuit. Henricus manum ad capulum viuaciter misit, & gladium exemit, nec extraneum quemlibet per friuolam procrastinationem patris sceptrum præoccupare permisit.

TANDEM conuenientibus amicis & sapientibus Consiliariis, hinc & indè lis mitigata est: & saniori consultu, ne peior scissura fieret, arx cum regalibus gazis D filio Regis Henrico reddita est. Hoc antea dudum fuit à Britonibus prophetatum, & hunc Angli optauerunt habere dominum, quem nobiliter in solio regni nouerant genitum. Mortuo Rege, plures Optimatum ad lares suos de saltu manicauerunt, & contra futuras motiones, quas timebant, res suas ordinauerunt. Clientuli quidem cruentatum Regem vilibus vtcumque pannis operuerunt, & veluti ferocem aprum venabulis confossum de saltu ad vrbem Guentanam detulerunt. Clerici autem & Monachi, atque ciues duntaxat, egeni cum viduis & mendicis obuiam processerunt, & pro reuerentia regiæ dignitatis in veteri Monasterio S. Petri celeriter tumulauerunt. Porrò, Ecclesiastici doctores & Prælati sordidam eius vitam, & tetrũ finẽ considerãtes, tunc iudicare ausi sunt: & Ecclesiastica veluti biothanatum absolutione indignum censuerunt, quem vitales auras carpentem salubriter à nequitiis castigare nequiuerunt. Signa etiam pro illo in quibusdam Ecclesiis non sonuerunt, quæ pro infimis pauperibus & mulierculis crebrò diutissimè pulsata sunt

HENRICVS I. 1100.

A De ingenti ærario, vbi plures nummorum aceruí de laboribus miserorum congesti sunt, eleemosynæ pro anima cupidi quondam possessoris nullæ inopibus erogatæ sunt. Stipendiarij verò milites, & nebulones, ac vulgaria scorta questus suos in occasu mœchi Principis perdiderunt: eiusque miserabilem obitum non tam pro pietate, quàm pro detestabili flagitiorum cupiditate planxerunt, Galteriúmque Tirellum vt pro lapsu sui defensoris membratim discerperent, summoperè quæsierunt. Porrò ille, perpetrato facinore, ad pontum properè confugit; pelagóque transito, munitiones, quas in Gallia possidebat, expetiit, ibique minas & maledictiones maliuolentium tutus irrisit. Hic ADELIDAM filiam Ricardi de sublimi prosapia Gifardorum coniugem habuit, quæ HVGONEM de Pice strenuissimum militem marito suo peperit. Denique post multos annos Hierusalem expetiit, & in via Dei pœnitens Galterius obiit.

ANNO ab incarnatione Domini MC. feria quinta, IV. Nonas Augusti, Guillelmus Rufus in Noua-foresta ictu sagittæ mortuus est, postquam XII. annis, & B penè X. mensibus regno Angliæ potitus est. HENRICVS autem cum Rodberto Comite de Mellento Lundoniam properauit, & Dominico sequenti apud Guestmonasterium in Basilica sancti Petri Apostoli regale stemma suscepit, eúmque venerabilis Mauricius Lundoniensis Episcopus consecrauit. Anselmus enim Dorobernìæ Archiepiscopus, vt suprà dictum est, exulabat. Thomas verò Eboracensis Archiepiscopus nuper defunctus fuerat, & Metropolitana Sedes adhuc vacabat. Triginta annorum erat Henricus, cùm regnare cœpisset, & XXXV. annis, & IV. mensibus regnauit. Hic inter prospera & aduersa regnum sibi diuinitus commissum prudenter & commodè moderatus est, ac inter præcipuos totius Christianitatis Principes, obtentu pacis & iustitiæ fulgens insignis habitus est. In diebus eius Ecclesia Dei diuitiis & honoribus alacriter emicuit, & omnis ordo Religiosorum ad laudem Creatoris multipliciter creuit. Hoc Monachi & Clerici attestantur, qui numero & sublimitate eo regnante multiplicantur. Hoc Heremitæ meritò perhibere possunt, qui siluarum condensa prosternunt, & erectis Monasteriorum & Palatiorum excelsis culminibus ibi tripudiant, & gloriam Deo cum dulcedine mentis cantitant, vbi C quondam exleges latrunculi ad omne nefas peragendum latitare solebant. A principio regni sui omnes sibi sapienter consiliauit, ac ad amorem sui regalibus munificentiis inuitauit. Optimates enim benigniter honorauit, opes & honores illis auxit, & sic eos leniendo fidos sibi effecit. Subiectas verò plebes iustis legibus datis fouit, & ab iniquis exactoribus atque prædonibus patrocinando protexit. Sic sublimis Patricius inter omnes Occiduos Consules & regnorum Rectores effulsit, omniúmque fauorem tam Clericorum quàm laicorum, qui ratione regi gaudebant, promeruit.

VIDVATAS pastoribus Ecclesias consolari cœpit, & eruditos illis Rectores seniorum consultu imposuit. Nam Guillelmo cognomento Gifardo, qui defuncti Regis Cancellarius fuerat, Guentanæ vrbis cathedram commisit; & Girardum Herfordensem Episcopum in Eboracensem metropolim promouit. Veloces quoque nuncios trans pontum direxit, per quos venerabilem Anselmum Archiepiscopum Cantuariæ ad Sedem suam accersiit: quem sicut suprà dictum est, Guillelmus Rex incongruis infestationibus expulit. Eliense verò Cœnobium dedit Ricardo Ricardi de Benefacta filio Beccensi Monacho, & Abbatiam sancti Edmundi Regis D & Martyris Rodberto iuueni Vticensi Monacho, Hugonis Cestrensis Comitis filio. Glastoniam quoque commisit Herluino Cadomensi, & Habundoniam Farisio Malmesburiensi. Hugo Cestrensis Comes, & Rodbertus Belesmensis, ac alij Optimates, qui erant in Normannia, audito casu infortunati Principis, rerúmque mutatione subita, compositis in Neustria rebus suis, iter in Angliam accelerauerunt; nouóque Regi debitam subiectionem obtulerunt, eíque hominio facto, fundos & omnes dignitates suas cum regiis muneribus ab eo receperunt.

HENRICVS Rex imprudentum consilia iuuenum sicut Roboàm secutus non est, sed sapientum argutias, monitúsque senum sagaciter amplexatus est. Rodbertum scilicet de Mellento, & Hugonem de Cestra, Ricardum de Raduariis, & Rogerium Bigodum, aliósque strenuos & sagaces viros suis adhibuit consiliis. Et quia humiliter sophistis obsecundauit, meritò multis regionibus & populis imperauit. Præfatus Princeps quarto mense, ex quo cœpit regnare, nolens

HENRICVS III. 1100. vt equus & mulus, quibus non est intellectus, turpiter lasciuire, generosam virginem nomine MATHILDEM regali more sibi desponsauit; ex qua geminam prolem, MATHILDEM, & GVILLELMVM generauit. Hæc nimirum MELCVLFI Regis Scottorum & MARGARITÆ Reginæ filia fuit, cuius origo de stirpe ELFREDI Regis filij EGBERTI Regis processit, qui primus Monarchiam totius Angliæ post Danicam cladem, & occasum sancti Edmundi Regis & Martyris, obtinuit. Nam antea, ex quo Angli de Anglo Insula, vbi Saxoniæ Metropolis est, in Britanniam venerunt, & deuictis, seu deletis, quos modo Gualos dicunt, occupatam bello Insulam, HENGIST primo duce, à natali solo Angliam vocitauerunt, quinque Reges, vt in scriptis Gildæ Britonis & Bedę Anglici legitur, in ea regnauerunt.

SAPIENS ergo Henricus generositatem virginis agnoscens, multimodámque morum eius honestatem iamdudum concupiscens, huiusmodi sociam in Christo sibi elegit, & in regno secum, Gerardo Herfordensi Episcopo consecrante, sublimauit. De iis rebus, quæ in Anglia contigerunt, pauca prælibaui: sed de Normannis nihilominus huic aliqua libet addere Operi.

MENSE Augusto, mox vt in Neustria infausti occasus Regis compertus est, turgentium furor Normannorum in sua viscera excitatus est. Nam in eadem septimana Guillelmus Consul Ebroicensis, & Radulfus de Conchis cum ingenti manu in territorium de Bellomonte irruerunt, & ingentem prædam de terra RODBERTI Comitis Mellentensis rapuerunt, pro quibusdam iniuriis, quas ipse suis comparibus ingesserat, per fraudulenta consilia, quæ Ruffo Regi contra illos suggerere iamdudum studuerat. Similiter alij plures iram & maliuolentiam, quas olim conceperant, sed propter rigorem principalis iustitiæ manifestis vltionibus prodere non ausi fuerant, nunc habenis relaxatis toto nisu contra sese insurrexerunt, & mutuis cædibus ac damnis rerum miseram regionem Rectore carentem desolauerunt.

RODBERTVS II. MENSE Septembri, Rodbertus Dux in Normanniam venit, & à suis susceptus cum SIBYLLA coniuge sua montem sancti Michaëlis Archangeli de periculo maris adiit. Ibi pro reditu saluo de longinqua peregrinatione Deo gratias egit, ac postea sponsam suam Goiffredi de Conuersana filiam cognouit, quæ sequenti anno filium ei peperit, quem Guillelmus Archipræsul baptizauit, eíque nomen suum imposuit. RODBERTVS verò Dux Ducatum suum nemine prohibente recepit, & ferè VIII. annis nomine tenus tenuit. Socordia nempe, molliciéque damnabiliter detentus est, ideóque despicabilis inquietis & exlegibus incolis factus est. Furta & rapinæ indesinenter agebantur, & mala passim ad detrimenta totius patriæ multiplicabantur.

HELIAS filius Ioannis de Flecchia, vt rumores quos optauerat audiuit, Guillelmum videlicet Regem occubuisse veraciter agnouit, cum armatorum turma Cœnomannis venit, & ab amicis * quibus voluntariè susceptus vrbem pacificè obtinuit, FVLCONEM Andegauorum Comitem dominum suum accersiit, à quo adiutus arcem diu obsedit. Haimericus de Moria, & Gualterius Rotomagensis Ausgerij filius, cum necessariis clientibus turrim seruabant: victum, & armamenta, & quæque obsessis necessaria erant, ad resistendum sufficienter habebant. Cotidie verò simul loquebantur, & mutuò minitabantur, sed joca minis plerumque miscebantur. Heliæ Comiti priuilegium dederunt, vt quotienscumque vellet, albam tunicam indueret: & sic ad eos, qui turrim custodiebant, tutus accederet. Ille verò credulus fidei eorum, quos probissimos & legales nouerat, candore vestis notabilis sæpè ad hostes accedebat, & solus cum illis diu confabulari non dubitabat. Inclusi & forinseci diuersis cauillationibus mutuò exercebantur, animóque non maliuolo multa ludicra vtrinque agitabantur, vnde in illa regione futuri pro admiratione & delectamine loquentur. Tandem « Gualterius & Haimericus Heliam post aliquot dies sic affati sunt: Arcem munitissi- » mam, omnibus bonis opulentam, sicut herus noster nobis commisit, seruamus: nec » vos, nec omnia machinamenta vestra timebimus, quandiu resistere vobis vo- » luerimus. Lædere quidem vos lapidibus & sagittis possumus, quia in eminentiori » prætorio constituti vobis præualemus. Verùm, pro Dei timore, & naturali » amore vobis parcimus, præsertim cùm ignoremus, cui militantes hanc tur- » rim seruemus: Vnde iustum & vtile æstimamus, vt mutuò treuias demus

RODBERTVS II. 1100.

A & accipiamus, donec legatus noster redeat à dominis nostris Angliæ & Normanniæ Principibus. Qui postquàm reuersus fuerit, faciemus prout ratio nobis intimauerit. His auditis, gaudens Helias Fulconi retulit. Omnes indè admodum gauisi sunt, & placitum Normannorum libenter annuerunt. Legatus autem Duci Normanniæ directus ait: Gualterius & Haimericus cum sociis fidelibus arcem Cœnomannicam, sicut eis Guillelmus Rex præcepit, obseruant, & à Cœnomannensibus atque Andegauinis obsessi à te auxilium postulant: scire optantes quid secundum voluntatem tuam agere debeant. Si præfatam arcem vis habere; veni cum valida bellatorum manu eis succurrere, & à circumuallantibus inimicis liberare. Alioquin edoce, qualiter valeant de periculo mortis euadere. Dux autem longæ laboribus peregrinationis fractus, & magis quietem lecti quàm bellicum laborem complecti cupidus, per legatum mandauit obsessis, vt honestam pacem cum obsidentibus facerent inimicis. Longo, inquit, labore fatigatus sum, & Ducatus mihi sufficit Normannorum. Inuitant etiam me Proceres Angliæ, vt festinem pelagus transire, quia B parati sunt me in Regem suscipere. Denique legatus, his auditis, reciprocum iter non repetiit, sed ponto velociter transfretato, Regem Albionis adiit: eique consequenter ea, quæ illum Duci iam dixisse scripsi, facundè intimauit. Ille verò trãsmarinis occupatus negotiis regni, callidè maluit sibi debita legaliter amplecti, quàm peregrinis præ superbia & indebitis laboribus nimis onerari. Custodibus arcis pro sua beniuolentia gratias reddidit, & legatum muneribus dignis honoratum remisit. Nũcius igitur ad suos rediit, illisque responsa filiorum Guillelmi Regis per ordinem retulit. Custodes itaq. laudabili iam fide probati, Heliæ candidam iusserunt tunicam indui, pro qua CANDIDVS BACVLARIS solitus est ab illis nuncupari. Protinus ille iussis paruit. Municipes eum velociter venientem susceperunt, & jocantes dixerunt: Candide Bacularis, meritò nunc vales lætari, quia tempus instat, quod diu desiderasti. Si copiam nummorum in ærario tuo habes, nobiscum felix mercimonium facere potes. Cúmque interrogasset, quem mercatum exercerent, dixerunt: Potens Guillelmus Rex Anglorum hanc arcem condidit, cuius hęres eam nobis commendauit: sed nuper, proh dolor! occubuit. Hanc nimirum arcem tibi damus, & te amodo Cœnomannorum Comitem esse concedimus. C Non formidine virtutis vestræ territi, vel oppressi sumus, nec nobis vsque ad longum tempus resistendi deficeret virtus, si vobis adhuc resistere vellemus. Arma quidem, & animos audaces, victúmque sufficientem habemus: sed naturali hero caremus, cui strenuitatis nostræ seruitium impendamus. Vnde, strenue vir, probitatem tuam agnoscentes, te eligimus: & arce reddita, te Principem Cœnomannorum hodie constituimus. Hæc ad Heliam probi heroës locuti sunt, & pacem cum eo fecerunt, & munitissimam ei turrim cum omnibus copiis à Guillelmo Rufo ibidem aggregatis reddiderunt. Facta itaque pace, strenui municipes cum armis, & omnibus rebus suis exierunt: nec vt hostes deuicti, sed vt fideles amici à Consulibus suscepti sunt. Helias verò Comes cum CC. militibus eos per vrbem incolumes eduxit: & ne à ciuibus, quorum domos præterito anno combusserant, læderentur, alacriter protexit. Sic Helias Comes tertio anno Consulatum suum recuperauit, & vsque ad obitum suum ferè x. annis honorificè tenuit. Interea post aliquot annos EREMBVRGEM filiam suam FVLCONI filio Domini sui Andegauorum Comiti dedit, ipsúmque Cœnomannis dominum sibi successorem constituit. Fœdus amicitiæ cum Rodberto Duce & Henrico Re- D ge postmodum copulauit, eorúmque bellis viriliter interfuit: vníque multùm nocuit, alteríque ingens suffragium contulit. Defuncta coniuge sua cælibem vitam actitare renuit, sed AGNETEM filiam Guillelmi Pictauorum Ducis, relictã HILDEFONSI senioris Galiciæ Regis vxorem duxit. Celebres nuptias cum ingenti tripudio perpetrauit: sed sequenti anno multis lugentibus obiit. Cuius cadauer Ildebertus Præsul in Basilica sancti Petri Apostoli Culturæ reuerenter sepeliuit.

ANNO ab incarnatione Domini MCI. Indictione IX. ingens turbatio in Anglia & Normannia orta est. 1101. Seditiosi enim Proceres Henrici Regis magnanimitatem metuentes, & desidis molliciem Rodberti Ducis, vt libitus suos nequiter explerent magis amantes, fraudulenta consilia vicissim tractare cœperunt: eique, vt parata classe festinus transfretaret, mandauerunt. RODBERTVS nimirum de Belismo, & duo fratres eius, ROGERIVS PICTAVINVS, atque ARNVLFVS, Guillelmus

RODBERTVS II. 1101. de Garenna Suthregiæ Comes,& Gualterius Gifardus, Yuo de Grentemaisnilio, A & Rodbertus Ilberti filius, aliíque plures decretum proditionis sanxerunt, & partes Ducis priùs clam, postea palam adiuuarunt. Imprudens verò Dux sua dominia non seruauit, sed pro cupiditate regni, quod callidior frater possidebat, insipienter distraxit.

TVNC Rodberto de Belismo Sagiensem Episcopatum, & Argentomum castrum,siluámque Golferni donauit: & munitionem de Gisortis Tedbaldo-Pagano,quia semel eum hospitatus fuerat, tribuit. Aliis quoque Proceribus de suo peculio plurima dedit, multisque si Rex foret maiora quàm dare posset promisit. Et quoniam meretricum atque scurrarum consortia non refutauit,sed eis impudenter applaudens sua dilapidauit,inter diuitias ampli Ducatus pane multoties eguit, & pro penuria vestitus vsque ad Sextam de lecto non surrexit, nec ad Ecclesiam quia nudus erat diuinum auditurus officium perrexit. Meretrices enim & nebulones,qui B lenitatem eius scientes eum indesinẽter circumdederunt, braccas eius & caligas, & reliqua ornamenta crebrò impunè furati sunt. In illo itaque palam complerum est est quod per quendam sapientem dictum est,

Qui sua demergunt, hi post extranea pergunt,

AT Normannici Optimates Ducem suum paruipendentes, & Anglico Regi magis fauere gestientes,ad illum transferre Ducatum Neustriæ decreuerunt, crebrísque legationibus ad huiuscemodi appetitum incitauerunt. Sic vtráque gens,instante perfidia, deprauabatur, dominóque infida suo qualiter obesset machinabatur. Rebelles aliqui manifestam contra fideles vicinos guerram arripuerunt, & gremium almæ telluris rapacitatibus,& incendiis,cruentísque cædibus maculauerunt. Venerabilis Anselmus Archiepiscopus, & omnes Episcopi & Abbates cum sacro Clero,& omnes Angli indissolubiliter Regi suo adhærebant: & pro eius salute regníque statu Regem Sabaoth incessanter orabant. Rodbertus quoque de Mellento,& multi alij legales prouidíque Barones domino suo fideliter connectebantur, viribus & consiliis ei suffragabantur.

PRÆCIPVVS incentor vesaniæ huius fuit Rannulfus Flambardus Dunelmi Episcopus. Hic nimirum de plebeia stirpe progressus Guillelmo Rufo admodum adulatus est,& machinationibus callidis illi fauens super omnes regni Optimates ab illo sublimatus est. Summus regiarum procurator opum, & Iustitiarius factus est, & innumeris crudelitatibus frequenter exercitatis exosus, & pluribus terribilis factus est. Ipse verò contractis vndique opibus,& ampliatis honoribus,nimis locupletatus est:& vsque ad Pontificale stemma,quamuis penè illiteratus esset, non merito religionis,sed potentia seculari prouectus est. Sed quia mortalis vitæ potentia nulla lõga est,interempto Rege suo,vt veternus patriæ deprædator à nouo Rege incarceratus est. Pro multis enim iniuriis,quibus ipsum Henricum, aliósque regni filios tam pauperes quàm diuites vexauerat,multísque modis crebrò afflictos irreuerenter cõtristauerat,ex diuino consultu mutato flamine de sublimi culmine potestatis deiectus est,& in arce Lundoniensi Guillelmo de Magnauilla custodiendus in vinculis traditus est. Verùm,sicut Ouidius dicit de Dædalo canens,

Ingenium mala sæpè monent,--------

ingeniosus Præsul de rigore ergastuli exire satègit, & exitum callidè per amicos D procurauit. Erat enim sollers & facundus, & licèt crudelis & iracundus, largus tamen, & plerúmque iocundus, & ob hoc plerísque gratus & amandus. Cotidie ad victum suum duos sterilensium solidos iussu Regis habebat. Vnde cum adiumentis amicorum in carcere tripudiabat, cotidiéque splendidum sibi suísque custodibus conuiuium exhiberi iubebat. Quadam die in lagena vini funis ei delatus est, & copiosus conuiuij apparatus largitione Præsulis erogatus est. Custodes cum eo comederunt, & falerno vbertim hausto exhilarati sunt. Quibus admodum inebriatis,& securè stertentibus,Episcopus funem ad columnam, quæ in medio fenestræ arcis erat,coaptauit: & baculum pastoralem secum sumens, per funem descendit. Verùm,quia manus suas oblitus fuit cirothecis obuoluere, vsque ad os excoriatæ sunt restis scabredine, & fune ad solum vsque non pertingente, graui lapsu corpulentus Flamen ruit, & penè conquassatus flebiliter ingemuit. Fideles amici eius, & probati satellites ad pedem turris expectabant: qui non sin

A timore magno ibidem ei optimos cornipedes præparauerant. Quibus ascensis, ille velociter aufugit, & fidos comites cum thesauro suo obuiam habuit, cum quibus in Normanniam festinanter ad Rodbertum Ducem nauigauit. Mater verò Flambardi, quæ sortilega erat, & cum dæmone crebrò locuta, ex cuius nefaria familiaritate vnum oculum amiserat, in alia naue cum filij thesauro sui per pelagus in Neustriam ferebatur: & à sociis ibidem pro scelestis incantationibus cum derisoriis gestibus passim detrahebatur. Interea totum piratis occurrentibus in ponto ærarium direptum est, & venefica cum naucleris & epibatis anus nuda mœrénsque in littus Normanniæ exposita est. Denique fugax Antistes à Duce susceptus Normanniæ præfectus est, & ipse Dux, quantum ignauia permisit, eius consiliis vsus est. Hic præcipuè Ducem contra fratrem suum ad certamen concitauit, & inimicitias in Regem toto annisu exercuit, consilium Duci qualiter Angliæ Regnum obtineret dedit, auxiliúmque suum in omnibus promisit.

RODBERTUS II. 1101.

IN Autumno tandem Rodbertus Dux in Angliam transfretauit, & ab illustribus & opulentis, qui confœderati eum præstolabantur, susceptus, in Regem bellum parauit. Classis eius Guillelmi patris sui classi multum dispar fuit, quæ non exercitus virtute, sed proditorum procuratione ad portum Portesmundæ applicuit. Protinus ipse Dux à Proceribus regni, qui iamdudum illi hominium fecerant, in Prouinciam Guentoniensem perductus constitit: & fratrem suum, nisi diadema deponeret, ad prælium concitatione seditiosorum lacessiit. Multi, qui pridem Regi specie tenus adhæserant, aduenientem Ducem vltrò susceperunt. Rodbertus enim Belesmensis, & Guillelmus Suthregiæ Comes, aliíque plures Regem deseruerunt: & multi, vt occasionem separationis extorquerent, ab eo iniusta petierunt, & nisi petitionibus suis satisfaceret, eum sese derelicturos minati sunt. Rodbertus de Mellento, & Ricardus de Raduariis, aliíque multi Barones strenui Regem suum vallauerunt. Omnes quoque Angli alterius Principis iura nescientes, in sui Regis fidelitate perstiterunt, pro qua certamen inire satis optauerunt.

INTEREA Hugo Cestrensis Comes in lectum decidit, & post diutinum langorem Monachatum in Cœnobio, quod idem Cestræ construxerat, suscepit: atque C post triduum, VI. Kal. Augusti obiit. Ricardus autem pulcherrimus puer, quem solum ex Ementrude filia Hugonis de Claromonte genuit, Consulatum eius ferè XII. annis amabilis omnibus tenuit, & MATHILDEM filiam STEPHANI Blesensium Comitis ex HADALA sorore Henrici Regis vxorem duxit: cum qua in candida naue, vt postmodum satis elucidabitur, VII. Kal. Decembris naufragio, proh dolor! periit.

MELLENTICUS Consul versutias contribulium & defectionem prospiciens, fidémque suam amico Regi inter læta & tristia seruare satagens, hinc & indè multa tacito corde subtiliter reuoluit, & ne status regni vacillaret anxius laborauit. Dixit itaque Regi: Omnis probus, & æquitate pollens dum videt amicum pressuris impeti, si legalitate vult probabilis haberi, indigenti dilecto debet totis nisibus suffragari. In huiusmodi studio non tantum futuræ mercedis emolumentum debet pensari, quantum de indigentis amici subuentione cogitari. Verùm, plures videmus multùm aliter agentes, fideíque, quam Domino pepigêre suo, decus turpi præuaricatione polluentes. Hæc profectò manifestè cernimus, & acutis punctionibus in nostris lateribus sentimus. Nos ergo, quibus communis vtilitatis prouiD dentia commissa est diuinitus, ad salutem regni, Ecclesiæque Dei vndique speculari debemus. Maxima sit cura, vt per gratiam Dei pacificè vincamus: vt sine Christiani sanguinis effusione victoriam obtineamus, & in pacis serenitate fidelis consistat populus. Nunc igitur, domine mi Rex, consilium meum audi, monitísque meis ne dedigneris obsequi. Cunctos milites tuos leniter alloquere, omnibus vt pater filiis blandire, promissis vniuersos demulce, quæque petierint concede, & sic omnes ad fauorem tui sollerter attrahe. Si Lundoniam postulauerint, vel Eboracam, ne differas magna polliceri, vt regalem decet munificentiam. Melius est enim dare regni particulam, quàm multitudine inimicorum cum vita perdere victoriam. Cúmque ad finem huius negotij auxiliante Deo prosperè peruenerimus, de repetendis dominiis, quæ temerarij desertores tempore belli vsurpauerint, vtile consilium suggeremus. Certum est, quòd quisquis dominum suum in mortis

RODBERTVS II. 1101. periculo sponte deserit, aliúmque pro auiditate lucri appetit, seu militare seruitium, quod vltrò pro defensione regni exhibere debet, Regi suo venale facit: cúmque propriis spoliare dominiis contendit; iudicio rationis & æquitatis vt proditor iudicabitur, & hereditariis rebus meritò nudatus extorris effugabitur. Vniuersi Optimates Henrico Regi assistentes verba Consulis collaudauerunt, & Regem vt monitis eius obsecundaret cohortati sunt. Ille verò sapientiâ præcellens beniuolis auriculariis gratias egit, eorúmque salubribus hortamentis libenter adquieuit, pluresque, quos suspectos habebat, promissis & muneribus sibi conciliauit. Tandem cum ingenti exercitu obuiam fratri processit, & legatos direxit, per quos sollicitè inquisiuit, cur Angliæ fines cum armato exercitu intrare præsumpserit. Rodbertus autem Dux per suos responsales ita locutus est: Regnum patris mei cum Proceribus meis ingressus sum, & illud reposco debitum mihi iure primogenitorum. A

IN QVADAM planicie duo germani per aliquot dies perstiterunt, sibíque mutuo nobiles nuncios cotidie miserunt. Seditiosi proditores magis bellum quàm pacem optabant. Et quia plus priuatæ quàm publicæ commoditati insistebant, versipelles veredarij verba peruertebant, & magis iurgia quàm concordiam inter fratres serebant. Porro sagax Henricus istud aduertit, vnde fratris colloquium ore ad os petiit: & conuenientes fraterni amoris dulcedo ambos impleuit. Nobilis corona ingentis exercitus circumstitit, ibíque terribilis decor Normannorum & Anglorum in armis effulsit. Soli duo germani spectantis in medio populi collocuti sunt, & ore quod corde ruminabant sine dolo protulerunt. Denique post pauca verba mutuò amplexati sunt, datísque dulcibus basiis, sine sequestro concordes effecti sunt. Verba quidem huius colloquij nequeo hîc inserere, quia non interfui: sed opus, quod de tantorum consilio fratrum processit, auditu didici. B

IN primis RODBERTVS Dux calumniam, quam in regno Angliæ ingesserat, fratri dimisit, ipsúmque de homagio, quod sibi iamdudum fecerat, pro regali dignitate absoluit. HENRICVS autem Rex tria milia librarum sterilensium sese Duci redditurum per singulos annos spopondit, totúmque Constantinum pagum, & quicquid in Neustria possidebat, præter Danfrontem reliquit. Solum Danfrontem castrum sibi retinuit, quia Danfrontanis, quando illum intromiserunt, iureiurando pepigerat, quòd numquam eos de manu sua proiceret, nec leges eorum vel consuetudines mutaret. Remotis omnibus arbitris, soli fratres scita sua sanxerunt, & cunctis in circumitu eos cum admiratione spectantibus decreuerunt: quòd sese, vt decet fratres, inuicem adiuuarent, & omnia patris sui dominia resumerent, scelestósque litium factores pariter vtrinque punirent. Pace itaque facta, confusio perfidos operuit, & despicabiles illis etiam, quibus iniquè adulati fuerant, effecit, & inglorios metúque pallentes à facie Regis latitare compulit. Sinceræ verò plebes, & iustis laboribus insistentes exultauerunt, & armatorum cunei, licentiâ Regis acceptâ, dissoluti sunt, gaudentésque ad sua tecta remeauerunt. Totius Albionis regnum tranquilitate pacis tripudians siluit, & Ecclesia Dei diuturna quiete vigens diuina lege splenduit, Deóque secura sine præliorum tumultu militauit. Narrationi nostræ perhibent euidens testimonium nouæ Basilicæ, & multa Oratoria nuper condita per vicos Angliæ, & operosa claustra Cœnobiorum, cum aliis Officinis Monachorum, quæ constructa sunt Henrici Regis tempore. Omnis enim Ordo Religiosorum pace fruens & prosperitate, in omnibus, quæ ad cultum Deitatis pertinent omnipotentissimæ, intus & exteriùs suam diligentiam satagit exhibere. Vnde templa domósque feruens fidelium deuotio præsumit prosternere; eadémque melioranda renouando iterare. Prisca ergo ædificia, quæ sub Edgaro, vel Eduardo, aliisque Christianis Regibus constructa sunt, deiiciuntur: vt amplitudine, seu magnitudine, vel operis elegantiâ, ad laudem Creatoris competenter emendentur. C D

RODBERTVS Dux, postquàm duobus mensibus cum germano Rege deguit, regalibus xeniis honoratus, appropinquante hieme, in Neustriam rediit: & Guillelmum de Guarenna, pluresque alios pro ipso exheredatos secum adduxit.

NON multò pòst GISLEBERTVS senex, cognomento Maminotus, Luxouiensis Episcopus, mense Augusto mortuus est: atque FVLCHERIVS frater Flambardi eiusdem Sedis Præsul à Guillelmo Archiepiscopo mense Iunio consecratus

A est. Hic penè illiteratus ad Episcopatum procuratione fratris sui de Curia raptus est. Quo dapsilitate laudabilis VII. mensibus potitus mense Ianuario defunctus est. Deinde Rannulfus Flambardus, qui in Normannia exulabat, & Dunelmi Præsulatu carebat, pro inimicitiâ Regis cui restiterat, Luxouiensem Pontificatum filio suo THOMÆ puero suscepit: & per triennium non vt Præsul, sed vt Præses gubernauit. Interea Guillelmus de Paceio ingenti precio Comiti dato Præsulatum præoccupare sategit, sed pro simoniaca lue priùs Rothomagi, postea Romæ condemnatus temeritatem suam miserè luit. Sic ferè quinque annis Luxouium Rectore caruit, & Dominicus grex Pastore digno carens lupinis dentibus patuit: donec illi gratiâ Dei IOANNEM ad plebis suæ consolationem Episcopum destinauit. ROBBERTUS II. 1101.

BONIS rumoribus auditis de illustribus athletis, qui peregrè profecti sunt, & in Oriente contra Ethnicos in nomine CHRISTI dimicantes gloriosè triumpharunt; Occidui Proceres inuictam probitatem,* & insperatos euentibus eorum *relati sunt. Consobrini & affines eorum strenuitatis exemplo ad simile opus excitati sunt. Multos nimirum accendit feruor peregrinandi, sepulchrum Saluatoris &
B sancta loca visendi, & virtutem militiámque suam contra Turcos exercendi. Plures etiam terror Apostolicæ maledictionis peregrinari coëgit. Paschalis enim Papa omnes palam anathematizauit, & ab omni Christianitate segregauit, qui crucem Domini gratis acceperant, & itinere non perfecto remeauerant, nisi reciprocum callem iterarent Deóque satisfacientes vota sua piè persoluerent.

ANNO itaque Dominicæ incarnationis MCI. Guillelmus Pictauensium Dux ingentem exercitum de Aquitania & Guasconia contraxit, sanctæque peregrinationis iter alacris iniit. Hic audax fuit & probus, nimiúmque iocundus, facetos etiam histriones facetiis superans multiplicibus. Fertur trecenta armatorum milia vexillum eius secuta fuisse, quando egressus fuerit de finibus Aquitaniæ. STEPHANVS quoque Blesensis Comes Palatinus pene ab omnibus derogabatur, & indesinenter verecundabatur, eò quòd de obsidione Antiochena turpiter aufugerit, & gloriosos sodales suos in martyrio Christi agonizantes deseruerit. A multis personis multoties corripiebatur, & militiam Christi tam terrore quàm confusione
C repetere cogebatur. Ad hoc etiam ADELA vxor eius frequenter eum commonebat, & inter amicabilis coniugij blandimenta dicebat: Absit à te, domine mi, vt " tantorum diu dignêris hominum opprobria perpeti. Famosam strenuitatem iuuen- " tutis tuæ recole, & arma laudabilis militiæ arripe, vt indè Christicolis ingens in " toto Orbe oriatur exultatio, Ethnicisque formido, suæque scelerosæ legis publica " deiectio. Hæc, & multa his similia mulier sagax & animosa viro suo protulit. Sed " ille periculorum & difficultatum gnarus, labores duros iterum subire formidauit. Tandem animos & vires resumpsit, & iter cum multis milibus Francorum arripuit, & vsque ad sepulchrum Christi, quamuis pessima illi obstitissent impedimenta, perrexit. Tunc HARPINVS Bituricam vrbem Philippo Regi Francorum vendidit, & cum GOSCELINO DE CORTENAIA, & Milone de Braio iter Hierusalem iniit. Stephanus autem Dux, & Stephanus Comes super-Saonensis, aliúsque Stephanus Richeldis filius, cum pluribus cœtibus bellatorum de Burgundia, militiæ Christi celeres adhæserunt. Mediolanensis quoque Archiepiscopus,
D & Albertus de Blandraia potentissimus Italorum, cum cateruis Ligurum iter Hierosolymitanum aggressi sunt. Omnes isti pro amore Dei peregrè perrexerunt, & in Macedoniam peruenientes, suos Alexio Imperatori legatos direxerunt, per quos pacificum conductum & mercatum ab eo sibi postulauerunt.

SOLLERS Augustus nimiam virtutem Occidentalium aduentare audiens, perterritus est, eíque quicquid ab eo petierant indubitanter annuens, prudenter blanditus est. Audaciam & fortitudinem Cisalpinorum sub Guiscardo & Buamundo multoties expertus fuerat, & iccirco illos contristare, ac ad bellum prouocare admodum præcauebat. Liberum ergo per terram suam illos habere transitum decreuit, ipsorúmque petitionibus omnibus liberaliter adquieuit. Ingentia dona Principibus erogauit, & omnes vsque in Capadociam, quæ vltra Constantinopolim est, prosperè conduci fecit. Illic omnes occiduæ phalanges recensitæ sunt, & plus quàm quingenta milia pugnatorum reperta sunt. Sagaces viri de itinere peragendo consiliati sunt, sed de periculis nihilominus deuitandis præcogitaue-

RODBERTVS II. 1101.

runt. In conciliabulis itaque suis imminentia perscrutabantur, & sic vicissim lo- A
quebantur: Huc vsque securi fuimus, quia inter fratres commorati sumus, quo-
rum mores & loquelam nouimus. Nam ex quo de laribus nostris egressi sumus,
» vsque nunc à Christianis pro amore summi Patris benigniter suscepti sumus. Amo-
» do nobis alia condicio incumbit. Inter Imperatorem, & Buamundum, qui præsi-
» det Antiochiæ, immaniter sæuiunt bellorum tempestates permaximæ. Regiones,
» per quas ituri sumus, incultæ sunt: & per illas vsque ad mare Turci frequenter di-
» scurrunt, qui, sicut lupi naturaliter sanguinem ouium sitiunt, sic omne Christia-
» norum genus interimere gestiunt. Omnipotentem Deum, vt nos protegat, sup-
» pliciter deprecemur, quia variis discriminibus vndique includimur. Ecce infi-
» dum Imperatorem cum populis suis post tergum dimisimus, quos vehementer su-
» spectos habemus. Ad dextram est mare, in quo Creta, & Cyprus, & clara Rho-
» dus, aliæque multæ sunt insulæ: quæ omnes Imperatori subiacent, & pro malefa- B
» ctis nostratum, qui præcesserunt, nos odio habent. Ad Orientem, vel ad Aquilo-
» nem, barbaræ gentes orbem vsque ad fines terræ possident, quæ Christianorum
» sanguinem effundere insatiabiliter ardent. Per inculta loca vsque in Antiochiam
» iter est plus quàm xxx. dierum, vbi nobis omne deest genus alimentorum, quia
» regiones almæ desolatæ sunt per guerram, quæ iamdiu durauit inter Imperatorem
» & Buamundum. Quid in tot periculis faciemus? vndique desolati sumus.

DENIQVE diuersorum sententiis multipliciter inuestigatis, Dux ait Picta-
» uensis: Ad Imperatorem legatos mittamus, & ab eo vnanimiter poscamus, vt Co-
» mitem sancti Ægidij cum lancea Saluatoris dirigat, qui per incognitas nos Pro-
» uincias vsque ad sepulchrum Christi salubriter conducat. Ipse enim sapiens, &
» magnæ auctoritatis est, & in prima profectione in omnibus inter præcipuos habitus
» est. Difficultatum quoque & viarum, quas ignoramus, longa experientia gnarus
» est, & probabili iam olim strenuitate Christianis & paganis notissimus est. Hunc
» ergo si Maronem nobis & Consiliarium præfecerimus, securitatem ab Augusto, &
» cautelam contra Ethnicos habebimus. Nuncij consensu omnium directi sunt, &
legationem suam Augusto facundè prompserunt. Ille verò vt Ausoniorum manda- C
ta percepit, mox eadem Raimundo Comiti retulit. Quibus auditis, ille respondit:
» Gratiâ Dei ad capiendam Hierusalem multùm laboraui, senióque multísque labo-
» ribus fractus, amodò quiete opto perfrui. Ad asylum Maiestatis vestræ, domine
» Auguste, confugi. Parce, quæso, mihi, ne me compellas vlteriùs peregrinari. Im-
» perator autem legatis ait: Comitem sancti Ægidij, vt vobiscum comitaretur, ad-
» monui. Sed ille senium, & infirmitates suas prætendit, quibus impeditur, ne vo-
» biscum exire possit. Ite securi pace mea. Egregium Comitem ad pacis nostræ tute-
» lam confugientem effugare nolo, quia non debeo. Legati protinus remeauerunt,
& quæ audierant renunciauerunt. Hinc conturbatis omnibus, & diuersa inuicem
» musitantibus, Pictauensis dixit Guillelmus: Velociter arma sumite, & redeuntes
» Constantinopolim obsidete, viriliter expugnantes vrbem. Non recedemus, do-
» nec aut perfidum Imperatorem perimamus, aut ab inuito quod petitum est viribus
» extorqueamus. Innumera suis fidelium milia fraudulentiis peremit, ideóque gra-
» tum Deo, ni fallor, sacrificium exhibebit, qui vitam occupantis terram ad perni-
» ciem multorum arte quauis exemerit. Stephanus Blesensis, aliíque modesti Baro- D
nes, edicto huiusmodi non adquieuerunt, sed sinceræ veritatis allegationibus ra-
tionabiliter prolatis pariter contradixerunt. Porrò Aquitani, & Guascones, alii-
que contumaces, qui iuuenili prouidentiâ regi appetunt, proterui Ducis iuueni-
lem impudentiam confirmauerunt. Procaciter ergo reuersi sunt, triduóque Bizan-
tium obsederunt. Imperator autem vt conatus eorum audiuit, & vrbem econtra
populosam, triplici muro septam considerauit: in primis hostilem aduentum parui-
pendit. Verùm postquam pertinaciam eorum persistentem intellexit, tres ferocis-
simos leones & septem leopardos inter medium murum & antemurale dimitti præ-
cepit. Custodes autem super tertium murum, cui Procerum Palatia intrinsecus
inhærebant, constituit; portas verò reseratas esse iussit. Sic nimirum per feras opi-
natus est Gallos subsannando deterrere, vrbémque regiam sine humana manu de-
fendere. Ast hominum nil valet versuta cogitatio, nisi quantum diuina decernit
dispensatio. Cúmque Franci in castris armati constitissent, & neminem sibi obsta-

A re vidissent, per primam portam conflictum quærentes intrauerunt, & hinc indè curiosis luminibus spectantes defensores præstolati sunt. Protinus primo ingressu sæui leones occurrerunt, & dentibus atque vnguibus sæuientes quosdam læserunt, & incautos bestialisque conflictus ignaros lacerauerunt.

VERVM certamen belluarum humano diu nequiuit ingenio resistere. Armati enim pugiles venabulis feras, stridulisque missilibus confoderunt: & leonibus extinctis, leopardos fugauerunt, atque ad medium murum fugientes insecuti sunt. Porrò leopardi rependo velut murilegi murum transilierunt, & Gallorum cunei per portam secundi muri introierunt, tertiumque fortiter expugnare nisi sunt. Fit ingens in vrbe vociferatio ciuium, horribilisque turbatio, & concursus omnium, quid in tam repentino euentu agerent ignorantium. Audiens Imperator insoliti assultus tumultum, pertimuit, & quòd falsa spe deceptus fuerat ingemuit. Tandem per legatos suos nobilibus peregrinis supplicauit, multiplicibusque promissis iratos leniuit, ac ab expugnatione regiæ vrbis, quam penè iam B irruperant, compescuit.

FRANCIS sua tentoria repetentibus cum victoria, lugubris Augustus Tolosanum Comitem accersiit, eique mœstus ac valdè deiectus dixit: Confusus, ô gloriose Consul, ad te confugio, & quid agendum sit in tam insperato strepitu, consilium à te deposco. Ecce insolentia Francorum regiam vrbem, quæ caput Orientis est, procaci manu cum armis impugnare ausa est. Celsitudinem sancti Imperij violauit, & ne peiora fierent ad sui supplicationem inclinauit, effusóque fidelium sanguine clientum, omnipotentis Sophiæ iracundiam prouocauit. Augustalis Maiestas, quæ leges olim aduenis & incolis dare solita est, heu! modo à contumacibus peregrinis impositas conditiones subire coacta est. Raimundus Comes respondit: Compatriotæ mei sæpe solét ingerere impetus huiuscemodi, eorúmque tumultuosas infestationes in talibus erga coëssentes suos bene noui. Sapientia magnitudinis vestræ longis non indiget verborũ ambagibus. Opportuna pax fiat cum procacibus. Sic enim exigit publica necessitas, pro qua, ni fallor, multi eructabunt aniC mas. Improbi Guascones me Comitem itineris sui poscunt, me inuitum peregrinari temerè cogunt.

Non impunè ferent ausis quòd talibus hærent.

Prò illata sancto Imperio iniuria valde contristor, magne Imperator, sed omnia modo non proferam quæ meditor. Tempus vltionis opperiemur, quo nefaria temeritas improborum expiabitur. Ecce murus Constantinopoleos suorum cruore filiorum madescit, ac polluitur: sicut impræsentiarum, proh dolor! tristes contemplamur.

HÆC & alia huiusmodi Augustus & Comes inuicem contulerunt, ac de reddendo talione pro sui fatigatione hostibus machinati sunt. Imperator illustres nuncios elegit, per quos cum sacramento Gallis mandauit, humiliter obsecrans vt pacificè abirent, & Comitem cum XX. milibus Turcopolorum apud Cappadociam expectarent. Sponsione Augusti cum iureiurando percepta recesserunt, seséque præparantes aliquandiu quieuerunt. Post aliquot dies eos Comes secutus est. Imperator autem plurimas naues Tartaronibus onustas misit, & de illis distribui omD nibus prout congruum esset, secundum ordines eorum & dignitates præcepit. Tartarones quippe quadratos ex cupro nummos Thraces vocitant, de quibus in Thracia seu Bythinia Prouinciales mercimonia sua, sicut Philippis aut Byzantiis actitant. Indigentes peregrini auidè susceperunt Xenia Imperatoris, nescientes dolum versutásque malignitates pessimi traditoris. Vafer enim explorator numerum eorum hoc tenore indagauit, computans quantitatem suscipientium per mensuram pecuniæ, quam singulis donauerit. Deinde descriptionem quantitatis eorum Dalimanno, & Solimanno, aliisque Principibus Turcorum direxit; eisque, vt coadunatis viribus totius Paganismi bello illos exciperent, in Paphlagonia mandauit. Nostrates nescij fraudis adueniente Comite legati sunt, Turcopolisque, qui Geticæ locutionis, & ritus patriæ, viarúmque gnari erant, præeuntibus iter inierunt, & tribus septimanis per nimias difficultates vsque ad magnam barbarorum vrbem, quæ Gandras vocatur, abeuntes errauerunt. Tramitem namque, qui per Romaniam & Syriam in Hierusalem ducit, ad dexteram omninò dereliquerunt, & per

RODBERTVS II. 1101. pontum Metridatis quondam XX. duum regnorum Regis regnum ad Aquilonem A vsque in Paphlagoniam deuia tenuerunt. Incertum habeo, vtrum Comes sancti Ægidij sic deuiauerit per ignorantiam, an causâ vindictæ socios suos ita seduxerit per maliuolentiam. Cúmque Christiani per aspera loca, & periculosa flumina, deuiásque siluas pertransissent, & post tres hebdomadas vix ad vrbem Gandras peruenissent, ibíque post multos labores aliquamdiu requiescere decreuissent: ecce multitudo paganorum vt arena maris innumerabilis occurrit, & imparatos, nimiúmque plurimis angustiis fessos prouocauit. Vxores quippe suas ad armentorum greges secum ducebant, & vehiculis ingentes diuitiarum copias trahebant: vt opum molem suarum præsentiâ sui summoperè seruarent, & tam hostibus quàm affinibus thesauros suos ostentarent, vt enormitate gazarum visa cunctis terrori existerent: ad extremum verò vt vbique tam domi quàm militiæ omnigenis delectationibus abundarent. Christiani autem fame & siti, aliísque iniuriis fatigati, vt bello perurgueri cœperunt; præteritarum immemores pœnarum armati processerunt, animísque resumptis & viribus acies suas ordinauerunt, & per v. dies in nomine Domini viriliter pugnauerunt. B Ibi, vt veraces peregrini ferunt, quingenta milia Christianorum fuerunt: ipsósque, ni fallor, mille milia paganorum terribiliter impetierunt. Ex vtraque parte acerrimè pugnatum est, & multorum milium occisio facta est. Cúmque Turci quinto die phalanges suas defecisse vidissent, & inuictam vim Christianorum inopinabiliter timuissent, ex publico decreto vxoribus suis, quæ in tentoriis erant, & Eunuchis, aliísque clientibus, qui Principum opes custodiebant, mandauerunt, vt cuncta cum gazis suis vtensilia cautè coaptarent, & sequenti nocte ad fugiendum à facie hostium parati essent. Ignorantes autem Christiani Turcorum defectionem, proh pudor! ipsi defecerunt: & incipiente nocte Raimundus Comes cum Turcopolis Augusti & Prouincialibus suis terga verterunt, & nescientibus aliis Principibus furtim fugere cœperunt. Quod videns armiger Comitis Tholosani, Christiano piè compatiens exercitui, sui deiecit papilionem domini, vt subitam eius fugam commilitones cognoscerent decepti. Albertus de Blandraio strenuissimus heros in bello peremptus est cum multis milibus, quorum certus numerus mihi cognitus non est. Pictauensis Dux, & Blesensis Stephanus, aliíque Proceres cum suis agminibus, postquàm perfidorum fugam consodalium cognouerunt, ipsi quoque mentis inopiâ territi per diuersa fugere moliti C sunt. Turci verò, qui nimis fatigati fugæ præsidium inire volebant, comperientes quòd Franci fugiebant, animis exasperati armis hostes insecuti sunt, & vltima quæque cædentes multa milia trucidauerunt. Quosdam verò, qui flore iuuentutis vernabant, in captiuitatem abduxerunt. Penè XL. milia Christianorum corporaliter interierunt, spiritualiter autem in æterna requie viuant cum Christo, in quo mortui sunt.

TOLOSANVS Comes cum suis, & Turcopoli Constantinopolim fugientes redierunt, & tristi euentu Christianorum relato, magnum Imperatori gaudium intulerunt. Porrò Dalimannus & Solimannus, aliíque Principes aduersæ gentis pompâ victoriæ triumpharunt, & quantitatem Tartaronum, quam Imperator Christianis falso nomine caritatis dolosè dederat, ex integro illi restituerunt, omniúmque medietatem spoliorum, quæ victis hostibus ceperant, miserunt. Sic enim perfidus traditor cum Turcis pactum fecerat, talíque tenore fideles infidelibus vendiderat, preciúmque proditionis, immensum videlicet aceruum Tartaronum, pro D cruore baptizatorum nanciscens, stolidè tripudiat.

EXIMII verò Duces Aquitaniæ & Burgundiæ, aliíque strenui Optimates fugerunt, & in speluncis, seu cauernarum latibulis, siue siluarum densitate, prout opportunitas contulit, latuerunt. In illis enim regionibus Syri & Armenij barbaris mixti habitabant. In casalibus passim degentes Turcis seruiebant, annuum vectigal pro pacis & securitatis emptione publicè reddebant, & Christianam nihilominus legem probati persecutionibus vt aurum in camino deuotè seruabant. Deiectione ergo Christianorum vehementer contristati sunt, & errantibus per deuia fraterno more condoluerunt, ac prout possibilitas fuit, pro timore infidelium, quibus subiacebant, clementer suffragati sunt. In latebris suis fugitiuos absconderunt, latitantes alimentis pauerunt, & per nocturnas obscuritates in viam, quæ ducit Antio-

A Antiochiam, direxerunt, atque ad notos affines & compatriotas ducentes illos tutauerunt. Plerique à barbaris in incognitas regiones captiui ducti sunt, & inter eos, quorum loquelam non intelligebant, in seruitute seu vinculis aliquamdiu commorati sunt. Illic summæ Deitati ritè famulantes, gratiam eius persenserunt, multisque modis vt Israëlitæ inter Assyrios seu Chaldæos mirabiliter adiuti sunt. Vnde quamplures fugâ, siue permissu Principum Persarum, aliarúmque gentium, de captiuitate remeauerunt.

AVXILIANTE itaque benigno Creatore, qui præsto est omnibus qui eum diligunt, ferè centum milia Christianorum euaserunt: quorum quidam retrò per Illyricũ conuersi sunt, alij verò iter incœptũ per ingentes metus & difficultates peregerunt. Pictauensis Dux, qui trecentis milibus armatorum stipatus de Lemouicensiũ finibus exierat, nimiùm ferox Cõstãtinopoli obsessa Imperatorem terruerat, pauper & mendicus vix Antiochiam pertingens cum sex sociis intrat. Alij quoque nihilominus Duces, egregiíque Consules & Tribuni, copias suas amiserunt, perditisque B clientibus dilectis, opibúsque suis in barbarie sæua, nimis desolati sunt. Constantiâ tamen veræ fidei, & amore benigni IESV recreati, ad monumentum eius cucurrerunt. Et quamuis occulto Dei iudicio multimodis difficultatibus essent retardati, spirituali tamen nectare intrinsecus confortati, sancta loca visere omnimodis sunt conati, vt sanctorum Martyrum consortes fierent cruentati, qui effuso sanguine pro Christo feliciter in cœlis gaudent laureati.

GODEFREDVS Rex Hierusalẽ duobus annis regnauit, & in procinctu bellico penè assiduus contra Philisthæos constitit, ingentique probitate fretus regni fines dilatauit. Indigenæ gentiles in vrbibus & vicis dolosè quiescebant, nec contra Christianos palam mutire audebant. Mœsti tamẽ malum eis subdolè machinabantur, & tempus ad hoc peragendum versipelles præstolabantur. Denique ciues Ioppæ Godefredum Regem, dum ibi maneret, veneno infecerunt, sicque gloriosum Principem cum ingenti Christianorum luctu peremerunt. Hic primus Christianorum, ex quo Saluator in Hierusalem pro nobis passus est, ibi ad laudem eius, qui C spinea gestare serta pro salute hominum dignatus est, diadema ferre, & Rex Hierusalem pro terrore Gentilium cognominari Ecclesiastica electione compulsus est. Quo defuncto, vt dictum est, mox de substituẽdo Rege consilium initum est. Nunciis ergo confestim missis in Rages, Regis occasus Balduino fratri eius intimatus est, & ipse ad regnum Hierusolymorum regendum vice fratris accitus est. Qui Prouinciæ suæ Ducatum BALDVINO DE BVRG consobrino suo protinus commisit, & ipse hostiles terras, & barbaras nationes velut fulgur penetrauit. Sareptæ, quæ Sidoniorum vrbs est, ferè XL. milia paganorum offendit. Inter quos cum paucis viriliter irruit, mirabiliter terruit, & virtute Dei omnes fugauit, viámque lætus in Iudæam tenuit. Turci quippe aduentum illius præscierant. Ideóque in insidiis armati lætitiam sperantes expectabant. Sed friuola spe delusi qui euadere poterant, ad sua trepidi cum damno & dedecore properant.

SVSCEPTVS autem præfatus Heros à Hierusolymitis gubernaculum Dauidis solij accepit, & ferè XII. annis fortiter tenuit. Erat enim corpore decorus, statura procerus, audaciâ & fortitudine præcipuus, ad labores tolerandos magnani-D mus, eruditione literarum instructus, linguæ facundiâ præditus, & multis decenter ornatus honestatibus. Ipso regnante, Stephanus Blesensis, & supradicti Optimates per multa discrimina Hierusalem venerunt: & à præfato Rege ac Ebremaro Patriarcha honorificè suscepti sunt. Pictauensis verò Dux, peractis in Hierusalem orationibus, cum quibusdam aliis consortibus suis, est ad sua reuersus; & miserias captiuitatis suæ, vt erat iocundus & lepidus, postmodum prosperitate fultus coram Regibus & Magnatis atque Christianis cœtibus, multotiens retulit rythmicis versibus cum facetis modulationibus. Stephanus autem Blesensis & plures alij pro Christi amore in Iudæa demorati sunt, militiæque suæ audaciam & probitatem offerre Deo decreuerunt: Regémque Babyloniæ, quem cum innumeris exercitibus aduentare compererant, præstolati sunt. Auditis tandem certis rumoribus, quòd Admirabilis Babyloniæ Ascalonem venisset, & in crastinum irruere super Christianos cum multis legionibus decreuisset: Balduinus Rex, & Stephanus, alíique fideles se inuicem in Domino IESV animauerunt, ac ad trium-

RODBERTVS II. 1101. phum in nomine eius sua vel hostili morte promerendum sese fideliter armauerūt. A
Partem exercitus Ioppem miserunt, Rex & maior pars nobilitatis Ramulam adierunt. Nam in Hierusalem includi nolebant, & rursus quam vrbem Turci primitus aggrederentur, ignorabant. Tandem repentino impetu Admirabilis, & inæstimabilis exercitus Ramulam circumdederunt: & missilibus machinísque diuersis murum aggredi, & ligonibus ac fossoriis suffodere moliti sunt. Egregij milites, sed pauci intus erāt, nec tantæ moli tam miræ multitudinis resistere sufficiebant. Stephanus igitur, & Harpinus, atque Guillelmus Sine-habere, aliíque omnes Regi persuasere, vt » in Hierusalem abiret cum omni celeritate. Festinanter, inquiunt, ô strenuè vir, in » sanctam vrbem propera, ne sine protectore tot eam inuoluant agmina, ipsámq; ma- » trem cum omnibus filiis suis consummant impugnatione repentina. Ecce pariter » hîc inclusi sumus, & in confessione Christi finem nostrum certi expectamus: Crea- » torem nostrum toto corde poscentes, vt eius veri Martyres simus, & per effusionem » in eius nomine sanguinis nostris à peccatis emundemur omnibus, eiúsque deside ra- » bilem vultum nobis placabilem cum suis contemplari valeamus. Vale bone Rex, » & exi continuo: quamuis inter tantas, támque crudeles hostium phalanges difficilis B » sit egressio, nisi diuina tibi comitetur miseratio.

ANXII Barones hæc & alia his similia Regi dixerunt, ipsúmque de periculo in maius periculum egredi coëgerunt. Ille tantorum hortatibus Heroum, licèt inuitus, adquieuit, & celerem equam fortissimámque, quam Fariseam appellant, cum vno milite ascendit: & egressus, hostiles cateruas noctu, protegente Deo, illæsus penetrauit. Cúmque noctu castra paganorum pertransisset, vt Heliam per diuersos anfractus actutum tenderet, vigiles, qui excubabant, ignotos milites pertransisse comperientes, voci ferati sunt, & excitatis cohortibus, per duo miliaria fugientes cum ingenti strepitu & vlulatu insecuti sunt. Rex autem per diuerticula, quæ nouerat, confugit, Deóque iuuante cum summa difficultate illæsus euasit. Porrò, per montana viam, quam cœperat tenere in Hierusalem, tremulus deseruit, & per abruta difficulter ad oppidum, quod ARSVR dicitur, peruenit, ibique trepidos custodes vigilātes inuenit. Protinus cum illis locutus est, & intrare volens, repulsus est. Castellani » enim, quāuis illis dixisset crebriùs: Ego sum BALDVINVS, nolite timere, vobiscū me C » recipite; multiformes hostium dolos formidantes, non ei crediderūt, donec ignem super mœnia succenderunt, & discoopertum caput eius videntes agnouerunt. Tunc à gaudentibus intromissus illos confortauit, & relatis rumoribus ad defensionē sui Castellanos cōmonuit. Indè Rex cum suo cōmilitone gazellā suam ascendit, & Ioppen festinăter venit, agnitus à ciuibus introiuit, tristémq. famam retulit. Innumeræ, » inquit, paganorum turmæ Ramulam circumdant, & vsque ad internecionem eorū, » qui intus sunt, oppugnant. Gloriosus heros Palatinus Comes Stephanus Blesensis, » Milo de Braio, & Harpinus Bituricēsis, Guillelmus Sine-habere, & Simō frater eius, » aliíque strenui Optimates Ramulæ Christi martyres fiunt: & inde me, vt vos aliósq; » fratres nostros ad similia confortarem, violenter emiserunt. Hostes verò procaciter » nos persecuti sunt, & huc vt opinor venire maturabunt. Nunc, si placet, in Hierusa- » lem legatum destinemus, & Patriarchæ, cunctísque fratribus nostris mandemus, vt » nobis in anxietate constitutis suffragentur celeriùs ordine congruo, sicut eis consti- » tuerimus. Cúmque omnes hoc laudarent consilium, Rex quendam animosum si- D » bi asciuit armigerum: Kare, inquit, frater, vade in Hierusalem, & adduc nobis fra- » trum nostrorum armatam multitudinem, téque vita comite, cùm conuenerimus, » faciam militem. Mox ille iniunctam legationem optimè consummauit, promissæque armaturam militiæ haud segniter promeruit.

EXECRABILIS paganorū exercitus Ramulā destruxit, & omnes, quos intus repererat, occidit, vel in captiuitatē duxit. Indè victoriā turgidus eadē die Ioppen accessit, & multitudine sui superficiē terræ instar locustarum cooperuit, & Stephanū Comitem, aliósque, qui nobiliores æstimati sunt, Ascalonem destinauit. Biduo vrbem obsidens siluit, diéque tertia cum damno & dedecore recessit. Nam custodes arcis Iaphiæ vexilla Hierusolymitarum super montana viderunt, & castello Burgundionū proxima gratulantes Regi retulerunt. Rex autem fidelium turmam conuocauit, & » virili exhortatione corroborans ait: Ecce tempus strenuis tyronibus optabile, & » illustribus athletis ad vltionem karorum probabile, timidísque ac inertibus, vul-

A piúmque dolis, & segnicie similibus satis horribile. Ecce gentem ante ianuas videtis vestras execrabilem, Dominóque Deo cunctisque fidelibus eius odibilem. Eia, viri fortes, arma sumite, & contra inimicos omnium bonorum insigniter insurgite. Ad faciendam vltionem Dei viriliter armamini, sociis appropinquantibus vrbem egredimini, fidéque fortes in Dei protectione præliamini. Iniurias vestras & damna medullitus recensete, manúsque vestras haud segnes sentiãt alienigenæ. Stephanum Comitem, & Harpinum, aliósque magnos Barones peremerunt: egregios milites & ductores nostros nobis abstulerunt. Barones cum lacrymis dico, quibus meliores reperiri nequeunt in mũdo. Recens dolor de morte amicorum inflammet vos, & exacerbet ad perniciem inimicorum. Dauid fortissimi Regis, & militũ eius Iacob & Abisai, Banaiæ & Vriæ Ethæi, Ionathæ & Iudæ Machabei, multorum etiam de gente vestra prædicabilium athletarũ reminiscimini. Exeũ-B tes hinc exordiemur pugnare, & Hierusolymitæ, qui nobis suppetias veniunt, Allophilos ferient ex alia parte. Fortis Emmanuhel assit vobis filius sanctæ Virginis Mariæ Rex vester, & præuius, suæque inuictus defensor Ecclesiæ.

INTEREA Hierosolymitæ castello Ernaldi appropiauerunt, & vexilla eorum Turcis apparuerunt. Balduinus autem Rex & Ioppenses sanctam crucem Domini adorauerunt, ipsámque secum ferentes armati protinus prosilierunt, & terribiliter inermes percutere cœperunt. Porrò Allophili, vt hinc & inde sibi bellum insurgere viderunt, imparati & expertes consilij, terrente Deo fugam inierunt, & similes exercitus Olofernis æquale infortunium perpessi sunt. Balduinus itaque Rex, & Christiani, Ethnicos vsque ad Ascalonem persecuti sunt, & vltima quæque debilitantes magnã stragem fecerunt, & captiuos omnes, quos illi vinctos minabant, eripuerunt. Sublimiores tamen, quos Ascalone præmiserant, perditi sunt, nec vllam certitudinem de illis præter Harpinum rumigeruli nobis intimauerunt. Sic nimirum Christiani post multos angores in nomine Christi triumpharunt, & cum multis Gentiliũ manubiis in Hierusalem redierunt, lætíque triũphatori Deo gratias egerunt. Deinde Ramulam in meliorem, quàm fuerat, statum restaurauerunt, & Episcopalẽ cathe-C drã cum redditibus idoneis in nomine Domini deuotè renouarũt. Interfectorũ certum numerum chartæ nescio tradere, quia non interfui. Illi verò, qui interfuerunt, non numerare, sed trucidare curauerunt, & repedantes occisis spolia detraxerunt.

HARPINVS Bituricensis captiuus in Babyloniam ductus est, ibíque multis diebus in carcere Admirabilis detentus est. Martyrum itaque, qui pro Christi nomine innumeros agones vsque ad mortem pertulerunt, memor, ipsum sæpè inuocauit, & ab ipso cõfortatus, pristinæque libertati restitutus, deuotas illi grates reddidit. Modus autem liberationis eius fuit huiusmodi. Bizantei negociatores cum multimodis mercimoniis Babyloniam venerunt, ibíque prout leges gentium exigunt, statuta vectigalia Reipublicæ ministris reddiderunt, & diutius demorati sunt. Ipsi nimirum, quia Christicolæ erant, multísque diuitiis affluebant, Basilicas Christi frequentabant, pauperúmque Christianorum domata perlustrabant, & Christianos in vinculis visitabãt. Cum illis igitur Harpinus colloquium habuit, eísque legationẽ suam iniunxit, & Alexio Augusto talia mandauit: Harpinus Bituricensis seruus tuus in carcere Babylonico iam nimis afflictus diu gemuit, & magnificentiam Imperatoriæ D Maiestatis suppliciter requirit, vt sibi compatiatur & subueniat, Admirabilíque directa pro eo præceptione, de carceralibus ærumnis eripiat.

HIS auditis, Imperator nobili Francigenæ piè condoluit, & mox Admirabili mandauit, vt sibi protinus Harpinum redderet: alioquin omnes Babylonicos institores & stipendiarios per totum Imperium Constantinopolitanum comprehendi iuberet. Admirabilis autem iussu tantæ indignationis territus, mox Harpinum de vinculis absoluit, secúmque per aliquot dies retinens, inusitata quædam illi monstrauit, atque ad postremũ ornamentis ipsum preciosis, aliisq; muneribus honoratũ Augusto destinauit. Liberatus itaque ad Imperatorẽ Constãtinopolim venit, pro illius efficaci subuentu gratias egit, ac postmodũ ab eodẽ remuneratus in Gallias remeauit.

INTEREA Paschalẽ Papã adiit, laboriosos casus & agones suos ei retulit, & vitæ consiliũ ab illo sollicitè quæsiuit. Porrò sollers Pater, auditis athletæ duris laborib., ait: Summopere cauendũ est, ne quis balneis ablutus, & mũdis niuei sque vestibus, vel sericis indutus, obscuræ noctis tempore per lutosum iter incedat: ne fortè in

RODBERTVS II. 1101. cœnum corruat, & turpiter maculatus coram intuentibus erubescat. Per hoc specimen, fili mi, temetipsum intuere, & ad correctionem tui hoc exemplum conuerte. Per pœnitentiam & confessionem emundatus es, per laboriosam verò peregrinationem & martyrij agones virtutum insigniis redimitus es. In carceralibus ærumnis pro reatibus Deo satisfecisti, patientiam & castitatem aliásque virtutes in passione didicisti. Tetra nox est præsens vita, quæ tenebris ignorātiæ penitus est obsita. Nescit homo, vtrū amore an odio dignus sit, nec quid ei pariat crastina dies prævidere poterit. Cœnosum iter est vita secularis, quam totis nisibus euitare debes, ne polluaris, & amittas coronam passionum, quibus gloriaris. Caue igitur, ne sis sicut canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Numquàm vlterius arma feras in Christianos, sed vt verus Christi pauper fastus contemne mundanos. Sic imitator vestigiorum Christi, per opera iustitiæ propriam voluntatem spernens, pro spe retributionis æternæ feliciter obtinebis brauium supernæ vocationis cum fidelibus in sinu Abrahæ. Harpinus itaque à Papa benedictionem accepit, & cum eius licentia Gallias expetiit, ibique à suis honorificè susceptus non diu cum illis permansit. Nam iuxta consilium Papæ, immò Christi, seculum reliquit, & Cluniacum expetens Monachus factus, in seruitio Dei vsque ad mortem perseuerauit.

IN Siria circa hæc tempora Christianis alia res contigit grauissima. Marcus Buamundus insignis Dux expeditionem in Turcos egit, super quem Dalimannus ex insperato cum ingenti multitudine irruit, multos occidit, & Buamundum cum Ricardo de Principatu, aliísque nonnullis nobilibus & probissimis viris comprehendit, vinctósque catenis in carcere longo tempore tenuit. Tancredus autem Princeps Militiæ, audito domini consanguineíque sui infortunio, contristatus est: sed non muliebri more ad inanes lacrymas seu lamenta conuersus est. Ex omni namque circumiacenti Prouincia omnem militiam fidelium conuocauit, Antiochiam, & omnes viculos eius ac oppida in circumitu diligenti custodia muniuit: & quamdiu Dux in vinculis fuit, contra omnes hostium impetus irreprehensibiliter defensauit, imò fines eius nobiliter dilatauit.

ALEXIVS Imperator vt Buamundum in manus Turcorum incidisse comperiit, gaudens legatos cum pluribus exeniis Dalimanno direxit: admodum obsecrans, vt maximam pro Buamūdo redemptionem reciperet, ipsúmque acceptis centum milibus Philippeorum sibi redderet. Hoc nimirum egit, non vt vinctum Ducem liberaret, ac ad tutandam Christianitatem pristinæ libertati restauraret; sed vt suis eum vinculis perpetuò illaqueatum coartaret. Vehementer enim dolebat, quòd Antiochiam sibi abstulerat. Certum est, quòd ipsa Metropolis de Imperio Constātinopolitano est, sed violentia Turcorū XIV. annis antequā Cisalpini, capta vrbe, Cassianū occidissent, Augusto subtracta est. Idem Princeps ius suum semper calumniatus est, sed probitate Normannorū acriter obstāte, libitus suos explere prohibitus est. Multifariam, multísque modis tentauit, prece, precióque erga Paganos & Christianos frustra laborauit: quia conatibus illius cassatis, ciuitas victoribus cessit, illis equidem, qui nimia virtute deuictis Agarenis eandem nacti fuerant, & obtentam in virtute Dei mirabiliter defensauerant. Dalimannus verò petitionem Augusti repudiauit, & Buamundum, quem Turci paruum Deum Christianorum nuncupabant, omni tempore in vinculis habere decreuit, quod maximum decus legi suæ pro nihilo æstimauit.

QVIDAM Græcus tempore Turcorum Patriarchatū Antiochiæ possidebat, qui victoribus Normānis intractabilis erat. Nam ipsi, postquam Principatū adepti sunt, secundum ritus Latios Clerum & populum disponere decreuerūt; quod Pelasgi priscos mores secuti satis incongruū esse temerè censuerunt. Capto autem Buamūdo, murmur ortum est in populo, quòd ipse Præsul pararet vrbem Antiochenā prodere Augusto. Cúmq; idē comperisset de se tale murmur esse, iratus est valde: & nescio an puritate simplicis cōsciētię indignatus, an nefarij reatus accusatione & metu stimulatus, relicto Episcopatu in heremū secessit, nec vltra redire ad eos, quorū mores abhorrebat, diffiniuit. Normāni autē dominatores vrbis discedēte Pelasgo gauisi sūt, & Buamūdo, qui vinctus erat, totius seriē rei notificauerūt, & cōsiliū eius de substituēdo Patriarcha petierunt. Ille verò BERNARDVM Prouincialē, qui Haimari Podiensis Episcopi Capellanus fuerat, & quem sibi moriēs idē Præsul specialē speciali amicū

A amico cōmendauerat, de Pontificatu Mascheniæ assumi ad Patriarchatū Antiochiæ imperat. Ducis igitur iussu Clerus & populus Bernardum elegerunt, & Pontificē in Cathedra S. Petri Apostoli constituerunt. Erat enim peritiâ literarum imbutus, qui postquàm à subiectis est cognitus, factus est odibilis: quia auarus, & ex naturali feritate gētis Gothorum, vnde processerat, nimis austerus. His multis diebus Ecclesiæ Dei præfuit, & vsque ad decrepitam ætatem regiminis locū occupauit; cuius tempore, vt dictum est, & apertiùs adhuc dicetur, multarum procella tribulationum intonuit. Per totum mundum auditum est, quòd Buamundus vinculis paganorum irretitus est. Omnes eum plangunt Christiani, ipsúmque in carcere honorant etiam pagani. Tota Ecclesia orabat pro illo Deum, vt de manibus inimicorum dignanter saluaret eum. Benignus autem Deus, qui omnia creauit, sicut seruos suos pro peccatis tribulationibus castigare nouit: sic supplicibus, & humiliter inuocantibus eum mirabiliter succurrit, & per ipsos etiam inimicos illis spe meliùs subuenit. B Hoc experti sunt sub Pharaone Abraham, & Ioseph, inter Ægyptios: hoc Tobias & Raguhel sub Salmanassar & Sennacherib, & Asor Adon, inter Assyrios: hoc Danihel & tres pueri, aliíque transmigrationis, sub Nabuchodonosor, & Euilmerodach inter Chaldæos: hoc Esdras, & Neemias, & Mardocheus, cum nepte sua Hester, sub Siro, Dario, & Artaxerce, inter Persas & Medos. Hoc etiam Apostoli, aliíque sancti prædicatores feliciter senserunt, qui multoties, quando in extranea barbarorum loca subitò venerunt, primò despicabiles vt aduenæ & mendici habiti sunt: paulò pòst clarescentibus signis, & tonantibus linguis, mirabiles apparuerunt, & incolas antea indomitos ad omne bonum sub iugo sacræ legis edomuerunt. Sic nimirum ille, qui dixit, *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor*, athletas suos, de quibus futurorum notitiæ pro diuinorum admiratione operum scribendo loquor, nuper in ergastulo visitauit, & mellifluo nectare benignitatis suæ vbertim lætificauit. Flagellis quippe oppressionum terrigenæ pro sceleribus humanæ fragilitatis verberantur, & clementiam auditoris cælesti verbere afflicti lacrymabiliter exorare coguntur. Deus autem Rex noster, qui saluos facit sperantes in C se, potenter suæ sponsæ preces exaudiuit Ecclesiæ, & auxiliatus est vincto Duci, & eius collegis, per ingeniū & opē inimici sui filiæ, qui quondā in Bethulia defecto superbi Olofernis gutture, sitienti populo subuenit per virtutē Iudith audacis viduæ.

MELAZ filia Dalimanni Principis pulchra erat, & multùm sapiens, & in omni domo patris sui magnam potestatem habens, multásque diuitias, & plures ad sui famulatum seruos possidens. Hæc auditis strenuitatibus Francorum, illos ardenter amauit, & familiaritatem eorum intantum quæsiuit, vt largiter erogata custodibus mercede frequenter in carcerem descenderet, & de Christiana fide, veráque religione colloquium cum vinctis subtiliter actitaret, & sollerti confabulatione cum profundis interdum suspiriis indè inuestigaret. Affectuosam dulcedinem eorum omni parentū suorū dilectioni præposuit, & omnia quæ ad victū seu vestitū competebāt illis abūdè suppeditauit. Pater verò eius aliis multiplicib. negociis intētus hęc aut ignorabat, aut fortassis pro dilectæ sobolis approbata frugalitate non curabat.

POST duos annos, plus quàm ciuile bellum inter fratres ortum est. Solimannus enim nimia feritate tumens in Dalimannum surrexit, & aggregata ingenti armatorum D multitudine, limites fraterni Principatus intrauit, & fratrem ad prælium procaciter prouocauit. Dalimannus autem infestatione huiuscemodi excitus, adminicula sibi vndecúmque procurauit, & ipse nihilominus multis hactenus trophæis elatus certaminibus cruentis inhiauit, ac adueniente cōflictus horâ paratus cum suis legionibus in campo constitit. Interea Melaz cum Christianis priuatim locuta est, & sic eos affata est: Militiam Francorum laudari à multis iamdudum audiui, quam » nunc in genitoris mei instanti necessitate vellem experiri; vt quod probat auditus, » probet experientia visus. Buamundus respondit: Felix hera & honorabilis, si placet « beatitudini vestræ sublimitatis, vt in belli campum nobis liceat progredi cum mili- « taribus armis, sine dubio Gallicos ictus gladio & lancea palam exeremus, & super « inimicos vestros conspectibus vestris ostendemus. Puella dixit: Spondete mihi per « fidem, qua Christiani estis, vt in hoc negotio vnde contractamus, omnia secundum « consiliū meū agatis, nec aliquid cōtra meum pręceptū facere pręsumatis. Hoc itaque « mihi fide vestra pollicentes confirmate, & ego postmodum non cūctabor cordis mei

RODBERTVS II. 1101. arcanum vobis reserare. Primus ergo Buamundus per fidem suam promisit quæsita, quem omnes alij secuti sunt, spōdendo quæ iusserat puella. Tunc illa tripudians ait: Nunc secura sum de vobis, quia vos, vt reor, legitimi estis, fidémque vestram nullo modo contaminabitis. Patri meo, qui iam in campo dimicaturus est, subuenite, eique probitatem vestram ad subsidium eius alacriter exhibete. Et si victoria cesserit vobis, quod vtinam fiat: fugientes inimicos persequi desistite; sed velociter huc armati redite, & arma donec iussero deponere nolite. Interea faciam omnes custodes de sublimi turris solio ad inferiores portas descendere, & in atrio quasi vos præstolantes mecum astare. Cùm autem remeaueritis, & iussero custodibus vt solitis cōnectant vos vinculis, vos validas manus in illos viriliter iniicite, impigrè cunctos cōprehendite, & vicarios pro vobis in ergastulo retrudite. Hæc videns, à vobis sicut à feralibus lupis fugiam. Vos verò nanciscimini arcem firmissimam, & seruate diligenter illam, donec pacem cum patre meo faciatis idoneam. Portæ sublimes sunt in arce, per quas in aulam poteritis per lapideos gradus descendere, & omnes gazas atque māsiones patris mei obtinere. Porrò, si genitor meus pro reatib. istis iratus me voluerit punire, oro vos, ô amici, quos sicut cor meum diligo, mihi citius subuenite.

HÆC ita locuta milites armauit, & protinus emisit. Arcis enim custodes antea delusos corruperat, & de hac re instructis inter cetera dixerat: Ingens timor pro patre meo me sollicitat, cui de multis nationibus multitudo pugnatura obstat. Sed quia ille magnanimus bellator est, auxilium à vinctis postulare dedignatus est. Meæ tamen hanc ab ipso iniunctam curæ potestatem scitote, vt possim Christianos armis instruere, & pro nostrorum astipulatione agminum ad pugnam dirigere. Si vicerint hostium cateruas, noster erit honor & vtilitas. Si verò ceciderint & ferro interierint inimicorum, nullus nobis erit dolor pro lapsu alienigenarum, quorum mores & cerimonias execratur omne genus Agarenorū. Audientes hæc gratulanter audierunt, & perspicacem virginis prouidentiam admodum laudauerunt. Protinus illa captiuos absoluit, de domo carceris abstraxit, & armatos ad prælium destinauit. Illi verò iam acriter pugnantes inuenerunt, & signum Normannorum DEVS ADIVVA, fiducialiter vociferati sunt. Quibus clamantibus, & terribiliter percutientibus, phalanges Solimanni vacillauerunt. In exercitu eius nonnulli erant Christiani. Qui cùm famosum Ducem Buamundum cognouissent, gauisi sunt, & Solimannum relinquentes Catholicis conglutinati sunt.

MARCHIBAN turgidus adolescens Solimanni filius, vt ibi esse Buamundum audiuit, illum in bello ex nomine vociferando quæsiuit, & cum eodem singulariter dimicare concupiuit. Tandem in Dalimanni conspectu sibi obuiauerunt, seséque ferociter percusserunt. Sed belliger Normannus Turcum prostrauit, & abstracto ense caput ei amputauit. Vociferante Dalimanno, Parce, parce, nepos meus est; Christianus pugil vt rem agnouit, mœstitiâ vultus lætitiam cordis operuit, & subsannando ita respondit: Ignosce mihi, Domine, quod ignorans feci. Non enim nepotem tuum, sed hostem putaui, cuius vt tibi placerem vitam extinxi.

POST multam stragem vtriúsque partis, exercitus Solimanni contritus est, quem fugientem hostilis cuneus tota die persecutus est. Christiani verò, vt pactum fuerat, protinus redierunt, herámque suam cum Archariis præstolantem ante turrim inuenerunt. Mox illa custodibus ait: Franci sine dubio legitimi sunt, fidémque promissam optimè custodiunt. Obuiam illis ite, ab illis arma recipite, & eosdem ad pristinum locum reducite, donec pater meus veniens digna illis suæ reddat præmia militiæ. Turci verò abeuntes, puellæ iussis obsecundare voluerunt: sed eos inter se Franci concluserunt: valuas cautè repagulis oppilauerunt, & vniuersa turris penetralia sine publico tumultu consecuti sunt, & sine sanguinis effusione voti compotes effecti sunt. Ciuitas enim erat vacua pugnacibus viris, quoniam ad prælium exierant, quorum solæ mulieres cum infantibus trepidè domos seruabant. Carcer erat in arce munitissima, ibique diuitis thesauri, variæque supellectilis, opúmque multarū seruabatur copia: & eidem turri coniuncta erat principalis Regia. Sequenti nocte Melaz Christianos de arce in aulam introduxit, & omnes eis cameras atque secreta penetralia demonstrauit, & quid agere deberent aduenié̄te Dalimāno insinuauit. In crastinū victor cum Satrapis, & Tribunis, & Optimatib. suis remeauit: cui filia eius cum coæuis consortibus tripudians occurrit. Aue, inquit, triumpha-

A tor gloriose. Ille verò furibundus respondit: Tace, pessima meretrix. Fictas salutationes tuas non curo, fraudulentas adulationes tuas floccipēdo. Per diuinum stēma Machometis, qui mihi dedit victoriam, cum amatoribus tuis cras interire te faciam. Tu enim ad confusionem mei meis arma dedisti aduersariis, cum quibus vt nequissima proditrix edacibus flammis concremaberis. Adhuc nesciebat quòd archarij eius in obscuritate carceris artarentur, Franci verò in editiori solio eminentes liberi gloriarentur, & in illum rebellare Christo iuuante meditarentur. Puella tremens & exanguis à facie furentis aufugit, suíque conclauis latebras lugubris & pauida petiit. Cúmque post aliquot horas furibundus Princeps pro tribunali sederet, nec secum nisi præcipuos proceres haberet (reliquum enim vulgus & armigeri, residuíque satellites per hospitia dispersi erant, & equos & arma & cetera illis competentia coaptabant) iussit quibusdam vt in conclauim irent, & temerariam proditricem sibi adducerent. Cúmque illa coram fremente tyranno accersita stetisset, & terribiles minas cum opprobriis sola sine auxilio consistens audisset; Buamundus de turre per fenestram intus aspexit, & liberatricem suam ad iudicium desolatam astare contemplatus doluit. En, inquit, adiutrix nostra in angustiis posita est. Nunc opus est, vt hinc egrediamur, eíque totis viribus suffragemur. Protinus pedetentim de arce per gradus in aulam ingressi sunt, Dalimannum & omnes Tribunos eius & collegas armati circumsteterunt, ostia domus obturauerunt, & omnia in circumitu munimenta possederunt. Pariter omnes facti sunt anxij, & quid agere deberent dubij. Turci enim obseratis foribus nusquam diuertere valebant, inermes & pauci contra valentiores se numero & telis bellando resistere nequibant. Christiani verò Ethnicos omnes obtruncare tunc poterant, sed pro sacramento, quod puellæ fecerant, sine præcepto illius neminem ferire, vel quolibet modo lædere audebant. Omnes igitur ad illam respiciebant, & quid iuberet expectabant, quia fidem suam violare præcauebant.

RODBERTUS II. 1101.

DENIQUE Melaz securior facta ridere cœpit, & inter Francos quasi domina præsidens Dalimanno dixit: Kare pater, iniustè irasceris contra me, nimiísque minis me terres, & probris detestaris, pro salubri subuentione, quam tibi consulens C callidè prouidi ex magna benignitate. Nam Francis in certamiue ferientibus, tui confortati sunt, & hostes ociùs titubauerunt. Considera quantæ fidei sunt Christiani. Ipsi fideliter in pugna tibi auxiliati sunt, ipsísque præliantibus hostes terga verterunt. Facultatem discedendi, vt lippis etiam patet, satis habuerunt: sed insalutatos vos relinquere nolentes, vltrò redierunt, militiæque suæ donatiua fiducialiter à liberalitate tua exigunt. Iam manus ad capulos tenent, iam omnes nos, si volunt, iugulare valent. Iam turrim, & regiam, & cunctas opes tuas, quæ in illis sunt, possident; & vincti municipes tui contra eos mutire non audent. Inter hæc, pater, quid agendum sit cogita, & à Consiliariis tuis, qui præsto sunt, salubriter inuestiga. His dictis, hera parti Christianæ præsidebat. Dalimannus autem seorsum segregatus, cum suis consilium indagabat. Deinde residens ait: In primis, filia, tuum volumus audire cōsilium. At illa respondit: Quod vtile credo, proferre non tardabo. Pacem fac cum Christianis, & inuiolabile fœdus sit inter vos quamdiu vixeritis. Relaxa omnes captiuos eorum, qui in regionibus tuæ ditionis sunt: & ipsi nihilominus reddant omnes, qui de gente vestra sub eorum potestate sunt. Buamundo autem, & eius commilitonibus, quorum ope felici potitus es victoria, condigna gloriosæ seruitutis ex-D hibe præmia. Hoc præterea scias, quòd ego Christiana sum, & regenerari volo secundum Christianæ legis sacramentum, nec vlteriùs hîc commorabor vobiscum. Lex enim Christianorum sancta est & honesta: lex autem vestra vanitatibus est plena, & omnibus spurcitiis polluta.

HÆC audientes Turci, valde stomachati sunt, toruísque luminibus, ac seueris gestibus truces innotuerunt: sed impediente Deo, prophani cordis maliuolentiam actibus explere nequiuerunt. Tractantibus illis de rebus agendis, Melaz seorsum vocatis ait Christianis: Eia, probi milites, in multis necessitatibus probati & angustiis, qui de longinquis regionibus huc sponte venistis, & multos labores ac discrimina viriliter perferentes euasistis: viriliter agite in nomine Dei vestri, quem omnipotentem asseritis. Nunc opus est animis & armis, vt quod fortiter cœpistis, laudabiliter perficiatis. Pater meus iratus est admodum, & totis nisibus cum suis ma-

GVILLELMVS III. 1101.

chinatur nobis exitium. Huc vsque propositam mihi conditionem optimè seruastis. Amodò à pollicitatione per fidem vestram firmata vos absoluo. Arcem, & regiam, & murum in giro, zetásque minores atque maiores iam munite, sollicitéque » perscrutamini: aditúsque seruate, ne quis exeat vel ingrediatur sine vestra consideratione. Si enim pater meus hinc exierit, omnes in circuitu nationes coaceruabit, & » vos crudeli obsidione ad turpem deditionem vel perniciem coartabit. Ipsum ergo » cum omnibus suis in vno simul cubiculo includite, & cum necessario rigore omnes » illic ad pacem coërcete, sed quantum potueritis ab effusione sanguinis manus vestras cohibete. Prouidentiam & regimen horum, quæ dico, tibi, domine Buamunde, qui in pluribus expertus es, commendo, cuius maturitatis & sensus laus est in orbe vniuerso. Amodo inseparabilis vestra soror ero, & læta seu tristia vobiscum in fide domini IESV CHRISTI sustinebo.

GAVDENS igitur Buamundus Dalimannum cum suis omnibus in quadam camera violenter intrusit, ipsúmque cubile armatis custodibus assignauit. Deinde alios milites per diuersa locauit, & vnicuique quid agere deberet insinuauit, atque sic principale palatium, cum omnibus intrinsecus constitutis ferè XV. diebus gubernauit. Vxores eorum & pedissequas, & inermes Eunuchos permisit intrare, eísque ciborum sufficientem apparatum, & aliorum, quæ necessaria erant, administrare. Dalimannus ingemuit grauiter, quòd domus sua sibi facta est carcer, & filia sua censor eum constringens acriter. Vnde MACHOMETEM Deum suum maledicebat fortiter, & omnes amicos, hominésque suos, atque collimitaneos condemnabat execrabiliter, qui eum in medio regni sui sinebant à paucis captiuis aduenísque tractari miserabiliter. Inclusi Barones persuaserunt ei cum Christianis pacem facere, vt sibi saltem liceret parum adhuc viuere. Tandem duritia eius emollita est pauore. Locutus cum Buamundo pacem petiuit, ipsúmque cum omnibus suis liberum abire annuit, & omnes captiuos, qui sub ditione illius gemebant, à captiuitate absoluit: filiam quoque suam eidem spopondit.

» CALLIDA Melaz vt hæc audiuit, referenti Buamundo respondit: Omnia verba facilè dicuntur, sed non omnia semper credibilia videntur. Blanda quidem, sed » ambigua patris mei promissa gratanter suscipe, ea tamen quæ tenes vigilanter retine, donec stabilitus triumphes certæ securitatis soliditate. Notissimi ex vtraque parte nuncij Antiochiam mittantur, & armata tuorum cohors militum adducatur, à » quibus honorificè stipatus sine dolo perducaris in tuam regionem, & omnium deuites maliuolorum dolosam deceptionem. Hoc omnibus consilium placuit. Ricardus igitur de Principatu, & Sarcis de Mesopotamia Antiochiam missi sunt, & rerum euentus Antiochenis exultantibus enodauerunt. Tunc Tancredus Princeps militiæ milites & gẽtiles captiuos protinus missis exactoribus collegit, & cõgregatos supradictis Baronibus vt eos conducerẽt deputauit. Tunc Cassiani filia Admirali Antiochiæ reddita est, quæ cum multo paratu de carcere Christianorum extracta est. Quæ cùm interrogaretur, quare ita fleret, respõdit quòd ideò sic ploraret, quia optimam porci carnem, qua Christiani vtuntur, manducatura non esset. Turci enim, & plures aliæ Sarracenorum gentes suillam carnem abhorrent, quamuis canum & luporum carnes auidè deuorent. Et sic probantur, quòd omni lege Moysi & Christi carent, nec Iudæis, nec Christianis adhærent.

INTEREA Buamundus frequenter cum Dalimanno loquebatur, & affabiliter, vt erat sapiens & modestus, ei famulabatur: & pro refrigerio multorum, quos idem tyrannus nimis opprimere poterat, conuenienter adulabatur. Obsequiis & dulcibus verbis tam ipsum, quàm omnes, qui cum ipso erant, deliniuit, & modestæ conuersationis sedulitate ad sui amorem illexit. Paulatim prouinciales Tribuni & Optimates cognitionem noui Rectoris ediscebant, & externum Principem genuini Principis sui dominum speculari summopere quęritabant, eiúsque permissu cum domino suo confabulantes, ipsum satis collaudabant. Quem veluti naturalem herum suum ad commoditatem Reipublicæ prouocabant, & amicitiam tanti Ducis omnimodis expetere commonebant, atque sæpiùs illud Comici dictum commemorabant,

Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis.

» HÆC etiam addebant: In victoria nuper adepta malè delusi sumus, quia legis

RODBERTVS II. 1101.

A nostræ aduersarios ad occasionem nostratum efficaces auxiliarios habuimus, & de communi detrimento nequiter & stultè lætati fuimus. En execrabilis Machomes Deus noster nos prorsus deseruit, & ante Deum Christianorum omni virtute amissa corruit. Ecce miro modo, quos strictè compeditos in carcere putabas, & indissolubiliter omni tempore arcere disponebas, crucifixus CHRISTVS, quem omnipotentem asserunt, & meritò, vt omnes inimici eorum experiuntur & sentiunt, per filiam tuam inopinabiliter absoluit: armatos in bello insignibus trophæis glorificauit, cruore videlicet fratrum & nepotum nostrorum rumpheas eorum cruentauit. Insuper & principale municipium, vbi omnes gazæ tuæ sunt, eis tradidit; & te; & præcipuos regni tui Optimates sub manibus eorum inclusit, & sine bello velut imbelles ancillas in aula propria carceri gementes mancipauit. Deforis ad te sine consensu alienigenarum non accedimus, nec vllum tibi subsidium inferre valemus. Contra illos non audemus conglobati consurgere, quia statim furores suos vlciscerentur in te. Si enim magnus Rex Persarum SOLDANVS cum omni virtute sua aduentaret, & hanc munitionem expugnare satageret, tanta probitas est in Francis, B & tam grandis fortitudo munitionis, vt ibidem illi resistere auderent, & antequam caperentur, ingentia nostratibus detrimenta ingererent. Melius est igitur amore inimicum pacificare, quàm temeritate ad lethiferam rabiem incitare. Consiliis itaque huiusmodi Dalimannus adquieuit. Accepta ergo strenui Ducis familiaritate in domo sua iam de communi profectu liberè imperabat, & de thesauris suis iam larga Christianis vltro dona erogabat. Captiuos quoque per totam regionem suam omnes liberari præcipiebat. Obnixè verò quæruntur, inuenti adducuntur, à Dalimanno benè vestiuntur, & Buamundo traduntur. Ab illo protinus compatriotis associantur, ac per diuersa officia deputantur, ad augmentum & tutelam sociorum, ne quolibet maligno deludantur sophismate paganorum.

RICARDVS & Sarcis, consummata legatione, post XV. dies reuersi sunt, & copiosam Christianorum militiam adduxerunt. Quos Dalimannus cum ingenti iussit omnes honore recipi, & vberrima illis secundum ritus patrios obsonia præparari, & quæque illis necessaria essent affluenter tribui. Tunc Buamundus & Dalimannus C perpetuam inter se pacem firmauerunt, tribúsque diebus competentem illis in omnibus apparatum præparauerunt. Deinde Buamundus & Ricardus, & concaptiui eorum de captiuitate læti exierunt, & sicut Zorobabel & Neemias Dominũ Deum Israël benedixerunt. Quos Dalimannus & Optimates eius exultantes, quia & ipsi de claustro relaxantur, aliquamdiu conduxerunt: fraudulenter tamen, quia obiter quolibet modo Christianos lædere machinati sunt. Sed, Deo suos protegente, non potuerunt. Nam fideles hoc idem metuebant, ideóque armati, & quasi ad bellum parati procedebant: obsides quoque securitatis, donec ad tuta quæ decreuerant loca peruenirent, obnixè seruabant. Tandem Dalimannus à confœderatis remeandi licentiam vt amicus requisiuit, qua accepta mœstus, quòd eis nullo sophismate in via nocere potuisset, rediit.

PROVIDA Melaz cum pedissequis & Eunuchis, nobilíque familia sua, de domo patris sui egressa est, & cum omni progenie sua sponte Christicolis deuotè coniuncta est. Sicuti Bithia Pharaonis filia, pereuntibus Ægyptiis, Moysi & Hebræis salubriter comitata est. Antiocheni gaudentes obuiam diu desideratis processerũt, & Clerus, omnísque populus, Regem Adonai, qui saluat omnes sperantes in se, fi- D deliter benedixerunt. Deinde Buamundus Ricardum captiuitatis suæ socium in Gallias destinauit, & argenteas per eum compedes sancto Confessori Leonardo direxit, & pro liberatione sua deuotè gratias egit.

POSTQVAM generosa Melaz in Ecclesia Catholica sacro baptismate regenerata est, opportuno tempore in cõuentu Optimatum Buamũdus eam sic affatus est: Nobilis virgo, quæ nobis adhuc pagana ex insperato mirè subuenisti, quæ Dominum IESVM omni parentelæ tuę prudenter præposuisti, & ipsum in nobis, qui membra & famuli eius sumus, benigniter fouisti, & indè patris iram penè vsque in periculum mortis incurristi: elige de nobis sponsum quem volueris in nomine CHRISTI. Non enim rectum est, vt iustis petitionibus tuis aliquatenus resistamus, cui vehementer, meritis tuis præcedentibus debitores sumus. In primis meum nunc audi consilium, quod tibi, dulcis amica, spero proficuum. Mihi quidem, fateor,

RODBERTVS II. 1101.

à tuo data es genitore, sed opto tibi vtiliùs prouidere, & subtiliter audi pro quaratione. Ab adolescentia mea irrequietus homo sum, & in laboribus viuens, multa grauia perpessus sum, grauiora quoque adhuc timeo me passurum. Nam mihi certa- A
» men est cum Imperatore, & cum paganis vndique. Præterea votum voui Domino,
» cùm essem in carcere, quòd si liberarer ab Ethnicorum ligamine, irem ad sanctum
» Leonardum, qui est in partibus Aquitaniæ. Has excusationes elicio tibi ex sincera
» dilectione, quia nolo te plus quàm filiam vel sororem meam quolibet modo deso-
» latam videre, nec coniugij copulam inire, vnde paulò post pœniteat te. Quæ lætitia,
» seu delectatio tibi esset in nostra copulatione, dum statim post nuptias oporteat me
» per pelagus & arua immensum iter inire, & in longinquam peregrè proficisci re-
» gionem, prope fines terræ? His perspectis, domina, elige tibi de pluribus meliora.
» Ecce ROGERIVS Ricardi Principis soboles, consobrinus meus, est me iunior æ-
» tate, excellens venustate, par nobilitate, diuitiis, & potestate. Hunc laudo vt mari-
» tum habeas, & opto vt cum eodem longo tempore viuas.

OMNES, qui affuerunt, prouidi Ducis consultum attestati sunt. Prudens virgo B tantorum consensui facilè adquieuit heroum. ROGERIVS igitur puellam honorificè cum gaudio desponsauit, & nuptias cum ingenti plausu & tripudio totius Antiochiæ celebrauit: quibus dapifer Buamundus cum præcipuis patriæ primoribus ministrauit. Iste siquidem Rogerius post sex annos, Buamundo & Tancredo defunctis, Principatu Antiochiæ potitus est, & post duos annos in campo Sarmatam cum VII. milibus Christianorum ab Amirgazis Persa occisus est. De temporalium mutatione rerum, & casibus hominum iam dixi plurima: & multa, si vita comes fuerit, in sequentibus adhuc restant dicenda. Hic Liber Ecclesiasticæ Historiæ terminatur, & mihi iam fesso requies aliquantula detur.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI, C

ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER VNDECIMVS.

PRÆFATIO HVIVS LIBRI, AC DELECTABILE CARMEN.

LME Deus Sabaoth, Rex fortis, cuncta gubernans,
Plasma tuum serua, Numen per secula regnans.
Contere vim Sathanæ, qui sæuit iugiter in te,
Dum famulos vexare tuos molitur vbique. D
Ad mea vota, precor, mundi pie respice factor.
Te colo, te quæro, tibi iure placere laboro.
Pontificum Regumque senex nunc scriptito gesta,
Sexagenus ego pueris ea do manifesta.
Non ab eis precium pro tali posco labore,
Sed refero gratus fratrum contentus amore.
Si fierent istis liquido noua signa diebus,
Niterer illa meis veraciter indere rebus:

A Credo, quòd arta magis præsentibus atque futuris
Grata forent, mihi proficerent, aliisque placerent:
Quàm de terrenis excursibus, atque caducis
Stemmatibus frustrà rimari, vel dare lata.
Inclyta dum spiro, mirandáque scribere vellem,
Prodigus impellens in Christi nomine pellem.
Eius amo laudes, cui totus subiacet orbis,
Qui potis est cunctis leniter nos demere morbis.
Cogimur atra loqui, quæ cernimus, aut toleramus.
Instabiles actus mutabilium memoramus.
B Nam mundanus amor hominum trahit agmen ad ima
Iustitiæ, nec eos polit ab rubigine lima.
Ad mala procliui, quæ terrea sunt meditantur,
Cælica contemnant, ea curui non speculantur.
En peccatores lethalia pondera gestant,
Lucida Sanctorum iustè magnalia cessant.
Prauaricatores, qui legem transgrediuntur,
Ira cœlestis pœnas, non signa merentur.
De placitis bellisque queunt perplura referri,
Quo malè sæuus eis nimis ingerit ardor habendi.
Cædes, incestus, & crimina mille notari
C Possunt, si docti dignantur turpia fari.
Insipiens frustra vexatur & ocia perdit,
At sapiens nullus sua tempora perdere gestit.
Tempus enim perdit, qui carmen inutile pandit
Et labor ipse perit, qui commoda nulla rependit.
Ad bona feruentes electi sedulo currunt,
Ad studium vigiles auidè laudabile tendunt.
Cogendi non sunt, qui sponte ferenda capessunt,
Qui segetum captant fasces, & in horrea portant.
Vltro satis gradiens sonipes non est stimulandus,
Sed ne labatur moderato iure regendus.
Durum sessor equum calcaribus vrguet acutis,
Percutit & crebris vt cogat currere flagris.
D Ecclesiæ similis lex & doctoribus almis.
Nam lentos stimulant monitis, celerésq; refrenant.
Cornua dena gerens mala bestia iam dominatur,
Effera plebs passim scelerum leprâ maculatur.
Iob Dominus typicè Behemoth monstrauit amico,
Dæmon in hoc mundo furit insidiosus iniquo.
Terrigenas furibunda super grassatur Erynis,
Cotidiéque suos erebi contrudit in imis.
Ludit & illudit mortalibus amphiselena,
Decipiendo quibus Paradisi tollit amœna.
Heu! malè virus eis infundit lethifer anguis,
Quos facit amentes, & mutuo se perimentes.
Morbos & pestes stulti subeunt, & iniqui,

Insuper adiciunt sibi pessima nequiter ipsi. A
Cernimus humanos casus, miserasque ruinas,
Vnde sagax pelles implere quid auctor ouinas,
Si vult diuersis de rebus inania verba
Fundere, thema frequens satis inuenit inter acerba.

NOMINIBVS multis in scriptis cælitus actis
Humani generis vocitatur liuidus hostis.
Nam leo, necne lupus, draco, perdix, & basiliscus,
Miluus, aper, vulpes, canis, vrsus, irudo, cerastes,
Et coluber fit atrox, dum nobis insidiatur,
Exitiúmque dolo, seu vi stolidis meditatur. B
Cetera mile patent lectoribus ingeniosis
Nomina, pro variis quibus vtitur artibus hostis.
Innumeros fœdat viciis, & sæpè trucidat.
Proh dolor! ingentes pereunt plerumque phalanges.

REX sacer erue nos, bone IESV, summe Sacerdos,
Ne cum damnandis nos inficiat vetus anguis.
Sed viciis mundos trahe mundi de pelagonos,
Et socia Sanctis supera clementer in aula. Amen.

1102. ANNO ab incarnatione Domini MCII. Indictione IX. HENRICVS Rex Anglorum, pace cum RODBERTO fratre suo facta, in regno confirmatus est; & super proditores, qui tempore necessitatis suæ nequiter ab illo desciuerant, paulatim vlcisci conatus est. Nam RODBERTVM cognomento MALETVM, & Yuonem de Grentemaisnilio, Rodbertum de Ponte-fracto filium Ilberti de Laceio, & potentiorem omnibus illis Rodbertum de Belismo, aliósque quamplures ad iudicium summonuit: nec simul, sed separatim variísque temporibus & multimodis violatæ fidei reatibus implacitauit. Quosdam eorum, qui se de obiecto crimine purgare non poterant, ingenti pecunia condemnauit, alios verò, quos magis suspectos habebat, irrecuperabiliter exheredatos exulare compulit. C

SEQVENTI anno, Guillelmus de Guarenna RODBERTVM Neustriæ Ducem mœstus adiit, & ingens damnum sibi per illum euenisse recensuit, quia Suthregiæ Comitatum mille libras argenti singulis annis sibi reddentem perdiderit: ideóque dignum esse asseruit, vt se fratri suo Regi pacificaret, & pristinum honorem eius obtentu recuperaret. Porrò, Dux dictis huiusmodi facilè adquieuit, & in Angliam transfretauit. Quod audiens Rex, iratus est, & sic ad suos asseclas & consecretales „ locutus est: Quid de inimicis meis debeo facere, qui sine meo commeatu super me „ ausi sunt irruere, & regni mei fines irrumpere? Qui diuersi diuersa Regi responderunt. Ille autem priuatos satellites obuiam germano destinauit, per quos ei velle suum euidenter ostendit. Tunc infrunitus Dux clandestinis legationibus comperiit, quòd Angliæ metas inconsultè introierit, & nisi prouidum prudenter consilium acciperet, in septis insulanis clausus, pro suo libitu, ad sua non remearet. Iussu tamen callidi Regis cum suis commilitonibus honorificè adductus est, & callens eorum consilium, ne ab externis aliquid rancoris inter germanos deprehenderetur, occultatũ est. Territus itaq; Dux, ficta metum hilaritate operuit, & Rex nihilominus alacri vultu intimum furorem dissimulauit. Inter cetera Rex Ducem de violato fœdere redarguit, quòd de publicis proditoribus nullam adhuc vltionem exegerit, nec vllam super discolas principali rigore disciplinam exercuerit, & quòd eodem anno Rodbertum de Belismo amicabiliter in Normannia receperit, eíque patris sui dominia donauerit, id est Argentonium castrum, Sagiense Episcopium, & Golferium saltum. Tunc nimirum præfatus lanio in Neustriam transfretauerat, & Ponti-ui D

A ui Comitatum ad opus GVILLELMI TALAVACII obtinuerat, quia GVIDO Comes ABBATIS-VILLÆ socer eius obierat. Denique Dux increpationibus huiuscemodi meticulosus, emendationem omnium humiliter spopondit. Cōstitutum quoque sibi vectigal trium milium librarum supplicanti ex industria Reginæ indulsit. Placatus itaque Rex cum illo amicitiam confirmauit, pristinum fœdus renouauit, & Guillelmo de Guarenna Suthregiæ Comitatum restituit. Guillelmus autem postquam paternum ius, quod insipienter amiserat, recuperauit, per XXXIII. annos, quibus simul vixerunt, vtiliter castigatus, Regi fideliter adhæsit, & inter præcipuos ac familiares amicos habitus effloruit. RODBERTVS II. 1101.

DEINDE Rodbertus Dux in Normanniam regressus est, & despicabilior quàm antea fuerat, suis effectus est. In hac enim profectione nihil, nisi metum, & laborem, atque dedecus sibi lucratus est. Rex autem in omnibus prosperitate vigens admodum sublimatus est, & longe latéque de illo fama volitante, per IV. climata mundi inter maximos Reges nominatus est. Nullus eo fuit Rex in Albionis regno potentior, nec amplitudine terrarum infra Insulam locupletior, nec abundantia omnium rerum, quæ mortalibus suppetunt, felicior. Hoc in subsequentibus, si vita comes fuerit, auxiliante Deo, narratio nostra manifestè comprobabit. Omnes inimicos suos sapientiâ, vel fortitudine sibi subiugauit, sibíque seruientes diuitiis & honoribus remunerauit. Vnde plerósque illustres pro temeritate sua de sublimi potestatis culmine præcipitauit, & hereditario iure irrecuperabiliter spoliatos condemnauit. Alios econtra fauorabiliter illi obsequentes de ignobili stirpe illustrauit, de puluere, vt ita dicam, extulit; datáque multiplici facultate, super Consules, & illustres Oppidanos exaltauit. Inde Goiffredus de Clintona, Radulfus Basset, & Hugo de Bocalanda, Guillegrip & Rainerius de Bada, Guillelmus Trossebot, & Haimon de Falesia, Guigan Algazo, & Rodbertus de Bostare, aliíque plures mihi testes sunt: opibus aggregatis, & ædibus constructis, super omnia quæ patres eorum habuerunt. Ipsi quoque, qui ab eisdem sæpe falsis, vel iniustis occasionibus oppressi sunt. Illos nimirum, aliósque plures, quos singillatim nominare tædio est, Rex cùm de infimo genere essent, nobilitauit, regali auctoritate de imo erexit, in fastigio potestatum constituit, ipsis etiam spectabilibus regni Principibus formidabiles effecit.

AT sicut fidelibus retributor erat magnificus, sic infidus erat impacabilis inimicus, & vix sine vindicta in corpore, vel honore, vel pecunia, indulgebat certos reatus. Hoc miserabiliter rei senserunt, qui eius in vinculis mortui sunt, nec pro cōsanguinitate, seu nobilitate generis, siue recompensatione pecuniarum redimi potuerunt. Rodbertum de Ponte-fracto, & Rodbertum Maletum placitis impetiuit, & honoribus exspoliatos extorres expulit. Iuonem quoque, quia guerrā in Anglia cœperat, & vicinorum rura suorum incēdio combusserat, quod in illa regione crimen est inusitatum, nec sine graui vltione fit expiatum; rigidus censor accusatum, nec purgatum, ingentis pecuniæ redditione onerauit, & plurimo angore tribulatum mœstificauit. Vnde præfatus eques à Rodberto Comite de Mellento, qui præcipuus erat inter Consiliarios Regis, auxilium quæsiuit; & coactus plurimis anxietatibus tutelæ illius se commisit. Imprimis erubescebat improperia, quæ sibi fiebāt derisoria, quòd funambulus per murum exierat de Antiochia. Deinde meticulosus cum multo cogitatu secum voluebat, quòd vix aut numquam recuperaret amicitiam Regis, quam perdiderat. Quapropter iterare peregrinationem decreuit. Pactum igitur initum est, vt Consul eundem cum Rege pacificaret, eíque quingentos argenti marcos ad ineundum iter erogaret, totámque terram eius vsque ad XV. annos in vadimonio possideret: quibus exactis, Yuoni puero, filiam Henrici Comitis de Guareuico fratris sui coniungem daret, & paternam hereditatem restitueret. Hoc pactum cum sacramento confirmatū est, & regali cōcessione præmunitū est. Yuo cum vxore sua peregrè profectus est, & in ipso itinere defūctus est, & hereditas eius alienis subdita est.

VRBS Legrecestria quatuor dominos habuerat, Regem, & Episcopum Lincoliæ, Simonémque Comitem, & Yuonem Hugonis filium. Præfatus autem Cōsul de Mellento per partem Yuonis, qui municeps erat, & Vicecomes, & firmarius Regis, callidè intrauit: & auxilio Regis, suáque calliditate totam sibi ciuitatem mancipauit, & indè Consul in Anglia factus, omnes regni Proceres diuitiis, & potestate præcessit, & pene omnes parentes suos transcendit. Pulchram quoque YSABEL Regis

HENRICVS I. neptem Franciæ vxorem habuit, quæ geminam ei prolem, GVALERANNVM, & RODBERTVM peperit, ac HVGONEM cognomento Pauperem, & filias quinque. Inter tot diuitias mente cæcatus, filio Yuonis iusiurandum non seruauit; quia idem adolescens statuto tempore iuratam feminam, hereditariámque tellurem non habuit.

1102. ANNO ab incarnatione Domini MCII. indictione x. Henricus Rex Rodbertum de Belismo potentissimum Comitem ad Curiam suam asciuit, & XLV. reatus in factis seu dictis contra se vel fratrem suum Normanniæ Ducem commissos obiecit, & de singulis eum palam respondere præcepit. Diligenter enim eum fecerat per vnum annum explorari, & vituperabiles actus per priuatos exploratores cautè inuestigari, summopereque literis annotari. Cúmque Rodbertus licentiam, vt moris est, eundi ad consilium cum suis postulasset, eadémque acceptâ egressus, purgari se de obiectis criminibus non posse cognouisset, equis celeriter ascensis ad castella sua pauidus & anhelus confugit: & Rege cum Baronibus suis responsum expectante, regius satelles Rodbertum extimplo recessisse retulit. Tunc delusum se Rex doluit, sed tempus vltionis non dubius expectauit. Rodbertum itaque publicis questibus impetitum, nec legaliter expiatum, palam blasphemauit, & nisi ad iudicium rectitudinem facturus remearet, publicum hostem iudicauit. Iterum rebellem ad concionem inuitauit, sed ille venire prorsus refutauit; imò castella sua vallis & muris vndique muniuit, & à cognatis Normannis, extraneísque Gualis, & à cunctis affinibus suis adminicula petiuit. Rex autem exercitum Angliæ conuocauit, & Arundellum castellum, quod prope litus maris situm est, obsedit: ibíque castris constructis, stratores cum familiis suis tribus mensibus dimisit. Interea inducias humiliter à Rege petierunt custodes munitionis, vt à domino suo exigerent vel auxilium defensionis, vel permissum reconciliationis. Annuente Rege, veredarij Rodbertum in regione Merciorum quæsierunt, eíque reperto intolerabilem Regis oppressionem imminere sibi anxiè denudauerũt. Ibi nempe Brugiam munitissimum castrum super Sabrinam fluuium construebat, & totis ad resistendum viribus auxiliarios frustrà quærebat. Audiens itaque defectionem suorum, ingemuit, eósque à promissa fide, quia impos erat adiutorij, absoluit; multúmque mœrens licentiam concordandi cum Rege concessit. Redeuntibus legatis, læti muniones castrum Regi reddiderũt, & benigniter ab eo suscepti, multis muneribus honorati sunt. Vnde Rex ad Blidam castrum, quod Rogerij de Buthleio quondam fuerat, exercitum promouit. Cui mox gaudentes oppidani obuiam processerunt, ipsúmque naturalem Dominum fatentes, cum gaudio susceperunt. His ita peractis, Rex populos parumper quiescere permisit, eiúsque prudentiam & animositatem congeries Magnatorum pertimuit. Interea Rex legatos in Neustriam direxit, Ducique veridicis apicibus insinuauit, qualiter Rodbertus vtrisque forisfecerit, & de Curia sua furtim aufugerit. Deinde cõmonuit, vt sicut pepigerant in Anglia, vtríque traditorem suum plecterent generali vindicta. Dux itaque exercitum Normanniæ congregauit, & Vinacium castrum, quod Girardus de sancto Hilario conseruabat, obsedit. Oppidani autem militares assultus optabant, quia si validus fieret impetus, reddere munitionem parati erant. Non enim sese sine violentia dedere dignabantur, ne malefidi desertores meritò iudicarentur. Sed quia Dux deses & mollis erat, ac principali seueritate carebat, Rodbertus de Monteforti, aliíque seditionis complices, qui vicissim diffidebant, mappalia sua sponte immisso igne incenderunt, totum exercitum turbauerunt, & ipsi ex industria nemine persequente fugerunt; aliósque, qui odibilem Rodbertum grauare affectabant, turpiter fugere compulerunt. Castrenses verò, vt tantum dedecus Normannici exercitus viderunt, cum vlulatu magno post eos deridentes vociferati sunt; minúsque postmodum timentes, crudelem guerram per Oximensem pagum cœperunt. Rodbertus autem de Grentemaisnilio, & Hugo de Monte-picionis, atque Rodbertus de Curceio, & homines eorum, quantum poterant sæuis prædonibus resistebant, patriámque suam defendere satagebant. Verùm publici hostes prædis illecti atrociores insurrexerunt, & Castellum-Guntherij, atque Furcas, Argentoniúmque turgidè possidentes, nimis irati sunt: quòd aliqui vicinorum sine Duce contra eos vel latrare ausi fuerunt. Per totam ergo prouinciam pagensium prædas rapiebant, & direptis omnibus domos flammis tradebant.

A PORRO Rex Anglorum non ocio, vt frater eius, torpuit, sed totius Angliæ legiones in Autumno adunauit, & in regionem Merciorum minauit, ibique Brugiam tribus septimanis obsedit. Rodbertus autem Scrobesburiam secesserat, & præfatum oppidum Rogerio Corbati filio, & Rodberto de Nouauilla, Vlgerióque Venatorij commiserat: quibus LXXX. stipendiarios milites coniunxerat. Pacem quoque cum Gualis tunc ipse fecerat, & Reges eorum CADVCAN & GERVATVM filios RESI sibi asciuerat, quos cum suis copiis exercitum Regis exturbare frequẽter dirigebat. GVILLELMVM verò PANTOLIVM militarem probúmque virum exhereditauerat; & multa sibi pollicentem seruitia in instanti necessitate penitus à se propulsauerat. Ille autem à Rodberto contemptus, ad Regem cõuersus est. Quem Rex, quia viuacem animum eius iamdudum expertus fuerat, gratanter amplexatus est. Protinus illi ducentos milites commendauit, & custodiam Staphordi castri, quod in vicino erat, deputauit. Hic super omnes Rodberto nocuit, & vsque ad deiectionem consiliis & armis pertinaciter obstitit. HENRICVS I. 1102.

B CONSVLES autẽ, & primores regni vnà conuenerũt: & de pacificãdo discorde cum domino suo admodum tractauerunt. Dicebant enim: Si Rex magnificum Comitem « violẽter subegerit, nimiáq. pertinaciâ, vt conatur, eũ exhereditauerit; omnes nos vt « imbelles ancillas amodo conculcabit. Pacẽ igitur inter eos obnixè seramus, vt herò « cõpariq. nostro legitimè proficiamus: & sic vtcũq. perturbationes sedãdo debitorem « nobis faciamus. Quadã ergo die Regẽ omnes simul adierũt, & in medio cãpo colloquiũ de pace medullitus fecerũt, ac pluribus argumẽtis regiã austeritatem emollire conati sunt. Tunc in quodã proximo colle tria milia pagensiũ militũ stabãt, & Optimatũ molimina satis intelligẽtes, ad Regẽ vociferãdo clamabãt. Domine Rex Hẽ" rice, noli proditoribus istis credere. Sũmopere moliũtur decipere te, & regalis iusti" tiæ rigorẽ tibi tollere. Cur audis illos, qui suadẽt tibi traditori parcere, tuæq. mortis " cõiurationẽ impunè dimittere? Ecce nos omnes tibi fideliter assistimus, tibiq. in om" nibus obsecũdare parati sumus. Oppidũ acriter expugna, traditorem ex omni parte " coarta, nec pacẽ cũ illo facias, donec ipsum aut viuũ, aut mortuũ in manibus tuis te" neas. His auditis, Rex animatus est, eóq. mox recedẽte, conatus factiosorũ adnihila"

C tus est. Deinde præfatos Gualorũ Reges per Guillelmũ Pãtoliũ Rex accersiit, eósq. datis muneribus & promissis demulcens, hosti cautè surripuit, suæq. parti cũ viribus suis associauit. Tres quoq. præcipuos municipes mãdauit, & corã cũctis iurauit, quòd nisi oppidũ in triduo sibi redderet, omnes quoscũq. de illis capere posset, suspendio perirẽt. Territi verò tãta obstinatione Regis, salutis suæ cõsiliũ indagare cœperunt, & Guillelmũ Pãtoliũ, qui affinis eorũ erat, persuasionẽ eius audituri accersierũt. Ille autẽ inter eos & Regẽ mediator accessit, & facetè cõposita oratione ad reddendam legitimo Regi munitionẽ cõmonuit; cuius ex parte terra centũ librarũ fundos eorũ augẽdos iureiurãdo promisit. Oppidani, cõsiderata cõmuni cõmoditate adquieuerũt; & regiæ Maiestatis volũtati, ne resistẽdo periclitarẽtur, obedierũt. Denique permissu Regis domino suo legatum Rodberto destinauerunt, per quem se non posse vlteriùs tolerare violentiam inuicti Principis mandauerunt. Stipendiarij autem milites pacem nescierunt, quam oppidani omnes & burgenses perire nolentes, illis inconsultis fecerunt. Cúmque insperatam rem comperissent, indignati sunt, & armis assũptis inchoatũ opus impedire nisi sunt. Oppidanorũ ergo violẽtiâ in quadã parte

D munitionis inclusi sunt, & regij satellites cũ regali vexillo multis gaudẽtibus suscepti sunt. Deinde Rex, quia stipẽdiarij fidẽ Principi suo seruabãt, vt decuit, eis liberũ cũ equis & armis exitũ annuit. Qui egrediẽtes inter cateruas obsidẽtiũ plorabãt, seséq. fraudulẽtiâ castrẽsiũ & magistrorũ malè supplãtatos palã plangebãt, & corã omni exercitu, ne talis eorum casus aliis opprobrio esset stipendiariis, complicum dolos detegebant. Rodbertus de Belismo, vt munitissimum Brugiæ castrũ, in quo maximè cõfidebat, Regi subactũ audiuit, anxius ingemuit: & penè in amẽtiam versus, quid ageret ignorauit. Rex autẽ phalãges suas iussit Hunel-hegẽ pertrãsire, & Scrobesburiam vrbem in monte sitam obsidere, quæ in ternis lateribus circumluitur Sabrina flumine. Angli quippe quendam trãsitum per siluam *Hunelge-hem* dicunt, quẽ Latini malum callem, vel vicum, nuncupare possunt. Via enim per mille passus erat caua, grãdibus saxis aspera, stricta quoq. quæ vix duos pariter equitãtes capere valebat: cui opacũ nemus ex vtraque parte obumbrabat, in quo sagittarij delitescebãt, &

HENRICVS I. 1102. stridulis missilibus vel sagittis prætereuntes subitò multabant. Tunc plus quàm LX. milia peditum erant in expeditione, quibus Rex iussit siluam securibus præcidere, & amplissimam stratam sibi, & cunctis transeuntibus vsque in æternum præparare. Regia iussio velociter completa est, saltúque complanato latissimus trames à multitudine adæquatus est. A

HIS auditis, Rodbertus admodum territus est, & vndique infortunio circumuẽtum se videns, humiliatus est, inuictíque Regis clementiam supplicare coactus est. Seuerus econtra Rex memor iniuriarum, cum pugnaci multitudine decreuit illum impetere, nec ei vllatenus nisi victum se redderet parcere. Ille tandem tristis casus sui angore contabuit, & consultu amicorum Regi iam propè vrbẽ venienti obuiam processit: & crimen proditionis confessus, claues vrbi victori exhibuit. Rex itaque totum honorem Rodberti, & hominum eius, qui cum illo in rebellione perstiterãt, possedit, ipsúmque cum equis & armis incolumem abire permisit, saluúmq. per Angliam vsque ad mare cõductum porrexit. Omnis Anglia, exulante crudeli tyranno, B
» exultauit: multorúmq. cõgratulatio Regi Hẽrico tunc adulando dixit: Gaude Rex
» Henrice, Dominóq. Deo gratias age, quia tu liberè cœpisti regnare, ex quo Rodber-
» tum de Belismo vicisti, & de finibus regni tui expulisti. Fugato itaq. Rodberto, regnũ Albionis in pace siluit, & Rex Henricus XXXIII. annis prosperè regnauit, quibus in Anglia nullus postea rebellare cõtra eum ausus fuit, nec munitionẽ aliquã contra eum tenuit. Rodbertus autem ira & dolore plenus in Neustriã transfretauit, & cõpatriotas suos, qui mollẽ dominum adiuuare suũ nisi fuerant, crudeliter inuasit, cædibus & incendiis vehementer aggrauauit. Nam sicut draco ille, de quo Symmista Ioãnes in Apocalypsi scribit, de cœlo proiectus in terrigenas rabiem suam feraliter exercuit: sic sæuus lanista de Britannia fugatus, in Normãnos furibũdus irruit. Rura eorũ, prædis direptis, ignibus conflagrauit, & milites, vel alios, quos capere valebat, vsque ad mortem seu debilitationẽ membrorũ cruciatibus afflixit. Tanta enim in illo erat sæuitia, vt mallet captis inferre tormenta, quàm pro redẽptione illorum multa ditari pecunia. ROGERIVS PICTAVINVS, & ARNVLFVS, fratres Rodberti, in Anglia Comites opulenti erant; Comitisq. Rogerij de Montegomerici patris sui procuratione magnis honoribus locupletes pollebãt. Arnulfus enim filiam Regis Hiberniæ nomine LAFRACOTH, vxorẽ habuit, per quã soceri sui regnũ obtinere concupiuit. Immoderata cupiditas plus quàm debet quærit. Inde plerisq. quod iustè adipiscuntur subitò tollit. Fortis Rex Anglorũ pro malignitate Rodberti totam progeniẽ & parentelã eius odio habuit, suóque de regno radicitus omnes extirpare decreuit. Occasiones ergo cõtra præfatos fratres exquisiuit, qualescúmque inuenit pertinaciter ventilauit, & exheredatos de finibus Britanniæ propulsauit. Terrã quoque, quam Rogerius senior Comes dederat Sanctimonialibus Almaniscarum, quoniam EMMA Abbatissa erat prædictorum soror Comitum, impatiẽs vindex Ecclesiæ virginum immisericorditer abstulit, & Sauarico Chamæ filio pro militari seruitio concessit. His itaque fugatis de Anglia, vehemens acerbitas nequitiæ creuit in Neustria, & per triennium innumera perpetrauit facinora. Villæ siquidem plures depopulatæ sunt, & Basilicæ cum hominibus, qui ad illam, vt filij ad matris sinum confugerant, concrematæ sunt. Tota penè Normannia in Rodbertum surrexerat, parique coniuratione illi resistere conspirauerat: sed frustrà, quoniam capite sano contra tantum prædonem carebat. Nam ipse viribus & ingenio pollebat, & congeriem diuitiarum, quas iamdudum congesserat, in XXXIV. fortissimis munitionibus ad rebellionem olim constructis habebat. Solus paternam hereditatem penitus possidebat, nullã præfatis fratribus pro illo exheredatis partem permittebat. Rogerius itaque ad Carofense castrum, quod de patrimonio suæ coniugis erat, secessit: ibique vsque ad senectutem permansit; & vitæ finem sortitus filios sibi probos successores reliquit. Arnulfus autẽ, post multos labores, quos pro fratre suo incassum tolerauit, indignatus ad Ducem sese contulit, & castrum Almaniscarum surreptione capiens illi tradidit, & plures de auxiliatoribus fratris sui secum contraxit. Tunc in Sagiensi territorio nimia turbatio facta est. Multi prouincialium cum Arnulfo Rodbertum reliquerunt, & municipia sua fautoribus Ducis reddiderunt. Rodbertus autem, qui desertus à proprio germano erat, vbique meticulosus vix in aliquo confidebat: & quia penè cunctis terribilis erat, de illis etiam, qui sibi adhuc adhærebãt, ambigebat. C D

RODBERTVS II. 1105.

A MENSE Iunio satellites Ducis in Abbatiam Sanctimonialium aggregati sunt, & ad deprædandam regionem ardentes in sacris ædibus stabula equorum constituerunt. Quo cognito, Rodbertus illuc aduolauit, & iniecto igne Cœnobium combussit. Oliuarium autem de Fraxineio, aliósque plures comprehendit, quorum quosdam longo grauíque ergastulo miserabiliter afflixit, reliquos verò morte, seu membrorum priuatione condemnauit. Rodbertus Dux cum exercitu Normanniæ Oximis venit, fautoribúsque suis suffragari debuit. Tunc Rogerius de Laceio Magister militum erat, cuius præcepto MALHERIVS cognomento MALAHERBA prædictam munitionem seruabat. Ob infortunium imminens odibili tyranno plures lætati sunt, ac vt super illum irruerunt auidè conuenerũt. Guillelmus Comes Ebroïcensis, & ROTRO Comes Mauritaniæ, & Gislebertus de Aquila, & Oximenses, cuncti simul in illum conspirauerant: sed congruentem malis, quæ idem illis multoties intulerat, talionem exoluere ad libitum non poterant. Verùm Rodbertus de S. B Serenico, & Burcardus dapifer eius, & Hugo de Nonanto diutiùs illi restiterunt, & plus omnibus aliis Normannis eundem damnis & iniuriis contristauerunt.

ADVENIENTE cum exercitu Duce, Rodbertus acies suas præstruxit, desidémque dominum pluribus modis temptauit, & super Calcetam audacter aggressus tãdem fugauit, atque Guillelmum de Conuersana fratrem Sibyllæ Comitissæ, aliósque plures comprehendit. Animosiores Normanni vehementer erubuerunt, quod illi, qui exterarũ victores gentiũ in barbaris regionibus floruerunt, nũc in suæ telluris sinu ab vno filiorũ victi & fugati sunt. Rodbertus itaq. secundis euentibus admodũ inflatus ferocior surrexit, & Ducẽ exindè floccipẽdẽs, totã vndiq. Normãniã sibi subdere sategit. Prouinciales autẽ Rectore carentes, nec bellicosi Comitis asperam tyrannidem ferre valentes, sub iugo eius sua colla, licèt inuiti, flexerunt, eíque non tã amore quã timore penitus adhæserũt: eiúsq. patrociniis fulti cõtra æmulos cohabitãtes atrocẽ guerrã exercuerunt. Sic nimirũ viribus Ducis deficiẽtibus, Rodbert9 infestior ascẽdit, & collimitaneis quiritib. ad eũ deficiẽtib. Oximorũ munitionẽ obtinuit, Castellũ quoq. Gũturij, & alia quãplurima in gyro sibi municipia mancipauit.

CONCREMATO apud Almaniscas Sanctimonialium Monasterio, vt dictum est, tener virginum Conuentus miserè dispersus est. Vnaquæque, prout facultas sibi fortuitu collata est, ad lares parentum vel amicorum regressa est. Emma verò Abba- C tissa cum ternis Sanctimonialibus Vticum confugit, ibique in Capella, vbi sanctus Pater Ebrulfus cælesti theoriæ intentus solitariè degebat, sex mensibus habitauit. Porrò, sequenti anno ad Ecclesiam suam reuersa est, auxilióque Dei, & fidelium eius, diruta restaurare conata est. Hęc postmodum ferè x. annis vixit, quibus Basilicam virginis & matris cum regularibus officinis diligenter erexit, & dispersas ad septa monastica Monachas summoperè reuocauit. Qua defuncta, MATHILDIS filia PHILIPPI fratris eius successit; iterúmque repentino igne incensum cum ædibus Monasterium laboriosè reparauit.

EODEM tempore, pręcipui Proceres Normanniæ, Gualterius Giffardus, Guillelmus Britoliensis, & Radulfus de Conchis defuncti sunt: eísque iuuenes successerunt. Gualterius quippe Giffardus Comes Bucchingeham in Anglia mortuus est, & indè in Normanniam, vt ipse iusserat, translatus est. In introitu verò Basilicæ beatæ Virginis Mariæ apud Longamuillam sepultus est. Super quem huiusmodi Epitaphium in maceria picturis decorata scriptum est,

D *Stemma Gifardorum Galterius ingenuorum,*
Quæ meruit viuens busta, sepultus habet.
Templi fundator præsentis & ædificator,
Hoc velut in proprio conditus est tumulo.
Qui se magnificum, patriæque probauit amicum,
Dux virtute potens, & pietate nitens:
Religiosorum sed præcipuè Monachorum
Cultor, multimodè profuit Ecclesiæ.

STRENVVM itaque Baronem Cluniacenses Monachi honorificè venerati sunt, & assiduis precibus animam eius Domino Deo commendauerunt: memores beneficiorum, quę apud Longamuillam in eius eleemosyna vbertim adepti sunt. AGNES verò vxor eius, Anselmi de Ribothmonte soror fuit, GALTERIVMque

RODBERTVS II. 1102. puerum post xv. annos desponsionis suæ marito peperit, quem post mortem patris A vsque ad virile robur diligenter educauit, & paternum ei honorem per multos annos prudenter gubernauit. Hæc feminea cupiditate nimis accẽsa Rodbertum Ducem adamauit, ipsúmque insidiosis retibus amoris illicitè sibimet illexit. Multa ei per se, & per potentes cognatos suos contra omnes inimicos adiumenta promisit, quibus citò socordem ad consensum pertraxit: vt dum sua coniunx obiret, præfatam mulierem sibi copularet, totámque Normanniam ad regendum ei committeret. Non multò post SIBYLLA Comitissa veneno infecta in lectum decidit, & Quadragesimali tempore, multis eam plangentibus, obiit. Guillelmus autem Rotomagensis Archipræsul eius exequias celebrauit, & in metropolitana sanctæ Dei genitricis Mariæ Basilica cum Clero & populo decenter tumulauit. In naui Ecclesiæ polita de albo lapide lamina tumulum operit, in qua sculptum hoc modo Epitaphium sollerter intuentibus patescit.

Nobilitas, species, laus, gloria, magna potestas,
Viuere perpetuò non faciunt hominem. B
Nam generosa, potens, diues Comitissa Sibylla
Hoc iacet in tumulo condita, facta cinis.
Cuius larga manus, mens prouida, vita pudica,
Prodesset patriæ, si diuturna foret.
Normanni dominam, gens Apula deflet alumnam,
Cuius in occasu gloria magna ruit.
Velleris aurati cùm Titan sidus inibat,
Mortem passa ruit, sit sibi vita Deus.

POST hæc tumultus bellorum, quæ iamdudum incœpta sunt, subitò causis quibusdam orientibus penè per totam Neustriam admodum creuerũt. Quibus feraliter furentibus, Dux prohibitus est vxorem ducere, & Agnes vidua permanens frustrà concupiuit Principalem thorum ascendere. Tunc inter Britolienses & Ebroicenses, alióſque vicinos eorum, ingens guerra exorta est. Guillelmus quippe de Britolio Adelinam Hugonis de Monteforti filiam vxorem duxerat, sed prolem de legali cõnubio non habuerat. Ipso itaque II. Idus Ianuarij apud Beccum mortuo, sed Liræ C in Cœnobio, quod pater suus in proprio fundo construxerat, sepulto; nepotes eius Guillelmus de Guader, & Rainaldus de Craceio succedere illi contenderunt. Sed Normanni Eustachium de concubina filium eius susceperunt, quia compatriotam nothum, quàm Britonem, seu Burgundionem liberum præesse sibi maluerũt. Igitur inter partes inimicas grauis guerra exorta est, & desolatio patriæ nimis augmentata est. Guillelmo de Guader celeriter obeunte, Rainaldus inualuit: eíque Guillelmus Comes Ebroicensis ad subsidiãdum cum multis aliis adhæsit. Nam RADVLPHVS DE CONCHIS filius Isabel, & Ascelinus Goël, atque ALMARICVS DE MONTEFORTI cum viribus suis conglomerati sunt, & Rainaldo fauentes ingentia vicinis detrimenta nequiter intulerunt, patriamque suam hostiliter depopulati sunt; & illi, quem iuuare conabantur, parum profecerunt. Eustachius enim Guillelmum Alis, & Radulfum Rufum, ac Tedbaldum, alióſque Barones suos secum habens fortiter restitit: quorum consilio contra tot aduersarios auxilium Regis Anglorum quæsiuit. Rex autem IVLIANAM filiam suam ei coniugem dedit, & insuperabile contra Goëllum, & omnes alios hostes adminiculum spopondit. Tunc etiam ROTRONI Mauritaniæ Comiti aliam sobolem coniunxit, quæ marito suo filiam nomine PHILIPPAM peperit. D

1103. ANNO ab incarnatione Domini MCIII. Paschalis Papa in Gallias venit, & à Gallis honorificè susceptus, diuinam seruitutem fideliter exercuit. Tunc venerabilis YVO Carnotenæ vrbis Episcopus, inter præcipuos Franciæ Doctores eruditione literarum tam diuinarum quàm secularium floruit: à quo inuitatus Papa solennitatem Paschæ apud Carnotum celebrauit. ADELA quoq. Comitissa largas ad ministeriũ Papæ impensas contulit, & benedictionẽ sibi dominiq. suæ in æternũ à Sede Apostolica promeruit. Laudabilis hera post peregrinationẽ mariti Consulatũ illius honorificè gubernauit, tenerósque pueros ad tutamẽ Ecclesiæ sanctæ sollerter educauit. GVILLELMVS enim, qui maior natu erat, filiam GILONIS DE SOLEIO vxorem duxit, & soceri sui hereditatẽ possidẽs, diu pacificè vixit, laudabilémq. sobolẽ ODO-

A NEM & RAHERIVM genuit. TEDBALDVS autē Palatinus Comes militiā claruit, pacis amator iustitiā viguit, & inter præcipuos Franciæ Principes diuitiis & virtute maximus enituit. MATHILDEM verò INGELBERTI Ducis filiam vxorem duxit, atque post mortem HENRICI Regis auunculi sui Ducatum Normanniæ suscepit, & furentes discolas necessariæ virgā disciplinæ feriens coërcuit. Porro STEPHANVS, STEPHANI Blesensis tertia proles, ab auunculo Rege arma militiæ accepit, & capto apud Tenerchebraicum GVILLELMO Comite Moritolij, Comitatum eius dono Regis obtinuit. EVSTACHII quoque Bolonienses Consulis filiam, de matre MARIA, MATHILDEM vxorem duxit, & totum honorem eius hereditario iure possedit. Denique Henrico Rege in castro Leonis IV. Nonas defuncto, Stephanus mare transfretauit, & incipiente anno Dominicæ incarnationis MCXXXVI. Angliæ sceptra suscepit. Deinde HENRICVS ætate minimus à pueritiā Cluniacensis Monachus, in adolescentia verò Glestoniensis Abbas B in Anglia sublimatus est: & indè post Guillelmum Gifardum ad Guentoniensem Præsulatum promotus est. RODBERTVS II. 1105.

DENIQVE genitrix tantæ prolis, vt pallida tenebrosæ mortis tempora medullitus meditari cœpit, post multas diuitias atque delicias, in quibus peccatorum copia fœdat animas & perimit, lubrica seculi blandimenta, turgidósque fastus spontè deseruit: ac Sanctimonialis apud Marcilleium effecta, sub Cluniacensium rigido regimine Regi sabaoth militauit. Hæc per anticipationem de generosa matre, & fortunata sobole dicta sunt. Nunc autem ad narrationis seriem, vnde paulisper digressus sum, libet reducere calamum.

REX Anglorum Rodbertum Comitem de Mellento ad sedandas lites intestinas in Normanniam destinauit, & Rodberto Duci, aliísque Proceribus mandauit, vt genero suo parcerent, & contra hostes illius dimicarent: alioquin regiæ virtutis inimicitiam sentirent. Beniuolentiam itaque Regis erga Eustachium aduertentes multi siluerunt, & qui anteà nocebant illi summoperè suffragari studuerunt. Rainaldus tamen, & Goëllus, aliíque temerarij pertinaciter nequitiis institerunt, nec C pro regalis reuerentiæ precatu ab infestatione generi eius cessauerunt, sed nefaria temeritate cædes & incendia perpetrarunt. Nam inter cætera, quæ præfatus Rainaldus crudeliter peregit, quoddam municipium hostile pertinaciter inuasit, & omnes qui intus erāt dum exirent cœpit, & proprio ense in visceribus infixo veluti bruta animalia immisericorditer peremit. Omnibus hac maximè pro causa odibilis factus est. Et Eustachio insigniter inualescente, totúmque patris honorem nanciscente, de Neustria expulsus est. Reuersus autem ad natale solum, Guillelmo fratri suo maiori se insidiari cœpit; sed iusto Dei iudicio inter tumultus, quos machinabatur, in manus fratris incidit, & in eius carcere debitas pro nefariis actibus pœnas luit.

TVNC etiam Goëllus Ioannem filium Stephani de Mellento explorauit, & venientem de colloquio Comitis domini sui, qui apud Bellummontem in Normannia consistebat, cōprehendit, & ferè quatuor mensibus auarum fœneratorem in carcerem coërcuit. Vnde præfatus Comes obnixè laborauit, vt burgensem suum, qui ditissimus erat, erueret: nec eum de ore lupi liberare potuit, nisi plures placaret. D Ingeniosus ergo Comes Rodbertus cum Guillelmo Ebroicensi Comite pacem fecit, & AMALRICO nepoti eius filiam suam, quæ tunc vnius anni erat, pepigit: & in illa concordia Radulfum de Conchis, & Eustachium, atque Goëllum, aliósque belligerantes Marchisos collegit. Hac itaque pace facta, Ioannes redditus est, aliísque pluribus securitas & serenitas pacis exhibita est. Sequenti anno geminam prolem GVALERANNVM & RODBERTVM Ysabel vxor Mellentici Comitis enixa est, & causis quibusdam interuenientibus AMALRICVS promissam sibi puellam desponsare prohibitus est. Somnolentus Dux, vt nimiam desolationem patriæ vidit, nec contra Rodbertum de Belismo Ducatus sui regionem defendere potuit: transgressor pacti, quod cum Rege fecerat, sine consilio eius concordiam cum prædicto Rodberto fecit: eique dominia patris sui, Episcopatum scilicet Sagiensem, & cetera, quæ superiùs memorata sunt, annuit. Venerandus igitur SERLO Sagiensis Episcopus tyrannidem Rodberti ferre indignum duxit: ideóque potius ab Episcopatu recedere, quàm sub eo degere maluit. Propria sede

RODBERTVS II. 1103. relicta per extera vagatus est, & Rodbertum cum adiutoribus suis anathemate feriens execratus est. A

Sæpedictvs quoque vir Radulfum Sagiensem Abbatem, iocundum & facetum, amabilémque virum pluribus modis contristauit, hominésque sancti Præsulis Martini indebitis exactionibus oppressit, ipsúmque per immeritam subiectorum afflictionem fugauit. Sic Præsul & Abbas tyranni iugo fatigati in Angliam fugerunt, & à Rege Henrico refrigerandi benigniter suscepti sunt. His temporibus venerabilis Gundulfus Rofensis Episcopus defunctus est: cuius in loco Radulfus Abbas Ecclesiastica electione subrogatus, à reuerendo Cantuariorum Archipræsule Anselmo Præsul Rofensis consecratus est; cuius etiam post aliquot annos in Sede Dorobernensi successor factus est.

Ea tempestate Magnus Northuigenarum potentissimus Rex Insulas Britanniæ circumiuit, & desertas cum ingenti classe Insulas vsque in Hiberniam introiuit: ibique colonis callidè constitutis, oppida & villas aliarum more gentium construi præcepit. Irenses igitur ei nimis inuiderunt, & totis nisibus infestare conati sunt, B dolóque seu vi pessundare hostes machinati sunt. Magnanimus autem Rex contra Irenses surrexit, & cum sua classe littoribus applicuit. Illi verò tanti Regis terrore perterriti Normannos accersierunt, quibus Arnulfus & auxiliarij eius suppetias aduolarunt. Porrò, congregati omnes formidabilem Magnum veriti sunt, nec præliari comminus cum illo præsumpserunt: sed de proditione nefaria in ipsum machinari studuerunt.

Deniqve quidam faceti & eloquentes ad eum in dolo venerunt, & friuolis sponsionibus eundem deceperunt, & de nauibus egredi, vt Prouinciam viseret, atque ad subiectionem sui reciperet, cum paucis persuaserunt. Ille verò perfidis malè credulus, ferratos in litore cuneos reliquit, & vsque ad duo miliaria seductores secutus perniciem suam quæsiuit. Ibi enim ingentes inimicorum cateruas latitantes inuenit, quibus de latebris prosilientibus, audax Nordguigena fugere dedignatus præliari fortiter cœpit. Pauci contra innumeros resistere nequiuerunt. Magnus Rex dorsum ad arborem stans conuertit, & clypeo protectus missilibus plures sauciauit; sed multitudine oppressus, proh dolor! interiit. Quidam locuples C Lincoliæ ciuis thesaurum Magni Regis seruabat, eique ornamenta, & vasa, vel arma, vel vtensilia, vel alia regalibus ministeriis necessaria suppeditabat. Qui mortem Regis comperiens, ad domum suam festinauit, & de regali thesauro negociatus diuitiis admodum exuberauit. Anglorum autem Rex, vt sæpefati Regis occasum audiuit, quasi onere ingenti alleuiatus exultauit: & post aliquod tempus à Lincoliensi ciue prædicti Principis ærarium exquisiuit. Denique ciuis veritatem commissi primò celauit, vnde illum repeptè conuictum Rex comprehendit, & plus quàm xx. milia, vt fertur, libras argenti abstulit.

Irenses sanguine Magni Regis sociorúmque eius gustato, truculentiores effecti sunt, & ex improuiso ad interimendos Normannos conuersi sunt. Rex siquidem eorum filiam suam Arnulfo abstulit, ipsámque petulantem cuidam consobrino suo illicitè coniunxit. Arnulfum verò ipsum interficere pro affinitatis remuneratione decreuit. Sed ille barbaræ gentis execrandas fraudes comperiens, ad suos aufugit, & ferè xx. annis sine certa sede postmodum vixit. Tandem iam senex specie tenus Regi reconciliatus vxorem duxit, & nuptiis factis in crastinum post comestionem obdormiuit: extremúmque diem sortitus, paranymphis pro fescenninis lugubres threnos dereliquit. D

Hostibvs vndique variabili fortunâ illudente pessundatis, Henricus Rex inualuit, & maximè Magni Regis occasu tutior extitit, ingentíque censu ditatus intumuit. Eodem tempore Lvdovicvs iuuenis, permissu patris sui, cum paucis, sed sapientibus viris, in Angliam transfretauit, & Regi Henrico spectabilis tyro seruiturus, ad Curiam eius accessit. A quo vt filius Regis honorificè susceptus est, & in omnibus apud illum benigniter habitus est. Porrò, nuncius Bertradæ nouercæ illius pedetentim illum secutus est, & apices sigillo Philippi Regis Francorum signatos Henrico Regi largitus est. Literatus verò Rex Epistolam legit, qua perlecta suos Consiliarios aduocauit, & cum eis diutiùs satis alacriter tractare cœpit. In Epistola quippe legerat, quòd Philippus Rex Franciæ sibi

A mandabat, vt Ludouicum filium suum, qui ad Curiam eius accesserat, comprehenderet, & in carcere omnibus diebus vitæ suæ coërceret. Sapiens sceptriger quàm absurdum & inconueniens præceptum per femineam procacitatem Gallorum Rex sibi mandauerit, cum legitimis Baronibus sollerter discussit, & tam scelestam, Regíque omnimodis incongruam factionem à se & suis omnibus repulit. Guillelmus autem de Buscheleio sapiens miles, qui cum Ludouico erat, rem adhuc latentem animaduertit: vnde quasi iocaturus ad concionem Magnatorum non vocatus accessit. Protinus per illum Rex Ludouico, vt pacificè recederet benigniter mandauit, & tam ipsum quàm socios eius multis honoratos muneribus in Gallias remisit. Ludouicus itaque nouercæ suæ comperta fraude, patrem iratus adiit, & quid tam dira per apices suos in extera regione sibi procurasset, conuenit: Ignarus nefariæ proditionis Rex omnia denegauit, iuuenísque in ira feruens, nouercam interimere optauit. Porrò illa morte ipsum præoccupare pluribus modis sategit, & accersitis tribus de numero Clericorum maleficis, pro perniciei eius procuratione ingens precium pepigit. Malefici quædam nefaria secreta per aliquot B dies agere cœperũt, & vsque ad IX. dies si cœpta peragerent, Ludouici lethum crudeli adulteræ spoponderunt. Interea vnus ex illis præstigia sociorũ detexit, & duobus captis machinatio imperfecta volente Deo deperiit. Deinde procax nouerca veneficos adhibuit, magnorúmque pollicitationibus præmiorum sollicitauit, & regiam sobolem veneno infecit. Præclarus itaque iuuenis in lectum decidit, & per aliquot dies nec manducare, nec dormire potuit. Pene omnes Galli contristabãtur, quòd Regis genuinus hæres periclitaretur. Tandem cunctis Francorum Archiatris fatiscentibus, quidam hirsutus de barbarie venit, & apodixen medicinalis peritiæ super desperatum iuuenem exercere cœpit: Deóque volente, indigenis Medicis inuidentibus profecit. Hic nimirum inter Ethnicos diu conuersatus fuerat, & profunda Physicæ secreta subtiliter à Didascalis indagauerat, quos diuturna inuestigatio Philosophiæ super omnes barbaros Sophistas notitiâ rerum sublimauerat. Denique Regia soboles conualuit, sed omni postmodum vita sua pallidus extitit.

CONVALESCENTE priuigno nouerca ingemuit. Metus enim pro malis, quæ C olim illi procurauerat, odium pariebat, & quotidie multipliciter augebat. Quapropter exitium illi magnopere peroptauerat, & multis conatibus per plurimos iniquitatis complices procurauerat: vt & ipsa de timore eius, quem nimis offenderat, liberata in Principatu gloriaretur, & filios suos PHILIPPVM, & FLORVM, si ille moreretur, in regni solio securior inthronisare molliretur. Supplex tandem pro venefica pater accessit, à filio culpabili nouercæ reatuum remissionem poposcit, emendationem promisit, & Pontisariam, totum Vilcassinum pagum pro reconciliatione concessit. Ludouicus consultu Præsulum & Baronum, quos sibi fauentes satis agnouit, & pro reuerentia paternæ sublimitatis facinus indulsit. Illa verò ad nutum eius pro detecto scelere contremuit, & rubore perfusa eius ancilla facta indulgentiam obtinuit, atque ab illius infestatione, quem tot molestiis temptauerat, inuita cessauit. Ludouicus autem post quinque annos patre defuncto regnum Galliæ obtinuit, & XXVII. annis regnauit. Henricum verò Regem Anglorum, in quo magnam fidem, vt dictum est, inuenerat, semper dilexit, nec vmquam, nisi inuitus, & per maledicos proditores, contra eundem litigauit.

D RADVLPHVS DE CONCHIS post obitum patris mare transfretauit, & à Rege benigniter susceptus, paternos fundos recepit, atque ADELIZAM Gallequi Comitis, & Iudith consobrinæ Regis filiam coniugem accepit: quæ ROGERIVM, & HVGONEM, & plures filias peperit. Sic alij Proceres cordati socordem Dominum dereliquerunt, & sensatum Regem vtiliter experierunt: ac vt languenti Ecclesiæ Dei, miseræque regioni suffragaretur, lacrymabiliter postulauerunt. Multorum itaque Normannorum petitione benigniter pulsatus est, & à pluribus, tam Clericalis, quàm laïcalis Ordinis honorabilibus personis obnixè rogatus est: vt paternam hereditatem, quæ miserabiliter deuastabatur, visitaret, suáque præsentiâ Prouinciam, quæ Rectore carebat, lætificaret, atque ad defensandum contra prophanos prædones virgâ iustitiæ reciperet.

ANNO ab incarnatione Domini MCIV. HENRICVS Anglorum Rex cum magna classe in Normanniam transfretauit, & Danfrontem, aliáque oppida, quæ 1104.

RODBERTVS II. 1103.

RODBERTVS II. 1104. ditioni eius subdita erant, cùm ingenti apparatu visitauit. A Proceribus suis honorificè susceptus est, & copiosis muneribus regio ritu honoratus est. Rodbertus enim Comes de Mellento, & Ricardus Cestrensis, Stephanus Comes Albemarlæ, & Henricus Aucensis, Rotro Mauritoniensis, & Eustachius Britoliensis, Radulfus de Conchis, & Rodbertus filius Haimonis, Rodbertus de Monte-forti, & Radulfus de Mortuomari, aliique plures magnos in Anglia de illo fundos tenebant, & in Neustria iam cum suis Optimatibus ad illum conuersi fuerant, & cum eodem contra omnes terrigenas dimicare parati feruebant. Deinde Rex post aliquot dies fratrem suum ad colloquium accersiit, præsentem cum coëssentibus parasitis conuenit: redarguens, quod pactum inter eos in Anglia fœdus irritum fecerit, dum pacem cum Rodberto de Belismo vtriusque proditore sine Regis consilio compaginauerit, eique dominia patris sui contra ius & statutum dederit: quod latrunculis & raptoribus, aliisque malefactoribus, segnicie torpens deseruerit: quòd impudicis nebulonibus parens, totam illis Normanniam impunè dimiserit: quòd Pastoris, seu Principis locum frustrà occupauerit; dum Rectoris officium ad commoditatem Ecclesiæ Dei & inermis populi non exercuerit, quos indisciplinatè persequentibus velut oues lupinis in dentibus vltrò reliquerit. Rationabiliter, & multum sapienter concio Regis causam suam deprompsit, & multis, grauibúsque reatibus Ducem fraternum fœdus violasse asseruit, quos ille per vituperabiles collegas suos, sese purgando, denegare non potuit. Sensu quippe, & amicis destitutus erat, quia bonorum consortia, & sapientum consilia paruipendebat: sed quæ contraria erant, ad sui multorúmque detrimenta miserabiliter appetebat. Variis itaque Dux perplexitatibus causarum irretitus, cum suis consilium iniit, ac vt debiliorem decebat, amicitiam potentioris petiit: eique Guillelmum Consulem Ebroarum cum Comitatu suo, & omnibus sibi subiectis concessit. Metuebant enim tam ipse quàm fautores sui, ne manifesto examine deprehenderetur, atque Ducatu, quem nomine, non actione gestabat, meritò spoliaretur, aut formidabilem guerram per arma sceptrigeri fratris ad irreparabilem vsque deiectionem pateretur.

PRÆCLARVS Comes, vt se quasi equum vel bouem dandum audiuit, frugalitatem suam, vel fidem seruare volens, palam omnibus dixit: » Omni vitâ mea patri vestro fideliter seruiui, nec vmquam ei promissam fidem in aliquo contaminaui; quam nihilominus heredi eius vsque hodie seruaui, & semper omni conatu seruare decreui. Sed quia impossibile est, vt ipse Deus in Euangelio dicit, prout sæpè à Sophistis audiui, duobus dominis à se discrepantibus placidè famulari: vnius ditioni peropto mancipari, ne geminis occupatus obsequiis, neutro possim gratus haberi. Regem & Ducem diligo. Ambo enim sunt filij Regis domini mei, & ambos appeto venerari: sed vni hominium faciam, eique vt domino legaliter seruiam. Hoc dictum liberalis viri omnibus placuit.

TVNC Rodbertus Dux ipsum Regi per manum porrexit, & facta pace inter fratres, ante hiemem Rex in Angliam remeauit. Mox vesani prædones guerram iterarunt, & quicquid Rex ac Patricij pro regionis communi salute constituerant, temerè præuaricati sunt. Rodbertus enim de Belismo Regis, quem hostiliter oderat, profectui nimis inuidens, contristatus est, & cum Guillelmo nepote suo Moritoliensi Comite, & omnibus aliis, quos seducere poterat, regios fautores bello vrguere conatus est. Tunc pestilentes indigenæ plus quàm dici potest, efferati sunt. Mox cædibus & rapinis Prouinciam maculauerunt, raptísque prædis, & hominibus occisis, domos passim concremauerunt. Coloni verò cum vxoribus & liberis in Gallias fugerunt, & ingentes ærumnas in exilio perpessi sunt. Sic nimirum Normanni, qui se Anglos & Apulos vicisse in suis sedibus gloriabantur, nunc lugubres & miseri Gallicis in armis laborabant & lamentabantur. In hortis verò suis, qui cultore carentes in solitudine redigebantur, cardui & vrticæ cum aliis inutilibus herbis, omnia replebant, nimiúmque multiplicabantur. Inter hæc sancta Ecclesia vehementer opprimebatur, & dum funera innocuæ prolis, irreparabilésque ruinas animarum frequenter contemplaretur: leuatis cum corde puris manibus sponsum suum, qui cœlis præsidet, ad auxilium sibimet deprecabatur. Lacrymabilis planctus lugubris Normanniæ transfretum diffusus est, & querimoniis desolatorum Rex Anglorum acceitus est. Gunherius de Alneio, qui Baiocas seruabat, &

RODBERTVS II. 1104.

A Rainaldus de Garenna, qui partibus Ducis fauebat, aliíque satellites Ducis fœdera pacis ruperunt: & Rodbertum Haimonis filium, aliósque nonnullos de familia Regis ceperunt, & in carcere diutius tam pro cupiditate redemptionis, quàm pro contemptu & odio domini eorum coartauerunt. Vnde impiger Rex, vt hæc audiuit, classem parari præcepit. In Neustriam vere transfretauit, & in vltima Quadragesimæ septimana, portum, qui Barbaflot dicitur, applicuit: & sabbato Paschæ super vada Viræ in vico, qui Carentonus vocatur, hospitatus quieuit.

TVNC venerabilis SERLO Sagiensis Episcopus illuc aduenit, primus Normannorum suum Regi seruitium exhibens occurrit, ibique Regi Regum initiata Paschæ solennia celebrauit. Cúmque sacris indutus vestibus in Ecclesia cum Rege consisteret, & sacrum officium iam inchoare vellet, sed conuentum plebis & familiæ Regis patienter expectaret, Basilicam archis pagensium cum variis vtensilibus, & multimoda supellectili occupatam perspexit, & longo trahens cum mœrore suspiria, Regi, qui satis humiliter inter cistas rusticorum in imo loco sedebat, B cum quibusdam Magnatis dixit: Omnium corda fidelium meritò lugere debent, qui sanctæ matris Ecclesiæ conculcationem, mœstæque plebis deiectionem vident. Ecce satis apparet in hac domo, quòd miserabiliter depopulatur Constantini regio, imò tota Normannia profanis subdita prædonibus Rectore caret idoneo. Domus orationis olim dicta est Basilica Dei, quam nunc potestis cernere turpiter impletam immunda supellectili: & ædes, in qua solummodo diuina sacramenta debent peragi, pro penuria iusti defensoris facta est apotheca populi. Conuenientes nequeunt ante aram genua reuerenter flectere, nec delectabiliter & deuotè vt decet ante diuinam maiestatem astare, pro multimodis speciebus, quas inerme vulgus huc in domum Domini contulit, pro sceleratorum timore. Præsidium itaque vulgi facta est Ecclesia, quamuis nec in ipsa sit ei securitas perfecta. Hoc enim in anno Rodbertus de Belismo Ecclesiam de Tornaco in mea scilicet diocesi concremauit, & in eadem XLV. promiscui sexus homines extinxit. Hæc gemens in conspectu Dei recolo. Hæc etiam, domine Rex, ideo in auribus tuis enarro, vt animus tuus zelo Dei accendatur, & Phinées, atque Mathatiam, eiúsque filios imitari C conetur. Haud segnis in nomine Domini exurge, paternam hereditatem iustitiæ gladio tibi nanciscere, & de manu pessimorum auitam possessionem, populúmque Dei erue. Frater quippe tuus Normanniam non possidet, nec vt Dux principatur populo suo, quem per rectitudinis callem ducere deberet: sed segnitie torpet, atque Guillelmo de Conuersana, & Hugoni de Nonanto, qui Rotomago præsidet, & Gunherio nepoti eius, aliísque indignis subiacet. Proh dolor! quia magni Ducatus diuitias in nugis & vanitatibus dissipat, ipse pro penuria panis ad Nonam vsque multoties ieiunat. Plerúmque de lecto surgere non audet, nec pro nuditate sui ad Ecclesiam procedere valet: quia femoralibus, caligísque, & subtolaribus caret. Scurræ nimirum, & meretrices, quæ illum frequenter comitantur, vestes eius, dum ebrietate madens stertit, noctu furantur, & cum cachinnis sese Ducem spoliasse gloriantur. Sic languente capite, totum corpus infirmatur: & Principe desipiente, tota regio periclitatur, & misera plebs omnimodis desolatur. A temporibus Rollonis, qui Normannorum primus Neustriæ præfuit, & de quo vestra propago prodiit, vsque ad hunc defectiuum, strenuis Ducibus Normannia subiacuit. Pro tanta natalis soli ærumna, probe Rex, vtiliter irascere: & sicut Dauid D Propheta & Rex commonet, noli parcere, arma sumens pro defensione patriæ, non pro terrenæ potestatis augendæ cupiditate. His Episcopi dictis Rex animatus est, & audita Optimatum, qui aderant, sententiâ, sic locutus est: In nomine Domini pro pace ad laborem exurgam, & quietem Ecclesiæ Dei vobis adiuuantibus summopere perquiram. Ad hoc consilium corroborandum Mellenticus Comes affuit, nec inde aliorum, qui aderant, nobilium consensus abhorruit, quinimo communem Patricium pro generali tutela Neustriæ in deuoratores populi bellum inire viuaciter hortatus incitauit.

RVRSVS eloquens Præsul prædicationi sacræ institit, & sui salubriter memor officij adiunxit: Indesinenter cotidie debemus vitæ viam inuestigare, & in omnibus diuinæ legi, quæ irreprehensibilis est, obsecundare. Et quamuis omnia, quæ culpabiliter in occulto aguntur, non possimus ad purum emendare, ea saltem, quæ

RODBERTVS II. in propatulo contra Deum fiunt, gladio spiritus decet resecare, & nobis secundum A
1104. mandata Dei, & sanctorum instituta Patrum omnimodis amputare. Omnes femineo more criniti estis, quod non decet vos, qui ad similitudinem Dei facti estis, & virili robore perfrui debetis. Viros quippe crinitos * esse, quàm incongruum & detestabile sit, Paulus Apostolus vas electionis, & Doctor gentium Corinthiis sic ait: *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria est Dei: mulier autem gloria est viri.* Et paulò pòst, *Vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Pœnitentibus non pro decore seu delectamine iniungitur, vt non radantur, nec tondeantur: vt sicut crinibus hirsuti, & interiùs incompti ante Deum apparent, sic exteriùs hispidi & intonsi coram hominibus ambulent, & deformitatem interioris hominis per exteriorem ignominiam demonstrent. In barba prolixa hircis assimilantur, quorum petulātiæ sordibus fornicarij & catamitæ turpiter maculantur, & impudicitiæ detestabili fœtore honestis abominabiles iure iudicantur. In nutrimento autem comarum B mulierum sequaces æstimantur, quorum mollitie à virili fortitudine ad nefas pertrahuntur, & plerúmque in detestabilem apostasiam miserè deuoluuntur. Proh dolor! ecce felix medicamentum, quod Doctores Ecclesiæ, qui spirituales Archiatri sunt, pro salute animarum instinctu diuino iamdudum prouidè constituerunt, filij perditionis ad cumulum suæ damnationis instigante sathana vsurpauerunt, iámque longo vsu violenter in consuetudinem permutauerunt. Romani Pontifices, aliíque Antistites, temerariam vsurpationem prohibuerunt, & in Synodis suis ex auctoritate diuina condemnauerunt: sed transgressores indurati prauitatibus malè desipiunt, & scutum malitiæ stimulo sanctæ prædicationis obnixè obiciunt. Barbas suas radere deuitant, ne pili suas in osculis amicas præcisi pungant: & setosi Sarracenos magis se quàm Christianos simulant. Ecce squalorem pœnitentiæ conuerterunt in exercitium luxuriæ. Peruicaces nempe filij Belial capita sua comis mulierum comunt, & in summitate pedum suorum caudas scorpionum gerunt, quibus se per molliciem femineos, & per aculeos nempe serpentinos ostendunt. Hoc genus hominum in specie locustarum Symmista Ioannes ante mille annos C prospexit, & in Apocalypsi sua, quam in Pathmot Insula edidit, euidenter nobis enucleauit. Multi nimirum tantæ prauitatis vsum sequuntur, nescientes tantum esse nefas in capillatura qua gloriantur. Vnde, gloriose Rex, obsecro te, vt exemplum subiectis præbeas laudabile; & in primis videant in te, qualiter debeant præparare se.

* al. citritos.

His itaque dictis, Rex cum Optimatibus cunctis exultans adquieuit, & alacer Episcopus continuò de mantica forcipes extraxit; & priùs Regem, ac postmodum Comitem, procerésque plurimos propriis manibus totundit. Omnis familia Regis, & conuenientes vndecúmque certatim attonsi sunt, & Edictum principale formidantes preciosos olim capillos præsecuerunt: & amicam dudum cæsariem, vt viles quisquilias, pedibus conculcauerunt. Celebrata Paschali festiuitate Rex Anglorum legatos Philippo Regi Francorum destinauit, & Goiffredum Martellum Comitem Andegauorum accersiit, vltionémque super inimicos Ecclesiæ Dei viriliter exercuit.

1106. ANNO ab incarnatione Domini MCVI. mutationes Principum in orbe factæ D sunt, & plures passim memorandæ res contigerunt. Nam in vltima Februarij hebdomada mirabilis cometes in Hesperiæ partibus apparuit, longissimósque crines in Eoas partes emittens, multorum corda terruit: & per tres septimanas serò rutilans multa de secretis hominum verba elicuit. Mense Martio Buamundus Dux, sicut in carcere Dalimanni Domino vouerat, in Gallias venit; & in pago Lemouicensi votum ad sancti Leonardi Confessoris tumulum celebre compleuit. Qui antequam Gallias attingeret, legatos suos in Angliam direxerat, & de aduentus sui causa in Ausoniam Regi mandauerat, & quòd ad Curiam eius transfretare vellet insinuauerat. At contra prouidus Rex metuens, ne sibi electos milites de ditione sua subtraheret, mandauit ei ne discrimen hibernæ nauigationis subiret: præsertim cùm ipse Rex in Neustriam ante Azimorum celebria transfretaret, ibíque satis secum colloqui valeret. Quod & ita factum est.

BVAMVNDVS itaque, postquam Nobiliacum, vbi Confessoris almi mausoleum

A leum est, peractis orationibus deseruit, Quadragesimali tempore Galliarum vrbes & oppida peragrauit, & vbique tam à Clero quàm à plebe venerabiliter susceptus, referebat varios euentus quibus ipse interfuit. Reliquias verò, & palas olosericas, & alia concupiscibilia sanctis altaribus reuerenter exhibuit, & ipse in Monasteriis ac Episcopatibus fauorabiliter exceptus tripudiauit, ac pro benignitate Occidentalium Deo gratias retulit. Filium Diogenis Augusti, aliósque de Græcis seu Thracibus illustres secum habebat; quorum querela de Alexio Imperatore, qui per proditionem illis antecessorum stemmata suorum abstulerat, magis ad iram contra eum feroces Francos incitabat. Multi nobiles ad eum veniebant, eíque suos infantes offerebant, quos ipse de sacro fonte libenter suscipiebat, quibus etiam cognomen suum imponebat. Marcus quippe in baptismate nominatus est, sed à patre suo audita in conuiuio ioculari fabula de Buamundo gigante, puero iucunde impositum est. Quod nimirum postea per totum mundum personuit, & innumeris in tripertito climate orbis alacriter innotuit. Hoc exinde nomen celebre diuulgatum est in Galliis, quod antea inusitatum erat penè omnibus Occiduis. RODBERTVS II. 1106.

B SÆPEFATVS Heros cum PHILIPPO Rege colloquium habuit, & CONSTANTIAM eius filiam sibi coniugem requisiuit. Tandem post Pascha Carnoti eam desponsauit, quibus ADELA Comitissa conuiuium abundans omnibus præparauit. Ibique Rex Francorum cum magna multitudine suorum affuit, & filiam suam, quam HVGONI Trecassino Comiti nescio quam ob rem abstulerat, Buamundo porrexit. Tunc idem Dux inter illustres spectabilis ad Ecclesiam processit; ibíque ante aram Virginis & matris in orcistram conscendit, & ingenti cateruæ, quæ conuenerat, casus suos & res gestas enarrauit, omnes armatos secum in Imperatorem ascendere commonuit, ac approbatis optionibus vrbes & oppida ditissima promisit. Vnde multi vehementer accensi sunt, & accepta cruce Domini omnia sua reliquerunt, & quasi ad epulas festinantes iter in Hierusalem arripuerunt. Radulfus enim de Ponte-Erchenfredi, qui cognominatus est Rufus, & Guascelinus frater eius, Simō de Aneto, & Rodbertus de Maulia, cum Hugone Sine-habere cōsobrino suo, & multi alij profecti sūt, quorū nomina nequeo singillatim litteris assignare.

C EODEM anno res in Normannia contigit huiusmodi. RODBERTVS DE STOTEVILLA vir fortis & potens, Duci admodum fauebat, & familias eius ac munitiones in Caletensi regione prouidebat. In die si quidem Paschæ, dum Capellanus ipsum & familiam eius communicaret, & quidam miles Eucharistiam percepturus ad aram ritè accederet, Presbyter panem cœlestem accepit, in os hominis apertum mittere voluit, sed nullatenus manum de super ara mouere potuit. In huiusmodi difficultate vehemēter vterque perterritus est. Tandē Sacerdos dixit ei: Si potes accipe. Ego enim nullatenus valeo manum mouere, nec Dominicum corpus porrigere. At ille super aram collum extēdit, obnixè ad calicem appropinquauit, & hianti ore oblatam de manu Presbyteri assumpsit. Pro insolito euentu eques erubuit, futurorum nescius infortunia pertimuit: vnde plura de vestibus, alijsque rebus suis, Clericis & pauperibus distribuit. Deinde in prima congressione, quæ post Pascha facta est, idem Marrone in vicino Rotomagensi occisus est. Hoc idem Capellanus nomine Rodbertus mihi retulit, quod in viuificis, vt dictum est, mysteriis, sibi & infortunato militi contigit.

D TVNC Fulco Diuensium Abbas III. Nonas Aprilis apud Guentam in Anglia defunctus est, & Rodbertus quidam miserabilis homuncio, datis Duci CXL. marcis argenti, eius in loco intrusus est. Hic autem professione Monachus sancti Martyris Dionysij, non Pastor, sed dispersor factus est gregis Dominici, & multis noxius, vtpote sectator Simonis Magi. Cœnobitæ siquidem à facie lupi deuoratoris fugerunt, & in aliis Monasteriis animas suas saluare cupientes, dispersi sunt. Ipse verò supra Diuam in Cœnobio castellum construxit, familiámque militum aggregauit, & sic Dei templum speluncam latronum effecit. Ecclesiastica ornamenta, quæ fideles sollicitè procurauerant, vendidit: & simonialis munio ad subsidium satellitum suorum distraxit.

MENSE Maio phlegmatica pestis per totum Occidentem discurrit, & catarro grauiter molestante omnis oculus plorauit; & per omnem Galliam, vbi tunc eram, omnium maxilla lacrymis maduit. Æstas calore asperrima messes ad maturitatem

RODBERTVS II. 1106.

perduxit, cui similis autumnus pedetentim successit. Causon, & febres, aliæq; infirmitates terrigenas valde afflixerunt, & multos languentes in lectum prostrauerunt. A

EODEM mense Goiffredus Martellus Andegauorum Comes Condatum oppidum super Normannum de Montereuelli obsedit, & viriliter expugnauit. Erat enim idem strenuus & fortis iustitiarius, & cum virga disciplinæ acriter imminebat furum atque prædonum ceruicibus: quibus pater eius parcere iamdudum erat solitus, quia in prædis eorum & latrociniis cum eisdem lætabatur, crebriùs acceptis indè sibi portionibus. Deinde postquam adolescens creuit, & ingentem nequitiam per patris sui detestabilem incuriam in Andegauensi Prouincia ebullire prospexit: zelo Dei compunctus miseræ regioni, quæ omnibus bonis abundaret, si pace poteretur, condoluit. Tandem ipse iussu Goiffredi patrui sui, qui legitimus hæres erat, sed periurus ei Fulco dignitatem Consulatus abstulerat, ipsúmque apud Chinonem castrum ferè XXX. annis in carcere reclusum tenuerat, vnde, venerabili VRBANO Papa præsente, & imperante, vix absolutus exierat, annuente nihilominus patre, Andegauensem Comitatum accepit, summóque conatu rectitudinem simplicibus & egenis exercuit, Ecclesiæque Dei sinceram pacem laudabiliter seruauit. B Auxiliante Deo, totam in breui Prouinciam pacauit, & penè omnes antecessores suos virtute & iustitiâ gloriosè præcessit, sed consummatus in breui tempora multa expleuit. Post triennium Principatus sui Condatum, vt supra dixi, obsedit, & rebelles inclusos militari probitate insigniter coërcuit. Cúmque primores castelli ad eum egressi fuissent, & de pace cum eo facienda, & de crastina oppidi deditione tractarent, subitò balistarius instinctu diaboli de munitione pilum direxit, & strenuissimum iuuenem ad colloquium inter Magnatos discernentem percussit, bonúmque iustitiarium in brachio lethaliter sauciauit. In crastinum verò, patriæ legitimus defensor defunctus est, & cum luctu multorum in Cœnobiali Basilica beati Nicolai Præsulis sepultus est.

QVO defuncto, PHILIPPVS Rex Francorum FVLCONI priuigno suo Andegauorum Comitatum concessit, ipsúmque imberbem GVILLELMO Pictauensium Duci, qui tunc fortè ad Curiam erat, commisit: vt eum in itinere tutaret, saluúmque ad patrem suum perduceret. At ille commendatum sibi vsque ad C terræ suæ limitem deduxit, ibique legalitatis, & futuræ derogationis immemor comprehendit, & plus quàm vnius anni spacio in carcere tenuit. Corpulentus autem Rex Franciæ hoc audito, valde contristatus est, puerúmque de ergastulo precibus & minis eripere conatus est. BERTRADA quippe mater præfati adolescentis vxor Regis erat, quæ ipsum iugiter stimulabat, & plurimos ad subuentionem vincti frustra inquietabat. Porro Rex crebris aculeatus punctionibus tantum nefas terrore minarum punire voluit. Sed turgidus Dux ponderosum Regem paruipendens, adolescentem diutiùs retinuit, donec oppida, quæ in confinio vtriúsque Comitatus erant, à patre pro ereptione filij obtinuit. Deinde non multò pòst senex genitor obiit, iuuenísque Comes EREMBVRGEM filiam Heliæ Cœnomannorum Comitis vxorem duxit, quæ generosam ei vtriúsque sexus sobolem peperit. Eodem anno Henricus Rex, vt suprà dictum est, vere in Neustriam nauigauit, & paternam hereditatem, quam periuri, & raptores, ac nebulones conculcabant, vendicare sategit. Heliam Cœnomannensem cum iuribus suis conduxit, vrbémq; Baiocasinã, quã Gunherius de Alneio cõseruabat, obsedit. Gunherius verò ad Regẽ exiuit, eíq; Rodbertum Haimonis filiũ, qui captũs olim ab eodẽ fuerat, pro D gratia eius liberũ reddidit, sed vrbẽ imperiosè poscẽti reddere cõtẽpsit. Protinus igitur Rex vrbẽ expugnauit, & iniecto igne penitus cõbussit: & præfatũ municipẽ cũ pedisequis ac cõmilitonib. suis cepit. Audita itaq; tãtę ciuitatis destructione reliqui municipes valde cõtremuerũt, & properantẽ cũ tãta obstinatione Regem protetuè præstolari timuerũt. Cadomẽses ergo, cõperta clade Baiocẽsiũ, metuẽtes simile perpeti excidiũ, ad Regẽ, qui iã ad illos cũ magna feritate festinabat, miserũt, & pacẽ cũ illo ad voluntatẽ eius fecerunt. Mox Engerranũ municipẽ Ilberti filiũ cũ suis expulerũt, & munitionẽ Regi reddiderũt. Rex autẽ quatuor primoribus Cadomi Dalintonam in Anglia dedit, quæ LXXX. libras per singulos annos reddidit, & Villa traditorum vsque hodie nominatur, licèt illis nunc subiecta non sit. Deinde Rex Falesiam perrexit, sed eam non expugnauit, quia Comes Helias à Normãnis rogatus re-

A cessit. Illic tamen exercitium militare peractum est, in quo Rogerus de Glouce-stra strenuus miles occisus est. RODBERTVS II. 1106.

GERMANI Principes Rex & Dux in septimana Pentecostes Sanctellis conuenerunt, & biduò de pace facienda locuti sunt. Sed quia seditiosi dissidentes perturbabant, cunctis fœderibus ruptis discesserunt. Totis postmodum visceribus cœperunt guerram passim agere, & proceres probíque tyrones, quibus inhærerent, partes eligere: & incendiis atque rapinis à Pentecoste vsque ad festiuitatem sancti Michaëlis insistere.

TVNC Henricus Imperator Alemannorum VII. Idus Augusti expirauit, sed quia pro multis reatibus suis Ecclesiæ, teste Deo, non satisfecerat, terrâ carruit: nec per multos annos humano ritu sepeliri meruit. KAROLVS-HENRICVS V. filius eius post eum imperauit, qui post tres annos MATHILDAM filiam Henrici I. Regis Anglorum vxorem duxit, sed legitimum sibi de ea successorem non habuit.

B RODBERTVS inuasor Diuensis Abbatiæ, inter reliqua mala quæ gessit, Simonis nequitiæ nefarium Iudæ facinus adiunxit. Cum RODBERTO Duce, & Optimatibus eius placitum fecit Falesiæ, quòd eis Regem cum paucis adduceret repente, & ipsi parati essent eundem suscipere. Disposita itaque proditione, Rodbertus Cadomum perrexit, & inuento Regi familiariter dixit: Municipium, quod supra Diuam habeo, si mecum venire placet, tibi reddo. Cúmque Regi hoc placuisset, Magnum, inquit ille, exercitum ducere modo necesse non est, ne strepitus multitudinis audiatur, & conatus noster impediatur. Intus pauci clientuli sunt, & mihi penitus obediunt. Rex igitur noctu surrexit, & tota nocte cum DCC. militibus equitauit, & apparente aurora loco proximus constitit. Interea Rainaldus de Guarenna, & Rodbertus iuuenis de Stote-villa, cum aliis CXL. militibus Diuense municipium præoccupauerunt, & aurora surgente cum cachinnis, & exprobrationibus, dum Rex appropinquaret, vociferati sunt. Multi quoque alij milites secuti sunt de Falesia, & de aliis in giro municipiis, vt comminus dimicarent

C cum Rege & eius asseclis. Ille autem, vt dolos aduertit, iratus assultum in castrenses suis mox facere præcepit. Ferocem igitur assultum regij milites protinus fecerunt, & iniecto igne castrum & Cœnobium combusserunt. Tunc Rainaldus & Rodbertus probi tyrones, alíique plures, capti sunt. Multi quoque, qui in turrim Ecclesiæ confugerant, concremati sunt. Porro sequaces, qui subuenire illis festinabant, vt ingentem piram prospexerunt, confestim fugientes Falesiam remeauerunt. Victor autem Rex pedetentim eos persecutus est, sed nullus contra eum egredi ausus est. Meritò illis malè contigit, iuxta illud quod Apostolus dicit: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Ecce isti domum Dei speluncam latronum temerè fecerunt, & turpibus immundiciis hominum & equorum irreuerenter polluerunt: meritóque ferro vel edacibus flammis interierunt.

TVNC Rodbertus traditor captus est, & transuersus super equum, sicut saccus, coram Rege adductus est. Cui Rex ait: Perfide, de terra mea fuge. Nisi pro reuerentia sacri Ordinis, cuius habitum exteriùs fers, miserrimè facerem te continuo membratim discerpere. Dimissus itaque apostata protinus ad Francos, vn-

D de erat, cum dedecore aufugit: & Præposituram Argentolij, quia Monachatus quietem cum paupertate in claustro ferre negligebat, obtinuit. Cúmque in eodem anno quendam Ioannem placitis constringeret, & nescio quas consuetudines ab eo violenter exigeret, ira furente, à præfato pagense percussus est: & ita exigentibus culpis, sine pœnitentia miser trucidatus est.

AVTVMNVS tunc in Normannia tonitruis & imbribus atque bellis tempestuosus fuit, & præliorum fomes multiplicibus causis fotus palam prorupit. Rodberto siquidem Duci Rodbertus de Belismo, & Guillelmus Comes Moritolij, alíique plures obnixè adhærebant: quia Regẽ formidãtes, illius iugo subici omninò recusabant, eíque totis nisibus resistebant. Vnde Rex, congregata suorum multitudine, castrum contra Tenerchebraicum construxit; ibíque Thomam de sancto Ioanne, cum multis equitibus & peditibus, ad arcendos castrenses constituit. Porrò Guillelmus Moritolij Comes cuius oppidum obsidebatur, vt hoc audiuit, militum

RODBERTVS II. 1106. nobilem cœtum aggregauit, & ingentem ciborum, aliarúmque rerum, quibus obsessos indigere nouerat, apparatum conduxit: regiísque satellitibus id cum mœrore contemplantibus introduxit. Virides etiam per agros messes secari fecit, & oppidanis suis ad pabulum equorum sumministrauit. Tantæ nimirum strenuitatis præfatus iuuenis erat, & militarem tam magnæ virtutis copiam habebat, vt regni excubitores de munitione nullatenus progredi, seu calumniãdo introitum cum illis auderent congredi. Hoc audito, Rex nimis iratus est, & acriùs in hostes insurgere conatus est. Congregato enim exercitu, Tenerchebraicum venit, & aliquandiu obsidione coërcuit. A

INTEREA Guillelmus Comes Ducem, & Rodbertum de Belismo, & alios amicos suos requisiuit, auxiliúmque contra Regem summoperè procurauit. Dux ergo exercitum adunauit, fratríque suo in terra sua obsidionem dissoluere præcepit, alioquin prælium indixit. At ille obstinato corde in obsidione perdurauit, & bellum plus quàm ciuile futura pro pace suscepit. Quatuor si quidem Comites habuit secum, Heliam Cœnomannorum, Guillelmum Ebroicensium, Rodbertum de Mellento, & Guillelmum de Guarenna; aliósque præcipuos Barones, Rannulfum scilicet Baiocensem, & Radulfum de Conchis, Rodbertum de Monteforti, & Rodbertum de Grentemaisnilio, aliósque plures cum suis clientibus. Econtra Rodbertus Dux secum habebat Rodbertum Belesmensem, & nepotem eius Guillelmum Moritoliensem, Rodbertum de Stoteuilla, & Guillelmum de Ferrariis, aliósque plures cum suis viribus. Milites quidem non tantos, vt frater eius, habuit: sed peditum numerosiorem cateruam produxit. In armis ex vtraque parte fratres & cognati consistebant, & nonnulli eorum mutua sibimet vulnera parabant. Fraudulenti quoque desertores spicula gestabant, sed non firmo corde suo Principi adhærebant, fugæque magis quàm conflictui pro maliuolentia inhiabant. B

PLVRES equidem religiosi viri tantum nefas impedire conati sunt, fraterníq; sanguinis effusionem videre nimis timuerunt. Vitalis autem Heremita, qui tunc inter venerabiles personas erat præcipuus, ceteris feruentior sequester inter germanos dissidentes factus, audacter interdixit, ne certarent cominus: ne viderentur imitari detestabile omnibus seculis Oedipodarum facinus, meritóque subirent Etheoclis & Polinicis nefarios & horribiles euentus. C

DENIQVE Rex multiplices casus sollerter inspexit, verbísque Sophistarum animo perceptis diuersos consultus subtiliter reuoluit. Vnde huiuscemodi legationem fratri suo mandauit. Ego, inquit, frater mi, non pro cupiditate terreni honoris huc accessi, nec tibi iura Ducatus tui adimere decreui: sed lacrymosis questibus pauperum inuitatus, Ecclesiæ Dei opto suffragari, quæ velut nauis sine gubernatore periclitatur inter procellas pelagi. Tu enim terram vt arbor infructuosa occupas, nullúmque iustitiæ fructum Creatori nostro sacrificas. Dux quidem nomine tenus vocaris, sed ab clientibus tuis palam subsannaris, nec tui contemptus iniurias vlcisceris. Crudeles ergò iniquitatis filij sub vmbra tui nequiter opprimunt plebes Christianas. Iamque plures penè hominibus vacuas in Normannia fecerunt parrochias. Hæc videns, zelo Dei, qui nos regit, inardesco, animámque meam pro salute fratrum, & dilectæ gentis, patriæque, ponere efflagito. His itaque perspectis, quæso, meis consiliis vtere: & me ista moliri non pro cupiditate, sed pro bona voluntate palam poteris comprobare. Omnes munitiones, totámque iustitiam, & procurationem totius Normanniæ, & medietatem Ducatus mihi dimitte, aliámque medietatem sine labore & cura tibi posside: & æquipolentiam alterius medietatis de meo singulis annis in Angliæ ærario recipe. Dapibus, & ludis, & cunctis postea securus oblectamentis frui poteris. Ego autem imminentes pro pace labores tolerabo, tibíque promissa quiescenti sine defectione procurabo: rabiémque malignantium, ne populum Dei suggillem, auxilio eius iustè coartabo. D

HÆC audiens Dux, Consiliarios suos accersiit, eísque mandata Regis retulit. Protinus illi mandata Regis abhorruerunt, & contumacibus dictis Ducem, ne sermonibus pacis obsequeretur, auerterunt. Renunciantibus legatis, quòd Dux suíque fautores non pacem, sed bellum omnimodis optarent: Rex Deo sese com-

A mendans ait: Nouit omnipotens Deus, in quem credo, quòd pro desolatæ plebis subuentione hoc certamen ineo. Ipsum factorem nostrum intimo corde deposco, vt illi det victoriam in conflictu hodierno, per quem suo tutelam & quietem decreuit dare populo.

His dictis, magistratus familiæ suæ conuocauit, ad prælium omnes instruxit, breuitérque commonuit, prout opportunitas loci & temporis exegit. Rainaldum verò de Guarenna, & omnes alios, qui in Diuensi Basilica capti fuerant, absoluit: & Ecclesiam, quæ combusta fuerat, sese restauraturum Deo deuouit. Deinde ferratæ acies ordinatæ sunt, & disciplinabiliter stipatæ processerunt. Primam aciem rexit Rannulfus Baiocensis, secundam Rodbertus Comes Mellentensis, tertiam verò Guillelmus de Guarenna. Hic nimirum pro absolutione fratris sui valde lætatus est, cunctósque sodales, vt inuincibiliter dimicarent, audacter exhortatus est. Rex autem Anglos & Normannos secum pedites detinuit, Cœnomannos autem & Britones longè in campo cum Helia Consule constituit. Ex aduersa verò parte B Guillelmus Comes Moritoliensis aciem duxit primam, & Rodbertus Belesmensis extremam. Cúmque simul exercitus conuenissent, & turmæ Guillelmi Comitis cœtus Rannulfi ferire satagerent, tanta densitate constipati erant, & in armis indissolubiliter stabāt; vt nihil eis obesse possent, sed alterni conatus impenetrabiles obstare studerēt. Vlulantib. vtrinq; & vociferātibus, Helias cum suis subitò irruit, & è latere inermes Ducis pedites percussit, & CCXXV. mox interfecit. Quod videns Rodbertus Belesmensis fugam iniit, & dissolutum Ducis agmen victoribus cessit.

Tunc Galdricus Ducem comprehendit, & regali custodiæ mancipauit. Is nimirum Capellanus Regis, qui militibus sociatus in certamine constitit, non multò pòst Landauensis Pontifex factus, parrochianos nimis aggrauauit. Vnde à ciuibus suis in quodam viridario feria VI. Parasceue cum septem maioribus Ecclesiæ ministris percussus occubuit. Britones autem Guillelmum Comitem ceperunt, quibus Rex & amici eius vix abstulerunt. Rodbertus de Stoteuilla, & Guillelmus de Ferrariis, aliíque plures capti sunt: quorum quidam gratiâ Regis absoluti, pro impetrata libertate tripudiauerunt, alij verò promerentibus culpis vsque ad mortem C vinculis irretiti sunt. Rex itaque victoriâ gaudens cœtus suos conuocauit, res suas prudenter disposuit, & captos hostes sollerter custodiri præcepit. Cui Dux ait: « Proditores Normanni fraudulentiis suis me seduxerunt, & à consiliis tuis, frater mi, quæ verè mihi salubria fuissent si sectatus ea fuissem, me subtraxerunt. Falesienses coniuraui, dum ab eis recessissem, ne vlli redderent Falesiæ munitionem, nisi mihi, siue Guillelmo de Ferrariis, quem in omnibus comprobaui fidelem. Nunc igitur, frater mi, festina, & Guillelmum ad recipiendam firmitatem destina, ne Rodbertus de Belismo te surreptione præueniat aliquâ, & firmissimam munitionem præoccupans per nonnulla tibi resistat tempora. Rex autem amicabiliter & cautè fratrem secum adduxit, & præfatum militem ad nanciscendum oppidum celeriter transmisit. Quem ipse protinus secutus, Falesiam properauit, iussúque Ducis munitionem & fidelitatem burgensium recepit. Tunc Regi Guillelmus puer, qui nutriebatur ibidem, allatus est, Quem præ timore trementem Rex contemplatus est, variísque in tenera ætate infortuniis impetitum dulcibus promissis consolatus est. Deinde, ne aliqua sibi occasio derogationis oriretur, si puer in manu eius quolibet infesto casu læderetur, peculiari sub tutela eum retinere noluit: sed D Heliæ de sancto Sidonio ad educandum commendauit. Eidem quippe militi iampridem Dux filiam de pellice sibi natam dederat, & Arcensem Comitatum concedens, inter præcipuos Normanniæ Barones illum promouerat.

Auditis rumoribus de victoria Regis, religiosi quique lætati sunt. Exleges autem, & malignitatis amatores contristati luxerunt: quia iugum indomitæ ceruici suæ diuinitus impositum pro certo nouerunt. Nam seditiosi prædones, ex quo sceptrigerum, quem fortem iustitiariū olim comprobauerunt, adminiculante Deo, superiorem hostibus in bello cōperierunt, agnita viri virtute per diuersa statim loca diffugerunt, & solo timore illius à solitis infestationibus cessauerunt. Nefariis ergo collegiis hac & illac dispersis, scemata mutauerunt, quia reperiri, seu cognosci, ab his, quos protriuerant, admodum timuerunt. Rex siquidem cum Duce Rotomagum adiit, & à ciuibus fauorabiliter exceptus, paternas leges renouauit, pristi-

HENRICVS I. 1106. nasque vrbis dignitates restituit. Hugo autem de Nonanto, Duce iubente, Regi arcem Rotomagi reddidit, propriúmque honorem, quem Belesmensis herus ei abstulerat, regia vi recuperauit: & omni vita sua postmodum in pace possedit. Alij quoque municipes per totam Normanniam à Duce absoluti sunt: eóque annuente omnia reddentes municipia, triumphatori reconsiliati sunt. A

In medio Octobri Rex Luxouium venit, cunctos Optimates Neustriæ conuocauit, & vtillimum Ecclesiæ Dei Concilium tenuit. Ibi statuit regali sanctione, vt firma pax per omnes teneatur fines Normanniæ: vt latrociniis omninò compressis cum rapacitate, omnes Ecclesiæ possessiones, sicut eas die, qua pater eius defunctus est, tenebant, aliíque nihilominus legitimi hæredes possideant. Omnia quoque dominia patris sui suæ proprietati mancipauit, iudicióque sapientum irrita esse censuit quæ frater suus ingratis per imprudentiam permiserat. Hostes autem, quos in bello ceperat, in Angliam destinauit: & perenni ergastulo Guillelmum Moritoliensem, ac Rodbertum de Stoteuilla, aliósque nonnullos condemnauit. Inflexibilis erga eos perdurauit, & quamuis multorum precibus ac promissis, muneribúsque pulsatus fuisset, numquam emolliri potuit. B

Rodbertvs autem Belesmensis, frustrata spe, aliter quàm putauerat, nimis ingemuit: & contra Regem Henricum adhuc bellare nitens, Heliam Cœnomannicum Comitem expetiit. » Domine, inquit, Comes, succurre mihi quæso, quia » tuus homo sum, & ingentem in te fiduciam habeo. Ecce nunc ope tua indigeo, » quia in mundo nimia rerũ præualet confusio. Ecce iunior frater in maiorẽ surrexit, » seruus in bello dominum suum superauit, & vinclis iniecit. Auitam quoque illi he» reditatem abstulit, sicque periurus domini sui iura sibimet subiecit. Porrò, natu» rali domino meo fidem seruaui, & sicut patri fideliter parui, sic omni vita mea eius » obsequar soboli. Quandiu vixero, numquam sustinebo vt in pace dominetur Nor» manniæ, qui dominum meum, immò suum nexuit in carcere. Adhuc XXXIV. fir» missimas munitiones habeo, vnde molestissimas infestationes inuasori profectò in» ferre potero. Auxilium duntaxat tuum imploro, vt per te possim victo suffragari » domino, ipsúmque vel heredem illius Ducatui resistere Normannico.

» His ita dictis, Helias respondit: Prudens quisque ab initio debet prouidere, C » ne incipiat quod non possit, vel non debeat explere. Rursus debet satagere, ne » velit indignum quenquam plus quàm decet erigere, vel aliis in fascibus præferre, » qui seipsum nesciebat regere. Nam sicut prouerbium asserit vulgare, qui stultum » contendit in sublimi sustentare, contra dominum præsumit litigare. Henrico Re» gi confœderatus sum, nec vllam in eo diuortij causam reperire possum. Tantum » Principem insipienter offendere nolo, nec te, nec alium quemlibet in tali negocio » auscultare debeo. Nam sensu & pôtentia, diuitiísque præditus est; nec aliquis, vt » reor, in Occidente specialibus ei prærogatiuis æquiparari potest. Si contra fratrem » suum, vt asseris, maiorem & dominum pugnauit: ad hoc ipsum maxima necessi» tas compulit, & supplicatio Religiosorum, qui miserabiliter à biothanatis concul» cabantur, inuitauit. Porrò, sicut vulgus in cotidiana locutione perhibet, ma» lum debet fieri, vt peius cesset. Hoc nimirum vulgari more dico, diuina tamen » auctoritate non asseuero. Ad hoc semel à duobus pugnatum est fratribus, vt amo» do cessent annui conflictus, qui quotidie tellurem inebriabant filiorum sangui- D » nibus. Nam ex quo Dux de Hierusalem rediit, & Ducatum Normanniæ recepit, » torpori & ignauiæ nimis subiacuit. Cuius segnicie prouocati præuaricatores legis » ad cuncta nefaria, clam & palam intolerabiliter hactenus furuerunt in Norman» nica, eorúmque incendiis & rapinis per sex annos sancta mater vexata est Eccle» sia. Hinc turbæ pauperum pulsæ sunt in exilium regna per extera, & rebus ac præ» diis, quæ pij Barones antea dederant, spoliata sunt Monachorum Cœnobia. » Nulli parcebat iniquorum violentia. Timor & luctus implebant omnia. Cotidie » multipliciter crescente malorum nequitiâ, penè omnis deperibat diuini cultus re» uerentia. Longas exinde Ambages protelare superfluum est. Ecce videmus Basi» licas in pluribus Normanniæ locis concrematas, dioceses parrochianis euacuatas, & » vrbes villásque maliciis & ærumnis vbique repletas. Nobilem itaque Prouinciã tu, » cõplicésque tui coinquinastis, & iram Dei contra vosmetipsos irritastis. Iusto iudi» cio Dei actum est, quòd amatori pacis & iustitiæ victoria cœlitus collata est, atque

A contraria pars penitus obruta est. Contra illum nullatenus assurgere nitar, ne Deũ, HENRICVS I.
qui protector eius est, offendens, in me prouocare videar. Verùm, si malignitatis conatus, & maliuolos astus deposueris, & de amicitia potentis sceptrigeri expetenda 1106.
tractaueris, in hoc me tui promptum adiutorem erga illum habere poteris.

CVMQVE Rodbertus Heliam inflexibilem ad incongruas factiones inuenisset, & consilium eius vtilitatis legitimíque census plenum comprobasset, sagaci Consiliario versipellis quasi ex toto immutatus gratias egit, concordiámque per eundem à Rege requisiuit. Et quia inter Regem & Comitem maxima familiaritas erat, obtinuit Argentonium, & quæque de dominio principali præoccupauerat, reddidit: Falesiæ verò Vicecomitatum, & reliqua, quę patris eius fuerant, impetrauit.

HENRICVS siquidem Rex omnes inimicos suos opitulante Deo humiliauit, ac adulterina castella, quæ Rodbertus, vel seditiosi condiderant, prostrauit. Fratrem B verò suum, ne inquieti sub auxilij eius velamine simplices & quietos inquietarent, in Angliam misit, & XXVII. annis in carcere seruauit, & omnibus deliciis abundanter pauit. Ipse interea Ducatum Normanniæ cum regno Angliæ fortiter gubernauit, & vsque ad vitæ suæ finem semper paci studuit; atque iugi felicitate potitus, vt voluit, numquam à pristino robore, iustitiæque seueritate decidit. Egregios Comites, & oppidanos, & audaces tyrannos, ne rebellarent, callidè oppressit: placidos verò, & religiosos, humilémque populum omni tempore clementer fouit, atque protexit. Confirmatus in fastigio citra mare & vltra, VIII. anno ex quo regnare cœpit, pacem subiectis plebibus semper quæsiuit, & austeris legibus legum transgressores rigidè multauit. Diuitiis, deliciisque affluens, libidini nimis deditus fuit: & à pueritia vsque ad senectutem huic vicio culpabiliter subiacuit, & filios ac filias ex pellicibus plures genuit. Vehementi pollens industriâ, seculares quæstus multipliciter auxit, & ingentes thesauros concupiscibilium sibi rerum coaceruauit. Omnem ferarum venationem totius Angliæ sibi peculiarem vendicauit. Pedes etiam C canum, qui in vicinio siluarum morabantur, ex parte præcidi fecit: & vix paucis nobilioribus ac familiaribus priuilegium in propriis saltibus venandi permisit. Curiosus perscrutator omnia inuestigabat, & audita tenaci memoriæ commendabat. Omnia ministrorum & dignitatum negocia scire volebat, & euentus varios Albionis, seu Neustriæ sollers arbiter discutiebat. Abdita quæque, & quę latenter agebantur, pernoscebat. Attonitis eorum auctoribus, quomodo Rex indaginem arcanorum nouerat. Diligenter reuolutis antiquorum Historiis, audacter assero, quòd nullus Regum in regno Anglico, quantum pertinet ad secularem fastum, fuit ditior, seu potentior Henrico.

ANNO ab incarnatione Domini MCVII. HENRICVS Rex Proceres suos 1107.
conuocauit, & Rodbertum de Monteforti placitis de violata fide propulsauit. Vnde idem, quia reum se sensit, licentiam eundi Hierusalem accepit, totámque terram suam Regi reliquit. Deinde cum quibusdam commilitonibus suis profectus est. Porrò, Buamundum in Apulia inuenit, ibíque compatriotas suos gaudens recognouit. HVGO enim DE PVSACIO, & Simon de Aneto, Rodulfus quoque de Pōte-Erchenfredi, & Guascelinus frater eius, aliíque plures de Cisalpinis erant cum D Buamundo. Plerique de aliis nationibus transitum maris expectabant, qui omnes cum præfato Duce contra Imperatorem dimicare optabant, & illius liberalitate tam sibi quàm equis suis pabulum in illa præstolatione sumebant. Ille nimirum tot phalanges per biennium pauit, ærariúmque suum penè totum exhausit, & naues omnibus sine naulo hilariter exhibuit. Rodbertum autem de Monteforti honorificè suscepit, & nesciens qua de causa natale solum dimiserit, quia strator Normannici exercitus hereditario iure fuerat, inter præcipuos sublimauit. Per portus maris naues & peregrinos iamdudum detinuerat, & victum omnibus abundantem de redditibus suis constituerat, acerrimámque viris classem in Augustum summopere instruxerat. Tandem exercitus Christi prospero flatu in Thessaliam nauigauit, & Duracium longo tempore obsedit. Magnanimus Dux multimodis conabatur oppidum expugnare, sed impediebant qui maximè debuissent illum adiuuare. Guido enim frater eius, & Rodbertus de Monteforti, in quibus confidebat præ ceteris, fraudulenter conuersi erant ad partes Imperatoris: & excæcati ab eo, missis ingentis pecuniæ xeniis, sed callidè, frustrabantur molimina sui Principis. Nam dum ille machi-

HENRICVS I. 1107. nas præparasset, diéque statuto assultum facere decreuisset: illi nimirum aliquas occasiones subdolè prætendentes, inducias petebant, vel hostibus, qua tergiuersatione periculum instans præcauerent, clanculò intimabant. Sic Buamundus proditione suorum cum cateruis suis diu delusus est, & deficiente alimento in externa regione Christi exercitus exinanitus est. Denique grauem inediam non ferētes, paulatim se subtraxerūt, & per Macedoniam sparsi, pacem Imperatoris amplexati sunt: à quo recepti, liberam facultatem remanendi sub illo, vel eundi quo vellent acceperunt. Quinetiam plerique multa ab eodem donaria sumpserunt, eiúsque largitate potiti, & post ingentem penuriam recreati, gratias egerunt. A

VIDENS Buamundus, quòd nimios ausus perpetrare non posset, doluit, cotidiéque à sociis stimulatus, vt gratiam Augusti procuraret, diutius restitit. Dicebant enim: Nostrę temeritatis pœnas luimus, qui vltra natales nostros & vires, superbos nisus suscepimus, & contra sanctum Imperium manus leuare præsumpsimus. Ad tātos ausus nec hereditarium ius nos illexit, nec Prophetarum aliquis à Deo destinatus, cœlesti nos oraculo exemit, sed cupiditas in alterius ditione dominandi ardua te incipere persuasit: & nos nihilominus appetitus lucrandi ad intolerabilem sarcinam laborum & discriminum sustinendam pertraxit. Verùm, quia Deus non irridetur, nec supplantat iudicium, nec subuertit quod iustum est; preces iustorum, qui contra nos ad eum in Græcia clamant, benigniter exaudiuit, & agmina nostra non bello, sed fame attenuata dispersit, virésque nostras sine sanguinis effusione aboliuit. Fac igitur, quæsumus, pacem cum Imperatore, antequam comprehendaris, seu morte condemneris. Omnes tui, te cadente, protinus deputentur inextricabilibus ærumnis. B

HIS auditis, probus Dux manifestam suorum defectionem intellexit, & postremò ne insanabile dedecus cum damno incurreret, inuitus cessit, pacem cum Augusto pepigit, indéque mœstus in Apuliam remeauit. Erga Gallos, quibus maxima regna pollicitus fuerat, erubuit, eísque licentiam peragendi peregrinationem suam cum rubore permisit. Tunc Hugo de Pusacio, & Radulfus de Ponte-Erchemfredi, cum Guascelino fratre suo, aliique plures Constantinopolim abierunt, & ab Alexio Imperatore multis muneribus honorati sunt, & inde Hierusalem profecti sunt. In vrbe regia vxor Radulfi, filia Goisleni de Leugis mortua est, & ibidem honorificè tumulata est. Quidam peractis orationibus natale solum repetierunt, vitæque suæ finem diuersis casibus sortiti sunt. Guido non multò pòst ægrotauit, & proditionem quam fecerat palam cognouit; sed absolutionem à fratre numquam impetrare potuit. Tunc etiam Rodbertus eiusdem proditionis particeps mortuus est, nec vllius ore pro meritis laudatus est. C

ANNO ab incarnatione Domini MCXI. indictione IV. Marcus Buamundus post multos agones & triumphos in nomine IESV Antiochiæ obiit: cui laudabilis miles ad confutandos Ethnicos TANCREDVS per aliquot annos successit. Quo defuncto, Rogerius Ricardi filius præfatorum Principum consobrinus Antiochiæ Principatum suscepit: sed infortunio præpeditus, paruo tempore tenuit. Inuictorum siquidem Principum mors per totum mundum audita est. Vnde luctus Christianis, & lætitia paganis ingens exorta est. Igitur Amirgazis nepos Soldani Persiæ Principis bellum in Christianos suscepit, & Sardanas castrum Christianorum, quod ab Antiochia X. leugis distat, cum ingenti multitudine obsedit. Rogerius autem Ricardi filius, Princeps Antiochiæ, Bernardo Patriarcha prohibente, ad bellum processit: nec expectare BALDVINVM Regem Hierusalem, quem asciuerant, voluit. Miles quidem erat audax & promptus, sed impar prioribus, quia nequam, & obstinatus, ac temerarius. D

PONTIFEX paterno more pro populo sollicitus, Duci nimis properanti dixit: Probitatem tuam, strenue Dux, prudenter moderare, ac Balduinum Regem, & Ioscelinum, aliósque fideles Patricios iam ad nostri subsidium summoperè manicantes præstolare. Temeraria festinatio plerisque nimis nocuit, summisque Principibus vitam & victoriam abstulit. Historias antiquas & modernas rimare, & mirificorum euentus rerum subtiliter intuere. Saülem & Iosiam, Iudámque Machabeum recole, Romanos quoque apud Cannas deuictos ab Hannibale: & ne parili ruinâ cum tibi subiectis præcipiteris, diligenti curâ præcaue. Venerabiles socios, qui fide multi-

A modáque virtute præcellunt,expecta: & cum ipsis in virtute omnipotentis Dei cõtra paganos dimica,& iuuante Deo fruêris optata victoriâ. Hæc & multa his similia prouidus Præsul locutus est. Sed Princeps superbus omnia spernens, profectus est,& in planicie Sarmatam cum VII. milibus castra metatus est. Tunc Armigazis, & ingentes cunei Ethnicorum obsidionem repentè deseruerunt,subitóque de proximis montanis in campestria descenderunt, & superficiem terræ sua multitudine veluti locustæ cooperuerunt. Deinde ad tentoria Christianorum conualentes,atrociter in imparatos irruerunt,& Rogerium Principem cum VII. milibus in campo Sarmatam interemerunt. Rodbertus autem de Veteri-ponte,aliique milites,vel armigeri,qui mane pabulatum perrexerant,siue aucupatum,vel alias ob causas de tentoriis exierant, repentinam impugnationem videntes,per VII. leugas ad vrbem confugerunt,dirisque rumoribus excitos ciues ad defensionem patriæ concitauerunt. Ferè CLX. extra tentoria euaserunt,qui saluante Deo ad protectionem fidelium reseruati sunt.

B His ita compertis,Bernardus Patriarcha, cum omnibus Clericis & laicis,quos inuenire potuit, ad tutandum vrbem viriliter insurrexit. Sicilia quoque Philippi Francorum Regis filia,quæ Tancredi vxor fuit, Geruasium Britonem Haimonis Dolensis Vicecomitis filium militem fecit, aliósque plures armigeros militaribus armis contra paganos instruxit. Gentiles autem tanta strage Christianorum elati,conglobatim ad vrbem conuolarunt, Antiochiam ex insperato defensoribus occisis ingredi machinati sunt: sed præueniente Deo,per manus paucorum fidelium à repagulis Antiochenis penitus repulsi sunt.

Post XV. dies,Rex Hierusalem & Pontius Tripolitanus Comes, cum copiis suis ad castrum Harenc conuenerunt, initáque in nomine benigni Iesv pugna, vincentes cornua paganorum confregerunt. Ibi Geruasius tyro Amir nepotem Soldani Gazis interfecit,& Christiana virtus ethnicas vires confudit. Christiani itaque spoliis gentium ditati sunt,Deóque gratias alacriter egerunt.

Tvnc Balduinus Rex pro defectu Tancredinæ stirpis Antiochiam possedit, & per aliquot annos contra Ethnicos tenuit. Denique Buamundus iuuenis de Apulia C in Syriam venit,& cum ingenti tripudio ab omnibus susceptus,filiam Regis desponsauit,totámque patris possessionem recuperauit. Qui ferè IV. annis vestigia patris secutus,insigniter floruit,sed veluti pulcherrimus flos citò emarcuit.

Interea Baladsathanas,id est Vicecomes * Baldac,qui filiam Roduani Regis Aleph vxorem habuit,& cum ea regnum obtinuit,multò tempore contra Christianos acriter certauit. Hic nimirum antiquus bellator, dum Monbec vrbem obsideret,& nihilominus damnis Christianorum inhiaret: comperit quòd Balduinus Rex, & Ioscelinus,aliique quamplures adire Rages vellent, ibique solemnia Paschæ celebrare decreuissent. In vltima igitur hebdomada Quadragesimæ,clam de obsidione cum XL. milibus discessit,& Ioscelinum de Toruessel,ac Gualerannum de Pusacio,qui præcesserant,feriâ quinta Cœnæ Domini comprehendit. Deinde in condensa oliuarum silua veluti lupus cum suis delituit, ac ad pontem Toreis super Euphratem Balduinum Regem sabbato Paschæ in insidiis expectauit, ignorãtem quid sodalibus quos præmiserat contigerit. Capellanos siquidem,& inerme vulgus versipellis explorator vidit,sed pinguiorem prædam auidè captans, impunè prætergredi D permisit. Denique Regem cum XXXV. militibus securè suos sequentem comprehendit,ac demum omnes turmas suas ceu rabidas tygrides post inermes destinauit, & omnes protinus occidi præcepit. Quod ita factum est. Omnes enim Capellani Regis,& inermes qui præcesserant,sabbato Paschæ vt bidentes necati sunt.

* infrà, Balad,

Porro Balad tanta prosperitate elatus exultauit , Regem milités que vinctos in Charram duxit,& inde Carpetram, vbi diutiùs eos custodiuit. Est ibi turris maxima, opulenta,& munitissima; & de præcipuis, quæ in orbe tyrannos extollunt, vna.

Ibi Balduinus Rex, & Ioscelinus, atque Gualerannus, Pontius quoque de Guauareo Vicecomes,& Geruasius tyro,atque Guiumar Brito filius Alanni Comitis,& XXXII. milites simul vno anno vincti sunt,cum XL. Christianis de Armeniis & Surianis,quos iamdudum captiuatos illic inuenerunt. Balad autem turrim & vinctos CCC. militibus ad seruandum commendauit,Regémque pro reddendis

munitionibus,quas præcipuè cupiebat,ieiuniis coërceri iussit: reliquos verò diuersis officiis,& quotidianis operibus sub custodia mancipauit. Deinde ingentem exercitum aggregauit,& contra Christianitatem,quam sine Rectore putabat,festinauit: Sardanásque castrum,quod prope Antiochiam est,diutina obsidione coartauit. Sed fortissimo Rege Sabaoth suos castrenses corroborante, obtinere nequiuit. A

INTEREA captiui satellitibus Ethnicis seruiebant,vnum pedem cippo constricti imperantibus obsecundabant. Aquam de Euphrate per vnum miliarium cotidie deferebant,& alia opera,quæ illis iniungebantur,hilariter faciebant. Gentiles ergo eos veluti bona iumenta diligebant,& affabiliter tractabant, ac vt bonos officiales & operarios ne deficerent vbertim pascebant. Solus autem Rex Balduinus & Ioscelinus ociabantur,sed sollicitè seruabantur. Rex quoque, iussu Balad, Dominico & feria quinta tantummodo in hebdomada manducabat; & tunc trecentos quinquaginta milites custodientes se pascebat. Cunctis etiam consodalibus suis, & captiuis XL. quos incarceratos inuenerat,abundè victum tam pro regali munificentia,quàm pro fauore custodum comparando erogabat. Dapsilitas huiusmodi multum illis contulit. Ethnici enim milites eos honorificè seruabant, & contra præceptum Balad occultè Regem copiosis dapibus frequenter satiabant. Admiralius de Caloiambar patruus vxoris eius eum iuuabat, qui singulis septimanis centum bisanteos ei mittebat. B

GENTILIVM versutia multoties Christianis fauorabiliter applaudebat, sed canina fides eorum in æternum pereat. Nam bis in suorum solenniis sacrorum de Christianis militibus sorte rapuerunt,ad stipitem ligatum sagittauerunt, & cum ingenti ludibrio peremerunt. Hoc itaque viso,vincti vehementer contristati sunt, & magis nobiliter mori,quàm miserabiliter viuere peroptarunt. Vnde post vnum annum Christiani viriliter animati sunt, & quodam Dominico die custodes suos regiis dapibus copiosè refectos inebriauerunt. Stertentibus autem paganis,Franci arma eorum sumpserunt,& XL. Christianis de Armeniis & Surianis, qui iamdudum captiuati fuerant,sibi adiunctis,omnes Turcos occiderunt: & ianitoribus necatis, totam munitionem adepti sunt. In crastinum in vrbem viriliter irruerunt, & multa milia paganorum cæciderunt,& sublata secum prædâ,ferè mensibus VIII. munitissimam arcem tenuerunt. Tunc Ioscelinum & Goiffredum gracilem foras miserunt,& per eos auxilium ab omni Christianitate poposcerunt. C

CIRCA hæc tempora Hierosolymorum Regina,quæ de Armeniis orta erat,centum fidissimos Armenios Turcorum arma & habitum gestantes, ad viri sui subuentionem direxit. Qui Carpetram venientes turrim intrauerunt,& Turcanæ locutionis versutiæque periti,Francis insigniter auxiliati sunt.

IOSCELINVS & Goiffredus,dum ignotum iter carperent,& in barbara regione omnes pariter vt hostes metuerent,cuidam rustico, qui de Mesopotamia cum vxore asello insidente in Syriam ibat,associati sunt illis. Vnà euntibus & confabulantibus, à rustico statim agnitus est Ioscelinus fortissimus heros,ad vocem barbari contremuit,Ioscelinum se esse denegauit. At ille, Noli,inquit, negare quod es, strenue miles optime,te vt dominum cognosco,Iosceline. In domo tua tibi multoties seruiui,& lætatus sum dum licuit mihi vilioribus clientulis tuis famulari. Aquam detuli,ignem accendi,& inter tuos vernulas de largitate tua victum & vestitum promerui. Post aliquot annos parentes meos repetij Turcos, quos iterum relinquo vt prophanos: & reposco Christianos,inter quos sat beatiùs degui,quàm inter cognatos & compatriotas meos. Infortunia tua, probe vir, audiui, & pro deiectione tua tuorúmque satis olim dolui. Nunc autem vinculis absoluto, propriósque penates repetenti, fidam tibi comitatem seruabo, & itineris vestri dux vsque Antiochiam ero. Hæc & multa his similia paganus locutus est,& Ioscelinus cum socio suo valde lætatus est. Protinus pannos commutauerunt. Barbarus præcedebat vt dominus, & confabulabatur cum obuiantibus. Christiani verò Proceres vt vilia mancipia subsequebantur,& Regem Sabaoth pro communi salute taciti deprecabantur. Sarraceni quoque sexennem filiam alternatis vicibus in vlnis suis gaudentes baiulabant, & per oppida vel vrbes incogniti pertransibant. D

NVNC quid illis,qui Carpetræ agonizabant,contigerit,audite. In arce tres vxores Balad latebant,quas Christiani per XV. dies ibidem esse non agnouerant. FA-

Atvmia Regis Medorum Halis filia pulchritudine præcellebat, ac potentia. Alia verò Roduani de Aleph filia, & tertia erat Admiralij de Calojambar filia. Porrò filia Roduani literas scripsit, & columbam ferentem epistolam collo alligatam marito cum centum milibus Sardanas obsidenti de turre direxit: vbi omnia de captione arcis, & occisione custodum, & depopulatione regionis, liquidò enarrauit. Mox Balad territus obsidionem dissoluit, & Carpetram repetere festinauit, quam collectis vndique viribus octo mensibus obsedit.

Tvnc Ioscelinus cum sociis suis per medias acies Balad incognitus pertransiit, atque ad proprios lares perueniens, ducem suum optimè remunerauit. Omnes enim sacro fonte regenerari fecit, & maritum cum coniuge magnis possessionibus ditauit. Puellulam quoque, quam ignotus baiulans Ethnicas tribus deluserat, Christiano militi in coniugem cum magno honore donauit.

Balad Carpetram cum ingenti multitudine diu circumuallauit, & Balduinus
B cum suis insigniter repugnauit. In arce quamplures erant aulæ spaciosæ ac speciosæ, & præcipuis cameræ muris interclusæ, vbi erant ingentes thesauri, copia scilicet auri & argenti, lapides preciosi, purpura & sericum, & omnium copia diuitiarum. Riuus etiam abundans de Euphrate illic oriebatur, qui sub terraneo canali mirabili arte conducebatur: & omnibus inclusis ad vsus necessarios vbertim famulabatur. Subsidium verò panis & vini, carniúmque recentium, seu rancidarum, mille militibus vsque ad decem annos sufficiebat. Vnde animositas Francorum reditum Ioscelini cum auxilio Christianorum præstolari fiducialiter poterat.

Anxivs igitur Balad Balduinum Regem per excellentes legatos sæpè rogauit, multa spopondit, nonnumquam verò cum exprobratione seuera redarguit. Turpe, inquit, facinus, ô Rex perpetras, vnde nunc & in futuris generationibus tua despicabilior erit probitas. Proh pudor! nobiles matronas crudeliter affligis, & indecenter opprimis, quod nec regię magnificentiæ, nec Christianæ Religioni congruit. Vxores meas inermes, nec te vmquam in aliquo lædentes, quare veluti captiuas in carcere vinctas retines? Reginas de regio sanguine ortas cur quasi fures seu proditores vinculis coartas? Maximum dedecus est genti tuæ quod perpetras, & Religioni tuæ per cuncta secula execrabile nefas. Obsecro ferreum pectus tuum emollire, meęque compatere senectuti, femineæque parce fragilitati. Coniuges meas mihi redde,
C quæso, & securitatem sub iureiurando tibi tuísque dabo, vt nullas vsque ad vnum annum molestias inferam vobis, donec Goscelinus redeat legatus vester quem emisistis, & auxilium adducat quo indigetis. Interea, si dulce mihi quod opto coniugium restitueritis, hinc digressurus exercebo meæ negotia regionis, & vos pacem meam ad statutum vsque terminum habebitis. Liberum per totam prouinciam meam mercatum habetote, & de ingēti thesauro meo, quem fortè nacti estis, quicquid vultis liberè passim emitote. Hæc Gazis & Bursethinus, aliíque illustres, mandata detulerunt, & facundis persuasionibus Regem Regi adquiescere cohortati sunt.

Baldvinvs Rex omnes, qui in arce tenebantur, conuocauit, & mandata Balad enucleauit, consiliúmque commune inuestigauit. Cúmque diuersi diuersa sentirent, & in re dubia diffinitam sententiam proferre dubitarent, Fatumia Regina, Hæsitantes, inquit, vos video strenuissimi viri, quid respondeatis allegationibus domini mei. Nunc quæso, ne dedignemini audire me. Omnia mandata domini mei
D floccipendite, quia nihil veri habent. Falsa sunt omnia quæ promittit, & ita vos seducere satagit. Quamdiu arcem istam, quę inexpugnabilis est, tenueritis, & me, comparésque meas vobiscum seruaueritis, proculdubio vos ipse timebit, nec assultum vobis inferre aliquatenus audebit. Callidè secum considerat, & in synagogis suis cum familiaribus asseclis sæpè retractat, quòd si per occasionem molestiæ vobis illatæ nos occideritis, numquam vlteriùs vacabit à bellis. Omnis nimirum parentela nostra, quæ maximam partem Orientis possidet, contra eum vsque ad mortem insurget. Auxilium ergo de cœlis, & à fidelibus amicis fiducialiter expectate, & lethiferas tergiuersationes versipellis inimici prudenter pręcauete. Superiores estis, & insurgentes iaculis & lapidibus repellere potestis. Quid deest vobis, si magnanimitatem habetis? Abundant vobis arma cum victu copioso. Habetis panem & aquam, & vinum & carnem in inexpugnabili munimento. Decennem Troiæ obsi-

" dionem recolite, & miros heroum euentus, quos histriones vestri quotidie concre- A
" pant, recensete: & inde vires resumite, animósque corroborate. More Gallorum
" fortiter certate, & vsque ad victoriam perseuerate, ne turpis cantilena de vobis can-
" tetur in orbe. Hactenus per totum orbem Occidentalium personuit probitatis laus
" gloriosa, famáque Francorum penetrauit Persica regna. Vobiscum claudi non pi-
" get nobis, quod Rex Balad ad improperium reputat nobis. Libentiùs hanc patimur
" clausuram, quàm dæmonicam cum idolatris obseruare culturam. Benignos enim
" mores vestros amplectimur, fideique vestræ & religioni congratulamur: optantes,
" si Diuinitate fauente hinc sospites vobiscum euadere poterimus, profectò sacra-
" mentis Christianorum imbui cælestibus.

Aliæ nimirum Reginæ dicta Fatumiæ alacriter contestatæ sunt, & Christianis alienigenarum huiuscemodi hortamenta mulierum valdè placuerunt; quibus animati turrim multis diebus tenentes restiterunt. Tandem Balduinus Rex poscenti B Balad, & multa pollicenti fatiscens adquieuit, tres vxores suas, licèt ipsæ aliud vellent, reddidit, & per quinque strenuos milites remisit. Qui vt Balad coniuges suas decenter adornatas exhibuerunt, sociósque adire in turrim voluerunt, mox à tyranno non sine magno mœrore multorum retenti sunt. Sic Guiumar Brito, & Geruasius Dolensis, Rodbertus de Cadomo, & Muschedus Cœnomannensis, atque Riuallo de Dinam à mendace Balad capti sunt, & Hali Medorum Regi dono dati sunt. Ille autem potentissimus extitit, & Francos, postquàm IX. mensibus honorificè seruauit, Caliphæ de Baldac dono dedit. In crastinum Soldanus eosdem à Calipha recepit, & mox libertate, multísque diuitiis donauit. Ibi quatuor athletæ Guiumarum Alanni Comitis filium sibi dominum præfecerunt, & sub Soldano tribus semis annis cum ingenti honore permanserunt. quarto autem anno Antiochiam redierunt.

In exilio benignus Deus suum suis auxilium non subtraxit. Nam præfati quinque milites, qui tam longè in captiuitatem abducti sunt, magnam inter barbaros C gratiam habuerunt. Rex quippe Medorum Præfecto vrbis eos commendauit, & Gallico more indutos cotidie sibi assistere præcepit. Sericis & auratis vestibus ornati erant, equos & arma, variámque supellectilem habebant, & quicquid à Rege vel à Præfecto postulabant. Spectabiles coram Persis procedebant, & Medi cultum Francorum admirantes collaudabant. Filiæ Regum decorem eorum affectabant, facetiísque arridebant. Ipsi quoque Reges atque Duces de semine Francorum nepotes habere concupiscebant. Nemo tamen à cultu Christi eos aliquatenus recedere, vel à suo ritu compulit deuiare.

De diuitiis Soldanni mira referunt, & de incognitis speciebus, quas in Oriente viderunt. SOLDANVS dicitur quasi solus dominus, quia cunctis præest Orientis Principibus. Quarto anno remeandi licentiam illis concessit, auréamque sagittam, quæ principalis specimen præmonstrabat absolutionis, contulit. Potentissimorum filias Optimatum illis, si remanere voluissent, & ingentes gazas ac possessiones obtulit. Abire tandem volentibus ingentes thesauros, variasque diuitias suas ostendit. Denique pluribus xeniis remunerati notos & benefactores salutauerunt, & per conductum DAVID Georgiensis Regis, & Turoldi de Montanis Antiochiam re- D dierunt, lætique amicis retulerunt, qualiter in Niniue, & Baldac, & Babylonia commorati fuissent, & multa nobis ignota, quæ in Eois partibus vidissent.

TVNC ibi audierunt quòd Balad Monbec obsideret, & Balduinum Regem occisis sodalibus adhuc in arto carcere constrictum retineret. Ioscelinus enim, qui de Carpetra egressus fuerat, & legatos fideles Augusto Ioanni, & Græcis, & Armeniis direxerat, post octo menses cum ingenti exercitu ad subsidium obsessi Regis properat, quem in turri Carpetræ, vt dictum est, reliquerat. Interea Balad arcem obsedit, & Gazin nepotem suum, & Bursechinum iuuenem Magistrum militum Regi frequenter direxit, & cum iureiurando mandauit, vt si sibi pacificè arcem redderet, libertatem abeundi quocumque vellet cum omnibus suis, & cuncta quæ peteret ab eo reciperet. Rex autem longa inclusione fatigatus, & fallaci pagano præproperè credulus, arcem reddidit, ad scandalum Christianorum, & tripudium paganorum. Egresso itaque Regi iussit Balad quatuor dentes extrahi, & Gualeranno de Pusacio sinistrum oculum erui, & venas dextri brachij, ne lanceam vlteriùs ferret, præcidi, omnésque

A omnésque socios eorum decollari. Quod & ita factum est. Gualerannus post debilitationem membrorum mortuus est. Iterúmque Rex in carcere reclusus, IV. annis peiora prioribus perpessus est. Porrò XXIV. milites, & CXL. Siri, vel Armenij, capitibus amputatis perempti sunt. Sed cum Christo viuant quē confessi sunt, & cui viuētes seruierunt. Ioscelinus autem, vt Regis defectionem & suorum cladem obiter audiuit, nimis eiulans cum omni exercitu Christiano substitit: ventilatóque ibidem cōsilio, sua negotia quisque repetiit. Infortunium huiusmodi per totum mundū auditum est, & Christicolis lamentantibus, ethnicis ingens lætitia orta est. Balad igitur, postquam sibi ad votum omnia in his, quæ iam prætaxauimus, prouenerunt; & Christiani iam per totam Syriam & Palæstinam quasi neglecto Rege viriliter restiterunt; veredarios per orbem gentium ad Reges ac Admiralios destinauit. Quibus conuocatis cum legionibus suis rursus vrbem Monbec obsedit. Ioscelinus autem & omnes Christicolæ audientes hoc gauisi sunt, & alacriter ad præliandum contra illos conuenerunt. Tunc etiam, volente pio Saluatore nostro, quinque præclari milites affuerunt, qui eadem septimana, vt iam diximus, de barbarica captiuitate remeauerunt.
B Inter Monbec & castellum Trehaled in ingenti planicie prælium ingens factum est. Cum Balad, Masci, & Heron frater eius, aliíque plures Admiralij pugnare, totísque viribus conati sunt Christianos pessundare. Ibi tunc Balad Goiffredo Monacho Comiti de Marcis mandauit, vt duos asinos auro onustos reciperet, & de bello solus ipse recederet, ne in bello vterq. eodem die periret. Soror enim eius, quæ sortilega peritissima erat, in constellationibus, quòd Goiffredus & Balad mutuis ictibus occūberent ipso die inspexerat, fratríque suo, vt sibi præcaueret plorās indicauerat. Religiosus verò Comes munera tyrāni vt stercus contempsit, seséque in confessione Dei ad sacrificium lætus obtulit: multorum sanguinem sanctorum vlciscens Balad interfecit, & ipse pro Christo deuotè dimicans gloriosè occubuit. Vexillum eius in corpore Balad repertum est, quo cadente, dirum & graue onus de ceruicibus Christianorum abiectum est. Ibi tunc nongēti milites Christiani contra trecenta milia paganorum pugnauerunt, fortissimóque Deo Israël suos patenter iuuante vicerunt. De Christianis VI. milites, & XI. pedites ceciderunt: de paganis autem decem milia cæsa sunt, quorum nomina in matricula Balad scripta & inuenta sunt. Omnipotens Emmanuhel intactæ Virginis filius feliciter suos Israhelitas con-
C fortauit, superatis hostibus, per quos velut malleo seu virga furoris sui reos conquassauerat, exhilarauit, & post tribulationum tempestates prosperitatis tranquilitatem suppeditauit. Iam cornua gētium intonante Deo confracta sunt, inuictúmque Regem Sabaoth collaudantes Christiani caput erexerunt.

GAZIS Admiralius nepos & hæres Balad Regis Aleph ei successit, sed nouitate permutationum & diminutione gazarum ardua tentare, & difficilia sustinere nequiuit, quæ antecessor eius longo vsu exercitatus iniuit, ingenióque multiplici callens fortia ferre & agere potuit. Vnde Gazis Balduinum Regem pro redemptione centum quinquaginta milium bizanteorum de carcere dimisit, & XL. obsides electos de præcipuis Hierosolymorum, & circumiacentis prouinciæ pueris accepit, securitatémque reddendi omnes paganos, quos in carcere fideles habebant, requisiuit. His itaque concessis Regem dimisit, & apud Gis castrum in regione Cæsareæ Philippi constituto tempore expectauit. Tunc Christiani cum auro, quod pro redemptione Regis pactum erat, perrexerunt, & assultu in nomine Christi fortiter fa-
D cto, Admiralium, & castrum, & obsides suos ceperunt: alacrésq. Deo gratias canentes, Hierusalem egressi sunt. Gazis autem centum milibus bizanteis aureis sese redemit, firmámque pacem Christianis pepigit., sed in Principatu parum durauit.

INTEREA, dum Balduinus Rex, vt dictum est, in carcere teneretur, & egressionis eius omnis spes Christianis penè omninò negaretur: Hierusolymorum Episcopus Clerum & populum commonuit, ne in tribulationibus deficerent, sed in Christo confidentes fortiter Ethnicis resisterent, & bellicis armis fines suos ad laudem Conditoris dilatarent. Missis itaque legatis in Italiam, Ducem Venetiarum cum ingenti classe accersierunt & Tyrum tam diuinis quàm secularibus in Libris famosam vrbem obsederunt, & per mare ac per terram vsque ad deditionem coartauerūt. Denique subacta vrbe, quendam Clericū natione Anglicum Præsulem ordinauerunt, & Ecclesiam in honore sancti Saluatoris extra vrbem ædificauerunt,

in loco vbi Dominus Iesus populis verbum æternæ salutis prædicauit: & altare fecerunt de ingenti saxo, supra quod ipse docens sedit. In vrbem quippe incircuncisorum noluit ingredi, ne videretur Iudæis dare occasionem scandali: si ipse, cùm Hebræus esset, in ciuitatem gentium introisset, & communitatem cum illis habuisset. De fragmentis verò, quæ latomi de informi lapide marculis euulserant, fideles collegerunt, & per orbis climata pro Dominicæ sessionis reuerentia detulerunt, quæ in sacratis inter sacra pignora locis collata sunt. A

RAVENDINOS quidam potẽs Græcus Antiochiã venit, & legationem Imperatoris Alexij Rogerio Principi, de quo suprà dictũ est, intimauit: filiã scilicet ipsius Ioãni filio Augusti cõiugẽ petiuit. Diuturnus enim rancor eius paulatim cõquieuerat: quia idẽ sapiẽtiã pollẽs manifestè viderat, quòd mortalis cõditio Buamũdum & Tãcredũ, aliósq. rebelles absorbuerat, eãdẽq. in proximo imminere sibi admodũ metuebat. Quapropter decreuit progeniẽ suã semini cõiungere bellicosæ gentis, vt sic saltẽ Antiochenũ Principatũ hæres eius adipisceretur, affinitate generis, quod nullatenus armis obtẽturũ se cõfidebat bellicis. Præfatũ ergo Pelasgũ Normãnis destinauit, qui in præstolatione cõmunis respõsi graue infortuniũ incurrit. Nã dũ præfatus heros Antiochię maneret, & ex generali cõsultu honorabile respõsum expectaret, & Amit-Gazis Perses, vt suprà retuli, fines Christianorũ impetuosè irrumperet, Rauẽdinos cũ Rogerio in hostẽ pergẽs captus est, & xv. milibus bizanteis redẽptus est. Ipsũ nẽpe, quia Græcus erat, Turci nõ læserũt: eiq. tam pro notitia vicinæ gẽtis, quã pro fauore Augusti pepercerũt: & accepta redẽptione, vt dictũ est, sospitẽ dimiserũt. Ille verò vidẽs Rogeriũ cũ tota virtute interiisse, & Balduinũ Regẽ regnum Hierusalẽ & Principatũ Antiochię adeptũ fuisse, ipsum quoq; ex parte Imperatoris adiit, & ab eo filiã suã in cõiugiũ Ioãnis requisiuit. Balduinus Rex indè gauisus legationẽ suscepit, petitionẽ annuit, procũ in Hierusalem, vt filiã suã videret, direxit, & per eũ secreta Reginæ soli nota mãdauit. Rauẽdinos itaq; Hierusalẽ venit, quẽ Regina cũ prole sua satis alacriter recepit, & mariti mãdatis obtẽperauit. Elegãs puella procedẽs in publicũ intuẽtibus multũ placuit, & optabiles ipsa rumores audiẽs, frustra exultauit. Nihil enim stabile fit, nisi quod solus omniũ factor disponit. Legatus Augusti cũ satellitibus suis, sociisq. peregrinis, in Cyprum insulã nauigauit, & Dux Cypri cũ illo post xv. dies Cõstãtinopolim ire decreuit, & omnes vsque ad Pẽtecostẽ ibi honorificè hospitari pręcepit. Igitur lõgè à Palatio eius in aula satis honorabili hospitati sunt: & statutũ tẽpus ægrè præstolãtes, copiosũ à Duce victũ acceperũt. B C

INTEREA Dux communi factione à suis in domo sua occisus est, & vna de singulis nauibus, quę fixis in maritimo litore anchoris consistebant, tabula subtracta est. Mors etiam legatis & peregrinis à feralibus homicidis palam præfinita est: sed per quendam sapientem, qui consiliis eorum intererat, callidè præpedita, & multoties induciata est. Dicebat enim: » Obsecro vos, ô fratres & amici, vt his hominibus » pro salute vestra parcatis, & ab eorũ, qui nihil aliquando nocuerunt vobis, sangui» nis effusione manus vestras contineatis. Actus vestros freno moderamini discretio» nis, & statera rectitudinis; ne scelerum enormitate vestrorum Deum & homines in » vos irritetis, & furorem maximorum Principum vtrinque incurratis. Ecce abomi» nabilem offensam in Augustum iam perpetrastis, qui eius consanguineum, & Du» cem Imperij Constantinopoleos nocturna cęde necastis. Adhuc tamen contra eius » animaduersionem ad Hierosolymitas refugere potestis, quibus nondum nocuistis. » Verùm, si magnanimum Francigenam offenderitis Regem Hierosolymorum, & ex » vtraque parte vobis incubuerit prælium, quid facietis, quò fugietis? His aliisque sapiens Heros dictis ferales homicidas compescuit, cruẽtásque manus à iugulis innocentum vix retinuit, & circa festum S. Ioannis licentiam abeundi vix illis obtinuit. D

DENIQVE vix in duas ingredi vetustas naues permissi sunt, & cum ingenti difficultate, post plurimos dies in Illyricum applicuerunt, & securiores indè per vrbes Poëtarum carminibus celebres Bizancium petierunt, per Athenas scilicet eloquentiæ matrem, artiúmque liberalium inuentricem, & per Thebas tyrannorum ciuilibus bellis inhiantium nutricem. Rauendinos verò duros rumores de suæ legationis euentibus dominis suis, à quibus destinatus fuerat, retulit, & multas econtra in sua regione mutationes contigisse edidicit. In his enim percunctationibus Balduinus Rex, vt superiùs affatim retuli, à Balad captus est. Imperatore autem Alo-

Axio post breue tempus defuncto, Ioannes Imperator factus est. Vnde in tot permutationibus præfatæ copulationis præparatio penitus frustrata est. HENRICVS I.

GENEROSA Philippi Francorum Regis soboles CONSTANTIA Buamundo filium peperit, quem apud Tarentum in Italia diligenter educauit, & vsque ad pubertatis æuum materno more competenter custodiuit. Buamundus autem puer bonæ indolis feliciter creuit, & vt annos adolescentiæ attigit, militaria multis gaudentibus arma sumpsit. Patris verò sui audaciam & mores æmulatus imitari studuit, & multimodæ probitatis ac honestatis specimine sublimia de se intuentes sperare permisit. Hæc vt Antiocheni, dum Balduinus Rex apud Carpetram ferè VI. annis in carcere Balad detineretur, audierunt, nunciis sæpè missis geminum hæredem accersierunt, vt securus in Syriam transfretaret, & ius paterni Principatus cum fauore subiectorum reciperet. Porrò sollicita mater eum retinuit, donec Rex, vt suprà dictum est, de vinculis prodiit. Tandem ipse voluntatem Antiochenorum vt sensit, populis quoque progenitoris eius auctoritate illud commodum fore æstimauit, Optimatum consultu suorum Buamundo adolescenti filiam suam obtulit, ac vt paterni Ducatus fastigium prosperè subiret mandauit. Amabilis igitur adolescens, votis omnium pro illo Deum postulantibus, nauem intrauit, Antiochiam transfretauit, Principatum patris cum tripudio multorum recepit, filiámque Regis vxorem duxit, quæ femineam prolem ei peperit. Princeps constitutus mitis omnibus subiectis extitit, sed contra Ethnicos bella iniit, breuíque temporis intercapedine, proh dolor! durauit. Ferè tribus annis dominatus est, & repentina sorte cum lamentis pluribus ac damnis prolapsus est. 1106.

B

ORTIS enim quibusdam simultatibus inter Christianos Principes Buamundum & Leonem Armenicum, damnabilis temeritas de strage fidelium peperit gẽtilibus victoriæ gaudium. Præfatus Leo Turoldi de Montanis erat filius, & vxoris Buamũdi auunculus, contra quem idem iuuenis exercitum aggregauit, & in hostilem terram ducere cœpit. Qui cùm ad fluuiũ Euphraten peruenisset, ibíque castra metatus fuisset, à quodã Armenio audiuit, quòd Amir-Sanguin cum ingenti phalange Turcorũ appropinquauerit, & fines Christianorum irrumpere disposuerit. Ille autem in initio incredulus certitudinem rei perquisiuit, aliísque relatoribus non credẽs, cœtus suos reliquit, & cum CC. iuuenibus, vt exploraret, super excelsum montem ascẽdit. Vnde VII. pabulatorum, qui præcedebãt, turmas prospexit. Quos paruipendẽs inuasit, acerrimè cõflixit, penè omnes occidit, omnésq. suos, nisi XX. milites perdidit. Interea innumerabilis exercitus appropiauit. Cumque residui enormes turmas adesse vidissent, & immoderatum tyronem stupore mentis præ dolore attonitum obsecrarent, dicentes: "Festinanter ad tuas cohortes vade, agminibúsq. ordinatis hostes aggredere, patriámq; tuam insigniter defende: "ille nõ adquieuit, sed mori magis quàm fugere commilitonibus cõmissis elegit. Sic imberbis adolescens contra innumeros manus leuauit, & in nomine Christi dimicãs extremam sortem sucepit. Pauci verò, qui euadere poterant, transuadato Euphrate, collegas repetierunt, diros rumores de interfecto Duce mœsti retulerunt, & protinus omnes ad oppida conglobati secesserunt, totamque prouinciam contra Ethnicos strenuè munierunt. Balduinus autem Rex Hierosolymorum vt mortem generi sui audiuit, in Syriam cum copiis suis contra paganos festinauit. Porrò à fidelibus ibidem susceptus, regionem totam in hostes defensauit, & Principatum Antiochiæ diu possedit, donec FVLCONI Andegauino successori suo, quem hæredem fecerat, diuisit.

C

D

HÆC de casibus Christianorum, qui pro Christo Iesu in Oriente exulant edidici, & simpliciter, vt ab his qui interfuerunt audiui, ad notitiam posterorum veraci stylo literis assignaui. Nunc autem ad nostra regrediar referenda, quæ contigerunt in Italia, Gallia, Hispania, vel Anglia, seu Flandria.

ANNO ab incarnatione Domini MCVII. indictione XV. HENRICVS Rex Anglorum, postquam bello Normanniam subegit, sæpè ad Curiã suam magistratus populi accersiit, eósque, quia iamdiu tumultibus & guerris assueti fuerant, prudenter mitigauit: & omnes, vt rectè graderentur, precibus minísque commonuit. Mense Ianuario Fallesiæ confessio Procerum coram Rege fuit, ibíque Rodbertus Cadomensis Abbas subita ægritudine percussus hominẽ exiuit: cuius vices EVDO eiusdẽ Monasterij Monachus per plura postmodũ lustra suppleuit. Mense Martio idẽ Rex 1107.

HENRICVS I. 1107. Concilium apud Luxouium tenuit,& necessaria subiectis plebibus edicta ex consultu Magnatorum prouidè sanxit,& regali potestate sedatis bellorum tempestatibus Neustriam vtiliter edomuit. Inde remeans Guillelmus de Ros Fiscannensis tertius Abbas ægrotauit,& ante finem eiusdem mensis feliciter migrauit. Hic venerabilis vir bonis moribus pollens laudabiliter vixit,& multarum nectare virtutum imbutus à pueritia viguit,& in Clericatu ac Monachatu speculum bonorum operum mundo resplenduit. Præfatum verò Cœnobium adhuc in Monachico scemate neophytus suscepit, ferè x x. annis gubernauit, & in multis intus & extra emendauit. Nam cancellum veteris Ecclesiæ, quam Ricardus Dux construxerat, deiecit,& eximiæ pulchritudinis opere in melius renouauit, atque in longitudine ac latitudine decenter augmentauit. Nauem quoque Basilicæ, vbi Oratorium sancti Frodmundi habetur, elegāter auxit; opúsque tādem cōsummatum à Guillelmo Archiepiscopo, aliisque quatuor Præsulibus, XVII. Kal. Iulij consecrari fecit. Defūctus autem in nouo opere, quod ab ipso constructū est, ante arā gloriosæ Virginis Mariæ sepultus est. A

MVLTI sapientes & illustres viri mitis Archimandritæ illecti amore Fiscannum confluxerunt,& in schola diuini cultus sub eodem summæ & indiuiduæ Trinitati reuerēter famulati sunt. Fideles ergo & amici discipuli multa super illo prosa seu metro conscripserunt. Speciale tamen Epitaphium, quod Hildebertus Cœnomānensis Episcopus edidit, elegerunt, aureisq. literis caraxatum sic super illum imposuerunt. B

Pauperibus locuples, & sacri nominis Abbas
VVILLELMVS solo corpore cultor humi:
Liber ab Aegypto rediens deserta reliquit,
Iámque Ierosolymam victor ouánsque tenet.
Cum viciis odium, cum moribus ille perennem
Pactus amicitiam, firmus vtróque fuit.
Luce graui nimium quæ sexta preibat Aprilem,
Redditus est patriæ spiritus, ossa solo.

ADELELMVS Flauiensis Monachus, qui multo tempore Fiscanni venerabiliter conuersatus est, geminâque scientia tam in diuinis quàm humanis dogmatibus affatim imbutus est: ardenti amore, vt subtilibus scriptis ab eo editis approbari potest, præfato Patri vsque ad exitum vitæ conglutinatus est. Hic in rotulo eius memoriale sat eleganter dictauit, & venerabili vitæ illius luculentos flores ex diuina pagina coaptauit, quibus visis, melliflua pietatis affectus ex oculis legentium plures lacrymas elicuit. Ibi non humanum, vt reor, ingenium tantummodo tam beatè personuit, sed cælestis gratia beniuolis lectoribus sua karismata demonstrauit, quibus fidelem sponsæ suæ tutorem pro vtilitate multorum gloriosè decorauit, & super candelabrum fulgentem lucernam in hoc mundo coruscare donauit. Multi legentes rotuli titulum piè fleuerunt,& superni roris donum admirantes pro fideli anima lacrymosas preces Deo fuderunt. Præfatus editor tres Elegiacos versus composuit, quos hîc ob memoriam serui omnipotentis inserere non me pigebit. C

Vtilitas & honor GVILLELMVS in ordine Cleri
BAIOCAS triplici clarus honore fuit.
Præmissis opibus Cadomum subit, indè retractum
Fiscanni celebrat hunc locus ipse locum.
Principio dum sexta dies superesset Aprilis, D
Lis habuit finem, præmia principium.

DENIQVE post obitum sæpedicti Patris, ROGERIVS Baiocensis electus est, & à Guillelmo grandeuo Metropolita XII. Kal. Ianuarij consecratus est: sicque regimen Fiscannensis Ecclesiæ quartus Abbas adeptus est. Primus enim GVILLELMVS Diuionensis idem Cœnobium sub Ricardo Duce sollerter & religiosè instruxit, cui IOANNES Italicus per annos LI. successit. Tertio autem in loco Guillelmus Baiocensis pro decore cognominatus Puella præfuit. A quo in Monachili scemate susceptus successor, quod docturus erat didicit. Tunc in festiuitate sancti Thomæ Apostoli silicernius Præsul præfatum Rogerium, aliósque CXX. sacerdotes ordinauit, & in crastinum benedictionem Abbatis super illum Rotomagi peregit. Nouus itaque Presbyter & Abbas Fiscannum ad Natale Domini celebrandum rediit, iámque receptum regimen ferè XXXII. an-

A nis tenuit. De hac siquidem ordinatione indubitanter locutus sum, quia interfui, & sacerdotale pondus, iubente domno Rogerio Abbate meo, indignus suscepi. Tunc magna Cleri multitudo Rotomagum conuenerat, & familia Christi ferè septingentis ibi Clericis illa die per diuersos gradus ordinatis prosperè creuerat. Tunc ego iuuenili ardore feruens intendebam dactilico Carmini, in quo numerum Presbyterorum & Diaconorum paucis versibus ita comprehendi, HENRICVS I. 1107.

Centum viginti socios ad suscipiendum
Stemma sacerdotij Dominus me fecit habere;
Ornauítque stolis Leuiticus ordo ducentos
Et quater vndenos ad Christi sacra ministros.

INTER procellas tribulationum, quas Normannia idoneo Rectore carens pertulit, Luxouiensis Episcopatus post mortem GISLEBERTI MAMINOTI Antistitis, in desolatione diu permansit, magísque lupis quàm pastoribus patuit, miseréq; prædonibus, non defensoribus, lugubris subiacuit. Henrico autem Rege apud Tenerchebraicum triumphante, Rannulfus Flābardus Regis inimicus, qui Luxouiensi residebat vt Princeps in vrbe, secundum opportunitatem temporis perspecta qua euaderet calliditate, celeres nūcios ad Regem recēti trophæo lætū direxit, pacem ab eo humiliter quæsiuit, & ciuitatem quam tenebat si pacificaretur obtulit. Porrò sapiens Rex, qui pacem bello, quod detrimenta gignere solet, præposuit: Præsuli concordiam poscenti transactos reatus indulsit, Luxouiū festinanter recepit, & Antistiti reconciliato Dunelmensem Episcopatum restituit. Luxouiēse verò Episcopium IOANNI Archidiacono Sagiensi cōmisit, & Normanniā prudenter ordinatā in Angliam ad regni negotia tractanda transfretauit. Supradictus autem Archidiaconus Normanni Decani filius fuit, in Ecclesia Salariēsi à pueritia educatus creuit, cum Præsulibus eiusdem Sedis, Rodberto, & Girardo, & Serlone conuersatus floruit: multiplicíque doctrina tam in secularibus quàm in Ecclesiasticis institutus viguit. A præfatis itaque magistris, quia ratione & eloquentia satis enituit, ad Archidiaconatus officium promotus, ad examen rectitudinis iure proferendum inter primos resedit, & Ecclesiastica negotia rationabiliter diu disseruit. Tādem furia Rodberti Belesmensis contra Serlonem Episcopum efferbuit, & præfatum Archidiaconem, quia suum Pontificem præcipuè adiuuabat, exosum habuit, & feralibus minis C ac infestationibus persequi cœpit. Quem, quia ille in ipso tempore potentissimus erat, & vix vllus in Normannia eius guerram ferre poterat, nimis metuens inermis Clericus, in Angliam confugit: & à Rege, cui iamdudum notus fuerat, susceptus honorificè satis exulauit. Nam inter præcipuos Regis Capellanos computatus est, atque ad regalia inter familiares consilia sæpè accitus est. Denique, vt prædictū est, pro insertis virtutibus illum Rex dilexit, & prædictæ vrbis sedem ei concessit. Mense Septembri Serlo Salariensis Pontifex Ioannem leuitam Presbyterum ordinauit, quem paulò pòst Guillelmus Archiepiscopus Episcopum consecrauit. Ille verò susceptum regimen ferè XXXIV. annis potenter rexit, multísque modis Ecclesiam & Clerum, Deíque populum emendauit.

EODEM tempore Mauricius Lundoniensis Episcopus, vir bonus & religiosus, mortuus est: cuius tempore Basilica sancti Pauli Apostoli cum magna parte vrbis concremata est. Ricardus autem de Belmesio Vicecomes Scrobesburiæ in Episcopatu illi successit, & in constructione præfatæ Basilicæ, quam antecessor eius inchoauerat, summoperè laborauit, & inceptum opus magna ex parte consummauit. D Tunc Optimates Angliæ Ricardus de Raduariis, & Rogerius cognomento Bigotus, mortui sunt, & in Monasteriis Monachorum sepulti sunt, quæ in propriis possessionibus ipsi condiderunt. Rogerius enim apud Tetfordum in Anglia, Ricardus verò tumulatus est apud Montisburgum in Normannia. Super Rogerium Cluniacenses Alonaxdi tale scripserunt Epitaphium.

Clauderis exiguo Rogere Bigote sepulchro,
Et rerum cedit portio parua tibi.
Diuitiæ, sanguis, facundia, gratia Regum
Intereunt, mortem fallere nemo potest.
Diuitiæ mentes subuertunt, erigat ergo
Te pietas, virtus, consiliúmque De

HENRICVS I.

Soli mœrebat virgo ter noctibus octo,
Cùm soluis morti debita morte tua.

1107. GVILLELMVS Ebroicensium Comes iam senio maturus, iure metuens ineuitabilis exitij casus, instinctu HELVISÆ coniugis suæ, Deo decreuit in proprio fundo domum ædificare: in qua electi Alonazontes cum vera religione Regi regum congruè possent militare. Vnde ambo, maritus videlicet & vxor, eius consilium & auxilium super hac re à Rogerio Abbate sancti Ebrulfi petierunt, & duodecim Monachos ad construendum apud Nogionem Cœnobium nominatim postulauerunt. Illuc itaque totidem fratres cum præfato Abbate III. Idus Octobris conuenerunt, ibique in deserto loco, quem Buscheronem incolæ nuncupauerunt, ad sancti Capellam Martini Archipræsulis regulariter viuere cœperunt. Plures autem diuersæ ætatis ad conuersionem venientes, ibidem benigniter susceperunt, eisque viam vitæ secundum sancti Regulam Benedicti gratanter ostenderunt. Ceterùm, sicut segetes à satione vsque ad messionem plures iniurias perferunt, nec omnia grana pari fortuna proficiunt, siue consimili infortunio pereunt, sed variis per hibernos imbres, & æstiuos ardores iniuriis afflicta difficulter crescunt: sic homines in singulis Ordinibus, seu Congregationibus, diuersis turbinibus agitantur, nec parili prosperitate communiter beatificantur, nec simili rursus infortunio conquassantur.

1108. ANNO ab incarnatione Domini MCVIII. Indictione I. præfatus Consul cum coniuge sua ingentem Basilicam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ædificare cœpit, & de sua pecunia magnam quantitatem ad explendum opus erogauit: sed mundanis infestationibus grauiter impedientibus, perficere nequiuit. Nam idem naturâ senióque aliquantum hebescebat, & vxor eius totum Consulatum regebat, quæ in sua sagacitate plus quàm oporteret confidebat. Pulchra quidem & facunda erat, & magnitudine corporis pene omnes feminas in Comitatu Ebroarum consistentes excellebat, & eximia nobilitate, vtpote illustris GVILLELMI Niuernensis Comitis filia, satis pollebat. Hęc nimirum consilio Baronum mariti sui relicto, æstimationem suam præferebat, & ardua nimis secularibus in rebus plerumque arripiebat, atque immoderata temptare properabat. Vnde pro feminea procacitate Rodberto Comiti de Mellento, aliisque Normannis inuidiosa erat, quorum maliuolentia in præsentia Regis ei detrahebat, ipsumque corrosoriis derogationibus in odium eius concitabat. Tandem, quia prædictus Comes & Heluisa Comitissa dangionem Regis apud Ebroas funditus deiecerunt, & in aliis quibusdam causis, in quibus herilis fidelitas non bene seruata titubauerat, Regem offenderunt, exheredati de Normannia bis in Andegauorum regionem exulauerunt. Quę perturbationes construendo Cœnobio ingens detrimentum contulerunt, & non multò post exitus amborum ad desolationem multorum secuti sunt. Comitissa nempe defuncta priùs apud Nogionem quiescit. Comes verò postmodum apoplexiâ percussus sine viatico decessit, & cadauer eius cum patre suo Fontinellæ computrescit.

PORRO, quia præfatus heros sine liberis obiit, & AMALRICVS nepos eius pro temeritate sua gratiam Regis non habuit, Ebroicensem Comitatum Rex proprietati suæ mancipauit. Vnde maxima, vt in sequentibus manifestè referam, malicia creuit, & ciuitas cum tota circumiacenti regione depopulationibus & incendiis patuit. Monasterium autem, quod prædictus Comes, vt dictum est, apud Nogionem cœpit, sub Prioribus Rodberto, & Rogerio, atque Rannulfo vsque hodie imperfectum consistit. Quorum prim us Rodbertus Prunerienfis Haimonis de Prunereto legitimi equitis filius fuit, & magna eruditione literarum inter dicaces Philosophos in Scholis Grammaticorum & Dialecticorum enituit. Hic à Rege de Prioratu accitus in Angliam transfretauit, & post Gunterum Abbatem Torueiensis Cœnobij regimen suscepit, & annis XX. strenuè gubernauit. Torueia quippe Spinarum insula nuncupatur Anglicè, quia diuersarum saltus arborum copiosis aquarum gurgitibus circumluitur vndique. Ibi Monachile habetur Monasterium in honore S. Dei genitricis Marię, quod in cultu summæ Deitatis grata pollet religione, & ab omni femorum est seculariũ cohabitatione. Illud venerabilis Adelvvoldus Guétoniensis Præsul Edelredi Regis tẽpore construxit, & illuc corpus sancti Botulfi Abbatis Icanoensis, cum aliis Sanctorum multis pigneribus transtulit post Danicam cladem, in qua beatus Anglorum Rex Edmundus in confessione Christi Martyr occubuit.

A Soli Monachi cum famulis suis in opaco Torueiæ gremio habitant, Deóque tuti fideliter militant. Nulla mulier Insulam nisi causâ orationis ingreditur, nec aliqua ibidem commorari pro qualibet occasione permittitur: sed muliebris habitatio prorsus vsque ad nouem miliaria Religiosorum studio elongatur. Postquàm Normannica virtus Angliam edomuit, cámque Guillelmus Rex suis legibus commodè subegit, Fulcardum sancti Bertini Sithiensis Monachum multa eruditione validum Torueiæ præposuit, qui ferè XVI. annis absque benedictione Abbatis vices suppleuit. Hic affabilis & iocundus fuit, atque caritatiuus Grammaticæ artis ac Musicæ peritissimus. Vnde preciosa peritiæ suæ monumenta reliquit in Anglia futuris generationibus. Nam plures dictatus memoriâ dignos edidit, & sancti Osvvaldi Guigornensis Episcopi, aliorúmque Sanctorum, quorum propago de Albione processit, delectabiles ad canendum historias suauiter composuit. Ortis postmodum quibusdam simultatibus inter ipsum & Lincoliensem Episcopum recessit, & Cœnomannensis Gunterius de Bello Monachus, qui Salesburiensis fuerat Archidiaconus, successit. Hic monachilem Torueiæ Conuentum ordine Maioris-Monasterij regulariter instituit, & pulcherrimam à fundamentis Basilicam cum officinis Monachorum diligenter construxit, in qua idem post obitum à fidelibus discipulis tumulatus quiescit. Epitaphium verò paucis versibus super illo editum eius esse breuiter intimat sic notitiæ legentium.

Ecclesiæ clarus Torneensis conditor huius
Hac iacet in tumba GVNTERIVS *inclytus Abbas.*
Sex & viginti fuit annis rector, & isti
Cœnobio multis profuit vsque modis.
Omnes quos potuit virtutibus ipse subegit,
Per quas stelligerum sperabat scandere regnum.
Tandem quindenis Augusti ritè Kalendis
Occidit, in requie, Christe, benigne foue.

RODBERTVS autem successor eius illo eruditione literarum sublimior extitit, & C ingenti constantia, néene facundia inter præcipuos totius Angliæ Prælatos emicuit. Porrò Rogerius, qui in Prioratu Nogionis ei successit, ferè XXIV. annis in constructione noui operis, & prouectu subditorum laborauit. Denique in lectum decidit, & benè munitus XII. Kal. Ianuarij obiit. De quo quidam amicus illius breue carmen cecinit.

Rogerius quartus Nogionensis Prior almus
Nuper vicenâ luce Decembris obiit.
Grammaticam didicit puer, & bona dogmata legit,
Imberbis mundum deseruit fluidum.
Pene quater denis Monachus laudabilis annis
Ardenter superi gessit onus Domini.
Commodus ipse fuit Prior annis bis duodenis,
Fratribus exemplo profuit vsque bono.
Pacis amator erat, multis prodesse studebat,
Vt prodesset eis, omnibus aptus erat.
D *Virginis eximiæ templum speciale Mariæ*
Summopere studuit ædificare Deo.
Summe Deus, precor, ipsius dimitte reatus,
Confer ei vitam, Rex pie, perpetuam. Amen.

HIS itaque dictis de amicis & notis sodalibus, regrediar ad annalis Historiæ seriem, vnde sum aliquantulum digressus.

ANNO ab incarnatione Domini MCVIII. Indictione I. PHILIPPVS Rex Francorum in lectum decidit, & post diutinas infirmitates, vt sibi mortem imminere vidit, data fideliter confessione, Proceres Francorum suósque amicos conuocauit. Francorum, inquit, Regum sepulturam apud sanctum Dionysium esse scio: « sed quia me nimium esse peccatorem sentio, secus tanti Martyris corpus sepeliri « non audeo. Admodum vereor, ne peccatis meis exigentibus tradar diabolo, & « mihi contingat sicuti scriptura refert olim contigisse Martello Karolo. Sanctum « Benedictum diligo, pium Patrem Monachorum suppliciter exposco, & in Eccle- «

HENRICVS I. 1108. sia eius super Ligerim tumulari desidero. Ipse enim clemens est, & benignus, omnésque suscipit peccatores propicius, qui emendatiorem vitam appetunt, & secundum disciplinam Regulæ ipsius Deo conciliari satagunt. His, aliisque pluribus rationabiliter finitis, Philippus Rex anno regni sui XLVII. IV. Kal. Augusti mortuus est, & in Cœnobio sancti Benedicti apud Floriacum, sicut ipse optauerat, inter chorum & altare sepultus est. Sequenti autem Dominico, LVDOVICVS-TEDBALDVS filius eius Aurelianis intronizatus est, sceptróque Gallorum XXVIII. annis inter prospera & aduersa potitus est. Hic ADELAIDEM filiam HVMBERTI Principis Intermontium duxit vxorem, quæ peperit ei quatuor * filios, Philippum, & Ludouicum-Florum, Henricum, & Hugonem. Varios autem casus, vt se res humanæ habent, plerúmque expertus est, & in bellicis conflictibus à fortuna, quæ instar vergibilis rotæ agitatur, sæpè delusus est. Sæpiùs in illum optimates regni rebellauerunt, ipsúmque & fautores eius damnis & frequentibus iniuriis infestauerunt: viuente etiam patre, qui militiâ iustitiáque diu frigidus fuerat, in vtrósque turgidi sæuierunt, & præcepta genitoris filiíque contempserunt.

* Aliter Historici Fräcorum.

A

B

IGITVR, quia senio & infirmitate Rex Philippus à regali fastigio deciderat, & principalis erga tyrannos iustitiæ rigor nimis elanguerat: Ludouicus in primis ad comprimendam tyrannidem prædonum & seditiosorum auxilium totam per Galliam deposcere coactus est Episcoporum. Tunc ergo Communitas in Francia popularis statuta est à Præsulibus, vt Presbyteri comitarentur Regi ad obsidionem vel pugnam cum vexillis & parrochianis omnibus. In iuuentute sua LVDOVICVS filiam GVIDONIS RVBEI Comitis de Rupeforti desponsauit, & hereditario iure competentem Comitatum subiugare sibi sategit. Capreosam, & Montem-Leherici, & Bethilcurtem, aliáque oppida obsedit, sed multis nobilibus illi fortiter obstantibus non obtinuit: præsertim quia LVCIANAM virginem, quam desponsauerat, GVISCARDO DE BELLO-IOCO donauerat.

TVNC Matheus Comes de Bellomonte, & BVCCARDVS DE MONTE-MORENCII, terras sancti Dionysij Martyris deuastabant, nec pro regali prohibitione ab incendiis & rapinis, seu cædibus abstinebant. Ludouicus igitur, cui pater regni tuitionem commiserat, auditis questibus, quos ADAM Abbas ei flebiliter effuderat, Montem-Morentij obsedit, & tres portas eius acriter simul impugnauit. SIMON iuuenis de MONTEFORTI, qui RICARDO fratri suo in honore successerat, exercitum Francorum probitate sua & alacritate corroborabat. HADALA verò Comitissa centum milites optimè instructos Regi miserat, quia STEPHANVS Comes maritus eius peregrè perrexerat, & filios eius primogenitos, GVILLELMVM ac TEDBALDVM puerilis adhuc teneritudo detinebat, nec eos militaribus turmis dominari permittebat. Tandem fraudulenti commilitones, qui rebellibus fauebant, & impunitatem rapacitatis, cædiúmque affectabant, militarem disciplinam subsannantes fugerunt, sociósque non hostili timore, sed dolosa tergiuersatione terruerunt, ac ad inimicorum cachinnos excitandos fugere compulerunt. Ibi tunc Raimboldus Creton, qui primus in expugnatione Hierusalem ingressus est, strenuissimus miles subitò, proh dolor! occisus est. Ricardus etiam Centurio de Laquis Hierosolymita concidit.

C

ITERVM sequenti anno LVDOVICVS cuneos Francorum aggregauit, & Cambleium super Comitem Bellimontis obsedit. Sed simili modo delusus, de suis pluribus amissis, cum dedecore aufugit. Plenam pro tot nequitiis vltionem exercere nequibat, quia pater eius adhuc dum talia gererentur viuebat, & nouerca eius occultis machinationibus multa ei mala præstruebat, & plurimos hostes iu illum nequiter armabat.

D

DEFVNCTO Rege Philippo, Ludouicus regnauit, & securior iam regni virgam baiulans caput extulit, & dexteram in seditiosos leuauit. In primis itaque Pusacium obsedit, & Hugonem bellum, sed iniquum, militari robore coërcuit. Ibi latrones & exleges specialem speluncam habebant, inaudita scelera faciebant, nec ob irati Regis iram & minas, vel anathema Pontificis, à facinoribus se continebant. Quadam die dum regalis manus Hugonem per artum tramitem persequeretur, & ipse fugiens munitionem ingredi niteretur, ANSELLO DE GVARLAN-

A DA Principi Militiæ Francorum fortè obuiauit, quem lancea mox percutiens subitò peremit. TEDBALDVS autem Blesensium Comes obsessis suppetias venit, & Regem cum suis bellica manu recedere coëgit. Denique recuperato exercitu Rex Pusacium rediit, & rebelles supereminentium virtute copiarum ad deditionem compulit. Tandem auxiliatorum precibus obsessis pepercit. Vitæ quidem indignis impunitatem dedit, sed munitionem omninò destruxit. Vnde vicinis pagensibus & viatoribus ingens exultatio fuit. Gornacum etiam super Maternam obsedit, & obsessos penuria panis valde coartauit. Illud quippe HVGO DE CRECEIO filius Guidonis Rubri tenebat, nec pro iussione Regis Guarlandinis heredibus, qui calumniabantur illud, reddere volebat.

QVADAM die Tedbaldus Comes cum militibus multis ad riuum Torceij venit, & contra regios cœtus confligere cœpit. Sed præualentibus illis, Consul & commanipulares eius terga vertere coacti sunt, & vsque ad introitum Latiniaci fugati sunt, B multique in vineis sepibus latitantes capti sunt. Municipes igitur nimis territi sunt, & mox pace facta sese dediderunt.

PRÆFATVS Consul Regum & Comitum sanguine propagatus, inter præcipuos Galliarum Optimates florebat, diuitiis ac potentiâ & spectabili nobilitate pollebat: hominésque multos potentes & sæuos habebat, qui contribulibus suis atque vicinis admodum aduersabantur. Quorum quidam, prout operum suorum specimine publicabatur, nec Deum, nec homines competenter reuerebantur. Quapropter Rex de malitia eorum crebris rumoribus auditis irascebatur, eósque regia virtute ab inferiorum insectatione refrenare moliebatur. Illi autem metuentes à Rege opprimi, & à prauarum expletionibus volûtatum cohiberi refugiebant ad præsidium sui potentis patroni: in quo confidentes plerúmque præsumebant res nefarias in Deum & Ecclesiam moliri. Hac de causa inter Regem & Comitem crebra simultas exorta est, & perdurante malignitate multorum hominum, cædes ex vtráque parte facta est.

QVONDAM in pagum Meldensem Rex super Tedbaldum irruit, & Rodbertum C Flandrensem Satrapam cum aliis nobilibus secum habuit. Tunc ibidem à Cõsulari familia fortè impetitus est, & maiori virorum copiâ præualente, in fugam versus est. Rege nimirum cum suis fugiente, Flandrensis Marchisus in arto tramite cecidit, & ferratis equorum vngulis conculcatus, resurgere nequiuit, sed membris malè confractis difficulter sublatus, post paucos dies expirauit. Pro cuius obitu Reges & Principes, & multi homines plorauerunt, & vsque in Arabiam Christiani atque Gentiles casum bellicosi Hierosolymitæ planxerunt. In Attrebatensem verò vrbem, quam ipse paulò ante contra Henricum Imperatorem muniuerat, & insigni ex albo lapide muro vndique cinxerat; corpus eius à Morinis cum magno luctu delatum est, & in Ecclesia sancti Vedasti Præsulis, quam Theodericus Rex pro iniusta interfectione sancti Leodegarij Eduorum Pontificis pœnitens fundauerat, sepultum est.

BALDVINVS autem puer filius eius ei successit, & cum CLEMENTIA matre sua per aliquot annos paternum Principatum gubernauit; indiciísque virtutum præcedentibus, magnã futuræ probitatis spem amicis præstitit, sed quasi flos gratisD simus leui læsura tactus in momento emarcuit. Henricus enim Rex, postquam victor in Angliam remeauit, & Rodbertum Ducem, & quosdam alios, qui cum ipso capti fuerant, perenni ergastulo mancipauit: GVILLELMVM infantem, quem Heliæ de sancto Sidonio ad educandum commendauerat, consultu familiarium suorum comprehendi præcepit, & ad hoc peragendum Rodbertum de Bellocampo Vicecomitem Archarum ad sancti Sidonij castrum repentè destinauit. Præfatus Proconsul Dominico mane cùm illuc aduenisset, ipsúmque populus in Ecclesia subitò videns obstupuisset: quamuis Helias pædagogus infantis absens fuisset, per necessarios tamen amicos puer dormiens de loco repentè sublatus est, & manibus quærentium, ne cum patre suo vinculis innecteretur, subtractus est. Helias autem hæc audiens, amabilem albeolum festinanter quæsiuit, inuentúmque diligenter in exilio inter exteros enutriuit. Vicecomes igitur castrum Heliæ dominio Regis subegit, quod postmodum Rex Guillelmo de Guarenna consobrino eius donauit: vt sibi fideliter cohæreret, & inimicis pertinaciter resisteret. Helias per di-

HENRICVS I. 1108. uersa fugitans puerum seruauit, & vsque ad pubertatis annos vt propriam sobolem educauit. Per plurimas illum regiones circumduxit, optimatibus multis & nobilibus oppidanis elegantiam eius ostendit. Ad amorem iuuenis quoscúmque potuit precibus & promissis viuaciter attraxit, & querimoniam desolationis eius manifestè promulgauit; sicque corda multorum ad compassionem deiectionis illius inclinauit. Normannorum plures ei nimis fauebant, & eundem sibi præferre vehementer optabant. Vnde nonnulli potentem sceptrigerum, qui tunc dominabatur eis, offendebant, seséque suspectos pluribus modis faciebant. Præcipuè Rodbertus Belesmensis, recolens amicitiam & familiaritatem, quam erga Ducem habuerat, & ingenti potentiâ, qua super maximos Normannorum sub eo floruerat, inclytum exulem Ducis filium adiuuare totis nisibus satagebat. Inter eos veredarij frequenter discurrebant, & impigri cursores vtrorúmque arcana sibi vicissim referebant. Sic alternis cohortationibus mutuò sese Rodbertus & Helias confortabant, & de prouehenda sobole ducis obnixè tractantes laborabant. Ludouicum Regem Francorum, & Guillelmum Ducem Pictauorum, Henricum quoque Ducem Burgundionum, & Alannum Principem Britonum, aliósque potentes regionum Rectores frequentabant, legatis & epistolis crebrò pulsabant, & omnimodis ad auxilium Guillelmi Clitonis inuitabant.

TANDEM Fulco Andegauensis SIBYLLAM filiam suam ei pepigit, Comitatúmque Cœnomannorum concessit, & per aliquod tempus sæpefatum tyronem admodum adiuuit. Verùm nimia Henrici Regis industria præualente, præscripta copulatio penitus interrupta est, minis, precibúsque, & auri, argentíque, aliarúmque specierum ponderosa enormitate. Missis etiam argutis dissertotibus, disputatum est de consanguinitate, pro qua diffinitum est eos secundum Christianam legem coniungi non debere. Nam Ricardus Gunnorides Dux Normanniæ genuit Rodbertum, & Rodbertus Guillelmum Nothum, qui genuit Rodbertum patrem Guillelmi Clitonis. Rodbertus autem Archiepiscopus & Comes frater Ricardi Ducis genuit Ricardum Comitem Ebroicensium, & Ricardus Agnetem Simonis vxorem, quæ peperit Bertradam Fulconis genitricem, & Fulco genuit Sibyllam. Sic nimirum Guillelmi & Sibyllæ parentela inuestigata est, diúque cupita claræ iuuentutis connexio frustrata est.. Præclarus iterum iuuenis ab Andegauensibus expulsus est, & ab extraneis cum metu & labore suffragium poscere coactus est. Denique post multos circumitus ad Balduinum Flandrensem cognatum suum diuertit, illiúsque fidem & audaciam ac adminiculum temptauit. Quem ille acriter suscepit, & omne subsidium ei spopondit, & certamen pro illo, vt in sequentibus memorabo, vsque ad mortem pertinaciter pertulit.

1109. ANNO ab incarnatione Domini MCIX. indictione II. vltio diuina hominum scelera pluribus flagellis puniit, & mortales solito terrore cum pietate terruit, vt peccatores ad pœnitentiam inuitaret, pœnitentibus veniam & salutem clementer exhiberet. In Gallia, maximè in Aurelianensi & Carnotensi Prouincia, clades ignifera multos inuasit, debilitauit, & quosdam occidit. Nimietas pluuiarum fructus terræ suffocauit, terræque sterilitas inhorruit, & vindemia penè tota deperiit. Deficientibus itaque Cerere & Baccho valida fames terrigenas passim macerauit in mundo. Hic tam grauis annus fuit tertius regni Ludouici filij Philippi Regis Francorum, & nonus Henrici filij Guillelmi Nothi, Ducis Normannorum & Regis Anglorum.

EODEM anno Henricus Rex Mathildem filiam suam dedit in coniugium Karolo Henrici filio Imperatori Alemannorum, quam suscepit à patre, & conduxit marito Burchardus Præsul Cameracensium. Rogerius quoque filius Ricardi, alíique plures ex Normannis comitati sunt, & per hanc copulam Romanum apicem conscendere putauerunt, atque dignitates Optimatum audacia seu feritate sua sibi aliquando adipisci cupierunt. Sic nimirum antecessores eorum in Anglia per Emmam Ricardi Ducis filiam dominati sunt, & in Apulia per Sichelgaudam Guaimalchi Ducis Psalernitani filiam super geminos heredes furuerunt. Hæc siquidem vafer Imperator, qui plura perscrutatus est, agnouit, & alienigenas indebiti fastus ceruici suæ imponere præcauit. Vnde consultu Germanorum omnes datis muneribus ad propria remisit.

A In illo tempore migrauerunt plures sanctitate & sapientia præcipui Doctores Ecclesiarum, Anselmus scilicet Archiepiscopus Cantuariorum, & Guillelmus Archiepiscopus Rotomagensium: venerabilésque Cœnobiorum Rectores, Hugo Abbas Cluniacensis, Geruasius Redonensis, & Guillelmus Cormeliensis, aliíque plures de hac luce subtracti sunt. Quorum felices animæ, vt sine dubio credimus, in manu Dei sunt. Pro tantorum itaque transitu Baronum videtur ipse mundus lugere, agrorum & vinearum negata vbertate. Impij etiam, qui pro tantorum discessu patrum non doluerunt ex pietate, saltem multimoda coacti sunt gemere calamitate, quam cogente Dei iustitiâ subierunt pro sua impietate. HENRICVS I. 1109.

ANSELMVS Cantuariensem Ecclesiam XVI. annis canonicè rexit, & flos bonorum temporibus nostris specialiter emicuit. De cuius vita vtilem & elegantem libellum domnus Edmarus edidit, qui beati viri Monachus, & in peregrinatione B socius extitit. Denique sacer Heros à Domino mercedem laborum suorum percepturus XI. Kal. Maij defunctus est; & in Basilica sanctæ & indiuiduæ Trinitatis ante Crucifixum sepultus est.

TVNC venerandus HVGO Cluniacensis Abbas, postquàm Passionem Christi & Resurrectionem celebrauit, feria II. ægritudine tactus in lectum decidit, & per tres dies iter ad Dominum confessione & oratione præparauit. Ipse Conuentui, vt successorem eligerent imperauit, electúmque iuuenem nomine PONCIVM testimonio auctoritatis suæ corroborauit. Deinde in domum infirmorum inter manus fratrum portari se fecit, ibíque feria IV. grandeuus heros ad Christum, cui à pueritia militauerat, migrauit. Hic, vt fertur, LXIV. annis Cluniacense Cœnobium gubernauit, & plus quàm X. milia Monachorum ad militiam Domini Sabaoth suscepit, & post obitum in Basilica sepultus est, quam ipse à fundamentis inchoauit. Sic duæ simul Ecclesiarum columnæ de terrestri Hierusalem, quæ adhuc inter allophylos peregrinatur, translatæ sunt: ac vt credimus, pro diuturna sanctitate in superna Sion immobiliter plantatæ sunt. Gloriosus Archipræsul Doroberniæ Anselmus ante Pascha obiit, & Curiam omnipotentis Adonai feria IV. infu- C latus adiuit: & in ipsis Paschæ solemniis carus amicus eius Hugo Abbas feria IV. similiter è mundo transiuit. Stemma Dorobernensis cathedræ Radulfus Rofensis Episcopus suscepit, & nouem annis graui ægritudine aliquandiu detentus tenuit. Cluniacense verò regimen Poncius Merguliensis Comitis filius suscepit, & post aliquod tempus pro diuersis occasionibus, vt in sequentibus enarrabitur, reliquit. Hierusalem peregrè perrexit, & indè reuersus Romæ in carcere Calixti Papæ obiit: ad cuius sepulchrum sanctitas eius miraculis euidentibus honorificè splendescit.

ANNO ab incarnatione Domini MCX. Indictione III. Guillelmus Archiepiscopus, postquam Rothomagensem metropolim XXXII. annis laudabiliter rexit, in bona senectute V. Idus Februarij obiit. In Capitulo autem Canonicorum, quod ipse construxerat, tumulatus est, & Epitaphium eius ad ipsum qualis fuerit in Orientali maceria sic exaratum est. 1110.

Religio tua, larga manus, meditatio sancta,
Nos, Guillelme, tuum flere monent obitum;
Quòd pius Antistes fueris, Clerique benignus,
D *Interiora docent, exteriora probant.*
Ecclesiæ lumen, decus & defensio Cleri,
Circumspectus eras, promptus ad omne bonum.
Fratribus hanc ædem cum claustro composuisti,
Nec tua pauperibus ianua clausa fuit.
Contulit ad victum tua munificentia fratrum
Ecclesias, decimas, rura, tributa, domos.
Exemplóque tuo subiectos dedocuisti
Verba pudenda loqui, turpia facta sequi.
Fine bono felix biduo ter solueris ante
Quàm Pisces Solis consequeretur iter.

IN ipso anno Cometes à IV. Idus Iunij vsque pridie Kalend. Iulij in supremo cœli climate visa est. Paulò pòst HELIAS Cœnomannorum Comes obiit.

TRIBVS continuis annis, ab indictione videlicet II. vsque ad IV. asperrima

HENRICVS I. fames in Gallia facta est, qua hominum multitudo nimis attenuata est. A

1111. ANNO ab incarnatione Domini MCXI. indictione IV. Goiffredus Brito Cœnomannorum Decanus à Rege Henrico in Angliam accitus est, & Rothomagensibus Pontifex constitutus est. Hic eloquentiâ & eruditione pollens Clerum & populum Catholicè docuit, Ecclesiæque Dei XVII. annis vtiliter præfuit. Eodem anno Karolus Imperator Paschalem Papam cepit, & Ecclesiam Dei, sicut iam aliàs dictum est, vehementer turbauit.

1112. ANNO ab incarnatione Domini MCXII. Gislebertus senex Ebroicensis Episcopus, postquàm in Episcopatu XXXIV. annis vixit, in senectute bona IV. Kal. Septembris obiit, & in Basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est: quam ipse perfecit, dedicari fecit, possessionibus & ornamentis ditauit, Clerum ampliauit, & Ecclesiastico cultui nocte diéque mancipauit. Sequenti autem anno Audoinus Baiocensis Capellanus Regis successit, qui eruditione literarum imbutus, sibi commissis viam Dei regulariter monstrauit. B

1113. ANNO ab incarnatione Domini MCXIII. Indictione VI. Henricus Rex Anglorum Procerum multitudine suorum stipatus Vticum venit: ibíque Purificationem sanctæ Dei genitricis Mariæ cum magna hilaritate celebrauit. In claustro Monachorum diu sedit, esse eorum diligenter considerauit, & perspecta religionis moderatione, illos laudauit. Sequenti verò die in Capitulum venit, societatem eorum humiliter requisiuit, & recepit. Ibi fuerunt nepotes eius Tedbaldus & Stephanus, Conanus Brito, & Guillelmus Exoniensis Episcopus, & alij plures Consules & Optimates cum suis Proceribus. Tunc consilio Rodberti Comitis de Mellento Rex iussit Cartam fieri, ibíque omnia quæcumque Vticensis Abbatia ipso die possidebat breuiter colligi. Quod & factum est. Deinde Ernaldus Prior, & Gislebertus Sartensis Rotomagum Regi Cartam detulerunt. Ipse verò libenter eam cruce facta firmauit; & Optimatibus suis qui aderant crucis signo similiter corroborandam tradidit. Subscripserunt itaque Rodbertus Comes de Mellento, & Ricardus Comes de Cestra; Nigellus de Albinneio, & Goëllus de Ibreio, Guillelmus Peuerellus, & Rogerius de Tedboldi-villa, Guillelmus de Lalunda, & Rodbertus C Regis filius, & alij plures. Hæc nimirum Carta consilio sapientum facta est contra cupidos hæredes, qui singulis annis elemosynas parentum suorum diripiebant, & cum magno rerum Ecclesiasticarum detrimento Monachos crebrò placitare cogebant. Vnde Rex præscriptum testamentum sigillo suo signauit; & ne quis ad placitum Monachos de his rebus, quas edicto principali sanxit, nisi in Curia regali prouocaret, generali auctoritate prohibuit. Tunc etiam LX. Barones, & X. modios tritici Vticensibus Monachis dedit, & Ioanni Luxouiensi Episcopo, vt triticum Vticensibus Monachis apud Argentonium erogaret, præcepit. Quod ille libenter, & sine mora adimpleuit. Celebrata verò, vt dictum est, apud Vticum festiuitate, fines regionis suæ Rex perrexit visere, & infirmiora terræ contra hostes & latrunculos munire.

HIS temporibus, dum filij lucis gauderent pace & tranquilitate, & filij nihilominus tenebrarum stimularentur nequitiâ & iniquitate, orta est dissentio magna in regno Francorum, per quam crudeliter effusus est sanguis multorum. Nam Fulco iunior Comes Andegauensis, qui gener & hæres erat Heliæ Cœnomannorum D Comitis, instinctu ALMARICI auunculi sui, Henrico Regi damna inferre satagebat, & Ludouicum Regem ad sui adiutorium totis nisibus implorabat. Verùm Henricus sensu diuitiisque præditus, & bellico apparatu copiosè fretus, hostium suorum molimina velut araneæ telas, iuuante Deo, frustrabatur, ipsisque sine suorum sanguine proculcatis gratulabatur. Contra Geruasium de Nouo-castello, qui pertinaciter ei resistere nitebatur, duo firmauit municipia, vnum quod Nonencort, aliud quod Illias dicitur: & tertium super illum obtinuit, quod Sorellum vocatur. Cœnomannensium quoque Procerum plurimi Henrico Regi sese contulerunt, factâque fidelitate munitiones suas illi reddiderunt. Eodem anno Tedbaldus Comes Blesensis Regi Ludouico viriliter restitit, eique plura detrimenta acerrimè intulit. Quin etiam ipsum Regem, dum Pusacium castrum obsideret, armatorum viribus fugere compulit. His itaque studiis iuuentutē suam exercens occupabat Regem Francorum, ne posset Normanniam impugnando inquietare auunculum Regem Anglorum.

TVNC

A TVNC Rodbertus Belesmensis ingentem maliciam, quam diutina curiositate fouerat, extulit, & contra Regem, cui hactenus venenosis simulationibus blandiebatur, ceruicem palam erexit. Erat idem potens & versutus, nimiæque auariciæ & crudelitatis, Ecclesiæ Dei pauperúmque oppressor impacabilis, & si dici fas est, temporibus Christianis in omni malitia incomparabilis. Hic si quidem rupto fidelitatis vinculo periurium palam incurrit, dum naturalem dominum suum Hericum, qui tunc à multis vndique infestabatur, dereliquit, & Fulconem Andegauensem, aliósque domini sui publicos hostes consilio & viribus adiuuit. Vnde à præfato Rege pridie Nonas Nouembris apud Bonamuillam, cur iniquè in dominum suum operatus fuerit, cur ad Curiam eius ter accersitus non venerit, cur de regiis redditibus ad Viccecomitatum Argentonij & Oximorum, Falesiæque pertinentibus, vt Regis Vicecomes & Officialis rationem non reddiderit, & de aliis reatibus rationabiliter impetitus est; iustóque iudicio regalis Curiæ pro immensis innumerísque facinoribus, quæ negare nequiuit, tam in Deum quàm in Regem commissis, artissimis vinculis traditus est. Capto itaque tyranno, qui terram tur-
B babat, & multiplicibus rapinis ac incendiis adhuc addere peiora parabat, erepta de iugo prædonis plebs Dei gaudebat, Deoq; liberato sui gratias agebat, & Henrico Regi longam bonámq; vitã optabat. Deinde Rex Alecionem obsedit, & post aliquot dies munitionem recepit, & Godefredo, Adæque Soro, aliísque militibus, qui custodiebant arcem, exeundi liberam facultatem concessit: & Hugonem de Mes-Dauid, aliósque duos milites, qui cum Rodberto capti fuerant, à vinculis absoluit.

GALLI autem & Normanni, eorúmque confines paulatim ab armis quieuerunt, & non multò post pacificis intercurrentibus nunciis integram pacem mutuò confirmauerunt. Fulco si quidem Andegauensis in prima septimana Quadragesimæ Alencionensem pagum adiit, ibique ad Petram-peculatam cum Rege Henrico locutus ei fidelitatem iurauit, eiúsque homo factus Cœnomannensem Comitatum ab eo recepit, filiámque suam GVILLELMO ADELINO Regis filio dedit. Tunc Rex Henricus Guillelmo Comiti, qui apud Andegauenses XIV. mensibus exulauerat, Ebroicensem Comitatum redditdit. ALMARICO quoque DE
C MONTEFORTI, & Guillelmo Crispino, quæ in ipsum commiserant, benigniter indulsit. Exules etiam, quos imperius Rodbertus expulerat, reuocauit, & paterna rura clementer eis restituit. Ecclesias verò Dei, Vticẽsem videlicet, ac Sagiẽsem, & Troarnensem, quæ sub graui oppressione ferocis heri diu gemuerant, serena releuatione exhilarauit, & Ecclesiis, decimísque, cum aliis possessionibus, quas iniustè amiserant, resaisiuit. Sancto enim Ebrulfo reddidit XXX. solidos Cœnomãnẽsiũ de redditibus Alencionis ad luminaria Ecclesiæ, quos Rogerius Comes, concedẽte Rodberto filio suo, singulis annis dederat in capite Quadragesimæ, & cetera omnia, quæ idem Comes in Carta firmauerat, sed iniquus heres nequiter abstulerat.

DENIQVE Rex Ludouicus multis modis expertus Henrici Regis sublimitatẽ, & ingentẽ industriã ac probitatẽ, spretis proditoribus, qui seditiones paci præponebãt, colloqui cum eo expetiit, stabilémq; ad sãctæ profectũ Ecclesiæ pacẽ firmare decreuit. Ambo itaq; Reges indictione VI. in vltima Martij hebdomada Gisortis cõuenerũt, & ex vtraq; parte iurata pace cũ magno multorũ gaudio amoris vinculo cõplexa-
D ti sunt. Tunc Ludouicus Henrico Belismũ, & Cœnomannensiũ Comitatũ, totámq; cõcessit Britãniã. Fergãnus etenim Britonũ Princeps homo Regis Anglorũ iam factus fuerat. Rex autẽ Conano filio eius filiã suã spopõderat. Porrò Hamericus de Vilereio, aliiq; Belesmẽsiũ Proceres, quib. Guillelmus Talauacius Rodberti filius oppidũ cõmiserat, dũ ipse ad tutãdũ Põtiuũ Comitatũ suũ abierat: cõfidẽtes in ingẽti munitionis fortitudine, & armatorũ multitudine, ad resistẽdũ impugnãti cuilibet acriter parauerũt se. Rex autẽ Hẽricus exercitũ totius Normãniæ cõgregauit, Bellismũ Kal. Maij obsedit, eiq; tunc spe melius accidit. Tedbaldus verò Comes Blesensis, & Fulco Andegauẽsis, atq; Rotro Moritoniẽsis, aliique præclari Optimates Normãnis suppetias venerũt, & cũ suis agminib. oppidũ circũdederũt, ac tertia die victores ingressi sũt. Inuentio quippe S. Crucis erat, & Rex omnem exercitũ ab assultu oppidi, & exercitio belli quiescere iusserat. Sed milites Comitũ Tedbaldi & Rotronis, qui Regis edictũ nõ audierãt, arma sũpserũt. Oppidani quoq; milites singulari certamine dimicaturi de castro egressi sunt. Porrò, dũ obsidẽtes in illos fortiter irruerent, & ipsi regiratis equis ad portam Orientalẽ velociter fugerẽt: in ipso introitu portæ ab

BBbb

insequentibus percussi & deiecti sunt, & valuæ hostium multitudine lancearum, A ne clauderentur, sustentatæ, & penitus reseratæ sunt. Protinus regalis exercitus nimia cum vociferatione ingressus est, & magnam partem munitionis viriliter nanctus est. Deinde persistentibus his, qui arcem seruabant, ignis iniectus est, & nobile oppidum, quod Rodbertus iamdudum summopere muniuerat & ditauerat, funditus concrematum est. Victor itaque Henricus, firmata pace, cum omnibus vicinis suis in Angliam remeauit, & quinque annis in magna tranquilitate regnum vltra mare, & Ducatum citra gubernauit: amicis fidelibus deuotè laudantibus Dominum Deum Sabaoth, qui omnia fortiter suauitérque disponit, Amen.

ORDERICI VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI, ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ B

LIBER DVODECIMVS.

Henricus I. 1118.

ANNO ab incarnatione Domini MCXVIII. Indictione XI. vigilia Natalis Domini, vehemens ventus ædificia & nemora in partibus Occiduis plurima prostrauit. Defuncto Paschali Papa, Ioannes Caietanus Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius & magister in GELASIVM Papam electus est, & contradicente Imperatore à Romano Clero canonicè consecratus est. Tunc e- C tiam Burdinus Bragarum Archiepiscopus, qui suis à fautoribus GREGORIVS VIII. vocitatus est, Imperatore conniuente, in Ecclesiam Dei intrusus est. Tunc grauis inde discensio inoleuit, sæua percutio inhorruit, & Catholicam plebem vehementer perturbauit. Tunc inter LVDOVICVM Regem Francorum, & HENRICVM Regem Anglorum, grauis inimicitia erat, & tantorum Principum hostilitas frequentibus damnis sua mutuò rura destruebat. Ludouicus Rex Guillelmum exulem ad nanciscendam hereditatem suam iuuabat, eíque magna pars Normannorum adminiculari toto nisu satagebat. Henricus autem castrum sancti Clari surripuit, diúque contra Odmundum, aliósque collimitaneos prædones tenuit, & Gallos multum grauauit. Porrò, Ludouicus vadum Nigasij, quòd VANI vulgò vocatur, fraudulenter adiit, ac veluti Monachus cum sociis militibus, qui nigris cappis amicti erant, ex insperato intrauit. Ibique in Cella Monachorum sancti Audoëni castrum muniuit, & in domo Domini, vbi solummodo preces offerri Deo debent, speluncam latronum turpiter effecit. Hoc verò Rex Anglorum vt audiuit, illuc cum exercitu veliciter accessit, ibique duo castra firmauit, quæ hostilis derisio turpibus vocabulis infirma- D uit. Vnum enim Malassis, & aliud nuncupatur Trulla-leporis. Bellica igitur rabies ferè IV. annis malè furuit, incendiis & rapinis, sæuísque cædibus vtrámque regionem afflixit.

GELASIVS Papa eruditione literarum apprimè instructus fuit, & longa exercitatione, vtpote qui Præsulum Apocrisiarius ferè XL. annis enituerat, calluit. Sed non plenè duobus annis Romanæ Ecclesiæ præfuit. Hic auaritiâ nimis æstuans Gallias venit, & Ecclesias illis in partibus immoderata superfluitate Quiritum opprimere cœpit, sed citò instar gelu matutini flante Deo pertransiit.

TVNC in Britannia cuidam mulieri post partum decubanti diabolus apparuit, & in specie viri sui, à quo petierat escas, detulit. Illa verò specie mariti sui visa decepta est, & comedit, & ille post prandium euanuit. Paulò pòst

A vir eius venit, quod contigerat audiuit, nimis expauit, ac Presbytero retulit. Presbyter autem inuocato nomine Domini feminam tetigit, aqua benedicta aspersit; & si rursus delusor accederet, docuit quid diceret. Iterum sathan venit, & illa quod edocta fuerat inquisiuit. Nimius, inquit, ventus, qui nuper ante Natale Domini terribiliter personuit, & nos grauiter perterruit, quid portendit? Templa domósque detexit, & fastigia turrium deiecit, & innumera syluarum robora prostrauit. At ille ait: Decretum fuit à Domino, vt magna periret hominum portio. Sed efficax superorum obtinuit supplicatio, vt parceretur hominibus, & lapsus ingens immineret arboribus. Formidanda tamen ante tres erit annos in terra tribulatio, atque plurimæ sublimes personæ succumbent excidio. His dictis, mulier aquam benedictam sparsit, & mox dæmon euanuit. Eodem tempore monstrum in Anglia visum est. Apud Heli à quodam rustico empta est prægnans vacca, & iussu Heruei Britonis eiusdem Diocesis Episcopi mactata est, & aperta. Sed, mirum dictu! B tres porcelli pro vitulo reperti sunt in ea. Hoc nimirum quidam Hierosolymitanus, qui fortè de mercato animal deducenti obuiarat, intimauit, & Episcopo, aliísque astantibus addidit, quòd tres eodem anno sublimes personæ de potestate Henrici Regis morerentur, plurimæque postmodum tribulationes acerbæ sequerentur. Hæc eo tempore quæ peregrinus vates prædixit, rerum exitus comprobauit.

HENRICVS I. 1118.

GVILLELMVS enim Ebroicensis Comes XIV. Kal. Maij mortuus est, & Fontinellæ in Cœnobio sancti Guandregisili cum Ricardo patre suo sepultus est. Deinde MATHILDIS Regina, quæ in baptismate EDIT dicta fuit, Kal. Maij obiit, & in Basilica sancti Petri Vvestmonasterio tumulata quiescit. Rodbertus autem Comes Mellenti Nonis Iunij obiit, & Pratellis in Capitulo Monachorum cum patre suo & fratre requiescit. His itaque decedentibus, ingens tribulatio Normannis orta est.

ALMARICVS enim DE MONTEFORTI Simonis & Agnetis filius, ex sorore nepos Guillelmi Comitis, Ebroicensem Comitatum expetiit, quem prorsus ei C Rex Henricus consilio AVDINI eiusdem vrbis Episcopi denegauit. Ille igitur totis nisibus insurrexit, & penè totam Galliam in Regem Henricum exciuit. Militaris enim & potens erat, vt pote qui castella munitissima, & potentes oppidanos habebat: parentibus quoque diuitiis & potentiâ vigentibus inter summos Francorum Proceres sublimis florebat. Eodem anno Guillelmus Punctellus in Octobri atcem ei Ebroicensem tradidit, & tota ciuitas prædonibus patuit. Episcopium quoque totum deprædatum est, & Audinus Præsul cum Clericis & clientibus suis fugere compulsus est. Tunc etiam Hugo de Gornaco, & Stephanus Comes de Albamarla, Eustachius de Britolio, & Richerius de Aquila, Rodbertus quoque de Nouoburgo, aliíque plures contra Henricum Regem rebellauerunt, & Guillelmum exulem Rodberti Ducis filium in paternum honorem restituere conati sunt.

BALDVINVS acer iuuenis Flandrensis Satrapa totis viribus insurrexit in Regem Henricum, vt cognatum suum in paternam hereditatem reuocaret Guillelmum. Henricus Aucensis Comes in primis consensu rebelles adiuuit. Sed prouiD dus Rex hoc comperiens, ipsum cum Hugone de Gornaco Rothomagi comprehendit, ac ad reddendas munitiones suas vinculis coartauit. Tunc Balduinus cum multitudine Morinorum in Normanniam vsque ad Archas venit, & villas in Talogio, Rege cum Normannis flammas spectante, combussit. Moderatus igitur Rex Buras muniuit, ibíque, quia plerósque Normannorum suspectos habuit, stipendiarios Britones & Anglos cum apparatu copioso constituit. Illuc nimia feritate frendens Balduinus sæpè veniebat, & Britones ad exercitium militare lacessebat. Tandem à quodam Hugone Boterello vulneratus est, & inde Albamarlam, quia Stephanus Comes, & Haduisa Comitissa ei summoperè fauebant, regressus est: vbi (vt dictum) sequenti nocte teneras carnes manducauit, mulsum bibit, & cum muliere concubuit. Indè lethifera ægritudo incontinentem saucium corripuit, & à Septembri vsque in Iunium miserabiliter languentem ad vltima coëgit. Omnes itaque, qui sperabant in illo, experiri potuêre continuò, quòd non in homine sperandum sit, sed in Domino.

HENRICVS I. 1181.

MORTVO Balduino, KAROLVS DE ANCHORA ex filia Rodberti Frisionis cognatus eius successit: & de suis sollicitus, cum Rege Anglorum, aliísque affinibus suis pacem habuit. A

HVGO filius Girardi de Gornaco, quem Rex vt filium nutrierat, adultum militaribus armis instruxerat, patrio honore reddito, quem DROGO vitricus eius aliquandiu gubernarat, inter Magnatos sublimarat, regia crudelitate * munitiones fidei suæ commissas vt amicus recepit. Sed beneficus magnifici altoris condignas grates non recompensauit. Proditoribus enim coniunctus est, & in dominum nutriciúmque suum rebellare ausus est.

*f. credulitate.

MENSE Iunio de sorore sua nomine Gundrea tractauit, ipsámque consilio Regis Nigello de Albinneio potenti viro nuptum tradidit. Desponsatione verò facta, sponsus cum sponsa nuptias suas celebrauit: sed Hugo cum suis complicibus festinanter indè recessit, ipsóque die contra Regem arma sustulit. Municipium námque Plessicij ex insperato intrauit, hominémque probum Bertrannum cognomento Rumicem, qui Regi sibíque fidus tutor erat, repentè occidit, & nepoti eius Hugoni Talabot munitionem commisit. Verùm Rex non multò pòst idem castrum recuperauit, fortiter muniuit, ibíque Rodbertum & Guillelmum filios AMALRICI cum insigni militum caterua pro tuitione regionis constituit. B

PORRO incœptam rebellionem Hugo contumaciter tenuit, & castella sua, Gornacum, & Firmitatem, atque Goisleui * fontem militibus & armis muniuit: & incendiis ac rapinis inter Sequanam & pelagus totam regionem oppido deuastauit. Rodbertus enim cognomento Hachet, & Girardus de Fiscanno, Engerrannus de Guascolio, Ancelmus ac Gislebertus de Cresseio, aliíque cupidi prædones illi adhærebant, qui crudelissimam in Talou & Caletensi pago guerram faciebant. Hiemalibus quippe noctibus longè discurrebant, & milites atque pagenses cum vxoribus & infantibus etiam in cunabulis rapiebant, & ab eis ingentem in carceribus redemptionem immaniter exigebant. Consentientes ibidem plurimos habebant, quorum hospitio refoti, & diutiùs si necesse fuit occultati, ad nefas subitò proruebant, & damnis ingentibus vndique colonos proterebant. Sic Braiherij Rodomensem prouinciam lædebant, & minitando peiora nimis inquietabant: multiplicibus auxiliis adiuti Francorum & Normannorum affines suos vexabant. C

Galionis fons nunc dicitur.

SOLVS Guillelmus de Rolmara Noui-mercatus municeps, & commanipulares eius illis obstabant. Plerúmque prædas, quas illi de longinquo adduxerant, isti de pratis, quæ secus Eptam virent, ad penates suos perducebant. Tunc decem & octo Castellani Proceres Neustriæ, quorum fama & potestas ceteris præminebant præcipuè, perfidiæ gelu torpebant, exulis Guillelmi partibus fauebant, & super regiæ partis debilitatione gaudebant. Ea tempestate Fulco Andegauensis Comes à Rodberto Geroio, qui castrum sancti Serenici contra Regem defensabat, inuitatus venit, & cum quingentis militibus Motam Galterij, quam Rex munierat, obsedit: ingentíque instantia crescentis exercitus per octo dies in fine Iulij expugnauit. Hoc audiens Henricus Rex Alencionem venit, missísque veredariis phalanges totius Normanniæ ad pugnam oongregauit. Interea crebris assultibus Andegauini Normannos fatigauerunt, validísque saxorum ictibus munimentum contriuerunt. Sic nimirum CXL. milites sine damno membrorum & armorum ad deditionem coacti sunt, quorum Princeps Rogerius de sancto Ioanne, & Ioannes frater eius à Rege electi fuerunt. Andegauenses autem Kalend. Augusti munitionem solo tenus diruerunt, & victores patriam suam læti redierunt. Castrenses verò pro infortunio suo mœsti, Alencionem venerunt, sed irato Rege pro deditione satis erubuerunt: defectum tamen suum rationabiliter excusauerunt, dum crebrò per nuncios quæsitus, diúque expectatus cum necessariis viribus auxiliator nimis tardasset, & ingens violentia iugiter in silentium inclusis incubuisset. Tunc Rex Henricus Sagium, & Alencionem, & totam in illa regione terram Rodberti Belesmensis Tedbaldo Comiti dedit. Ipse verò D

A eundem honorem permittente Rege Stephano fratri suo, pro portione paternæ hereditatis, quæ in Gallia est, donauit. Stephanus itaque iuuenis Sagium & Alencionem, Merulámque super Sartam, & Almaniscas, cum Rupe de Ialgeio possedit: munitiones armis propriísque satellitibus muniuit, angariis & exactionibus indigenas oppressit, mutatísque consuetudinibus, quas hactenus sub Rege habuerant, sese odibilem, ipsósque infidos effecit. In diebus illis filij malitiæ in cathedra pestilentiæ sedebant, & multa nefaria per eos in terra fiebant. Tunc Richerius de Aquila patris sui terram de Anglia requisiuit, sed ei Rex omninò denegauit dicens, quia Goffredus & Engenulfus fratres eius in Regis familia seruiebant, & eundem honorem hereditario iure fiducialiter expectabant. Cúmque iuuenis ius suum sæpiùs requireret, & procaciter frequentans Regi molestus esset, ille multis occupatus ei quæ petebat omninò denegauit, insuper eum infamibus verbis deturpauit. Turgidus ergo adolescens iratus de Curia recessit Normannorum, & mox pactum fecit cum Rege Francorum, quòd nisi patrium ius sibi redderetur, Regem desereret Anglorum. Spopondit Ludouicus Rex Richerio, quòd si suæ parti B faueret, ipse LX. & AMALRICVS L. milites in Aquilæ castro assiduè teneret. Securus itaque Richerius Curiam adiit, Regem Angliæ de hereditate sua iterum requisiuit; sed nihil obtinuit, mœstúsque recessit. Sequenti verò die Rotro Comes auunculus eius Regem de prædicta re repetiit, consiliúmque ne seditio augmentaretur, ei benigniter dedit. Cuius monitis Rex adquieuit, & per eundem Richerio se omnia quæ petierat redditurum mandauit. His auditis, Richerius gauisus est, & Ludouico Regi cum magno exercitu iam properanti obuiam profectus est. Tecum, inquit, domine mi, nuper feci factum, quod tenere nequeo. " Dominus enim meus Rex Anglorum mihi totum restituit quod petebam. Vnde " iustum est, vt in omnibus conseruem ei fidem integram. Ludouicus Rex ait: " Vade, & faciam quod potero. Confestim Richerius proprios lares repetiit, & Rex pedetentim cum omni virtute sua ad portas Aquilæ accessit. Oppidanis autem sese defendere volentibus Rex institit, nimiúsque ventus ignem nescio à quo immissum admodum aluit, quo flante flamma vorax totum oppidum concremauit. C Richerius itaque tali coactus infortunio, ad Regem accessit, & fœdere confirmato, III. nonas Septembris munimentum Francis reddidit. Porrò, Rex Franciæ cum suis ibi tribus diebus in magna egestate permansit, & quarto recedens, ALMARICVM Comitem, & Guillelmum Crispinum, & Hugonem de Nouo-castro ad tutandum castrum dimisit. Tunc Guillelmus de Rete, & Sencio, Guillelmus de Fontenillis, & Isuardus de Scublaio pro fidelitate Henrici Regis ad Pontem-Erchenfredi abierunt, & relictis omnibus, quæ sub præuaricatione pacis habuerunt, Radulfo Rufo contra hostes Regis adhæserunt. Galli combustionem totius villæ cernentes, non pauidi vt fugaces lepores, sed fortitudine securi vt leones, vacuas domibus plateas seruauerunt, ibique victum armis quæsituri tentoria fixerunt.

HENRICVS I. 1118.

HIS itaque gestis diuulgatis, Henricus Rex cum ingenti exercitu sequenti die conuolauit, & Aquilam, quæ nimis desolata erat, omnibus qui intus erant contremiscentibus, obsidere festinauit. Verùm conatus eius tristis nuncius impediuit, Guillelmus de Tancardi-villa, cui Rex nimis credulus adquieuit. Is enim Regem in villa, quæ Liued dicitur, assecutus, ait: Quò tendis, domine " D Rex? Ecce Calletenses mittunt me ad te, vt festines ad illos cum copiis tuis " remeare. Hugo enim de Gornaco, & Stephanus de Albamarla, cum complicibus suis in monte Rotomagi consistunt, & in Cœnobio sanctæ Trinitatis ca- " stellum construere satagunt: ibique nepotem tuum cum multitudine Franco- " rum venientem præstolantur, vt à ciuibus ei ciuitas prodatur. Protinus his au- " ditis Rex indè reuersus est, & cnneus castrensium in diuersa diuertentes insecutus est. Tunc de Molinensibus ferè XL. comprehenderunt, & prædis vndique collectis corroborati, castrum Aquilæ munierunt, & per annum integrum fortiter tenuerunt.

REX Henricus Rothomagum celeriter venit, sed hostes vt audierat ibi non inuenit, deceptus à Camerario suo, qui de Aquila illum reduxerit. Magnum vtique illis, qui sub diuo frigore & tremore contremiscebant, suffragium

HENRICVS I. contulit, dum alia occasione falsò protensa Regem frustra cum turmis suis abegerit. A

1118. DEINDE Rex cum mille militibus contra Hugonem in Braium expeditionem fecit, & castellum Hugonis, quod Firmitas vocatur, expugnare cœpit. Sed pluuiæ mira mox inundatio erupit. Denique Prouincia funditus deuastata recessit, & inde contra Rodbertum, qui rebellauerat, Nouum-burgum expetiit, impugnauit, penitúsque concremauit. Præfatus enim Rodbertus Henrici Comitis & Margaritæ filius erat, & contra Gualerannum Comitem de Mellento filium Rodberti Comitis, patrui scilicet sui, calumnias faciebat. Sed virtute regia consobrinum suum protegente * ratiocinari ad voluntatem suam non poterat. Illectus ergo à publicis hostibus contra Regem insurrexit: sed multis opibus depopulatione seu combustione amissis, nihil recuperauit. Facundiâ quidem est præditus, sed dexterâ frigidus, & plus linguâ quàm lanceâ lucratus.

EO tempore Rex Henricus diuturnam obsidionem tenere nolebat, quia ipse turbatis omnibus, vt in fraternis conflictibus fieri assolet, in suis non confidebat. Illi enim qui cum eo manducabant, nepoti suo, aliísque inimicis eius fauebant, B eiúsque secretis denudatis, adminiculum illis summoperè procurabant. Hoc nempè plus quàm ciuile bellum erat, & necessitudo fratres & amicos atque parentes in vtráque parte concatenabat, vnde neuter alteri nocere studebat. Tunc plurimi Architofel, & Semei, aliósque desertores in Neustria imitabantur, & operibus illorum similia operabantur, qui relicto Rege per Samuhelem diuinitus ordinato, Absalon parricidæ iungebantur. Sic nimirum plerique faciebant, qui pacificum Principem Pontificali electione & benedictione consecratum deserebant, & mentita fide, quam illi vt domino spoponderant, imberbi Satrapæ ad nefas agendum non ex debito, sed sponte sua gratanter adhærebant.

INDICTIONE XI. Non. Octobris Concilium Rotomagi congregatum est. Ibi Rex Henricus de pace regni tractauit cum Radulpho Cantuariæ Archiepiscopo, aliísque Baronibus, quos aggregauerat. Ibi Goiffredus Rotomagensis Archiepiscopus de statu Ecclesiæ Dei locutus est cum quatuor suffraganeis Præsulibus, Ricardo Baiocensi, & Ioanne Luxouiensi, Turgiso Abrincatensi, & Rogerio Constanciensi, & Abbatibus multis. C Ibi enim affuerunt Rogerius Fiscannensis, & Vrsus Gemmeticensis, Guillelmus Beccensis, & Eudo Cadomensis, Ricardus Pratellensis, & Andreas Troarnensis, Guillelmus de Cruce, & Osbernus Vltrisportensis, & alij plures, quos nominare necesse non est. Ibi tunc Conradus Romanus Clericus, Gelasij Papæ Legatus, eloquentissimo sermone, vtpote laicali fonte à pueritia inebriatus, querimoniam fecit de KAROLO Imperatore, Paschalis Papæ bonorum operum & ædificiorum prauo destructore, & Catholicorum diro persecutore. Addidit etiam planctum de Burdino pseudo-Papa, Apostolicæ sedis inuasore, & de multimoda in Tusciæ partibus Ecclesiæ tribulatione. Retulit etiam Gelasij Papæ, qui iam cis Alpes venerat, insurgentibus procellis exilium, & à Normannica Ecclesia subsidium petiit orationum, magísque pecuniarum. Serlo autem Sagiensis Episcopus huic Synodo non interfuit, sed legatus eius infirmitatis seniíque causa eum defuisse asseruit.

AVDINVS verò Præsul Ebroicensis per legatum suum mandauit, quòd pro tutela patriæ contra publicos hostes non interfuerit. D Sed nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. Eadem enim die turris AMALRICO Ebroicensi tradita est.

GVILLELMVS Punctellus nepos Radulphi de Guitot, cui Rex Ebroicæ vrbis arcem commendauerat, memor antiquæ societatis, quam in Curia Guillelmi Comitis cum AMALRICO habuerat: pro intellectu suo autumans, quòd tantus vir auorum hereditate suorum iniustè priuatus fuerat, ex insperato fidos sodales in turrim secum intromisit, & communem totius populi pacem floccipendens, dimisso Rege, Amalrico se contulit. Cui mox Elinancius de Altoilo cum aliis pluribus adhæsit, & ingens seditio totam regionem vndíque turbauit. Inuasores arcis Episcopium & vrbem inuaserunt, & omnem Episcopi supellectilem cum Libris & ornamentis diripuerunt, sibíque bellica vi circumiacentem prouinciam subegerunt.

A AVDINVS autem Episcopus, ne occideretur, cum domesticis aufugit, & per HENRICVS I. 1118.
vnum annum hac & illac peruagatus exulauit. Barbam verò suam non rasit, habitúque suo luctu Ecclesiasticæ desolationis monstrauit. Tribulatio huiusmodi Ebroas afflixit, & fugatis indè Clericis, per vnum annum ibidem diuinum officium cessauit. Secunda septimana Nouembris, Henricus Rex cum valida manu militum peditúmque Aquilam adiit, & prouinciam in circumitu deuastauit. Porrò Castellani, qui probitate plurimum gloriabantur, egressi sunt, & cum regalibus militari more haud segniter semet exercuerunt. Ibi TEDBALDVM Comitem de cornipede deiectum rapuerunt, sed Rex, Stephanúsque Comes cum virtute militum insecuti sunt, Comitémque de manibus hostium nobiliter eripuerunt. Tunc tam acris concertatio facta est, & tam valida, vt ipse Rex de lapide percuteretur in capite: sed ærea cassis ictum lapidis respuit impunè.

IN illo tempore, burgenses Alencionis contra Regem Henricum rebellauerunt, causámque notabo, cur Regem tanto facinore offenderunt. Stephanus Morito-
B lij Comes, qui tunc eis dominabatur, adolescens erat, & burgenses non vt decuisset diligebat, seu competenti iure honorabat. Adulantium fauori, non senum consilio, more Roboam adquiescebat, & oppidanos infideles sibi & Regi autumabat. Vnde iniuriis eos & insolitis exactionibus opprimebat, minúsque quàm oporteret, quid indè sequeretur præuidebat. Denique omnes conuenit, & ab eis, vt filios suos sibi obsides darent, exegit. Inuiti & coacti imperanti obsecundauerunt; sed maliuolentiâ pleni vltionis tempus desiderauerunt. Iracundiam quippe suam callidè occultarunt, sed manifestam non multo post vindictam machinati sunt. Comes autem obsides accepit, sed honorificè non tractauit. Vxorem cuiusdam probi hominis, filiam pagani de Caceio famosi equitis in turri custodiendam posuit, quæ lenonibus ibidem commissa vehementer ingemuit. Amiotus autem vir eius nimis iratus erubuit, multósque sibi similis querelæ clam fide sociauit. Regem verò iustitiæ amatorem imprudentes timuerunt interpellare, ne clamorem eorum de nepote
C suo dedignaretur audire. Vnde Arnulfum de Monte-Gomerici fratrem Rodberti Belesmensis adierunt, & per eum Fulconem Andegauis Comitem requisierunt, vt Alencionem, quam tradere parati erant reciperent, Comitísque custodibus de turri expulsis libertatem incolis impetrarent. Comes autem hæc gaudenter accepit, militésque suos & sagittarios peditésque aggregauit, Alencionem venit, cum suis nocte intrauit, eósque qui in turri erant acriter aggrediens obsedit. Quod fama, qua nil in terra velociùs mouetur, longè latéque diuulgauit: & protinus ad aures solliciti Regis de regni curis peruenit.

MAGNANIMVS Rex vt certos rumores agnouit, Normannos & Anglos, aliósque multos regali iure asciuit, Tedbaldum etiam Carnotensium Comitem cum suis ad auxilium conuocauit. Denique mense Decembri propè Alencionem innumeri conuenerunt, qui summoperè inclusis suffragari conati sunt. Præclari quippe fratres, Tedbaldus, & Stephanus, Regem præcesserunt, militúmque vi pugnantium in turrim inferre victualia voluerunt, sed non præualuerunt. Comes enim Andegauorum contra eos exiuit, acies disposuit, & cum illis validè præliari cœpit. Ibi tunc quosdam occidit, plures captos vinculauit, aliísque fugatis lætus ad oppidum cum
D spoliis multis remeauit. Deinde securiùs obsessos infestauit, eísque aquam per subterranea machinamenta occultis abscisionibus abstulit. Indigenæ siquidem meatum nouerant, per quem constructores arcis aquæ ductum de Sarta illuc effecerãt. Illi verò, qui claudebantur in arce, videntes sibi cibaria deesse, nullúmque auxilium ex aliqua parte prouenire, pacem fecerunt: turrímque reddentes cum omnibus suis salui exierũt. Hæc infortunia multos ad deprædationes excitauerunt, multíque obseruantiam aduentus Domini violauerũt. Sic vbique mala creuerunt, & Neustriam cædibus & prædis incendiísque vndique fœdauerunt, & sicuti filij nepe ante statutum nascendi tempus matrem suam erumpendo periment: sic Normanni ante legitimum Principatus Guillelmi terminum tellurem suam contaminauerunt, & enormibus ausis miserè pessumdederunt.

APOSTOLI Thomæ solennitatem dum plebs Christiana festiuè recolit, nimius ventus maxima terrigenis damna fecit, & in futuro tempore turbationes hominum & mutationes potestatum portendit. Non multò post tribulationes in mundo ma-

HENRICVS I. ximæ prosecutæ sunt, multique de sublimi ceciderunt; aliique, disponente Deo, qui A
de stercore eleuat pauperem, honorificè sublimati sunt.

1119. ANNO ab incarnatione Domini MCXIX. Indictione XII. Gelasius secundus Papa IV. Kal. Februarij apud Cluniacum mortuus & sepultus est: & GVIDO Viennensis Archiepiscopus in CALLIXTVM Papam IV. Non. Februarij electus est. Ibi Lambertus Hostiensis, & Boso Portuensis, Cono Prænestinus, & Ioannes Cremensis, aliique plures de Romano Senatu Clerici affuêre, quibus specialis prærogatiua concessa est, Papam eligere & consecrare. Intronisatus est itaque Guido, ab adolescentia castus, religiosus, largus, in opere Dei feruidus, & multis pollens virtutibus. Hic filius fuit GVILLELMI TESTARDIE Ducis Burgundionum, quem RAINALDO Duci peperit ADELIZA filia Ricardi II. Ducis Normannorum. Iste quidem Guido nepos fuit feri Guidonis, qui Ducatum nisus est sibi vēdicare Normannorum, ac apud Valesdunas pugnauit contra Guillelmū Nothum, B
& Henricum Regem Francorum, & Vernonem atque Brionnam contra eosdem fortiter tenuit per triennium. Sic de regali progenie ortus, frater Ducum, consanguineus Regum & Augustorum, laudabilium imbutus nectare morum, prouectus est ad summum Pontificium. Quo strenuè quinque annis potitus est, multa bona in domo Dei statuit, atque operatus est.

IN eodem anno EVSTACHIVS DE BRITOLIO gener Regis commonitus fuit à contribulibus & cōsanguineis, vt à Rege recederet, nisi ipse turrim Ibreij, quę antecessorum eius fuerat, ei redderet. Rex autem ad præsens in hoc ei adquiescere distulit: sed in futuro promisit, & blandis eum verbis redimendo pacificauit. Et quia discordiam eius habere nolebat, qui de potentioribus Neustriæ Proceribus erat, & amicis hominibúsque stipatus firmissimas munitiones habebat, vt securiorem sibi & fideliorem faceret, filium Radulfi Harenc, qui turrim custodiebat, ei obsidem tradidit, & ab eo duas filias ipsius, neptes videlicet suas, versa vice obsides accepit. Porro Eustachius susceptum obsidem malè tractauit. Nam consilio AMALRICI DE MONTEFORTI, qui augmenta maliciæ callidè machinabatur, qui C
Eustachio multa sub fide pollicitus est, quæ non impleuit: pueri oculos eruit, & patri, qui probissimus miles erat, misit. Vnde pater iratus ad Regem venit, & infortunium filij sui nunciauit. Rex verò vehementer indè doluit, pro qua re duas neptes suas ad vindictam in præsenti faciendam ei contradidit. Radulfus autem Harenc Eustachij filias permissu Regis irati accepit, & earum oculos in vltionem filij sui crudeliter effodit, nariúmque summitates truncauit. Innocens itaque infantia parentum nefas, proh dolor! miserabiliter luit, & vtrobique genitorum affectus deformitatem sobolis cum detrimento luxit. Denique Radulfus à Rege confortatus, & muneribus honoratus, ad Ibreij turrim conseruandam remeauit, & talionem regia seueritate repensum filiabus eius Eustachio nunciari fecit. Comperta verò filiarum orbitate, pater cum matre nimis indoluit, & castella sua Liram & Gloz, Pontémque sancti Petri, & Paceium muniuit. Et ne Rex, seu fideles eius in illa intrarent, diligenter obturauit. IVLIANAM autem vxorem suam, quæ Regis ex pellice filia erat, Britolium misit, eíque ad seruandum oppidum necessarios milites associauit.

PORRO burgenses, quia Regi fideles erant, nec illum aliquatenus offendere vo- D
lebant, vt Iulianæ aduentum pluribus nociturum intellexerunt, protinus Regi vt Britolium properanter veniret mandauerunt. Prouidus Rex illud recolens, ab audaci Curione Cæsari dictum, in belli negotiis,

Tolle moras, semper nocuit differre paratis,

auditis burgensium legationibus, Britolium concitus venit, & portis ei gratanter apertis in villam intrauit. Deinde fidelibus incolis pro fidei deuotione gratias egit, & ne sui milites aliquid ibi raperent prohibuit: municipiúmque, in quo procax filia eius se occluserat, obsedit. Tunc illa vndique anxia fuit, & quid ageret nesciuit: pro certo cognoscens patrem suum sibi nimis iratum illuc aduenisse, & obsidionem circa castellum positam sine trophæo non dimissurum fore. Tandem, sicut Salomon ait, *Non est malitia super malitiam mulieris*, manum suam in Christum Domini mittere præcogitauit. Vnde loqui cum patre fraudulenter petiuit. Rex autem tantæ fraudis feminæ nescius ad colloquiū venit, quem infausta soboles interficere voluit. Nam balistam tetendit, & sagittam ad patrem traxit: sed protegente Deo non læsit. Vn-

A de Rex ilicò destrui pontem castelli fecit, ne ingrederetur aliquis vel egrederetur. Videns itaque Iuliana se vndique circumuallari, neminémque sibi adminiculari, Regi castellum reddidit: sed ab eo liberum nullatenus exitum adipisci potuit. Regio nempe iussu coacta, sine ponte & sustentamento de sublimi ruit, & nudis natibus vsque in profundum fossati cum ignominia descendit. Hoc nimirum in capite Quadragesimæ, in tertia septimana Februarij contigit, dū fossa castelli brumalibus aquis plena redundauit, & vnda nimio gelu constricta teneræ carni lapsæ mulieris ingens frigus iure subministrauit. Infausta bellatrix inde vt potuit cum dedecore exiuit, ac ad maritum suum, qui Paceio degebat, remeauit, eique tristis euentus verax nuncium enodauit. Rex burgenses conuocauit, de fidelitate conseruata laudauit, promissis & beneficiis honorauit, & eorum consilio castrum Britolij tutandum commendauit.

NON multò post Radulfo de Guader audaci athletæ, quia nepos ex sorore Guillelmi Britoliensis erat, reddidit totum honorē antecessorum eius, præter Paceium, B quod Eustachius tenebat. Ille verò castellum dono Regis obtentum diligenter custodiuit, & in omnibus Regi fidelis, multísque probitatibus laudabilis claruit, & hostes publicos vndique audacter impugnauit.

EODEM tempore Oximenses de rebellione tractauerunt. Nam Curceienses, aliique oppidani, qui in vicino erant, audientes quòd penè omnes Normanni relicto Rege nepoti eius fauerent, ipsi quoque decreuerunt similia perpetrare. Vnde primus Rainaldus de Baillol Falesiam abiit, fidelitatem Regis reliquit, eique poscenti vt domum suam de Mansione Renuardi redderet, superbè denegauit. Tunc Rex ait: Ad Curiam meam venisti, non capiam te. Sed pœnitebit te nefas cœpisse " contra me. Mox illo recedente, Rex militiam suam conuocauit, & penè cum illo ad " munitionem eius vesperè venit. Porro Rainaldus videns, quòd ad tantum onus sustentandum impos esset, manè exiuit, & clementiam Regis postulans munimentum reddidit. Protinus Rex lapideam domum cum apparatu ciborum, & omnibus qui intus erant, incendio tradidit. His itaque compertis, Curceienses, & de Grentemaisnilio, ac de Monte-pincionis rebellare nisi siluerunt, & maliuolos conatus, ne simi-C lia paterentur, continuò compresserunt, nec vlteriùs in dominum Regem sustollere arma præsumpserunt.

GOIFFREDVS Archiepiscopus Rothomagensis Ascelinum Andreæ filium pluribus placitis acriter impetiuit, & iniustè demptis, vt quibusdam visum est, rebus suis, valdè aggrauauit. Ille igitur rancore diro stomachatus Pontesiam ad Regem accessit, & se Andeleium si veniret cum bellica vi perditurum spopondit. Franci ergo nimis gauisi sunt, & Regem ne pigritaretur exhortati sunt. Confirmato vtrinque pacto, Ascelinus probissimos satellites secum adduxit, & in suarum apothecam segetum noctu intromisit. Ibique sub stramine latenter abscondit. Ludouicus autem Rex cum phalange bellatorum pedetentim eum insecutus est. Mane, viso Rege, vociferatio populi personuit, & nimia perturbatio pro tam insperata re repentè incolas inuasit. Latitantes verò sub stramine subitò proruperūt, & REGALE SIGNVM Anglorum cum plebe vociferantes ad munitionem cucurrerunt. Sed ingressi, MEVM GAVDIVM, quod Francorum signum est, versa vice clamauerunt. Exclusis itaque indigenis, Galli castrum interius obtinuerunt, & turmæ Regis per portas D violenter intrauerunt, totámque villam nactæ sunt. Ricardus autem filius Regis, aliique municipes sic improuiso impetu præuenti sunt, & amissa intus & extra omni defensionis spe, ad aulam sanctæ Virginis Mariæ confugerunt. Denique Ludouicus Rex postquàm præsidium cum toto burgo possedit, Ricardum cum commilitonibus suis liberum abire quò vellet præcepit, pro reuerentia intemeratæ matris, quæ Saluatorem mundi peperit, cuius opem & Basilicam fideliter expetiit. Franci recedente Rege, oppidum, quod in corde regionis ceperunt, diligenter seruauerunt, totámque prouinciam circumiacentem super Sequanam sibi subiugauerunt. Ibi enim Godefredus de Serranz, & Engelrannus de Tria, Albericus de Burriz, & Baldricus de Braia, aliique præclari milites Gallorum permanserunt, ab Archiepiscopo propter Ecclesiasticas res, quas inuaserant, excommunicati fuerunt: sed ipsi pro temporis opportunitate & causa belli pertinaciter indurati aliquando diu restiterunt. Henricus Rex contra Francos apud Noionem castrum firmissimum muniuit,

HENRICVS I. 1119. ibique centum milites, quibus Princeps Militię Guillelmus Theodorici filius præerat, constituit. Ricardus Fraxinellus octo filiis ampliatus, sed Emmæ vxoris suæ fictili simulatione infatuatus, contra communem populi salutem tyrannidem cum filiis suis arripuit, iam morti contiguus. Nam in territorio Vncinis de censu Regis firmitatem construxit, dominúmque suum Eustachium sectatus, vicinorum agros depopulari studuit: & inter publicos hostes, quamuis senex, denotari non erubuit. Tunc à filiis hominum Quadragesimalis obseruantia damnabiliter cōtaminata est. A

RODBERTVS Ascelini Goëlli filius inimicorum Regis primus resipuit, & inchoatæ factionis pœnitens amicitiam sceptrigeri Principis expetiit, & obtentam vsque ad mortem, quæ sibi proxima erat, fideliter & commodè seruauit. Plures eius exemplum salubriter secuti sunt.

AMALRICO quoque Rex mandauit, vt secum pacem faceret, & arce sibi reddita omnem Comitatum Ebroicensem quietè reciperet. At ille, quia irrequietus homo erat, stollidè respuit, quod vltro regali bonitate oblatum fuerat. Et quia maiorem belli causā pro ablata sibi patrum hereditate habebat, anhelus sæpè per oppida noctibus discurrebat, nimia sollicitudine omnes commouens, fœderatos sodales corroborans, & commonens vt munitiones suas sollerter seruarent, vt peruigiles contra ingeniosos exploratores excubarent, prudenter & impigrè vicinia inquietarent, omnia exceptis Ecclesiis nudarent, aut sibi viriliter subiugarent. Bellicum quippe laborem peruicaciter exercebat pro hereditario Consulatu, quem sibi Rex non permittebat. Radulfus autem Rufus graue illis obstaculum se interdum præbebat, & conatus eorum vehementer impediebat. Animosus enim erat, militiæque gnarus, probitate audaciáque insignis, & famosus. Is quondam, dum familia Regis in regione Vilcassina expeditionem ageret, & Francorum virtus, vt se habet euentus belli superior hostes fugaret, Ricardi Regis filij subito sonipes sub eo peremptus est, & iuuenis ab hostibus penè retentus est. Quod Radulfus vt vidit, de caballo suo statim exiliit, & filio Regis ait: „ Confestim ascende, & ne capiaris fuge. Protinus, illo recedente, Radulfus abductus est, sed vsque ad XV. dies pro Gualone de Tria relaxatus est. Idem enim miles Engelranni germannus erat, & paulò ante captus in arto carcere Regis anhelus gemebat. Non multò post vulneribus & flagris, quæ pertulerat, defunctus est, & Radulfus à Rege fidelis probatus & honoratus est. Exinde inter præcipuos & familiares Regis amicos habitus est: & Rex multos honores ei, si aliquandiu vixisset, pollicitus est. B C

QVONDAM tres oppidani, Eustachius Pertice, & Richerius, & Guillelmus de Firmitate vna cum suis copiis conuenerunt, & vsque ad fontem Ternanti prædantes in Normanniam irruerunt, domósque Vernuciarum in terra sancti Ebrulfi immisso igne combusserunt. Radulfus autem ad Pontem-Ercenfredi consistens fumum vidit, & mox militibus vndecumque collectis, in hostes pugnaturus perrexit. Rex quippe XXX. equites Sapi, totidémque Orbecci propter incursus pr{ę}donum ad nefas vndique confluentium cōstituerat. Porrò Radulfus, omnibus illis in vnum collectis, ad transitum Carentonæ CCC. equites cum parua suorum manu aggressus est, & erepta grandi præda, quam illi ducebant, & quibusdam militibus captis, vsque ad Firmitatem Fraxinelli persecutus est. Et nisi præsidium hostibus propinquum fuisset, plurimum illis damnum incubuisset.

NON multò post, idem animosus miles Regem amicabiliter circumuenit, ac vt præsentiam solummodo suam contra Fraxinellos, qui imbelles & iniuriosi extiterant, exhiberet, humiliter expetiit. Denique Rex post Pentecostem multo Radulfi precatu adductus est, vt municipium videret, quo patria Vticensis profligata est. Adueniente verò Rege, Fraxinelleij nimis territi sunt, & quid agerent vicissim indagare trepidi cœperunt. Rufo autem de Ponte-Erchenfredi bellicosum assultum viriliter ineunte, claues portarum Regi exhibuerunt, & sententiā pro rebellionis incœpto data & concessa, reconciliati sunt. Circa finem Iunij Ricardus senex Vticum venit, & æger Monachatum accepit, & paulò post in initio Iulij obiit, ac in Capitulo Monachorum tumulatus quiescit. Portionem Ecclesiæ de Gumfredia, & medietatem decimæ suæ sancto Ebrulfo donauit: ac à Guillelmo primogenito suo, alijsque filiis suis, vt concederent quod donauerat, impetrauit. D

INTER tot & tam magnas tempestates admodum sæuientes, sceptriger Henri-

A cus regio stemmate rigidus perstitit,& omnes proprias munitiones fidis custodibus illic callidè locatis optimè seruauit; in qua hostilis versutia nullatenus ad libitum suum introire potuit. Rotomagus enim Metropolis,& Baiocas,Cõstancia & Abrincas,Sagius & Archas,Nonencors & Illias, Cadomus & Fallesia, Oximus & Fiscannus,ac Iuliabona,Vernon & Argentomus,aliâque oppida, quæ regiæ ditioni duntaxat subdebantur,ab eius iusto dominatu auelli, fraudulentis persuasionibus non patiebantur. Legitimi quoque Optimates,Ricardus Comes Cestrensis; & Ranulfus de Bricasard cognatus & successor eius,Radulfus de Conchis,& Guillelmus de Guarenna,Guillelmus de Rolmara,& Guillelmus de Tancardi-villa, Radulfus de sancto Victore,& Gualterius Giffardus, Nigellus de Albinneio, & Guillelmus frater eius,aliique præcipui Heroës in aduersis & prosperis Regi connectebantur, & opprobrij, proditionis, ac periurij elogio notabiles esse dedignabantur. Imberbes B quoque filij Rodberti Consulis de Mellento Gualerannus & Rodbertus Regi adhærebant,eique optimates eorum cum munitissimis castellis in omnibus parebant, & incursantibus aduersariis acriter resistebant Nam Põs-Aldemari,& Bellus-mons, ac Brionna,& Guateuilla Regi applaudebant, Procerésque præfatorum cum viribus suis fideliter militando seruiebant.

Mense Maio, Guillelmus Adelinus Regis filius de Anglia in Normanniam transfretauit,cuius aduentu pater gauisus,mox quod corde prius occultauerat,manifestauit.Pacificos concionatores ad Fulconem Andegauensium Comitem direxit,commodísque pacis fœderibus compactis, ipsum ad Curiam suam benigniter inuitauit.

Mense Iunio Guillelmus Adelinus filiam Comitis apud Luxouium desponsauit,multísque tranquilitatem optantibus tam generosa copulatio complacuit. Et quamuis extrema sorte iuuenis mariti vitæ filum in imo pelagi celeriter ocante parum durauerit,necessariam tamen ad instans tempus quietem inter dissidentes C populos compaginauit. Tunc Rex Guillelmum Talauacium Rodberti Belesmensis filium,precatu Comitis in amicitia recepit, & totam in Normannia patris sui terram reddidit. Alencionem & Almaniscas atque Vinacium, aliâque castra ei concessit: præter dangiones,quos propriis excubitoribus assignauit.

Rodberto etiam de sancto Serenico,qui consobrinus Regis erat, ipse precibus soceri prolis suæ indulsit,quòd nuper desertor iuris ad hostes transierit,& Monasteriolum & Excalfurnum reddidit.

Apud Luxouium congregatio magna Præsulum Procerúmque conuenit, & ibi tunc immatura mors Balduini Satrapæ Morinorum cunctis innotuit, pro cuius animæ absolutione & quiete Rex Clero signa pulsare & orare præcepit. In Neustria quibusdam gaudium,& nonnullis mœror prodiit, quòd Flandrensis inimicorum Regis acerrimus corruit, & Andegauensis amicus trium vrbium dominus potenti coronato adhæsit. In æstate, post diutinam expectationem, post multimodam vt periuri resipiscerent persuasionem, Henricus Rex per Normanniam terribilem discursum fecit,& Pontem sancti Petri,aliâque cum villis hostium castra incendit: & austeram vltionem super inimicos & consentaneos eorum exercuit. Inter hæc, D omnipotens Deus mirifica in orbe magnalia monstrauit, quibus intuentium corda vt castigarentur,à nequitia commonuit. Nam in hieme præcedenti nimij imbres fluxerunt,& inundationes fluuiorum habitacula hominum plus solito inuaserunt. Rotomagenses inde & Parisiaci,aliique ciues seu rustici testes sunt,qui furentes redundantis Sequanæ gurgites in damno domorum segetumve suarum persenserunt. Insequenti Quadragesima nimius in Sequana ventus efflauit, & aliquandiu exsiccauit. A ripa vsque ad ripam quispiam pertransire potuisset, si attentare insolitum iter ausus fuisset. Hoc Parisius vidit, & meritò expauit.

In Augusto,Luna quasi sanguis rubicunda serò,dum bruna esset, visa est, & circulis eius quasi fundus dolij grandis hominibus in Gallia monstratus est. Deinde veluti saphirino colore secta est per medium: & tantùm intuentibus inter æquas medietates apparuit spatium,vt si res similis in terra pãderetur,semita humano gressui apta censeretur. Peracto autem vnius horæ interuallo, iterum redintegrata apparuit, & paulatim deficiente rubore corniculus nascentis Lunæ solito more resplenduit. Eodem tempore rubor maximus à Pexeio per Medantum visus est in

HENRICVS I. 1119. Neustriam discurrere, & per tres noctes huiusmodi signum multis Gallorum manifestatum est in aëre. Diuersis verò modis videntes hoc interpretati sunt, & velle suum prout cuique libuit auscultantibus asseruerunt Superborum quippe insipientia de futuris tanquam de transactis stolidè gloriabatur; procaciter affirmans, quòd Ludouicus Rex, qui tunc apud Andelium cum Francis morabatur, ceu flamma Normannos absumeret, totámque sibi regionem Neustriæ rumphea secante subigeret. Arrogantium itaque petulantia pro appetitu suo vaticinium procaciter sibi asseuerauit: sed rerum exitus multum aliud ipsis eisdem suppeditauit. His omissis, seriem prosequar narrationis. A

HENRICVS Rex rebellibus vltrà parcere nolens, pagum Ebroicensem adiit, & Ebroas cum valida manu impugnare cœpit. Sed oppidanis, qui intrinsecus erant, cum ciuibus viriliter repugnantibus introire nequiuit. Erant cum illo Ricardus filius eius, & Stephanus Comes nepos eius, Rodulfus de Guader, & maxima vis Normannorum. Quibus ante Regem conuocatis in vnum, Rex dixit ad Audinum Episcopum. „ Vidésne, domine Præsul, quòd repellimur ab hostibus, nec eos nisi per ig- B „ nem subiugare poterimus? Verùm, si ignis immittitur, Ecclesiæ comburentur, & insontibus ingens damnum inferetur. Nunc ergo, Pastor Ecclesiæ, diligenter considera, & quod vtilius prospexeris prouidè nobis insinua. Si victoria nobis per incendium diuinitus conceditur, opitulante Deo Ecclesiæ detrimenta restaurabuntur: quia de thesauris nostris commodos sumptus gratanter largiemur. Vnde domus Dei, vt reor, in melius reædificabuntur. Hæsitat in tanto discrimine Præsul anxius, ignorat quid iubeat diuinæ dispositioni competentius: nescit quid debeat magis velle vel eligere salubrius. Tandem prudentum consultu præcepit ignem immitti, & ciuitatem concremari, vt ab anathematizatis proditoribus liberaretur, & legitimis habitatoribus restitueretur. Radulfus igitur de Guader à parte Aquilonali primus ignem iniecit, & effrenis flamma per vrbem statim volauit, & omnia (tempus enim autumni siccum erat) corripuit. Tunc combusta est basilica sancti Saluatoris, quam Sanctimoniales incolebant, & celebris aula gloriosę virginis & matris C Mariæ, cui Præsul & Clerus seruiebant, vbi Pontificalem Curiam parochiani frequentabant. Rex, & cuncti Optimates sui Episcopo pro Ecclesiarum combustione vadimonium suppliciter dederunt, & vberes impensas de opibus suis ad restaurationem earum palam spoponderunt.

PROVIDVS Rex cum Rodberto Goëllo, vt prædictum est, pacem fecerat, & arcem de Ibreio pro fide seruanda illi commiserat, & fratres eius pro condigna securitate obsides receperat. Radulfus autem Rufus pacifici tenoris fuit vtilis omasus, quia præfati militis erat sororius, tantáque necessitudine confœderatus. Hinc nimirum Rex, antequam Ebroas adiret, mandauit, vt Amalricum & compatriotas commilitones ad militiam lacesseret, ac secus Auturam fluuium prope Ibreium militares giros agitaret. Diem quoque, quo hæc fierent, denunciauit. Ille verò in omnibus Regi paruit, & casus vt à Rege peroptatus fuerat, contigit. Denique Rex, vbi prorsus inflammatam vrbem vidit, Rodberto legatum protinus direxit, & rem gestam mandauit. Mox ille in conflictu clamauit, Domine Almarice, audi rumores „ quos tibi dicam: in quibus nihil lucrabis nisi mœstitiam. Ebroicam ciuitatem Rex „ hodie concremauit, & custodibus arcis formido proximæ necis incumbit. Quod D „ audiens Amalricus commilitones suos conuocauit, ac pro desolatione vrbis suæ mœstus ad sua remeauit.

PHILIPPVS & FLORVS Philippi Regis Francorum filij, & ex BERTRADA sorore nepotes Amalrici, Guillelmus quoque Punctellus, & Ricardus Ebroicensis filius Fulconis Præpositi, aliique strenui milites arcem defensabant, & tota vrbe succensa securiores & alacriores resistebant, quia iam minus ad tutandum fugatis ciuibus habebant. Ciues enim destructę vrbis passim dispersi sunt, & amissis omnibus quæ habuerant, per extera miserè vagari mapalia coacti sunt. Modestus Rex turrensibus vt sibi turrim redderent mandauit, & indultis omnibus quæ forisfecerant, multa promisit: quibus non adquiescentibus, ad alia regni negocia festinauit. Ceterùm, post aliquot dies cum ingenti militia noctu rediit, & repentè castrum ante auroram ardentibus candelis firmare cœpit, conditúmque bellicosis pugnatoribus commisit. Illic enim Radulfus Rufus, & Simon de Molinis, constituti

Principes

A Principes erant, cum Gisleberto de Oximis, aliisque quampluribus, qui probitate HENRICVS I. 1119.
probatissimi pollebant. In illis nimirum Rex fiduciam habuit; & hostes per eos coercuit, patriámque sibi surreptam recuperauit.

AMALRICVS & Eustachius, Odo de Gomerz, & Guido Malus-vicinus, aliique strenuissimi milites Paceij degebant, & cum ingenti audacia & virtute suos visitabant, visitatione sua confortabant, regiósque castrenses seueris incursibus frequenter inquietabant. Illi nihilominus, qui numquam imparati erant, quoniam assiduè maliuolos hostes meticulosi præcauebant, loricati & galeati aduersariis sæui vt leones occurrebant, & lanceis & mucronibus insignes ictus vicissim miscebant. Neuter enim ab altero vinci volebat, sed quisque probissimus haberi ardebat; & ob id cotidiana concertatio plerosque prosternebat. Ibi Guillelmus eques filius Rogerij de sancto Laurentio peremptus est, cuius cadauer in claustro sancti Victoris Martyris sepultum est. Huius nobilitas de illustrissimis Calctensium Baronibus propagata est, & famosa strenuitas inter præcipuos pugiles Talou mul-
B toties approbata est. Sic frequens exercitium feri Martis multum cruorem effundit, & vita speciosis iuuenibus crudeliter extorta lugubre damnum pluribus ingerit.

LVDOVICVS Rex castellum Dangu obsedit, & Rodbertum municipem valida virtute Francorum acriter coërcuit. Tandem oppidanus amicorum consilio, qui extrinsecus obsidebant, castrum immisso igne combussit: & egressus nihil hostibus nisi fauillas reliquit. Ipse in eadem septimana cum militia Gisortensi super Francos irruit, & ingentem prædam de Caluimonte, & viculis eius rapuit. Rex autem Franciæ, concremato Dangu elatus tripudiauit, & Nouum-castrum, quod Guillelmus Rufus apud Fuscellimontem prope Eptam construxerat, obsedit, sed ad votum non omnia obtinuit. Gualterius enim Riblardus cum regiis satellitibus fortiter obstitit; & acerrima obsidentibus vulnera directis missilibus inflixit. Post XV. dies Amalricus Regi nuncium direxit, per quem Ebrorum concremationem, aliáque infortunia illi mandauit, & festinum eius auxilium obnixè postulauit. His auditis, confestim Rex abscessit, & incensis mappalibus gaudium inimicis dimisit. Ibi Engerran-
C nus de Tria probissimus miles in supercilio vulneratus est, & post aliquot dies in amentiam versus miserabiliter mortuus est.

INTEREA Ludouicus Rex in Galliam discursum ociùs peregit, iterúmque de Stampis Normanniam repente repetiit, & nonnullos secum bellicosos milites adduxit. In die XX. mensis Augusti, Henricus Rex Nogione Missam audiuit, & cum summis Optimatibus suis expeditionem facturus in hostes exiuit: ignorans quòd Rex Franciæ Andeleium tunc venerit. Albionis sceptriger cum insigni armatorum agmine processit, segetésque circa Stripinneium rapaci armigerorum manu messuit, & maximos fasces cornipedum dorsis ad castrum Leonis deuehi præcepit. Quatuor nempe milites super Guarcliuam * à Rege constituti speculabantur, ne quis aliunde impedimentum illis quolibet modo moliretur. Qui videntes galeatos cum vexillis Nogionem tendere, confestim Regi suo mandauêre. Eodem die Ludouicus Rex cum Francorum cuneis Andeleium egressus est, & multoties cum suis, quòd Anglorum Regem in aperto reperire campo nequiuissent, conquestus est. Nesciens quippe Regem tam vicinum esse, Nogionem cum insigni militia festinus
D adiit, quia castrum illud eodem die per proditionem machinatam adipisci sperauit. Sed res multum aliter venit, dum turgentes auidósque belli pares in bello victoria sequestrauit, & pompâ triumphâtes post deiectos & fugaces exagitauit. BVRCHARDVS DE MONTE-MORENCII, aliique prudentes Ludouico in Neustria bellare dissuaserunt, sed furibundi Caluimontenses certamen inire coegerunt. Guillelmus quoque Camerarius Henricum conatus est à conflictu retrahere: sed Guillelmus de Guarenna, & Rogerius de Benefacta viriliter animauerunt. Tunc palam auditum est, nunciis intercurrentibus, & rumigerulis famam passim spargentibus, quòd ambo Reges egressi essent cum suis cœtibus, & si vellent iam certare possent comminus. Franci iam Nogioni appropinquauerant, & apothecam Monachorum Buscheronensium concremauerant, cuius fumum ascendentem in excelsum Angli pro indice prospexerant. Prope montem, qui Guarcliua nuncupatur, liber campus est,

* vulgo, Vvequeliure.

HENRICVS I. 1119.

& latissima planicies, quæ ab incolis Brenniuilla vocitatur. Illic Henricus Rex Anglorum cum quingentis militibus descendit, arma bellica bellicosus heros assumpsit, & ferratas pugnatorum acies prudenter ordinauit. Ibi fuerunt duo filij eius Rodbertus & Ricardus egregij milites, & tres Consules, Henricus Aucensis, Guillelmus de Guarenna, & Galterius Gifardus. Rogerius quoque Ricardi filius, & Galtarius de Alfagio consanguineus eius, Guillelmus de Tancardi-villa, & Guillelmus de Rolmara, Nigellus de Albinneio, aliíque quamplures Regem stipabant, qui Scipionibus, seu Mariis, siue Catonibus Romanis Censoribus æquiparandi erant: quia laicali censu & equestri probitate, vt exitus probauit, admodum pollebant. Eduardus de Salesburia ibi portauit vexillum, fortis agonista, cuius robur erat probatione notissimum, & constantiâ perseuerans vsque ad exitium. Ludouicus Rex vt vidit quod diu peroptauerat, quadringentos milites asciuit, quos in promptu tunc habere poterat: eósque pro seruanda æquitate & regni libertate in bello fortiter agere imperat, ne illorum ignauiâ Francorum gloria depereat. Ibi Guillelmus clito Rodberti Ducis Normannorum filius armatus est, vt patrem suum de longo carcere liberaret, & auitam sibi hereditatem vendicaret. Illic Mathæus Comes de Bellomonte, & Guido de Claromonte, atque Otmundus de Caluimonte, Guillelmus de Guarlanda Francorum Princeps militiæ, Petrus de Maulia, & Philippus de Monte-Braij, ac Buchardus de Monte-Morencij ad pugnam parati fuerunt. De Normannis quoque Baldricus de Braio, & Guillelmus Crispinus, & plures alij Francis adiuncti sunt. Omnes hi turgentes Brenniuillam conuenerunt, & fortiter præliari contra Normannos adorsi sunt.

PRIMVM vtique in conflictu Galli acriter ferire cœperunt, sed inordinatè properantes superati sunt, citóque fatiscentes terga verterunt. Ricardus Regis filius, & centum milites equis insidentes ad bellum parati erant. Reliqui verò cum Rege pedites in campo dimicabant. In prima fronte Guillelmus Crispinus & LXXX. equites super Normannos irruerunt: sed equis eorum protinus occisis, omnes inclusi & retenti sunt. Deinde Godefredus de Serranz, aliíque Vilcassinij fortiter percusserunt, aciémque totam aliquantulum retrò vacillare compulerunt. Ceterùm, indurati bellatores animos & vires resumpserunt, & Buchardum, ac Otmundum, & Albericum de Marolio, aliósque plures Francorum deiectos ceperunt. Quod videntes Franci dixerunt Regi: » Octoginta milites nostri, qui præcesserunt, non comparent, hostes numero & viribus nobis præualent. Iam Buchardus & Otmundus, aliíque præcipui pugiles capti sunt; & cunei nostri magna ex parte labantes diminuti sunt. Recede ergò, quæsumus domine, ne contingat nobis damnum irreparabile. His dictis, Ludouicus adquieuit, & cum Baldrico de Bosco velociter aufugit. Victores autem CXL. milites comprehenderunt, & reliquos vsque ad portas Andelij persecuti sunt. Qui per vnam viam pomposè venerunt, per plures anfractus confusi fugerunt. Guillelmus autem Crispinus cum suis, vt dictum est, circumuallatus, vt Regem prospexit, per medias acies ad eum, quem maximè odiebat, cucurrit, gladióque super caput feralem ictum intulit: sed capicium loricæ specialis Patricij caput illæsum protexit. Mox temerarium percussorem Rogerius Ricardi filius percussit, deiectum cepit, & super ipsum iacens, ne à circumstantibus amicis pro vltione Regis mox enecaretur, defendit. A multis nempe impetitus est, & vix à Rogerio saluatus est. Nefariam enim temeritatem inchoauerat, qui dextram cum framea ferientem super caput leuauerat, quod per Pontificale ministerium sacro chrismate delinitum fuerat, & regale diadema populis gaudentibus, Dominóque Deo gratias & laudes concinentibus, baiulauerat.

IN duorum certamine Regum, vbi fuerunt milites fermè nongenti, tres solummodo interemptos fuisse comperi. Ferro enim vndique vestiti erant, & pro timore Dei notitiáque contubernij vicissim sibi parcebant: nec tantùm occidere fugientes quàm comprehendere satagebant. Christiani equidem bellatores non effusionem fraterni sanguinis sitiebant, sed legali triumpho ad vtilitatem sanctæ Ecclesiæ & quietem fidelium dante Deo tripudiabant. Ibi strenuus Guido & Otmundus, Buchardus & Guillelmus Crispinus, aliíque plures, vt suprà

A dictum est, capti sunt: & à redeuntibus Nogionem ipsa die ducti sunt. Nogion quippe tribus leugis distat ab Andeleio, & eo tempore guerris furentibus deserta erat tota regio. In meditullio repentina Principum facta est congressio, & ingens pugnatorum personuit vociferatio, armorúmque turbulenta frenduit collisio, & nobilium Baronum horruit deiectio. HENRICVS I. 1119.

FRANCORVM Rex fugiens in silua solus errauit, sed rusticus quidam, qui non cognoscebat eum fortè inuenit. Quem Rex summoperè rogauit, insuper iureiurando plurima promisit, vt compendiosius iter ad Andeleium sibi ostenderet, aut pro magna remuneratione secum illuc pergeret. Ille verò de mercede certus optima concessit, atque tremulum Principem Andeleium deduxit, qui metuebat tam præuium viatorem ne ab eodem proderetur, quàm aduersarios insequentes ne ab illis retineretur. Denique ruricola dum imperiale satellitium officiosè Regi occurrens Andeleij prospexit, paruipendens quicquid retributionis habuit, hebetudinémque suam condemnans multùm doluit, cognito quanti per inscitiam emolumenti virum perdiderit.

B

HENRICVS Rex vexillum Ludouici Regis ab athleta, qui obtinuerat illud, viginti marcis argenti redemit, & pro testimonio victoriæ cælitus datæ sibi retinuit. Mannum autem Regis in crastinum ei remisit, cum sella & freno, & omni apparatu, ceu Regem decuit. Guillelmus quoque Adelingus Guillelmo Clitoni consobrino suo palefridum, quem in bello pridie perdiderat, remisit: & alia munera exulanti necessaria prouidi genitoris instinctu destinauit. Porrò vinctos per oppida Rex dimisit, & Burcardum ac Heruecium de Gisortis, aliósque nonnullos, quia homines vtriusque Regis erant, omninò absoluit, & liberos à vinculis abire permisit. Inclytus Guido de Claromonte Rotomagi infirmatus est, & Rege, qui famosum pugilem in carcere seruabat, mœrente, defunctus est. Otmundus verò nequam silicernius Archas relegatus est, ibíque vt meruerat, vsque ad concordiam Regum ferreis compedibus & vinculis constrictus est. Huius enim infamia vsque in Illyricum narrabatur, quia fures & prædones ad exaggerandum nefas tuebatur. Peregrinos & pauperes, ac viduas & inermes Monachos & Clericos spoliabat, multísque modis incessere non erubescebat. Petrus de Maulia, aliíque nonnulli fugientum, cognitiones suas, ne agnoscerentur, proiecerunt, & insectantibus callidè mixti signum triumphantium vociferati sunt, atque magnanimitatem Henrici Regis suorúmque fictis laudibus præconati sunt.

C

RODBERTVS de Curceio iunior vsque in burgum Gallos persecutus est, ibíque à conuiantibus, quos commilitones suos opinabatur, retentus est. Hic solus de Normannis captus est, nec vt ignauus, qui in hostium oppido solus à multis vallatus est, & in carcere retrusus est.

INFORTVNIVM, quod Gallis in Normannia contigerat, longè latéque diuulgatum est, & per omnes Prouincias cis Alpes à lugentibus siue subsannantibus passim diffusum est. Arrogantes erubescebant, & pugnaces, qui bello interfuerant, varias tergiuersationes contra cauillantes quærebant, & diuersa diuersi ad excusationem sui dedecoris mendacia proferebant.

LVDOVICVS Rex pro CXL. militibus captis, quos alacres Nogionem adduxerat, tristis Parisius abiit: ibíque Amalricus, qui bello non interfuerat, gratiâ consolationis eum visitauit, & de suorum fuga capturáque plangenti, pluráque reuoluenti, ait: Pro contrario euentu non mœstificetur dominus meus, « quia tales sunt bellorum casus, & plerúmque summis incubuerunt ac famosissimis Imperatoribus. Fortuna seu rota vergibilis est. Nam quem subitò sustulit, in « momento deicit: & econtrà prostratum & conculcatum spe melius erigit. Nunc « ergo consideratis opibus Galliç, & immensis viribus collectis vndique insurgens, « ad reparanda laudis nostrę damna & potentiæ salubre quod edam consilium accipe. « Episcopi, & Comites, aliæque Potestates regni tui ad te conueniant, & Presbyteri « cum omnibus parrochianis suis tecum quò iusseris eant: vt communis exercitus « communem vindictam super hostes publicos exerceant. Ego autem, qui peractæ « nuper expeditioni non affui, cum meis interero, & consilium & auxilium cum « saluo ducatu vobis præbebo. «

D

EST equidem mihi firma domus Cintraij, vbi me præstolantur Gual- «

HENRICVS I. 1119.

chelmus de Taneio, aliique sodales fidissimi, & mihi circumiacentem patriam tuentur contra municipes Britolij. Illic securi congregabimur, & inde Britolium, quod in corde Normanniæ est, aggrediemur. Quod si obtinere poterimus, Eustachio, qui pro nobis exheredatus est, restaurabimus: & Radulphus de Conchis nepos meus nobis adhærebit, cum cunctis hominibus suis & munitionibus. Ipse fortia possidet castra, Conchas, & Toëneium, Portas, & Archinneium, probatique Barones gestant eius dominium, qui per ipsum solum multipliciter nostrum augebunt numerum. Is nimirum Britolio nunc coartatur, nec nobis, quia non audet, nunc adminiculatur, ne tota statim terra eius deuastetur. His itaque dictis, exhilaratus Rex omnia fieri decreuit, vt præfatus heros insinuauit. Celeres igitur veredarios direxit, & edictum suum Episcopis mandauit. Illi verò gratanter ei paruerunt, & Presbyteros diocesis suæ cum parrochianis suis anathemate percusserunt: nisi Regis in expeditionem statuto tempore festinarent, & totis viribus rebelles Normannos portererent. A B

BVRGVNDIONES ergo & Bituricenses, Aluernici & Senonenses, Parisiaci & Aurelianenses, Veromandi & Beluacenses, Laudunenses & Stampenses, aliique plures vt lupi ad prædam auidè perrexerunt: & mox vt de domibus suis egressi sunt, in suis etiam regionibus rapere quicquid poterant cœperunt. Indomita gens rapinis insatiabiliter inhiabat, & irreuerenter Ecclesias per iter spoliabat, Monachos & Clericos sibi collimitaneos vt hostes affligebat. Principalis iustitia inter facinorosos nulla erat, pontificalis rigor ibi tunc omninò torpescebat, & impunè quisquam agitabat, quod libitus cuique fortuitu suggerebat. Nouiomensis Episcopus, & Laudunensis, aliique plures in illa expeditione fuerunt, & pro maliuolentia, quam in Normannos habebant, suis omne nefas permiserunt. Sacra etiam loca quasi ex diuina auctoritate violari concesserunt, vt ita legiones suas pluribus modis leniendo multiplicarent, fásque nefásque illis annuentes in aduersarios animarent. Ludouicus itaque Rex Britolium adduxit numerosas acies de Parrona & Nigella, de Nouiomo & Insula, de Tornaco & Atrebate, de Gornaco & Claromonte, & de omnibus Prouinciis Galliæ & Flandriæ, vt amissa Eustachio restitueret, aliósque, qui pro Guillelmo exule pariter exulabant, in pristinos honores reuocaret. Radulfus autem Brito cum turmis suis audacter illis obuiam processit, & fortiter pugnando illos excepit, & lancea gladióque diros ictus dando luctuosa illis damna intulit. Omnes quoque castri portas aperiri præcepit, sed patentibus ianuis nullus inimicorum ingredi præsumpsit, quoniam mira vis obstantium efficaciter eos repulit. Ad tres portas atrox conflictus agebatur, & pugnaces agonistæ frequenter vtrinque deiiciebantur. C

REX Anglorum, vt rediuiuum in Neustriam reditum Francorum agnouit, Ricardum filium suum cum CC. militibus Radulfo de Guader suppetias misit, quibus Radulfum Rufum, & Rualodum de Abrincis audaces & industrios statores constituit. Acerrimè siquidem concertantibus regalis familia superuenit, qua visa, Gallorum virtus iam fatigata deficere cœpit. Insignis Radulfus de Porta ad Portam discurrebat, & arma sæpè ne cognosceretur mutabat. Plures præclaros athletas ea die deiecit, & præcipitatis equitibus equos eorum sociis indigentibus largiter donauit, sicque militari probitate inter præcipuos pugiles per secula laudari promeruit. D

PVLCHER & probissimus Flandrita R. Rufum, & Lucam de Barra, aliósque strenuos equites prostrauit: & abductis eorum equis arroganter intumuit, nec vicinum sibi triste fatum callidè præcauit. In victum Britonem, vt quempiam plebeium solito more occurrit, & mox ab eo lethaliter percussus cecidit, & coram multis captus post XV. dies in carcere Britolij expirauit.

REX Anglorum filium suum R. aliósque præcursores suos secutus est cum ingenti caterua, denuò pugnaturus contra Francorum milia, si reperisset eos in terra sua. Verùm ipsi, qui longa obsidione rati sunt oppidum obtinere: eadem die frustrata, qua turgidi venerant, spe, cum ignominia & plagis in Galliam compulsi redire. Sacerdotes quoque iusto iudicio Deus inglorios reduxit, tremore, damnis, luctu & confusione perfudit, qui sacra loca, quæ sacerdotali censura debuissent præmunire, spurcis auidísque nebulonibus impudenter contaminanda tradidêre.

TVNC GVILLELMVS DE CALVIMONTE gener Regis, aliique superbi

A tyrones, irati quòd Britolij nihil lucrati fuissent, ad Tegulense castrum ferè ducenti diuerterunt, vt sibi aliquid emolumenti seu laudis vendicarent. Porrò Gillebertus Tegulensis Castellanus in abdito loco cum satellitibus suis latitabat, & tramites ne rura sua latrunculi depopularentur explorabat. Venientibus verò Francis subitò prosiluit, generúmque Regis Guillelmum comprehendit: pro cuius redemptione cc. argenti marcos habuit. Contubernalium autem eius quosdam cepit; reliquos verò cum dedecore fugauit.

CONFRACTA itaque ceruicositate sobolis suæ Gallia satis ingemuit; recensitis euentibus damnosis, suísque futuris generationibus exprobrandis, quos nuper in Neustria pertulerit. Henricus autem Rex, quia pacis amator erat, feliciter effloruit, pro quo supplicantem Ecclesiam Deus clementer exaudiuit, & crebras ei de inimicis victorias piè contulit. Rediuiua prosperitas illi blandè fauens sæuos persectiales admodum terruit, & acerbam pœnitudinem infortunatæ factionis rei publicę hostibus incussit.

RICHERIVS de Aquila xv. Kal. Octobris Odonem totámque prædam de Cisseio rapuit, ea die qua Ludouicus Rex cum multis milibus Britolium adiit; sed nihil nisi dedecus & vulnera vendicauit. Præfatus iuuenis in expeditione illa rem fecit perenni dignam memoriâ. Dum pagenses de Vaceio & circumiacentibus vicis raptores sequerentur, & armenta sua quolibet modo eripere seu redimere meditarentur, animosi milites retrò conuersi super eos irruerunt, citóque terga dantes persecuti sunt. Cúmque illi vires non haberent, quibus contra ferratam aciem sese defenderent, nec proximum esset præsidium ad quod confugere potuissent, secus viam crucem ligneam aspexerunt, ante quam omnes pariter humo tenus prostrati sunt. Quod videns Richerius, timore Dei compunctus est, & pro dulci amore Saluatoris crucem eius piè reueritus est. Iussit ergo suis, vt omnes conseruatos incolumes sinerent, & ipsi, ne impedimentum aliquod paterentur, incœptum iter peragerent. Sic nobilis vir pro Creatoris metu ferè centum villanis pepercit, à quibus, si prehendere eos temerè præsumpsisset, grande precium exigere potuisset. Eadem septimana per Rotronem auunculum suum Regi reconsiliatus est, & totam in Anglia seu Normannia terram patris sui adeptus est.

DEINDE Rex Vticensem pagum cum exercitu adiit, & inimicos suos, qui Gloz C & Liram tenebant, visitauit. Tunc nimirum Rogerius Guillelmi filij Barnonis filius prætorium Gloz seruabat, & Ernaldus de Bosco Liræ municeps erat: qui cùm vidissent quòd regia virtus omnia conculcaret, & sibi omne ab Eustachio & Amalrico subsidium defecisset, cum Radulpho, qui vicinus sibi erat, locuti sunt, & per eum idoneam sibi pacem cum Rege fecerunt, eíque diu seruata fideliter castra reddiderunt. Rex autem Radulpho de Guader eadem restituit, & pacificata iam regione Vticensis Rotomagum reuersus Deo gratias retulit.

INTEREA idem Heros, quia Radulphum de Conchis suspectum habebat, nec ad rura sua, quæ vltra Sequanam sunt, nisi per terram eius ire poterat, consilio Regis Pontem sancti Petri, totámque vallem de Pistris dedit, vt sibi fidelis esset, & contra publicos hostes totis nisibus rempublicam defenderet. Radulfo quoque Rufo redditus de Gloz annuit, quem necessarium sibi in multis comprobauit, & profuturum adhuc æstimauit.

IN Octobris medio, Callixtus Papa cum Romano Senatu Remis venit, ibique D xv. diebus demoratus Concilium tenuit, & de vtilitatibus Ecclesiæ cum Pastoribus Dominici gregis sollerter tractauit. Ibi nimirum fuerunt xv. Archiepiscopi, & plus quàm cc. Episcopi, cum multis Abbatibus & aliis Ecclesiæ dignitatibus. Apostolico enim iussu euocati de Italia & Germania, de Gallia & Hispania, de Britannia & Anglia, de Insulis Oceani, & cunctis Occidentalibus Prouinciis, congregati sunt pro amore Saluatoris, eius parati gratanter obedire mandatis. Maguntinus Archiepiscopus, cum vii. Præsulibus Remis ad Synodum properauit, quos quingentorum militum cohors securè vallauit. Quorum aduẽtu comperto exultauit, eísque Hugonem Trecasinum Comitem cum turmis militum amicabiliter obuiam misit.

REX Anglorum Prælatis regni sui ad Synodum quidem ire permisit, sed omninò, ne alicuius modi querimoniam alterutrum facerẽt, prohibuit. Dixit enim: « Omni-plenariã rectitudinem conquerenti faciam in terra mea, redditus ab anterioribus «

Henricus I. 1119.

constitutos Romanæ Ecclesiæ singulis annis erogo, & priuilegia nihilominus ab antiquis temporibus pari modo mihi concessa teneo. Ite, dominum Papam de parte mea salutate, & Apostolica tantum præcepta humiliter audite, sed superfluas adinuentiones regno meo inferre nolite. In Ecclesia metropolitana Synodus celebrata est. Ibi Papa XIV. Kal. Nouembris Dominico Missam cantauit, & Baiocensem TVRSTINVM Eboracensibus Archiepiscopum consecrauit: priuilegióque, ne Cantuariensis Metropolitæ veluti magistro, sed quasi co-Episcopo subiiceretur, donauit. Sequenti autem Dominico FREDERICVM Hermanni Namuri Comitis fratrem Leodicensibus Episcopum benedixit: qui infra triennium ab æmulis veneno infectus obiit, & nunc miraculis ad sepulchrum eius coruscantibus feliciter splendescit. In Basilica sanctæ Virginis Mariæ ante Crucifixum XII. Kal. Nouembris Præsulum cathedræ appositæ sunt, & singuli Metropolitæ, prout eis antiquitus à Romano Pontifice constitutum est, ordinatè consederunt. Radulphus cognométo Viridis Archiepiscopus Remensis, & Leothericus Bituricensis, Humbertus Lugdunensis, & Goiffredus Rothomagensis, Turstinus Eboracensis, & Dainbertus Senonensis, B Gislebertus Turonensis, & successor eius Hildebertus Cenomannensis, Baldricus Dolensis, & alij octo Archiepiscopi, cum suffraganeis suis, & absentium Legatis, cum multis Abbatibus & Monachorum ac Clericorum multitudine, futurum examen præfigurauêre, quod in spiritu intuens Isaias, & quasi digito demonstrans, exclamat cum metu ac mentis alacritate: *Dominus ad iudicium veniet cum Senibus populi sui, & Principibus eius.*

IN sublimi Consistorio Apostolica sedes erat, ante ianuas Ecclesiæ. Finita Missa, Calixtus Papa resedit, & in prima fronte coram eo Romanus Senatus constitit. Cono Prænestinus Præsul, & Boso Portuensis, Lambertus Hostiensis, Ioannes Cremensis, & Hato Viuariensis. Hi nimirum præ omnibus aliis quæstiones subtiliter discutiebant, & mira eruditione imbuti responsa vbertim proferebant. Crisogonus verò Diaconus Dalmatica indutus Papæ astabat, manúque Canones gestabat: promptus propinare authenticas maiorum sententias, vt res exigebat. Porrò alij sex ministri Tunicis seu Dalmaticis vestiti circumstabant, & frequenter insurgente tumultu dissidentium, silentium imperabant. In primis post Letaniam, & C autenticas orationes, Papa cœpit simpliciter & sanctè Latialibus verbis Euangelium explanare, quòd iusserit IESVS discipulos suos trans fretum præcedere. Eloquenter etiam retexuit, quomodo vesperè facto ventus oritur contrarius, & nauis sanctæ Ecclesiæ periclitatur in huius mundi fluctibus, multimodísque iactatur tentationum & tribulationum procellis. Sed sæuientes impiorum flatus subitò conquiescunt visitatione Saluatoris, & optata tranquilitas reuertitur ad filios pacis. Deinde vt Papa sermonem finiuit, Cono Cardinalis Pontifex surrexit, & eloquentissimè sacros Archimandritas de cura pastorali admonuit. Ex Libro quoque Geneseos verba Iacob memoriter protulit, & Prælatos Ecclesiæ circa gregem Domini parem diligentiam habere spiritualiter debere asseruit, quem Iacob erga oues Laban auunculi sui se habuisse manifestauit.

LVDOVICVS Rex, cum Principibus Francorum Synodum introiuit. In Consistorium, vbi Papa residens omnibus præminebat, conscendit, querimoniámque
» suam rationabiliter deprompsit. Erat enim ore facundus, staturâ procerus, pallidus,
» & corpulentus. Ad hanc, inquit, sanctam concionem pro inuestigando consilio
» cum Baronibus meis venio, domine Papa: & vos, ô seniores, audite me obsecro. D
» Rex Anglorum, qui iamdudum mihi confœderatus extitit, mihi meísque subie-
» ctis plurimas infestationes & iniurias ingessit. Normanniam, quæ de regno meo
» est, violenter inuasit: & Rodbertum Ducem Normannorum contra omne ius
» & fas detestabiliter tractauit. Hominem quippe meum, sed fratrem, domi-
» númque suum, multis modis molestauit, & ad vltimum cepit, & huc vsque
» in carcere longo detinuit. Ecce Guillelmum Ducis filium, qui mecum ad vos
» huc accessit, funditus extorrem exhereditauit. Per Episcopos & Consules, aliásque
» personas, ipsum vt captum Ducem mihi redderet requisiui: sed de hac re nihil
» ab eo impetrare potui. Rodbertum de Belismo Legatum meum, per quem man-
» daueram Regi quod volebam, in Curia sua cepit, vinculis iniecit, & in ergastulo tru-
» ci huc vsque cohercuit. Tedbaldus Comes homo meus est, sed instinctu auunculi sui

A contra me nequiter erectus est. Eius enim diuitiis & potentiâ inflatus, in me rebellauit, & infidus mihi atrocem guerram fecit, regnúmque meum ad detrimenta multorum conturbauit. Legitimum, bonúmque virum GVILLELMVM Comitem Niuernensem, quem benè nostis, remeantem de obsidione castelli cuiusdam excommunicati furis, vbi verè spelunca latronum, & fossa diaboli erat, comprehendit, & vsque in hodiernum diem carceri mancipauit. Religiosi Præsules THOMAM DE MARLA seditionum prædonem totius Prouinciæ meritò aduersati sunt. Ideóque mihi generalem inimicum peregrinorum & omnium simplicium obsidere præceperunt, & ipsi mecum, legitimíque Barones Galliæ, ad comprimendos exleges conuenerunt, & cum communi collectione Christiani exercitus pro zelo Dei certauerunt. Indè præfatus heros cum mea licentia pacificè regrediens captus est, & à TEDBALDO Comite vsque hodie retentus est: licèt eum B multitudo Procerum ex parte mea sæpè pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, & tota terra eius ab Episcopis anathematizata sit. HENRICVS I. 1119.

CVMQVE Rex hæc, & his similia dixisset, & Gallicana concio veracem eius orationem allegasset, Goffredus Rotomagensis Archiepiscopus cum suffraganeis Episcopis & Abbatibus surrexit, & pro Rege Anglorum rationabiliter respondere cœpit. Verùm, orto tumultu dissidentium interceptus conticuit, quia illic multi aderant inimicorum, quibus excusatio pro victorioso Principe displicuit. Interea HILDEGARDIS Comitissa Pictauorum cum suis pedissequis processit, & alta claráque voce querimoniam suam eloquenter enodauit, quam omne Concilium diligenter auscultauit. Se siquidem dixit à marito suo esse derelictam, sibíque MALBERGIONEM Vicecomitis de Castello-Airaldi coniugem in throno surrogatam. Cúmque Papa interrogaret, vtrum Consul Pictauensis secundum suum edictum ad Synodum venisset, Guillelmus eloquentissimus iuuenis Episcopus Sanctonensis, & plures Episcopi & Abbates de Aquitania surrexerunt, & eundem Aquitanorum Ducem excusauerunt: asseuerantes, quòd iter ad Concilium inierit, sed ægritudine detentus obiter remanserit. Denique Papâ infirmitatis causâ excusationem suscepit, inducias dedit, certúmque terminum constituit, C quo Consul ad placitum in Curiam Papæ veniret, ac vt legitimam vxorem reciperet, aut pro illicito repudio sententiam anathematis subiret. Deinde barbatus Audinus Ebroicensis Episcopus clamorem de AMALRICO fecit, à quo & se turpiter expulsum, Episcopium abominabiliter incensum denunciauit. Protinus econtra Capellanus Amalrici palam respondendo audacter occurrit, & mendacem Episcopum liquido coram omni cœtu vocitauit. Non Amalricus, inquit, sed nequitia tua te meritò expulit, & Episcopium combussit. Ipse profectò, quem Rex per fraudulentam malignitatem tuam exhereditauit, vt strenuissimus miles armis pollens & amicis debitum honorem recuperauit. Rex siquidem cum pluribus cateruis suorum vrbem obsedit, imperióque tuo ignem iniecit, & basilicas omnes cum ædibus concremauit. Tali tantóque damno peracto recessit, nec adhuc arcem seu ciuitatem obtinuit. Videat, & iudicet hæc sancta Synodus, quis magis pro combustis Ecclesiis condemnandus est, Audinus, an Amalricus.

FRANCIS itaque contra Normannos adminiculantibus AMALRICO, grandis ibi facta est verborum altercatio. Tandem facto silentio, Papa locutus est. D Nolite, quæso, carissimi mei, multiplicitate verborum inutiliter contendere, sed pacem vt filij Dei totis nisibus inquirite. Filius enim Dei pro pace de cœlo descendit, & humanum corpus ex intacta Virgine Maria clementer assumpsit, vt lethalem guerram per protoplasti reatum progressam piè sedaret, vt pacem inter Deum & hominem ipse sequester factus mitteret, vt Angelicam & humanam naturam reconsiliaret. Ipsum in omnibus sequi debemus, qui eius in populo suo vicarij qualescúmque sumus. Pacem & salutem membris eius omnimodis procurare satagamus, quia ministri & dispensatores ministeriorum Dei sumus. Membra quippe Christi populum Christianum appello, quem ipse sanguinis sui redemit precio. Inter bellicos tumultus in perturbatione positus seculari, quis dignè potest spiritualia contemplari, vel in lege Dei competenter meditari? Bellica seditio plebes commouet ac dissoluit, & per abrupta vitiorum lethaliter euagari cogit. Ecclesias violat, sacrata contaminat, & plura nefaria irreuerenter exaggerat. Clerum vehe-

Henricus I. 1119.

menter inquietat, & à studio religionis pluribus modis euocat. In cultu Dei consistentes territat, molestiis nequiter infestat, & quid agant præ timore nescientes eneruat. Regularem disciplinam confundit ac dissipat, & indisciplinatos in omne nefas præcipitat. Ecclesiasticus itaque rigor dissoluitur, lethifera dissolutio passim diffunditur, & castitatis pudor flebiliter exponitur. Furia verò malorum abominabiliter grassatur, & iniquorum phalanx ad inferos miserabiliter quotidie raptatur. Pacem igitur, quam bonorum nutricem lucidè videmus, in omnibus vbique feruenter amplecti debemus, indesinenter seruare, omnibus imperare, verbis & exemplis prædicare. Hanc ipse Christus ad passionem properans suis reliquit, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hanc eandem ipse resurgens ex mortuis repræsentauit, dicens, *Pax vobis.* Magna quies & securitas est vbi pax regnat, dolor & tribulatio terit omnes & cruciat, quos ira rodit ac discordia stimulat. A

Pax est blanda & salubris concatenatio cohabitantium, omnique creaturæ rationali generale bonum, quo indissolubiliter nexi cælestes gaudent, terrigenæque simili nexu colligari iugiter indigent: sine qua pestilentes timentur & timent, & nunquam securi turbantur & mœrent. Hanc igitur virtutem, quam appeto, quam ex sanctarum auctoritate Scripturarum, & generali approbatione publicæ commoditatis summoperè laudo; toto nisu inquirere, & in tota Dei Ecclesia ipso iuuante diffundere viuaciter elaborabo. Treuiam Dei, sicut eam sanctæ memoriæ Vrbanus Papa in Concilio Clarimontis tenendam constituit, præcipio: & reliqua Decreta, quæ ibi à sanctis Patribus sancita sunt, ex auctoritate Dei, & sancti Petri Apostoli, omniúmque Sanctorum Dei confirmo. Imperator Alemannorum mandauit mihi, vt Mozonem castrum adeam, ibíque pacem cum eo ad vtilitatem sanctæ matris Ecclesiæ faciam. Illuc vtique pro pace laboraturus nunc ibo, & co-Episcopos meos Remensem & Rotomagensem, & alios quosdam de fratribus & co-Episcopis nostris mecum minabo, quos præ ceteris ad hoc placitum necessarios æstimo. Aliis omnibus Episcopis & Abbatibus iubeo, vt hîc præstolentur nos quantociùs redituros, auxiliante Conditore nostro. Omnes hîc expectare commendo, nec etiam Goiffredum Abbatem sancti Theodorici abire permitto, quamuis eius hospitium sit in proximo. Orate pro nobis, vt Deus & Dominus noster prosperum iter nobis concedat, & omnes conatus nostros ad pacem & vtilitatem totius Ecclesiæ benigniter dirigat. Cùm autem reuersus fuero, clamores vestros & ratiocinationes vt rectiùs potuero diligenter discutiam, opitulante Domino, vt cum pace & exultatione ad propria remittatur hæc sacra concio. Deinde spiritualem filium meum, & originis propinquitate consobrinum Regem Anglorum adibo: precibus & alloquiis ipsum, & Tedbaldum Comitem, eius videlicet nepotem, aliósque dissidentes admonebo, vt in omnibus rectitudinem faciant, & ab omnibus eandem in amore Dei recipiant: & iuxta Dei legem pacificati ab omni bellorum strepitu sileant, atque cum subiectis plebibus securi quiescentes gaudeant. Porrò illos, qui persuasionibus nostris obtemperare noluerint, sed in sua procacitate contra ius & publicam quietem contumaciter perseuerauerint, terribili anathematis sententiâ feriam, nisi à prauitate sua resipuerint, & pro transactis reatibus Canonicè satisfecerint. His dictis, cœtus fidelium solutus est.

In crastinum, feria quarta cum insigni comitatu Mozonem profectus est, & Dominico sequenti præ labore & metu lassus & æger, Remis regressus est. Interea multitudo magistratuum Papæ reditum ægrè præstolata est. Nam qui de longinquis regionibus illuc Apostolici iussu conuenerant, ibi nihil agentes infructuosè sua distrahebant, suarúmque curam domorum cum mœrore intermittebant. Denique reuersus Papa per quatuor dies Synodum tenuit, & de diuersis Ecclesiarum negotiis tractauit.

Igitvr feria secunda postquam Papa consedit, Ioannes Cremensis eruditus & eloquens Presbyter surrexit, & peracti euentus itineris seriatim enucleare cœpit. Notum est, inquit, sanctitati vestræ, quòd Mozonem perreximus. Sed infortuniis contra nos insurgentibus, nil commoditatis perpetrauimus. Illuc festinanter iuimus, sed indè festinantiùs rediuimus. Imperator enim cum ingenti exercitu ad prædictum locum aduenit, & quasi pugnaturus armatorum fermè xxx.

A milia secum habuit. Hoc itaque vt animaduertimus, dominum Papam in præfato castro, quod in Remensis Archiepiscopi dominio est, inclusimus: & nos inde ad constitutum colloquium egredientes, ipsum exire omninò prohibuimus. Secretiùs fari cum Imperatore multoties quæsiuimus, sed mox vt à turba segregati cum illo seorsum migraremus, innumeri satellites voluntatis eius & fraudis conscij nos circumdabant; & lanceas gladiósque suos vibrantes ingentem nobis metum incutiebant. Non enim ad bellum instructi veneramus, sed inermes pacem vniuersali Ecclesiæ procurabamus. Imperator dolosus per diuersas ambages cauillabatur, fraudulenter nobiscum loquebatur: sed præsentiam Papæ, vt eundem caperet, summoperè operiebatur. Sic totum diem inutiliter exegimus, sed Patrem Patrum ab oculis eius sollerter occultauimus: memores, quàm fraudulenter idem ipse Romam intrauerit, & ante aram in basilica sancti Petri Apostoli Paschalem Papam ceperit. Denique nos tetra nox diremit, & vnusquisque sua mapalia repetiit. Nos vtique formidantes ne peiora incurreremus, iter repedandi, imò fugiendi velociter iniuimus. Quinetiam ne formidabilis tyrannus cum multis legionibus, quas B secum ducebat, persequeretur, nos valde timuimus. De his dixisse nunc sufficit. HENRICVS I. 1119.

COLONIENSIS Archiepiscopus Legatos & Epistolas domino Papæ direxit, & professa subiectione pacem & amicitiam cum illo pepigit. Filium quoque Petri Leonis, quem obsidem habebat, ob amoris specimen gratis reddidit. Hæc dicens, quasi ob insigne tripudium lætitiámque mirabilem digito monstrauit nigrum & pallidum adolescentem, magis Iudæo vel Agareno, quàm Christiano similem, vestibus quidem optimis indutum, sed corpore deformem. Quem Franci, aliique plures Papæ adsistentem intuentes deriserunt, eique dedecus perniciémque citam imprecati sunt, propter odium patris ipsius, quem iniquissimum fœneratorem nouerunt.

DEINDE Lugdunensis Archiepiscopus cum suffraganeis suis surrexit, & ita loqui cœpit: Masconensis Episcopus ad hanc sanctam Synodum clamorem facit, quòd Poncius Cluniacensis ipsum Ecclesiámque suam damnis, multísque iniuriis affecit; Ecclesias decimásque suas, debitásque subiectiones sibi violenter abstulit, C & congruas dignitates, suorúmque ordinationes Clericorum denegauit. Questus huiuscemodi Lugdunensis Primas expleuit, multi Præsules & Monachi atque Clerici prosecuti sunt, & de rebus sibi violenter ablatis cum vociferatione clamores fecerunt: ac de iniustis inuasionibus, quas à Cluniacensibus perpessi sunt. Plures valde tumultuati sunt, diúque perstrepentes acerba quæ ruminauerant euomuerunt.

TANDEM facto silentio, Cluniacensis Abbas cum grandi conuentu Monachorum surrexit, breuíque responso, & modesta voce ac tranquilla locutione querulosos impetitores compressit. Erat quippe magnanimus de valle Brutiorum Monachus, Consulis Merguliensis filius, & Paschalis Papæ filiolus, imperióque eius inter Cluniacenses educatus. Ætate quidem iuuenis, & statura mediocris: sed à pueritia docilis, in virtutibus stabilis, & coëssentibus alacritate affabilis. Candida verò facie decorus, moribus & genere vt dictum est conspicuus, Regum & Imperatorum consanguinitate proximus, religione ac peritiâ literarum præditus, D ideóque tot karismatum prærogatiuis redimitus fortis in aduersantes æmulos stabat ac rigidus. Multis, vt caraxatum est, clamoribus in Synodo propulsatus respondit: CLVNIACENSIS Ecclesia soli Romanæ Ecclesiæ subdita est, & Papæ propria, & ex quo fundata est, à Romano Pontifice obtinuit priuilegia, quæ proclamatores isti sua nituntur abolere & frustrari violentiâ. Notum autem sit vobis, beati Patres, qui adestis, omnibus, quòd ego & fratres nostri Monasticas res, quas iure seruandas suscepimus, sicut eas venerabilis HVGO, aliíque sancti prædecessores nostri habuerunt, seruare contendimus. Nulli damna vel iniurias ingessimus, res alienas non diripuimus, nec aliquatenus diripere sua cuilibet concupiscimus. Verùm res pro amore Dei nobis datas à fidelibus quia pertinaciter defendimus à raptoribus, inuasores dicimur, & opprobria multa iniustè toleramus. Nimia de his ad me sollicitudo non pertinet. Ecclesiam suam dominus Papa si vult defendat, & Ecclesias decimásque cum aliis possessionibus, quas ipse mihi commisit, patrocinetur & custodiat.

HENRICVS I. 1119.

PAPA igitur de omnibus, quæ ab vtrísque partibus audierat, in crastinũ perendinari iudicium imperat. Sequenti verò die Ioannes Cremẽsis surrexit, & locutionis suæ procemium huiusmodi inchoauit: Sicut iustum est, vt Dominus Papa clamores ve- A
» stros sollerter audiat, vobísque sicut pater filiis sine fictione omnimodis subueniat;
» talique vobis obsequi famulatu non semel cotidie debeat: sic nimirum decet ac iu-
» stum est, vt ipse idem in parrochiis vestris aliquid proprietatis possideat, Ecclesiám-
» que, seu domum, vel aliquam possessionem sua electione sine fidelium oblatione
» liberam habeat. Postquam ab omnibus hoc gratanter concessum est, consequen-
» ter Ioannes adiecit: Ducenti & eo ampliùs anni sunt, ex quo Cluniacensis Eccle-
» sia fundata est, & ab ipso primordio fundationis suæ Romano Papæ donata est, à
» quo vtilibus priuilegiis in Romana Synodo coram multis arbitris diuersæ dignitatis
» euidenter insignita est. Ratum est, & in Cartis insertum legentibus liquidò pate-
» scit, quod GERALDVS * Aquitanicus Cluniacense Cœnobium in alodio suo
» construxit, & illud Romam pergens Romano Pontifici deuotissimè commisit, nec
» id frustra fieri voluit. Nam ipse tunc XII. aureos Papæ obtulit, & exinde totidem
» singulis annis dari decreuit. Præfata ergo Ecclesia nulli Principum seu Præsulum B
» vsque nunc nisi Papæ subiacuit, Deóque largiter opitulante, fundis & religiosis
» habitatoribus feliciter creuit, vnde bonus odor laudabilis famæ longè latéque per
» orbem fragrauit, exemplúmque sanctitatis piæ quærentibus disciplinam salubriter
» exuberauit. Conuentus Monachorum secundum regulam sancti Patris Benedicti
» Abbatem eligit, electum Papæ cum literis attestantibus dirigit, quem ipse secun-
» dum Ecclesiasticum morem consecrat ac benedicit.

» OMNIS credentium multitudo credit ac perhibet, quòd qui Apostolicæ Sedi
» iubente Deo præsidet, ligandi atque soluendi potestatem habet. Principis enim
» Apostolorum Petri vicarius est, cui diuinitus dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc*
» *Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi da-*
» *bo claues regni cælorum, & quodcúmque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: &*
» *quodcúmque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Ergo Apostolica Sedes car-
» do & caput omnium Ecclesiarum à Domino, & non ab alio constituta est. Et si-
» cut cardine ostium regitur, sic Apostolicæ Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Do- C
» mino disponente reguntur. Ecce beato Petro concessum est à filio Dei, vt cæteris
» præemineret Apostolis. Vnde Cephas vocatur, quia caput & primus est omnium A-
» postolorum, & quod in capite præcessit in membris sequi conuenit. Quis ei resiste-
» re potest, cui tanta potestas à Domino concessa est? Quis audet soluere quem Pe-
» trus ligauit, siue ligare quem ipse absoluit? Igitur, cùm Cluniacensis Abbatia soli
» Papæ subiciatur, & ille, qui præcipiente Deo in terris super omnes est, ipsam pa-
» trocinetur; Romana auctoritas Cluniacensium priuilegia corroborat, & in virtute
» Dei omnibus Ecclesiæ filiis imperat, ne quis eos temerè pristina libertate priuet,
» nec possessionibus olim habitis spoliet, nec insolitis exactionibus prægrauet. In pa-
» ce omnia possideant, vt quieti semper seruire Deo valeant.

HÆC Ioanne dicente, plures Præsulum, & aliorum, qui confines illis erant, tumultuati sunt: nec ea, quæ per Cardinalem constanter edita sunt, quamuis apertè contradicere iussionibus Papæ non auderent, concessa sunt. In altercationibus multifluæ iaculabantur sententiæ, abundanter emanantes de profundo fonte diuitis sapientiæ. Sed omnia Concilij gesta nequeo singillatim retexere. Arguti Sophistæ de multiplicibus Ecclesiæ negotiis subtiliter tractauerunt, & multa studiosis auditoribus documenta luculenter intimauerunt. D Ibi Girardus Engolismensis, Hato Viuariensis, Goiffredus Carnotensis, & Guillelmus Catalaunensis duces verbi præ ceteris intonuerunt, & dicacibus Scholasticis, atque feruidis amatoribus Sophiæ inuidiosi enituerunt. Nuncius de morte Tusculani Cardinalis Episcopi nuper in itinere defuncti locutus est, & Epistola CLEMENTIÆ sororis Papæ pro BALDVINO Comite Flandrensium filio suo recitata est. Pro quibus, & pro cunctis fidelibus defunctis lugubris Pastor cum venerabili cœtu Deum deprecatus est.

IN nouissimo Concilij die Barcinonensis Episcopus, corpore quidem mediocris & macilentus, sed eruditione cum facundia & religione præcipuus, subtilem satísque profundum sermonem fecit de regali & sacerdotali dignitate: quem sum-

* l. GVILLELMVS.

A ma cuncti, qui percipere poterant, hauserunt auiditate. Tunc Papa Karolum-Henricum Imperatorem Theomachum, & Burdinum pseudo-Papam, & fautores eorum mœrens excommunicauit: aliósque scelerosos qui manifestè sæpiùs correpti, sed inemendabiles perdurabant, illis associauit, paríque anathematis percussione vsque ad emendationem multauit. Denique decretalia Synodi Remensis Capitula propalari imperauit. Ioannes Cremensis ex consultu Romani Senatus dictauit. Ioannes Rothomagensis sancti Audoëni Monachus in carta notauit, & Chrysogonus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus distinctè & apertè recitauit. Textus autem Concilij huiusmodi est. HENRICVS I. 1119.

QVÆ sanctorum Patrum sanctionibus de prauitate simoniaca stabilita sunt, Spiritus sancti iudicio, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmamus. Si quis ergo vendiderit, aut emerit, vel per se, vel per summissam personam quamlibet, Episcopatum, Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, Presbyteratum, Præpo-
B situram, præbendam, altaria, vel quælibet Ecclesiastica beneficia, promotiones, ordinationes, consecrationes, Ecclesiarum dedicationes, Clericalem tonsuram, sedes in choro, aut quælibet Ecclesiastica officia; & vendens, & emens, dignitatis & officij sui & beneficij periculo subiaceat. Quòd nisi resipuerit, anathematis mucrone perfossus ab Ecclesia Dei, quam læsit, modis omnibus abscindatur. Episcopatuum, Abbatiarum inuestituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicúmque igitur laicorum deinceps inuestire præsumpserit, anathematis vltioni subiaceat. Porrò, qui inuestitus fuerit, honore, quo inuestitus est, absque vlla recuperationis spe omnimodo careat. Vniuersarum Ecclesiarum possessiones, quæ liberalitate Regum, largitione Principum, vel oblatione qualiumlibet fidelium, eis concessæ sunt, inconcussas in perpetuum, & inuiolatas permanere decernimus. Quòd si quis eas abstulerit, inuaserit, aut potestate tyrannica detinuerit, iuxta illud beati Symmachi capitulum anathemate perpetuò feriatur. Nullus Episcopus, nullus Presbyter, nullus omninò de Clero Ecclesiasticas dignitates vel beneficia cuilibet quasi iure hereditario derelinquat. Illud etiam adicien-
C tes præcipimus, vt pro baptismatis, crismatis sacri, & sepulturæ acceptione, & infirmorum visitatione, vel vnctione, nullum omninò precium exigatur. Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, concubinarum, & vxorum contubernia prorsus interdicimus. Si qui autem huiusmodi reperti fuerint, Ecclesiasticis officiis priuentur & beneficiis. Sane si neque sic immunditiam suam correxerint, communione careant Christiana.

HÆC III. Kal. Nouembris scita Calixtus II. Papa cum omni Concilio sanxit, & omnes qui conuenerant illuc, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti benedixit. Deinde sacrum illud Collegium solutum est: & vnusquisque laudans Deum ad propria regressus est.

INTEREA Henricus Rex Ebroas potenter obsedit, ipsiúsque nepos Tedbaldus Comes Palatinus pacificare discordantes sategit: vnde sollerti consilio fiduciáque AMALRICVM ad Regem adduxit, qui protinus reconciliatus Regi arcem vltrò reddidit, & ipse totum auunculi sui Comitatum gaudens recepit. Porrò Eustachius & Iuliana vxor eius cum amicis consiliati sunt, & ad obsidionem amico-
D rum instinctu properauerunt, nudísque pedibus ingressi tentorium Regis ad pedes corruerunt. Quibus repentè Rex ait: Cur super me sine meo conductu introire ausi estis, quem tot tantísque iniuriis exacerbastis? Cui Eustachius respondit: Tu meus es naturalis dominus. Ad te ergo dominum meum venio securus, seruitium meum tibi fideliter exhibiturus, & rectitudinem pro erratibus secundum examen pietatis tuæ per omnia facturus. Amici pro genero Regis supplicantes affuerunt. Ricardus quoque filius Regis pro sorore sua supplex accessit. Clementia verò cor Regis ad generum & filiam emolliuit, & benigniter reflexit. Mitigatus itaque socer genero dixit: Iuliana reuertatur Paceium, & tu mecum venies Rotomagum, ibíque meum audies placitum. Nec mora iussio Regis completa est, & Rex Eustachio sic locutus est: Propter honorem Britolij, quem Radulfo de Guader Britoni cognato tuo dedi, quem fidelem & probissimum in necessitatibus meis contra hostes comprobaui, in Anglia tibi per singulos annos recompensabo ccc. marcos argenti. Post hæc præfatus heros in paoe zetis & muris Paceium muniuit, multis-

HENRICUS I. 1119. que diuitiis abundans plus quàm xx. annis vixit. Porro Iuliana post aliquot annos A lasciuam quam duxerat vitam, habitúmque mutauit; & Sanctimonialis in nouo Fontis-Ebraldi Cœnobio facta, Domino Deo seruiuit.

HVGO de Gornaco, & Rodbertus de Nouo-burgo, ceteríque rebelles, vt fortiores se viderunt defecisse, & fortitudine ac sensu super omnes Regem incessisse, comperta sociorum defectione præteritorum actuum pœnitudinem egêre, & tam per se quàm per amicos misericordiam Regis postulauere. Protinus ille, qui Deum timebat, & pacis iustitiæque cultor erat, Baronibus pro errore supplicibus pepercit, & indultis reatibus in amicitiam eos benigniter recepit.

IN Stephanum Comitem de Albamarla, qui solus adhuc resistebat, exercitum Rex aggregauit, & in loco, qui Vetus Rothomagus dicitur, castrum condere cœpit, quod Mataputenam, id est, deuincens meretricem, pro despectu Haduissæ Comitissæ nuncupauit. Eius enim instinctu præfatus Consul contra dominum co- B gnatúmque suum Regem rebellauit: & Guillelmum clitonem atque Balduinum Flandritam in castris suis receptos diutius adiuuit. Qui postquam Regem super se cum exercitu venire cognouit, prudentum consultu amicorum Regi humiliter satisfecit, & ille condonatis omnibus cum pace triumphans recessit. De veteri Rotomago, vnde hic mentio iam facta est, tangam quod in priscis Quiritum historiis relatum est. Gaius Iulius Cæsar Caletum, vnde Caletensis pagus adhuc vocabulum retinet, obsedit, diúque totis nisibus impugnauit. Et quia illuc de omni Gallia impacabiles inimici confluxerant, qui cædibus & incendiis, ac frequentibus iniuriis offenderant, & irremissibiliter Cæsarem irritauerant, ipse vrbem pertinaciter impugnauit, cum incolis cepit, funditúsque destruxit. Ceterùm ibi, ne Prouincia præsidio nudaretur, munitionem construxit, quam à IVLIA filia sua Iuliam-bonam nuncupauit; sed barbara locutio Illebonam corrupto nomine vocitauit. Inde .IX. fluuios, Guitefledam, & Talam, quæ Dum modò dicitur, Sedanam, & Belnaium, atque Sedam, Guarennam, & Deppam, & Earam pertransiuit: Oceaníque litus vsque ad Aucum flumen, quod vulgò dicitur Ou, perlustrauit. Sollers denique Princeps, postquam commoditatem patriæ perscrutatus suis C consuluit, vrbem ad subsidium Quiritum ædificare decreuit, quam RODOMVM, quasi Romanorum domum vocitauit. Accitis itaque artificibus, spacium quantitatis eius mensus est, latomísque cum macionibus illic ad opus agendum dispositis profectus est. Interea RVTVBVS potens sæuusque tyrannus inexpugnabile, vt putabatur, municipium super montem iuxta Sequanam seruabat, per quod circumiacentem Prouinciam, nauésque per proximum flumen meantes coërcebat. Quod audiens Cæsar, illuc cum exercitu festinauit, & castellum, quod RVTVBI-PORTVS appellabatur, expugnauit. Cuius oppidi specimen & ruinas solers indigena perspicuè cognoscit. Cæsar autem de prædicto loco cæmentarios & artifices alios reuocauit, nobilémque metropolim super Sequanam Rotomagum condidit, & priori vico super Aucum vsque in hunc diem solum nomen reliquit.

HÆC, quia de veteri Rotomago, vbi Henricus Rex castellum in hostes inchoauit, sed illis protinus reconciliatis incœptum opus intermisit, ad notitiam posteritatis mentionem feci, de priscorum relationibus adieci. Nunc autem ad D res nuper gestas vt cœpi redibo, & pro posse meo antiquos scriptores sequens, laborem meum ætati futuræ offero.

OMNES Normanni, qui contra Regem, vt dictum est, rebellauerant, ipsum in omnibus fortiorem experti sunt, meliúsque quàm olim consilium captantes, tam per se quàm per amicos veniam petierunt: & supplices à Rege indultis reatibus recepti sunt. Inuiti siquidem Guillelmum clitonem cum Helia pedagogo suo in exilio reliquerunt, sed aliter potentissimi Principis pacem habere nequiuerunt.

MENSE Nouembri, Calixtus Papa in Neustriam venit, & Gisortis cum Rege Anglorum colloquium de pace habuit. Magnificus Rex illum honorificè suscepit, & eius ad pedes pronus accessit, eúmque reuerenter honorauit, quem vniuersalis Ecclesiæ Pastorem, sibíque consanguinitate propinquum agnouit. Quem Papa humiliatum benigniter erexit, in nomine Domini benedixit, datóque pacis osculo inter mutuos amplexus vterque exultauit. Denique ad colloquium compe-

tenti

HENRICVS I. 1119.

A tenti hora ventum est, & sic Papa Regem alloqui exorsus est.

IN Concilio Remensi cum sanctis Præsulibus, aliisque Proceribus, & filiis Ecclesiæ Dei, qui gratanter per nostram inuitationem illuc conuenerant, de salute fidelium tractaui, & pro pace communi me laboraturum summoperè promisi. Ad has igitur partes, gloriose fili, festinus accessi: & oro clementiam omnipotentis Dei, vt ipse conatus nostros benigniter videat, ac ad generalem totius Ecclesiæ suæ commoditatem salubriter dirigat. In primis magnificentiam tuam obsecro, vt piè nobis consentias, & inimicis tuis pacem per nos poscentibus, vt veri Salomonis hæres pacificus fias. Cúmque Rex Apostolicis iussionibus promisisset se libenter obtemperaturum, Papa sermonis sui tale sumit exordium: Lex Dei cunctis prouidè consulens imperat, vt vnusquisque ius suum legitimè possideat, sed res alienas non concupiscat, nec alij quod sibi fieri non vult faciat. Synodus ergo B fidelium generaliter decernit, & à sublimitate tua, magne Rex, humiliter deposcit, vt Rodbertum fratrem tuum, quem in vinculis iamdiu tenuisti, absoluas; eique & filio eius Ducatum Normanniæ quem abstulisti restituas. His auditis, respondit Rex: Præceptis vestris, reuerende Pater, rationabiliter obsecundabo, vt ab initio spopondi. Nunc tamen rogo vt diligenter audiatur, quæ vel qualiter egi. Fratrem meum Ducatu Normanniæ non priuaui, sed hereditarium ius patris mei armis vendicaui; quod non frater meus neque nepos sibi possidebant; sed pessimi prædones & sacrilegi nebulones miserabiliter deuastabant. Nullus honor sacerdotibus, aliisque seruis Dei impendebatur: sed penè paganismus per Normanniam passim diffundebatur. Cœnobia, quæ antecessores nostri pro animabus suis fundauerant, destruebantur: & Religiosi claustrales deficiente alimonia dispergebantur. Ecclesiæ verò spoliabantur, & pleræque cremabantur, & indè latitantes protrahebantur. Parrochiani truces mutuis ictibus trucidabantur, & superstites defensore carentes in tot desolationibus lamentabantur. Talis itaque fermè VII. annis ærumna Neustriam afflixit, nec vlli liberam intus vel extra securitatem habere permisit. Frequens autem Religiosorum deprecatio ad me con- C uolauit, méque vt pro amore Dei desolatæ plebi suffragarer incitauit, multísque precatibus ne pessimos latrones super innocuos debacchari diutiùs paterer, obsecrauit. Compulsus itaque in Normanniam transfretaui, & ab inclytis Consulibus Guillelmo Ebroicensi, atque Rodberto Mellentensi, aliísque legitimis Optimatibus susceptus, desolationem paterni iuris videns dolui; sed indigentibus subuenire nisi per arma bellica non potui. Frater enim meus incentores totius nequitiæ tuebatur, & illorum consilia, per quos vilis & contemptibilis erat, admodum amplectebatur. Gunherius nimirum de Alneio, & Rogerius de Laceio, Rodbertus quoque de Belismo, aliique scelesti Normannis dominabantur, & sub imaginatione Ducis Præsulibus, omníque Clero cum inermi populo principabantur. Illos siquidem, quos ego de transmarina regione pro nefariis exturbaueram factionibus, intimos sibi Consiliarios, & colonis præsides præfecit innocentibus. Innumeræ cædes & incendia passim agebantur, & dira facinora, quæ inexperti penè incredibilia putant. Fratri meo mandaui sæpiùs, vt meis vteretur consultibus, eique totis adminicularer nisibus. Sed ille, me contempto, meis contra me potitus D est insidiatoribus. Ego autem tanta videns scelera præualere, seruitium meum sanctæ matri Ecclesiæ nolui subtrahere: sed officium, quod mihi diuinitus iniunctū est, studui multis salubriter exercere. Fortiter igitur armis & ignibus præliando Baiocas Gunherio abstuli, & Cadomum Engerranno filio Ilberti, aliáque oppida tyrānis pugnando compressis cōquisiui, quæ pater meus in suo dominio possederat. Sed frater meus periuris lecatoribus ea tradiderat, & ipse tam pauper, vt clientum suorū stipe indigeret, remāserat. Tandem Tenerchebraicū speluncā dæmonū obsedi, quò Guillelmus Moritolij Comes fratrē meū adduxit contra me cū exercitu grādi: contra quos in campo Famelico in nomine Domini pro defensione patriæ dimicaui. Ibi nimirū iuuāte Deo, qui beniuolos conatus meos nouit, aduersarios superaui; ambósque Consules, fratrem meū & consobrinū cum plurimis desertoribus nostris cepi, & huc vsque ne per eos mihi vel regno meo scandalum oriretur, diligenter custodiui. Sic hereditatem patris mei, totúmque dominium eius recuperaui, paternásque leges obseruare secundum voluntatem Dei ad quietem populi eius elaboraui. Fratrē

HENRICVS I. 1119.

verò meum nunc vt captiuum hostem vinculis mancipaui, sed vt nobilem peregrinum multis angoribus fractum in arce regia collocaui, eique omnem abũdantiam ciborum, & aliarum deliciarum, variamque supellectilem affluenter suppeditaui. Quinquennem verò filium eius Heliæ genero Ducis commendaui, optans ipsum sensus omnísque probitatis & potentię prouectu filio meo in omnibus adæquari. Helias autem instinctu complicum suorum nepotem meum mihi surripuit, totóque sancti Sidonij honore quem possidebat relicto, ad exteros aufugit; & quantum potuit multis incursibus me molestauit: sed prohibente Deo necdum præualuit. Francos atque Burgundiones, aliásque gentes in me commouit: sed plura sibi, ni fallor, quàm mihi detrimenta procurauit. Nepotem meum multoties accersiui, & per plures legatos amicabiliter rogaui, vt ad Curiam meam securus veniret, & cum filio meo regalium diuitiarum particeps fieret. Tres etiam Comitatus in Anglia obtuli, vt illis principaretur, & inter aulicos oratores educatus luculenter experiretur, quanti sensus & probitatis erga diuites & egenos in futuro æstimaretur, & quàm rigidè principalem iustitiam, & militarem disciplinam amplecteretur. Ille verò quæ obtuleram respuit, & inter extraneos fures mẽdicus exulare, quàm mecum deliciis B perfrui maluit. Malorum omnium, quæ commemoraui, testes sunt agri inculti, domus combustæ, villæ deuastatæ, Ecclesiæ dirutæ, populique mœrentes pro amicorũ interfectionibus, opúmque suarum direptionibus. Hæc, domine Papa, sanctitas vestra sapienter discutiat, & vtile consilium his, qui præsunt, & qui subiacent, sollicitè conferat.

SOLLERTER auditis sermonibus Regis, Papa obstupuit, & facta eius prout narrauerat, collaudauit. Nunc, inquit, de Duce & filio eius sufficienter audiuimus: sed de his ad præsens silentes, ad alia tendamus. Rex Francorum conqueritur fœdus, quod inter vos erat, malè ruptum esse, & multa sibi regnóque suo detrimenta iniustè per tuos satellites illata esse. Respondit Rex: Pactum amicitiæ, quod inter nos erat, ipse prior violauit. Hostes meos pluribus modis contra me corroborauit, hominésque meos, vt in me ceruices suas erigerent, promissis & persuasionibus animauit. Commissa tamen si vult emendare, & amicitiæ fœdus amodo inuiolabiliter obseruare, paratus sum admonitionibus vestris in omnibus obsecundare. C

GAVISVS Papa super his, adiecit: Conqueritur item Rex de iniuria, quam Tedbaldus Comes nepos tuus ei fecit, cùm Niuernensem Comitem de obsidione remeantem comprehendit, quam Rex ipse cum Præsulibus Galliæ super Thomam de Marla tenebat, vt coërceret eum à nequitiis, quas innocuis infligebat. Nullas, inquit Rex, occasiones requiram, quin ad quietem & pacem paternis admonitionibus vestris obediam: & Tedbaldum nepotem meum, qui iustitiæ verus amator est, vobis ad omne bonum subiciam. Guillelmum etiam alium nepotem, vt pacem habeat, commoneo, eíque per vestram sublimitatem illa, quæ per alios iam sæpiùs obtuli, adhuc offero: quia & vobis omnibus satisfacere cupio, & communem populi quietem, & nepotis vt prolis prosperitatem desidero.

DENIQVE Papa Legatos suos Regi Francorum & Optimatibus suis destinauit, & responsa Regis Anglorum paci competentia renunciauit. Omnes igitur gauisi sunt. Superfluum mihi videtur orationem protelare, vt multa enodem loquacitate, quanta fuerit lætitia plebi guerris conquassatæ, dum sedata belli tempestate blanda redierit serenitas pacis diu desideratæ. Confirmata itaque concordiâ Principum, castella, quæ vi seu dolo capta fuerant, dominis suis restituta sunt: & omnes capti tempore belli ex vtraque parte milites liberati sunt, & de carcere proprios penates repetere cum gaudio permissi sunt. D

VERVM inuidus & inquietus Sathanas, qui primum hominem per serpentem decepit, postquàm Reges & armipotentes athletas gratiâ Dei pacificatos videns doluit, zizania lethalis discordiæ inter sacerdotes in templo Dei sparsit. Goiffredus enim Archiepiscopus postquam de Concilio Remensi Rothomagum rediit, tertia Nouẽbris hebdomada Synodũ tenuit, & institutionib. Apostolicis excõmunicatus in Presbyteros suæ diocesis acriter exarsit. Nã inter cetera Cõcilij capitula, quæ protulit, omne consortiũ feminarũ penitus eis interdixit, & in transgressores terribilẽ anathematis sententiã vibrauit. Cúmq; Presbyteri tã graue põdus nimiũ abhorrerent, & inter se pro corporum & animarum discrimine conquerentes musitarẽt:

A Archiepiscopus Albertum quendam eloquentem, quia nescio quid fari cœperat, iussit comprehendi, & mox in ergastulo carceris retrudi. Præfatus enim Præsul erat Brito in multis indiscretus, tenax, & iracundus, vultu gestúque seuerus, in increpatione austerus, procax, & verbositate plenus. Cùm autẽ reliqui sacerdotes insolita re visa nimis obstupuissent, & Presbyterum sine reatus accusatione & legitima examinatione velut furem de templo trahi ad carcerem vidissent, nimiúmque perterriti quid agendum esset ignorarent, dubitantes vtrum sese defendere seu fugere deberent: furibundus Præsul de cathedra surrexit, de Synodo concitus exiuit, satellitésque suos, quos ad hoc priùs instruxerat, aduocauit. Protinus illi cum fustibus & armis in Ecclesiam irruerunt, & in conuenticulum Clericorum mutuò colloquentium irreuerenter ferire cœperunt. Porrò, quidam illorum poderibus suis induti per cœnosos vrbis vicos ad hospitia sua cucurrerunt, alij verò podiis vel lapidibus, quos ibi fortè inuenerant, arreptis, repugnare conati sunt. Clientes autem quod ab inermi coronatorum choro conuicti fugissent, erubuerunt, & indignantes coquos ac pistores, & vicinos asseclas actutum asciuerunt, B & recidiuum certamen in sacris temerè penetralibus reiterauerunt. Quoscúmque in Ecclesia vel cimiterio repererunt, iustos vel iniustos percusserunt, vel impegerunt, vel alio quolibet modo iniuriati sunt. Tunc Hugo de Longauilla, & Anschetillus de Cropuz, aliique nonnulli senes maturi & religiosi in æde sancta præstolabantur, & de confessione vel aliis vtilibus causis vicissim loquebantur, seu diurnales Horas ad laudem Dei ex debito modulabantur. Vecordes autem famuli stolidè in eos impetum fecerunt, contumeliis affecerunt, & vix à cæde retractis manibus illis pepercerunt: quia flexis genibus misericordiam flebiliter ipsi postulauerunt, ipsi protinus dimissi cum sociis, qui præcesserant, quantociùs de vrbe fugerunt; nec licentiam, nec benedictionem Episcopi præstolati sunt, sed diros rumores parrochianis & pellicibus suis retulerunt, atque ad comprobandam fidem vulnera & liuentes læsuras in corporibus suis ostenderunt. Archidiacones verò & Canonici, ciuésque modesti, de infanda cæde contristati sunt, & diuinis compatiebantur cultoribus, qui dedecus inauditum perpessi sunt. C Sic in sinu sanctæ matris Ecclesiæ Sacerdotum cruor effusus est, & sancta Synodus in debacchationem & ludibrium conuersa est. Nimis conturbatus Archipræsul in triclinio receptus delituit. Sed paulò pòst, vbi fugatis, vt dictum est, Clericis fœdatus furor quieuit, progressus aquam accepta stola benedixit, & Ecclesiam quam contaminauerat cum tristibus Canonicis reconciliauit. Clamor seditionis execrabilis ad aures Principis peruenit. Sed ille aliis intentus negociis, rectitudinem læsis facere distulit.

HENRICVS I. 1119.

HENRICVS Rex in Normannia rebus post multos labores optimè dispositis, decreuit transfretare, & tyronibus ac præcipuis militibus, qui laboriosè fideliterque militauerant, larga stipendia erogare; & quosdam amplis honoribus datis in Anglia sublimare. Vnde classem continuò iussit præparari, & copiosam omnis dignitatis militiam secum comitari. Interea Radulfus de Guader metuens perfidiam Normannorum, super quos ipsis pro Eustachij fauore prioris heri nolentibus agitabat dominatum: & pensans quòd Guader, & Montemfortem, & alia oppida, & ingentes haberet ex patrimonio suo possessiones in regione Britonum, consilio & voluntate Regis Ricardo eius filio filiam suam pepigit: & Bri- D tolium, atque Gloz, & Liram, totúmque honorem in Neustria sibi debitum cum illa donauit. Verùm, istud consilium imbecille & friuolum fuit, quia Deus, qui cuncta benè gubernat, aliter ordinauit. Nam puella, de qua mentio fit, Rodberto Comiti Legrecestriæ postmodum nupsit, & plurimis cum illo annis vixit.

INGENTI classe in portu, qui Barbaflot dicitur, præparata, & nobili regione in comitatu Regis Austro flante aggregata, VII. Kal. Decembris, prima statione noctis Rex & comites eius naues intrauerunt, & carbasa sursum leuata ventis in pelago commiserunt, & mane Angliam quibus à Deo concessum fuit amplexati sunt. In illa nauigatione triste infortunium contigit, quod multos luctus, & innumerabiles lacrymas elicuit. Thomas filius Stephani Regem adiit, eique marcum auri offerens ait: Stephanus Airardi filius genitor meus fuit, "

HENRICVS I. 1119.

& ipse in omni vita sua patri tuo in mari seruiuit. Nam illum in sua puppe vectum A
in Angliam conduxit, quando contra Haraldum pugnaturus in Angliam per-
rexit. Huiusmodi autem officio vsque ad mortem famulando ei placuit, & ab eo
» multis honoratus exeniis, inter contribules suos magnificè floruit. Hoc feudum,
» domine Rex, à te requiro, & vas, quod Candida-nauis appellatur, meritò ad re-
» galem famulatum optimè instructam habeo. Cui Rex ait: Gratum habeo quod pe-
» tis. Mihi quidem aptam nauim elegi, quam non mutabo: sed filios meos Guillel-
» mum & Ricardum, quos sicut me diligo, cum multa regni mei nobilitate, nunc
» tibi commendo. His auditis, nautæ gauisi sunt, filióque Regis adulantes, vinum
ab eo ad bibendum postulauerunt. At ille tres vini modios ipsis dari præcepit.
Quibus acceptis, biberunt, sociisque abundanter propinauerunt, nimiúmque
potantes inebriati sunt. Iussu Regis multi Barones cum filiis suis puppim ascende-
runt, & ferè trecenti, vt opinor, in infausta naue fuerunt. Duo siquidem Mo- B
nachi Tyronis, & Stephanus Comes cum duobus militibus, Guillelmus quoque
de Rolmara, & Rabellus Camerarius, Eduardus de Salesburia, & alij plures
indè exierunt: quia nimiam multitudinem lasciuæ & pompaticæ iuuentutis inesse
conspicati sunt. Periti enim remiges quinquaginta ibi erant, & feroces epibatæ,
qui iam in naui sedes nacti turgebant, & suimet præ ebrietate immemores vix ali-
quem reuerenter agnoscebant. Heu! quamplures illorum mentes pia deuotione
erga Deum habebant vacuas, qui maris immodicas moderatur & aëris iras. Vnde
sacerdotes, qui ad benedicendos illos illuc accesserant, alióśque ministros, qui
aquam benedictam deferebant, cum dedecore & cachinnis subsannantes abige-
runt, sed paulò pòst derisionis suæ vltionem receperunt. Soli homines cum the-
sauro Regis, & vasis merum ferentibus, Thomæ carinam implebant: ipsúm-
que vt regiam classem, quæ iam æquora sulcabat, summoperè prosequeretur,
commonebant. Ipse verò, quia ebrietate desipiebat, in virtute sua satellitúm-
que suorum confidebant: & audacter, quia omnes, qui iam præcesserant, præ-
iret, spondebat. Tandem nauigandi signum dedit. Porrò schippæ remos haut
segniter arripuerunt, & alia lethi, quia quid eis ante oculos penderet, nescie- C
bant, armamenta coaptauerunt, nauémque cum impetu magno per pontum
currere fecerunt. Cúmque remiges ebrij totis nauigarent conatibus, & infelix
gubernio malè intenderet cursui dirigendo per pelagus: ingenti saxo, quod coti-
die fluctu recedente detegitur, & cursus accessus maris cooperitur, sinistrum la-
tus Candidæ nauis vehementer illisum est, confractísque duabus tabulis, ex in-
sperato nauis, proh dolor! subuersa est. Omnes igitur in tanto discrimine si-
mul exclamauerunt, sed aqua mox implente ora pariter perierunt. Duo soli
virgæ, qua velum pendebat, manus iniecerunt, & magna noctis parte pen-
dentes auxilium quodlibet præstolati sunt. Vnus erat Rotomagensis carnifex
nomine Beroldus, & alter generosus puer nomine Goiffredus Gisleberti de Aqui-
la filius.

TVNC Luna in signo Tauri nonadecima fuit, & ferè IX. horis radiis suis
mundum illustrauit, & nauigantibus mare lucidum reddidit. Thomas naucle-
rus post primam summersionem vires resumpsit, suíque memor super vndas ca-
put extulit: & videns capita eorum qui ligno vtcúmque inhærebant, interro- D
» gauit: Filius Regis quid deuenit? Cúmque naufragi respondissent illum cum
» omnibus collegis suis deperisse: Miserum, inquit, est amodo meum viuere. Hoc
dicto, malè desperans maluit illic occumbere, quàm furore irati Regis pro perni-
cie prolis oppetere, seu longas in vinculis pœnas luere. In aquis penduli Deum in-
uocabant, & mutua sese cohortatione animabant, & finem sibi à Deo dispositum
tremuli expectabant.

FRIGIDA gelu nox illa fuit, vnde tener albeolus post longam toleran-
tiam frigore vires amisit, sociúmque suum Deo commendans, relapsus in
pontum obiit, nec vlteriùs vsquam comparuit. Beroldus autem, qui pau-
perior erat omnibus, renone amictus ex arietinis pellibus, de tanto solus con-
sortio diem vidit, & mane à ternis piscatoribus faselo receptus terram solus at-
tigit. Deinde aliquantulum refocillatus, seriem tristis euentus curiosè sciscitan-
tibus enucleauit, & postea ferè XX. annis cum alacritate vixit.

A ROGERIVS Constanciensis Episcopus Guillelmum filium suum, quem Rex vnum ex quatuor principalibus Capellanis iam suis effecerat: fratrem quoque suum, & tres egregios nepotes ad damnatam iudicio Dei nauem conduxerat, ipsósque & consortes eorum, licet floccipenderent, pontificali more benedixerat. Ipse, aliíque multi, qui adhuc simul in litore stabant, & Rex, sociíque eius, qui iam in freto elongati fuerant, terribilem vociferationem periclitantium audierunt: sed causam vsque in crastinum ignorantes mirati sunt, & indè mutuò indagantes tractauerunt. HENRICVS I. 1119.

LVGVBRIS rumor per ora vulgi citò volitans in maritimis litoribus perstrepit, ac ad notitiam Tedbaldi Comitis, aliorúmque procerum aulicorum peruenit. Sed in illa die sollicito Regi, multúmque percunctanti nunciare nemo præsumpsit. Optimates verò seorsum vbertim plorabant, caros parentes & amicos inconsolabiliter lugebant: sed ante Regem, ne doloris causa proderetur, vix lacrymas cohibebant. Tandem sequenti die sollertia Tedbaldi Comitis puer flens ad pedes Regis corruit, à quo Rex naufragium Candidæ-nauis causam esse luctus edidicit. Qui B nimia mox animi angustia correptus ad terram cecidit, sed ab amicis subleuatus, & in conclauim ductus, amaros planctus edidit. Non Iacob de amissione Ioseph tristior extitit, nec Dauid pro interfectione Amon vel Absalon acerbiores questus deprompsit. Tanto itaque patrono plorante, omnibus regni filiis palam flere licuit, & huiusmodi luctus multis diebus perdurauit. GVILLELMVM ADELINGVM, quem Anglici regni legitimum heredem arbitrati sunt, tam subitò lapsum cum flore specialis nobilitatis omnes generaliter plangunt. Iam adolescens ferè XVII. annorum pubescebat. Iam generosam MATHILDEM sibi penè coæuam coniugem duxerat. Iam iussu patris hominium totius regni Optimatum lætus acceperat. In illo paternus amor, populique spes secura quiescebat. Verùm, quæ superna Maiestas de suo plasmate inculpabiliter disponit, rea peccatorum lippitudo inuestigare vel intueri nequit: donec scelerosa hominum captiuitas, sicut piscis hamo, vel auis laqueo, irretita sit, & miseriis vndique irremediabiliter inuoluta sit. Dum enim præstolatur longæuitatem, beatitudinem, & sublimitatem, subitò C incurrit citam perniciem, miseriam & deiectionem, vt in cotidianis euentibus ab initio mundi vsque in hodiernum diem, tam modernis quàm antiquis approbationibus manifestam liquidò aduertere possumus ostensionem.

MOESTVS Rex filios & electos tyrones præcipuósque Barones plangebat, maximéque Radulfum Rufum, & Gislebertum de Oximis lugebat, & eorum strenuitates sæpiùs iterando cum fletibus recitabat. Optimates, subiectæque plebes plorabant dominos, pignora & cognatos, notos, & amicos, sponsæ sponsos, dilectæque coniuges dulces maritos. Inutiles threnos non curo multiplicare. Vnius tantùm egregij versificatoris breuem camœnam nitor hîc annotare.

Accidit hora grauis, Thomæque miserrima nauis,
Quam malè recta terit, rupe soluta perit.
Flebilis euentus, dum nobilis illa iuuentus
Est immersa mari perditione pari.
Iactatur pelago Regum generosa propago,
D *Quósque Duces plorant, monstra marina vorant.*
O dolor immensus! nec nobilitas, neque census
Ad vitam reuocat, quos maris vnda necat.
Purpura cum bisso liquida putrescit abysso,
Rex quoque quem genuit piscibus esca fuit,
Sic sibi fidentes ludit fortuna potentes,
Nunc dat, nunc demit; hinc leuat, indè premit,
Quid numerus Procerum, quid opes, quid gloria rerum,
Quid, Guillelme, tibi forma valebat ibi?
Marcuit ille decor regalis, & abstulit æquor
Quod factus fueras, quódque futurus eras.
Inter aquas istis instat damnatio tristis,
Ni pietas gratis cælica parcat eis.

HENRICVS I. 1119. *Corporibus mercis animæ si dona salutis* A
Nactæ gauderent, mœsta procul fierent.
Certa salus animæ verum dat tripudiare
His, benè qui caros commemorant proprios:
Hinc dolor est ingens humana quòd inscia sit mens,
An requies sit eis quos capti vda Thetis.

QVIS mortalium potest sufficienter referre, quot pro tam infausto casu plorauerint terrigenæ, seu quot possessiones ad multorum damna genuinis hæredibus fuerint destitutæ? Guillelmus enim & Ricardus, vt dictum est, periclitati sunt filij Regis, & soror eorum MATHILDIS vxor Rotronis Moritoniæ Consulis: Ricardus quoque Cestræ Comes iuuenis, multa probitate & benignitate laudabilis, cum vxore sua MATHILDE, quæ soror erat Tedbaldi Palatini Comitis. Othuerus etiam frater eius, Hugonis Cestræ Comitis filius, tutor regiæ prolis & pædagogus, vt fertur, dum repentina fieret ratis subuersio, nobiliúmque irreparabilis dimersio, adolescentulum illicò amplexatus est, & cum ipso in profundum irremeabiliter prolapsus est. B THEODERICVS puer Henrici nepos Imperatoris Alemannorum, & duo elegantes filij Yuonis de Grentemaisnil, ac Guillelmus de Rodelento consobrinus eorum: qui iussu Regis transfretabant pro recipiendis in Anglia fundis patrum suorum. Guillelmus cognomento Bigod, cum Guillelmo de Pirour Dapifero Regis, Goiffredus Ridel, & Hugo de Molinis. Rodbertus Malconductus, & nequam Gisulfus scriba Regis, aliique plures multæ ingenuitatis, fluctibus absorbti sunt: quorum miserabilem casum parentes, necessariique consortes & amici planxerunt, qui desolationes & damna per diuersas regiones eorum in morte persenserunt. Ibi, vt fertur, decem & octo mulieres perierunt, quæ filiæ, vel sorores, aut neptes, seu coniuges Regum vel Comitum floruerunt. Sola pietas me compulit ista narrare, diligentiáque stimulor, hæc sequenti æuo certis apicibus allegare: quoniam tetra vorago neminem absorbuit de mea cōsanguinitate, cui lacrymas affectu sanguinis effundam, nisi ex sola pietate.

INCOLÆ maritimi, vt certitudinem infortunij compererunt, fractam nauem cum toto Regis thesauro ad litus pertraxerunt, & omnia quæ ibidem erant, præter homines, salua prorsus reperta sunt. C Deinde pernices viri VII. Kalend. Decembris, dum Christiana plebs solemnia sanctæ celebrat Catherinæ Virginis & Martyris, quærentes somata perditorum, auidè discurrunt per litora maris: sed non inuenientes, muneribus fraudabantur peroptatis. Opulenti Magnates nandi gnaros & famosos mersores obnixè quærebant, & magnos census eis spondebant, si carorum suorum cadauera sibi redderent, vt ea dignæ sepulturæ traderent.

MVNICIPES Moritolij præ ceteris suos obnixè quæsierunt, quia penè omnes illius Comitatus Barones, & electi optiones perierunt. Solus Comes, vt dictum est, quia diarria molestabatur, & duo milites, Rodbertus de Salcauilla, & Gualterius, egressi sunt: Deique nutu, aliis, qui remanserant, pereuntibus, in puppe Regis prosperè transfretauerunt. Ricardus autem Comes Cestræ, & pauci alij, post plurimos dies longè à loco perditionis inuenti sunt: sicuti fluctus cotidie sæuientes eos asportauerunt, & per varia indumenta, quibus vestiti fuerant, à notis recogniti sunt.

1120. ANNO ab incarnatione Domini MCXX. indictione XIII. Calixtus Papa, Ecclesiasticis rebus in Gallia bene dispositis, Italiam adiit, & ingens nobilium vtriusque ordinis agmen secum duxit, & à Romanis fauorabiliter susceptus Apostolicam D Sedem quinque annis rexit. Hic multa bona opera, iuuante Deo peregit, & specialis Ecclesiæ temporibus nostris lux & virtutum exemplar emicuit. Burdinum pseudo-Papam Sutriæ tyrannidem contra Ecclesiam exercentem comprehendit, & in Cœnobio, quod Cauea dicitur, ne contra Catholicorum pacem aliquo modo ganniret, intrusit. Ibi religiosorum habitatio est Monachorum, quibus est secundum regularem ritum abundantia ciborum, & omnium, quibus indiget humana necessitas, affluentia rerum. Ille verò locus extrinsecus inaccessibilis est, & nemo illuc nisi per vnum aditum ingredi potest. Ideòque Monasterium istud Cauea præsagialiter appellatum est. Sicut enim leones vel vrsi, aliæque indomitæ feræ in cauea coartātur, ne pro libitu suo liberè discurrentes in homines seu pecudes crudeliter grassētur: sic agrestes & indisciplinati, qui sicut onagri sollicitudinis per diuersa

A lasciuientes noxiè vagantur, in hac scholari Cauea sub iugo Dei regulariter viuere coguntur. HENRICVS I.

HENRICVS Rex, amissa coniuge & libero, vxorem ducere consultu sapientum decreuit, egregiámque puellam ADELIDAM filiam Godefridi Louenensium Ducis desponsauit. Regalibus insigniis celebre redimitus eam sibi Christiano ritu copulauit, & Regina ministerio sacerdotum consecrata XV. annis in regno floruit: sed aliis rebus abundans optata sobole huc vsque caruit. Honores defunctorum prudens Rex prouidè viuis distribuit. Vxores enim eorum, aut filias, siue neptes, tyronibus suis cum patrimoniis coniunxit, & sic plures consolatus vltra spem liberaliter sublimauit. 1120.

RANNVLFVS Baiocensis obtinuit Comitatum Cestræ, cum toto patrimonio Ricardi Comitis, quia ipse contiguus heres erat, vt pote nepos ex Mathilda sorore B Hugonis Comitis. Hic LVCIAM Rogerij filij Geroldi relictam coniugem habuit, de qua Guillelmum Rannulfum genuit, cui Comitatum Cestræ, totúmque citra mare vel vltra patrimonium suum moriens dimisit.

FVLCO Andegauorum Comes, postquam pacem cum Rege Anglorum pepigit, & coniunctione prolis vtriusque, vt iam dictum est, amicitiam firmauit: de salute sua sollicitus, Deo nihilominus reconciliari peroptauit. Scelerum ergo, quæ fecerat, pœnitentiam agere studuit, terráque sua cōiugi, tenerísque pueris IOFFREDO & HELIÆ commissa, Hierusalem perrexit: ibique militibus Templi associatus aliquandiu permansit. Indè cum licentia eorum regressus tributarius illis vltro factus est, annísque singulis XXX. libras Andegauensium illis largitus est. Sic venerandis militibus, quorum vita corpore & mente Deo militat, & contemptis omnibus mundanis sese martyrio quotidie præparat, nobilis heros annuum vectigal diuino instinctu erogauit, & plures alios Gallorum Proceres huiusmodi exemplo ad simile opus laudabiliter incitauit.

C POST Concilium Remense, de quo iam plura literis exarata sunt, Lugdunensis Primas, & Masconensis, aliíque plures Episcopi Cluniacensibus molestissimi facti sunt. Nam plura quæ alij dederant eis abstulerunt, & Clericis, qui semper inuident Monachis, farraginem rebellionis præstiterunt. Per dioceses suas illis contumelias irrogarunt, & tam per se, quàm per suffectos perfectiales acriter oppresserunt. Vnde fratres damna & iniurias ferre impotes contristati sunt, & quasi oues de faucibus luporum ad caulas Monasterij confugerunt. Inter eos etiam ingens dissensio in penetralibus claustri exorta est. Quidam contra PONCIVM Archimandritam zelo commoti sunt, ipsúmque apud Calixtum Papam Romæ accusauerunt, quòd in actibus suis vehemens esset ac prodigus, & Monasticos sumptus immoderatè distraheret in causis inutilibus. Quod ille audiens nimis iratus est, & Abbatis officio inconsultè coram Papa relicto peregrè profectus est. Hierosolymis autem, & in monte Thabor, aliísque sacris locis aliquandiu commoratus est in Palæstina, vbi Dominus Iesus cum pauperibus Nazareis corporaliter conuersatus est. Papa Poncio sine licentia & benedictione sua imprudenter abeunte, ira incaluit: & Cluniacensibus, vt idoneum sibi Rectorem eligerent, præcepit. Porro illi HVGONEM D probatissimæ vitæ senem sibi Abbatem prçfecerunt, quem post tres menses defunctum in Aquilonali climate periboli sepelierunt, & in arcu lapideo super eum constructo Epitaphium huiusmodi annotauerunt.

Hîc Cluniacensis iacet Abbas HVGO *secundus,*
Patre Besontinus, Lugdunensis genitrice,
Religione nitens, grandæuus amore, pióque
Semper ouans cultu, tibi summe Creator inhæsit.
In requie tecum modo felix viuat in æuum.

Deinde Cluniacenses PETRVM religiosum Monachum nobilem & eruditum sibi elegerunt Magistrum, cuius iam plurimo tempore gessêre magisterium.

PONCIVS verò Abbas in Iudæa magnæ opinionis habitus est, ac fama religionis eius & sublimitatis inter exteras etiam gentes diuulgata est. Deinde vt se habet humana stabilitas, spontè relictis Prophetarum & Apostolorum sedibus repedauit in Gallias: vbi aduentus eius causa multorum mentes effecit turbidas. Nam ipse, postquàm de partibus Eois remeauit, Cluniacum, vt fratres & amicos viseret, adiuit.

HENRI- Tunc instinctu sathanæ fœda dissentio inter fratres exorta est. Bernardus Grossus A
cvs I. eo tempore Prior erat, qui vt fertur fomes & incentor seditionis erat. Quidam enim
1120. Poncium honorificè vt Abbatem suum suscipere decreuerunt, alij verò contradicentes obnixè restiterunt. Milites autem & comprouinciales, tam rustici quàm burgenses, illo veniente gauisi sunt, quem pro affabilitate sua & dapsilitate oppidò dilexerunt. Illi nimirum scismate Monachorum comperto, in Monasterium irruerunt, & Poncium, licèt ipse hoc noluisset, suósque violenter introduxerunt. Proh dolor! furibundi monastica septa irruperunt, & velut vrbe armis capta hostium viribus ad prædam cucurrerunt, ac supellectilem & vtensilia seruorum Dei nequiter diripuerunt. Dormitorium, & Crontochium, & reliqua Cœnobitarum abdita, quæ hactenus laicos latuerunt, nunc viris & mulieribus non solùm honestis, sed etiam scurris ac meretricibus patuerunt. Ipsa die terribile prodigium illic contigit. Ingens Basilicæ nauis, quæ nuper edita fuerat, corruit: sed protegente Deo neminem læsit. Sic pius Dominus omnes pro temeraria inuasione insperata ruina terruit, sua tamen omnes immensa benignitate saluauit. Populus itaque diffusus vbique discurrebat, & B impudenter illicita exercebat. Porrò diuina manu ab immanis casus contritione illæsus euasit, miróque modo reseruatus pœnitere postmodum potuit. Petrus verò Abbas absens erat, & in longinquas regiones abierat, pro multorum vtilitate fratrum, quorum curam susceperat. Ad quem suæ partis Monachi festinauerunt, & damna cum iniuriis Dei seruis turpiter illata seriatim intimauerunt. Ille autem non Cluniacum, sed Romam impigrè perrexit, & Papæ rem gestam, attestantibus Monachis quæ perpessi fuerant, elucidauit. Quod audiens Papa, nimis contristatus est, tam pro dedecore Monachorum, quàm pro reatu populi, qui legem Dei præuaricatus est. Deinde Poncium protinus accersiit, ad examen Apostolicæ Sedis astare præcepit, rationem redditurus vnde impetitus fuerit. At ille Romam veniens, Papam adire distulit, diéque denominato ad placitum summonitus venire renuit.

ROMANVS igitur Pontifex Petrum cum apicibus Apostolicis & dignitatibus Cluniacum destinauit, Monachísque vt in omnibus ei secundum Regulam sancti C Patris Benedicti obsequerentur, mandauit. At illi iussa complentes, Abbatem victoriâ elatum susceperunt: cuius Imperij iugum diuinę legi laudabiliter militantes huc vsque perferunt. Contemptorem verò Poncium post aliquot dies missis satellitibus suis comprehendit, & in carcere retrusit. Qui non multò post enormi mœrore affectus ægrotauit, ibíque multis illum lugentibus vitam finiuit. Igitur, vt quidam dicit,

Principium fini solet impar sæpe videri,

quisque debet precibus & votis Deo, qui summum bonum est, medullitus commendari: vt qui cœpit in nobis bonum perficiat, confirmet, ac inter aduersa seu prospera protegat, quatenus fidelis agonitheta brauium supernæ hereditatis feliciter percipiat.

INDICTIONE XIII. die Dominica circa tertiam, dum Missæ canerentur, IV. Kal. Octobr. terræmotus in Anglia magnus factus est, & muri maceriæque Basilicarum per IV. Comitatus fissæ sunt. Hoc nempe Cestra, & Scrobesburia, Herforda, & Gloucestra, eísque adiacentes Prouinciæ viderunt, & senserunt: nimióque terrore exangues incolæ contremuerunt. Sequenti tempore plures Ecclesiarum Hierarchæ in Anglia vel Neustria migrauerunt, & aliis onus prælationis, quod auidè ge- D stauerant, disponente Deo dimiserunt.

GOIFFREDVS Aurelianensis Orulandiæ Abbas, vir pius & iocundus, Nonis Iunij migrauit: cui Gualleuus frater Gaij Patricij de nobili Anglorum prosapia successit. Alboldus etiam Hierosolymitanus Beccensis Monachus, sancti Edmundi Regis & Martyris de Bedrici-rure Abbas, subitò mortuus est. Post quem Anselmus Anselmi Archiepiscopi nepos regimen plurimo tempore sortitus est. Defuncto Rodberto de Limesia Merciorum Episcopo, Rodbertus cognomento Peccatum successit. Quo mortuo, Rogerius nepos Goiffredi de Clintona regimen suscepit. Post obitum Turoldi Burgensis Abbatis, egregius Mathias de monte sancti Michaëlis præfuit. Cui Ioannes Sagiensis Monachus literis admodum instructus successit. Quo defuncto, Rex Henrico cognato suo Burgum commendat, qui sancti Ioannis Baptistæ Angeliaci Abbas extiterat: sed à Monachis, & à Guillelmo Pictauensi

A Duce expulsus fuerat. Post Fulcheredum, qui primus Abbas Scrobesburiense Cœnobiũ in Dei cultu ordinauit, Godefredus Sagiensis Monachus pastoralem curam suscepit. Quo paulò pòst morte subita præuento, Herbertus gubernaculum rudis Abbatiæ vsurpauit. Guntardo autem Torneiensis Ecclesiæ strenuo Rectore defuncto, Rodbertus Prunerienfis subrogatus est, qui de Vticensi Cœnobio, quia benè literatus & eloquens ac honestus erat, ad Ecclesiæ regimen assumptus est. HENRICVS I. 1120.

TEMPORE Paschalis Papæ Radulfus Doroberniæ Archiepiscopus ad Regem in Neustriam venit, & indè Romam, licèt iam tumore pedum infirmaretur, proficisci cœpit. Ceterùm, obiter auditis de occasu Papæ rumoribus, Legatos Romam destinauit. Ipse verò Rotomagum remeauit, & ferè tribus annis in Normãnia deguit. Ibi quondam dũ moraretur in translatione sancti Benedicti, quæ à Monachis festiuè agitur, finita Missa, dum vestimentis exueretur, acuta passione subitò percussus obmutuit, & post aliquot dies arte Medicorum ei multipliciter impensa loqui cœpit, sed linguæ officium numquàm plenè postea recuperauit. Deinde duobus annis paralysi ægrotauit, & vehiculo satis opportunè aptato delatus ad sedem suam inter B suorum manus decubuit.

TANDEM anno ab incarnatione Domini MCXXIII. Indictione I. Radulfus Archiepiscopus XIII. Kal. Nouembris Cantuariæ obiit. Cui Guillelmus Curbuliensis Canonicus regularis post aliquot annos successit. Ecce antiquus mos pro inuidia, qua Clerici contra Monachos vrebantur, deprauatus fuit. Augustinus enim Monachus, qui primus in Anglia Christum prædicauit, ac Edelbertum Regem & Sabertum nepotem eius cum populis Cantiæ & Lundoniæ ad fidem Christi conuertit, iussu Gregorij Papæ Primas Metropolitanus totius Britanniæ floruit. Omnes exinde vsque ad Radulfum Doroberniæ Archiepiscopum, præter Frigeardum & Odam atque Stigaudum, fuerunt Monachi. Frigeardus quippe Capellanus Lotheri Regis ad Præsulatum fuit electus, & Romam vt ab Agathone Papa consecraretur destinatus. Deinde datis à Papa induciis decem dierum, expectans benedictionem interea decidit in lectum, & sine Præsulatus vnctione exhalauit spiritum. Oda verò pro nobilitate & morum benignitate, de Clero assumptus, & Archipræsul est consecratus. Qui postquàm omnes antecessores suos Monachos fuisse comperit, libenter ac deuotè habitum mutauit, & religiosus Monachus ac Archipræsul vsque C ad mortem Deo militauit. Stigaudus autem Emmę Reginæ Capellanus admodum secularis & ambitiosus extitit, qui primùm Lundoniæ, postmodum Cantuariæ cathedarm inuasit. Verùm à Romano Papa numquam pallium habuit, imò ab Alexandro Papa interdictus Haraldum prophanauit, dum in Regem benedicere debuit. Quapropter idem, sicut à se exaltatus intumuit, sic à Deo humiliatus & confusus ingemuit. Nam Guillelmo primo in regno confirmato clarescentibus culpis iudicio Synodi depositus est: vnde nec in catalogo Pontificum computandus est.

ANGLI Monachos, quia per eos ad Deum conuersi sunt, indesinenter diligentes honorauerunt: ipsique Clerici reuerenter & benignè sibi Monachos præferri gauisi sunt. Nunc autem mores & leges mutatæ sunt, & Clerici vt Monachos confutent & conculcent, Clericos extollunt.

CIRCA hęc tempora Rogerius Vticensis Abbas ęuo & ægritudine fractus à pristino robore decidit, & pastoralis curæ sarcina exonerari summoperè desiderauit. Vnde suos honorabiles Monachos Ernaldum de Telliolo, & Gislebertum de Sartis in Anglia misit, & per eos huiuscemodi literas, quas Radulfo Laurentio edere D iusserat, Regi destinauit.

GLORIOSO *suo domino Regi Anglorum Henrico humilis Rogerius Vticensium indignus minister, ab eo saluari qui dat salutem Regibus. Quoniam, vt ait Apostolus, non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt, vtilitati domus Dei ab omni potestate ordinatè prouidendum est. Ego igitur, mi domine, qui huc vsque, licèt indignus, Deo disponente, sub vestræ moderationis nobili regimine, Vticensis Ecclesiæ fratribus Abbatis vice ministraui, cuique magis mihi oneri quàm honori vestra ope suffultus iam per longa tempora inter aduersa & prospera incubui: modo senio fessus, corpore debilitatus, metuens Ecclesiæ magis obesse quàm prodesse, dum & mores humani cum temporum vicissitudine variantur, consilio patrum spiritualium, Archiepiscopi Rotomagensis, Episcopi Lexouiensis, plurimorum insuper Abbatum, & diuersorum Ecclesiastici ordinis virorum: vestram supplex deposco clementiam, quatenus mei miserendo, quem hacte-*

HENRICVS I. 1120. *mus quantulumcumque licèt vos dilexisse probastis, me amodo inutilem & minus idoneum à tanto onere liberum reddatis, & iuxta vobis à Deo donatam sapientiam congruum & idoneum pastorem domui Dei prouideatis. Verùm, ne prætextu talium videar quasi indomitorum rabiem propria requiei prouidendo subterfugere, eorum caritati & obedientiæ & simplicitati testimonium coram Deo perhibeo: quippe qui & lacte, & solido cibo abundanter vberibus matris Ecclesiæ educati, ad omnia Dei patrisque spiritualis mandata tractabiles inueniuntur, & obedienter pacifici. Solam, præcellentissime Rex, imbecillitatis & senectutis meæ miseriam & impossibilitatem opponens supplico, ne id efficere differatis: orans obnixè quantumlibet peccator Regem Regum, quatenus ad hoc ipsum vobis cooperari dignetur. Valete.* A

BENIVOLVS vtique Rex debilitate simplicis & religiosi senis audita condoluit: & directis apicibus, vt bonum sibique competentem eligerent Abbatem, cœtui Monachorum imperauit. Legatis itaque reuersis, LXVI. Monachi in Dei nomine congregati sunt, & lectionem sancti Patris Benedicti de ordinando Abbate diligenter audierunt. Denique venerabilis Abbas Rogerius, & spirituales filij eius de salute animarum tractauerunt, & vnum ex semetipsis in nomine Domini ad supplendas vices Abbatis assumpserunt. GVARINVM namque DE SARTIS, cognomento Paruum, sibi Abbatem præposuerunt, & in hoc Apostolos imitati sunt, qui Mathiam Paruum Dei ad complendum duodenarium numerum, qui sacratus est, diuino nutu sortiti sunt. Supradicti autem duo senes electum fratrem IOANNI Episcopo Lexouiensi iussu Conuentus exhibuerunt, & cum eius licentia mare inter hiemis frigora & tempestates transfretauerunt: Regémque, qui Nordanhumbriam tunc perlustrabat, per longa lutosáque itinera quæsierunt: cúmque in festiuitate sancti Nicolai Mirreorum Præsulis Eboracæ repererunt. Porro illustris Rex, auditis quæ fecerant Monachi, electionem concessit, & electo fratri per consilium Turstini Eboracensis Archiepiscopi Abbatiam donauit: attestante Stephano Carnotensi Abbate, qui postmodum Patriarcha fuit. Deinde Rex omnes Monasticas res, & dignitates ac priuilegia, quæ prædecessores sui hactenus habuerant, ei concessit: & Cartam huiusmodi sigillo regali signatam contra æmulos erogauit. B

HENRICVS *Rex Anglorum Ioanni Episcopo Lexouiensi, & Stephano Comiti Moritolij, & Rodberto de Haya, & omnibus Baronibus & fidelibus suis Normanniæ salutem. Sciatis me dedisse Guarino Abbati & concessisse Abbatiam sancti Ebrulfi: & volo & præcipio firmiter, vt benè & in pace & quietè & honorificè teneat, cum Ecclesiis & decimis, & terris, & nemore, & plano, & omnibus rebus suis, sicut vmquam aliquis antecessorum suorum meliùs & quietiùs, & honorificentiùs tenuit: testibus Turstino Archiepiscopo Eboracensi, & Guillelmo de Tancardivilla, & Guillelmo de Albinneio, apud Eboracum.* C

GVARINVS itaque sublimi auctoritate potentis sceptrigeri corroboratus, in Normanniam remeauit, Quadragesimalem obseruantiam cum fratribus peregit, & in die Dominicæ Ascensionis à Ioanne Episcopo Luxouij benedictionem recepit, & exinde labores & dolores pastorales curæ perpeti edidicit. In primis piè laudandus est, quòd venerabili Rogerio seni benigniter seruiuit, eique per tres annos, quibus postmodum superuixit, in cunctis vt patri filius, & magistro discipulus obsecundauit. Mansuetus enim senex in camera sua vt pridem solebat, psalmis & orationibus, piisque colloquiis vacabat. Idoneum sacerdotem sibi Capellanum & confabulatorem habebat, à quo Missam officiúmque canonicum in Oratorio sancti Martini audiebat, & cum quo de mysticis Scripturarum ænigmatibus, vel syntagmatum floribus, interrogando vel respondendo tractabat. Et quia pondus exteriorum curarum semper sibi noxium & importabile iudicauerat, nunc salubriter & honorificè liber Deo gratias agebat: & quantò liberior, tantò securior supremæ diei metam gaudens expectabat. D

TANDEM anno Dominicæ incarnationis MXXVI. indictione IV. præfatus senior grauiùs solitò ægrotauit, oleóque sacro perunctus, aliisque rebus, quæ seruo Dei competunt, pleniter expletis, Idus Ianuarij migrauit. Discipulus & successor didascali animam Deo cum suis consodalibus commendauit, & solennes exequias ritè celebrauit. Sequenti verò die corpus eius in Capitulum delatum est, ibique secus Osbernum Abbatem reuerenter tumulatum est. Versibus exametris epilogum breuem super illo edidi, in quo plus veritati quàm concinnæ sonoritati intendere malui. Benigno quoque Saluatori pro illo sic orando, & bona diuinitus illi inserta recolendo, effudi.

A *Mitem sincerúmque Patrem Rex Christe Rogerum*
Salua: nam pro te tolerauit multa benignè.
Rura, domos, & velle suum dimisit egenus,
Téque sequi studuit per iter virtutis anhelus.
Geruasiúsque pater illi fuit, Emmáque mater,
In quibus emicuit morum iubar, & decus amplum.
Presbyter instructus documentis vltrò Rogerus,
Sumpsit ouans almi Monachile iugum Benedicti.
Multa diu mores eius possedit honestas,
Qua meruit sociis præponi Rector & Abbas.
Præsule nam facto Serlone Salaribus, iste
Cœnobij sancti regimen suscepit Ebrulfi.
B *Quinquies vndenis Monachus bene floruit annis,*
Vnde ter vndenis Vtici fit Pastor ouilis.
Hic Monachos ouies denos in discipulatu
Suscepit, rigidóque regi docuit Monachatu:
Simplex, & dulcis, studiísque nitens bonitatis.
Quos monuit verbis, exemplis profuit almis.
Denique confectus senio, terris sua membra
Deposuit, Iani duodena luce peracta.
Absterſis culpis bone Rex da gaudia lucis.
Pacis amator erat, rogo nunc in pace quiescat.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXII. Indictione XV. iterum malignitatis spiritu rediuiuus bellorum turbo exoritur, & vesanis cædibus bestialiter exagitatis humanus cruor flebiliter effunditur. Pessima erynnis inuenta sibi sede in cordibus pestilentum debacchatur, & rursus homines in sui suorúmque perniciem insurgere incendit & hortatur. Inquieti enim pace populíque quiete contristantur, & ipsi dum aliorum fastus pessumdare conantur, iusto Dei iudicio suis plerumque missilibus enecantur. Verè cæci & vecordes sunt, qui bella in pace cupiunt, qui miseriam in beatitudine vt sitiens potum perquirunt, & bonum quandiu habuerint quid sit nesciunt. Quod cùm amiserint, summopere requirunt; sed ærumnis afflicti expiscantes reperire nequeunt. Vnde pro irrecuperabili damno lugubres fiunt, & inconsolabiliter flebunt. 1122.

C

PLVRES itaque cernentes, quòd legitimus hęres Henrici Regis occubuerit, & ipse Rex in senium vergens legitima prole caruerit, Guillelmum nepotem eius toto amore complectuntur, & ad ipsum sublimandum totis nisibus conuertuntur. Ipse Rex filios Rodberti Comitis Mellenti, quem multùm dilexerat, & à quo ipse in primordio regni sui admodum adiutus & consolatus fuerat: post mortem patris vt propriam sobolem dulciter educauit, geminísque pubescentibus Gualeranno & Rodberto arma militaria dedit. Gualerannus quippe totum citra mare possedit patris sui patrimonium. In Gallia scilicet Mellenti Consulatum, in Neustria verò Bellum-montem, eíque subiacens patrimonium. Porro frater eius Rodbertus in Anglia Comitatum Legrecestræ habuit: cui Rex Amiciam Radulfi de Guader filiam, quæ Ricardo filio eius pacta fuerat, donauit, & Britolium cum subiacentibus fundis adiecit.

D

IDEM Rex Mathildem nurum suam cum summa dulcedine coluit, & in Anglia, quamdiu ipsa voluit, cum honore maximo detinuit. Verùm, post aliquot annos ipsa parentes suos videre desiderans Andegauem adiit, ibíque natalis soli amore innexa aliquantulum deguit. Tandem instinctu Goiffredi Carnotensis Episcopi, post decem annos desponsationis suæ seculum reliquit, & Sanctimonialis in Cœnobio Fontis-Ebroldi cælesti sponso libera inhæret ac deseruit. Hæc, vt dictum est, duodennis vt reor, adolescentulo in æstate nupsit, & nondum sex mensibus expletis imberbis maritus naufragio periit. Beniuolus verò Rex illam quasi filiam suam enutriuit, eámque diutiùs penes se custodiuit: vt sublimi potentíque marito copularet, ac super omnem parentelam suam diuiciis, & honoribus sublimaret. Verùm meliori consilio vsa est, quæ cælesti sponso Dei, Virginísque filio connexa est. Erat enim prudens & pulchra, eloquens & benè morigerata, multísque decenter honestatibus

HENRICVS I. redimita. Cuius in bonis vtinam consummatio sit hominibus optabilis,& Deo placita. A

1122. EODEM tempore AMALRICVS Ebroicensis Comes animi nimiam amaritudinem gerebat,quòd Præpositos atque Grauaringos in terra sua nimium furere videbat. Insolitas enim exactiones imponebant, ac pro libitu suo iudicia peruertebant: summis & mediocribus multas grauedines inferebant: sed hæc non sua virtute,imò timore Regis & potestate agitabant. Nam ipse talium nescius in Anglia demorabatur,eius tamen metu militaris audacia comprimebatur: dolens quòd tanta rabies gastaldorum super incolas grassaretur. Officiales mali prędonibus peiores sunt. Pagenses nempe latrunculos,fugiendo,seu diuertendo,deuitare possunt: versipelles verò bedellos nullatenus sine damno declinare queunt.

ANIMOSVS igitur AMALRICVS Fulconem Andegauorum Comitem,suum scilicet nepotem,expetiit: ipsúmque persuasibilibus verbis commonuit,vt GVILLELMO Rodberti Ducis filio SIBYLLAM filiam suam coniungeret: cuius probitas & pulchritudo,ac summa ingenuitas,imperio digna existeret. At ille auunculo suo facilè adquieuit,& accersito iuuene cum pædagogis & pedissequis suis,natam ei suam pepigit: & cum eadem,donec hereditarium ius nancisceretur, Cœnomannicum Consulatum concessit. Deinde Amalricus omnes quoscumque potuit, ad consortium suæ partis contraxit,multósque ad hoc,vt se leuitas habet Normannorum,faciles & pronos inuenit. B

GVALERANNVS itaque Comes Mellenti,& Guillelmus de Rolmara , Hugo de Monteforti,& Hugo de Nouocastello , Guillelmus Lupellus, & Baldricus de Braio,Paganus de Gisortis,& plures alij fraudulenter musitantes, clam priùs consiliati sunt: sed paulò pòst in manifestam rebellionem ad detrimentum sui proruperunt. Gualerannus Comes specimen tyrocinij sui ardenter ostentare optauit, sed hoc sine dubio insipienter inchoauit,dum contra dominum nutriciúmque suum rebellauit,& inimicorum eius adiutor arma primum contra illum ferali dextra leuauit. Tres quippe sorores suas,vt illæ legaliter consolarentur, & ipse nihilominus in omnes vndique contribules suos corroboraretur,tribus præcipuis dederat oppidanis,quibus homines & municipia,multæque diuitiæ suppeditantur. Vna scilicet data est Hugoni de Monteforti,& alia Hugoni de Nouocastello filio Geruasij, tertia verò Guillelmo Lupello Ascelini filio,qui post mortem Rodberti Goelli fratris sui, adeptus est cum toto patrimonio arcem de Ibreio. C

GVILLELMVS de Rolmara terram matris suæ,quam Rannulfus Baiocensis vitricus suus pro Comitatu Cestræ Regi reddiderat,repetiit: aliámque possessionem Cormam nuncupatam in Anglia requisiuit. Sed postulanti Rex non adquieuit,imò iniuriosa illi respondit. Iratus itaque iuuenis protinus in Neustriam transfretauit,& opportuno tēpore reperto à Rege recessit, multorúmque adminiculo fretus,de Nouomercato guerram in Normannos acerrimè exercuit. Biennio vtique prædis & incendiis,hominúmque capturis iræ suæ satisfecit,nec ab huiusmodi molimine cessauit,donec ei Rex competenter satisfecit,& magnam partem iuris quod poposcerat restituit.

MENSE Septembri Amalricus & Gualerannus,aliíque, quos suprà memoraui, ad Crucem sancti Leudfredi conuenerunt, ibique generalem coniurationem pariter fecerunt. D

CLANDESTINÆ fraudes Regem non latuerunt. Mense igitur Octobri Rex ingentem militiam Rotomagi asciuit,& de vrbe progressus Dominico, postquam comedit,ignorantibus cunctis quò ire vellet, vel quid meditaretur : Hugonem de Monteforti vocauit,sibíque mox assistenti,vt munitionem castri Montis-fortis sibi redderet,imperauit. At ille,quia doli erat conscius,detecta fraude subitò fit anxius, & quid in tam breui ageret articulo temporis nescius, annuit tandem iussis regalibus. Timebat enim quòd si renuisset,protinus vinculis subiacuisset. Rex autem amicos cum illo præmisit fideles,qui reciperent munitionum claues. Ille verò vt à conspectu Regis elongatus euanuit, celeri dextrario currente vectus in introitu siluæ socios reliquit. Deinde per compendium,quod melius nouerat, illos præuenit, nec de equo descendit,sed fratri suo & vxori,aliisque clientibus castrum diligenter seruare præcepit. Rex, inquit, huc venit cum sua virtute, contra quem munitionem hanc

A hanc fortiter tenete. Inde festinus Brionnam conuolauit, & relatis casibus Gualerā-num Comitem ad apertum certamen armauit. Redeuntibus autem amicis, qui se dolebant fraudibus Hugonis delusos, animosus Rex cito iussit armari milites suos, & aggredi castrenses imparatos. In duobus primis diebus tota villa combusta est, & munitio vsque ad arcem capta est. Rodbertus filius Regis, & Nigellus de Albinneio magnum agmen de Constantino, aliisque prouinciis adduxerunt, & Radulfus de Ganda, aliique obsessi crebris assultibus acriter intus molestati sunt. Denique vt se omni cōiuratorum auxilio destitutos viderunt, intra Mēsurnam obsidionem saniori consilio potiti, pacem fecerunt: & in amicitia Regis recepti, turrim ei reddiderunt. Inde Rex Pontem-Aldemari adiit, & sex septimanis castrum viriliter obsedit. HENRICVS I. 1122.

Adelinæ verò, quia Rodberti de Mellento Comitis filia fuit, & filio eius Gualeranno, planam tellurem tali tenore Rex concessit: si Hugo pacificè ad ipsum repedaret, sibique amodo fidelis & familiaris amicus existeret. Quod audiēs Hugo, spreuit temerè, & exheredatus maluit omnibus suis carere, quàm reconciliatus Regi, à quo nutritus & sublimatus fuerat, feliciter inhærere. Eodem mense venerandus Serlo, postquàm Salariensem Episcopatum XXXII. annis rexit, VII. Kal. Nouembris in Ecclesia sancti Geruasij Martyris Missam cantauit; qua finita, Clericis & ministris Ecclesiæ vocatis, dixit: Ætate & debilitate frangor, finémque meum mihi iam imminere intueor. Domino Deo, qui me vobis sui vicarium præposuit, vos commendo, ac vt pro me dignanter ei clementiam exoretis obsecro. Locus amodo sepulturę mihi pręparetur, quia tempus habitationis meæ iam inter vos adbreuiatur. Deinde cum Clero ad aram sanctæ Dei genitricis Mariæ perrexit, ibíque ante aram pastorali cambuta spacium loculi designauit, & orationibus ad Dominum fusis cum aspergine aquæ benedictæ sepulchrum sanctificauit. Protinus operarij foueam ligonibus foderunt, humúmque palis egesserunt. Cæmentarij verò latomíque sarcofagum marculis cauarunt, & omnem apparatum ambulanti & loquenti Episcopo, quasi exanimis iam iaceret, in feretro coaptarunt.

In crastinum feria VI. in Basilicam venit, Missam quam frequentauerat, celebrare voluit, plus animi quàm corporis viribus vigens amictum super caput suum posuit: sed trementibus membris tam celebre seruitium inchoare timuit. Capellano igitur id officium explere Guillelmo præcepit, Missáque celebrata omnes Canonicos accersiuit, Ante me, iuquit, post prandium conuenite, quia thesaurum, quem ad vsus humanos congessi de redditibus Ecclesiæ, ad eiusdem nihilominus vtilitatem volo legaliter distrahere. Summoperè cupio adiuuante gratiâ Dei deuitare, ne pars iniqua inueniat aliquid super me, vnde in conspectu Domini mei iure possit accusare me. Nam sicut nudus in hunc mundum intraui, sic me decet nudum egredi, vt merear agni vestigia liber sectari, pro cuius amore omnia iamdudum gaudens mundana reliqui.

Ad mensam hora nona Præsul resedit, sed superiùs iam anhelans, de præsentibus nil comedit. Alios autem non auidè manducantes, quos nimirum tristitia repleuerit, pabulo doctrinæ pascens vbertim instruxit, & semen verbi Dei, vtpote affluens seminiuerbius, largiter dispersit. Nullam, vt reor, elegantiorem Serlone, seu facundiorem Normannia prolem protulit. Statura enim erat mediocris, & omni decore spectabilis, prout humana species exigit, terrigenæque, qui multis repletur miseriis, competit. In adolescentia verò rufus fuit, in iuuentute citò canuit, & ante obitum suum ferè quinquaginta annis niueus effulsit. Erat idem tam secularium, quàm diuinarum eruditione literarum doctissimus, ac ad vniuersa quæ proponebantur respondere promptissimus. In malis pertinaci admodum erat austerus, sed cum fletu scelus suum confitenti clementissimus, & more pij patris erga languentem filium mitissimus. Multa de illo bona possem dicere, sed dicta mea nequeunt ab illo mortē remouere. Fatigatus ad alia tendo, incœptiq; seriē Libri ad calcem ducere glisco.

Svrgere de mensa post refectionem paratis nuncius affuit, qui Cardinales Romanos Petrum & Gregoriū adesse retulit. Vigilia quippe sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ tunc agebatur. Mox Præsul Clericis dispensatoribus suis dixit: Velociter, ite, & diligenter Romanis seruite, abundanter eis omnia dantes, quæ necessaria sunt, quia legationem domini Papæ, qui post Deum vniuersalis pater est, deferunt: ipsique, qualescúmque sint, magistri nostri sunt. Solers itaque so-

HENRICVS I. nex in occursum eorum clientes suos destinauit,& ipse sine dolore seu manifesta ægritudine, vt solebat in cathedra sedens solus remansit. Ceteri omnes, vt iusserat, Cardinalibus occurrerunt, hospitio eos honorificè susceperunt, & omnimodis vt decuit iuxta Pontificis mandatum honorauerunt. Interea, dum illis competens obsequium exhibitum est, Episcopus in cathedra sedens, quasi obdormisset, defunctus est. Deinde ministri, completis omnibus, ad seniorem suum redierunt, sed ipsum iam in sede sua defunctum lacrymabiliter planxerunt. In crastinum corpus eius in sepulcro iam tertia die, vt dixi, præparato tumulatum est à Ioanne Luxouiensi Episcopo: qui de obsidione Pontis-Aldemari à Rege ad hoc agendum missus est. A

1124. DEFVNCTO Serlone, Ioannes iuuenis Harduini filius nepos præfati Ioannis Episcopatum adeptus est: qui sicut ætate iunior, sic eruditione literarum longè inferior prædecessore suo æstimandus est. Hic anno Dominicæ incarnationis MCXXIV. post Pascha consecratus est, officiúmque Pontificale in Episcopatu Luxouiensi primùm exercere iussu auunculi sui orsus est. Nam apud Ciseium IV. Nonas Maij Ecclesiam sancti Albini dedicauit, & indè Vticum eadem die venit. Deinde III. Nonas Maij feria II. nouum Crucifixum benedixit, & ædem atque aram sanctæ Mariæ Magdalenæ dedicauit, quam Ernaldus nobilis & antiquus Cœnobita ex procuratione sua fideliúmque largitionibus ædificauit. B

REGII satellites, vt subitam mortem præfati, vt dictum est, Flaminis audierunt, de munitione quam seruabant ceu corui ad cadauer statim accurrerunt. Thesaurum verò, & quæque in Episcopio reperta sunt, Ecclesiis seu pauperibus nihil erogantes, in fiscum Regis omnia transtulerunt. Porrò, ipse castrum hostile tunc obsidebat, & plures eorum, qui sibi vt familiares asseclæ blandiebantur, suspectos habebat, & cognitis illorum fraudibus occultis, infidos reuera censebat. Ludouicus Siluanectensis, & Harcherius Regis Franciæ Coquus & miles insignis, Simon Teruel de Pexeio, & Lucas de Barra, aliíque sæui pugnatores intus erant, multísque modis obsistentibus resistebant. Rex autem totam villam, quæ maxima & ditissima erat, concremauit, & castrum acriter impugnauit. Ipse profectò sollerter omnia prouidebat, vt iuuenis tyro vbique discurrebat, & viuaciter agendis rebus insistens cunctos animabat. Carpentarios berfredum facientes docebat, in operibus defectiuos improperiis subsannando redarguebat, & strenuè agentes laudando ad maiora ciebat. Tandem machinas erexit, crebris assultibus castrenses læsit, & vsque ad deditionem coërcuit. Ludouicus autem, & Radulfus Durandi filius, & complices eorum cum victore pacem fecerunt, redditáque munitione omnes cum rebus suis salui abire permissi sunt: & quidam eorum Bellum-montem, vbi Comes erat, cum Francis abierunt. C

ILLIC Simon de Parrona, & Simon de Nealpha, Guido cognomento Malus-vicinus, & Petrus de Maulia nepos eius, Guillelmus quoque Aculeus, aliíque ferè CC. pugiles de Francia, Galeranno Comiti militabant, ad imperium eius per collimitanea rura discurrebant, & ingentia damna rapinis & incendiis fautoribus Regis inferebant. Ipsa die, qua præfatum castrū redditum est, triste nefas alibi actum Regi relatum est. Bellicis enim dum idem, vt dictum est, occupationibus circa Rizelam detineretur, periurorum fraus circa Eptam huiuscemodi factionem machinabatur. Placitum feriâ II. quando mercatus agitur, statutum fuit in domo Pagani de Gisortis, ad quod inuitatus fuit Rodbertus de Candos munio regij dangionis, vt à sicariis ibidem fraudulenter armatis repentè inermis obtruncaretur, oppidúmque protinus à latentibus cuneis totum vndique inuaderetur. Ipsa verò die milites turbis rusticorum & feminarum de circumiacentibus viculis ad forum properantium mixti burgum liberè intrauerunt, & à burgensibus, quibus plurimi olim noti erant, in eorum domibus simpliciter hospitio suscepti sunt, suíque multitudine villam magna ex parte impleuerunt. Tandem horâ proditionis crebri nuncij Rodbertum commonebant vt festinaret, sed religiosa Ysabel vxor eius diu detinuit, vt de domesticis rebus tractaret. Hoc nimirum nutu Dei factum est. Rodberto itaque demorante, Baldricus ad placitum vltimus venit, aliísque adhuc tacitè præstolantibus in armis primus amictum proiecit, & loricâ indutus præproperè exclamauit: Eia, milites, quod agendum est inite, & fortiter agite. Protinus oppidanis proditio detecta est, & clamoso tumultu exorto sibi propior ab hominibus Pagani D

A porta violenter obtenta est. Cúmque Rodbertus equum ascendisset, & proditionis gnarus ad forum venisset; armatos prædones villam deprædantes prospexit, terribilémque belli strepitum vndique audiuit: & perterritus ad asylum, vnde nondum elongatus fuerat, quantocius confugit. Ibi tunc AMALRICVS Comes, & nepos eius Guillelmus Crispinus, cum suis cœtibus, in montem contra munimentum armati assederunt, & minis plus quàm factis terrere castrenses ausi sunt. Omnes pro certo, qui ad hoc facinus innotuerunt, publici hostes, & periurio rei contra Regem adiudicati sunt. Rodbertus autem vt eos de villa, quæ munitissima erat, viribus suis eici non posse considerauit, immisso igne proximas domos incendit, & flamma vorax flante vento totum burgum corripuit. Hostes itaque de septis villæ proiecit, & ab assultu munitionis fugauit. In tanta rerum confusione liberales & honesti burgenses Gisortis multum perdiderunt, & consumptis domibus cum gazis egestate attenuati sunt. B Ecclesia quoque sancti Geruasij, quam ante paucos annos Goiffredus Archiepiscopus dedicauerat, combusta est. HENRICVS I. 1124.

REX autem, vt rumores huiuscemodi audiuit, de Ponte-Aldemari cum exercitu suo Gisortis festinauit, ibíque contra proditores suos, si reperiret eos, audacter præliari optauit. Verùm illi, vt triumphatorem, quem adhuc obsidione occupatum putabant, properare compererunt, cum timore & labore multóque dedecore fugerunt.. Deinde Iusticiarij Regis Ebroicensem Consulatum, & omnes fundos proditorum inuaserunt, & dominio Regis mancipauerunt. Hugo Pagani filius cum Stephano Moritolij Consule tunc erat, patrísque sui facinorum nescius Regi seruiebat. Rex ergo illi paternum honorem concessit, periurúmque senem penitus cum Herueio filio suo exheredauit. Exinde fœdus, quod Papa nudius tertius inter Reges pepigerat, ruptum est, & rediuiua guerra feraliter inardescens vtrobíque exorta est. Tunc hiems pluuialis erat. Rex autem plebium labores & anxietates discretus considerauit, eísque ne nimis fatigati more iumentorum præ nimio labore fatiscentium deficerent, pepercit. Ergo postquàm duo munitissima cum subiacentibus fundis oppida Pontem-Aldemari & Montem-fortem obtinuit, in Aduentu Domi-C ni populos in pace quiescere iussit. Familias verò suas cum præcipuis Ducibus per castella disposuit, eísque contra prædones tutelam prouinciarum commisit. Nam Rannulfum Baiocensem constituit in Ebroarum turri, Henricum verò Goisleni de Pomereto filium, ad Pontem Altouci, & Odonem cognomento Borlengum ad præsidium Bernaici, alióśque probos athletas in aliis locis ad tutandam regionem contra incursiones inimici. Guillelmus quoque filius RODBERTI DE HARVLFI-CORTE Regi adhærens seruiebat.

IN subsequenti Quadragesima Gualerannus Comes confœderatos suos accersiit, ac nocte Dominicæ Adnunciationis ad muniendum turrim de Guateuilla perrexit. Tres quippe sororios suos secum habuit, Hugonem de Nouocastello filium Geruasij, & Hugonem de Monteforti, atque Guillelmum Lupellum filium Asceliní Goëlli. His omnibus Comes Amalricus eminebat. Bellica cohors his ducibus victualia obsessis conduxit, munitionem quoque Regis, quæ arcem coartabat, ex insperato mane impugnauit. Gualterium autem filium Guillelmi de Gualicheri-villa, quem Rex principem custodum constituerat, qui castrum super aggere loricatus D ad sepem stans acriter defendebat, ingeniosa manus vncis ferreis implicuit, irremissibiliter extraxit, captúmque secum adduxit. Gualerannus Comes duobus fratribus, in quibus confidebat, Herberto scilicet de Luxouio, & Rogerio, cum VIII. clientibus arcem commiserat. Tunc rura in circumitu deuastauit, & quicquid ad cibum pertinebat de domibus & Ecclesiis rapuit, & in turrim pro subsidio custodum introduxit. Eadem etiam die Comes furibundus vt spumans aper Brotonam syluam intrauit, & rusticos, qui ligna in saltu præcidebant, inuenit, plurimos comprehendit, captos amputatis pedibus loripedes effecit, & sic almæ festiuitatis stemma temerè, sed non impunè violauit.

INTEREA Rannulfus Baiocensis, qui Ebroicæ turris munio erat, & copiosas hostium acies Guateuillam noctu isse per exploratores didicerat, continuò compares suos Henricum, & Odonem, atque Guillelmum impiger adiit, hostilem transitum eis notificauit, ac vt in redditu inimicis domini sui regium tramitem ferro calumniarentur, summoperè persuasit. Illi autem cum subiectis centuriis gratanter ad-

HENRICVS I. 1124. quieuerunt,& prope burgum Thuroldi speciosè armati cum CCC. militibus conuenerunt,& in campo exeuntes de Brotona,& Bellum-montem repetentes, VII. Kal. Aprilis præstolati sunt. Quos cùm regij milites vidissent,& virtute potentiáque sese sublimiores censuissent, tantæ strenuitatis viros formidare cœperunt, nonnulli " tamen formidolosos corroborare ausi sunt. Odo siquidem Borlengus dixit: Ecce ad" uersarij Regis per terram eius debacchantur, & securi sunt, & vnum de Optimati" bus eius, cui defensionem regni sui commisit, captum abducunt. Quid faciemus? " numquid illos impunè depopulari totam regionem sinemus? Oportet vt pars no" strûm ad pugnam descendat, & pedes dimicare contendat, & altera pars præliatura " equis insideat. Agmen quoque sagittariorum in prima fronte consistat, & hostilem " cuneum cornipedes vulnerando retardare compellat. In hoc hodie campo cuius" que pugilis audacia vigórque palam apparebit. Si enim ignauiâ torpentes Baronem " Regis ab hostibus duci vinctum sine ictu dimiserimus, quomodo ante vultum Re- B " gis astare audebimus? Stipendia cum laude nostra meritò perdemus, nec pane re" gio vesci vlteriùs me iudice debemus. Igitur omnes reliqui, qui præclari pugilis hortatu animati sunt, eíque commilitones sui descendere cum suis annuerunt. Quod ille non recusauit, sed cum suis, à quibus valdè diligebatur, pedes in armis conflictum hilariter expectauit. Gualerannus adolescens militiæ cupidus, vbi aduersarios vidit, quasi iam superasset eos pueriliter tripudiauit. Sed Amalricus æuo „ sensúque maturior tam ipsi quàm aliis minus prouidis bellum ita dissuasit. Per om„ nes gentes, sic enim iurabat Amalricus, laudo vt bellum deuitemus. Nam si pauci „ cum pluribus dimicare præsumpserimus, timeo quòd dedecus & damnum incurre„ mus. Ecce Odo Borlengus cum suis descendit, scitote quia superare pertinaciter „ contendit. Bellicosus eques iam cum suis pedes factus non fugiet, sed morietur aut „ vincet. Ceteri verò dixerunt: Nónne iamdudum in planicie Anglis obuiare desi„ derauimus? En adsunt. Pugnemus, ne turpis fuga nobis improperetur, & nostris he„ redibus. Ecce militaris flos totius Galliæ & Normanniæ hîc consistit. Et quis obsta- C „ re nobis poterit? Absit, vt hos pagenses & gregarios adeò metuamus, vt pro illis cal„ lem diuertamus, aut cum ipsis præliari dubitemus. Acies ergo suas ordinauerunt. In primis Gualerannus Comes cum XL. militibus ad eos properare voluit, sed à sagittariis equus illius sub eo sauciatus cecidit. In prima enim fronte XL. arcitenentes caballos occiderunt,& antequam ferire possent deiecti sunt. Comitum itaque pars citò contrita,& in fugam conuersa, arma & quæcumque onerabant reliquit,& quisque prout potuit fugæ presidio salutem suam tutauit. Ibi tunc Gualerannus Consul,& duo Hugones sororij eius, & alij ferè LXXX. milites capti sunt,& in carcere Regis tenaci nexu constricti temeritatis suæ pœnas diu lacrymabiliter luerunt.

GVILLELMVS de Grandi-corte filius Guillelmi Aucensis Comitis, de familia Regis probus eques, in hac pugna fuit, & Amalricum fugientem comprehendit. Sed viro tantæ strenuitatis humana miseratione condoluit, verissimè sciens quòd si retineretur, de nexibus Regis vix aut numquam egrederetur. Elegit ergo, Rege cum terra sua relicto, exulare, quàm egregium Consulem inextricabilibus nodis nectere. Illum itaque vsque ad Bellum-montem conduxit, & extorris cum illo vt D ereptor eius in Francia honorabiliter permansit.

GVILLELMVS verò Lupellus à quodam rustico captus, arma sua illi pro redemptione sui dedit,& ab eo tonsus instar armigeri manu palum gestans ad Sequanam confugit: & incognitus ad transitum fluminis pro naulo caligas suas nauclero impartiuit, nudísque pedibus proprios lares reuisit; gaudens quòd de manu hostili vtcumque prolapsus euaserit.

REX autem post Pascha iudicium de reis, qui capti fuerant, Rotomagi tenuit, ibíque Goiffredum de Toruilla,& Odardum de Pino pro periurij reatu oculis priuauit. Lucam quoque de Barra pro derisoriis cantionibus & temerariis nisibus orbari luminibus imperauit. Tunc KAROLVS Marchio Flandriæ, qui Balduino iuueni in Ducatu successit, cum multis nobilibus curiæ Regis interfuit. Infaustorum „ quoque condemnationi piè condoluit, atque ceteris audacior ait: Rem nostris ri„ tibus inusitatam, domine Rex, facis, qui milites bello captos in seruitio domini sui „ debilitatione membrorum punis. Cui respondit Rex: Rem iustam, domine

A Consul, facio, & hoc manifesta ratione probabo. Goiffredus enim & Odardus consensu dominorum suorum legitimi homines mei fuerũt: periuriíque nefas vltrò cõmittentes mihi fidem suam mentiti sunt. Et iccircò nece seu priuatione membrorum puniri meruerunt. Pro seruanda, quam mihi iurauerant, fidelitate, omnia potiùs quæ in mundo habebant, debuissent deserere, quàm vlli hominum contra ius aliquatenus inhærere, fidémque suam nequiter prodendo legalis heri fœdus disrumpere. Lucas autem homagium mihi numquam fecit: sed in castro Pontis-Aldemari contra me nuper dimicauit. Ad postremum, pace facta quicquid forisfecerat indulsi, & cum equis rebúsque suis liberum abire permisi. At ille hostibus meis protinus adhæsit, rediuiuas illis iunctus inimicitias in me agitauit, & peiora prioribus addidit. Quinetiam indecentes de me cantilenas facetus coraula composuit, ad iniuriam mei palam cantauit: maliuolósque mihi hostes ad cachinnos ita sæpè prouocauit. Nunc iccirco Deus illum mihi tradidit vt castigetur, vt à nefariis operibus cessare cogatur, aliique dum temerarij ausus illius correptionem audierint, commodè corrigantur. HENRICVS I. 1124.

B His auditis, Flandriæ Dux conticuit, quia quid contra hæc rationabiliter obieceret non habuit. Carnifices itaque iussa compleuerunt. Porrò Lucas vt æternis in hac vitâ tenebris condemnatum se cognouit, miser mori, quàm fuscatus viuere maluit. & lanistis perurgentibus inquantum potuit ad detrimentum sui obstitit. Tandem inter manus eorum parietibus & saxis vt amens caput suum illisit, & sic multis mœrentibus, qui probitates eius atque facetias nouerant, miserabiliter animam extorsit.

INTEREA Morinus de Pino dapifer Comitis castella eius muniuit, & ipse animosus omnes quos poterat pertinaciter ad resistendum Regi animauit. Rex autem fortis magno congregato exercitu mense Aprili Brionnam obsedit, ibíque duo castella continuò construxit, quibus hostes paulò pòst ad deditionem coëgit. Illam nimirum pacem temeritas dementium fieri sine ingenti damno innocentum non pertulit, quia tota cum Ecclesiis villa priùs combusta fuit. Porrò illi, qui erant in arce de Guateuilla, reconciliati sunt Regi, munitione reddita, quam Rex principali disciplina humo tenus dirui paulò pòst præcepit.

C DENIQVE Rex postquam omnia Comitis municipia, præter Bellum-montem, sibi subiugauit, tunc Consuli, qui vinctus erat, operum euentus suorum notificauit: atque per eosdem rumigerulos, vt sibi Bellum-montem in pace reddi iuberet, mandauit. Ille verò videns se puerilis leuitatis friuola spe deceptum, & à fastigio pristinæ potestatis merito peruersitatis deiectum, metuénsque si magnanimus censor per quamlibet peruicaciam offenderetur, iterum sibi periculosius incumberet scandalum; missis fidelibus legatis obnixè iussit Morino procuratori rerum suarum, vt sine mora sæpememoratum castellum triumphatori subigeret sceptrigero Angligenarum. Tunc Morinus, licèt serò, iussa quidem compleuit, sed gratiam Regis nullatenus impetrare potuit. Pædagogus enim adolescentis à Rege ordinatus fuerat, eíque rebellionis nequam consilium vltrò suggesserat. Amisit opes quibus in Normannia nimis intumuerat: & elatus suprà se, ambiens plus quàm decebat, turbationem multis insontibus nocituram insolenter inuexerat. Regali ergo censura de paterno cespite proiectus, vsque in exteris exulauit regionibus. Rex itaque totam possessionem ditissimi Consulis obtinuit in Neustria, ipsúmque cum duobus sororiis suis arta seruauit custodia. Deinde post aliquod tempus ipsi tres in Angliam missi sunt, &

D Comes atque Hugo filius Geruasij quinque annis in carcere coërciti sunt. Hugo autem de Monteforti iam XIV. annis vinculatus gemuit, nec pro eo, quia sine occasione grauiùs offendit, aliquis amicorum eius Regem interpellare præsumit.

BENEDICTVS Deus, qui cuncta benè disponit, qui salubriùs quàm ipsi optant mortalium cursus dirigit, & æquitatis examen in territorio rubri Monasterij piè contemplantibus demonstrauit. Anno quippe Dominicæ incarnationis MCXXIV. victoriam pacis amatoribus contulit, & temerarios proturbatores totius prouinciæ confudit, & complicum scelerosos conatus ipsorum impedimento celeri dissipauit. In illa enim septimana decreuerant oppidani VII. castellorum, quæ consita sunt in Lexouino vel Vticensi pago, in confinio scilicet ipsorum, vt se illis coniungerent ad detrimentum multorum. Hugo quippe de Plessicio iam Pontem-Erchenfredi dolosè inuaserat, & auxilium à confœderatis rebellibus fiducialiter expectabat.

HENRICVS I. 1124. Sic municipes Sapi, Benefactę, & Orbecci, aliique plures prę timore placitum cum eis fecerunt, quoniam contra ingens robur eorum vires seu magnanimitatem defendendi se non habuerunt. Sed capitibus nequitiæ, vt dictum est, conquassatis, coniurati sodales eorum siluerunt, & de consensu duntaxat perfidiæ detegi coram iustitiariis & iuris peritis admodum timuerunt. Tunc bissextilis erat annus, ac sicut vulgò dici audiuimus, super proditores reuera corruit bissextus. Paulatim viribus effœtis Amalricus & Lupellus, aliique hostes pacem Regis procurauerunt; & Guillelmum exulem, quem nullatenus iuuare valebant, inuiti deseruerunt. Tandem ipsi humiliter Regi satisfecerunt, & amicitiam eius cum præteritorum indulgentia reatuum recuperauerunt, atque pristinos honores adepti sunt.

His rebus ita peractis, pactum Guillelmi cum Andegauensibus disruptum est, & ipse cum Helia pædagogo suo, & Tirello de Maineriis externa mapalia in magno metu & egestate peruagatus est. Longa & valida patrui sui brachia sibi formidanda erant, cuius potestas, seu diuitiæ, potentiæque fama passim ab Occidente vsque in Orientem pertingebant. Ad laborem puer ille natus est, à quo, dum aduixit, numquam benè liberatus est. Idem audax erat & superbus, pulcher, ac ad militare facinus damnabiliter promptus, & receptoria plus commendabat eum populis spes, quàm sua virtus. In Cœnobiis Monachorum, seu Clericorum, vbi solebat hospitari, superfluitate sua, licèt extorris, plus erat oneri quàm honori: innumerisque cohærentibus illi, miseriæ magis quàm saluti. Multorum in illo errabat opinio, vt euidenter postmodum celesti patuit *, vt in calce huius Libelli veraciter declarabo. B

In diebus illis, multorum Principum mutationes factæ sunt, quibus in locis eorum moderni subrogati sunt. Radulfus cognomento Viridis Remorum Archiepiscopus, eruditione & facundia inter patres præcipuus, studiisque bonis nostro tempore laudabiliter deditus, pater & institutor Monachorum & Clericorum, patronus & defensor pauperum, & omnium sibi subiectorum, post multa laudabilia opera in senectute bona defunctus est. Post quem Rainaldus Andegauorũ Episcopus in pluribus priori dispar sedē eius adeptus est. Andegauēsis verò Ecclesiæ regimen Vlgerius suscepit, cuius vita religione & scientiâ cluens populis lumen veritatis suggerit.

1125. ANNO ab incarnatione Domini MCXXV. indictione III. Calixtus Papa defunctus est, & Lambertus Hostiensis Episcopus in Papam HONORIVM assumptus est. Hic senex eruditissimus, & in obseruatione sacræ legis feruidus fuit, Ecclesiámque Romanam sex annis rexit. Eadem etiam septimana, qua Calixtus Papa hominem excessit, GISLEBERTVS Turonensis Archiepiscopus, qui pro Ecclesiasticis negotiis Romam perrexerat, illic obiit. Quod audientes Turonici, ILDEBERTVM Cœnomannensem probatum Prēsulem sibi asciuerunt, & Honorij Papæ permissu gaudentes in Turonicæ metropolis cathedram transtulerunt. Ibi ferè VII. annis honorificè vixit, & subiectis profecit: Cenomannis verò Guiumarum Britonem Episcopum consecrauit. C

EODEM anno in hebdomada Pentecostes Karolus-Henricus V. Imperator mortuus est, & Spiræ metropoli Germaniæ sepultus est. Imperij verò insignia moriens Cæsar Imperatrici Mathildi dimisit, quibus postmodum, quia nulla soboles illi superfuit, LOTHARIVS Dux Saxonum generali plebis edicto intronizatus successit. Maguntinus enim Archiepiscopus, qui potentiâ & strenuitate pollebat, prouidentiâque sua ne scisma vel inordinata surreptio Imperij fieret præcauebat, Episcopos & Proceres totius regni cum exercitibus suis conuocauit, cum quibus vnà collectis de Imperatore constituendo tractauit. Insignia siquidem ab Imperatrice procurauerat ornamenta Imperij, antequam de tanto prēsumpsisset negotio fari. Excellentissimi, inquit, Barones, qui adsistitis in hac planicie, me quæso solerter audite, & prudenter intendentes his quæ dicam obedite. Pro commoditate omnium vestrum, & plurimorum qui non adsunt, laboro, & nocte diéque anxius cogito. Multis sermonibus hîc modò non opus est. Benè nostis, Imperator noster sine prole defunctus est: cui Deo fidelis & deuotus, Ecclesiæque filiis vtillimus successor sapienter inquirendus est. Quadraginta igitur ex vobis sapientes & legitimi milites eligantur, & seorsum eant, ipsique secundum fidem suam & conscientiam optimum Imperatorem eligant, qui merito virtutum Imperio præferatur, omníque populo sibi subiecto summopere patrocinetur. Sic D

A ab omnibus consensum est. Ibi nempe plus quàm LX. milia pugnatorum aderant, & in diuersa nitentes exitum rei considerabant.

DENIQVE spectabiles Sophistæ, qui de tot militibus segregati fuerunt, post diutinam collocutionem reuersi dixerunt: "FREDERICVM Ducem Alemannorum, HENRICVM Ducem Lotharingorum, & LOTHARIVM Ducem Saxonum laudamus, & honorabiles viros, imperióque dignos prædicamus. Hoc pro certo non peculiari fauore illecti dicimus, sed vniuersali salute perspecta prout nobis visum est asserimus. De his tribus quemcúmque volueritis in nomine Domini sumite: quia omnes, vt iamdudum probatum est, laudabiles sunt personæ, & merito strenuitatis toti mundo, vt arbitramur, præponendæ."

HIS auditis, Archiepiscopus dixit: "Vos gloriosi Principes, qui nominati estis, alacriter ite, & de vobis tribus vnum eligite. Illi autem, quemcúmque elegeritis, subiciemur, in nomine Dei omnipotentis. Porrò, si quis vestrûm à communi discrepauerit edicto, decolletur continuò, ne per vnius proteruiam Christianorum perturbetur sancta concio." Animosi Præsulis rigida conditio cunctis formidabilis extitit, nec in tanta multitudine quisquam contra Prælatum mutire præsumpsit.

B

IGITVR prætitulati Duces seorsum abierunt, & circumstante legionum corona in medio constiterunt, seséque inuicem contuentes aliquandiu siluerunt. Tandem binis silentibus, Henricus rupit silentium primus. "Quid hîc seniores agimus? Numquid huc directi sumus, vt taciturnitati vacemus? Ingens negocium nobis iniunctum est. Non vt taceremus, sed vt de maximo bono loqueremur, huc conuenimus. Iam vestram satis loquelam expectaui. Numquid totum diem transigemus muti? De tractatu nobis iniuncto cogitate, & quid vobis placuerit edicite." Sociis annuentibus, vt proferret quid sibi, qui senior erat, placeret: "Optimum, inquit, nunc decet nostrum esse consilium, quia modo ad nostrum tota Latinitas suspirat arbitrium. Oremus ergo Dominum Deum, qui Moysen Hebræis præfecit, eíque victoriosum successorem Iosuë reuelauit: vt ipse clemens cooperator nobiscum sit, sicut fuit cum Samuële ad vngendum in Regem Dauid." His ita dictis, generum suum elegit Lotharium. Porro tertius contradicere formidauit, veritus sententiam, quam Archipræsul sanxerat. Deinde ad conuentum reuersi sunt. Henricus verò diligenter intentus omnibus, dixit: "LOTHARIVM Ducem Saxonum multis virtutibus adornatum militia iustitiáque in sublimitate principali iamdiu probatum eligimus in Regem Alemannorum, Lotharingorum, Teutonum, & Baioariorum, Langobardorum, & omnium Italiæ populorum, & in Imperatorem Romanorum." Ab omnibus auditum est, & à pluribus libenter concessum est.

C

TVNC primas & ordinator huius collectæ fuit, vt dixi, Archiepiscopus Magunciæ. Qui mox iussit, vt omnes summi Proceres, antequam de illo campo migrarent, in conspectu omnium Lothario mox homagium facerent. Protinus gaudens Henricus, & mœrens Fredericus, & omnes post illos præcipui Magnates coram Lothario genua flexerunt, homagium illi fecerunt, eúmque Regem & Augustum sibi præfecerunt.

D DISSOLVTO conuentu, exercitus FREDERICI super Lotharium irruit, ipsúmque & plurimos de parte illius vulnerauit, & terga vertentes fugauit. Fredericus enim armatorum ferè XXX. milia secum adduxerat, quia timore vel fauore sese Regem fore autumabat. Sed quia probi Pontificis ingenio præuentus, vt dictum est, velle suum perpetrare nequiuit, per CONRADVM fratrem suum maximam postmodum guerram fecit. Lotharius tamen auxiliante Deo præualuit, meritóque strenuitatis & religionis laudabilis iam X. annis regnauit.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXVI. indictione IV. Pontificalis basilica sancti Geruasij Mediolanensis Martyris apud Sagium XII. Kalend. Aprilis dedicata est à domino Goiffredo Rotomagensi Archiepiscopo, & aliis quinque Præsulibus. Ibi tunc Henricus Rex Anglorum cum Proceribus suis affuit, & eidem Ecclesiæ redditus X. librarum pro dote per singulos annos donauit. Ibi tunc interfuerunt Girardus Engolismensis Episcopus Romanæ Ecclesiæ Legatus, Ioannes Lexouiensis, Ioannes Salariensis, Goiffredus Carnotensis, & Vlgerius Andegauensis. 1126.

HENRICVS I. MENSE Octobri basilica sancti Petri Apostoli in suburbio Rotomagi dedicata est, vbi corpus sancti Audoëni Archiepiscopi & Confessoris honestè conditum est. A

1126. EODEM anno GVILLELMVS Pictauensis mortuus est. Guillelmus etiam Dux Apuliæ filius Rogerij Bursæ sine filiis obiit, cuius Ducatum Honorius Papa dominio Apostolicæ Sedis mancipare sategit. Verùm Rogerius iuuenis Siciliæ Comes econtra surrexit, & multa in exercitum Papæ certamina commisit; consobriníque sui Principatum violentiâ militari vendicauit; & homagio Papæ facto, vsque in hodiernum diem possedit. Hic nimirum Rogerij senis filij Tancredi de Alta-villa filius fuit, ac strenuæ Adelaidis, quæ Bonefacij Marchisi potentis Italiæ fuit, & post prioris mariti, fratris scilicet Guiscardi obitum, priori Balduino Regi Hierusalem nupsit.

1127. ANNO ab incarnatione Domini MCXXVII. indictione v. Ludouicus Rex Francorum in Natale Domini ad Curiam suam Optimates regni allocutus est, eósque vt Guillelmo Normanno compaterentur, & subuenirent, summoperè precatus est. Erat enim adolescens præclarus, pulcher, audax, & probus, sed multis infortuniis ab infantia præpeditus. Nam dum adhuc infantulus esset, mater eius Apuliensis Sibylla veneno perempta est. Pater verò eius Rodbertus Dux Normannorum in bello apud Tenerchebraicum captus est, & Henricus frater eius Rex Anglorum Normanniæ Ducatum adeptus est. Ipse quidem puerulus Heliæ de sancto Sidonio, suo videlicet sororio, ad nutriendum Regis iussu commendatus est: à quo pro timore præfati Regis & fautorum eius in Galliam abductus est: ibíque inter extraneos in magna egestate, nec sine multa formidine educatus est. A multis hostibus multùm, multisque modis quæsitus est, vt perimeretur: à multis econtra requisitus est, vt honori paterno restitueretur. Frustra conatur id agere humana intentio, quod aliter disposuit diuina ordinatio. Ludouicus Rex, & præcipui Optimates regni Francorum, Balduinus acerrimus iuuenis, & Karolus, Satrapæ, cum Proceribus Flandrorum, AMALRICVS DE MONTEFORTI Comes Ebroicensium, Stephanus Comes de Albamarla, & Henricus Comes Aucensium, Gualerannus Comes de Mellento, & Hugo de Nouocastello, Hugo de Monteforti, & Hugo de Gornaco, Guillelmus de Raumara, & Baldricus de Bosco, Richerius de Aquila, & Eustachius de Britolio, & multi alij Normannorum & Britonum, Rodbertus etiam de Belismo cum copiis Andegauensium & Cœnomannorum, Guillelmum exulem adiuuare moliti sunt: sed Deo aduersante, qui profunditate sensus, & virtute bellica, copiísque facultatum & amicorum, præfatis omnibus Henricum Regem prætulerat, nihil profecerunt. Multi eorum pro facinoroso incœptu capti sunt, aut exheredati, aut occisi sunt. Rebelliones etiam hac de causa multæ in Regem Henricum exortæ sunt, & castella ruráque concremata sunt. Hoc attestantur Ebroica vrbs, & Episcopalis Ecclesia sanctæ Mariæ, Sanctimonialiúmque Abbatia, Brionnia, Monsfortis, & Aquila, Pons Aldemari, & Bellismia, & multa alia, quæ per edacia perierunt incendia. B C

TANDEM cùm GVILLELMVS exul XXVI. esset annorum, & nemo potuisset ei de paterna hereditate recuperanda suffragari contra patruum suum, ADELES Regina vterinam sororem suam dedit illi in coniugem, RAINERII scilicet Marchionis sobolem. Ludouicus autem Rex dedit ei Pontesiam, & Caluimontem, atque Medantum, totúmque Vilcassinum. Hoc mense Ianuario factum est, & paulò pòst ante Quadragesimam Gisortis venit cum militari manu Normanniam calumniari: sed eum Normanni velut dominum naturalem reueriti sunt. D

KALENDAS Martij, KAROLVS Dux Flandriæ Canuti Regis Danorum filius, cum Tesnardo Brothburgi oppidano, & XX. militibus, ad Ecclesiam Brugis vt Missam audiret venit, ibíque dum pronus in terra Deum oraret, à BVRCHARDO DE INSVLA, aliísque XXXII. militibus peremptus est, & penè omnes, qui cum illo erant, ibidem crudeliter occisi sunt. Guillelmus autem de Ipro, tam graui facinore audito, mox castrum de Brugis obsedit, & ferales homicidas vndique inclusit: donec Ludouicus Rex Franciæ cum Gullelmo Normanno venit, & obsidione menstrua diros carnifices coartauit, cepit, & ex altissima turre Brugis præcipitauit. Deinde Guillelmo Normanno Ducatum Flandriæ dedit, & Vilcassinum cum oppidis, quæ dederat, recepit. Verùm Guillelmus, vt Ducatum

A Flandriæ domo Regis, & hereditario iure obtinuit, solummodo XVI. mensibus laboriosè rexit. In primis enim contra proditores Karoli Ducis insurrexit, totisque nisibus eos indagauit, nullique pro qualibet causa nobilitatis, seu potentiæ, vel ordinis, aut pœnitentiæ pepercit, ferè C. & XI. condemnauit, & præcipitio, vel aliis mortium generibus crudeliter puniit. Interfectorum ergo consanguinei vehementer contristati sunt, & detrimentum illi perniciémque machinati sunt. Ipse pædagogo suo Heliæ de sancto Sidonio, qui diutiùs pro illo exulauit, & cum Tirello de Maineriis exheredari pertulit, Monsteriolum castrum donauit. Mense Augusto, contra Stephanum Boloniæ Comitem exercitum duxit, eúmque sibi subicere volens, terram eius ferro & flamma ferociter deuastare cœpit. Denique fidi caduceatores missi sunt, & quia consobrini erant, sibi dextras dederunt, treuiísque triennalibus datis pacificati sunt. Intereà, dum Guillelmus Dux in hac expeditione occupatus esset, eíque aliquando læta, & plerúmque tristis fortuna variabiliter insisteret, Euuenus de Guanda & Danihel de Teneromonte, nepotes Balduini de Ganda, vltionem amicorum callidè quæsierunt, & excogitatum facinus ad multorum lamenta perficere conati sunt. Nam
B THEODERICVM Comitem Auxensem adierunt, ipsúmque, cur hereditarium ius negligeret, & sine calumnia perderet, increpauerunt: eíque sese, aliósque plures, si suum ius calumniaretur, auxiliatores fore spoponderunt. Theodericus itaque Auxensis, & Lambertus Ardennenses Comes Flandriam expetierunt, & opinatissimum castrum, quod Insula dicitur, & Fornas, atque Ganda, aliaque plura Morinis assentientibus receperunt. Guillelmus autem his auditis Stephano Boloniensi treuias dedit, & contra intestinos hostes vsque ad mortem dimicauit. Erant enim viri potentes, & nobiles, audaciáque & multa probitate laudabiles, diuitiis & amicis & munitionibus & fauore contribulum formidabiles.

MENSE Iulio, Dux aggregato exercitu castrum Aloft obsedit, & cum Godefredo Louennensium Duce per dies aliquot coartauit. Multi ad eum de Neustria venerunt. Ipsum enim plures intantum diligebant, & falsa spe decepti tantam in eo fiduciam habebant, vt natale solum cum naturalibus heris, ac parentibus & amicis vltrò relinquerent: quidam verò periuriis vel homicidiis polluti exules illi
C adhærerent.

GVILLELMVS de Ipro Rodberti Morinorum Marchionis filius in primis ei obstitit: sed fortuna prodente in manus eius apud Triam castrum Vilcassini incidit, quem seruandum AMALRICO de Monteforti protinus destinauit. Denique non multò pòst Dux eundem per amicorum procurationem in amicitia recepit, & à vinculis liberauit.

APVD Iprum tres munitiones erant, quarum vna Ducis erat, altera Guillelmi, & tertia Danihel & Euueni. Ibi hostes Ducis in mortem eius conspirauerunt, in arcem eius noctu irruere decreuerunt, & quatuor turmas, vt nullatenus exitium euaderet, extrinsecus constituerunt. Porro Dux, qui tam feralem machinationem sibi paratam nesciebat, ad quandam venit iuuenculam, quam amabat. Illa verò caput eius, vt solebat, lauit, & cognita hostili coniuratione lauando fleuit. Adolescens lacrymarum causam ab amica inquisiuit, precibus & minis sollerter extorsit, quibus coacta seriatim detexit, quicquid ab inimicis eius de morte comperit.
D Protinus ille cum suis arma capillis adhuc impexis arripuit, ipsámque secum, ne aliquomodo periclitaretur sustulit, & Guillelmo Duci Pictauensium coæuo commilitoni suo per quendam Abbatem destinauit, ipsúmque, vt liberatricem suam honorabili connubio sicut sororem suam donaret obsecrauit. Quod ita factum est. Tunc Guillelmus omnes insidias incolumis pertransiuit, & iratus publicos hostes condemnauit. Bellicosus deinde iuuenis vndique vires collegit, castrum Aloft obsedit, acriter debellauit, & totis nisibus oppidanos ad deditionem cogere satagit. Ipse Ducis & militis officio plerúmque fungebatur, vnde à caris tutoribus pro illo formidantibus crebro redarguebatur. Sæpè centurias aduocabat, vt acer Dux imperabat, sed crebriùs vt tyro feruidus pugnabat.

QVADAM die ad transitum cuiusdam aquæ hostilis phalanx venit, obsessis suffragari studuit, contra quod ..... trecentos milites direxit. Sed conflictu ..... durante, & hostium virtute admodum crescente, milites Ducis cœperunt aliquan-

HENRICVS I. 1127.

tulum relabi & vacillare. Quod videns Dux infremuit, suppetias aduolauit, audacter dimicauit, suos ita corroborauit, hostésque fugauit. Inde reuersus ad portas castri repente irruit, eóque veniente turma satellitum, qui egressi fuerant, dispersa confugit, quorum pars super aggerem exiliuit. Quos ibidem Dux dum vidisset, & lanceam cuiusdam peditis sibi obstantis apprehendisset, fortè ferro, quod capere dextera nisus est, in pinguedine manus, quæ inter pollicem & palmum est, vsque pulsum brachij subitò perniciosè punctus est. Grauiter itaque sauciatus indè recessit, familiaribus suis vulnus ostendit, corde tenúsque dolens plangere cœpit, nec multò pòst in lectum decubuit. Ignis enim quem sacrum vocant, plagæ immixtus est, totúmque brachium vsque ad cubitum instar carbonis denigratum est. Quinque diebus ægrotauit, scelerúmque pœnitens Monachatum petiit, & Dominici corporis perceptione cum confessione munitus obiit. A

HELIAS & Tirellus, aliíque domestici Ducis, qui semper ei fideles fuerunt, lethale vulnus iuuenis heri Flandrensibus & omnibus extraneis celauerunt, & oppidanos ad deditionem expugnando coëgerunt. Euuenus verò Princeps castri reconciliatus est, & datis obsidibus ac pace firmata familiaris amicus factus est. Tunc Normanni Ducis in tentorium eundem duxerunt, dominúmque suum in feretro mortuum lugubres ostenderunt. En, inquiunt, potes videre quod fecisti. Dominum tuum occidisti, & innumeris sic milibus luctum inuexisti. Quod ille videns contremuit, & vehementi mœrore .... lacrymas erupit. Cui Helias ait: Desine, quæso .... Amodò tuæ inutiles sunt lacrymæ .... auxilio vade arma tua...... milites armari, & defuncti corpus Ducis ad sanctum Bertinum fac honorificè deduci. Quod ita mox completum est. Conuentus autem Monachorum obuiam processit, & cadauer in basilica suscepit. Ibi secus Rodbertum Ducem sepultum est, & in lapide superposito Epitaphium huiusmodi exaratum est. B

Miles famosus Guillelmus vir generosus,
Marchio Flandrensis iacet hîc Monachus Sithiensis.
Rodbertus pater huic, matérque Sibylla fuêre,
Et Normannorum gentis frenum tenuêre. C
Luxque Kalendarum Sextilis quinta rediuit,
Cùm pugnax apud Alost ferro plagatus obiuit.

IOANNES filius Odonis Baiocensis Episcopi primus Henricum Regem adiuit, eíque casum nepotis sui nunciauit, & sigillatos apices de parte eius supplex obtulit, in quibus moriens adolescentulus à patruo suo malorum, quæ contra illum fecerat, indulgentiam postulabat, eúmque vt omnes, qui ad se confugerant, si ad illum remearent, benignè susciperet, obsecrabat. His itaque Rex perceptis annuit, & plures herili nece conturbati crucem Domini sustulerunt, & exules pro Christo sepulchrum eius in Hierusalem expetierunt. Theodericus autem Auxensis Morinorum Dux factus est, & Ludouico Regi Francorum, & Henrico Regi Anglorum à secretis confœderatus est. Stephanum Comitem Boloniensium, aliósque Normannos, qui terras habebant in Flandria, Rex Henricus ei subiugauit regali iustitia. Denique pulcherrima vxor eius, quam tunc habebat, post aliquot annos occubuit, & ipse consilio Regis Angliæ Sibyllam Andegauensem Guillelmi prædecessoris sui sponsam in coniugem accepit.

AVXILIO superni dispensatoris fretus Rex Henricus inter tot aduersa rigidus in fastigio perstitit, & rebelles à temerario ausu deficientes, eúmque suppliciter repetentes suscepit, & sollerti benignitate secum reconciliari consensit. Primus itaque, vt suprà dictum est, Guillelmus de Rolmara Regi honorificè reconciliatus est, & exinde familiaris eius conuiua & amicus factus est. Generosam quoque Mathildem filiam Ricardi de Radueriis illi Rex coniugem dedit, quæ filium ei speciosum nomine Guillelmum-Heliam peperit. Præfatus miles in adolescentia lubricus, nimísque libidini deditus fuit: sed diuino verbere plectendus in grauissimam ægritudinem incidit. Vnde cum Goiffredo Archiepiscopo fatus, emendatiorem vitam Deo deuouit. Deinde Nouum-mercatum reuersus, postquàm conualuit, in Ecclesia sancti Petri Apostoli, vbi quatuor Canonici seculares seruierant, VII. Monachos constituit, eíque præter illa quæ Hugo de Grentemaisnil ibi Monachis sancti Ebrulfi dederat, plura libenter adiecit. Chartam confirmationis D

A rerum quas dederat dictauit, & cancellum Ecclesiæ cum domibus Monasticis renouauit. HENRICVS I.

ANNO itaque XXVIII. Henrici Regis Guillelmus adolescens Flandriæ Comes obiit, cum quo robur & audacia omnium, qui suffragabantur ei contra patruum suum, corruit. Arrogantum temeritas cui adhæreret non habuit, postquàm iuuenile caput, pro quo Normanniæ rura ignibus & armis conturbauerat, perdidit. Tunc Rodbertus Dux, qui ad Diuisas in carcere seruabatur, in somnio viderat, quòd in brachio dextro lancea percutiebatur, eóque mox priuabatur. Mane autem expergefactus dixit adstantibus: Heu! filius meus mortuus est. Nondum rumor illuc ore nunciorum perlatus fuerat, dum pater eius in somniis istud edoctus coëssentibus intimabat. Qui & ipse post VI. annos Carduili defunctus est, & de carcere tunc eiectus Gloucestræ sepultus est. 1127.

ECCE Ambrosij Merlini prophetia, quam tempore Guortigerni Regis Britanniæ vaticinatus est, per DC. annos in pluribus manifestè completa est. Vnde libet mihi quædam huic Opusculo inserere, quæ temporibus ætatis nostræ videntur B competere. Contemporaneus quippe beato Germano Autissiodorensi Episcopo fuit. Qui tempore Valentiniani Imperatoris in Britanniam bis transfretauit, & contra Pelagium eiúsque sequaces in gratiam Dei garrientes disputauit, & pluribus signis in nomine Domini peractis, hæreticos confutauit. Deinde, postquàm Paschalia festa deuotè celebrauit, contra Saxones-Anglos, qui tunc pagani Christicolas Britones oppugnabant, pugnauit; & plus precibus quàm armis robustus, cum exercitu nuper baptizatorum alleluya vociferans ethnicum agmen fugauit. Si quis hæc & alia de casibus Britonum pleniùs nosse desiderat, Gildæ Britonis Historiographi & Bedæ Anglici Libros legat. In quibus de Guortemiro & fratribus eius, & de forti Arturo, qui XII. bella contra Anglos fecit, luculenta narratio legentibus emicat. Fertur, quòd Merlinus Guortigerno monstrauerit stagnum in medio pauimento, & in stagno duo vasa, & in vasis tentorium complicatum, & in tentorio duos vermes, quorum vnus erat albus, & alter rufus. Qui mox admodum creuerunt, & dracones facti mutuò crudeliter pugnauerunt. Tandem rubeus vi-C cit, & album vsque ad marginem stagni fugauit. Hæc nimirum Rege spectante cum Britonibus tristis plorauit. Merlinus inquisitus vates ab attonitis spectatoribus præsago spiritu disseruit, quòd stagno in medio pauimento figuraretur mundus, duobus vasis insulæ Oceani, tentorio vrbes Britanniæ & vici, in quibus humana est habitatio. Duobus verò vermibus duo populi Britonum & Anglorum designantur, qui diris conflictibus vicissim vexabuntur; donec sanguinolenti Saxones, qui per rubeum draconem portenduntur, vsque in Cornubiam, & supra littus Oceani Britones fugabunt, qui per album vermem figurati sunt, quia fonte baptismatis à diebus Lucij Regis & Eleutherij Papæ dealbati sunt. Iam dictus vates seriatim quæ futura erant insulis Septentrionis prædixit, typicísque locutionibus memoriæ literarum tradidit. Deinde postquam de Germanico verme & decimatione Neustriæ locutus est, quæ in Alfredo fratre Eduardi filij Egelredi Regis, & sodalibus eius Guelbeford facta est: sic de præsentis æui volubilitate, & rerum turbida variatione vaticinatus est.

POPVLVS in ligno & ferreis tunicis superueniet, qui vindictam de nequitia « ipsius sumet. Restaurabit pristinis incolis mansiones, & ruina alienigenarum pa- « D tebit. Germen ipsius ex hortulis nostris abradetur, & reliquiæ generationis eius « decimabuntur. Iugum perpetuæ seruitutis ferent, matrémque suam ligonibus & « aratris vulnerabunt. Succedent duo dracones, quorum alter inuidiæ spiculo suf- « focabitur, alter verò sub vmbra nominis peribit. Succedet Leo iustitiæ, ad cuius « rugitum Gallicanæ turres, & insulani dracones tremebunt. In diebus eius aurum « ex lilio & vrtica extorquentur, & argentum ex vngulis mugientium manabit. Ca- « lamistrati varia vellera vestibunt, & exterior habitus interiora signabit. Pedes la- « trantium truncabuntur. Pacem habebunt feræ, humanitas supplicium dolebit. « Findetur forma commercij, dimidium rotundum erit. Peribit miluorum rapacitas, « & dentes luporum hebetabuntur. Catuli leonis in æquoreos pisces transforma- « buntur, & Aquila eius super montes arannium nidificabit. Venedocia rubebit « materno sanguine, & domus Corinnei sex fratres interficiet. Nocturnis lacrymis «

HENRICVS I. madebit Insula, vnde omnes ad omnia prouocabuntur. Nitentur posteri transuolare superna, sed fauor nouorum sublimabitur. Nocebit possidenti ex impiis pie- A
1127. tas, donec sese genitorem induerit. Apri igitur dentibus accinctus, acumina mon-
» tium, & vmbram galeati transcendet. Indignabitur Albania, & conuocatis tran-
» slateralibus sanguinem effundere vacabit. Dabitur maxillis eius frenum, quod in
» Armorico sinu fabricabitur. Deaurabit illud Aquila rupti fœderis, & terna nidifi-
» catione gaudebit. Euigilabunt regentis catuli, & postpositis nemoribus infrà mœ-
» nia ciuitatum venabuntur. Stragem non minimam ex obstantibus facient, & lin-
» guas taurorum abscindent. Colla rugientium onerabunt catenis, & auita tempora
» renouabunt. Exinde de primo in quartum, de quarto in tertium, de tertio in se-
» cundum, rorabitur pollex in oleo. Sextus Hiberniæ mœnia subuertet, & nemora
» in planiciem mutabit. Diuersas portiones in vnum reducet, capite Leonis coro-
» nabitur, principium eius vago affectui succumbet, sed finis ipsius ad superos con-
» uolabit. Renouabit námque beatorum sedes per patrias, & pastores in congruis B
» locis locabit. Duas vrbes palliis induet, & virginea munera virginibus donabit. Pro-
» merebitur indè fauorem Tonantis, & inter beatos coronabitur. Egredietur ex eo
» lues penetrans omnia, qua ruina propriæ gentis imminebit. Per illam enim vtrám-
» que Insulam amittet Neustria, & pristina dignitate spoliabitur. Deinde reuerten-
» tur ciues in Insulam.

HANC lectiunculam de Merlini libello excerpsi, & studiosis, quibus propalatus non est, quantulamcúmque stillam propinaui: cuius aliquam partem in rebus gestis intellexi. Plura verò, ni fallor, cum mœrore seu gaudio experientur adhuc nasci turi. Historiarum gnari eius dicta facilè poterunt intelligere, qui nouerunt ea quæ contigerunt Hengist & Catigirno, Pascent & Arturo, Edelberto ac Eduuino, Osuualdo & Osuio, Ceduual & Elfredo, aliísque Principibus Anglorum & Britonum vsque ad tempora Henrici & Gritfridi, qui dubia sub sorte adhuc imminentia præstolantur, quæ sibi diuinitus ineffabili dispositione ordinantur. Nam luce clariùs patet callenti, quòd de duobus filiis Guillelmi dicitur:
» Succedent, inquit, duo dracones, domini scilicet libidinosi & feroces, quorum C
» alter inuidiæ spiculo, id est, Guillelmus Rufus, in venatione sagitta suffocabitur:
» alter, id est, Rodbertus Dux, sub vmbra carceris stemma pristini nominis, id est,
» Ducis, gerens peribit. Succedet Leo iustitiæ, quod refertur ad Henricum, ad cu-
» ius rugitum Gallicanæ turres & insulani dracones contremiscunt, quia ipse diuitiis
» & potestate transcendit omnes, qui ante illum in Anglia regnauerunt. Sic cetera sophistæ liquido discutiant. Multa possem explanando dicere, si commentarium niterer vel scirem super Merlinum edere. Sed his omissis, ad narrationis ordinem reuertar, & nostrorum casus veraciter prosequar.

1128. ANNO ab incarnatione Domini MCXXVIII. indictione VI. Germundus Patriarcha Hierusalem obiit. Stephanus autem Carnotensis post illum sanctam Syon duobus annis rexit. Quo migrante, Guillelmus Flandrensis successit. Indictione VII. Goiffredus Rotomagensis Archiepiscopus ægrotauit, & post diuturnam ægritudinem VII. Kal. Decembris hominem exiuit. Interea dum præfatus Archipræsul ægrotaret, & de salute animæ suæ sollicitus omnia quæ habebat prudenter erogaret, Matheus Cluniacensis Monachus, Albanensis Episcopus, Romanæ Ecclesiæ D
legatus, Rothomagum ad Regem Henricum venit, & cum eo de vtilitatibus Ecclesiasticis tractauit. Iussu igitur Regis Episcopi & Abbates Normanniæ asciti sunt, & in Rotomagensi Capitulo scita præsente Rege audierunt, quæ per legatum Ho-
» norij II. Papæ sic propalata sunt. Vt nullus Presbyter vxorem habeat. Qui verò
» à pellice abstinere noluerit, Ecclesiam non teneat, nec portionem in beneficiis
» Ecclesiasticis obtineat, nec aliquis fidelium Missam eius audiat. Vt vnus Presbyter
» duabus Ecclesiis non deseruiat, nec Clericus quilibet in duabus Ecclesiis præben-
» das possideat: sed in illa Ecclesia, cuius beneficiis fruitur, Deo militet, eique pro
» benefactoribus suis quotidie supplicet. Vt Monachi vel Abbates Ecclesias seu de-
» cimas de manu laicorum non recipiant, sed laici quæ vsurpauerant Episcopo red-
» dant, & ab Episcopo Monachi pro voto possessorum oblata recipiant. Ea tamen
» quæ antea quoquomodo obtinuerant, quiete per indulgentiam Papæ possideant:
» sed vlteriùs aliquid huiusmodi sine Præsulis, in cuius diocesi est, licentia vsurpare
» non præsumant.

TVNC

A TVNC Romanus legatus de transactis transgressionibus omnes absoluit, & sequenti mense, vt iam dictum est, Archiepiscopus migrauit. Ibi cum Legato fuerunt Goisfredus Carnotensis Episcopus, & Goislenus Rufus Suessionis Episcopus, & omnes Episcopi Neustriæ, Ricardus Baiocensis, Turgisus Abrincatensis, Ioannes Luxouiensis, Ricardus Constantiensis, & Ioannes Sallariensis. Abbates etiam affuerunt plures, Rogerius Fiscannensis, Guillelmus Gemmeticensis, Ragenfredus sancti Audoëni, Guarinus sancti Ebrulfi, Philippus sancti Taurini, & Alannus electus sancti Guandregili, aliíque plures, quorum fautor Rex Henricus affuit, qui nullam eis grauedinem ab Episcopis imponi permisit. HENRICVS I.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXIX. indict. VII. Philippus puer à Ludouico patre suo electus est, & in die Paschæ Remis à Rainaldo II. Remorum Archiepiscopo Rex coronatus est: sed post biennium de equo lapsus, miserabiliter conquassatus apud Parisius mortuus est. Eodem anno Henricus Rex IOFFREDO Andegauorum Comiti MATHILDEM filiam suam dedit, quos Turgisus senex Abrincarum Præsul Pontificali benedictione coniunxit. Horum nuptiis legitimè B celebratis, Fulco Comes iterum Hierusalem perrexit, & filiam Balduini Regis II. in coniugem accepit, regnúmque Hierusalē, & Principatum Antiochiæ, quæ famosissimi bellatores vix obtinuerant, facilè possedit. Diadema quoque maturus socer illi obtulit, sed illo viuente iunior ferre recusauit. Potestatem tamen per vnum annum, quo postea senior superuixit, vt gener & hæres in toto imperio tutus agitauit. In primis minùs callide quàm decuisset futura præuidit, nimísque festinus Præposituras, aliásque dignitates irrationabiliter mutauit. Primores enim, qui ab initio contra Turcos obnixè certauerunt, & cum Godefredo ac duobus Balduini* vrbes ac municipia sibi laboriosè subegerunt, nouus Princeps à sua familiaritate remouit, & suffectis Andegauensibus aduenis, aliísque rudibus, qui nuper accesserant, obaudiuit: consiliísque regni & custodiis munitionum modernos adulatores veteribus patronis repulsis præfecit. Rancor indè nimius exortus est, & in rudem officiorū immutatorem ceruicositas Magnatorum damnabiliter elata est. Studium bellandi, quod vnanimes debuissent in ethnicos exercere, spiritu nequitiæ inflati diutius in sua viscera moliti sunt agitare. Secum etiam gentiles vtriusque contra se conglomerauerunt. Vnde multa milia hominum & oppida nonnulla perdiderunt. 1129.

C ANNO ab incarnatione Domini MCXXX. Indictione VIII. Balduinus II. Rex Hierusalem XVIII. Kal. Septembris defunctus est, & Fulco Andegauensis regno iam annis VI. potitus est. Eodem anno Hugo Ambianensis Monachus Cluniacensis, Abbas Radingensis, factus est Archiepiscopus Rothomagensis. 1130.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXI. Romæ Honorius Papa mortuus est, & mox in Ecclesia Dei nimium scisma exortum est. Nam à quibusdam Gregorius Diaconus in Papam electus est, & INNOCENTIVS II. nominatus est: ab aliis verò Petrus Anacletus consecratus est. 1131.

ORDERICI
VITALIS ANGLIGENAE, COENOBII VTICENSIS MONACHI,
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ
LIBER DECIMVS-TERTIVS.

VM Occidentales peregrini contra paganos in Palæstina sæpè certarent, & Hierusalem, aliasque vrbes crebris conflictibus, & diutinis obsidionibus Christo manciparent, GOIFFREDVS Comes Moritoniæ, filius ROTRONIS Comitis, vir in multis probitatibus prædicabilis, vsque ad mortem ægrotauit: & vocatis Proceribus Partici & Corboniæ, qui suo Comitatui subiacebant, res suas solerter ordinauit. BEATRICEM nempè coniugem suam, quæ Consulis DE RVPEFORTI * filia fuit, & Optimates suos prudenter instruens rogauit, vt pacis quietem & securitatem sine fraude tenerent, suámque terram cum municipiis suis ROTRONI filio suo vnigenito, qui in Hierusalem peregrè perrexerat, fideliter cõseruarent. Deniquè strenuus heros, omnibus ritè peractis, Cluniacensis Monachus factus est, & apud Nogentũ castrum suum in Octobris medio defunctus & sepultus est. Ibi quippe pater eius in honore S. Dyonisij Areopagitæ Cœnobium cœperat, & ipse multum terris & opibus sublimauerat. In eodem mense Guillelmus de Molinis audacissimus Marchio mortuus est, in Capitulo beati Ebrulfi tumulatus est. B C

1100. ANNO ab incarnatione Domini MC. peractis rebus, pro quibus Hierusalem ierant Optimates, redierunt, & sua vt iustum erat repererunt. Tunc Rodbertus Normannorum Dux, & Rodbertus Flandrensis, atque Rotro Moritoniensis, aliique plures prosperè reuersi sunt, & affinibus meritò congratulantibus sua quique possederunt.

NON multò pòst HILDEFONSVS Arragonum Rex grauiter à Paganis impetitus est, & crebris certaminibus, multisque detrimentis nimium vexatus est. Vnde Rotroni consanguineo suo Legatos destinauit, eique humiliter mandauit, vt sibi contra Ethnicos dimicanti subueniret, & auxilia Francorum, qui multis in necessitatibus laudabiliter experti sunt, secum adduceret. Promisit etiam se daturum suffragantibus Gallis larga stipendia, & secum remorari volentibus opima prędia. Protinus Comes probissimus commilitones asciuit, cognato Regi suppetias adduxit, sine dolo & fictione adiuuit: sed integram Hiberorũ fidem non inuenit. Nam dum in multis strenuè cum sociis & comprouincialibus suis egisset, & eorum adminiculum Sarracenos admodum terruisset, & Hispani dolum in illos machinati sunt, & de morte suorum auxiliatorum consensu Regis vt opinantur tractauerunt. Quod facinus vt ab eorum complicibus detectum Gallis patuit, Rotro cum consodalibus suis Regem cum proditoribus Hiberis reliquit, & in nullo dignè pro tantis laboribus remuneratus, in Gallias remeauit. D

EODEM tempore inter ROTRONEM & RODBERTVM BELESMENSEM magna seditio exorta est, pro quibusdam calumniis, quas iidem Marchisi agebant pro suorum limitibus fundorum. Vnde atrocem guerram vicissim fecerunt, in terris suis prædas & incendia perpetrarunt, & scelera sceleribus accumulauerunt. Inerme vulgus spoliauerunt, damnis, damnorúmque metu sæpè afflixerunt, multisque calamitatibus sibi subiectos milites & pagenses contristauerunt. Veruntamen Rotro superior extitit, & Rodbertum de Belesmo victum fugauit, & plurimos de hominibus ipsius comprehendit, & in carcere coartauit. Consobrini enim erãt, & ideo de fundis antecessorum suorũ altercabant. GVARINVS DE DAM-

A FRONTE, quem dæmones suffocauerant, ROTRONIS atauus fuit; & Rodbertus de Bellismo, quem filij Gualterij Sori securibus apud Balaum in carcere vt porcum mactauerunt, Mabiliæ matris Rodberti patruus extitit. Rodbertus itaque Danfrontem & Bellismam, & omne ius parentum suorum solus possidebat, participémque diuitiarum, seu consortem potestatis habere refutabat: imò plura dolo seu vi coaceruare inexplebiliter ambiebat.

COLLIMITANEI ergo Comites GOIFREDVS & ROTROCVS hereditatis suæ portionem multotiens acriter calumniati fuerant: sed præfato tyranno, cui XXXIV. oppida erant, violenter suum ius, licèt innumera dãna fecerint, ei auferre nequiuerant. Henricus autẽ Rex Anglorum probitate Rotronis comperta, MATHILDEM filiam suam vxorẽ illi dedit, & in Anglia terras & opes ei plurimas ampliauit.

SARRACENI comperto recessu Francorum animosiores effecti, rursus aggressi regiones Christianorum, vires suas ostenderunt sæuis cædibus multorum. Porrò erubescentes Aragonij viribus hostium oppressi, Francos iterum accersierunt, eísque pro perpetrata olim contumelia satisfecerunt, & iureiurando terras & honores dãB dos denominauerunt. Comes ergo prçteritæ litis & iniuriç immemor, amici & consobrini legationem suscepit, & secum ingentem exercitum vndecúmque collectũ adduxit, & contra Paganos pugnaturus in terram eorum audacter intrauit. Porrò Hispani de tanto auxilio gaudentes, Francos alacriter susceperunt, transactósque reatus emendare volentes, in vrbibus suis Toleto & Tudela, necnon Pampelona, oppidísque suis hospitati sunt, & amplos honores ac possessiones eis tradiderunt. Illi nimirum otia vitantes, in initio æstatis in vnum congregati sunt, ethnicósque de suis finibus cruentis ictibus expulerunt, & talionem eis reddituri, terminos illorum pertransierunt. Pro illatis autem damnis & contumeliis, Deo fauente multimodam vltionem exercuerunt: & in regionibus eorum magnam vbertatem inuenientes, victus omniúmque rerum hiemem præstolati sunt.

TVNC Rotro Comes Moritoniæ cum Francis, & Episcopus Cæsaraugustanus cum Fratribus de Palmis, & GVAZSO DE BIARA cum Gasconibus, Penecadel, vbi sunt duæ turres inexpugnabiles, munierunt, & sex septimanis tenuerunt. C Tandem pugnantes contra Amorgan Regem Valentiæ per Satinam vrbem conuenerunt: sed pagani antequàm ferirentur, fugerunt. Relictis autem in munitione Penecadel LX. satellitibus, redierunt. Sed Amorauij & Andeluciani de Affrica missi à Rege Alis filio Insted eis obuiauerunt, triduóque in castro Serraliis obsederunt. Christiani verò his tribus diebus peccatorum suorum pœnitentiam egerunt, ieiunauerunt, & Deum inuocantes XVIII. Kal. Septembris pugnauerunt, & adminiculante cœlesti virtute post diurnum certamen, cùm sol occumberet, vicerunt: sed fugientes paganos, nocturna formidantes pericula, per incognita itinera diu persequi non ausi fuerunt.

PRIDIE ante generalem pugnam GVARINVS SANCIO vir in multis laudandus cum Fratribus de Palmis in montana ascendit: ibíque Christianis cum virtute Dei præliantibus, Alaminum Rex cum CLIV. milibus peditum victus aufugit. Innumeri de tantis paganorum legionibus perierunt, aut armis persequentium, aut præcipitiis, aut nimia lassitudine, vel siti, vel aliis generibus mortium. Sic Afri, qui D suppetias idololatris Hiberis venerant, interierunt, & Christicolarũ telis in Orcum demissi, cum Regibus suis gehennæ pœnas luunt. Deinde Normannorum quidam & Francorum loca sibi opportuna perquisierunt, & ibidem ad habitandum sedes elegerunt. Siluester autem de sancto Karilefo, & Rainaldus de Bailol, aliíque plures, ad natale solum repedarunt, qui patrimonia sua extranearum adquisitionibus rerum præposuerunt.

TVNC Normannus eques Rodbertus de Culeio cognomento Burdet in Hispania commorari decreuit, atque ad quandam vrbem, quæ Terragona in antiquis codicibus nuncupatur, secessit. Ibi passi leguntur tempore Galieni Imperatoris sancti martyres Christi Fructuosus Episcopus, & Augulus, & Eulogius Diaconi, qui primò in carcerem trusi, deinde flãmis iniecti, exustis vinculis, manib. in modũ crucis expansis, orantes vt vrerentur, obtinuerunt. Aurelius Clemens Prudentius de ipsis in Libro de Martyribus metricũ Carmen composuit, ipsorúmq; certamẽ luculentis versibus enodauit. Terraconæ metropolitana sedes erat, & Odelricus erudi-

HENRICVS I. tissimus senex Archiepiscopus florebat, & in vicis burgisque diocesis suæ officium A sibi iniunctum exercebat. In Episcopali quippe Basilica quercus & fagi, aliæque proceræ arbores iam creuerant, spaciúmque interius intra muros vrbis à priscis temporibus occupauerant: habitatoribus per immanitatem Saracenorum peremptis, seu fugatis, qui eandem dudum incoluerant. Denique Rodbertus instinctu Præsulis Honorium Papam adiit, velle suum ei denudauit, Terraconensem Comitatum ab omni exactione seculari liberum dono Papæ recepit: & reuersus, validis sodalibus quæsitis, sibique adiunctis, vsque hodie custodit, ethnicisque resistit. Interim dum pergeret Romam, itémque pro colligendis contubernalibus rediisset in Normanniam, Sibylla vxor eius, filia Guillelmi Capræ, seruauit Terraconam. Hæc non minus probitate quàm pulchritudine vigebat. Nam absente marito peruigil excubabat, singulis noctibus loricam vt miles induebat, virgam manu gestans murum ascendebat, vrbem circumibat, vigiles excitabat, cunctos vt hostium insidias cautè præcauerent prudenter admonebat. Laudabilis est iuuenis hera, quæ marito sic famulabatur fide, & dilectione sedula, populúmque Dei piè regebat peruigili sollertia. B

1125. ANNO ab incarnatione Domini MCXXV. postquàm Rotro Comes cum suis satellitibus & auxiliariis in Galliam remeauit, Arragonensis Rex visis insignibus gestis, quæ Franci sine illo super Paganos in Hispania fecerant, inuidit: laudisque cupidus ingentem suæ gentis exercitum arroganter adunauit. Remotas quoque regiones vsque ad Cordubam peragrauit, & in illis sex hebdomadibus cum exercitu deguit, ingentíque terrore indigenas, qui Francos cum Hiberis adesse putabant, perculit. Sarraceni autem in munitionibus suis delitescebant, sed per agros armentorum pecorúmque greges passim dimittebant. Nullus de castellis in Christianos exierat, sed Christiana cohors ad libitum omnia extra munimenta diripiebat, & depopulatione graui Prouincias affligebat.

» TVNC Muceranij ferè decem milia congregati sunt, ac Regem Hildefonsum » humiliter adierunt. Nos, inquiunt, & patres nostri hactenus inter gentiles edu» cati sumus, & baptizati Christianam legem libenter tenemus: sed perfectum diuæ C » Religionis dogma numquam ediscere potuimus. Nam neque nos pro subiectione » infidelium, à quibus iamdiu oppressi sumus, Romanos seu Gallos expetere docto» res ausi fuimus: neque ipsi ad nos venerunt propter barbariem paganorum, quibus » olim paruimus. Nunc autem aduentu vestro admodum gaudemus, & natali so» lo relicto vobiscum migrare cum vxoribus & rebus nostris optamus. Muceranus itaque Rex quod petebant annuit. Magna igitur eorum multitudo de finibus suis exiuit, & pro sacræ legis amore, ingenti penuria & labore afflicta exulauit.

ARRAGONES enim vt remeauerunt, totam regionem bonis omnibus spoliatam inuenerunt, nimiáque penuria & fame antequàm proprios lares contigissent, vehementer aporiati sunt. Porrò Cordubenses, aliíque Sarracenorum populi valde irati sunt, vt Muceranios cum familiis & rebus suis discessisse viderunt. Quapropter communi decreto contra residuos insurrexerunt, rebus omnibus eos crudeliter expoliauerunt, verberibus & vinculis multisque iniuriis grauiter vexauerunt. Multos eorũ horrendis suppliciis interemerunt, & omnes alios in Africam vltra fre- D tum athlanticum relegauerunt, exilióque truci pro Christianorum odio, quibus magna pars eorum comitata fuerat, condemnauerunt.

HILDEFONSVS autem Rex vt in regnum suum regressus est, magnis & multis tam publicis quàm domesticis seditionibus perturbatus est. VRACA enim vxor eius, quæ filia HILDEFONSI senioris Galliciæ Regis fuerat, consilio & instinctu Galiciensiũ contra maritum suum rebellauerat, eíque perniciem tam veneno quàm armis machinata, multis causa perditionis fuerat. Denique Galicij tam graue dissidium inter virum & coniugẽ eius vt viderũt, nec pacem eis idoneam adhibere suadendo potuerunt, PETRVM-HILDEFONSVM RAIMVNDI Francigenæ Comitis filium ex filia HILDEFONSI MAGNI Regẽ sibi statuerunt, & huc vsque paruũ Regem vocitantes libertatem regni sub eo viriliter defendunt. In præfatos Reges acris guerra diu durauit, & multa subiectis plebibus dãna intulit. Præfata verò mulier in maritum omnimodis sæuit, & nepoti, qui paternam hereditatẽ regebat, fauit.

A Tandem diuino nutu, sicut Egla vxor Dauid, post diutinam cædem difficultate partus periit. Qua defuncta, bellicosos Reges serena pax in amicitiam copulauit, & vnanimes feruor præliandi contra Ethnicos armauit. HENRICVS I.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXIII. indictione XI. HILDEFONSVS Arragonum Rex exercitum contra paganos aggregauit, & munitissimum ditissimúmque castellum Meschinaz obsedit, & oppidanis turgentibus, qui diuitiis & ciborum abundantiâ, inaccessibilíque vt rebantur firmitate gloriabantur; præcepit vt sese indemnes dederent, & in pace omnibus secum rebus suis sublatis recederent. At illi acriter restiterunt, & minas eius ac promissa paruipenderunt. Strenuus autem Rex per tres septimanas fortiter illos coartauit, & exteriorem munitionis partem violenter obtinuit. Castellani ergo perterriti interius munimentum Regi obtulerunt: ac vt liberos cum suis omnibus eos exire permitteret, rogauerunt. Quibus iratus Rex respondit: Hoc quod nunc poscitis à primordio sponte obtuli vobis. Sed vos Christi virtutem, & Christianorum fidem, probitatémque flocci- B pendentes respuistis. Nunc igitur per caput meum vobis assero, quòd hinc nō egrediemini, nisi cum vitæ vestræ detrimento. Deinde suis iussit, vt præparatas machinas erigerent, & validos assultus in oppidum darent. Quo facto, castellum ceperunt, & cunctis gentilibus capita detruncauerunt, magnúmque terrorem vicinis sic intulerunt. 1133.

VICTOR itaque Rex indè in ciuitatem Fragam exercitum duxit, & annua ipsam obsidione circumuallauit. Ciues ergo legatos in Africam statim miserunt, & Alis Regi Africæ vt illis succurreret mandauerunt. At ille Amorauiorum decem milia trans fretum eis destinauit. Qui in Hispaniam venientes per IV. Proceres Regi mandauêre, vt festinaret de obsidione vrbis recedere. Protinus Rex sanctas sibi de Capella sua reliquias deferri præcepit, quibus allatis coram omnibus iurauit, quòd obsidionem non dimitteret, nisi ciuitas sibi redderetur, aut ipse letho præpediretur, aut fugaretur. Hoc etiam XX. Optimatibus suis iurare præcepit.

LEGATI autem redeuntes hoc Amorauiis renunciauerunt, & illi mox aggregatis omnibus contubernalibus suis ad bellum conuenerunt. Deinde fortiter instru- C cta gentiliū acies exercitui Regis occurrit, acritérque præliari cœpit. Denique Rex, vt perualidum sibi certamen imminêre prospexit, veredarios suos celeriter direxit, & omnes amicos atque confines, vt sibi suffragarentur, exorauit. Ipse verò cum suis agminibus pedem ad vicinum montem callidè retraxit. Ibíque tribus continuis diebus ac noctibus in obstantes Amorauios dimicauit. Rodbertus autem cognomento Burded Comes Terraconæ, aliíque fideles, auditis rumoribus de Regis impugnatione, velociter armati laxatis habenis aduolarunt, in nomine IESV altè vociferati sunt, repentino impetu lassatos gentiles percusserunt, prostrauerunt, victósque fugauerunt. Multos quippe ceperunt, plures verò necauerunt, & victoria peractâ spoliis inimicorum admodum ditati sunt, victoríque Deo læti gratias egerunt.

VERVM, quia in hoc labenti seculo nulla mortalium potentia longa est, aduersitas prosperitatem disponēte iusto rectore Deo velociter prosecuta est. Ciues enim Fragæ vrbis, quam Rex obsidebat, ad quam omnium pessimorum ex Ethnicis seu falsis Christianis refugium erat, metuentes tam magnanimi Principis iras, insuperabilésque conatus, & Christianorum Christi cruce signatos, & inuicta virtute corroboratos exercitu, spacem ab eo petierunt, & subiectionē ei secundum consideratas D conditiones spoponderūt. Ille verò concordiam eorum obstinata mente refutauit, & annuū vectigal ab eis recipere spreuit, seséq; illos obsidione obtenturum fore minitatus, iureiurādo cōfirmauit. Quod audiētes Sarraceni, dira desperatione acriores extiterunt, ad Halin Regem Africæ denuò legatos miserunt, & ab aliis Regibus Principibúsque gentium in tanto discrimine sibi subsidiū sūmoperè procurauerūt.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXIV. indictione XII. Rodbertus II. Dux Normannorum XXVIII. anno, ex quo apud Tenerchebraicum captus est, & in carcere fratris sui detentus est, mense Februario Carduili Britanniæ obiit, & in Cœnobio Monachorum S. Petri Apostoli Gloucestræ tumulatus quiescit. Tunc Bucharhalis filius Regis Maroch plures vndique bellatorū copias collegit, & in Hispanias contra Christianos pugnare venit. Alammion autem Cordubensis, & Alcharias de Dalmaria, aliíque Optimates Libyæ & Hiberiæ cum multis milibus ei adiuncti 1134.

HENRICVS I. 1134. sunt, cœtúsque suos ad pugnam insidiosè instruxerunt. Hi simul conglomerati A Fragæ auxiliati sunt, & quinquepertitas acies illuc perduxerunt. Prima nimirum acies ducebat ducentos camelos victualibus & multis speciebus necessariis onustos, quibus releuare nitebantur obsessos, & mendicos Christicolas ad irruptionem illicere contra primas cohortes prædæ cupidos. Aliæ verò phalanges procul diuisæ in insidiis latebant, ac vt fugientum persecutores exciperent cautè manebant.

AD Fragam duo flumina currunt, ab Ilerde Segra, & Ebura à Cæsaraugusta in Campo-dolenti. Inter hæc flumina pugnatum est in mense Iulio, vbi multum sanguinis effusum est. Hildefonsus Rex, vt nimiam multitudinem ethnicorum contra se venire audiuit, Principes Christiani exercitus conuocauit, ac ad bellum magnificè concitauit. Bertrandus enim Laudunensis, Comes Quadrionæ, & Rodericus Asturiæ, Haimarus de Narbona, & CENTVLFVS GASTONIS filius DE BIARA, Garsio Adramis, aliique plures bellicosi Proceres in Campo-dolenti certauerunt. Hildefonsus Rex vt primam aciem, quæ camelos victualibus onustos ducebat, perspexit, Bertranno Comiti, vt cum eis primò dimicaret præcepit. Cui " Bertrannus dixit: Domine Rex, primos transire dimittamus, vt illis ad vrbem ap- B " propiantibus nos optimè parati simus, & illos si onusti prædis remeauerint ferire, & " cautè contra insidias inimicorum agmina nostra tutare. Interea sequentes socios " eorum expectemus, & prompti bello excipiamus. Tunc iratus Rex cum exclama- " tione dixit: Vbi est magnanimitas tua, strenue Comes? Huc vsque timiditatem numquam in te reperi. His dictis, Consul animosus erubuit, & in ethnicos cum suis cœtibus acriter irruit. Illi protinus terga verterunt, ac ad innumerabiles quæ sequebantur cateruas refugere moliti sunt. Tunc innumeræ phalanges in Christianos surrexerunt, & Bertrannum ac Haimarum, Rodericum, & Centulfum cum multis milibus occiderunt. Rex autem cum residuis in quodam colle diutiùs dimicauit, nimiáque hostium multitudine conclusus, suos penè omnes amisit: ibíque ad mortem vsque pro Christo confligere proposuit. Pontifex autem Vrgelensis Regi vt recederet iussit: sed ille pro ruina suorum nimis mœstus noluit. Cui " Episcopus, Ex auctoritate, inquit, Dei omnipotentis tibi præcipio, vt confestim " recedas de hoc campo, ne te cadente tota paganis subdatur Christianorum regio, C " & cunctis in hac Prouincia consistentibus Christianis incumbat publica interfe- " ctio. Denique Pontificali iussione constrictus obedire voluit, sed innumeris milibus paganorum ambitus difficilem exitum vndíque circumspexit. Attamen ense feroci cum LX. militibus, qui residui cum illo laborabant, per tenuiorem hostium cratem sibi callem aperuit, & cum summa difficultate cum X. commilitonibus euasit, præsulémque prædictum cum quinquaginta pugnatoribus peremptum reliquit. Tali euentu gentiles elati sunt, & Christiani vehementer contristati sunt. Rex cum magno mœrore ad amicos vt remeauit, Cæsaraugustanis & Francis occurrit, aliísque fidelibus, qui ad bellum properabant, sed infortunio tristi audito vehementer fracti lugebant. Videntes verò Regem, confortare se conati sunt, seséque ad imperium eius sponte obtulerunt. Ille autem irâ feruens, & dolore pallens, vnam saltem à Domino, antequam moreretur, de Paganis vltionem cum ingenti desiderio præstolabatur. Obuias itaque Christianorum phalanges per deuios anfractus ad maritima perduxit, ibíque multitudinem Sarracenorum opimam captiuis & spoliis Christianorum onerantem naues inuenit, subitóque super eos, qui nil D huiusmodi tunc suspicabantur, irruit, & de illis nimia cæde peracta iræ furenti aliquantulum satisfecit. Ibi nauis capitibus Christianorum onusta erat, quæ Rex Buchar patri suo Regi Africæ pro testimonio victoriæ suæ mittebat. Captiuos quoque circiter septingentos, & insignes manubias vanæ laudis amator destinabat.

HILDEFONSVS autem Rex, vt suprà dictum est, Dei nutu repentè superuenit, factáque hostili strage, cæsorum capita sociorum rapuit, & Ecclesiæ Dei honorificè sepelienda reddidit. Captiui verò, qui iam in nauibus vincti iacebant, strepitum audientes oculos leuauerunt, & videntes quod optare non audebant, vehementer exhilarati sunt. Viribus quoque resumptis alacriter animati sunt, & Christianis in littore cum Sarracenis pugnatibus vincula vicissim absoluerunt, ac ad subsidium suorum de puppibus prosilierunt, sumptísque iugulatorum armis, Ethnicos adhuc superstites mortificare moliti sunt. Sic tripudio paganorum versa vice luctus

A succeslit, & Christiana cohors in cunctis operibus suis Deum benedixit. HENRICVS I. 1134.

HILDEFONSVS fortis Rex laboribus & ærumnis fractus paulò pòst ægrotauit, & in lecto decumbens, post octo dies animam exhalauit. Quo defuncto, quia filium non habuit, turbatio de successore subiectos inter bellicos strepitus aliquandiu detinuit. Denique Arragones Remigium sacerdotem & Monachum, quia frater Regis erat, elegerunt, & Regem sibi constituerunt. Nauares autem GARSIONEM Satrapam sibi Regem præposuerunt.

ROMANA Ecclesia sub duobus Principibus, qui de Papatu contendebant, à transitu Honorij Papæ turbata, ingens tribulationum, & dissensionum per orbem exuberauit copia. Nam in plerisque Cœnobiis duo Abbates surrexerunt, & in Episcopiis duo Præsules de Pontificatu certauerunt, quorum vnus adhærebat Petro Anacleto, alter verò fauebat Gregorio Innocentio. In huiuscemodi scismate anathema formidandum est, quod difficulter à quibusdam præcaueri potest, dum vnus alium summopere impugnet, contrariúmque sibi cum fautoribus suis feraliter anathematizet. Sic nimirum quisque ad id quod agere appetit, sed impossibilitate præpeditus ad effectum perducere nequit, sua saltem imprecatione Deum contra æmulum suum expetit. Petrus potentatu fratrum parentúmque suorum vrbem obtinuit, & ROGERIVM Ducem Apuliæ Regem Siciliæ consecrauit, cuius ope penè totam Italiam sibi associauit. Gregorius autem cum Quirinali Clero Gallias expetiit, primóque ab Arelatensibus susceptus, legatos indè Francis direxit. Porrò Cluniacenses, vt eius aduentum cognouerunt, LX. equos seu mulos cum omni apparatu congruo Papæ & Cardinalibus Clericis destinauerunt, & vsque ad suam Basilicam fauorabiliter conduxerunt. Tunc ibidem XI. diebus Papam cum suis detinuerunt, Ecclesiámque nouam in honore sancti Petri Apostolorum Principis ab eodem cum ingenti tripudio populíque frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud Occiduos promeruit, quòd à Cluniacensibus Petro præpositus fuerit. Ab eisdem quippe Petrus in pueritia enutritus coaluit, & eorum habitu ac professione Monachus extitit. Gregorius itaque à Cluniacis, quorum auctoritas inter nostrates Monachos maximè præcellit, amicabiliter vt Pater Patrum susceptus Pontificali stemmate in Galliis enituit, & deinceps ab Occiduis Principibus & Episcopis susceptus in breui magnas vires impetrauit. Nam apud Carnotum Henricus Rex Anglorum ad pedes eius humiliter corruit, illíque reuerentiam Papæ debitam Idus Ianuarij sponte exhibuit, & multa donaria Romanis Clericis regali munificentiâ contulit: ibíque in domo HELISENDIS Vicedominæ hospitatus, Francis & Romanis gaudentibus triduò permansit.

DEINDE præfatus Papa toto illo anno Franciam peragrauit, & immensam grauedinem Ecclesiis Galliarum ingessit: vtpote qui Romanos officiales cum multis clientibus secum habuit, & de redditibus Apostolicæ Sedis in Italia nihil adipisci potuit. Cum Lothario Imperatore locutus est, & ab eo cum suis vt magister venerabilis habitus est. Concilium Remis mense Octobri habēdum constituit, ad quod omnes Episcopos & Abbates totius Occidentis accersiit. Interea Philippus puer, quem ante biennium Ludouicus Rex in Regem consecrari fecerat, quíque pro simplicium nectare morum omnibus, qui cognouerant eum, placuerat, dum quendam armigerum per vicos Lutetiorum ludens persequeretur, de equo corruit, & membris horribiliter fractis in crastinum obiit. Sic sine confessione & viatico coram patre & matre III. Idus Octobris mortuus est, & cum magno luctu inter Reges Francorum tumulatus est. Sequenti Dominico, Papa Suessionis Basilicam sancti Medardi Episcopi dedicauit, & indè Remis ad Concilium properauit. Ibíque sublimium multiplices causas personarum discutiens, ferè XV. diebus permansit. Illic affuerunt XIII. Archiepiscopi, & CCLXIII. Episcopi, & Abbatum ac Monachorum & Clericorum magna multitudo. Illuc Rex & Regina, & tota nobilitas Franciæ confluxerunt, & per Rainaldum Remorum Archiepiscopum ad totam Synodum suam petitionem fecerunt, puerum scilicet LVDOVICVM pro Philippo patre suo Regem consecrari postulauerunt. Innocentius igitur Papa VIII. Kal. Nouembris filium Regis Regem consecrauit. Quæ consecratio quibusdam Francis vtriusque Ordinis displicuit. Quidam enim laicorum post mortem Principis spem augendi honoris habebant. Quidam verò Clericorum ius eligendi & constituendi

HENRICVS I. Principem regni captabant. His itaque pro causis nonnulli de ordinatione pueri A mussitabant, quam proculdubio impedire si potuissent summoperè flagitabant.

LVDOVICVS autem Rex vt noui ritus insolitos conatus in regno suo scaturire comperiit, iratus in quosdam, qui progeniem eius à regni fastigio alienare moliti sunt, lethiferam vltionem exercere concupiuit. Vnde maliuola quorumdam temeritas securior ad nefas cucurrit, & quibusdam horribili exicio, proh dolor! extitit, aliisque amore Dei proximique feruentibus mœrorem inuexit. Nam postquàm Ioannes senex Aurelianensis Episcopus Episcopatum deseruit, Hugo Decanus, qui ad Pontificatum electus fuerat, de Curia Regis rediit, & à temerariis hominibus in via percussus obiit, & Episcopatus sine Præsule, sicut nauis sine gubernatore in mari, diu fluctuauit. Tunc etiam Thomas sancti Victoris Canonicus, vir magnæ auctoritatis interemptus est, cuius interfectionem Stephanus Parisiensis Episcopus adstans cum ingenti mœrore contemplatus est. Robur enim insanientium præualuit lictorum, qui non reueriti sunt Creatorem omnium, nec pro illo Episcopum vt eius fidelem famulum. B

1132. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXII. Indictione X. Innocentius Papa postquam à Gallis, in quibus obedientiam & ingentem amicitiam repererat, recessit, Italiam expetiit: sed à Romanis repudiatus Picenum opulentam prouinciam secessit: illic per plures annos Apostolicam dignitatem exercuit, & indè per orbem Decretalia scita destinauit. Tunc rigor sanctæ conuersationis in Ecclesiasticis viris admodum creuit, & Canonicalis Ordo in Francia & Anglia multipliciter adamatus inualuit. Feruor quoque Abbatum metas antecessorum suorum transcendere præsumpsit, & priscis institutionibus grauiora superadiecit, satisque dura imbecilibus humeris onera imposuit.

PETRVS Cluniacensis Abbas veredarios & Epistolas per omnes Cellas suas tunc direxit, & omnes Cellarum Priores de Anglia & Italia, regnisque aliis accersiit, iubens vt Dominico Quadragesimæ tertio Cluniaci adessent, vt præcepta Monasticæ conuersationis austeriora quàm hactenus tenuerant audirent. Illi nimirum Archimandritæ sui iussis obsecundauerunt, ac ad statutum terminum CC. Priores Cluniacum conuenerunt. In illa die MCC. & XII. fratres ibi adfuerunt, Ecclesiastico ritu canentes processerunt, & cum iocunditate cordis oculos leuantes ad C Deum deuotè ipsum collaudauerunt. Hæc iccirco securus edo, quia gaudens interfui, & tam gloriosum agmen in CHRISTI IESV nomine congregatum vidi; atque cum eis de Basilica sancti Petri Apostolorum Principis Dominico processi, & per claustrum in ædem Viginis matris ingressus oraui.

TVNC Radulfus Autisiodorensis Episcopus, & Abbates, Albericus Vizeliensis, ac Adelardus Melundensis, eiusdem Cœnobij Monachi, cœtum auxerunt, & conatus Petri Abbatis præsentiâ & exhortatione sua confirmauerunt. Ille verò subiectis auxit ieiunia, abstulit colloquia, & infirmi corporis quædam subsidia, quæ illis moderata Patrum hactenus permiserat reuerendorum clementia. Fratres autem assueti magistro semper obedire, contra religiosum morem nolentes ei resistere, aspera quidem imperia susceperunt, rationabiliter tamen ostenderunt, quòd venerabilis HVGO, & illius antecessores MAIOLVS & ODILO artam vitæ viam tenuerunt, & per eandem Cluniacenses discipulos ad Christum perducere moliti sunt. Idem quoque cum reuerentia & humilitate probabiliter asseruerunt, sufficere debere per vestigia eorum in via mandatorum Dei dilatato corde currere, quorum D sanctitas palam declarata est miraculorum claro specimine. Austerus autem præceptor Salomonis oblitus præcepti, *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui*, Cistercienses, aliósque nouorum sectatores æmulatus, rudibus ausis institit, & ab incœptis desistere ad præsens erubuit. Postmodum tamen emollitus, subditorum arbitrio consensit: memórque discretionis, quæ virtutum mater est, inualidisque compatiens subuenit, perplura de grauibus institutis quæ proposuerat intermisit.

1133. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXIII. Lotharius Imperator ab Episcopis, aliisque fidelibus, ob amorem Dei rogatus Romam obsedit; & pacificare populum Dei, qui post Gregorium seu Petrum dissidentes errabant, fategit. Mandauit enim Petro vt alij cederet, aut iudicium de ordinatione sua subiret. At ille gra-

A tanter mandatum suscepit,& ad examen iustorum se venturum coram ipso Cæsare adquieuit. Deinde Augustus Innocentio similia mandauit,sed ille, nisi omnia, quæ ad Præsulatum pertinent,ei liberè redderentur, ad placitum venire recusauit. Imperator autem vt hæc audiuit,contra Gregorium indignatus, Petro quæque possidebat dimisit,& negocio imperfecto post hebdomadas VII. recessit. Eodem anno Ricardus Bajocasinę vrbis Episcopus in hebdomada Paschæ obiit,cui post duos annos Ricardus Rodberti Comitis de Gloucestria filij Regis filius successit: quem iubente Innocentio Papa Hugo Rothomagensis Archiepiscopus consecrauit. Tunc etiam Ricardus de Bellafago Regis honorabilis Capellanus Abrincatensem Præsulatum suscepit, quem supradictus Metropolitanus consecrauit. HENRICVS I. 1133.

CIRCA hæc tempora turbatio ingens facta est in Apulia,ad cuius originem elucidandam repetitio priscæ propaginis & euentus hominum est necessaria. Postquàm ROGERIVS senex Siciliæ Comes Tancredi de Alta-villa filius obiit, vxor eius ADELES cum paruulo filio regere se non posse magnas possessiones perspe-B xit,& anxia quid agendum foret tam secum quàm cum familiaribus suis sollerter indagauit. Ingentes enim prouincias præfatus Consul & XI. fratres eius bellica virtute obtinuerant,& barbaros sub potenti manu excelsi Dei fortiter in Apulia & Sicilia subegerant. Tandem pręfata mulier RODBERTVM RODBERTI Ducis Burgundiæ filium in amicitiam copulauit,eique filiam suam coniugem cum toto Sicaniæ Principatu tradidit. Rodbertus quippe huius pater Rodberti Francorum Regis & Constantiæ Reginæ filius fuit,cuius nobilitas de sanguine Regum & Augustorum processit, & in multis regionibus claris operibus & mirandis virtutibus admodum effulsit. Ipse nimirum est,quem potentissima mater post obitum genitoris toti Galliæ præficere voluit,& HENRICO,qui primogenitus erat,vt in superioribus parumper tetigi,præferre omnimodis studuit. Denique iustitia Henricum iure in solium regni sublimante,Rodbertus Ducatum Burgundiæ diu tenuit, & tres filios Henricum,& Rodbertum,atque Simonem genuit. Porro HENRICVS pri-C mogenitus eius ipso iubente vxorem duxit, ex qua filios tres, Hugonem,& Odonem,atque Rodbertum Lingonensem Episcopum genuit, & superstite patre hominem decessit. Quo defuncto,pater longo postmodum tempore vixit, & filios suos nepotibus suis grandæuus præposuit, suúmque Ducatum illis annuit, & Proceribus cunctis,vt soboli suæ prorsus adhærerent præcepit. Quòd audiens Hugo puer siluit,& opportunum tempus patienter expectauit. Spem tamen in domino fixam habebat,& priuatim coessentibus sibi dicebat: "Iustus Dominus, qui patrem meum mundo surripuit, prolem eius hereditate debita non priuabit." Porro adueniente Ducis occasu,officiales cunctos atque Barones accersiit, & mansionariis aulæ principalis,vt Regiam sibi & Optimatibus suis festinè ornarent, imperiosè mandauit. Illi verò,vnde tyroni tantæ iussionis audacia inesset, mirati sunt, & continuò perterriti iussis obtemperauerunt,& splendidum apud Diuionem nouo Duci apparatum accelerauerunt. Animosus itaque iuuenis sine bello & effusione sanguinis auitum honorem obtinuit,& exulantibus patruis Rodberto & Simone, paternam hereditatem tribus annis insigniter tenuit. Iustitiâ insignis mitibus & iustis placuit. Irreligiosis autem & exlegibus terribilis vt fulgur incubuit. Completis tribus annis, D ODONI fratri suo sponte Ducatum dimisit,& ipse pro cælesti amore seculum reliquit,Monachúsque Cluniaci factus, XV. annis Deo gloriosè militauit. ODO autem frater eius Ducatum Burgundiæ diu possedit, & ex filia GVILLELMI TESTARDIE HVGONEM Ducem genuit,& HELAM,quæ prius BERTRANNO TOLOSANO Comiti PONCIVM Tripolitanum Comitem peperit, ac postea GVILLELMO TALAVACIO Guidonem Pontiui Comitem,aliámque sobolem copiosam vtriusque sexus edidit.

RODBERTVS autem Burgundio, vt prædictum est, filiam ROGERII Normanni coniugem habuit,& Principatum contra cunctos per X. annos strenuè defensauit. Interea socrus eius ROGERVM puerum educauit,atque vbi eundem ad arma gerenda,& ius patris regendum,tyronem idoneum agnouit, egregium Francigenam,probúmque militem generum suum venenosa potione,proh dolor! infecit. Extincto itaque feminea fraude nobili Marchiso,Rogerius successit,& pluribus annis in magna prosperitate viguit. Multis tamen facinoribus pollutus, magnis expiari,vt reor,tormentis meruit.

HENRICVS I. 1133. CALLIDA mater eius, quæ filia Bonefacij Liguris fuerat, à morte mariti sui pecuniis vndecumque collectis, ingentem thesaurum sibi congesserat. Quod audiens Balduinus prior Hierosolymę Rex, opes concupiuit, ipsúmque, vt coniugali ritu sibi copularetur, per illustres procos requisiuit. Illa verò fastus & honoris insatiabiliter auida, nobilibus paranymphis adquieuit, & multitudine stipata clientum, cum ingenti ærario Hierusalem properauit. Rex autem Balduinus opimas quidem opes gratanter recepit, & stipendiariis, qui pro nomine Christi contra paganos laboriosè dimicabant, dispersit: mulierem verò vetustate rugosam, & pluribus criminum næuis infamem repudiauit. Anus itaque culpis promerentibus confusa Sicanios repetiit, & inter eos cunctis deinde contemptibilis consenuit. A

ROGERIVS Siciliæ Princeps admodum confortatus est, & super omnes antecessores parentelæ ipsius diuitiis & honoribus locupletatus est. Post obitum GVILLELMI Ducis, vt suprà dictum est, Ducatum Apuliæ nolentibus colonis adeptus est. Deinde omnes qui ei resistere nisi sunt, impugnauit, & magnis viribus crudeliter oppressit, nec vlli pepercit, sed cognatos & extraneos pariter prostrauit, & spoliatos opibus cum dedecore conculcauit. B

TANCREDVS DE CONVERSANA Matellæ à Rogerio Siculo fortiter obsessus est, & indè fugiens in oppidum, quod Mons-petrosus dictum est, à proteruo persecutore ibi captus est. GOIFFREDVS etiam DE ANDRA cum vxore ab eodem in rupe captus est, in castello, quod secus Potentiam vrbem situm est. Rogerius autem oppidum subiugauit, ibíque thesaurum, in quo erant XV. minæ auri vel argenti, cepit. Grimaldum quoque de Baro Langobardum, liberalem & strenuum virum comprehendit, & ablatis rebus ac munitionibus vehementer humiliauit. RICARDVM etiam Principem Capuæ consobrinum suum exheredauit, & iniusta vi exulare coëgit. Sic vehementi violentia proximos & longinquos pessumdedit, & multum cruoris effundens, multásque lacrymas crudeliter eliciens admodum creuit, ac primus de Tancredina progenie Regalem thronum conscendit, & sceptrum ac diadema, aliáque Regis insignia gessit. Filiam Petri Leonis, sororem Anacleti Pontificis vxorem duxit, & ab eodem coronatus, regium stemma nunc gerit. C

1134. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXIV. indictione XII. multa grauia in mundo contigerunt, quibus quidam exigentibus culpis plexi sunt, alij verò terribilia & insolita videntes, terrore pallentes contremuerunt. Nam in natale Innocentum nix copiosa cecidit, totámque superficiem terræ cooperuit, & domorum aditus mole sua sic oppilauit, vt sequenti die vix egredi de tectis homines aut iumenta possent, vel aliquo modo procurare quæ sibi competerent. Multi fideles Ecclesiam ipsa celebritate non introierunt, nec ipsi Sacerdotes in plerísque locis opposita sibi nimis congerie limina Basilicę nequaquam calcauerunt. Post VI. dies, zephyro flante nix eliquata est, & immensa inundatio aquarum repentè facta est. Flumina indè nimis creuerunt, alueorúmque suorum limites transgressi sunt, & ingentia damna seu incommoda mortalibus intulerunt. In vicis & vrbibus contiguis tecta repleuerunt, hominésque de suis habitaculis fugauerunt. Enormes fœni aceruos è pratis sustulerunt, & tonnas falerni plenas, aliáque vasa repostoria, cum multis speciebus & preciosis opibus, de suis locis transtulerunt. Plures igitur pro suo damno lamentati sunt, & alij econtra pro insperato emolumento lætati sunt. D

*f. torruit MENSE Iunio vehemens æstus per XV. dies mundum terruit *, & terrigenas ad omnipotentis Domini clementiam per ieiunium & orationes suppliciter confugere, ne velut Pentapolei flammis combusti perirent, compulit. Fontes siquidem & stagna Titaneus ardor, qui tunc per geminos discurrebat, exsiccauit, & importuna sitis greges animantum grauiter exacerbauit. Tunc quodam sabbato multi æstuantes aquæ refrigerium petierunt, & multi diuersis in locis vnà penè hora in vndis suffocati sunt. In nostro quippe vicinio, vndè rumores ad nos facilè peruolarunt, XXXVII. in stagnis seu fluminibus homines lymphis intercepti sunt. Diuinum examen, quo cuncta fiunt, discutere nescio, latentes rerum causas propalare nequeo: sed rogatus à sociis annualem historiam simpliciter recito. Inscrutabilia quis perscrutari potest? Rerum euentus vt vidi, vel posteris benigniter denoto, & omnipotentem Deum in cunctis operibus suis, que verè iusta sunt, glorifico. Consideret quisque, prout sibi diuinitus inspiratum fuerit, & vtile sibi si quid æstimauerit, salubriter decerpat prout voluerit.

A MENSE Augusto, in vigilia sancti Laurentij Martyris post Nonam turbo vehemens exortus est, quem terribilis tonitrus cum nimia pluuiæ inundatione circa vesperũ secutus est. Tunc fulmina cum ingenti mugitu ceciderunt, & plures feminas in diuersis locis interemerũt. Nullũ verò marē animaduersione illa interisse audiui, sed femineus tantum sexus in hominibus & brutis animalibus pertulit pondus imminentis flagelli. In villa, quæ Planchis dicitur in confinio Luxouiensis Episcopatus & Sagiensis, Guillelmus Blanchardus quidam iuuenis de vicino agro redam ducebat, in qua soror eius cum manipulis auenæ consistebat. Cúmque adolescens imbres nimium perstrepentes formidaret, atque matris ad tugurium, quod proximum erat, summoperè festinaret, fulmen super clunes equæ, quæ plaustrum trahebat, protinus cecidit, & ipsam equam & vagantem pullam eius quæ sequebatur, & iuuenculam quæ in vehiculo erat, simul exanimauit. Iuuenis autem, qui in sella sedebat, & iumentum freno regebat, nimio quidem præ timore corruit, sed miserante Deo sospes euasit. Inundatio pluuiæ maxima erupit, veruntamen bigam & garbas incendium consumpsit: quarum fauillas, & extinctæ cadauer in feretro in B crastinum vidi, quia Merulæ consistens illuc perrexi, vt diuinam posteris relaturus percussionem indubitanter scirem rei certitudinem.

HENRICVS I. 1134.

IN villa, quæ Guaspreia dicitur, messores, dum viderent nubes tetra offuscari obscuritate, cuidam, quæ fortè in campo spicas colligebat, dixerunt puellulæ: Curre, filia, celeriter, & pallia nostra seu tunicas contra imbres nobis defer. Quæ libenter iussa suscepit, & statim ire cœpit: sed in primo, vt opinor, passu fulmen cecidit, & ipsam feriens in momento exanimauit. Multa quoque similia eadem hora contigere, quæ postmodum edidici, veracium relatione, sed nequeo singillatim omnia literis assignare. In prima Septembris septimana Dominus Deus noster multa per ignem peccata puniit, & peccatorum penates cum gazis iniustè diu congregatis combussit. Cenomannis enim & Carnotum, antiquæ & opulentæ vrbes consumptæ sunt. Alencion quoque, & Nogentum in Pertica, Vernoliúmque, & alia oppida, villæque plures flamma iræ Dei discurrente per orbem perierunt. Tunc Cenomannis Episcopalis Basilica, quæ pulcherrima erat, concremata est, & feretrum sancti cum corpore Pontificis & Cõfessoris Iuliani difficulter in Monasterium sancti Martyris Vincentij translatum est. Ossa quoque sanctæ Scolasticæ virginis cum multis aliis reliquiis incensa sunt, & post incendiũ cineres in lo-C cis suis à religiosis perscrutatoribus inuenti sunt. Carnoti verò Monasterium S. Petri Apostoli combustũ est, & venerabilis Monachorum Conuentus, claustro cum reliquis officinis destructo, dispersus est. In his tempestatibus diuersorum incolæ locorum miros euentus & varios experti sunt: variásque incendij causas lugubres senserunt, & prolixas indè narrationes pro admiratione seu lamẽtatione cõtribulibus referre poterũt. Ego autem illis non interfui, nec dubia referẽdo Librum protelare decreui. In eodẽ mense iustus Iudex per contrarium elementum in alio climate terribilia exercuit, & scelestos pyratas à nequitiis, quibus terra sub Noë polluta fuerat, compescuit. In Flandria mare noctu redundauit, & per VII. miliaria repẽte diffusũ, basilicas & turres, atque tuguria pariter operuit; & innumera hominũ milia vtriusq; sexus & ordinis & cõditionis pari periculo absoluit. Ibi planè nec velocitas cursori profuit, nec fortitudo pugilem protexit, nec copia diuitiarũ opulẽtos saluauit: sed omnes æquè pulcros & deformes viros & feminas diluuium inuoluit, & ob-D turatis aquæ oribus absq; mora morti tradidit. Sic nimirum mare miserorũ punitionem in puncto peregit, & confestim ad locum suum iussu Dei remeauit. Quædam paupercula nuper infantem enixa, vt strepitum rugientis aquæ audiuit, territa, sed mente sana, de lecto mox prosiluit, infantem & gallinam cum pullis suis arripuit, & monticulum fœni, quod extra tugurium erat, velociter ascendit. Impetus autẽ irruentis & omnia inuoluentis aquæ fœnum subleuauit, & de loco illo mullonem hac & illac fluctuantem longè transtulit. Miseratione verò misericordis Dei mulier saluata est, & in tanta vicinitate mortis cum paruulis rebus, quas secum habebat, morti cælitùs erepta est. Puer duodennis retulit mihi tunc super culmen domatis se protinus ascendisse, ibique perniciei discrimen euasisse, patrem verò suum & matrem in inferioribus interiisse.

EODEM anno præclari Principes obierunt. Nam, vt suprà dictum est, Rodber-

HENRICVS I. tus II. Dux Normannorum in Februo Carduili migrauit. Hildefonsus autem Ar- A
ragonum Rex in introitu Autumni obiit, post bellum Fagense, in quo nobilium
1134. Baronũ Bertranni & Roderici, aliorúmq; Procerum occasus contigit. Tunc Gualli
Britones à cunctis gentibus, quæ sub Regis Henrici ditione cõsistunt, vehementer
afflicti sunt, & plurimæ regiones eorum Flandrensibus datæ sunt. A quibus & ipsi
in syluis & latebris vbicúmque inuenti sunt, absque omni humanitatis respectu
quasi canes interfecti sunt. Hoc animosiores eorum intuentes, valdè indignati
sunt, animósque resumentes arma sustulerunt: & multa pro vltione sui damna fa-
cientes, in Regem Henricum feraliter surrexerunt. Castrum Pagani filij Ioannis,
quod Cans dicitur, combusserunt, & omnes vtriusque sexus homines, quos intus
inuenerunt, immisericorditer obtruncauerunt. Omnes, hoc facinore facto, in-
colæ cum extraneis condensos vt lupi saltus appetierunt, publicámque cædibus &
rapinis atque incendiis inimicitiam exercuerunt.

1135. ANNO ab incarnatione Domini MCXXXV. Indictione XIII. Innocentius
Papa maximam Synodum apud Picenum tenuit, & de vtilitatibus Ecclesiasticis
multùm tractauit: sed infortuniis præpedientibus omnia pro voto complere ne- B
quiuit. Hugo Rothomagensis Archiepiscopus ipsum summopere adiuuit, & ab
eodem honoratus Primatum super multos Pontifices suscepit. Curis itaque Apo-
stolicæ seruitutis occupatus, curas proprij Præsulatus aliquandiu intermisit, & diu-
tius in Ausoniæ partibus demoratus, aliorum negocia solerter expediuit, quod Re-
gi vehementer displicuit. Præterea post mortem Ricardi Baiocensis Episcopi, Rex
nepoti suo Ricardo præfatæ vrbis Pontificatum dedit, quem Archiepiscopus con-
secrare, quia nothus erat, satis detrectauit, diúque, donec Apostolica sanctio-
ne pro Regis timore concessum esset, distulit. Tandem remeantibus legatis cum
Decretis Papæ, Baiocensis Ecclesia data est Ricardo Rodberti Comitis de Glouce-
stra filio, eadémq. die Abrincatensis Episcopatus cõmissus est Ricardo de Belfago.

EODEM anno HENRICVS Rex diris rumoribus de Guallorum factionibus
auditis, valde indignatus est, & prudenter ordinata Normannia cum electis sagit-
tariis & bellicosa manu transfretare ter conatus est. Verùm, contrariis insurgenti-
bus causis, iter eius impeditum est, nec viuus Angliam videre à Deo, qui omnia C
mirè continet, permissus est. Gener enim eius Ioffredus Andegauensis magnas po-
tentis soceri gazas affectabat, castella Normanniæ poscebat, asserens quòd sibi sic ab
eodem Rege pactum fuerat, quando filiam eius in coniugem acceperat. Animo-
sus autem sceptriger neminem sibi, dum vitales caperet auras, voluit præficere, vel
etiam in domo sua seu regno sibi coæquare, diligenter reuoluens diuinæ dictũ So-
phiæ, quòd *nemo potest duobus dominis seruire*. Indè turgidus adolescens iratus nimis,
& superbis actibus Regem offendit, monita eius & consilia temerè spreuit, & in tan-
tum furorem procaciter excitauit, vt filiam ei suam auferre voluisset, & in Angliam
secum ducere, si diuinitas hoc decreuisset. Satis enim Rex ægrè tulit, quòd ille
generum suum Rozcelinum Vicecomitem obsedit, & Bellummontem penitus
concremauit, nec pro reuerentia tam sublimis soceri, genero eius aliquatenus pe-
percit. Origo igitur maximarum dissensionum inter Normanniæ Proceres pullu-
labat. Nam eorum quidam Andegauensi fauebant, sed manifestam rebellionem
propalare non audebant, quia Regem multa expertum metuebant. Ipsum quippe
ad arma contra se meritò formidabant, quem pro castigatione perenniter vincire D
reos satis nouerant.

GVILLELMVS Talauacius, & Rogerius Toënites præcipuè suspecti erant,
vnde ad Curiam Regis venire formidabant. Hac de causa Rex in Angliam naui-
gare distulit, propriósque milites ad custodiendum munitionem Conchas direxit.
Quibus intromissis oppidum in circuitu benè muratum seruauit, iuuenémque Ro-
gerium ne rebellaret coërcuit. Talauacium verò sæpiùs ad se accersiit, & venire
non audentem, quia mordax illum conscientia terrebat, diutiùs expectauit. Ad vl-
timum, post plurimas summonitiones fundis omnibus dissaisiuit. Mense Septem-
bri, priuatus omni honore suo Talauacius, ad Consulem Andegauensem diuertit,
& ab eo susceptus, in oppidis, quæ de feudo eius erant, Pireto & Mamerz, habita-
uit. Rex autem ab initio Augusti vsque ad festiuitatem omnium Sanctorum, Sa-
giensem pagum perlustrauit, & Alencionem & Almaniscas, aliáque Talauacij ca-
stella

A stella sibi mancipauit. Aggregata verò multitudine operariorum, fossas Argentonij augmentauit; & oppidum illud, futurorum nescius, summoperè muniuit, quod paulò pòst vicinis habitatoribus nimis offuit. HENRICVS I. 1135.

QVINTO Kal. Nouembris, dũ festiuitas sanctorum Apostolorum Simonis & Iudę celebraretur, & matutina synaxis diuinæ maiestati à deuotis vigilanter ageretur, vehemens ventus circa quartã vigiliã noctis surrexit, & tota die vsque ad Nonam perdurãs valdè perstrepit, terribiliterq; magno cum fragore insonuit: innumerásque domos & basilicas atq; turres excelsas discooperuit; arborúmque multitudine prostrata lucos illustrauit. His itaq. prospectis, corda mortaliũ territa sunt, & diuersas indè sententias prompserunt. Quidam perspicaces Sophistæ arcana rerum subtiliter rimati sunt, & ex præteritis futura cautè coniicientes dixerunt, quòd ira Dei mundo culpis exigentibus immineret, & Principes terræ cum subiectis plebibus tanquam arbores syluarum in breui prosterneret.

TVNC Ludouic⁹ Rex Frãcorũ XXVIII. regni sui annũ agebat, & exinanitione diarrię attenuatus ægrotabat. Metu igitur mortis domũ suam, & quęq. habebat, dispo-B suit, & præcipuos Gallorũ Optimates, Tedbaldũ Blesensem atq. Radulfum Parronensem accersiit: eósq, quia discordes erant, pacificauit. Filio quoque suo LVDOVICO-FLORO regnum Galliæ commisit, quem ante trienium Regẽ Remis cõstituerat, & ab Innocentio Papa cũ Synodo XIII. Archiepiscoporũ, & CCLXIII. Episcoporum x. Kal. Nouẽb. coronari fecerat, cũ tripudio multitudinis quæ aderat. Desperantibus siquidẽ de Rege Archiatris, omnipotẽs Adonai, qui ter quinos annos Ezechiæ Regi ad vitam donauit, ægrotanti Ludouico spatium vitæ prolongauit, & meliorationem transacti status pro correctione vitæ ex insperato contulit.

INTEREA Henricus Rex Anglorũ VII. Kal. Decemb. in castrũ Leonis venit. Ibi venatores, vt in syluã sequenti die venatũ irent, constituit. Sed interueniẽte nocte protinus ęgritudinẽ incurrit, & à feria III. vsq. ad Dominicã lethali morbo laborauit. Interea priùs Capellanis suis reatus suos cõfessus est. Deinde Hugone Archiepiscopo Rotomagẽsi accersito, de spirituali cõsilio locutus est. Admonitus, omnes forifacturas reis indulsit, exulib. redditũ, & exheredatis auitas hereditates annuit. C ROBERTO autẽ filio suo de thesauro, quẽ idẽ seruabat Falesiæ, sexaginta milia libras iussit accipere, famulísque suis, atque stipendiariis militibus, mercedes & donatiua erogare. Corpus verò suum Reddingas deferri præcepit, vbi Cœnobiũ CC. Monachorũ in honore sãctæ & indiuiduæ Trinitatis cõdiderat. Deniq. Catholicus Rex de seruãda pace & tutela pauperũ omnes obsecrauit, & post cõfessionẽ, absolutionẽ & pœnitẽtiã à sacerdotibus accepit, oleiq. sacri vnctione delinitus, & sãcta Eucharistiã refect⁹, Deo se commendauit: sicq. Kal. Decemb. Dominico incipiẽte nocte hominẽ excessit. Affuerũt ibi quinq. Comites, Rodbert⁹ de Gloucestra, Guillelmus de Guarẽna, Rotro de Mauritania, Gualerãn⁹ de Mellẽto, & Rodbertus de Legrecestra, aliique Proceres & Tribuni, nobilésq. oppidani: quos omnes cõiurauit HVGO Archiepiscop⁹, cũ Audino Ebroicẽsi Episcopo, ne corp⁹ Domini sui relinquerẽt, nisi ex cõmuni consilio; sed omnes illud vsq. ad mare cõducerent honorabili cuneo.

IGITVR feria II. de castro Leonis Rotomagum Regis soma detulerunt, & viginti milia hominum, ne in funereis ei felicitas exequiis deesset, comitati sunt. In D metropolitana sanctæ Dei Genitricis Mariæ Basilica cum ingenti tripudio susceptum est: & à cunctis ordinibus vtriúsque sexus multarum copia lacrymarum effusa est. Ibi noctu à perito carnifice in Archipræsulis conclaui pingue cadauer apertum est, & balsamo suaueolenti condĩtum est. Intestina verò eius Ermentrudis ad villam in vase delata sunt, & in Ecclesia S. Mariæ de Prato, quã mater eius inchoauerat, sed ipse perfecerat, reposita sunt. Deinde prouiso cõsultu sapientum Guillelmo de Guarenna Rotomagus & Calletensis regio commissa est, quę vtiliter aliquãdiu ab eo protecta est. Guillelmus de Rolmara, & Hugo de Gornaco, alíique Marchisi ad tutandos patriæ fines directi sunt. Rodbertus verò de Sigillo, cum aliis quibusdã Clericis, & Rodbertus de Ver, ac Ioãnes Algaso, aliiq. milites de Anglia, & satellites ac ministri Regis conglobati sunt, & per Pontẽ-Aldemari, atque Bonamvillã feretrum Regis Cadomum perduxerunt: ibíque diu ferè quatuor hebdomadibus prosperũ flamẽ ad nauigandũ præstolati sunt. Interea cadauer Regis in choro S. protomartyris Stephani seruatum est, donec post Natale Domini missis illuc

HENRICVS I. 1135.

Monachis impositum naui & transuectum est, atque à successore regni & Episcopis ac Principibus terræ in Radingensi basilica honorificè sepultum est. A

ECCE veraciter descripto qualiter obierit gloriosus pater patriæ, nunc dactilicis versibus breuiter pangam contumacis ærumnas Normanniæ, quas misera mater miserabiliter passa est à viperea sobole. Quæ nimirum, mox vt rigidi Principis cognouit occasum, in Aduentus Domini prima hebdomade, in ipsa die vt rapaces lupi ad prædas & nefandas depopulationes cucurrit auidissimè.

Sceptriger inuictus, sapiens Dux, inclytus Heros,
Qui fouit populos iusto moderamine multos,
Proh dolor! occubuit, dolor hinc oritur generalis.
Publica Normannis clades simul instat & Anglis.
Diuitiis, & iustitiâ, sensu, probitate,
Strenuitas eius manifesta refulsit vbique. B
Nullus eo melior Princeps dominatur in orbe,
Tempore quo nimium scelus in toto furit orbe.
Vt reor, è cunctis fuit hic melioribus vnus.
Hoc attestantur speciales illius actus.
Ecclesiæ tutor, pacisque serenus amator,
Viuat in æternum cum Christo Rege polorum, Amen.

OCCIDIT *Henricus Rex prima luce Decembris,*
Lugubris incumbit patriæ contritio membris.
Tollere quisque cupit iam passim res alienas.
Rebus in iniustis en quisque relaxat habenas.
Ecce gehennales furiæ mortalibus instant.
Arma parant, ad bella vocant, & spicula donant.
Normanni furtis insistunt atque rapinis.
Mutuo iam sese perimunt, capiúntque, ligantque.
Incendunt ædes, & in illis quicquid habetur.
Non parcunt Monachis, mulieres non reuerentur. C
Femina clara gemit rabie spoliata latronum
Tegmina, ius non seruat ei generale Quiritum.
Cæditur imberbis, puero fur, non miseretur.
Hæc Romana phalanx licet ethnica non operatur.
Luce patet clara, quòd eis pax extat amara.
Quam mox spreuerunt, vt Regem fata tulerunt.
Pro nece Patritij fures lætantur iniqui,
Prædones auidi discurrunt ad mala prompti.
Iamque putant, quòd nullus eos herus amodo iure
Arceat, econtra refero, falluntur in hac re.
Æternum Regis ius permanet omnipotentis,
Ecclesiæque bonum dabit ipse repente patronum.
Principe sublato Monachorum supplicat ordo,
Fletibus ad veniam scelerum flectendo sophiam.
Summe Deus cohibe ne possint sæua patrare, D
Ceu cupiunt rabidi famulantes perniciei.
Ecce furit rabies, vocat & trahit ad scelus omnes.
Comprime ne valeant actu complere quod optant.
Christe Ducem præbe, qui pacem iustitiámque
Diligat, ac teneat, populúmque tuum tibi ducat.
Iustitiæ virgâ turgentum percute dorsa,
Vt secura tibi tua plebs possit famulari, semper, amen.

STEPHANVS.

STEPHANVS Boloniensis Comes, audita morte auunculi sui, protinus transfretauit, à GVILLELMO Cantuariensi Archiepiscopo, aliisque Præsulibus & Principibus terræ susceptus, regale fastigium ascendit, & XVIII. Kal. Ianuarij coronatus Rex quartus de stirpe Normannorum regnauit. Normanni autē Tedbadū fratrem eius apud Nouumburgū conuenientes, sibi præferre voluerunt: sed in ipso Conuētu à quodam Monacho, qui Stephani legatus erat, audierunt, quòd omnes

A Angli Stephanum suscepissent, eique obedire, cúmque sibi Regem præficere vellent. Mox omnes, annuente Tedbaldo, decreuerunt vni Domino militare propter honores, quos in vtráque Barones possidebant regione. Tedbaldus igitur, cùm maior natu esset, indignatus quòd regnum non habuerit, ad magna negocia, quæ in Galliis eũ vrgebant, festinauit, & Normanniam diutiùs conculcari negligenter permisit. Rege verò nihilominus in Anglia occupato, Rectore Normannia caruit. STEPHANUS. 1135

In prima Decembris septimana IOFFREDVS Andegauensis vt mortem Henrici Regis comperit, MATHILDAM vxorẽ suam mox in Normanniam præmisit, quam Guiganalgaso vir infimi quidam generis, sed magnæ potestatis, vt naturalem dominam suscepit: eique Argentomũ, & Oximos, & Danfrontẽ, aliáque, quibus vt Vicecomes iubente Rege præerat, oppida subegit. Deinde Comes cum Guillelmo Talauacio Pontiui Comite, & Andegauẽsibus cateruis, atq; Cœnomanicis secutus est, & à Sagiẽsibus, aliisque Castellanis, qui de feudo Talauacij erant, susceptus est. Exercitus autem eius per circumiacentem Prouinciam diffusus crudelia peregit, B Ecclesias & Cimiteria violauit, hospites suos iniuriis contristauit, & eosdẽ à quibus benigniter tractati fuerant, pluribus damnis & læsuris afflixit. Porrò Normãni, quibus gemina ferocitas & audacia insunt, vt nequitiam hospitum in se grassari malè senserunt, arma furoris & ipsi nihilominus exercuerunt, & per vicos atque saltus fugientes persecuti sunt, ac vt fama vulgi refert, plus quàm DCC. igne seu ferro trucidauerunt. Residui verò cruentis Normannorum nisibus territi cum dedecore fugientes, sua repetierunt, & acutis eorum mucronibus asperè castigati eosdem vltra extunc experiri non apposuerunt. Rodbertus etiam de Sablolio filius Lisiardi, aliique Proceres contra Ioffredum Consulem rebellauerunt, & intestinis eum guerris detinentes, in Neustriam remeare non permiserunt.

AST Normãnia, licèt ab exteris nõ inquietaretur, pacis tamẽ securitate nequaquã fruebatur, quoniã à filiis suis nequiter vexabatur, & indesinentẽ angustiam ventris quasi parturiẽs patiebatur. Normannica gens, si secundũ legẽ Dei viueret, & sub bono Principe vnanimis esset, Chaldæis sub Nabuchodonosor, & Persis ac Medis sub Ciro & Dario & Macedonibus sub Alexandro par inuincibilis esset, vt in Anglia & C Apulia Siriáque frequens victoria testimonium illi perhibet. Ceterùm, quia discordia ipsos ab inuicem segregat, & in sua viscera lethaliter armat, exterorum victores à sese superantur, & vicinis hostibus cum ludibrio spectantibus mutuis ictibus immisericorditer iugulantur: vndè suæ matris oculi crebrò lacrymantur.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVI. indictione XIV. Stephanus Rex Anglorum, dum remoraretur in Neustriam transfretare, & ipsa prouincia patrono careret ac Principe, ortæ sunt simultates inter inquietos Optimates Normanniæ, nimiæque per filios iniquitatis creuerunt maliciæ. In initio Quadragesimæ Eustachius de Britolio apud Paceium mortuus est, & Guillelmus filius eius post Pascha Britolij honorem ferro & flamma calumniatus est. 1136

TVNC Stephanus Rex filiam suam biennem Galeranno Comiti de Mellento in cunabulis dedit. Comes autem post Pascha mox in Normanniam rediit. Nimia verò guerra inter Rogerium de Toënio, & Rodbertum Comitem de Legrecestra grauiter agitabatur, & ingens totius patriæ desolatio miserabiliter oriebatur. Inter Rogationes & Pentecostem Rogerius munitionem Regis in valle Rodolij furtim introiuit, sed post tres dies Gualerannus Comes cum communi virtute Rotomagensi D illuc irruit, & municipium domino Regi restituit. Deinde feria secunda post Pentecostem Achinneium cum valida manu inuasit, totúmque municipium combussit. In crastinum nihilominus super eum Rogerius irruit, & tres villas eius subitò concremauit. Hæc & multa his similia Normanni agebant, seséque propriis dentibus, vt in Apocalypsi de bestia typicè legitur, commanducabant. A Natale Domini vsque ad octabas Pentecostem pro absentia Regis, qui trans pontum multimodis regni curis occupatus erat, Tedbaldus Comes à Comite Andegauorum treuias acceperat, & interim Regis aduentum Normannica phalanx auidè ad tendebat. Finito autem termino treuiarum omnis plebs attonita erat, & rectore viduata quid ageret ignorabat. Nam maliuoli fures desiderabant illum diem videre, quo res alienas liberè possent furari seu rapere. Inermes verò & benigni ac simplices admodum metuebant, quòd rapaces filij Belial absque Dei timore optabant.

STEPHANVS. 1136.

RODBERTVS cognomento BOETVS quidam famosus sagittarius Richerio Aquilensi adhærebat, & multos nebulones, indomitósque garciones ad strages hominum & latrocinia quotidie peragenda sibi asciscebat: qui quantò sagittandi peritia maior, tantò in nequitiis erat detestabilior. Hic septimanam Pentecostes, quam septiformi gratiâ discipulis Christi data sanctus illustrauit Spiritus, temerè violauit nefariis actibus, & futuri nescius inhiabat peioribus. Nam sicut boni flamma Spiritus paracliti ad amorem Dei & proximi salubriter accendebantur, sic mali dæmonico spiritu debacchantes ad omne nefas rapiebantur. Igitur XV. Kal. Iunij prędones vt lupi ad prædam cucurrerunt, & non bellicosorum rura militum inuaserunt: sed armenta per agros cucullatorum quietè pascētia protinus abducere conati sunt. Verùm, sicut ipsi veloces ad effundendum sanguinem fuerunt, sic iusto Dei iudicio contritionem & infelicitatem in viis suis repentè inuenerunt. Apud Vticum XXX. latrunculi prædam simplicis populi diripuerunt, sed ocTo clamore pastorum burgenses irruerunt, & XII. ceperunt, ex quibus VII. ad vnam quercum suspenderunt. Ibi Rodbertus Boatus cum VI. cōplicibus suis impetu feruentis populi sublimatus est: talique triumpho pro facinoribus suis illico potitus est. Ecce qui septē sacratos dies Pentecostes contaminare non reueriti sunt, sæuáque temeritate rapinis & homicidiis inermes proximos conculcare nimis exarserunt, sic eodem numero sequenti feria secunda simul suspendio perierunt. Quod Aquilenses vt ipso die audierunt, pro vltione sociorum cum nimio furore conglobati sunt, subitóque Vticum cōuolarūt, ac ex improuiso burgum S. Ebrulfi succenderunt, ibique LXXXIV. domus in puncto temporis in cineres conuersæ sunt. Monachi flentes campanas pulsabant, Psalmos & Letanias in basilica cantabant, quia Monasterij excidium mox instare sui formidabant. Alij obuiam militibus egressi, supplicabant, cum lacrymis sese de punitione reorum excusabant, & humilibus verbis obsecrabant; rectitudinem quoque & satisfactionem pro reatu legitimam offerebant. At illi vt amentes furebant, excæcati furore in Monachos fremebant, & nihil sanæ rationis intendebant. Imò quidam eorum religiosos Dei seruos de caballis deiectos lædere volebant. Tādem absque Dei reuerentia in villam assultum fecerunt, & violenter ingressi spolia rapuerunt, & habitacula, vt dictum est, penitus intra portas concremauerunt. Huiuscemodi militia vindicibus latronum meritò in opprobrium conuersa est, quæ contra innocentes Monachos & eorum homines armata est, & pessimos plagiarios, qui omne nefas perpetrare satagebant, vlta est. Richerius Monachorum filiolus talem famulatum patrinis suis exhibuit, & sic pro anima Boati famosi furis & homicidæ aliorúmque impostorum orauit, & huiusmodi oblationem Ecclesiæ, in qua idem baptizatus fuerat, obtulit. Baldricus quoque Aquilensis Presbyter ad facinus parrochianos execrabile præiuit, in hospitiū alterius sacerdotis primus ignem immisit, & sic præuius per præceps in baratrum suos secum pertraxit. Nimietas flammarum ad Basilicā vsque peruenit, sed miseratione Dei contrarius ventus surrexit, globósq; flammarum multis aspectantibus & gaudētibus alias expulit. Basilica itaque & monachiles officinæ, cū libris & vtensilibus Ecclesiasticis saluatæ sunt: ad quas desolati cōtribules cum suis familiolis confugerunt, & meliora secundum Dei prouidentiam tempora pręstolati sunt. Aquilenses verò spoliis Vticensium diuites & turgidi facti sunt, sed non in lōgum exultauerunt. Nam eodem mense super Sagium & Guaceium irruerunt, & cōtra Rogerium de Toënio sæpiùs certauerūt. Sed post depopulationē villæ S. Ebrulfi prosperum euentum non assecuti sunt: immò pernicie seu captione suorum imminutionem, iudicante Deo, plerúmque incurrerunt. Meritò, qui cōtra nudos & simplices dimicauerunt, nec eis pro diuino metu pepercerunt, postea fortissimos & pugnaces athletas nō quærētes inuenerūt: à quibus cū opprobrio & derisione à militibus sibi obuiis frequēter audierūt: „Huc venite milites. Nō enim cucullati, seu coronati sum⁹, sed milites in armis vos ad bella prouocam⁹. Socij vestri sum⁹, experiri debetis quid agere possum⁹. Improperiis huiusmodi crebrò erubuerūt, & plures eorū duros ict⁹ perpessi corruerūt. Vnde nōnulli ad pœnit. aliorū deiectione lacessiti sūt.

POST Pentecostem STEPHANVS Rex ad transfretandum classem suam pręparauit; eóque prosperū flamen prope portū expectāte nuncius venit, in quo Rogerium Salesburiæ Pręsulem, cui totius Albionis tutela iamdudum ab auúculo suo, & postmodum ab ipso commissa fuerat, mortuum esse audiuit. Vnde intermissa naui-

A gatione Salesburiam reuersus est, & Episcopo sospite reperto, ab itinere suo vsque in Quadragesimam frustra retardatus est. Interea Gislebertus de Clara in Oximos expeditionem fecit, & nouum burgum, quem Rex Henricus nuper auxerat, cum Ecclesia sanctę Dei genitricis combussit. Veteri quoque burgo, vt concremaret, acriter institit. Sed Talauacio Comite cum aliis militibus subitò irruente victus cum difficultate aufugit. Ibi HENRICVS DE FERRARIIS captus est, ingens hominum, qui Regi fauebant, captura, siue cædes facta est. STEPHANVS. 1136.

EA tempestate Gualerannus & Rodbertus Comites auxilium à TEDBALDO Comite petierunt, ipsúmque, datis centum marcis argenti, contra Rogeriũ de Toënio conduxerũt. In terram verò eius in Natale sancti Barnabæ Apostoli cum enormi multitudine irruerunt, & multorum tuguria pauperum in tribus villis combusserunt. Tandem super Bulgeium quendam grandem vicum irruerunt, & instinctu Comitis Legrecestræ vicinis in penatibus ignem immiserunt, & pulcherrimam ædem sanctæ Mariæ Magdalenæ cum viris & mulieribus incenderunt. Ipso die RI-B CHERIVS Aquilensis & Aluredus Vernoliensis, dum ante nouas Ferrarias cum suis transirent, à Rodberto de Belismo, & Malis-vicinis, aliísque militibus Gallis, qui Rogerium adiuuabant, fortiter impetiti & fugati sunt: & multis ex eorum sodalibus captis vel interfectis, vix euaserunt.

TERTIA septimana Iunij Tedbaldus Comes Pontem sancti Petri obsedit, & per integrum mensem impugnando multùm laborauit. Guillelmus enim de Fontibus cum aliis probatissimis militibus, & clientibus, qui Rogerio adhærebant, acriter hostibus obstantes oppidum seruabant.

INTEREA venerabilis Boso Beccensium Abbas, postquàm idem Cœnobium ferè x. annis laudabiliter rexit, in die festiuitatis S. Ioannis Baptistæ, post diutinum languorem, quem vir eruditissimus patienter tulerat, obiit: eique Tedbaldus Prior Ecclesiastica Monachilis Conuentus electione successit. In crastinum sollennitatis sancti Ioannis Radulfus Ebroicensis Ecclesiæ Archidiaconus, dum de Paceio C remearet, à filiis Simonis Harengi impetitus vix euasit. Ipse quidem ad quandam Basilicam fugiens saluatus est, sed famulus & comes itineris eius, qui suo pro domino repugnabat, occisus est. Hic tumultuosus annus verè bissextilis fuit, & tunc vltimus in ordine concurrentium bissextus cucurrit, ac vt vulgo dicitur, bissextus super Regem & populum eius in Normannia & Anglia cecidit.

TERTIA septimana Septembris repentino Rotomagus igne combusta est, & ingens damnum fidelibus populis diuino iudicio illatum est. Nobile Cœnobium S. Audoëni flammis edacibus, proh dolor! absumptum est: quod vix ad perfectum per LXXX. annos multorum labore perductum est. Pari quoque infortunio Monasterium Sanctimonialium desolatum est, quod in honore sancti Amandi Episcopi & Confessoris constructum est. Deinde sequenti Dominico XI. Kal. Octobris Ioffredus Andegauensis Comes Sartam fluuium pertransiuit, & cum ingenti multitudine armatorum Normanniam intrauit. Habebat enim secum Guillelmum Pictauensium Ducem, & IOFFREDVM Vindocinensem, GVILLELMVM quoque iuuenem Guillelmi Niuernensis Consulis filium, & Guillelmum Pontiui Comitem cognomento Talauacium. Hi nimirum, aliíque plures Tribuni ac Cẽturiones cum D viribus suis Andegauensibus associati sunt, & in Normannos per omne nefas, seu pro fauore Principis, siue pro cupiditate prædæ irruerunt. Vnde omnes ab eisdẽ, quibus impudenter nocuerũt, hostili odio HILI-BECCI * despectiuè cognominati sũt. * ſ. GVIRI-BECCI.

IN primis Comes Quadrugias oppidum obsedit, & arcem, quam Gualterius miles tenebat, in triduo expugnauit. Sed eandem paulò pòst idem oppidanus aduersariis abeuntibus recuperauit. Scoceium incolæ concremauerunt, & relinquentes aufugerunt, & hostibus pedetentim properantibus fumum & fauillas dimiserunt. Municipes de Asnebec fœdus in annum pepigerunt. Rodbertus enim de Nouoburgo præfati castri dominus Ioffredo Comiti notus fuerat, & per Amalricum Comitem iamdudum amicitia & familiaritate inhæserat.

ANDEGAVENSES arcẽ de Mosterolo adierũt, & bis in illã assultũ fecerunt: sed fortiter his, qui intus erant, repugnantibus, nihil nisi vulnera lucrati sunt, plurimísque suorum interfectis recesserunt. Ricardus enim cognomento Bassetus, cuius in Anglia viuente Henrico Rege potentia, vtpote capitalis Iustitiarij, magna fuerat, in

STEPHANVS. 1136.

paruo feudo, quod parentum successiuo iure in Normannia obtinuerat, Anglica tamens opulentiâ super pares compatriotas sese magnitudine operum extollere affectauerat. Firmissimam ergo ex quadris lapidibus turrim apud Mosterolum construxit: sed defuncto Rege, Guillelmus de Monte-pincionis in illam mox introiuit, armis eam & hominibus muniuit, furentésque Guiribeccos, vt dictum est, viriliter repulit. Inde illi castrum, quod Monasterium Huberti dicitur, expetierunt, victóque Paganello municipe, qui multa in illo nequiter anno perpetrauerat, municipium obtinuerunt, & prædictum cum XXX. militibus oppidanum per ingentis pecuniæ redemptionem grauiter coercuerunt. A

DEINDE, dum festum sancti Michaëlis Archangeli celebraretur, hostilis exercitus Luxouium obsidere molitur. Verùm illis tunc festinantibus, Gualerânus Comes de Mellento, aliíque Normannorum Proceres, qui ibidē erant cum multis militibus, Alannum de Dinam cum audacissimis defensoribus ad tutādam vrbem cōstituerunt: & ipsi, vt liberiùs obsessis subsidium deforis conferrent, egressi sunt, & exitum rei meticulosè de longè expectauerunt. Britones autem, aliíque, qui munitionem tueri debuerunt, visa procul hostium multitudine, timuerunt, & obuiam illis procedere, seu comminus præliari diffisi sunt. Ignem ergo iniecerunt, & commissam vrbem incenderunt: & sic hostes excidio sui, ne peiora contingerent, anticipauerunt. Hostes autem vt appropiauerunt, & ardentem cum multis diuitiis vrbem viderunt, vehementer irati doluerunt, quia prædarum spe penitus frustrati sunt, & pro ambitione manubiarum, quæ flammis deperibant, luxerunt. Animositatem itaque Normannorum gementes competerunt, acerbitatem quoque impacabilis eorum maliuolentiæ admirati sunt, quos videbant malle suas opes conflagratione deperire, quàm externæ dominationis iugo sua colla saluis opibus mancipare. B

PORRO propter vehementissimum ignem ad munitionem accedere, vel assultum aliquo modo ingerere non potuerunt. Vnde regiratis equis statim ad Sappum reuersi sunt, & oppidum illud medullitus expugnare nisi sunt. Arbor procera, quæ abies dicitur, prope Ecclesiam sancti Petri Apostoli antiquitus stabat, pro qua vulgaris locutio villam Sappum nuncupare solebat: quod vocabulum vsque hodie burgo seu castello perseuerat. Illuc Andegauenses Luxouio remeantes ex insperato accesserunt, & incolas contra se audacter egressos, ferocitérque sæuientes persenserunt. Quibus acriter certantibus, flammæ ab vtrisque, ab indigenis videlicet ac extraneis, in ædibus immissæ sunt. Vnde vires oppidanorum protinus exinanitæ sunt. Tunc ibi Ecclesia sancti Petri Apostoli cum tota villa concremata est, & multis ibidem, qui resistere conabantur, vulneratis, conquassata turris capta est. Ipsam nimirum Gualterius de Clara, & Radulfus de Coldum sororius eius tenuerunt, & in aduersarios cum XXX. militibus aliquandiu repugnauerunt: sed nimia vi contrariæ phalangis oppressi defecerunt, & exhaustis viribus in arce capti sunt. Nam ferè tria milia sagittariorum sagittis infestabant, multíque fundibularij saxorum grandinem in oppidanos iaciebant, & ingenti eos turbine feraliter opprimebant. C

ANDEGAVENSES in Normannia XIII. diebus demorati sunt, odiúmque perenne, non dominatum Normannorum immanitate sua meruerunt. Generale siquidem bellum, quia tunc Normanni Principe carebant, non repererunt: sparsim tamen rapacitati & incendiis insistentes, à pagensibus confusi sunt, sociisque varia sorte per diuersa prostratis diminuti, tandem fugerunt, innumera mala inedicibiliter operati sunt, meritóque nihilominus similia perpessi sunt. Nullam sacris reuerētiam exhibuerūt, imò Sanctuariū Domini nequiter conculcauerunt, & sacerdotes, aliósq; Dei ministros Ethnicorū more iniuriati sunt. Quosdā enim ante sanctum altare irreuerēter despoliauerunt, nonnullos etiam signa pulsantes, & Deum inuocantes trucidauerunt. Nouem Presbyteri pariter ad Comitem accurrerunt, & lacrymosam de violatione suarum Ecclesiarum, & direptione sacrorum querimoniam fecerunt. Quod audientes honesti viri, Deúmque timentes, valde condoluerunt. Principes igitur apud Sappum omni exercitui, ne sacra contaminarentur, per præconem prohibuerunt. Sed temerarij prædones in tanta multitudine decreta Procerum flocci-penderunt. Gregarij namque milites, & indomiti pyratæ ad deuorandos deuoratores aliorum vt lupi conuenerant, vagíque & indisciplinati de diuersis & longinquis regionibus vt milui conuolauerant, qui nihil aliud nisi prædari, obuiósque D

A ferire vel vincere cupiebant. Optimates autem, qui separes cœtus in expeditione legali ductu ductitare debebant, in militia Romanæ rigorem disciplinæ, nisi fallor, ignorabant, nec ipsas heroum more militares inimicitias modestè disponebant, vnde probrosis facinoribus absque boni respectu penè cuncti, vt opinor, sordebant, & per omne nefas in duplex detrimentum, corporis videlicet & animæ, proruebant; Deóque & hominibus abominabiles apparebant. STEPHANVS. 1136.

PLVRIMOS greges armentorum & pecudum mactauerunt, & crudas vel semicoctas carnes sine sale & pane comederunt: coria verò pluribus vehiculis in propriam regionem deferre conati sunt. Quamuis enim autumnale tempus alimentorum copiis abundaret, & vbertas prouinciæ post longam pacem sub bono Patricio incolis arrideret, & omnem frugum seu carnium affluétiam suppeditaret, tantæ tamen multitudini coquorum & pistorum seruitus deerat, & in bellico tumultu plurimorum, quibus humana necessitas maximè indiget, administratio non suppetebat. Guiribecci ergo, quia inconditis post contaminationem sacrorum edulliis intemperanter vsi sunt, iusto Dei iudicio pene omnes ventris fluxu ægrotauerunt, fluentique diarria satis anxij fœda vestigia obiter reliquêrunt, suósque reposcere lares plerique vix potuerunt. B Tandem Kalend. Octobris dum in arcem Sappi impetum facerent, & muniones illius acerrimè resisterent, Ioffredus Comes pilo in pede dextro fortiter percussus est, grauíque læsura pedis cum suorum ruina Normannorum animositatem aliquantulum expertus est. Vxor autem eius ipso die circa vesperam ad eum venit, & multa milia pugnatorum frustra secum adduxit. Nam primo mane trepidantibus vndique incolis, Andegauenses subito recesserunt, eósque, à quibus nimis timebantur, timentes, pertinaciter fugerunt: totámque regionem tam sociorum quàm hostium depopulati sunt. Fugam verò illorum Normanni tardè compererunt. Vnde nimis contristati sunt, quòd eos persequendo de regione sua non conduxerunt. Solus Engerrannus de Corte-Odmari, cum Rodberto de Mesdauid, aliisque paucis militibus transitus Oldonis præoccupauit; ibique multos homines & equos & redas panibus & vino, multáque supellectili onustas retinuit, & Andegauenses præ timore mortis ausos flumen sine vado introire, in Oldonis profundo compulit mortem subire. C Comes autem, qui spumanti equo vectus cum pluribus minis Normanniam intrauerat, pallidus & gemens, atque badiuola iacens sua reuectus visitat: sed in ipso reditu à suis grauiora quàm ab hostibus damna tolerat. Nam in sylua, quam Malafiam vocant, cubicularius Comitis occisus est, & mantica eius cum Consularibus indumentis & vasis preciosis surrepta est.

INTEREA dum Andegauenses Luxouiensem pagum, vt iam dictum est, deuastarent, & paganorum more debaccantes absque Dei metu execrabilia perpetrarent, Rogerius de Conchis in Ebroicensi Episcopatu circumiacentem Prouinciam deuastabat, & omnia cædibus atque flammis edacibus tradebat. Guillelmum quippe de Paccio Eustachij filium, & Rogerium Balbum, Comitémque FERRICVM secum habebat, & Comitem Gualerannum, & omnes Vticensis Prouinciæ milites, ne obuiam Andegauensibus in armis procederent, occupabat. Castrum, quod Mellenticus Comes apud Crucem pro defensione patriæ construxerat, Rogerius acriter impugnauit, sed non obtinuit. Abbatiam verò, quam sanctus Audoënus iamdudum construxit, sanctæque Crucis, quam in cœlo viderat, honori dicauit, & beato Leudfredo ad regendum commisit, Rogerius cum suis commilitonibus violauit, quod non diu impunè pertulit. D Burgum Monachorum concremauit, Ecclesiam impugnauit, de Monasticis penetralibus fugitiuos inibi latitantes rapuit: spolia verò Monachorum, ac ad eos confugientium diripuit. Sed Deo æquissimo Iudice vindicante, paulò pòst omnia perdidit. Nam sequenti die post fugam Andegauensium, id est tertio die Octobris, Rogerius inopinabiliter debacchatus est. In valle siquidem Rodolij vberem prouinciam deuastauit, cædibus & rapinis incendiisque irreuerenter insudauit, & ita multos cum suis complicibus ablatis rebus miseros effecit. Ecclesiam verò sancti Stephani concremauit, cuius reatus talionem ipso die recepit. Nam sabbato circa vesperam, dum redirent, & ingentem prædam, pluresque captiuos pomposè secum ducerent, Gualerannus Comes, & Henricus de Pommereio cum quingentis militibus de vicina

STEPHANVS. 1136.

silua egressi sunt, & contra hostile agmen ad bellum parati constiterunt. Rogerius A autem, qui multum audax & probus erat, cum paucis militibus, quos secum habebat (Guillelmum enim de Paceio, & Rogerium Balbum cum suis copiis, & prædâ & captiuis, Achinneium præmiserat) frustrà fortiter in hostes pugnauit: sed multitudine pressus & victus succubuit, & cum Ferrico Comite, ac Rodberto de Belismo, qui Poardus cognominabatur, captus ingemuit, infortunióque suo magnum inimicis gaudium, & vicinis pagensibus securitatem peperit. Interea dum Ferricus de Stampis in carcere gemeret, vxor eius, pro cuius stemmate Comes ipse appellabatur, Ludouicum Regem Parisius adiit: vnde dum ipsa prægnans remearet, equitando læsa est, & paulò pòst difficultate partus mortua est. Vicissitudines præsentis vitæ quàm mutabiles sunt, secularia gaudia citò transeunt, eósque, à quibus summopere affectantur, in puncto deserunt. Mundanus honor instar bullæ subitò crepat ac deficit, sibíque inhiantibus insultat atque decipit. Amatores mundi corruptibilia sequuntur, sic per abrupta viciorum gradientes corrumpuntur, subitóque sedentes in ima labuntur. Et dum sublimes fastus laboriosè vix B adipiscuntur, indè nec quicquam tumentes in momento præcipitantur, & concinnæ solummodo narrationes inter residuos, qui vitalibus auris perfruuntur, ab eloquentibus de illis passim sparguntur. Omnipotens itaque creator terrigenas instruit, & pluribus modis salubriter erudit, ne in hoc fragilis seculi pelago anchoram suæ spei figant, neque transitoriis delectationibus sine lucris lethaliter inhæreant. Non habemus hîc manentem ciuitatem, vt dicit Apostolus, sed futuram inquirimus. Ecce in hoc anno bissextili post mortem Henrici Regis multæ mutationes in orbe factæ sunt, & personæ plures Clericalis atque laicalis Ordinis, cum mediocribus & infimis lapsæ sunt.

TVNC Girardus Engolismensis Episcopus, vir eruditissimus, migrauit, qui magni nominis & potestatis in Romano Senatu tempore Paschalis Papæ & Gelasij, Calixti, & Honorij fuit. GVIDO autem DE STAMPIS Cœnomannorum Præsul hominem exiuit, cui Paganus Archidiaconus de sancto Karilefo successit. Porrò, pro GISLEBERTO cognomento VNIVERSALI Lundoniensi Episcopo, quo nuper defunctus est, Anselmus Anselmi Archiepiscopi nepos, Abbas C sancti Edmundi Regis subrogatus est. Guillelmus verò Cantuariensis Archiepiscopus defunctus est, atque Henricus frater Stephani Regis ad regendam metropolim electus est. Sed quia Episcopus secundum decreta Canonum de propria sede ad aliam Ecclesiam nisi auctoritate Romani Pontificis promoueri nequit, præfatus Præsul Guentoniensis in Aduentu Domini mare transfretauit, & legatis Picenum ad Innocentium Papam missis, in Neustria ipse hiemauit. Nefaria perfidorum scelera in anno bissextili facta, ærumnis lacrymísque plena à plangentibus edidicit, tristes querelas de miseris euentibus Normanniæ lugubris audiuit, & certa suis aspectibus indicia intueri potuit: ædes videlicet concrematas, Ecclesias discoopertas & desolatas, villas depopulatas, propriísque colonis viduatas, & plebes in gremio matris admodum contristatas, vtpote omnibus necessariis insolenter priuatas, & tam à suis quàm ab externis absque metu tutoris spoliatas, nec adhuc idonei rectoris præsentia sine suffragiis exhilaratas. Pluribus itaque modis ærumnarum Normanniæ grauior adhuc percussio imminet. In Episcopatu Sagiensi anathema totam terram Guillelmi Talauacij perculit, & dulcis cantilena diuini cul- D tus, quæ fidelium corda mitigat ac lætificat, conticuit. Introitus Ecclesiarum ad Dei seruitium laicis prohibiti sunt, & valuæ obseratæ sunt. Æra signorum conticuerunt, corpora mortuorum inhumata computruerunt, & metum & horrorem intuentibus incusserunt. Gaudium nuptiarum illud affectantibus denegatum est, & Ecclesiasticarum lætitia solemnitatum humiliata est. In Ebroicensi quoque diocesi parilis disciplina infremuit, & per totam terram Rogerij Toënitij discolas compescere terrendo sategit. Ipse nimirum vinctus in carcere coartatur, suæque voluntatis impos flet atque lamentatur, & ab Ecclesia etiam pro sacrorum violatione, quam ipse sui compos & ex insolentia fecerat, maledicitur, & tota terra eius terribili anathemate plectitur. Sic contumaces & nimium rebelles duplici affectione proteruntur, sed dura ceterorum hæc intuentium corda, proh dolor! non corriguntur, nec ad emendationem à peruersa intentione reflectuntur.

A ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVII. indictione XV. ingens in toto orbe siccitas fuit, quantam nemo nostris temporibus vidit. In plerisque locis fontes aruerunt, lacus & cisternæ exsiccatæ sunt, & quidam fluuij fluere desierunt. Homines & iumenta sitis anxietate laborauerunt, & in quibusdam regionibus aquam vsque ad septem leugas quæsierunt, & nonnulli eorum, qui sibi suisque limpham humeris deferebant, nimij caumatis angustiâ defecerunt. Tertia septimana Martij STEPHANVS Rex in Normanniam venit, Ogas cum magno comitatu applicuit. Cuius aduentu audito, pauperum plebs per integrum annum oppressa & desolata exultauit. STEPHANVS. 1137.

EODEM tempore Guillelmus Pictauensium Dux memor malorum, quæ nuper in Normannia operatus est, pœnitentia motus, ad sanctum Iacobum peregrè profectus est. Deinde feria VI. parasceue, V. Idus Aprilis sacra communione munitus est, & ante aram beati Apostoli venerabiliter defunctus est. Filiam verò suam LVDOVICO iuueni Francorum Regi in coniugem dari præcepit, ipsúmque Regem totius iuris sui hæredem constituit. Quod ita postea factum est.

B QVIDAM Normannorum Proceres in Stephanum Regem turbati sunt, contra quos ab ipso Franci & Flandrenses asciti sunt. In Maio Stephanus Rex cum Ludouico Rege colloquium habuit, Normanniæ Ducatum ab ipso iure recepit, & fœdus amicitiæ sicut antecessor eius tenuerat, pepigit. Securior itaque remeauit, rebellantẽ Rabellum bellico robore impetiit, & oppida eius Iuliam-bonam, Vileriásque, & Mansionem-Odonis obsedit, & per se aut per auxiliarios cum familiis suis ferro & flammâ expugnauit.

TVNC Ioffredus Andegauensis cum quadringentis militibus in Normanniam venit, & stipendiarius coniugi suæ factus ingentem malitiam exercuit. Nam ab initio Maij crudelem guerram exercuit, incendióque, & rapina, hominúmque cædibus depopulari Oximensem pagum summopere studuit. Basolcas, oppidum Rogerij de Molbraio, cum Ecclesia combussit, ibíque sex homines ignis extinxit. Diuenses Monachi pro tuitione sui C. & X. marcos argenti Andegauorum Consuli pacti sunt: & sic patriam suam ne penitus deleretur tutauerunt. Similiter Fiscannenses pro Argentiis centum marcos erogauerunt. Tunc Rodbertus Comes de C Gloucestra, aliique nonnulli, quòd ad hostes conuerterentur suspecti sunt. Sed Cadomenses oppidani Regis fidelitati firmiter inhæserunt, quibus munitionem tutantibus, Ioffredus & sui de Vado-Berengarij nihil adepti redierunt. Ibi Guillelmus de Ipro cum suis præliari cum Andegauensibus concupiuit: sed Normannis præ inuidia fideliter illos iuuare nolentibus, idem cum suis recessit, atque infidos consortes derelinquens ad Regem trans Sequanam accessit. Rex autem pace facta cum Rabello Ebroicensem pagum adiit, & Rogerium de Conchis sexto mense postquàm captus est de carcere eiecit: grauíque conditione, vt temeraria improbitas eius castigaretur, onerauit. Rotronem Moritoniæ Comitem, & Richerium de Aquila nepotem eius sibi annexuit, datis eisdem quæ cupiditas illorum auidè poposcit. Nam Comiti oppidum de Molinis, & Richerio Bonmolinum concessit, eósque sibi sic colligatos hostibus in Normanniæ finibus opposuit: ratus satis vtilius esse dare minora vt seruarentur maiora, quàm inhianter amplecti omnia, meritóque amicos perdere & eorum suffragia. Guillelmum de Ipro, aliósque Flandrenses admodum amplexatus est, & in illis præcipuè fisus est. Vnde Proceres Nor- D mannorum nimis indignati sunt, suúmque Regi famulatum callidè subtraxerunt, eisque inuidentes pluribus modis insidiati sunt. Tunc plurimis cladibus pagensium caterua passim depopulabatur. Hostilis enim gladius multos deuorabat, & alia ex parte mors inopina pluribus incumbebat.

MENSE Iunio, STEPHANVS Rex Luxouium venit, & copiosum exercitum congregauit, vt Argentomum vel aliud oppidum obsideret: vbi Ioffredum Andegauensem, cum quo cominus confligere optabat, comperisset. Optimates autem eius certamen huiusmodi detrectabant, & Regi prælium summopere dissuadebant. Tunc in illa expeditione grauissima seditio inter Normannos & Morinos orta est, atque cædes hominum vtriusque partis feralis facta est. Hinc totus exercitus turbatus est, & plurima pars Principum insalutato Rege profecta est. Ductorem quoque suum vnaquæque turma clientum prosecuta est. Rex autem

STEPHA-NVS. 1137. cùm agmina sua sine bello fugere vidisset, nimis iratus est, & desertores vsque ad Pontem-Aldemari festinanter persecutus est. Ibi Hugonem de Gornaco, & Guillelmum iuuenem de Guarenna, aliósque turgidos adolescentes detinuit, & terroribus ac blandimentis pro posse suo sedauit. Sed liuida vafrorum corda sufficienter pacificare nequiuit. Vnde suspectos pro quibusdam occasionibus eos habens, ad bellum reducere non præsumpsit; sed saniori consilio, vt quibusdam visum est, inito, biennales treuias ab hostibus accepit. Mense igitur Iulio tranquillitas pacis opitulante Deo Normanniam refouit. Inermis plebs, quæ dispersa fuerat, sua tuguria repetiit, & aliquandiu post nimias tumultuum tempestates in egestate magna siluit, & aliquantulum securior quieuit. A

INTEREA GVARINVS Abbas Vticensis Ecclesiæ, postquam in Monachatu XLIII. annis Deo militauit, iam LX. & III. annos ætatis suæ habens, feliciter occubuit. Nam XVII. Kal. Iulij Missam mane reuerenter cantauit, quendam defunctum militem sepeliuit, ipsóque die in lectum decidit, & quinque diebus grauiter ægrotauit, cotidiéque Missam, quam per XXX. annos creberrimè Sacerdos ipse celebrauerat, ægrotus audiuit. Videns itaque viam vniuersæ carnis sese ingressurum, tanti itineris viaticum deuotus expetiit, ac ad summi Regis sabaoth iturus Curiam, sese præparauit: lacrymosa videlicet confessione, assiduáque intenta oratione, oleíque sacri vnctione, & Dominici corporis saluifica perceptione. Denique talibus ac tantis instructus munimentis, XI. Kal. Iulij migrauit: & completis in eo, vt dictum est, quæque fideli athletæ Christi competunt, recessit, & XV. regiminis sui anno spirituales filios Domino Deo commendans, & sese, obdormiuit. Gislebertus autem Sagiensis Cœnobij Abbas affuit, & cum sociis in luctu Patris flebilibus exequias celebrauit. Imbribus itaque tribulationum toti Prouinciæ ingruentibus, Guarinus Abbas Rodberti & Gislæ filius ereptus est, & in Capitulo secus Osberni Abbatis tumulum sepultus est. Quo defuncto, Vticenses Monachi pariter conuenerunt, & commune colloquium, ne status Ecclesiæ suæ laberetur, habuerunt. Deinde, dum celebritatem sancti Ioannis Baptistæ solemnisarent, ipsóque die in Capitulo vnà considêrent, considerantes sancti Patris Benedicti institutionem, Chartæque suæ, quam Guillelmus Dux postea Rex cum Episcopis & Optimatibus Normanniæ, sanxit auctoritatem, & Ecclesiæ priuilegium atque vetustam consuetudinem, concorditer elegerunt RICARDVM DE LEGRECESTRA, Monachum literatum, religiosum facundum: & pluribus bonis atque claris carismatibus instructum. Ille quidem absens erat, nec in illa concione aliquem sibi consanguinitate coniunctum habebat. Nihil huiusmodi suspicabatur, imò rusticanis laboribus in Anglia pro seruitio Fratrum angebatur. Nam illuc à suo Abbate iampridem directus fuerat, & Ecclesiasticas res ibidem iam sex mensibus diligenter tractauerat. Notitiam quippe Anglicæ gentis & loquelæ habebat, vtpote qui ferè XVI. annis Canonicus Legrecestræ fuerat, & in Curia Rodberti Consulis de Mellento ante conuersionem diu commoratus fuerat, causarúmque censor, & arcanorum conscius, ac in agendis rebus familiaris Consiliarius pollebat. Hæc & alia probitatis indicia, Rectoríque congrua, Monachi considerantes, eundem ad Ecclesiæ regimen elegerunt: & electo Stephanus Rex eiúsque Proceres suffragati sunt. B C D

VTICENSES Cœnobitæ Didascalis & Rectoribus suis semper fidi, album lapidem posuerunt super tumulum venerandi Abbatis Guarini: super quem sculpendum ob amorem dilecti quondam sodalis mei, postea Patris, hoc Epitaphium edidi,

Hac tegitur petrâ Guarini corpus, & ossa,
Qui quater vndenis Vtici Monachus fuit annis.
Certator fortis contra tentamina carnis,
Dante Deo celebris micuit virtutibus almis.
De grege pro meritis à Fratribus admoderamen
Sumitur, vt sociis ferret speciale iuuamen.
Annis bis septem veneranter floruit Abbas,
Inter præsentes sitiens æterna ruinas.
Viginti soles Iunio complente, recessit
Hic Pater à vita, subiectis flentibus, ista.

A *Cuncta regens Numen det ei super æthera lumen.* STEPHANVS. 1137.

MENSE Iulio & Augusto nimius calor æstatis terrigenas torruit, & vsque ad Idus Septembris perdurauit, multimodáque pestis mortales morbidos fecit. Tunc LVDOVICVS Rex LVDOVICVM-FLORVM filium suum accersiit, eumque TEDBALDI Palatini Comitis, & RADVLFI DE PARRONA consobrini sui tutelæ commisit, & cum exercitu Galliæ in Aquitaniam direxit, vt filiam Pictauensis Ducis vxorem duceret, totúmque Ducatum, sicut Guillelmus Dux constituerat, sibi subiugaret. Interea Ludouicus Rex nimietate æstiui caloris in Aquilina silua ægrotauit, & crescente langore II. Nonas Augusti hominem exiuit, atque in Ecclesia sancti Dionysij Areopagitæ inter Reges regiã tumulationem accepit. Sequenti autem Dominico Ludouicus puer Pictauis coronatus est, & sic regnum Francorum, & Aquitaniæ Ducatum, quem nullus patrum suorum habuit, nactus est.

IN Normannia Rogerius Balbus pacem turbulentus turbauit, contra quem Stephanus Rex exercitum duxit, & municipium eius, quod in Ebroicensi pago B Grandis-silua nuncupatur, obtinuit. Vnde coërcitus rebellis prædo pacem cum Rege fecit, & aliquantulum illa regio post magnas oppressiones quieuit. Tunc in Vilcassino Rex munitionem Chitreij, vbi spelunca latronum erat, deiecit. Vnde GVILLELMVS DE CALVIMONTE cum ODMVNDO filio suo in Regem surrexit, & pro domus suæ præcipitio guerram facere decreuit. In Abrincacensi pago Ricardus cognomento Siluanus apud S. Paternum fortissimam munitionẽ firmauit, & aggregatis vndecúmque latronibus post mortem Henrici Regis sæuissimam stragem in populo Dei perpetrauit. Hunc etiam, post diutinam debacchationem, quando voluit, iustissima Dei vltrix manus sine mora præcipitauit. Præfatus enim raptor quadam die prædatum perrexit, & cohors militum de vicinis oppidis vicum sancti Paterni flammis interim tradidit. Porrò Siluanus, vt villæ suæ fumum perspexit, per reciprocum callem cum suis equum festinanter regirauit: sed sociis ocio hostes primus offendit, & in occursu eorum à quodam milite lãcea perforatus interiit. Deinde regij milites ad arcem accesserunt, & ab oppidanis vt Regi turrim C redderent exegerũt. Quod dum illi facere nollent, isti cadauer perempti domini sui ante portã turpiter proiicientes, eis exhibent. Custodes vtique infortunio graui viso perterriti sunt, & Regis militibus sese cum munitione dedentes mœsti siluerunt, atque corpus biothanati secus viam extra cimiterium tumulauerunt.

EODEM tempore Britones, quorum caput ad nefas perpetrandum GELDVINVS DOLENSIS erat, surrexerunt, & in terram sancti Michaelis Archangeli de periculo maris, & in finitimas possessiones irruerunt. Prædis multoties direptis ingentia innocuis damna intulerunt. Sed postquàm innumera dispendia pagensibus illata sunt, vltione diuina nefario capite contrito defecerunt. Quadam enim die atrox GELDVINVS CXL. milites cum multis peditibus in expeditione duxit, & ingentem prædam hominésque multos rapuit, atque pomposus remeare cœpit: sed æstuans mare ad litus omnes detinuit. Interea orto clamore pauperis vulgi, XX. milites Normannorum prædones insecuti sunt. Gelduinus autem, vt vociferationem post tergum audiuit, cum X. militibus clypeis tantum opertis contra insequentes rediit. Porrò Normanni fortiter in eos irruerunt, atque Britones terD ga vertentes persecuti sunt, & Gelduinum, priùs quàm suis commilitonibus adiungeretur, occiderunt. Prædones itaque confusi prædam perdiderunt, & fugientes suis diros rumores renunciauerunt.

VARIIS itaque tempestatibus infelix Normannia turbabatur, ac mutuis ensibus pignorũ suorum vulnerabatur, atq; pro innumeris cædibus multis vbique luctibus replebatur. Infortunia plerúmque dirissima perferebat, & asperiora cotidie metuebat, quia totã efficaci gubernatore prouinciã carere mœsta videbat. Inter hæc Stephanus Rex intestinis motibus Anglorum rumores audiuit. Vnde in aduẽtu Domini festinanter in Angliã transfretauit, & Gualerannũ atq; Rodbertũ Comites, aliósque Proceres penè omnes secum duxit. Neustriæ verò Iusticiarios, Guillelmũ de Rolmara, & Rogerium Vicecomitem, aliósq; nonnullos constituerat: illis præcipiens facere quod ipse præsens agere non poterat. Iustitiam videlicet discolis inferre, & pacem inermi populo procurare. Reuersus autem in Angliam turbatum

STEPHANVS. 1137. regnum inuenit, & fomentum nimiæ crudelitatis, & cruentæ proditionis persensit. Nam quidam pestiferi conspirationem fecerant, & clandestinis machinationibus sese ad nefas inuicem animauerant, vt constituto die Normannos omnes occiderent, & regni Principatum Scottis traderent. Tanta peruersitas & Ricardo Nigello Eliensi Episcopo primitus nota per coniuratos nequitiæ socios facta est: & per eum reliquis Præsulibus regni, & Optimatibus atque Tribunis, regiisque satellitibus peruulgata est. Plures itaque de peruersis conspiratoribus detecti sunt, & conuicti pœnas tanti sceleris luerunt, meritóque patibulis, aliisque generibus mortis interierunt. Porrò, nonnulli malitiæ conscij ante accusationem fugerunt, & accusante propria conscientiâ conuicti, relictis omnibus diuitiis & honoribus suis exulauerunt. Potentiores siquidem, qui rebellionis conscij fuerunt, ad resistendum temerè animati sunt, & fœdus cum Scottis & Gualis, aliisque seditiosis & infidis ad perniciem populi pepigerunt. A

IN illo tempore, peregrini de partibus Eois aduenerunt, dirósque rumores in occiduo climate sparserunt. Vnde corda fidelium, quæ amore Dei proximíque flagrant, nimis contristata sunt. Narrant enim, quòd PONCIVS Tripolitanus B Comes eodem anno contra ethnicos pugnauerit, & ipse cum multis aliis ferro gentilium occubuerit. Hinc animatus Amir-Sanguim Rex Haleph bellicas vires collegit, & in autumno cum ingenti exercitu Turcorum fines Christianorum introiuit, atque ad bellum paratus Christianos prouocauit. Quod audiens FVLCO Hierosolymorum Rex per totum suum regnum legatos direxit, & omnes, qui ad arma idonei erant, ad pugnam conuocauit, & ferè VI. milia secum ad certamen duxit. Solas mulieres, & inermes Clericos ad tutelam vrbium dimisit, ceteros autem absque omni excusatione ad agonem ire præcepit.

TANDEM conuenerunt pariter, & commisso conflictu vtrimque pugnatum est acriter. Innumera quippe paganorum ceciderunt milia: sed iudicante Deo, cuius iudicia iusta sunt & vera, penè tota Christianorũ acies est collapsa, & præter XXX. milites penitus cæsa. Solus enim Rex, & decem de familia eius commilitones, atque XVIII. de militibus Templi euaserunt, ac ad quoddam castrum contra Damascum à Balduino primo constructum, quod Mons-regalis vocatur, confugerunt: ibique aliquandiu inclusi fortiter restiterunt. Omnes itaque in confessione C Christi corruerunt, præter paucos, qui, vt dictum est, cum Rege vix euaserunt. Porrò Sanguim, licèt multa suorum amisisset milia ferro Christianorum, optata tamen elatus victoriâ e vestigio subsecutus obsedit castellum, & residuos, qui de bello elapsi tutabant præsidium, nimis coartauit multis modis impugnationum. Obsessi autem quamuis pluribus molestarentur angustiis, præcipuè tamen attenuati sunt anxietate famis, & pro penuria panis compulsi sunt vesci carnibus equinis, aliisque immundis & insolitis. Ipse Rex præ parcitate dapifer erat, atque frusta carnium asinorum seu canum singulis distribuebat.

INTEREA Radulfus Hierosolymitanus Præsul, audito suorum infortunio, contristatus est, & qualiter inclusis Martyribus auxiliaretur multa secum reuoluẽs meditatus est. In primis fideles reclusos, qui cælesti theoriæ in muris Hierusalem intẽdebant, peragrauit, & ipsos & omnes alios Hierosolymitas vt dominum Saluatorem omnium pro communi salute populi sui attentiùs exorarent, obsecrauit. Deinde Clericos & laicos eadẽ commonuit, & cunctis triduanum ieiunium indixit: nec D solùm matronis, sed etiã infantibus, & iumentis affationem huiusmodi more Niniuitarum imposuit. Expleto autem libenter & deuotè ieiunio, ad portum maris Patriarcha perrexit, eíque quod valde concupiuerat Deo volente occurrit.

QVATVOR enim naues hominibus onustas littori appropinquantes de longè vidit, & per signum salutiferæ crucis, quod in habitu eorum visu deprehenderat, Christianos esse cognouit. Gaudens igitur eos ad portum applicantes expectauit, & de nauibus egredientes reuerenter salutauit. Productos autem in liberam planiciem sic affari cœpit: Verè beati & amici Dei estis, quos vt suæ beatitudinis participes præstolatur Curia cælestis. Ecce iam si flagrat in vobis fides integra, eadem sine dubio vobis propinatur martyrij causa, pro qua sancti athletæ Christi, Georgius & Theodorus, Demetrius & Sebastianus, contra sathanam eiúsque satellites laboriosè dimicauerunt, acriter certantes gloriosè superauerunt, & perennem coronam

STEPHANVS. 1137.

A ronam triumphantes à Rege Sabaoth acceperunt. Similis, oro, fortuna vobis comitetur, nec dispar merces à Deo vobis donetur. Ecce sæuus Sanguim & gentilis exercitus terras nostras nuper inuaserunt, & perempto exercitu Christi Hierosolymorũ Regem cum paucis in quodam castello pertinaciter obsederunt, & inclusos pluribus modis ad deditionem coartare satagunt. Nostrates autem viri in Deo sperantes viriliter obstare moliuntur, mirabiliúmque Dei memores velox auxilium eius operiuntur: eligentes in nomine Domini magis per mortem socios sequi, quàm cum dedecore prophanis in vita sua subiugari. Iam satis euentum audistis. Et quia prudentes atque cordati homines estis, iam quid velim, & quid agi oporteat in tali negocio, benè perpenditis.

His auditis, omnes alacriter aduersum paganos sese obtulerunt, & obsessis fratribus suffragari totis nisibus optauerunt. Lætus igitur Patriarcha dixit: Deo gratias agimus Adonai fortissimo, qui sẽper suos celeri dignatur releuare solatio. Nunc ergo vos, qui de natale solo pro cælesti amore progressi estis, & dilectas coniuges, diuitiásq; diu quæsitas reliquistis, & huc per plures in mari & in terra molestias peruenistis: exempla sanctorũ, sumentes scutũ fidei, prætendite; & Sanctuario Dei, quod de lõginquo expetitis, cõstãter succurrite. Dominus vobiscũ est, qui obsesso in Bethulia citò per feminã consolatus est. Nã per Iudith viduã superbi caput Olofernis amputauit, Assyriísq; cõtritis sitientẽ populũ piè refrigerauit, victoriáq; simul, innumerísq; spoliis ditauit, & super omnes circũsitas nationes magnificauit. Ezechiæ quoq; Regi in Hierusalẽ incluso per Isaiã Prophetã securitatẽ mãdauit, & sequenti nocte centũ octoginta quinque milia Assyriorũ per Angelũ combussit, tumidúmque Regem Sennacherib post blasphemias trucésque minas cum dedecore fugauit.

Hæc & alia multa his similia in diuinis operibus cõsiderate, & in Dei virtute cõfidẽtes certamẽ inite. Salutaribus itaq; monitis cœtus Christianos Põtifex instruxit, & armatos ad phalanges Turcorũ duxit. Speculatores autem paganorum grandem exercitum à mari venientem perspexerunt, & Principi suo protinus annunciauerunt. Ille verò promptos & dicaces legatos obuiam misit, & per eos qui essent, vel quò tenderent, sollerter inquisiuit. At illi responderunt: Christiani sumus. Porrò fratribus nostris, quos à paganis obsessos audiuimus, auxiliari tota virtute cupimus. Alios quoque, qui iam perempti sunt, bello vlcisci peroptamus. Responsúmque est illis, vt ad præsens quietè silerent, & in die tertio ad pugnam parati essent.

Interea callidus Sanguim Fulconem Regem ad colloquiũ accersiit, eíque inter plurimas versutas tergiuersationes dixit: Nobilitati tuę multum cõdoleo, & quia Rex es, tibi si vis parcere desidero. Optimè noui esse tuum, & defectionem virium tuarum. Angustia famis cum omnibus, qui tecum inclusi sunt, nimium opprimeris, nec aliquod adminiculum ex qualibet parte præstolaris. Fac ergo pacem mecum. Castellum mihi cum omnibus, qui intus sunt, redde, & ego te permittam liberum abire. Fulco respondit: Absit à me, vt traditor fiam fratrum meorum. Hoc nullatenus facere diffinio, immò cum eis vsque ad mortem perseuerabo, & agonis finem patienter expectabo. Sanguin dixit: Cum tuis loquere, & vtile tibi tuísque consilium accipe. Parcam tibi qua Rex es, & honorari debes. Castellũ, & omnes captiuos, quos retines de nostris, redde, omnésque quos habemus de vestris, recipe, & sic iureiurando firmata pace cum omnibus tuis libẽter recede. Hæc audiens Fulco, suos repetiit, & illis omnia quæ audierat à tyrãno, retulit; & quid in tam angustis rebus agendum esset interrogauit. At illi vicinũ sibi nescientes auxilium, anxij velox dederunt consilium. Hortati sunt, vt turri redderentur pro ereptione Christianorũ, vt Damascenis panderetur Montis-regalis oppidum, ne obsessi subirent mortis periculũ, & Hierusalẽ ciuitas sancta sine defensore pateret ludibrio gẽtilium. Territus itaq; Fulco Rex consultui suorũ adquieuit, & cum ethnicis pacẽ, quam poposcerãt, cum sacramento pepigit. Sanguim præsidium, & nepotem suum, quem ceperant, recepit: & ipse nihilominus Christianis vinctos eorum, vt pactum fuerat, reddidit. Deinde triũphans & ludens tyrannus Fulconi dixit: Deceptus es Rex, & castra Christianorum, qui ad suffragium eius venerant, ostendit. Sed quamuis fideles super hoc sophismate mœsti essent, mutari sententia nequiuit. Data profecto securitate, Rex, & Patriarcha, & fideles hinc & indè conuenerunt; & à tyranno vt occisos in bello fratres suos sepelire sibi permitteret, petierunt. Annuente illo, corpora per-

HHhh

STEPHANVS. 1137.

emptorum quæsierunt, inuenta diligenter & honorificè tumulauerunt, quibus A dum aureos de digitis annulos extrahere vellent, non potuerunt. Viuentes igitur omnipotentem Deum deuotè laudauerunt, & Christi martyres cum ornamentis suis veneranter humauerunt.

EADEM tempestate, quando Hierosolymitæ flebiliter, vt dictum est, ab ethnicis afflicti sunt, & RAIMVNDVS Antiochiæ Princeps, aliíque virtuosi milites, necessitate fratrum comperta, illis subuenire festinauerũt: IOANNES Imperator Constãtinopolitanus ingentem exercitum de omni ditione sua, quæ satis ampla est, contraxit, & Antiochiam metropolim Syriæ, quam de imperio suo esse calumniabatur, obsedit. Præfatus autem Raimundus, qui tunc Principatum habebat, Guillelmi Pictauensium Ducis filius erat. Hic nimirum post mortem Henrici Regis Eoas partes adiit, & filiam BVAMVNDI iunioris dono Fulconis consobrini sui sibi datam coniugem duxit, latúmque Principatum in Syria largiente Deo vendicauit. Qui dum ad auxilium Regis Hierusalem, vt iam dixi, contra paganos properaret, & in illo itinere aduentum Imperatoris ad obsidionem vrbis audisset, tam grandi turbine commotus B cum sociis turmis confestim remeauit: suísque, qui sine tutore trementes in ciuitate oppilabantur, succurrere properauit. Cùm autem vrbi appropinquasset, & formidine anxius esset, quòd circumuallantem exercitum irrumpere & vrbem introire non posset, de imminenti negocio cum suis tractare cœpit, quorum vnus, quem verè magnanimum arbitror, illi dixit: Satis notum est, quòd Græci prudentiâ pollent, & eloquentiâ ceteris nationibus eminent, sed in arduis rebus audacia & fortitudine carent. Vnde, ô probi commilitones, & probati athletæ, si meis dignamini consiliis adquiescere, arma vestra viriliter sumite, & armati tanquam de turmis Imperialibus vsque ad ipsius Augusti tentorium silenter ite, & Ionias legiones penetrate. Tunc prope Imperatoris aures terribiliter exclamate, & qui sitis audacter demonstrate. Hæc audientes alij ad arduum opus animati sunt, monitísque magnanimi militis noctu insigniter obsecũdauerunt. Franci siquidem ad tentorium Augustale peruenientes exclamauerunt, & obstantes hostiliter percutere cœperunt. Repentinas vociferationes ferorum Frãcorum securus Augusti exercitus ex insperato audiuit, nimiúmque territus, paritérque turbatus & expers cõsilij fugam iniit, & relictis omnibus per tria miliaria, quasi gladium ceruicibus suis imminere vidisset, fugit. Raimundus autem Dux, Pelasgis cum suo Imperatore fugientibus, perstitit: nec diutiùs cum paucis innumeros persequi voluit: sed letis modum ponens, in vrbẽ suam introiuit, & ingens gaudium Antiochenis donante Deo suppeditauit. Orto siquidem sole ciues exierunt, ingentes in archiuis tentoriis diuitias inuenerũt, auidè diripuerunt, lætíque in vrbem spolia deuexerunt. Porrò, Imperator cum suis fugiẽdo fatigatus quieuit, confusus & indignans à quo fugatus fuisset inquisiuit, & Aquitanorum audaciã, prosperúmque euentum agnoscens erubuit. Rursus exercitum cõgregauit, & præfatũ Principẽ ad colloquiũ inuitauit. Magnanimus heros, qui priùs dederat dimicandi consilium, denuò Duci suasit ne respueret pacis colloquium, dicens nunc tractare de pace esse honorabile & valde commodum. Ille adquieuit, ad concionem abiit, eíque Imperator ait: Antiochena ciuitas de Imperio Constantinopolitano est. Buamundus verò Princeps homagium patruo meo fecit, & cum reliquis Proceribus Occidentis parauit, quòd si omnia, quæ Turci abstulerant, & ipse recuperare posset, sacro Imperio restitueret. Hoc itaque pactum à te, qui nunc principaris, exigo, & vrbem Imperij nostri, quam vsurpas, reposco. Raimundus respõdit: D De auitis condicionibus tecum placitare nolo. Vrbem hanc à Rege Hierusalẽ cum filia Principis recepi, eíque vt domino fidem promisi. Vestras igitur ratiocinationes ostendam, & persuasionibus ipsius in omnibus obediam, nec aliquam deliberationem in hoc negocio sine illius consilio faciam. His ita dictis, Imperator approbans quòd fidem domino seruaret, inducias dedit vt præfatum Regem expeteret, & quid agendum esset legaliter ab illo indagaret. Cúmque legatio huiusmodi ad Regem, qui tunc ægrotabat, destinata fuisset, ipsa causa suis necessariis amicis manifestata, respondet: Omnes satis nouimus, vt à maiorib. iamdudũ didicimus, Antiochiã de Imperio Cõstantinopolitano esse, & à Turcis XIV. duntaxat annis Augusto subtractã, sibíque subactã fuisse: & reliqua, quæ Imperator asserit de antecessorũ pactis nostrorum, vera esse. Non debemus veritatem abnegare, & rectitudini resistere.

A Nequaquam, præsertim cùm ego graui detineor infirmitate. Vndè non possum consanguineo meo succurrere. Nam propter æstus, & curas, atque labores, quos perpessus sum, & infirmas escas, quibus infeliciter inclusus in Monte-regali nuper vsus sum, lethiferam ægritudinem cum sodalibus meis incurri. Ideóque nunc præpedior consobrino meo ad certamen adminiculari. Nostram igitur excusationem agnoscentes, ite, dominóque vestro ex mea parte dicite, vt pacem cum Imperatore faciat, meóque iussu ab ipso cuius iuris est vrbem recipiat, & legaliter teneat. Christianus enim est Imperator, magnæque potentiæ, & à Frācis honoratus. Si vult, admodum valet illos adiuuare. Reuersi verò Legati responsa congruè reddiderunt, duoque Principes pacem peregrinis & vniuersis in Christo credentibus, qui in Græcia siue Syria morabantur, commoda inter se confirmauerunt. Raimundus itaque homo factus Augusti, Antiochiam ab illo accepit: & Imperator illi amicitiam & auxilium contra Damascum omnésque gentiles promisit. Hæc itaque guerra, B quæ per annos fermè XL. damnosè perdurauit, & per Buamundos eorúmque successores contra Alexium orta; agitata, innumeris milibus vincula, perniciémque, & multa detrimenta contulit: fauente Deo, nunc sub Principibus Ioanne Augusto & Raimundo Pictauensi, multis vtriúsque partis gaudentibus, cessauit. 1137.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXVIII. indictione I. LVDOVICVS iuuenis Rex Francorum apud Bituricam in Natale Domini coronatus est: ibíque ingens Curia nobilium & mediocrium virorum de omni Gallia, & Aquitania, alíisque circumsitis nationibus aggregata est. Illuc metropolitani Præsules, eorúmque suffraganei conuenerunt. Illuc Consules, aliæque dignitates confluxerunt, suúmque famulatum nouo Regi exhibuerunt. Petrus Anacletus, qui Sedem Apostolicam ferè VII. annis vsurpauerat, in Cathedra sedens, VIII. Kal. Februar. subita morte decessit: atque, vt fertur, à fratribus suis, filiis videlicet Petri Leonis, quorum in vrbe Roma maxima potestas est, ita occultatur, vt vbi cadauer eius sepultum sit ignoretur. Sequenti quoque mense fama longè personuit, quòd ROGERIVS Apuliæ Dux defunctus esset, quem præfatus scismaticus in Regem Siciliæ consecrauerat, datáque sorore sua sibi ad perturbandum Ecclesiæ ius asciuerat. C Porrò Lotharius Imperator, vt Rogerij occasum audiuit, in Apuliam festinauit, eámque sibi secundum morem antiquum statúmque Romanorum subiugare sategit. STEPHANVS verò Rex cùm in Angliam venisset, & machinationem quorumdam contra publicam regni vtilitatem comperisset: indignatus contra rebelles importunè arma sustulit, & prohibente fratre suo HENRICO Guentoniensi Præsule, Bedafordum obsedit, ibíque Natale Domini hibernis ingruentibus pluuiis laboriosè peregit, & nihil profecit. Nam filij Rodberti de Bellocampo munitionem fortiter tenuerunt, neque Regi, donec præfatus Præsul frater eius adesset, aliquo modo humiliati sunt. Non enim debitam subiectionem siue seruitium domino denegare suo decreuerunt, sed quia Regem HVGONI cognomento Pauperi filiam Simonis de Bellocampo dedisse cum patris honore audierunt, totam hereditatem suam amittere verentes consultu amicorum pertinaciter restiterunt. Tandem Pontifici post quinque septimanas aduenienti adquieuerunt, & per eius cōsilium, quod vtile sibi opinabantur, & opem, cum Rege pacificati sunt, & oppidum reddiderunt. 1138.

D IN Normannia RAINALDVS DE DVNSTANI-VILLA filius HENRICI Regis Prouinciam Constantini turbabat, & sorori suæ fauens Andegauinis adhærebat. Balduinū quoque de Raduariis, & Stephanū de Magna-villa, alióśq; Stephani Regis inimicos secum habebat. Sed Rogerius Vicecomes acriter ipsis obstabat, patriáque protegens hostium peruersis conatib. insigniter resistebat. Hostib. admodū terribilis in primis visus est, sed in huius seculi salo nulla potētia longa est. Inimici siquidē eius prosperitati nimis inuidētes insidias illi parauerūt, & perniciē eius machinati sūt. Quadā die cursores ad diripiēdā prædā destinauerūt, & quidā milites in latebris abditi sanguinē fūdere auidè præstolati sūt. Orto autē clamore, Rogerius arma cū suis arripuit, & prædones cū pręda persequens in manus insidiantium incidit. At illi, vt famelici leones de insidiis prosilientes incautos percusserunt, & Rogerium pro vita sua vociferantem, & multa pollicentem, absque misericordia iugulauerunt. Rectore itaque interfecto, totus pagus desolatus est, ac prædonum rabies super pagenses immoderatè sæuiens admodum effrenata est. Mense Ianuario Simon Rufus

STEPHANVS. 1138.

Balduini filius, Rodberto Geroij filio permittente, castrum Escalfoij introiuit, & aggregata secum turmâ satellitum, terram Rodberti Comitis de Legrecestra in Ebroicensi Præsulatu deuastare cœpit. Erat enim miles acerrimus, audax, & manu promptus, largus commilitonibus, & in duris exercitiis obstinatus: ideóque ad arduos & truces ausus temerarius. Denique vt ipse depopulationem patriæ inchoauit, Riboldus frater eius ad nefas eidem adhæsit, ipsúmque in munitione, quæ Pons-Erchenfredi dicitur, suscepit. Guillelmus autem Fraxinellus, & sex fratres eius, & Alannus de Taneto, & Ernaldus dapifer Comitis, & oppidani Glottenses insurrexerunt, ac Pontem-Erchenfredi, & Monasteriolum, atque circumiacentes vicos combusserunt. Tam feralis furia vtrósque inuasit, & in tantum nefas omnes præcipitauit, vt nullam sanctis locis reuerentiam seruarent, nec religiosis hominibus, vel innocentibus villanis viduísque parcerent: nec sanctis diebus Quadragesimæ manus studiúmque à scelere coërcerent. A

Biennales treuiæ, quæ inter Regem & Andegauensem Ioffredum pactæ sunt, pluribus modis contaminatæ sunt. Satellites enim Comitissæ in Quadragesima Radulfum de Axone virum potentem comprehenderunt, dominęque suæ vinculis artandum tradiderunt. Quem ipsa diu tenuit, nec abire, donec sibi munitiones suas redderet, permisit. At contra Engelrannus de Saia, aliique regij clientes Rainaldum & Balduinum extra castrum de Vlmo pertinaciter repererunt, & commissa cominus pugna, Balduinum & alios plures ceperūt. Ibi nimirum dum maximè pugnaretur, & adhuc in dubio esset cui victoria daretur, quidam de parentibus & amicis Rogerij Vicecomitis, vt locum & tempus vltionis nacti sunt, strictis ensibus in suos cōuersi plures de interfectoribus illius occiderunt, & sic aduersæ parti victoriæ pompā procurauerunt. Ecce, sicut Dominus ait, *Qui acceperit gladium, gladio peribit*, furialis societas, quæ Rogerium Nigelli filium paulò antè crudeliter trucidauit, ab amicis illius ex improuiso percussa inter suos decidit. Eodem tempore Theodoricus Flandrensis Satrapa filiam suam filio Stephani Regis coniugem dedit, totúmque Ducatum Flandriæ dimisit, deinde crucem Domini accepit. B

Mense Maio Gvalerannvs Comes, & Guillelmus de Ipro in Normanniam transfretauerunt, & nimis turbatæ regioni subuenire conati sunt. In primis contra Rogerium de Conchis arma leuauerunt: sed fortunâ variante bellicosum militem, ac ad resistendum sibi paratum repererunt. Vnde furorem suum super pagenses iaculati sunt, & vtríque ad prædam currentes, incendiis & rapinis Prouinciam deuastauerunt, direptísque rebus necessariis inermem populum desolationi subdiderunt. Andegauensis Ioffredus mense Iunio in Normanniam cum militari manu venit, & Rodbertum Comitem Gloucestræ precibus & promissis ad suam partem inclinauit, per quem Baiocas & Cadomum, & plura Normanniæ oppida sibi subiugauit. C

In Anglia verò Præsules & oppidani quamplures, vt præfatum Comitem, cuius potestas magna erat, in vtrísque regnis Andegauensibus adminiculari audierunt, nequitiam, quam penes se occultabant, protulerunt, & contra Regem rebellauerunt. Mense Iulio Galerannus Comes & Guillelmus de Ipro dolentes, quod per intestinam proditionem hostes præualuerint, atque Normannos, qui externos hostes in exteris sedibus superauerant, plerúmque iam conculcauerint: Radulfum de Parrona cum cc. militibus ad auxilium sui accersierunt, aliósque auxiliares vndíque conuocantes in Andegauinos ire decreuerunt. Rodbertus autem de Curseio Comiti Ioffredo nunciū confestim direxit, & machinationem suorū eidem intimauit, vt ociùs de Normannia egrederetur, maiorémq. sibi opportunitatē præstolaretur. Quo audito, protinus cum suis meticulosus recessit, vnde aduersariorū conglobata multitudo admodū doluit, quòd hostilis exercitus repētina discessione euaserit. Verū, ne mille milites frustrâ cōgregati viderētur, & sine aliqua probitate ad sua regrederentur, Cadomum adierunt, Prouinciam vndique depopulati sunt, & castrēses extrahere de munitione conati sunt. Sed Rodbertus Comes factiones vtriúsque partis valde metuit, ideóq. cum centum militibus callidè intus delituit. Equites solummodo xl. egressi sunt, & in stricto calle super Olnam hostibus occurrerunt, & vtrique nimis atrociter conflixerunt. Ibi Rodbertus Bertrannus, & Ioannes de Iorra nobiles & pulchri milites occisi sunt, & plures ex vtráque parte vulnerati D

A sunt: pro quorum infortunio tristi plures contristati sunt. STEPHANVS. 1138.

PRÆFATVS Comes Gloucestræ, per quem magnæ perturbationis occasio surrexerat, dono HENRICI Regis patris sui potentiam in Anglia possidebat: diuitiis & oppidis, virisque ferocibus pollebat. Nam munitionem Gloucestræ & Cantuariæ seruabat, oppida quoque munitissima Brihtou, & Ludas, atque Doueram habebat. Vnde multi eidem fauentes rebellando Regem offenderunt, & Prouincias sibi contiguas furiis agitati perturbauerunt, multisque modis depopulati sunt.

IN primis enim GOIFFREDVS cognomento TALABOT Herfordam vrbem inuasit, ibique scelerosis complicibus ad nefas aggregatis, in Regem rebellauit. Gualchelmus autem cognomento Maminot tenuit Doueram, & Rodbertus Alueredi de Lincolia filius arcem Guarham & Morguan; Gualchelmus Vcham, & Guillelmus de Moun Douestornam, Guillelmus verò iuuenis cognomento Puerellus quatuor oppida habebat: id est, Brunam, Elesmaram, Obretonam, & Guitentonam, & his turgidus augebat rebellãtium turmam. Radulfus autem Lupellus munitionem, B quam Cari nominant, tenuit, Guillelmus verò filius Ioannis Harpetro muniuit, aliisque rebellibus associatus, natale solum inquietare sategit. Porro DAVID Scotię Rex propter fraudulentam inuitationem factiosorum, à quibus ad patriæ detrimẽtum lacessitus fuerat, seu propter iusiurandum, quod iubente Hẽrico Rege iam nepti suæ fecerat, pestiferos regni perturbatores pro fauore Andegauensiũ adiuuabat. Carduilum quippe validissimũ oppidum, quod Iulius Cæsar, vt dicunt, condidit, tenebat: ibiq; Scottorũ ferocissimã manũ collocauerat. Illi nimirũ Angliã crudeliter inuaserunt, finitimósque populos bello impetierũt, & belluino more barbariẽ suam in eis exercuerunt. Nulli ei parcebant, sed iuuenes & senes pariter interficiebant: mulieres quoque prægnantes sæuo ense dissectis visceribus enecabant. Stephanus autẽ Rex cõtra tot insurgẽtes acutũ ensẽ exercuit, * & donis, seu promissis, aut robusta manu pugnatorũ hostes sibi subegit. Rodbertum siquidẽ de Stotesburia probum militem, legitimúmq; Comitem Derbiciæ constituit, & Gislebertum de Clara Comitẽ de Pembroc sublimauit: per quos Gualchelmũ Maminotũ, & Lupellum, aliósque plures, qui amici vel affines eorũ erãt, sibi cõplacauit. Rebellantibus itaque, C vt iam dixi, plurimis, animosus Rex irã cõmotus est, & triplici exercitu inimicorum propugnacula expugnare conatus est. Ipse in primis Herfordã vrbẽ, quę super Guaiam fluuiũ inter Anglos & Gualos collimitanea erat, obsedit: & à ciuibus atque Prouincialibus vt naturalis dominus gratãter susceptus oppidũ cepit, & Goiffredo Talabot fugato, aliis, qui intus erãt, misericorditer pepercit. Regina verò Douerã cum valida manu per terrã obsedit, & Boloniẽsibus amicis ac parẽtibus suis atq; alumnis, vt per mare hostes cohiberent mãdauit. Porrò, Boloniẽses dominæ suæ iussa libẽter amplectentes famulatũ suum ei exhibent, nauiúmque multitudine operiunt illud fretũ, quod strictum est, ne castrẽses sibi aliquatenus procurarent. Interea Rodbertus de Ferrariis, quẽ Rex, sicut dictũ est, Derbiciæ Consulẽ ordinauit, Gualchelmũ generũ suũ allocutus Regi pacificauit, & pręfatã munitionẽ ei subiugauit. Gislebertus verò de Clara Escedas castellũ obsedit, & oppidanos vsq. ad deditionẽ coartauit.

f. exeruit.

GVILLELMVS Alanni filius municeps & Vicecomes Scrobesburiæ, qui habebat in coniugio neptem Rodberti Comitis Gloucestræ, fauere illi volens, in Regem rebellauit: & prædictam vrbem contra illum fere vno mense tenuit. Tandem mense Augusto regia virtute victus aufugit, & Rex forti assultu munitionem sub- D egit. Arnulfus de Hesdingo præfati iuuenis auunculus bellicosus miles ac temerarius, multoties à Rege oblatam pacẽ superbè respuit, insuper & iniuriosa Regi verba iaculari præsũpsit, & alios qui sese dedere volebãt in rebellione pertinaciter perstare coëgit. Deniq; capta munitione, cũ multis aliis ipse cõprehensus est, & Principi, quem cõtempserat, oblatus est. Rex autem, quia pro mãsuetudine sua contẽptibilis cõtumacibus videbatur, ideóq; multi nobiliũ ad Curiã eius asciti venire dedignabãtur, iratus, Arnulfum, aliósque ferè XCIII. de his qui ei obstiterãt, iussit patibulo suspẽdi, aliisque generib. mortis festinãter puniri. Arnulfus quippe sérò pœnitẽs, aliisque plures Regi pro se supplicauerunt, multámque pecuniam pro redemptione sui promiserunt. Sed Rege vltionẽ scelerũ multis auri ponderibus præponẽte, protinus trucidati sunt. Turgidi autem complices eorum, tanta seueritate Regis audita, nimis territi sunt: tremulique in triduo ad Regem accurrerunt, & varias excusationes,

STEPHANVS. 1138. quòd tamdiu tardauerint, commentati sunt. Quidam etiam munitionum suarum claues detulerunt, seruiciúmque suum Regi supplices obtulerunt: & compressis aliquantulum seditiosis desertoribus, amatores pacis lætati sunt. A

EADEM septimana Stephano Regi similis fortuna in alia regni parte blandita est. Nam Comes Albemarlæ & Rogerius de Molbraio contra Regem Scotiæ pugnauerunt, & interfecta multitudine Scottorum Regem fugauerunt: cædemque truculentam, quam illi super Anglos absque omni reuerentia Christianæ Religionis iampridem exercuerant, vlti sunt. Scotti nempe minacem gladium metuentes ad aquam fugerunt, & ingens flumen nomine Zedam sine vado irruerunt, mortémque fugientes à morte protinus absorpti sunt. Post diutinam duorum Regum guerram, & atrociter ab vtrísque ad multorum detrimentũ exercitatam, legati pacis diuinitus exciti sunt: & inter ambos Reges, qui damnis & cędibus, assiduísque curis & laboribus iam fessi erant, discurrerunt, ipsósque ad concordiam reuocauerunt.

HENRICVS itaque filius Dauid Regis Scotiæ amicitiam huiuscemodi approbauit, ac Adelinam Guillelmi Suthregiæ Comitis filiam adamauit, & in cõniugium sibi requisiuit. Necessitudine tali constrictus amicitiæ Normannorum & Anglorũ medullitus adhæsit, quia salubre & vtillimum hoc fore sibi suísque consultu sapientum perspexit. Interea Normanni in matris suæ gremio debacchabantur, & plures nequitiæ passim peragebantur. Septimo die Septembris Rogerius Toënites militũ insignem manum aggregauit, & plures iniurias sibi olim factas vindicare satagens, Britolium expugnauit. Comitem quippe Hanaucensem cum LXXX. & Petrum de Maulia cum XL. Simonem quoque Rufum cum XX. militibus secum habebat: validámq; turmam, quam ipse de omni ditione sua cõtraxerat. Denique feruidus Rogerius insigni turma stipatus oppidum ex improuiso expetiit, & iniecto igne ingens damnum imparatis oppidanis ingessit. Trituratores enim per plateas messes cædebant, & ingentes acerui straminis & paleæ, vt autumnus exigit, sparsim ante domos iacebant: vnde gratum sibi flammæ fomentum facile rapiebant. Sic nimirum opulẽta villa in puncto concremata est. Ecclesia etiam beati Sulpitij Episcopi & Confessoris, cum multis opibus burgensium & hominibus, qui intus erant, proh dolor! combusta est. Castellani autem milites vt se præuentos ab hostibus viderunt, ad munitionem cum plurimis fugientes inimicorum gladio surrepti sunt. Eodem anno concordia inter Rogerum & Comites fratres facta est. A quibus etiam ad Stephanum Regem in Angliam adductus, eíque honorificè reconciliatus est. B C

KALENDAS Octobris Ioffredus Andegauensis Falesiam obsedit, ibíque XVIII. diebus frustra multùm laborauit, & nonodecimo die nihil lucratus indè recessit. Ricardus de Luceio Princeps militum in oppido fuit, & cum oppidanis munitionem viriliter defensauit: apertísque ianuis, audacia obsessorum obsidẽtes cotidie subsannabat. Et quia inclusi ciborum & armorum abundantiâ tumebant, ad assultum cum ludibrio prouocabat. Hostes autem in circumitu Prouinciam deuastauerunt, Ecclesias irreuerenter irruperunt, & sacratis vestibus atque vasis absque timore Dei ablatis sacra loca contaminauerunt: nullíque parcentes, vulgi spolia & quæque poterant diripuerunt. Tandem terrente Deo noctu fugerunt, & tentoria cum vestibus & armis, atque rhedas pane & vino aliísque necessariis rebus onustas fugientes reliquerunt, quibus gaudentes oppidani admodum ditati sunt. D

VERVM post decem dies iterum Andegauorum Comes ex insperato remeauit, & circa Falesiam cum multis milibus discurrens, prædam redeuntium & securè quiescentium diripuit. Cædibus & rapinis ingens damnum Normanniæ intulit, & per tres hebdomadas à feralibus exercitiis non cessauit. Tolcham in initio Nouembris venit, ibíque opulentum burgum inuenit, & vicinam munitionem Bonæ-villæ in crastinum expugnare peroptauit. Tunc hostes in præfata villa domos amplas, sed vacuas inuenerunt, in quibus triumphantes temerè hospitati sunt, & splendida sibi conuiuia parauerunt.

INTEREA dum nox profunda esset, & hostile agmen in alienis domibus securè quiesceret, subitò Guillelmus cognomento Trossebot Bonæ-villæ munio temeritatem hostium callidè præuenit, & oppidanos secum aggregatos hortatu necessario ad magnos ausus animauit, puerósque despicabiles & meretriculas Tolchã direxit, & quid agerent exquisito meditatu sollerter instruxit. Illi autem vt edocti

A fuerant, per burgum latenter dispersi sunt, & ignem per quatuor partes villæ in XLV. locis audacter immiserunt. Andegauenses itaque villam iam inuaserant, & hospites suos in propriis laribus & cathedris sedentes iam ceperant. Ingenti strepitu flammarum, & vociferatione vigilum exciti, admodum territi sunt: & arma & equos cum multis aliis rebus necessariis relinquentes aufugerunt. Præfatus vero Guillelmus cum suis armatus obuiam hostibus venit, sed densitas fumi omnes, ne se inuicem viderent vel cognoscerent, obtenebrauit. Tandem turbidus Comes in cimiterio quodam constitit, ibique suos conglomerauit, & confusus trepidúsque diem expectauit. Manè autem facto, quantocius aufugit, & Normannorum proteruiam aliquantulum expertus, non sine dedecore Argentomum venit. Inualida plebs Normanniæ mœsta trepidabat, & defensore carens Altissimi auxilium inuocabat. Optimates populi dolis & malignis simultatibus insistebant, & fraudulenter quamplures hostibus fauebant, neque suos defendebant, sed ablatis rebus opprimebant, & nequiter illis incumbebant. STEPHANVS. 1138.

B Eo tempore TEDBALDVS Beccensis Abbas ad regimen Dorobernensis metropolis in Anglia assumptus est, eique in loco eius LETALDVS bonæ vitę Monachus ad gubernandam Beccensem Ecclesiam subrogatus est.

ANNO ab incarnatione Domini MCXXXIX. Indictione II. Innocentius Papa II. Romæ in medio Quadragesimæ ingens Concilium tenuit, & multitudini Prælatorum statuta sanctorum Patrum inuiolabiliter teneri præcepit. De multis regionibus exciti ad Synodum conuenerant, & hac de causa brumali tempore periculosum iter inierant, sicque cum multis suarum dispendiis rerum Romana mœnia viderant. Multa illis Papa de priscis Codicibus propalauit, insignémque sacrorum Decretorum textum congessit. Sed nimis abundans per vniuersum orbem nequitia terrigenarum corda contra Ecclesiastica scita obdurauit. Vnde remeantibus ad sua Magistris, Apostolica Decreta passim per regna diuulgata sunt: sed nihil, vt manifestè patet, oppressis & opem desiderantibus profuerunt: quoniam à Principibus & Optimatibus regnorum cum subiectis plebibus paruipensa sunt. 1139.

C AVDINVS Ebroicensis Episcopus Paschali septimana in Angliam profectus est; ibique VI. Nonas Iulij Melitonæ in Canonicali Cœnobio defunctus & sepultus est. Hic in Baiocensi pago ortus, studia literarum inquisiuit: peritiáque liberalium artium imbutus inter doctissimos coaluit, & Regi HENRICO familiaris effectus inter præcipuos scribas complacuit. Denique de Capella Regis prouectus, XXIV. annis Ebroicensem diocesim tenuit, Clerum subiectámque plebem ad seruandam Dei legem erudiuit, Ecclesiæque cultum sollerter exercuit, & Basilicam beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ tempore illo combusta fuerat, à fundamentis reparauit. Rotrocus autem filius Henrici Comitis de Guareuico Rotomagensis Archidiaconus ad Episcopatum Ebroicensem assumptus est, & à domno Hugone Archiepiscopo consecratus est. Eodem, vt reor, anno Turstinus Eboracensis Archiepiscopus, præfati Audini frater, defunctus est.

EODEM tempore, turbatio magna in Anglia exorta est. Rogerius enim Salesburiensis Præsul diuitiis ac potentibus amicis, ac munitionibus admodum fretus, vtpote qui toti Angliæ omni vita Henrici Regis præfuerat, præ cunctis regni Optimatibus derogabatur, quòd regi dominóque suo Stephano esset infidus, & faueret D Andegauorum partibus. Ipsi quoque adhærebant necessarij complices, filius videlicet eius, qui erat Cancellarius Regis: & nepotes potentissimi, quorum vnus erat Episcopus Lincolniensis, & alter Heliensis. Porrò, ex abundantia multiplicium diuitiarum tam sublimibus viris audacia inerat: temeréque vicinos Optimates variis infestationibus inquietare præsumebat. Vnde furiosis punctionibus exerciti plures contra eos conspirauerunt, & occasione concepta pariter insurrexerunt, eísque talionem agitationum illatarum rependere conati sunt. Duo quippe fratres Gualerannus & Rodbertus Comites, & Alannus de Dinam, aliique plures apud Oxnofordam vrbem seditionem contra familiam Præsulum cœperunt, & occisis ex vtráque parte pluribus, Episcopi Rogerius & Alexander capti sunt. Eliensis autem Præsul, qui nondum ad Curiam Regis venerat, sed extra vrbem in villa cum parasitis suis hospitatus fuerat, diris rumoribus auditis, quia malè sibi conscius erat, ad Diuisas fortissimum oppidum repente confugit, & in circumitu concremata regione

STEPHANVS. munitionem præoccupauit,& contra Regem totis nisibus munire decreuit. Quod A audiens Rex iratus exercitum promouit,& cum multis minis Guillelmum de Ipro
1139. præmisit: iurans quòd Rogerius Præsul nil vesceretur, donec hostile oppidum sibi redderetur. Rogerium quoque filium Pontificis cognomento Pauperem comprehendit, & ante portam in conspectu rebellium suspendi præcepit. Mater quippe eius nomine MATHILDIS de Ramesburia, pellex videlicet Episcopi, principalem munitionem seruabat. Tandem Salesburiensis Pontifex, accepta Regis licentiâ,cum nepote suo locutus est,ipsúmque multum redarguit, quòd seditionem oriri videns non propriam diocesim repetisset, sed alienas ad res furibundus diuertisset,incendióque furenti multis milibus inediam peperisset. Turgido nepote cum suis asseclis in rebellione pertinaciter persistente, & irato Rege, vt præfatus Rogerius patibulo mox suspenderetur, iubente, meticulosa mater luctuosam prolis cōditionem audiens prosiluit,& pro filio sollicita dixit: „Ego peperi, nec vllatenus debeo eius promereri interitum: sed si sic necesse est, ipsum debeo per meum saluare obitum. B Protinus Regi nuncium destinauit,& pro redemptione amicorum validam munitionem quam tenebat obtulit. Fractus itaque Antistes Eliensis cum reliquis complicibus suis mœrens deditioni adquieuit. Denique pacificatis omnibus, oppidum Regi redditum est,& Episcopi cum pace ad parrochias suas reuersi sunt. Non multò pòst Rogerius Præsul mortuus est,& Eliensis publicus hostis totius patriæ factus est. In autumno Mathildis Andegauorum Comitissa,cum Rodberto de Cadomo fratre suo,& Guidone de Sabloilo, aliísque pluribus in Angliam transfretauit, & Arundello suscepta permissu Regis ad oppida,quæ suæ parti fauebant,cum pace perrexit. In hac nimirum permissione magna Regis simplicitas siue socordia notari potest: & ipse à prudentibus, quòd suæ salutis regníque sui securitatis immemor fuerit,lugendus est. Ingens enim nimiæ malitiæ fomentum facilè tunc extinguere potuisset,si calliditatem sapientum imitatus, lupum ab introitu ouilis statim expulisset: si saluatis ouibus malignantium nequitiam in ipso initio præoccupasset,& vires lethiferas in capitibus eorum,qui rapinas & cædes hominum, patriæque depopulationem quærebant,gladio iustitiæ more patrum præsecuisset. C

MENSE Nouembri ROTROCVS Comes Moritoniæ precio conductus Pontem-Erchenfredi adiit,sed octo gregariis militibus,qui intus inediâ interibant,manum dantibus,munitionem recepit: miserósque municipes abire permittens,oppidum Rogerio de Platanis commisit. Tunc Riboldus & Simon Rufus, aliíque nepotes Radulfi Rufi velociter expulsi sunt,& dominatum castri, quod hactenus possederant, repente perdiderunt.

RODBERTVS de Cadomo sororem suam MATHILDEM iam in Anglia receptam in suis mappaliis hospitatus est,& Gualis ad auxilium sui ascitis,nimia malicia passim multiplicata est. Nam plus quàm decem milia, vt fertur, barbari per Angliam diffusi sunt,qui nec sanctis locis, nec reuerentiæ Religionis parcebant: sed rapinis & incendiis atque cædibus hominum instanter insistebant. Singillatim referre nequeo, quantam afflictionem Ecclesia Dei passa est in suis filiis, qui veluti pecudes cotidie trucidabantur Britonum gladiis.

1140. ANNO ab incarnatione domini MCXL. indictione III. Stephanus Rex Concilium congregauit, & de statu rei publicæ cum Proceribus suis tractare studuit. D Tunc inter Optimates de constitutione Salesburiensis Episcopi lis orta est. Henricus Guentoniensis Præsul Henricum de Solleio nepotem suum intromittere voluit,& quia maiori vi resistente præualere requiuit, iratus de Curia Regis recessit. Gualerannus namque Mellenticus Comes Philippum de Harulficurte Archidiaconum Ebroicensem elegerat,eíque Rex pro pluribus causis libenter adquieuerat. Præfato autem iuueni Cœnobium Fiscannense concessit, in quo tempore quatuor Abbatum præcedentium magna religio floruit.

IN eodem anno Ricardus Vticensis Abbas,postquam de Romano Concilio rediit,exigentibus causis post Natale Domini mox in Angliam transiit,& plurimis laboribus fatigatus in Quadragesima febres incurrit. Quibus per multos dies admodum vexatus sese cōfessione & oratione benè præmuniuit,& post Pascha potionem à Medicis accepit: sed nimia vi potionis oppressus, VII. die Maij defecit. Tertiò itaque regiminis sui anno Idus Maij defunctus est, & Torueiam delatus ante Cru-

A cifixum in Ecclesia sanctæ Mariæ à domno Rodberto eiusdem Cœnobij Abbate STEPHANVS. sepultus est. Quod Vticenses Monachi vt audierunt, in vnum conuenerunt; & RANNVLFVM Nogionis Priorem, qui iam in Monachatu XL. annis honestè vixerat, in Abbatem elegerunt. Electus autem frater cum literis HVGONIS Archiepiscopi Rotomagensis, & Ioannis Episcopi Luxouiensis de concordi electione fratrum in Angliam transfretauit: & à Stephano Rege visis Pontificalibus Epistolis, concessionem Abbatiæ, & Ecclesiasticarum confirmationem rerum recepit. Regressus verò de Anglia, Ioannem Episcopum cum regalibus literis adiit, & à venerabili Præsule benigniter susceptus paternam benedictionem VIII. Idus Nouembris suscepit.

ANNO ab incarnatione Domini MCXLI. Indictione IV. ingens turbatio in regno Anglorum exorta est, & repentina mutatio cum multorum detrimento subsecuta est. 1141. Rannulfus enim Comes Cestræ, & Guillelmus de Raumara vterinus frater eius contra Stephanum Regem rebellauerunt, & arcem, quam Lincoliæ ad tuB tandam vrbem ipse possidebat, fraudulenter inuaserunt. Nam tempus, quo turrenses famuli per diuersa dispersi fuerant, callidè explorauerat, & tunc coniuges suas quasi causâ ludendi ad arcem præmiserant. Denique, dum ibidem duæ Comitissæ morarentur, & cum vxore militis, qui turrim tueri debebat, luderent & confabularentur: Comes Cestræ exarmatus, & sine amictu quasi pro ducenda vxore sua, & tres milites nemine aliquod malum suspicante subsecuti sunt. Et sic ingressi, repentè vectes & arma quæ aderant arripuerunt, & custodes Regis violenter eiecerunt. Deinde Guillelmus, & armati milites cum illo, vt antea dispositum fuerat, introierunt. Et sic duo fratres turrim cum tota vrbe sibi subiugauerunt. Porrò, Alexander Episcopus, & ciues, euentum Regi mandauerunt. Quod audiens Rex valde iratus est, & quòd tantum facinus amicissimi eius, quibus magnos honores & dignitates auxerat, fecissent, miratus est. Deinde post Natale Domini exercitum congregauit, Lincoliam confestim perrexit, auxilióque ciuium ferè XVII. milites, qui in vrbe iacebant, noctu ex insperato comprehendit. Duo verò Comites cum vxoribus & familiaribus amicis in arce erant, subitóque circumuallati quid agerent anxij neC sciebant.

TANDEM Rannulfus, qui iunior erat ac facilior, & audacissimus, noctu cum paucis egressus est, & in Cestrensem Prouinciam ad suos profectus est. Rodberto autem Comiti de Gloucestra socero suo, aliisque amicis & parentibus suis querelam suam deprompsit, Gualos & exheredatos, aliósque multos contra Regem excitauit, ac vt inclusis obsidione suffragaretur, vires vndecúmque collegit. In primis MATHILDEM Andegauorum Comitissam expetiit, auxilium ab ea summoperè poposcit, eíque fidelitatem spopondit, eiúsque gratiam pro velle suo impetrauit. Conglobata itaque armatorum multitudine, duo Consules ad obsidionem appropiauerunt, atque ad pugnandum contra repugnantes sese præparauerunt. Porrò cotidie de aduentu inimicorum rumores audiens Rex paruipendebat, nec eos tales esse vt tantos ausus presumerent, credebat: sed illos qui in arce clementiam eius obsecrabant, aptatis expugnari machinis cogebat. Denique Dominico Sexagesimæ, dum sacra solemnitas Hyppapanti Domini celebraretur, & ipse Rex hostium phalanges iam adesse intueretur, Proceres aduocauit, consiliúmque quid agerent ab eis inquiD siuit. Quidam igitur persuaserunt, vt ingentem familiam cum deuotis ciuibus ad tutandam vrbem constitueret, & ipse ad congregandum exercitum de cunctis Angliæ regionibus honestè discederet, & rursus opportuno tempore, si hostes ibidem permansissent, ad expugnandum illos regali seueritate remearet. Admonebant etiam alij, vt debita sacræ Purificationi sanctæ Dei genitricis Mariæ reuerentia exhiberetur, & tempus prælij nunciis pacis intercurrentibus commodè protelaretur, vt procrastinatione interposita neutra pars confunderetur, nec humanus sanguis ad multorum dolorem funderetur. Obstinatus autem Princeps persuasioni prudentium obaudire contempsit, & prælium pro aliqua ratione induciari indignum duxit: sed protinus suos ad bellum armari præcepit. Acies igitur pugnatorum prope vrbem conuenerunt, & ordinatis vtrinque turmis bellum commiserunt.

TRES nimirum cohortes sibi Rex constituit, & tres nihilominus contraria pars ordinauit. In prima fronte regalis exercitus Flandritæ & Britones erant, quibus

Guillelmus de Ipro & Alannus de Dinan præerant. Econtra vesana Gualorum caterua obstabat, quibus duo fratres MARIADOTH & KALADRIVS præerant. A Rex ipse cum quibusdam pedes descendit: & pro vita sua regnique sui statu fortiter pugnauit. Rannulfus autem Comes econtra cum cateruis suis pedes descendit, & animosam legionem Cestrensium peditum ad stragem faciendam admodum corroborauit. Rodbertus verò Consul Gloucestræ, qui maximus erat in illa expeditione, Bassianis iussit, aliisque exheredatis, vt ipsi pro recuperatione suarum hereditatum, quas calumniabantur, haberent ictum certaminis.

IN primis vtrinque acerrimè pugnatum est, & plurimus hominum sanguis effusus est. In Regis acie præcipui milites fuerunt, sed hostes nimia multitudine peditum & Gualorum præualuerunt. Sanè Guillelmus de Ipro cum Flandrensibus, & Alannus cum Britonibus primi terga dederunt, & inimicos animosiores sociósque formidolosiores reddiderunt. In illo conflictu perfidia nequiter debacchata est. Nam quidam Magnatorum cum paucis suorum Regi comitati sunt, suorúmque satellitum turmam aduersariis vt præualerent præmiserunt. Sic nimirum domino suo B fidem suam mentiti sunt, meritóque periuri & proditores diiudicari possunt. Galerannus autem Comes, & Guillelmus de Guarenna frater eius, Gislebertus de Clara, & alij Normannorum atque Anglorum præclari equites, vt primam cohortem fugisse viderunt, territi & ipsi terga dederunt. Porro Balduinus de Clara, & Ricardus Vrsi filius, Engelrannus de Saia, & Ildebertus de Laceio prælianti Regi fideliter adhæserunt, & vsque ad defectionem viriliter cum illo certauerunt. Stephanus autem Rex fortium actuum antecessorum suorum memor fortiter dimicauit, & quandiu tres secum pugiles habuit, ense vel securi Norica, quam quidam illi iuuenis ibi administrauerat, pugnare non cessauit. Tandem fessus, & ab omnibus derelictus, Rodberto Comiti consobrino suo se commisit, & captus est, & ab eodem paulò pòst Mathildi Comitissæ oblatus est. Sic sic vergente volubili rota fortunæ, de solio regni Rex præcipitatus est, & in ingenti munitione Brichstou gemens & miser, proh dolor! incarceratus est. Balduinus verò de Clara, ceterique præclari tyrones, quos cum C Rege dixi descendisse, & insigniter pugnasse, capti sunt.

PRÆCEDENTI nocte, dum plebs Dei vigilias in honore Virginis matris celebraret, & Matutinorum generalem synaxim Ecclesiastico ritu solemnisandam expectaret, in occiduis partibus, in Gallia scilicet ac Britannia, nimius imber grandinis & pluuiæ factus est: & cum ingenti coruscatione mugitus terribilis tonitrui auditus est.

IPSO die, dum Rex pugnaturus Missam audiret, & multiplici, ni fallor, cogitatu & cura intrinsecus laboraret: cereus consecratus in manu eius fractus est, & multis spectantibus ter lapsus est. Hoc planè infelix præsagium quibusdam sophistis visum est, & eodem die in lapsu Principis manifestè detectum est. Infortunium Regis luctum peperit Clericis & Monachis, populísque simplicibus, quia idem Rex humilis & mansuetus erat bonis ac mitibus: etsi dolosi Optimates paterentur, abolitis suis prauis conatibus, liberalis tutor patriæ fuisset ac beniuolus. Ciues autem Lincoliæ, qui Regi vt oportuit domino suo fauerant, omnimodis vt victoriam cessisse aduersariis audierũt, domos suas & vxores cum omnib⁹ rebus suis diffidentes dereliquerũt, ac ad vicinum flumen vt exilium petentes saluarentur confugerunt. Qui D dum repente conglobati ad scafas venissent, nimiáque sui multitudine cimbas implessent, metúque mortis attoniti inordinatè se habuissent, & posteriores cum impetu super priores irruissent, statim nauiculæ versatæ sunt: & penè omnes, qui intrauerant, vt quidam asserunt, ferè quingenti nobiles ciues interierunt. In conflictu bellico non tanti corruerunt. Guillelmus quidam famosus optio ex parte Regis occisus est, qui nepos fuerat Goiffredi Rotomagensis Archiepiscopi. De aliis verò, vt autumant qui interfuernnt, non plus quàm centum mortui sunt.

PORRO Rannulfus Comes, aliique victores vrbem introierunt, totámque vt barbari depopulati sunt, & residuos ciues, quos inuenire vel capere potuerunt, diuersis mortium generibus absque respectu pietatis vt pecudes mactauerunt. Peracta itaque pugna, & Rege capto, dissensio magna facta est in Anglorum regno. Henricus enim Guentoniensis Episcopus ad Andegauos se protinus conuertit, & Comitissa in vrbe regali fauorabiliter recepta, fratrem suum Regem, & omnes, qui de

STEPHANVS. 1141.

A parte erant eius, omninò deseruit. Gualerannus autem Comes, & Guillelmus de Guarenna, & Simon, aliíque plures Reginæ adhæserunt, & pro Rege suísque heredibus viriliter pugnaturos se spoponderunt. Sic admodum malitia hinc & inde passim multiplicata est, & rapinis ac incendiis hominúmque cædibus Anglia repleta est, & quę olim ditissima affluens fuerat, nunc miserabiliter desolata est. Ioffredus autem Andegauensis Comes, vt vxorem suam vicisse audiuit, protinus in Normanniam venit, legatos ad Proceres direxit, ac vt munitiones suas sibi dederent, & pacifici essent, iure requisiuit. Primus in sequenti Quadragesima, Rotrocus Moritoniæ Consul, pacem cum illo fecit, & rupto fœdere, quod cum Rege pepigerat, auxilium suum Andegauensibus exhibuit. Occasionem namque iræ contra Regem nuper ceperat, quod ipsum pro ereptione Richerij nepotis sui requisierat, sed nihil per ipsum impetrauerat. Richerius siquidem de Aquila Dominico in Septembri, dum B beatæ Marię Natiuitas celebraretur, cum L. militibus in Angliam pacificè pergebat. Cúmque ad burgum, qui Lira dicitur, inermis peruenisset, à Rodberto de Belismo, qui insidiabatur itineri eius, subitò captus est, cum quo firmam pacem habere sperabat. Denique Britolij sex mensibus in carcere fuit, & præfatus prædo cum nimia tyrannide terram eius rapinis, & incendiis sine causa deuastauit. Rotrocus ergo Comes auunculus eius de tanta rabie multum doluit, & nepotem suum de vinculis, & honorem eius ab inimicis eruere concupiuit. Ideóque cum armatis frequenter explorare occursus eius summopere curauit. Tandem in fine Octobris volente Deo prædonibus cum valida manu occurrit. Rodbertum & Mauricium fratrem eius, aliósque plures comprehendit: quibus dirè, vt iustum est, incarceratis, magnam securitatem innocuis pagensibus contulit. In medio Quadragesimæ principes regionum Moritoniæ conuenerunt, & colloquium de negotiis rei publicæ habuerunt. Ibi Hugo Rothomagensis Archiepiscopus, atque Normanni TEDBALDVM Comitem adierunt, eíque regnum Angliæ, & Ducatum Normaniæ obtulerunt. Ille verò tantarum, vt prudens & religiosus prægrauari curarum pondere refutauit: sed Ioffredo Henrici Regis genero interpositis quibusdam conditionibus, regium C ius concessit. Ita videlicet, vt Turonicam vrbem, quæ de feudo eius erat, sibi dimitteret, fratrémque suum Stephanum Regem de vinculis absolueret, & pristinum honorem, quem viuente auunculo suo habuerat, ipsi & heredi eius, ex integro restitueret.

TVNC Rodbertus Legrecestrę Comes cum Rotroco fœdus iniit, & Richerium de Aquila rogatu Consulum qui aderant liberauit, pacem quoque cum Andegauensibus, donec de Anglia remearet, sibi & Gualeranno fratri suo procurauit. Vernolienses autem oppidani, in quorum conuentu XIII. milia hominum computabantur, qui olim pro Rege terribiliter frendebant & minitabantur: considerantes quòd Andegauensibus iam plures cederent, qui dudum obstiterant, emolliri à pristino rigore cœperunt, & munitione reddita dominatum Ioffredi Consulis & Mathildis susceperunt. Sic non multo post municipes de Nonencorte fecerunt.

IOANNES verò Luxouiensis Episcopus tam grandæuus & multa expertus diuturnitate, sine spe alicuius auxilij guerram Andegauorum nolens tam diu sufferre, maximè cùm videret illos cis Sequanam passim præminere, & plura vicinorum op- D pida pacificè sibi subicere, consultu amicorum in vltima septimana Quadragesimæ pacem fecit cum Comite. Deinde ante Pentecostem Cadomo reuersus Luxouium, ex nimio æstu & labore infirmatus est, & post ægrotationem vnius hebdomadis, XXXIV. Episcopatus sui anno, XII. Kal. Iunij defunctus est. Tunc Rotrocus Ebroicensis Episcopus, & Rannulfus Vticensis Abbas, aliíque diocesis suæ Abbates conuenerunt, & in basilica sancti Petri Apostoli corpus eius ante aram sancti Michaëlis ad Aquilonalem plagam sepelierunt. Tunc Ludouicus iuuenis Francorum Rex ingentem exercitum congregauit, ac ad festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ Tolosam obsidere perrexit, & in Consulem ANDEFONSVM RAIMVNDI filium præliari contendit.

ECCE senio & infirmitate fatigatus Librum hunc finire cupio, & hoc vt fiat pluribus ex causis manifesta exposcit ratio. Nam sexagesimum septimum ætatis meæ annum in cultu Domini mei IESV CHRISTI perago: & dum Optimates huius seculi grauibus infortuniis, sibíque valdè contrariis, comprimi video, gratiâ Dei

STEPHANUS. 1141. roboratus securitate subiectionis & paupertatis tripudio. En Stephanus Rex Anglorum in carcere gemens detinetur, & Ludouicus Rex Francorum expeditionem agens contra Gothos & Guascones, pluribus curis crebrò anxiatur. En Præsule defuncto Luxouiensis Cathedra caret Episcopo, & quando vel qualem habitura sit Pontificem nescio. Quid ampliùs dicam? Inter hęc, omnipotens Deus, eloquium meum ad te conuerto, & clementiam tuam vt mei miserearis dupliciter exoro. Tibi gratias ago, summe Rex, qui me gratis fecisti, & annos meos secundum beneplacitam voluntatem tuam disposuisti. Tu es enim Rex meus & Deus meus, & ego sum seruus tuus, & ancillæ tuæ filius: qui pro posse meo à primis tibi vitæ meæ seruiui diebus. Nam sabbato Paschæ apud Attingesham baptizatus sum, qui vicus in Anglia situs est super Sabrinam ingentem fluuium. Ibi per ministerium Ordrici Presbyteri ex aqua & Spiritu sancto me regenerasti, & mihi eiusdem sacerdotis, patrini scilicet mei, nomen indidisti. Deinde cùm quinque essem annorum apud vrbem Scrobesburiam scholæ traditus sum, & prima tibi seruitia Clericatus obtuli in basilica sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Illic Siguardus insignis Presbyter per quinque annos Carmentis Nicostratæ literas docuit me, ac Psalmis, & Hymnis, aliísque necessariis instructionibus mancipauit me. Interea prædictam basilicam super Molam flumen sitam, quæ patris mei erat, sublimasti, & per piam deuotionem Rogerij Comitis venerabile Cœnobium construxisti. Non tibi placuit, vt illic diutiùs militarem, ne inter parentes, qui seruis tuis multoties oneri sunt & impedimento, paterer inquietudinem, vel aliquod detrimentum in obseruatione legis tuæ per parentum carnalem affectum incurrerem. Iccirco, gloriose Deus, qui Abraham de terra, patrísque domo & cognatione egredi iussisti, ODELERIUM patrem meum aspirasti, vt me sibi penitus abdicaret, & tibi omnimodis subiugaret. Rainaldo igitur Monacho plorans plorantem me tradidit, & pro amore tuo in exilium destinauit, nec me vmquam postea vidit. Paternis nempe votis tenellus puer obuiare non præsumpsi, sed in omnibus illi vltrò adquieui, quia ipse mihi spopondit ex parte tua, si Monachus fierem, quòd post mortem meam Paradisum cum innocentibus possiderem. Gratanter facta inter me & te, genitore meo proloquente, conuentione huiuscemodi, patriam & parentes, omnémque cognationem, & notos & amicos reliqui: qui lacrymantes & salutantes benignis precibus commendauerunt me tibi, ô summe Deus Adonai. Orationes illorum quæso suscipe, & quæ mihi optauerunt, pie Rex Sabaoth, clementer annue.

DECENNIS itaque Britannicum mare transfretaui, exul in Normanniam veni, cunctis ignotus neminem cognoui. Linguam, vt Ioseph in Ægypto, quam non noueram audiui: suffragante tamen gratiâ tua, inter exteros omnem mansuetudinem & familiaritatem reperi. A venerabili Mainerio Abbate in Monasterio Vticensi XI. ætatis meæ anno ad Monachatum susceptus sum, vndecimóque Kal. Octobris Dominico Clericali ritu tonsoratus sum. Nomen quoque VITALIS pro Anglico vocamine, quod Normannis absonum censebatur, mihi impositum est: quod ab vno sodalium sancti Mauricij Martyris, cuius tunc martyrium celebrabatur, mutuatum est. In præfato Cœnobio LVI. annis te fauente conuersatus sum, & à cunctis fratribus & contubernalibus multò plus quàm merui amatus & honoratus sum. Æstus & frigora pondúsque diei perpessus in vinea Sorech inter tuos laboraui, & denarium, quem pollicitus es, securus quia fidelis es expectaui. Sex Abbates, quia tui fuerunt vicarij, vt patres & magistros reueritus sum, Mainerium & Serlonem, Rogerium & Guarinum, Ricardum & Rannulfum: Isti nempè Vticensi Conuentui legitimè præfuerunt, pro me & pro aliis tanquam rationem reddituri vigilauerunt, intus & exteriùs solertiam adhibuerunt, nobísque necessaria te comitante & iuuante procurauerunt. Idus Martij cùm XVI. essem annorum, iussu Serlonis electi, Gislebertus Luxouiensis Præsul ordinauit me Subdiaconum. Deinde post biennium, VII. Kal. Aprilis Serlo Sagiensis Antistes mihi stolam imposuit Diaconi. In quo gradu XV. annis tibi libenter ministraui. Denique XXXIII. ætatis meæ anno, Guillelmus Archiepiscopus Rotomagi XII. Kal. Ianuarij onerauit me sacerdotio. Eodem verò die CCXLIV. Diacones, & CXX. consecrauit sacerdotes, cum quibus ad sanctum altare tuum in Spiritu sancto deuotus accessi, iámque XXXIV. annis cum alacritate mentis tibi sacra ministeria fideliter persolui.

SIC,

A Sic, sic, Domine Deus, plasmator & viuificator meus, per diuersos gradus mihi dona tua gratuitò dedisti, & annos meos ad seruitutem tuam iustè distinxisti. In omnibus locis, ad quæ iamdudum me duxisti, à tuis amari, non meritis meis, sed munere tuo me fecisti. Pro vniuersis beneficiis tuis, benigne Pater, tibi gratias ago, toto corde laudo & benedico, & pro innumeris reatibus meis misericordiam tuam flebiliter imploro. Parce mihi, Domine, parce, & ne confundas me. Ad... infatigabilem bonitatem tuam piè plasma tuum respice, & omnia peccata mea dimitte, & absterge. Perseuerantem in tuo famulatu da mihi voluntatem, viresque indeficientes contra versipellis sathanæ malignitatem, donec adipiscar, te donante, perpetuæ salutis hereditatem. Et quæ mihi, benigne Deus, hîc & in futuro dari deposco, hæc amicis & benefactoribus meis peropto. Hæc etiam B cunctis fidelibus tuis secundum prouidentiam tuam concupisco. Ad obtinenda perennia bona, quibus ardenter inhiant desideria perfectorum, quia nostrorum non sufficit efficacia meritorum. O Domine Deus, omnipotens Pater, conditor & rector Angelorum, vera spes & æterna beatitudo iustorum, subueniat nobis apud te gloriosa intercessio sanctæ virginis & matris Mariæ, & omnium Sanctorũ: præstante Domino nostro Iesv Christo redemptore vniuersorum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Stephanus.

FINIS.

GESTA
STEPHANI REGIS
ANGLORVM, ET DVCIS
NORMANNORVM.

INCERTO AVCTORE, SED CONTEMPORANEO.

Ex veteri Codice MS. Episcopatus Laudunensis.

GESTA STEPHANI REGIS ANGLORVM, ET DVCIS NORMANNORVM.

LIBER PRIMVS.

A CVM Rex HENRICVS pax patriæ, gentiſque ſuæ pater, ad extrema deueniens morti debitum exoluiſſet; luctuoſum infortunium vniuerſam regionis faciem turbidam reddidit, & omninò confuſam. Vbi namque eo regnante iudicij caput, iuris inerat domicilium; ibi eodem ruente iniquitatis copia, totiúſque malitiæ ſuccreuit ſeminarium. Anglia ſiquidem iuſtitiæ priùs ſedes, pacis habitaculum, pietatis apex, religionis ſpeculum, peruerſitatis poſtea locus, diſſenſionis receſſus, inquietudinis diſciplina, omníſque rebellij effecta eſt magiſtra. Rupta protinus in populo veneranda ſanctæ amicitiæ fœdera, diſſoluta mutuæ cognationis coniunctiſſima vincula: quóſque diutinæ tranquillitatis veſtierat toga, illos bellicus ſtridor, Mauorcius furor inuaſit. Nouo enim quiſque ſæuiendi raptus amore, in alterum crudele debacchari, tantóque ſeſe glorioſiorem æſtimare, quanto in innocentes nocentiùs inſurgebat. Legis quoque inſtitutis, quibus indiſciplinatus coërcetur populus, ex toto neglectis, immò & adnullatis, ad omne illicitum effrenati, quicquid flagitij mente occurrebat, promptiſſimè peragebant. Vt enim verbis Propheticis vtar, à planta pedis vſque ad verticem non erat in eis ſanitas: quia à minimis vſque ad ſummos animæ morbo ægreſcentes vel raptum committebant, vel raptui aliis aſſentiendo parebant. B Feræ quoque, quæ in tota priùs regione tanquam in indagine recluſę cum ſumma pace reſeruabantur, nunc quaqua verſum turbari, à quolibet paſſim diſpergi, ab omnibus abiecto metu proſterni. Et hæc quidem minor, nec multum conquirenda iactura, ſed admodum tamen ſtupenda: quomodo tanta ferarum milia, quæ antea copioſo grege vniuerſam terram affluenter inundarant, tam repente fuerint adnullata, vt de tam innumero examine vix duas poſtmodum ſimul reperires. Vbi tandem cœpit grandis hæc & indicibilis copia adeò exteNuari, vt rariſſima, vt aiunt, auis eſſet, vel vnam vbiuis locorum feram conſpicari. In ſeipſos truculenter conuerſi alius ſpoliare, res poſſeſſas ſibi viciſſim diripere, inſidias & necem alterutrim moliri: vtque per Prophetam dicitur, vir immiſericorditer in virum, vnuſquiſque irruere in proximum ſuum. Quicquid enim ſceleris ira vrgente ſub pace dictabatur, nunc vindictæ arrepto tempore ad effectum quàm celeriter deducebatur: quia odioſa ſimultas ſeſe publicè retegens quicquid occultè ſecum palliarat, in lucem nunc proferens apertè declarabat. STEPHANVS.

INTEREA dum ſe Anglenſes ita turbulenter, ita & calamitosè continerent, laxatíſque iuſtitiæ frenis ad omne nefas liberè prorumperent, STEPHANVS BVLONICENSIS Comes, vir præclara nobilitatus proſapiâ, Angliam cum

STEPHANVS. paucis applicuit. Erat enim idem vir pacifico Regi HENRICO omnium nepotum solus carissimus: eo quòd non solùm ei germanâ contribulis lineæ consanguinitate coniunctus, sed multimodo esset virtutum coruscamine præcipuè insignitus. Fuit siquidem, quod in nostri temporis diuitibus constat esse rarissimum, diues & humilis, munificus & affabilis: sed & in omni militari congressione, siue in hostium qualibet obsidione audax & fortis, discretus & longanimis. Hic itaque tantus, cùm primum Regem HENRICVM extremum exhalasse spiritum fama intimante percepisset, magnum quoddam de more illius Saulis in corde concipiens, cùm transmarinis inesset partibus, ad litus tetendit, nactóque fortuitu flatu secundo, animum cum naui penes Angliam direxit. Cúmque iam, vti præmissum est, cum paucissimo comitatu applicuisset, ad ipsam totius regionis reginam metropolim maturato itinere LVNDONIAS deuenit. Concussa protinus in aduentu viri ciuitas illa cum læto strepitu obuiam ei occurrit: quæque lugendum tutoris sui Henrici occasum mœstuosè lugebat, tanquam eum in Stephano recuperasset, lætãter & festiuè tripudiabat. Maiores igitur natu, consultúque quique prouectiores concilium coëgere, déque regni statu pro arbitrio suo vtilia in commune prouidentes, ad Regem eligendum vnanimiter conspirauêre. Dicebãt enim omne regnum sinistræ fortunę casibus subiacere, vbi ipsa totius regiminis iustitiæque caput pręsentia defuerit. Iccirco operæprecium eis esse Regem quàm maturè constituere, qui ad communis vtilitatis pacem reformandam & rebellibus regni armatus occurreret, & legum instituta iustè disponeret. Id quoque sui esse iuris, suíque specialiter priuilegij, vt si Rex ipsorum quoquo modo obiret, alius suo prouisu in regno substituendus e vestigio succederet. Nec alium sese in manu habere, qui Regis vices adimplens tantis regni periculis finem imponeret, quàm Stephanum illum diuino, vt sibi videbatur, nutu inter eos adductum: qui ad hoc idoneus tam generis dignitate, quàm animi probitate omnibus apparebat. His igitur auditis, & ab omnibus graciosè, nullóque apertè cõtradicente receptis, de regno eum suscipiendo in commune consultum consciuêre, Regémque omnium ad hoc concordante fauore constituêre: firmata priùs vtrimque pactione, peractóque vt vulgus asserebat mutuo iuramento, vt eum ciues quoad viueret opibus sustentarent, viribus tutarentur; ipse autem ad regnum pacificandum ad omnium eorumdem suffragium toto sese conatu accingeret.

STEPHANVS itaque tam fortunato euentu & Regis nomen, & regni apicem assecutus, ad pacem in regno conciliandam sese viriliter armauit; ipsísque prædonibus, qui circumiacentem grauiter depopularant prouinciam, fortiter occurrens, insignem mox in regni sui primordio promeruit titulum. Erat namque eo in tempore vir quidam, etsi dignitatis exiguæ, vtpote Regis Henrici ianuarum conclusor, ad nocendum tamen præcipuè paratus, & ad violentiam pauperibus inferendam auidissimus. Hic etenim cum indiscreto tam rusticorum quàm stipendiariorum militum agmine vicinos suos circumquáque molestans, nunc deprædatione insatiabili, nũc igne & gladio omnibus se intolerabilem exhibebat. Huic tandem Stephanus obuiam intrepidè occurrens, commanipulares eius nonnullos victoriosè captos vel vitâ priuauit, vel vinculis mancipauit: ipsúmque eorumdem ducem cum aliis concludens, cruciariæ stipiti postremò affixit. Deinde valida militum manu, qui vndecumque confluxerant, repentiuè collecta, ad HENRICVM Episcopum, in quo totius annisus sui summa dependebat, festinatò tetendit. Erat enim vir ille ex ambobus genitoribus frater ei progenitus, vir sicut prudentiâ mirabilis, ita & eloquentiâ ineffabilis: qui & dextrâ sibi ad votum arridente fortunâ, Abbas Glastoniæ, Præsul Vvintoniæ, totiúsque Anglię Legatus fuit ab Apostolica Sede in regno inthronizatus. Iste igitur de prospero germani sui successu eximiè lætatus, cum dignioribus Vvintoniæ ciuibus obuius ei aduenit, habitóque in communi breui colloquio, in ciuitatem secundam duntaxat regni sedem honorificè induxit.

FVIT eodem in tempore in ciuitate Vvintoniensi VVILLELMVS quidam fidissimus thesaurorum Regis Henrici custos & resignator, qui sæpiùs ab Episcopo precibus obstrictus mercede fuit permulsus, vt castellum sibi traderet, thesauros aperiret. Sed quanto ille ad petendum intensior, tantò iste ad inficiandum habebatur procliuior. Ceterùm, vbi Regem aduẽtasse cognouit, nescio vtrũ timore an amore illius permotus, eius se occursui gratanter obtulit, ipsúmque ditissimũ Regis Hẽrici

A ærarium, quod tota ex antiquissimis Regibus Anglia copiosè refersferat, eius deliberationi cum castello contradidit. Noua proinde per regnum de noui Regis aduentu fama præconante, quamplures eum, & illi præcipuè, qui ante regni susceptionem se illi vel fratribus suis amicitiâ deuinxerant, gratè & hilariter recipientes, ad nutum illi cum omni conatu obsecundabant. Affuit & inter alios VVILLELMVS Cantuariæ Archipræsul, vir vultu columbinus, habitúque verè religiosus: sed pecuniarum adquisitarum possessor auidior, quàm erogatior. Cùm enim de communi vita moriens tandem secessisset, infinitam æris copiam in repositoriis suis occultè reconditam Regis administratorij repererunt: quam si in eleemosynarum largitione viuens distribuisset, imitans Euangelicum hominem, qui de mamona iniquitatis sibi amicos efficiens, ideo dispersit & dedit pauperibus, vt iustitia illius in æternum maneret, perfectum Pastorem perfectiùs adimpleret. Qui cùm Regis fautores obnixè persuaderent, quatinus eum ad regnandum inungeret, quodque imperfectum videbatur administrationis suæ officio suppleret, rationabili eis responso obuiauit: B asserens non id leuiter aut subitò fieri debere, sed & discretionis priùs ventilabro sollicitè discutiendum, & callido omnium consilio vtrum fieri deberet, sapientissimè inuestigandum. Sicut enim, inquit, Rex ad hoc eligitur, vt omnes regat, electúsque imperij sui iura omnibus iniungat: sic profectò, sic congruit, vt ad eum in regno confirmandum omnes pariter conuolent, paríque consensu quid statuendum, quidue respuendum sit, ab omnibus prouideatur. Adiecit & Regem Henricum, cùm aduiueret, primos totius regni artissimo constrinxisse iureiurando, ne quem post illius discessum, nisi aut filiam, quam Comiti Andegauensi maritarat, aut illius si superfuisset heredem in regno susciperent. Ideóque præsumptuosum esse quippiam huic statuto aduersum velle moliri: maximè cùm & filia eius superstes esset, & hæredum gratiâ non priuaretur. Ad hæc Regis suffraganei constanter responderunt. Verùm, inquiunt, nec abnegandum Regem Henricum callidæ intentionis « proposito filiam despondisse; quatenus inter Normannos & Andegauenses, qui se « C sæpius dissidendo turbarant, firmiùs & stabiliùs pacem conciliaret. Ad ipsam quo- « que heredandam imperioso illo, cui nullus obsistebat, oris tonitruo, summos to- « tius regni iurare compulit potiùs quàm præcepit. Et quanquam eosdem inuitè iura- « re, iuramentúmque haut ratum fore praenosceret, voluit tamen more Ezechielis in « diebus suis pacem reformare, pérque vnius mulieris coniugium multa hominum « milia ad concordiæ adsciscere glutinum. Vtque patenter agnosceremus, quòd ei in « vita certa de causa complacuit, post mortem vt fixum foret displicuisse, supremo « eum agitante mortis articulo, cùm & plurimi astarent, & veram suorum erratuum « confessionem audirent, de iureiurando violenter Baronibus suis iniuncto apertissi- « mè pœnituit. Vnde, quia constat omne iusiurandum à quolibet cum violentia ex- « tortum ipsam periurij efficaciam penitus amisisse, sanum est, præcipuéque acceptan- « dum eum ad regnandum lætè suscipere, quem & summum totius regni caput sine « repulsu Londonia suscepit, & ad hoc iusto germanæ propinquitatis iure idoneus ac- « cessit. Spe quoque firmâ certificamur, si virum suscipientes omni illum annisu iu- « uerimus, regno maximè profuturum: quia cùm ab omnibus modo diripitur, distra- « hitur, & conculcatur, in ipso protinus tanti infortunij exordio constat per virum « constantem & militarem idem in melius posse reformari, qui & suorum potentiâ, & « D fratrum sapientium gloriâ sublimatus, quicquid sibi deesse putabitur, eorum admi- « niculo suffultus perfectiùs adimplebit. «

TALIBVS itaque, sed & aliis nonnullis ratiociniis, quæ breuiandi causâ prætereo, impulsus Archiepiscopus, Regem eum in Angliam & Normanniam, cum Episcopis, frequentíque qui intererat Clericatu, sacrauit & inunxit. Quibus tãdem cognitis, celebríque sermone per Angliam diuulgatis, omnes ferè primi totius regni lætè eum & veneranter recepêre, plurimísque ab eo muneribus donati, sed & terris amplificati, liberali cum iureiurando præmisso hominio eius sese seruitio ex toto manciparunt. Affuit & inter alios ROBERTVS Comes Glaorniæ, filius Regis Henrici, sed nothus, vir probati ingenij, laudabilísque prudentiæ. Qui cùm de regni susceptione, patre defuncto, vt fama erat, admoneretur, saniori præuentus consilio nullatenus adquieuit: dicens æquius esse filio sororis suæ, cui iustius competebat, regnum cedere, quàm præsumptiuè sibi vsurpare.

STEPHANVS.

STEPHANVS. Hic itaque cum regiis mandatis & scriptis sæpius ad se venire commonitus, tandem affuisset, gratiose & excellenter susceptus, quæcumque postulauit exhibito Regi hominio fuit ad votum assecutus: ipsoque postremo pacificato, totum penè Angliæ regnum fuit Regem secutus. A

REX igitur copioso militum stipatus agmine, splendidè, sicut regalem decet honorificentiam, per Angliam procedere, se suo regimini inclinantes benignè & venerantur suscipere, in omnibus vtriusque Ordinis Ecclesiis, vrbibus etiã & castellis. cum festina occursione recipi, ad omnes se pro necessariis expetentes humiliter & mansuetè inflecti. Pro pace in regno reuocanda plurimum adniti, pro concordia inter subiectos restauranda non minimum largiri, nec solùm ad Angliam, imò & ad VVALONIAM pacificandam multum sudoris, multum & pecuniarum impendere. Est autem Vvalonia terra siluestris & pascuosa, ipsi Angliæ proxima vicinitate contermina, ex vno eiusdem latere in longum iuxta mare protensa, ceruorum quidem & piscium, lactis & armentorum vberrima: sed hominum nutrix bestialium, naturâ velocium, consuetudine bellantium, fide semper & locis instabilium. Postquam autem Normanni bello commisso Anglos sibi subiugarunt, hanc etiam suo imperio terram adiacẽtem castellis innumeris annuêre, propriis incolis viriliter edomitis cõstanter excoluêre, ad pacem confouendam legem & plebiscita eis indixêre, adeóque terram fertilem omnibúsque copiis affluentem reddidêre, vt fœcũdissimæ Britanniæ nequaquam inferiorem æstimares. Verùm, Rege Hẽrico mortuo, pace quoque regni & concordia cum ipso sepulta, in dominos suos Vvalenses mortale semper odium spirantes, fœdus quod eis pepigerant, penitus abruperunt, è diuersísque turmatim emergentes locis, nunc huc, nunc illuc hostiliter discurrerunt, deprædatione, igne, gladio villas euacuarunt, domos consumpserunt, homines necauerunt. Et primum quidem in maritimam prouinciam, quę vocatur GVER, delectabilem admodum, omníque fertilitate redundantem, promouerunt exercitum, milítésque cum pedestri agmine vsque ad quingentos & sexdecim in vnum contra eos cuneum conglobatos vndique circumuenientes, in ore gladij penitus prostrauerunt. Deinde de primo dissensionis suæ euentu prosperè peracto apprimè collætantes, per omnes se Vvaloniæ fines audacter effuderunt: ad omne quoque facinus proni, ad omne illicitum perfaciles, non cuiuis ætati parcere, non ordini cuipiam reuerentiam exhibere, non tempore aut loco sceleris immunes existere. Hæc autem rebellij semina ad aures Regis famâ deferente, effrenam illorum temeritatem cohibere attentans, milites & sagittarios plurima thesauri sui stipe conductos ad eos edomandos transmisit. Sed alij multis egregiè perpetratis ibi occisi, alij ferocem hostium non ferentes occursionem, post multa exercitia & impensas inglorij recesserunt. B C

FVIT eodem in tempore RICARDVS filius Gisleberti in Vvalonia vir sinceræ generositate insignis, cognatis & hominibus fultus ditissimis, terris & castellis heredatus innumeris, qui omnes affines suos fide habens confederatos, obsidibus verò obstrictos, pacis eam multimodęque fœcunditatis adeò reddidit affluentem, vt secunda esse Anglia perfacilè crederetur. Iste igitur, cùm magna quædam Regem postulasset, nec ad votum impetrasset, bellum, vt aiebant, aduersus eum promoturus abscessit, Vvaloniámque cum ingenti comitatu repedans, insidiis ab ipsis Vvalensibus positis circumuentus est, & inter omnes suos miserabiliter solus occisus. Quod cùm latiùs diuulgatum esset, summum videlicet Vvalensium Primatem succubuisse, ex diuersis Prouinciis in immensum se coadunantes exercitum, terram illius ingressi in tres se terribiles turmas ordinatè & bellicosè diuiserunt, ipsósque Ricardi milites, sed & alios nonnullos, qui vsque ad tria milia cum peditum agmine ex vicinis vrbibus & castellis ad auxilium eorum conuenerant, ex tribus partibus perlustrantes in fugam miserunt, eósque cum clamore, sagittarúmque emissione viriliter & animosè insequentes, alios miserandis modis occiderunt, alios in flumine violenter impulsos enecuerunt, nonnullos domibus & templis ignibus impositis cremandos tradiderunt, totámque prouinciam, quæ vsque ad XXXVI. miliaria distenditur, prædando peruagantes, nihil residui in ea reliquerunt, senes aut neci aut ludibriis exposuerunt, iuuenes vtriúsque sexus vinculis & captiuitati addixerunt, feminas cuiusuis ætatis publico incestui impudenter dederunt. Deinde Baronũ castella alia effringentes, alia stricta obsidione cingentes, quibus paulo ante flexa ceruice D

STEPHANVS.

A subiciebantur, eorum nunc versa vice rigidè dominabantur. Fuit ipsius Ricardi quoddam castellum obsessum, inexpugnabili munitione vallatum, in quo vxor eius soror Comitis Cestriæ clausa delitebat, quæ multimodo cruciatu anxia torquebatur, quia viri solatio carens feminea desperatione frangebatur, escarum immunis, ambientibus eam cum plurimo suo collegio inimicis, strictissimè includebatur, totius ad se refugij superuenientis exspes, tristitia & mœrore atterebatur. Cúmque illic proximis ad eam pertingere non valentibus diutissimè demoraretur, Milo quidam ciuitati Glaucensium præsidens, qui & pro ea callido magis prudentis animi ingenio, quàm ex generis successione ad Consulatus apicem conscendit, ad eam liberandam tum pro compassiua, quam de ingenua habuit muliere, pietate, tum pro Regis imperio, qui hoc ei literis delegatis iniunxerat, se & suos dedit periculo, intérque medios hostes per opaca nemorum lustra, per montium prominentia capita ad castellum fortiter iuit, eámque cum suis sanè reducens, victoriosè & cum gloria rediuit.

B AVDIENS autem Rex & in hac patria Vualenses ad discordiam excitandam conualuisse, proposuit & adhuc temerariæ illorum obsistere præsumptioni, ascitóque BALDVINO memorati Ricardi germano, inæstimabilem ei pecuniarum committens copiam, præcepit quatinus fratris terræ impigrè subueniret, & ad aduersarios retundendos se constanter accingeret. Ille autem acceptis pecuniis, expeditos ad comitatum suum milites, sed & virilis pectoris arcitenentes vsque ad quingentos conducens, vsque ad castellum Brecheneo cum omni apparatu deuenit, ibíque audiens aduersarios cum innumerabili multitudine ei occurrisse, vias prostratis ex transuerso arboribus obstruxisse, omnésque vesaniæ complices ad suffragium suum ediuerso conuocasse, timore concussus cœptum iter repressit, ibidémque multo tempore demorans, dum hostes per hoc aut tædio afficere, aut fame deficere arbitratur, ventri tantùm & otio indulsit, prodigéque quæ secum detulerat consumptis, indigens & honoris vacuus ad propria remeauit.

ROBERTVS quoque filius HERALDI, vir stemmatis ingenuissimi, fuit ad Vualenses subiugandos, sed aliorsum destinatus: ibíque gloriosè multotiens adC quisito de inimicis triumpho, castellum inter eos, quod tunc penè fuerat inhabitatum, inexpugnabiliter firmauit, hominibúsque in eo ad omnem sortem paratis diligenter expositis, post multa laudabiliter expleta, ad Angliam pro viribus reparandis cum paucis diuertit. Hostes autem de absentia illius non minimum alacres, reditúmque suum è proximo formidantes, in vnum se globum repentè collegerunt, eiúsque castellum diutissima obsidione vallantes, cùm nec inhabitantibus alimenta adessent, nec Rodbertus propter intolerabilem eorum impetum ad subueniendum tam præstò sufficeret, reditum sibi tandem subruerunt. Vualensibus igitur his terram modis turbantibus, videbatur Regi frustra niti, frustra & thesauri sui immensitatem ad eos pacificandos effundere: ideóque commodiori monitus consilio, maluit effrenam illorum aliquantisper pati diffidentiam, quatinus armis cessantibus, discordiáque commune inter eos dissidium operante, aut fame afficerentur, aut in seipsos conuersi mutua cæde consummarentur. Et quidem id in breui contigisse vidimus. Cædibus namque & prædæ incessanter vacantes, terram omnem vomeris ignaram, hominum autem vacuam adeo reliquerunt, vt nulla penitus spes vitæ sequentis in posterum relinqueretur: sed tabe & inedia defecti D post mortem animalium, quæ prædam illorum persequuta est, & ipsi corrupto ex cadauerum tabefactione aëre permixtim moriebantur. Hæc verò, quæ diuersis in Vualonia contigêre temporibus, in vno ordine redigentes paucis perstrinximus, ne totiens à cœpto tractandi limite esset aberrandum, quotiens aliquid insigniter gestum suo esset in loco competentiùs deflorandum.

REX igitur ad regnum tranquillandum, ad pacem componendam, vti superiùs prolatum est, impiger existere, omnibus facilem se & accõmodum exhibere, exheredatos in propria reducere, in distribuendis Ecclesiarum honoribus vicij simoniaci expers omninò esse, in causis tractandis, in hominibus iure testandis, nihil impulsu muneris, nihil gratiâ mercedis perficere. Omnibus nihilominus cuipiam religioni addictis cum humili se reuerentia inclinare, omnibus cuiuslibet ætatis habilem se & flexibilem reddere. Tam benigni etiam, támque mansueti erat a-

STEPHANVS. nimi, vt regiæ ferè dignitatis oblitus in multis negotiis non se suis prælatum, sed A omnimodis parem, quandóque etiam inferiorem videret. Iamiámque ad consuetam pacem, ad solitam se Anglia quietē paulatim informabat, omnésque sine vlla violentia, sine omni omninò exactione, gratiâ Dei, per quam Reges regnant, inflectebantur: exceptis quibusdam Regis Hērici primis & coniunctioribus amicis, quos ex plebeio genere inter aulanos iuuenculos ad ministrandū assuetos, intantùm postea singulari sibi dilectione astrinxit, vt eos honoribus ditatos largissimis, prædiisq; honoratos amplissimis, & omnium Palatinorum archiministros efficeret, & omnium curialiū causarum susceptores præscriberet. Isti itaque cum regia delectatione Curiam frequentare sæpiùs monerentur, eandémque is amicitiæ gratiam, eundem honorationis cumulum, quem eis Rex Henricus exhibuit, se etiam eis relaturum sponderet: diu se circa castella sua reprimentes, scriptis Regis adquiescere penitus abnuerunt, tum propter fidem & iusiurandum, quod connutritiæ suæ Regis Henrici filiæ debuerant, tum quia quique regni nobiliores gloriam eorum & pompam ægrè ferebant, vtpote qui ex imo creati genere se multò nobiliores & diuitiis excederent, & dominio superarent. Verebantur etiam alia de causa in præsentia Regis accedere, ne scilicet clamoribus pauperum, querimoniis viduarum, quorū ad suum vsum terras redegerant, coram Rege circumuenti, quod iniustè possederāt, vrgente iustitiâ prorsus amitterēt. Sed Rex malens circa eos benigna vti patientia, & omnia priùs amore experiri quàm armis, quosdam de assistentibus sibi, super quos præcipuè innitebatur, ad eos in amoris concordiam reducendos transmisit, quatinus & blanditiis eos lenientes, & minis ni adquiescerent absterrentes, ad assensum suum quibus modis possent intentissimè prouocarent. Illi autem intenta sibi à Rege comminatione, cum saluo eundi & redeundi conductu Curiā petiêre; omnibúsque quæ petierant ad votum impetratis, peracto cum iureiurando liberali hominio, illius sese seruitio ex toto manciparunt. Affuit inter reliquos PAGANVS filius Ioannis, sed & MILO ille, de quo superiùs fecimus mentionem, ille Herefordensis & Salopesbirię, iste Gloccestrensis prouinciæ dominatum gerens: qui intantum in tempore Regis Henrici potentiæ suæ culmen extenderant, vt à Sabrina flumine vsque ad mare C per omnes fines Angliæ & Vvaloniæ omnes placitis inuoluerent, angariis onerarent. Sed illo defuncto, dum metu Regis Stephani magis, quàm impotentiâ pressi, opportunitatem quando diffidentiam excitarent præstolarentur, ambo miserandis modis sine pœnitentiæ fructu interierunt. quia Paganus dum Vvalenses persequitur, solus inter suos missili capite transforato succubuit. Milo verò post multas perturbationes, quas postea Regi & regno consilio & astu, sicut in consequentibus pleniùs declarabimus, intulit, dum ceruis insidiaretur à comite pectus sagitta transfixus sine mora interiit.

OMNIBVS igitur Summatibus regni fide & iureiurando cum Rege constrictis, Edicto per Angliam promulgato, summos Ecclesiarum ductores cum primis populi ad Concilium Londonias consciuit. Illis quoque quasi in vnam sentinam illuc confluentibus, Ecclesiarúmque columnis sedendi ordine dispositis, vulgo etiam confusè & permixtim, vt solet, vbique se ingerente, plura regno & Ecclesiæ profutura fuerunt & vtiliter ostensa, & salubriter pertractata. De Ecclesiæ siquidem statu in melius componendo, de eiusdem libertate multipliciùs restauranda, splendidè nonnulla in ipsa Regis præsentia perorarunt, asserentes in Regis Henrici præcipuè temporibus Ecclesiam vacillasse, ancillam fuisse deiectam & conculcatam, plurimíque dedecoris iniuriis affectam. Pastores etenim eius, spirituales scilicet diuini verbi expensores, qui Dei mensæ coniunctiùs assistebant, placitis & legibus implicare, cuiuslibet angariæ violenta exactione degrauare, munuscula annuaria vice tributi ab eis exigere, ostium Ecclesiæ Simonis frequentiùs quàm Petri claue claudere vel aperire. Quod Deus acceptauit coniugij bonum perfacili occasione dissoluere, adulterina lenocinia sicut ipse committere, ita & in aliis tolerare, terras Ecclesiarum Pastoribus defunctis in proprios vsus redigere, altarium nonnunquam oblationes in Præpositorum laicorum manus contradere, vel recompensa sibi mercede, quibus iure cedebant, iniustè concedere. Si quis autem ex aduerso ascendens se murum pro domo Israël vellet obicere, nefandísque huiusmodi commentis Ecclesiastico rigore occurrere, terrore illius protinus repressus iniuriis im- D

A peti, insecutione valida à se suísque cõministris tribulari, nec ante in postulatione qualibet vel querimonia exaudiri, quàm manu eius inuncta reum se præsumptionis in publico proclamaret. Super hac igitur inuerecunda Ecclesiæ depressione, alteráque, vt veriùs dicam, Pharaonis grassatione, in facie Regis vehementer conquesti, obnixè eum implorauerunt, quatinus suæ Ecclesiam libertati redderet, sui eam iuris compotem efficeret, illius instituta legibus secularium præponi, illius decreta nulla ratione præualente pateretur remitti. His autem Rex patienter auditis, quæcúmque postularant gratuitò eis indulgens, Ecclesiæ libertatem fixam & inuiolabilem esse, illius statuta rata & inconcussa, eius ministros cuiúscumque professionis essent vel ordinis, omni reuerentia honorandos esse præcepit. Fecissétque præceptioni suæ satis, nisi & consiliatores peruersi, qui bonum quandóque B peruertunt animum, & ipsa indigentiæ necessitas, quæ nullam legem vel rationem admittit, ad hæc infringenda, sicut in consequentibus declarabimus, eum impulissent. Et istis quidem tali modo peroratis, in vna omnium pace & concordia Concilium est solutum.

STEPHANVS.

Extitit eo in tempore Robertvs quidam de Batthentona miles reuera nec sanguinis infimi, nec honoris terrarum exigui, sed vorax vini & escarum consumptor, gulæ tantùm & ebrietati sub pace vacabat. Mortuo autem Rege Henrico, ebrietatis studium in discordiæ commutans dissidium, militibus & sagittariis secum in castello acglutinatis, affines omnes igne & deprædatione vehementer vexabat: hominióque tandem Regi Stephano exhibito, cùm discordiæ maximè & inquietudinis deberet immunis existere, crudelior cunctis & infestior apparebat. Vocatus verò ad Curiam tanquàm de rebellio in regno excitato satisfacturus, piger quidem & subtristis aduenit: vtpote qui periurij sibi & infidelitatis conscius regiam se maiestatem offendisse prænorat. Accusatus denique à pluribus, quorum C substantiam hostili inuasione diripuerat, cùm causa eius inualida, & responsio inefficax esset, sententiæ Iudicum protinus addictus, compulsus est & castellum Regis deliberationi committere, & quæcúmque possidebat in misericordiæ illius dispositione contradenda esse. Et hoc profectò iustè prouisum, satísque idoneum iudicatum fuit, vt qui aliorum cupidus quæ sua non erant iniustè inuaserat, iusto æquitatis iudicio & sua amitteret. Consultum est autem Regi, quia necessitas ad hoc vrgebat, militum cohortem ad eius suscipiendum castellum comitante ipso Roberto destinaret. Quod & ipse hilari quidem & arridente vultu in Curiæ conspectu concessit, sed in animo dolosè versabat, quomodo & Regis milites seducere, & quæ proprij possidebat iuris posset retinere. Cùm igitur in itinere pariter progressi, ad quandam ipsius Roberti villam hospitandi gratiâ diuertissent, ipso Roberto duce illorum & præambulo existente, omnes domus suæ ministros in eorum susceptionem gratanter excitauit, splendidóque epularum apparatu omnibus abundè conuiuatis, vino etiam largissimo, & somno in nocte sepultis, ipse equum ascendens ab eis furtiuè discessit, suóque municipio contra Regem valdè obfirmato, D nunc huc, nunc illuc per incerta latibula vagans, quandóque etiam cum Regis inimicis aduersus eum inimicanter agens, horrendo tandem exitu inter extraneos expirauit. Sed Regis milites in crastino expergefacti, vt consodalem tam negligenter amissum aduerterunt, plurimum de discessione illius confusi, sicut sine Roberto, ita & sine honore ad Curiam redierunt. Audiens denique Rex seditionem circa Batthentonam esse exortam, (municipes namque Roberti igne & rapina sæuientes escarum omne suffragium, viribus vndecúmque illatis direptum, in castellum congerebant) pulsa protinus dilatione, potenti cum armatorum expeditione illuc tetendit. Quò cùm peruentum esset, fixis circa castellum castris, sagittariis etiam ad excubandum nocte dispositis, aliis ad insidiandum in die ordinatis, ad expeditionem perseueranter inferendum Rex cum omni exercitu viriliter se accinxit. Nec mora, dum excubitores intentiùs pernoctant, miserum homunculum à muro demissum, fugámque consulentem ceperunt, oblatúmque Regi in omnium suorum oculis altè suspenderunt: Rege affirmante, tali omnes exitio puniendos, ni iussioni suæ festinè adquiescentes, de castello reddendo in commune consulerent. Illi statim verentes, minis sibi à Rege intentis, vitæ suæ prouidere consultu dignum iudicauerunt, dum constat & verum fit nullam pro anima commutationem tribue-

STEPHANUS. dam: redditóque in manus Regis castello, dura sibi vellent nollent imposita conditione, vt ab omni regno exules aberrarent, donec eos clementia Regis reuocaret, cum Rege Scotio multo, vt audiuimus, tempore habitarunt. A

NECDUM ista Rex ad effectum deduxerat, & ecce quidam maximæ discordiæ nuncij ex Esonia ciuitate, referentes BALDUINUM DE REVERS, virum & dignitate & genere magnificum, insolita quædam, & vt res se habebat, aduersus regiam pacem agere: quia vrbem inter togatos ciues solitò arrogantiùs cum armato milite ingredi, nec solùm in vrbe commanentes, sed & conuicaneos omnes, vt ad sui solius dominium inflecterentur rogare, omne etiam genus edulij in castello, quod ex regio sibi vsurparat honore, festinanter ingerere, vniuersis non suæ se præsumptioni inclinantibus ignem & gladium viua voce minari. Iccirco se Regem summissa prece implorare, vt ciuibus suis in tribulationis angustia positis, solámque in defensione sua remediũ sperantibus succurrere maturaret: quò subuentionis suæ ope roborati, & Balduini potentiæ faciliùs reniti, & sibi soli valerent liberiùs & specialiùs obsequi. Talibus Rex auditis, temerariam Balduini præsumptionem indignè ferens, & ideò præcipuè, quia luce clarius erat iniustè eum aduersum se insurrexisse, quia castelli Esoniensis, quod regalis semper extiterat iuris, Rex sibi custodiam rationabiliter requirebat: nullum hostibus discursandi per prouincias tempus indulsit, sed ducentis equitibus, qui illum præcederent, ad Esoniam destinatis præcepit, vt tota nocte itinerantes aduersarios secluderent si possent, sin autem ciuibus permixti armati incederent, néue ciuitati obessent sollicitè procurarent. Cùm igitur in mane crastinus dies erupisset, Balduini milites in ciues iracundia permoti, eo quòd in malum suum ad Regem misissent, ad ciuitatem spoliandam, ad faces domibus iniciendas agmine conferto è castello prodibant: cùm ecce regionarij micantibus armis vexillisque in altum volitantibus ciuitati appropiarunt, tumultúque ciuitatis pro castellanis deprædatione & igne furentibus horribiliter exorto, portis se audacter inferentes, in fugam aduersarios repentè miserũt. Nec mora & Rex in turmis & cẽtenariis cum glorioso, immò vt veriùs dicam, cum horrendo comitatu aduenit, ciuibúsque suis cum honore & gloria, cum donariis & festiua lætitia illi occurrentibus, gaudenter intra muros susceptus fuit. B C

EST autem ESONIA ciuitas ampla, vetustissimo Cæsarum opere murata, quarta vt ferunt principalis Angliæ sedes, æquoreorum piscium, carnium quoque & naualis commercij refertissima. Castellum in ea situm editissimo aggere sublatum, muro inexpugnabili obseptum, turribus Cæsarianis incisili calce confectis firmatum: in quo Balduinus validissimam pubem totius duntaxat Angliæ florẽ ad obsistendum Regi delectam imposuit. Et isti quidem fide & iureiurãdo, ne Regi cederent omninò, cùm essent astricti, cum vxore illius & filiis ad omnia parati recludebantur, castellúmque cum micantibus armis spissim & ordinatè coronantes, conuiciis illatis Regem & suos sæpissimè improperabant. Aliquando etiã ex occultis aditibus ex insperato prosilientes, regium damnaturi exercitum cum impetu irruere, nonnunquam verò aut sagittas emittere, aut iacula ex alto vibrare, multísque aliis modis cùm tempus exigebat infesti existere. Ceterũ Rex cum Baronum copia, qui omnes aut cum adueniente conuenerant, aut perniciter eum collatis viribus subsequebantur, multis modis quo eis molestior esset desudauit, quia & agmine peditum instructissimè armato exterius promurale, quod ad castellum muniendum aggere cumulatissimo in altum sustollebatur, expulsis constanter hostibus suscepit, pontémque interiorem, quo ad vrbem de castello incessus protendebatur, viriliter infregit, lignorúmque ingentia ædificia, quibus de muro pugnare nitentibus resisteretur, mirè & artificiosè exaltauit. Die etiam & nocte grauiter & intentè obsidionem clausis inferre, nunc cum armatis aggerem incessu quadrupede conscendentibus rixam pugnacem secum committere, nunc cum innumeris funditoribus, qui ediuerso conducti fuerant, intolerabili eos lapidum grandine infestare: aliquando autem ascitis eis, qui massæ subterraneæ cautiùs norunt venas incidere, ad murum diruendum viscera terræ scrutari præcipere, nonnumquam etiam machinas diuersi generis alias in altum sublatas, alias humo tenus depressas, istas ad inspiciendum quidnam rerum in castello gereretur, illas ad murum quassandum vel subruendum aptare. Illi econtra fortiter & promptissimè refragan- D

A tes, omnia eius machinamenta, in quibus plurimum artificum desudarat ingenium, nihili pendebant: itaut strenuè & ingeniosè vtrisque decertantibus magnum eorum fieret prudentiæ & velocitatis certamen. STEPHANVS.

CVM igitur omnes laboriosè decertarent, & isti quidem vt reclusos deuincerent, illi autem vt se ab exclusis inexpugnanter defenderent: milites Balduini, quibus obseruandi castelli sui de Plintona curam indulserat, propter inseparabilem, quam adesse cum Rege audierant, virtutem, de domino suo desperantes, & ne vitæ suæ periculum incurrerent, vt inertissimi & inconstantis animi plus iusto formidantes, de reddendo castello pacisque concordia inter eos statuenda Regi occultè miserunt. Rex itaque malens in pacis & concordiæ amore cuncta componere, quàm scisma dissensionis quoquomodo enutrire, libenti animo quæcúmque postularant annuit, dummodò se imperio suo inclinantes, quæ pacis essent toto nisu excolerent. Datis denique dextris & acceptis, ducenti milites cum ingenti sagittantium cuneo penes Plintonam diriguntur, primóque diluculo ante castellum inopinatè loricati astantes maximum comprouincialibus terrorē, & præcipuè huius B factionis insciis incutientes, ab ipsis proditoribus quasi pro impotentia obsidioni resistere non valentibus, redditum castellum tandem suscipiunt. Quo postremo suscepto, Regísque ex iussione solo tenus diruto, omnem Balduini terram, quæ in illis partibus ampla est & delectabilis, omnibúsque affluens bonis, horribili deprædatione nudantes, cum multis gregum & armentorum milibus Esoniam ad Regem redierunt. Alia per omnes DAMNONIÆ partes fama dispergente, omnes Balduini astipulatores sibi periculum, rebus iacturam ex Regis sibi insectatione inferendam admodum metuentes, ei se supplices contulerunt: excepto ALVREDO filio IOELIS cuiusdam illustrissimi viri, qui erat cum Balduino familiaritate notissimus, amicitiâ connexus, fide etiam ad obsistendum Regi adiuratus. Sed cùm castellum haberet pertensum & inualidum, nec ad suos contutandos sufficienti munitione securum, vacuum illud, & hominum expers omninò reliquit, Esoniámque cum fortissima militum manu frater illius latenter aduentans, inter Regios milites (nec enim possibile erat inter tot loricatos, quis ille vel iste esset, facile discer- C nere) sub specie Regem adiuuantium se commiscuit. Deinde legato intra castellum misso (captiui siquidem & religiosi certis de causis introëundi vices frequentabant) Balduini milites de aduentu suo certificauit, quódque propriis quæcúmque possederat relictis, fide illius & amore allectus, quæcúmque sors ei obiceret, cum eis passurus aduenit. Illi continuò pro consodalis aduentu festiuo gaudio exultantes, portis apertis in illius occursum cum innumeris armatis prosiluêre, eúmque cum suis in facie Regis, & in omnium conspectu Principum sanè introduxerunt. Confusus ilicò Regis exercitus, & illi potissimum, quibus prouidendi & magistrandi in alios cura committebatur, eo quòd illi & sui communionem ignorantibus omnibus participati fuissent, & quod eos mordaciùs vrebat, illibatè & liberè de medio illorum ad hostes se transtulissent. Rex autem leni animo quod acciderat ferens, nihil super hoc indignabatur; verùm tunc demum festum se diem acturum aiebat, si diuinâ id actum esset prouidentiâ, vt omnes pacis suæ aduersarij in vno locello concluderentur.

INTEREÀ dum & exteriùs impugnantium, & interiùs obnitentium anceps es- D set victoria, Rex etiam ibi tribus ferè mensibus perhendinatus, vsque ad XV. milia marcas in variis expensis consumpsisset, tantos rerum dispositor Deus volens terminare labores, duorum castelli puteorum vberes venas, affluísque aquarum riuulis semper destillantes adeò exiccauit, vt quæ priùs ad cotidianum haustum hominibus & iumentis abundè suffecerant, vix nunc ad vnius sedandam sitim sufficere præualerent. Asserunt quidam ex intemperati solis caloribus refluas aquarum scatebras contractas esse, alij fluitantibus in viscera terræ meatibus aliquo accidente casu, in imis cauernis occultisve terræ finibus retrusas fuisse. Ego autem non id solis ardori, non casui cuilibet ascribo, sed viua voce protestor diuinam in puteis siccatis adesse virtutem, quia si in tot anteactis seculis, cùm & calores plurimi extiterint, semper inexhaustæ abundauerint, nec nunc nisi diuina virtute operante vsque ad aquarum indigentiam extenuarentur: maximè cùm & ante castelli obsidionem, & post ipsius statim redditionem, aquæ largissimè exuberarint, earúmque

STEPHANUS. tantùm dum obsidio protelaretur adesset indigentia: vt videlicet sitis supplicio tanquam aliquo Dei castigati flagello sponte & suppliciter cogerentur reddere, quod iniustè & arroganter videbantur tenere. A

AQVIS igitur cessantibus, ab omnibus ad necessaria explenda ad vinum recurrebatur, quod quidē in breui fuit exhaustū, dum necessitas vrgeret, & panes vice aquæ vino conficere, & si qui erant patinandi cibi vino lixare. Igni quoque & facibus, quos ad machinas eorum vstulandas, vel ad domos consumendas, Regis artifices prudenter & artistè immittebant, cum vino semper extincturi occurrebant, quoúsque sicut nec aquæ, ita nec vini guttam prorsus haberent. Vnde constat potu deficiente multimodis eos passionibus angustiari, & ad singula quæque solito imbecilliores existere: quia fragile corpus hominis tunc demum constans est & conualescit, quando naturæ sufficienti sustentatur alimento: cùm verò imminutum fuerit, vel ex toto substractum, infirmum habetur & omninò inualidum. Continuis itaque excubationibus vltra humanam opinionem afflicti, diuersis pugnarum modis, quos de muro aduersariis inferebant, vsque ad defectum fatigati, sitis ad extremum nimia & intolerabili arefactione extenuati, in commune sibi consuluêre: quatinus consultis illis, déque interiori qua vexabantur angustia secretè certificatis, quorum impulsu Balduinus se cōtra Regem armauerat, qui & tunc cum Rege dolosè militabant, saluis hominibus castellum contraderent. Nec mora, duobus totius castelli primis & dignioribus ad Regem delegatis, qui & linguas venustiùs ornare, & verba quotiens expediebat prudentiùs & ornatiùs immutare prænorant. Sed ille fratris sui Vvintoniensis Episcopi consilio persuasus, ferream illis frontem ostendens, inexauditos à præsentia sua cùm minis abegit: quia Episcopus laxa & effœta eorum cute conspecta, militibus remissis, & à naturali succo vacuatis, labris dispanso hiatu retractis, anhela eos siti laborare deprehendit, ideóq. nequaquā consultum esse progrediendi de castello permissum eis indulgere, cùm ratum esset in proximo eos ad votum suum quocúmque modo exoptabant cessuros. Vxor etiam Balduini duram hanc suorū repulsionem non ferens, nuda pedes, sparsa scapulis crines, largos lacrymarum imbres emanans, ad Regem pro suis supplicatura accessit. Sed ille humiliter eam & benignè suscepit, tū pro pietate, quam de miserando & afflicto sexu habuerat, tum pro nobilis mulieris cognatis & amicis, qui secum ibi in obsidione laborabant. Auditísque, quæ flebiliter de reddendo castello miseranda deposcebat, inflexibiliter se & adhuc indurans, sine effectu ad suos tandem remisit. Istis itaque hoc modo repulsis, solúmque proximam mortem operientibus, Barones Regis alij pro contribulibus suis, qui intus recludebantur, germano sanguini compassi, vehementer indoluerunt: alij Balduini dissensionis conscij & cooperatores, pro obsidione consentaneis suis tam obstinatè intenta non minimum effrēduerunt, factóque agmine Regem pariter adeuntes nunc viua cum eo ratione plura contulerunt, nunc blanditiis intermixtis in alterum eum hominem repentè mutauerunt. B C

DICEBANT namque Regi plenum se de hostibus conquisisse triumphum, dum quod sui erat iuris præualentibus viribus suis tandem conquisisset, ideóque dignitati suæ esse aptius, regiæque pietati competentius, captiuis supplicibus vitam donare, quàm vsq. ad mortem punitis, quod parum vitæ supererat immisericorditer auferre. Addebant & illos non in regiam Maiestatem iurasse, nec nisi in fidelitatem domini sui arma mouisse, imò tunc se specialiter cum Rege agere declarabāt, cùm quod sui erat iuris proprij in manus suas tandem tradidissent. Quocirca consultius esse, regnóque suo commodius iudicabant, morosam illam, qua maximè grauabantur, soluere obsidionem, quatinus & castellum ad gloriæ suæ augmentū susciperet, & ad alia explenda negocia paratiùs sese & auidiùs accingeret. Rex autem Baronum frequentiâ vallatus, qui non solùm precum blanditiis implorabant, verumetiam monitis eum suasoriis impellebant, flexus postremò quæ petierant concessit: vtque coniunctiùs sibi alliceret, inque seruitium suum deuotiores haberet, non solùm eos liberè progredi, sed & sua exportare, & cuicúmque domino vellent adhærere permisit. Illis denique progredientibus, corpora singulorum marcida siccáque siti videres languentia, citiúsque ad hauriendum cuiusuis generis poculum, quàm ad quodlibet explendum negocium egressi properabant. D

AVDIENS

A AVDIENS Balduinus Regem superiorem, quæque possederat in manus illius cessisse, non est desperatus, nec animo fractus: sed viribus reparatis ad terram suam de VVIHT rebellium & adhuc excitaturus se totum conuertit. Est autem VVIHT insula marina longitudinis capax, latitudine stricta, nautarum excursibus frequentata, piscium abundans, frugibus infœcunda, tota ferè in Balduini sortem ex patrimonio collata, inter Angliam & Normanniam, sed Angliæ propinquiùs sita. In hac idem castellum habebat ornatissimo lapidum ædificio constructum, validissimo munimine firmatum, ex quo collectis in immensum nauigium piratis, regiam potestatem infirmare tentabat, flatúmque ad omnem paratus, & mercatores inter Angliam & Normanniam velificantes intercipere, & vtrísque terris quocúmque nisu posset molestiam inferre desudabat. Sed Rex strophã illius præueniẽs, castellum Esoniense cum adiacẽte prouincia in Episcopi Vvintoniensis dispositione relinquẽs, Balduinũ celeriter fuit subsecutus. Veniénsq; ad portũ, qui vocatur HAMTONA, eo quòd esset Insulæ contiguus, accessúq; facilior, classẽ sibi cũ nauticis instrumentis aptare præcepit: cùm ecce Balduinus de illius aduentu tam subito tamque insperato nimium obstupescens, ad eũ supplex & miserandus vrgentibus amicis aduenit. Castello siquidem Vihttensi firmè & inexpugnabiliter aduersus Regẽ munito, mensus est sollicitè, si quemadmodum escarũ inerat abundantia, ita & ad hominum inhabitantium quantitatem aquarũ non deesset sufficientia. Sed & hoc rerum dispositrice Dei actũ est prouidentiã, vt & aquæ subita superueniente ariditate exsiccarentur, & ad obsistendũ Regi ipse & cõministri eius desperatione frangerentur. Quocirca quæ priùs possederat Regem deposcens, nec impetrans, exul tandem ab Anglia ad Comitem Andegauensem eum impugnaturus accessit. Comes autem in aduentu illius admodum lætificatus, honoranter eum cum suis suscepit, séque ad explendum omne animi sui propositum paratum esse & deuotissimũ aiebat, siue in Curia sua commilitare, siue regiæ dignitati disposuisset obsistere.

AT Balduinus curiales delicias ad tempus aspernans, ad discordiam in Regem promouendam se constanter accingere, amicis & cognatis pro Regis infestatione plurimum conqueri, se patria pulsum, à patrimonio alienatum, fugam & exilium iniustè perpessum, ideóque ad solius sui refugij portum recurrisse, quatinus viribus & armis secum vtentibus, si quo modo fortunã in melius immutare possent, experirentur. Et illi quidem illustrissimi viri querimoniis tenerè compatientes, adeò eum actu & consilio intentè adiuuarunt, vt eum cum suis in propriis recipientes castellis, domini ei vicem & honorem ex toto concesserint. Ipse itaque, plurimis in auxilium suum conspirantibus in tota Normannia, & præcipuè contra Regi consentientes, dissensionem ordiri, non rapinæ aut violentiæ parcere, non se à gladio vel ab incendio retrahere, improuisè ad deprædandum irruens omnia misericorditer auferre, turbam vbique faciens cunctis se formidandum exhibere. Ad hæc autem mala inferenda Comitissa Andegauensis Regis Henrici filia continuò precandi & admonendi stimulo eum impellebat, quia defuncto patre thesauros eius, quos ad animæ illius medelam iustius erat egentibus impartiri, in proprios vsus redegerat, castella quædam ad sui ipsius proprietatem firmarat, nec solùm Balduinum, sed & alios quotquot poterat ad sibi obsequendum inclinarat: vt pote quæ regni dominium ex paterno sibi iure iustè vt sibi videbantur, vendicabat.

TALIA cùm Rex in Normannia pleniùs fieri edidicisset, missis trans mare legatis (neque enim propter graue rerum insistendarum pondus præualuit tam citò illic assistere) digniores quósque prece & ..... **

Desunt hîc aliquot folia.

..... Bedefordiæ Comitem efficeret. Curia denique splendidè & solemniter, vt in Christi decuit Natiuitate celebrata, missis Rex ad MILONEM DE BELLOCAMPO nunciis, qui castello Bedefordiæ ex regia permissione custos præsidebat, præcepit vt & castellum Bedefordiæ, & quam sibi debebat seruicij vicem HVGONI exhiberet. Si verò præcepto suo libens adquiesceret, honorandum eum, multísque donandum exeniis: si verò quoquo modo contrarius haberetur, totiùs eum infortunij aduersitatem perlaturum citissimè pollicebatur. Milo denique, regia legatione percepta, libenti se animo Regi militaturum, eiúsque imperiis obsecuturum dicebat, ni se à possessione ex paterno iure sibi & suis debita amouere

STEPHANVS. temptaret. Quòd si id ex animo faceret, si fixè aduersum se insurgere pararet; se A quidem iram eius quantò posset patientiùs tolerare, sed castellum nisi illo ad extrema deducto numquam habiturum. Talia Rex percipiens, maxima indignatione erga MILONEM permotus, ex omni Anglia in vnum exercitu confluente, illum obsessurus Bedefordiam aduenit. Cognito Milo illius aduentu, quicquid escarum sub manibus repererat, ab omnibus cum violentia distractum secum asportauit, ciuibúsque & confinibus, quibus priùs vt suis humanè pepercerat, irreuerendam inferens rapinam, quicquid oculis occurrebat in castellum congessit; portísque diligenter obseratis, hac vice regales sine suorum detrimento exclusit. Verùm Rex castelli ambitum prudenter pergirans, illis & illis in locis, quæ ad insidiandum opportuniora habebantur, sagittantium phalanges apposuit: præcepítque vt in altum dirigentes, vel propugnaculis inhærentes, crebra sagittarum impeterent emissione, liberúmque prospectum habere non permittentes, ad eos perturbandos studiosè contenderent. Ille interim ad diuersi generis machinas construendas, quæ vel ad vallum dispergendum, vel ad murum dissipandum aptarentur, arte & ingenio, sumptu & opere insudare: nocte verò proceres B excubitores ad singulos castelli ingressus obseruãdos, ne inclusi ad suos cõmouendos irrumperent, neue forensis quilibet escas eis vel solamina inferret, sollerter ordinare: die verò quantum aduersitatis artificiosiùs ei intendere, quibus modis competeńtiùs posset inflectere, studiosiùs prouidere. Sed quia castellum editissimo aggere vallatũ, muro forti & arduo in circuitu cinctum, inquassabili turri & forti firmatum, hominibus duris & inuictis oppletum, spem tam citò capiendi prorsus ademerat: ad alia regni peragenda negotia, quæ illum instanter stimulabant, conuertens, maiorem exercitus partem ad eos obsidendos reliquit: iussitque, vt si machinis eos subiugare non possent, quoúsque fame & inedia defecti supplices redderentur, obsidionẽ protelarent. Et illi quidem, Rege discesso, tamdiu obsidendo eos vexarunt vsque dum cibis deficientibus & ipsi defetiscentes tenendi impossibilitatẽ tandem faterentur. Sub militari igitur conditione castellum deserentes, Regis ad hoc eos cõpellente virtute & imperio tradiderunt. Sed quantò tunc humiliores & depressiores, tantò aliquantillo elapso tempore elatiores & acerbiores ad ipsum castellum C redeuntes, non solùm illud recuperarunt, verùm ipsum Rogerium de Comite militem, de milite pauperem, Deo iudice, ordine mirabiliter transuerso effecerunt. Sed de his pleniùs in sequentibus.

EXPVGNATA denique Bedefordia, cùm iam discordiæ finem impositum, omnémque repugnantiæ commotionem sopitam crederes, & omninò abolitam; ecce totius malitiæ radix & origo in ea Angliæ parte, quæ NORDHVNBRIA dicitur, rapinam & incendium, discordiam & bellum promotura surrexit. Tam magnum enimuerò, tamque stupendum fuit hoc malum, vt non solùm hominibus horrendum, verumetiam de cœlo magnum declaratum sit & admirandum: cùm paulò antequàm hoc contigisset, viderimus non modicam cœli partem ad instar fornacis ardẽtis igneas spissim scintillas emittere, ignitósque miræ conflagrationis globos, tamq. viui incendij carbones non in vno tantùm, sed diuisè variis in locis agiliter sese & densanter mouere. Et hæc nimirũ tam aperta, tamq. visibilis igniuoma cœli facies vel futuram maximi sanguinis effusionem, vel indicibilem, quæ subsecuta est, villarum & vrbium exprimebat cremationem: quia summus rerum D opifex cùm sit inuisibilis, ignorantiæ tamen nostræ piè condescendẽs visibiliter nos de futuris instruit, & aliquando reuera signum de cœlo ad nos informandos ostendit, aliquando per quælibet ipso agente accidentia in terris inscitiã nostrã certificat & præmunit. Et de cœlo quidẽ, sicut in Libro Regũ, cùm videret partem cœli insolito inductã rubore, belli scilicet futuri à Deo præmonstratũ signum, exponentes quidnã illud prętenderet, dixerunt: *Sanguis est gladij*. In Libro quoq; Machabæorũ, cùm intuerentur igneas discurrere in cœlo acies, militũq. aëriorũ nihil nisi ignem spirantium cõmunes conflictus, verissimè futuri mali esse agnoscebãt portẽta. quod & ipse Historiarũ textus ita fuisse certissimè commendat. Sed & in terris plurima ostendit Deus, quæ rerum in proximo futurarũ aperta fuerũt indicia, sicut scissionem pallij Saülis, quæ regni illius consũmationẽ portendebat. Decem quoq. scissuræ, quas Propheta iussit Ieroboam tollere, dominiũ eũ super decẽ Tribus habiturũ expresserunt. Omnia nihilominus Prophetarũ gesta, sed & scriptio illa, quæ coram

A Baltasar fuit exarata, & somnia patris sui nihil aliud nisi rerum superuenientium vera quædam erant præsagia, quibus mortales præcognitis & Deo suppliciores, & in ipsis malis fierent cautiores. Non igitur me lector rugosa sanna derideat, si polum, quem his oculis in ardorem conuersum, densissimáque conspexi ignis & carbonum vellera proferre, malorum futurorum formam dixerim, illiúsque dirissimæ pestis, quæ in Nordhumbria consequenter euenit, significationem. Audiat itaque, & aduertat, qui nosse desiderat.

ERAT Rex in Scotia, quæ confinis est Angliæ, fluuio quodam certis limitibus duo regna determinante, Rex pectoris mansueti, progenitoribúsque religiosis exortus, & ipse iusto viuendi tramite illos coæquans. Iste cùm in præsentia Regis Henrici, cum ceteris regni Summatibus, imò omnium primus iureiurando se constrinxisset, nullum illo expirante, nisi aut filiam Regis, aut eius heredem in regno suscepturum, vehementer indoluit STEPHANVM ad regni Anglorum gubernaculum successisse. Sed quia illud sine suo consultu ab ipsis Baronibus prouisum fuit & B actum, extrema rerum sapienter metiens, ad quem finem cœpta deuenirent, tempore aliquãto tacitus expectabat. Tandem cùm Regis Henrici filia literis ad eum missis intimaret, se patrio testamento alienatam, regno sibi sponso & iurato priuatam, leges solutas, iustitiam calcatam, fidem Baronum Angliæ, fœdúsq; iuratum ruptum ex toto, & nihili pensum; ideóque suppliciter illum & lacrymosè precari, quatinus vt cognatus destitutæ subueniret, vt sibi adiuratus miserandæ subsidium impenderet: Rex altè ingemuit, zelóque iustitiæ succensus, tum pro communis sanguinis cognatione, tum pro fide mulieri repromissa & debita, regnum Angliæ turbare disposuit: vt vndique in Regem dissentione commota, quod iniustè vt sibi videbatur occupauerat, iustiori se cooperante Deo linquere cogeretur. Habebat Rex secum, qui eum crebro admonitionis calcare ad turbationem concitandam stimulabant, hinc filium ROBERTI DE BATHENTONA eiúsque collaterales, qui ex Anglia, vt dictum est, exulati, sub spe recuperandæ patriæ ad illum confugerãt, inde filium IOANNIS EVSTACHIVM Regis Henrici summum & popularem amicum, aliósque quamplures, qui vel quæstus gratia, vel iustitię vt sibi videbatur de- C fendendæ occasione discordiam ambiebãt. Rex igitur DAVID, sic enim vocabatur, perpenso per Scotiam edicto omnes in arma commouit, laxatísque permissionis suæ frenis, quicquid in Anglos truculentius, quicquid excogitare possent inhumanius, remota pietate peragere præcepit.

EST autem Scotia, quæ & ALBANIA dicitur, regio locis palustribus circumsepta, siluarum fertilium, lactis, & armentorũ copiosa, portubus salubribus, insulis opulentis circumcincta: sed incolas barbaros habens & impuros, nec nimio frigore fractos, nec aspera fame detritos, citis pedibus leuíque armaturæ confidentes: anxium amare mortis exitum pro nihilo ducentes inter suos domesticos, sed inter sibi extraneos omnes crudelitate excedẽtes. Huius igitur gentis rebellem multitudinẽ à citerioribus Scotiæ partibus in exercitum inopinabilem adunans, penes Angliam direxit, regníque vtriúsque transitis interfiniis, in prouinciam Nordhumbriæ, quæ lata erat & populosa, omniúmque necessariorum copiis referta, fuit castra metatus. Inde turmis, & bellantium ordinibus dispositis, in omnem terram, quæ spaciósa e- D rat & diues, ... * *Desiderantur & hic nonnulla.*

In hunc denique modum Regis & nunciorum verbis terminatis, discessum est. Et Rex planè Londoniam, nuncij verò ad specialem Comitis sedem Bristoam tendentes, quamdura regno Angliæ mandata suis pertulerunt: vt scilicet escis plurimis castrum Bristoæ resarcirent, omnium ad se confluentium consortia susciperent, quicquid durius & infestius possent in Regem & suos, tanquam in Comitis aduersarios, sine mora committerent.

EST autem BRISTOA ciuitas omnium ferè regionis ciuitatum opulentissima, ex vicinis peregrinísque terris nauigio velificante suscipiens mercimonia, in fertiliori Angliæ parte constituta, ipso etiam situ loci omnium ciuitatum Angliæ munitissima. Sicut enim de Brundusio legimus, quædam prouinciæ Glaornensis pars ad formam linguæ restricta, & in longum protensa, duobus fluuiis gemina eius latera proluentibus, inque inferiori parte, vbi ipsa terra defectum patitur, in vnam aquarum abundantiam coëuntibus, efficit ciuitatem. Viua quo-

que & fortis maris exæstuatio noctibus & diebus abundanter exundans, ex ambabus ciuitatis partibus fluuios ipsos in latum & profundum pelagus regurgitare in seipsos cogit, portúmque mille carinis habillimum & tutissimum efficiens, ambitum illius adeò propè & coniunctè constringit, vt tota ciuitas aquis innatare, tota super ripas consedere videatur. Ex vna tamen eius regione, vbi ad obsidendum opportunior magísque peruia habetur, castellum plurimo aggere exaltatum, muro & propugnaculis, turribus & diuersis machinis firmatum, impugnantium coërcet accessus. In quo vndam equitum & clientum pedestrium, imò vt veriùs dicam prædonum & raptorum abundantiam adeò grandem & mirabilem aduocarunt, vt non solùm etiam contemplantibus magna & metuenda, sed etiam horrenda & incredibilis videretur. E diuersis siquidem prouinciis & regionibus emersi, tantò illic abundantiùs & gratulantiùs affuerunt, quanto sub diuite domino ex munitissimo castello, quicquid libentiùs animo occurreret, in vberrima committere Anglia fuit eis permissum. A

AFFVIT inter reliquos GALFRIDVS ille TALEBOTH, qui, vt præmissum est, ab Anglia exulatus, omne dirissimæ infectionis venenum passim exhalare, quicquid etiam crudelitatis vesana mens & indiscreta concipere solet, agere disponebat. Sed malitia illius in seipsum, Deo iudice, fuit conuersa, quia dum alios trucidare, alios damnare deliberat, ipse primùm captus, vinculisque tenacissimè constrictus damnationis sententiam penè suscepit. Est ciuitas à Bristoa VI. miliariis distans, vbi fonticuli per occultas fistulas aquas ex humano ingenio & artificio calefactas, ex abstrusis terræ visceribus sursum in receptaculum per cameratas arcuationes gloriosè dispositum emanāt, thermásque temperatas & sanas, aspectúq. delectabiles in medio ciuitatis efficiunt. Quæ ciuitas BATTA vocatur, quod ex Anglicæ linguæ proprietate trahens vocabulum, BALNEVM interpretatur: eo quòd ad illam ex omni Anglia infirmi causâ in salubribus aquis diluendi, sani verò gratia mirabiles calidæ aquæ eruptiones videndi, & in eis balneandi, concurrere solent. Hanc igitur ciuitatem, eo quòd facilis esset ad muniendum, ad sortem suam Bristoenses adicere conantes, facto agmine in primo diei crepusculo improuisè illam adiere, scalísque secum & aliis machinulis ad murum conscendendum conuectis, in quadam valle recepti paululum expectarunt, quoadvsque situ ciuitatis aditúque capiendi ab exploratoribus considerato, laxatis omnes habenis illuc pariter conuolarent. Galfridus itaque Taleboth, cognatúsque illius GISLEBERTVS DE LACEIO, vir prudens, & in omni militari actione prouidus & operosus, ad explorandum destinati, circuitum ciuitatis pedetentim & cautè, vt sibi videbatur, perlustrarunt: cùm ecce milites Præsulis Battensis, illis conspicatis, repentè interfuerunt, Gislebertóque de medio illorum euadente, vt erat alio versutior & acerbior, Galfridum circumuenientes ceperunt, pedibúsque strictissimè compeditis in secreto recessu custodiis adhibitis retruserunt. Gislebertus autem tam infortunatè cognato amisso ad comites regressus, mœstuosis suspiriis quid ei infortunij accidit enarrauit. Nec tamen illi ob hoc desperati, sed constantiùs animati, séque in inuicem cohortantes, & ad eum liberandum vnanimiter conspirātes, Battam petierunt, accersitóque Præsule sub fide & iureiurando liberam ei & indemnem egressionem, saluámque reditionem spoponderunt. Episcopus tandem, vt innocens, qui credit omni verbo, vt alter Iacob qui simpliciter habitat in domo, dolosè ab impiis lætanter suscipitur: statimque in Euangelij præconem, in sacrosanctæ mensæ Dei ministrum sacrilegas manus iniecerunt, reuerendúmque fidei & religionis communis satorem, qui horrei Dominici triticum expendere, qui arcam Dei illúdque diuinum manna gestat in pectore, conuiciis impudicis irrogātes, suspēdio ni Galfridum redderet extinguere minitarunt. Porrò Episcopus in tribulationis angustia positus, cùm aduersarij nec pietate, nec humani animi cōpassione propter eius anxietatē emollirētur, sed nec sui intra muros recepti (capto siquidē Episcopo interiùs se recipiētes, cōclusis portis ad muros defendēdos cōcurrerāt) remediū illi cōferre præualerent: temerariæ illorū satisfaciens præsumptioni, virum compedes exutum reddi præcepit, in hoc nimirum commodo vsus & salubri cōsilio, quia si illum in manus Regis contradendū vt ceperat reseruaret, supplicio eum vel vitæ periculo exposuisset, seipsū autē contumeliis afficiendū, vel vitā priuandū præbuisset.

A Neque enim sanum erat, aut Episcopi officium, malum pro malo reddere, vtque nocentibus noceret ipse nocens existere. Sed neque ratio expetebat, vt alium contumeliando seipsum contumeliis adiceret, cùm constet neminem se ipso sibi esse propinquiorem, neque pro alterius anima suam aliquatenus commutare debere. Reddito denique viro, immò, vt veriùs dicam, occulta Dei dispositione ad animæ suæ supplicium in futurum reseruato, quatinus quantò abundantiùs & diutiùs crudeliora ageret, crudeliùs postmodum torqueretur: cœpit Episcopus pastorale tunc demum vtens auctoritate fidem repromissam reposcere, iuramenti sacramentum vbinam esset requirere, vtrorúmque violatores eos adstruere, nec prosperè eis aliis infactis succedere, qui reuerentiâ & pudore amisso, Deum videbantur propter hoc offendisse. Hæc Episcopo prosequente, asserebant nec iuramentum ei fecisse, nec fidem pepigisse, cùm omni sanè sapienti ratum sit, nec periuros iurare debere, nec qui fide carent fidem alicui posse donare. Quæ ideo dicebant, vt Episcopum de ignorantia notarent, qui nimium nimiúmque periuris & perfidis plus B iusto credebat.

STEPHANVS.

BRISTOENSES igitur ad omne facinus effrenes, vbicúmque vel Regis, vel eorum, qui Regi fauebant, terras vel possessiones audierant, tanquam famelica canum rabies ad appositum cadauer illuc auidè & maturanter cursitare, iuga boum, greges pecudum, quicquid concupiscibile vel oculus cernebat, vel cor ambitiosum affectabat, rapere & abducere, vendere & consumere. Vbi verò quæ in circuitu, & quasi sub manu eorum erant, in perditionis barathrum redacta videbantur & adnullata, in omnibus Angliæ partibus sicubi pecuniosos vel opulentos audierant, celerrimè adesse, nunc viribus abreptos, nunc fraudibus seductos, oculis fasceatis, ore etiam obdurato, vel cum massa aliqua illic vrgenter impressa, vel cum machinula ad formam asperi freni capistrata, & dentata, cæcos secum deducere, tandémque in medio Bristoæ, quemadmodum de latrunculis Hilisei legimus, inductos, aut ieiuniis macerare, aut suppliciis addictis vsque ad nouissimum quadrantem quicquid possederant ab eis exigere. Alij tecnam excogitantes versutiorem, vbi Anglia quietior, pax abundantior, populus ocio & securitati accliuior, in die pertritam & populosam viam nunc huc, nunc illuc itinerare, C nomen suum, personas, & officium mentiri: non arma, non notabilem habitum, non impia modúmque excedentia verba more prædonum proferre: sed humilem vultum, mediocrem incessum, lenes omníque mansuetudine permulsos sermones prætendere, sicque se falsis commentis nouæ fucationis hypocritas reddere, quoad vsque de spe sua minime frustrati, vel diuitem sibi fortè occurrentem, vel vbiuis locorum furtim ablatum, ad totius Angliæ nouercam Bristoam adducerent. Hic autem coloratæ deceptionis modus, hoc hypocriticæ simulationis figmentum, per omnes ferè Angliæ fines adeò inoleuit, vt vix esset ciuitas vel viculus, vbi fraudulentiæ huius molimenta non exercerent, vbi turpissimi huius latrocinij vestigia non relinquerent. Vnde nec regiæ pacis vias securè vt solebant incedere, nec homo se homini fidenter vt solebat concredere; sed vbicúmque alter alterum in itinere conspicabatur, totus protinus contremiscere, meticulosè visum effugere vel prope in silua, vel in diuortio aliquo, vsquequo resumpto tandem spiritu viam cœptam tutior carperet & audacior.

D VBI igitur fama auribus Regis insonuit, Bristoenses & publico raptu, & clandestinis vt dictũ est furtis terram turbasse, licet in aliis regni negociis persistendis vndique pulsaretur, ex omni Anglia militia conuocata, quasi Bristoam obsessurus improuisè Battam aduenit. Episcopus de aduentu illius præmonitus, foras ciuitatem aduenienti occurrit. Cúmque Rex primo loquendi in capite se aduersus eum indignatum ostenderet, eò quòd Galfridum sui insidiatorem, pacis & patriæ perlitorem tam liberè & indemne de custodia sua prodire permisisset, testibus sibi consentientibus Regi satisfecit, iniuriis se inhonestatum, suspendio proximum, sceleratorũ violentiã in honorẽ perpessum, lenitúmq; tandẽ, & ad solitã amicitiã reductũ Battã introduxit. Considerans Rex ciuitatis ambitũ, totúmque perlustrans in girum, locũ inexpugnabilem, & ad resistẽdum habillimum animaduertit: ideóque muros altiùs sustolli, propugnacula in deuectum surrigi, frequẽtique militum adhibita custodia ad Bristoenses coartandos diligenter & cautè iussit obseruare. Inde ad impostri-

STEPHANVS. cem Bristoam digrediens, propè ciuitatem conduxit exercitum, Baronibúsque percunctatis, & in commune consultis, quanto grauiùs eam obsidere, quibus ingeniis valentiùs expugnare, quot modis expeditiùs posset degrauare, varium & incertum, secundum quæ ei isti fidenter, illi fraudulenter obsequebantur, recepit consultum. Alij autem suadebant, vbi ciuitatis ostium artatis faucibus angustius coibat, plurimam grandium lapidum, lignorum, & cespitum molem iniectare: quatinus aditu portus obdurato, & suffragium eorum ex remigantium labore, in quo præcipuè confidebant, adesse desisterent, & fluuij circa ciuitatem, vt dictum est, proluentes, intercepto cursu retrorsum in seipsos crescerent, inque stagnum ad instar pelagi latum & profundum sese recolligentes, citissimam ciuitati prætenderent submersionem. Laudabant etiam, ex duabus ciuitatis partibus castellis constructis, ingressus eorum & egressus, qui pontibus frequentabantur, arceret: ipse verò exercitu ante Comitis castellum aliquanto tempore detento, fame diuersisque passionibus inhabitantes afficeret. Sed istorum sanum acceptúmque consilium alij peruertentes, & illi maximè, qui cum illo fictè militantes Comiti ampliùs fauebant, econuerso consulebant, opus ociosum, laborémque esse infructuosum, abyssum pelagi lignorum vel lapidum materia velle obstruere; cùm euidentissimum esset, quicquid inuolueretur, aut in ipsa profunditate cedere & absorberi, aut pótica exæstuatione fortiter inundante consumi omnia & adnullari.

HORVM igitur impulsu Rex à Bristoensi desistens obsidione, quæcúmque in circuitu illius erant vastatis & consumptis, prædatis & abductis versus duo castella, Carith videlicet & Harpetreu, illud à .... cognomine LVVEL, istud à VVILLELMO filio IOANNIS possessum, expeditionem promouit. Erant autem amicitiæ nexibus cum Comite copulati, fide & iureiurando firmanter vnificati, pactionibus & hominio adeò confœderati, vt cùm celeriùs percepissent illum aduersus regiam potestatem velle insurgere, & ipsi in eum præsto & conspiranter secum insurgerent. Audientes denique Regem in Bristoam castra promouisse, diutinámque obsidionem ibi protelaturum arbitrantes, pollicitam Comiti fidem vnanimiter reddiderunt, omnésque circa se prouincias graui infestatione permouentes, quicquid aduersi poterant vbique gentium inferebant. Sed Rex percitus illuc aduentans validè & infestè castellum Cari obsedit, balistísque ignem & lapidum imbres inter inclusos adempta cessatione discutientibus, vsque ad escarum indigentiam vexatos, sub pacis tandem concordiæque confœderatione sibi cedere coëgit. Neque enim resistere diutiùs poterant, dapibus subtractis imbecillati, maximè cùm nec Comes spes illorum atque refugium Angliam aduenisset, neque Bristoenses propter Regis virtutem se multò superiorem ad subueniendum eis possent accedere. Relinquens igitur Carith, datis dextris & acceptis, exercitum ad Arpetream conuertit, vbi & castellum præstruere, militúmque sufficientem copiam imponere curauit; nisi prudentium consilio esset ei suggestum, ex militibus, quos in Batta reliquerat, aptissimè & hoc castellum grauare posse: ideò potissimum, quia & inter vtrósque recessus breuis, & compendiosus esset discursus, sumptuosúmque haberetur & nimis onerosum, multis in locis multos pugnandi & obsidendi apparatus & exercitia moliri. Alio verò in tempore, cùm iuxta idem castellum cum infinita armatorum multitudine transitum habuisset, quasi cum exercitu Bristoenses obsessurus progrederetur, prodeuntes confestim castellani, exercitum illius insequebantur, cùm retrogradum Rex citissimè faciens reflexum, liberum equis cursum ad castellum indulsit, vacuúmque penè repperiens, istos portis ignem apponere, illos muris machinas & scalas aptare, omnes verò ad ingrediendum sedulè & feruenter iussit insudare, quousque captum tandem, quippè cùm à paucis resistebatur, custodiæ suorum & prouidentiæ tradidit.

CASTELLVM denique Cari Rex, vt præmissum est, triumphatus, ad diuersas curas, ad multimoda negocia, quæ per omnes eum Angliæ partes sine intermissione huc illúcque in diuersa trahebant, armatus semper & cum exercitu properauit. Sicut enim de fabulosa illa Herculis legimus hydra, cuius vno resecto capite duo vel ampliora suboriebantur, sic & de Regis STEPHANI laboribus specialiter sentiendum: quia vno quolibet finito, alij grauiores infinitè succedebant, & ad singulos sufferendos vt alter Alcides inuictè se semper & fortiter accingebat. Legi multimodas

A Saülis pugnas & labores, aliorum quoque Regum innumeros conflictus & sudores: sed onerosæ illius grauedini, multimodis bellis & insidiis vel ab aliis perpessis, vel à se aliis illatis, innumeris etiam angustiis vel de suorum occasu, vel de accidentibus infortuniis nec comparandi quidem, quia tanti fuerunt, támque stupendi illius labores, vt horrendi profectò & incredibiles legentibus videantur. Legi & plurimas Machabeorum pro patriæ quiete restauranda inquietudines, audiui & miras Alexandri contra extraneos decertationes, aliorum quoque Regum pro tutandis subiectis certamina varia & afflictiones: sed multipliciores Regis Stephani & multò grauiores inuenies tribulationes & agones, & tantò nimirùm molestiores, quantò à familiaribus compatriotis, & à suis sibíque coniuratis inferebantur. Quia enim amicorum & popularium ægrior solet esse & acerbior persecutio, testatur Dominus, qui magis de illo quàm de aliis conqueritur, qui edebat panes suos, & tamen leuauit aduersum se calcaneum suum. Hinc & idem alibi, *Inimici*, inquit, *hominis domestici eius*. Inde etiam Philosophus quidam, *Nulla*, inquit, *pestis efficacior, quàm familiaris* B *inimicus*. Audiat itaque, & appositam historiam pleniùs ediscat, qui miranda legere & nosse desiderat.

MILITES itaque, quos Rex in Battensi ciuitate ad Bristoenses impugnandos reliquerat, constanter se & strenuè continere, muros & aggeres omni resistendi artificio inexpugnabiliter firmare, per alternas vigilias noctis conticinia cum armato milite circa muros expendere, quandóque & in ipso noctis silentio muros egressi congruis in locis insidias texere. In die verò cum maxima vernaculorum & militum armata cohorte istas vel illas Bristoensium terras aggredi, nunc ante ipsas ciuitatis portas quasi per violentiam ingressuri subitò & horrendè cum totis viribus apparere, domos & templa, & quicquid in ignem redigi poterat & consumi.... **.

Desunt iterum aliqua.

...... immensa etiam amicorum & splendidissimi dominatus suffultus potentiâ, secundus post Regem in omnibus regni imperiis habebatur. Is itaque, licèt Regi C carissimus, licèt curæ Palatinæ, regníque negociis cunctis specialiùs esset præpositus, cariùs tamen & amiciùs supradictis Regis Henrici filiis compatiebatur, eisque fidem firmissimè seruaturum, subsidiúmque sedulè impensurum, occultè tamen ne Regem offenderet, pollicitans, castella sua, quæ ornatissimè construxerat, tam armis, quàm escarum copiis munificentissimè farciebat, prudenter & Regi deseruiens, & temporis opportunitatem expectans, quo illis in Angliam aduentatis viriliùs & expeditiùs subueniret. Quia etiam eorumdem aduentum in proximo Angliam affuturum sperabat (sic enim illi frequentiùs de Normannia mandarant) copiosa innumerabilium militum stipatus frequentia, quasi ad subueniendum ei eos ductitaret, quęuis ad loca, & maximè Regis ad Curiam procedere, magnam & stupendam amicorum multitudinem comitatui suo adiungere, quatinus & interim propter hoc Regi complaceret, & quibus gratiùs libentiúsque parebat, si aduenissent promptus cõtinuò suffragator adesset. Huic autem sentẽtiæ & nepotes illius, alter Lincolnensis, alter Eliensis, dicti Episcopi, viri pompatici, temeritatísque non audendæ præsumptores assentiebantur; purámque & simplicem Christianæ Religionis conuersationem neglectui habentes, militiæ prorsus & pompæ seculari studium adeò accom-D modabant, vt quotiens ex condictu Curiæ interessent, propter miram, qua vndique stipabantur, militantium secum frequentiam, admirabiles & ipsi cunctis probarentur. Hanc autem magnificam Episcoporum gloriam Comes Mellonensis, ceteriq;, qui Regi artiùs & priuatiùs adhærebant, ægrè ferentes, inuidiæ fascibus hostiliter in eos efferuebant, conceptámque malitiæ suæ flammam minimè suffocantes, multis eos & indignis accusandi vituperiis apud Regem criminabantur. Dicebant namque Episcopos illos regni primatum, totam diuitiarum pompam, omne hominum robur ad suam iactantiam & proficuum, non ad regium honorem possidere: castella nominatissima construxisse, turres & ædificia munitissima subuexisse, nec hoc vt Regi regnum conferrent, sed vt regiam ab eo dignitatem subriperent, & vt coronæ suę dignitati insidiarentur. Quamobrem consultum fore, regięque paci potissimum expedire, manus in illos inicere, quatinus castella, & quæcúmque alia erant discordiæ & bellorum materia, ad honorem Regis Regi dimitterent: quæ verò Ecclesiastica propositi essent, religionis, & iuris Episcopalis, in eorum deliberatione sanctè

STEPHANVS. & catholicè cederetur. Quòd si Rex, sicut suæ innitebatur virtuti & prudentiæ, ita A & suis disponeret consiliis adquiescere, viros illos non vt Episcopos, sed vt Episcopalis mansuetudinis transgressores, suspectósque pacis suæ & regni tranquillandi peruasores priuatim captos custodiæ manciparet: donec municipiis suis, & quæ Cæsaris essent Cæsari redditis, à discordandi suspicione, quam eis imputabant, & Rex securior, & regio illius esset pacacior. Talibus Rex perceptis, quæ illi continuo admonendi stimulo inuidè magis & suspiciosè, quàm sanctè & iniustè suggerebant, in mentis positus angustia plurimum secum anxiabatur, tum quia graue erat & illicitum in ordinem sacerdotalem irreuerenter insurgere, tum quia contrarium erat & iniuriosum secreti sui conscios & Palatij primos non exaudire. Tandem autem importuna illorum petitione & impulsione fractus, quā ei continuatim & procaciter inculcabant, ad sui honorem & regni quietudinem quæ postularant in Episcopos committere indulsit: in hoc nimirum stultissimo, immò & insano deuictus & impulsus consilio, quia si indecens est & vetitum qualemcúmque hominem offendere, secundum illud, *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris*, multò magis turpe est & inconcessum in summos sacri altaris ministros irreuerentiam violentiæ quoquo B modo exhibere. Illud enim agere in hominum conspectu, magnū constat esse trāsgressum, istud verò perficere præmaximum in ipsum Deum videtur & est peccatum. Vnde & Dominus per Prophetam, *Qui tangit*, inquit, *vos, quasi qui tetigerit pupillam oculi mei*. Et in Euangelio, *Qui vos spernit, me spernit*. Et ne præsumptiua huius temeritatis inhonestatio vel inhonesta concussio erga sacri altaris comministros committeretur, sic eos per Prophetam inhibet, dicens: *Nolite tangere Christos meos*. Ego autem fixè & audacter pronuncio, nulla celeriùs offensa ipsum acriùs Deum offendi, quàm si in officiales mensæ illius sacristas vel dictu vel factu quispiam offendat. Et quidem filij Core, quia se tumidè & arroganter in Præpositos erexēre, non solùm à Deo reprobati, sed & viui absorbti interiēre. Sed & Saül, quia in Domini Sacerdotes impiè insurrexit & indiscretè, non solùm in oculis Domini à regno deiectus, sed & bello crudelissimè succubuit interemptus. His paucis ad contumaces ministrorum Dei contemptores corrigendos expositis, ad materiam tandem redeamus.

CVM igitur Episcopi cum summa, vti præmissum est, ambitione ad Curiam conuenissent, subitò inter Episcopales milítesque regales exorta seditione, Comite C Mellonensi versuto cum quibusdam aliis instigatore, qui regiæ partis coadiutores intererant, & illi præcipuè quicumque factionis præfatæ conscij videbantur, sumptis armis, dispositísque agminibus, in Episcoporum suffraganeos præcipitanter se impegerunt, istísque captis, & illis interemptis, plurimis autem quaqua versum probrosè effugatis, omnibúsque quæ secum detulerant in hostium manu vbique relictis, ad Regem tandem quasi de inimicis triumphati redierunt, consilióque malignantium in commune habito, ad Episcopos tanquam ad regiæ Maiestatis transgressores capiendos facto grege maturarunt. Et illi quidem audita suorum probrosa dispersione, fugæ vt fama erat, consulebant, cùm ecce Regis satellites hospitia illorum armati subeuntes, Salesbiriensémque & Lincolniensem Episcopum repetientes, omnibus quæ aderant cum violentia distractis, ad Regem velociter adduxerunt. Episcopus autem Eliensis, auditis quæ contigerant, vt erat animi versutioris, agilitatísque expeditioris, celerrimè aufugit, & ad castellum auunculi sui, quod Diuisa dicebatur, itinere sub festinatione protenso, ad obsistendum Regi viriliter D se accinxit. Audiens verò Rex Eliensem Episcopum aduersum se arma sumpsisse, quæ sibi priùs dolosè & æmulanter suggesta fuerant, vera credebat, tantóque in Episcopos vehementiori indignatione succensus, ad eorum possidenda municipia totus intendit. Veniens itaque ad Diuisas, quod erat Salesbiriensis Episcopi castellum mirando artificio, sed & munimine inexpugnabili firmatum, duos secum Episcopos custodiis adhibitis strictè seruatos adduxit, iussitque vt locis ab inuicem seclusi in honestis acribus macerarentur ieiuniis, summúsque illius antigraphus Salesbiriensis Episcopi filius captus iam & vinculis mancipatus ante ipsum castelli introitum altè suspenderetur, ni Episcopus Eliensis castello demum reddito regiam virtutem intus susciperet. Episcopi itaque nimia anxietate afflicti animo maximè torquebantur, dum cunctis palam esset, diuersis se & suos ludibriis, sed & vitæ periculo exponendos, qui municipia sua, quæ summo studio construxerant, summo & amore cō-

A plectebantur, in Regis deliberationem committerent. Amicorum tamen consultu, qui, licèt perrari, curiali frequentiæ intererant, fuit eis persuasum & fixè iniunctum, quatinus ex inhonesta, qua detinebantur, custodia se subtrahentes, Regis voluntati ex toto satisfacerent; maximè cùm ea quæ Cæsaris sunt Cæsari sint reddenda, & nulla commutatio pro anima sit ponenda. STEPHANVS.

Hoc igitur castello, sed & aliis, quæ possederant, in manus Regis contraditis, Episcopi humiles postmodum & depressi, omnémque inanis gloriæ pompositatem exuti, ad res Ecclesiasticas simpliciter & Ecclesiasticè possidendas regrediebantur, concessis Regi, licèt ægrè & inuitè, quascúmque in castellis recondiderant armorum & pecuniarum copiis. His itaque tali modo completis; inopinabilem Regi fortunæ contigisse miramur euentum, cum suis ad regni tuitionem impensis penè & exhaustis thesauris, in aliorum labores tam repentè impegerit, quæque ad suum, vt fama erat, damnum & detrimentum in castellis congesta fuere, ad suum modo honorem & proficuum sine omni omninò labore indulta cessêre. Fuit post hoc habitum in Anglia, & firmè statutum Concilium, vt quæcumque in quorumlibet Episcoporum manus belli essent ac tumultus receptacula, tanquam propria Regis Regi permitterentur: vbi etiam Rex de temeraria, quam in Episcopos commisit, inuasione publicè accusatus, ratione valida, vt putauit, & efficaci se & suos excusauit. Sed quia ab omni Clero iustè prouisum, & discretè fuit diiudicatum, nulla ratione in Christos Domini manus posse immittere, Ecclesiastici rigoris duritiam humilitatis subiectione molliuit, habitúmque regalem exutus, geménsque animo, & contritus spiritu, commissi sententiam humiliter suscepit. B

Eo in tempore VVILLELMVS DE MOIVN vir non solùm honoris summi, sed & generis conspicui, præualidam in Regem dissensionem commouit, ínque suo, quod pulchrè & inexpugnatè in pelagi litore locarat, municipio, nonnullis militum & peditum manipulis aggregatis, per vniuersam illam Angliæ plagam ferox & turbine plenus discursare: omni in loco, omni in tempore, surrepta pietate, crudelia operari: non solùm vicinos, sed & remotissimos nonnullos adhibita violentiâ sibi subiugare: si qui resistebant, furto & rapina, igne & gladio infatigabiliter vexare: pecuniosos, quibuscúmque occurrerat, vinculis & cruciatibus immisericorditer C exponere: & hæc quidem agens, regnum pacis & quietis, iubili & exultationis, in discordiam & rebellium, in fletum & eiulatum commutare. Quæ tandem vbi Regi notificata fuêre, suis secum fautoribus in grandem exercitum conspiratis, ad reprimendam Vvillelmi ferocitatem festinato itinere tetendit. Cúmque ante ipsum castelli constitisset ingressum, insuperabilem loci contuens munitionem, hinc marino gurgite alluente inaccessam, inde turribus & muris, vallo & propugnaculis fortissimè firmatam, de obsidione ingerenda ex toto desperauit: acceptóque saniori consilio, in ipso hostium conspectu castellum offirmauit, vnde & eos grauiùs arceret, & circumiacentem prouinciam securiùs possideret. Præcepit quoque HENRICO DE TRACEIO, viro militari, & in multis bellorum euentibus sæpiùs probato, quatinus vices suas agens, quoniam ad alia vocabatur, promptissimè & constanter aduersus hostes insurgeret. Et Henricus quidem, Rege absentato, ex Bardestapula ciuitate sua, & ex regia sibi promissione indulta, strenuè aduersarios & virilissimè impugnauit: adeò vt non solùm solitos eorum per regionem discursus, effrenésque prædantium inhiberet raptus, sed etiam centum & quatuor vno in tempore D milites in equestri ex eis caperet congressione. Ipsúmque Vvillelmum intantùm humilem reddidit & depressum, vt & eum vlteriùs impugnare desisteret, & patriam pacatiorem, suęque inquietudinis omninò immunem relinqueret.

Nec modo Vvillelmum istum, sed & alios patriæ peruersores, regiæque pacis pertinaces impugnatores Henricus virtuosè postea subegit, & maximè VVILLELMVM filium ODONIS, virum possessionibus & diuitiis amplissimè dilatatum, qui suis sub pace parcissimè fruens, numquam à vicinis, vt consuetudo est, fercula, nec à quolibet hominum suscepit munuscula: sed regno tandem discordia vbique suboriente turbato, in Regem cum aliis & ipse insurrexit. Sed Hẽricus animosè pro Rege agens, cùm frequentissimo eum conflictu imbecillasset, agnouit postremò veris ab exploratoribus, castellum illius euacuatum, suos qui inerant commilitones ad prædandum destinatos: veniénsque cum suis nocturno sub silentio, castellum de-

STEPHANVS. ceptis excubiis furto subintrauit, iniectisque per turris fenestras fascibus, domos interiores in flammas conuertit, ipsúmque castelli dominum semiustulatum, cum inopinabilis immensitatis thesauris inde abstrahens, quicquid possederat Rege fauente obtinuit. In multis autem & aliis negociis alacerrimè Henricus & fidissimè contra Regis aduersarios decertauit, quemadmodum suis in locis in præsenti Historia plenius deflorabimus. A

DVM talibus diuersis, vt dilucidatum est, modis Anglia turbaretur, Balduinus, vir, vt dictum est, generosus, & ab Anglia vrgente Rege exulatus, cum florida & forti militum caterua apud ciuitatem Vvarham applicuit; susceptúsque in Corsli vno omnium Anglorum castello tutissimo, ad obsistendum Regi, quem propè affuturum fama reuelante perceperat, intrepidè sese cum suis accinxit. Rex autem cùm de suo aduentu à suis fautoribus præmoneretur, nullum moræ spacium indulsit, sed sibi consentientibus quamcitiùs aduocatis, ante ipsum improuise castellum Balduinum obsessurus aduenit, ibíque tempore diutissimo commorans, dum hostes aut machinis affligere, aut fame afficere putabat, consilio tandem suorum soluta obsidione virum illæsè secedere permisit, eò quòd audisset ROBERTVM Glaorniæ Comitem, & sororem illius, obstinaces regni sui insecutores, viribus suis in vnum adunatis nuper Angliam ingressuros: néue se & suis insciis in regnum prorumperent sollicitè procurans, omnes portuum aditus nocte diligenter & die obseruare præcepit, consultiùs sibi arbitrans & commodius summos inimicorum quanto posset nisu impedire, quàm ad Balduinum totus intendens, & ipse interdum ab aliis impediretur. Sed vt scriptum est, non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ contra Dominum, nec valet humani pectoris astucia deuitare quod Dei disposuit prouidentia agere. Scimus quia subditi aliquando pro suis, aliquando pro Præpositorum flagellantur reatu: quia, vt notum est, & populus Israël, quia Deum in multis offenderat, multis belli oppressionibus, multis & pestilentiæ attritionibus sępiùs vapulabat: & idem populus pro Regis Dauid, sed & pro Salomonis adulterij offensione, hinc ab Angelo percussus, inde fuit ab hostibus dirissimè vexatus. B

QVIA igitur populus Anglorum luxu & ocio dissolutus, luxuria & ebrietate eneruatus, fastu & arrogantia tumefactus, Deum ad iram frequentiùs prouocarant: quia & eorumdem Præpositi turpi hoc & enormi viuendi modo, sed & laxius & remissius in omnem illiciti amplexus coïtum, in omnem edendi & bibitandi superfluum ructum, in quicquid denique viciosius, animæque habetur perniciosius, sine discretione, sine pœnitudine, proruebant, Deúmque per hoc exasperabant, sibíque maximè indignari cogebant: non fuit mirum, si tot Anglia discordiæ dissensionibus, tantis bellorum tumultibus, tot vbique torquebatur sceleribus: cùm constet & verum sit, magna quælibet & horrenda peccata non sine magnis expiari suppliciis, quantóque quispiam procliuior fuerit ad malum, tanto capacior erit ad perpetiendum malorum tormentum. Hinc etenim ad Babylonem dicitur, *Quantum exaltata & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vnde licèt Rex STEPHANVS plurimo militandi artificio ad regnum pacandum inuigilaret, licèt immenso decertandi sudore se & suos contra aduersarios continuò fatigaret: non tamen ad votum profecit, quia vt Prophetæ vtar verbis, in omnibus quæ eis contigerant non fuit auersus furor Domini, sed adhuc manus illius extenta, sempérque graue Domini onus magis & magis illos deprimens, vsque dum completa essent peccata Amorreorum, & Æthiops mutaret pellem suam, immisericorditer vbique per Angliam semper induruit. C D

DVM igitur Rex ad alia intenderet, ostiáque marina custodiis strictissimè adhibitis arcere iuberet, Comes Glaorniæ Robertus, cum sorore sua Comitissa Andegauensi, apud castellum Arundel applicitus, quasi hospitandi gratiâ cum robusta militum manu susceptus fuit. Concussa protinus Anglia, & eximio pauore tremefacta, modis diuersis agitabatur, quia quicumque clanculò vel apertè illi fauebant solito erant acriores, & ad Regem perturbandum accensiores: qui verò Regi obtemperabant, quasi horrendo depressi tonitruo humiliabantur. Ceterùm Rex per omnes, quæ sibi acciderant, bellorum & discordiarum aduersitates, indesperatus prorsus & infractus, nullum moræ spacium indulsit, sed cum prompto & exercitato, quem secum ducebat, militantium cuneo, audacissimè accelerans,

A ante ipsum insperatè constitit castellum: ediscénsque à veris exploratoribus, Comitem cum suis euasum Bristoam sub nocturno silenrio tetendisse; sororémque illius cum adductis secum Andegauensibus castello, vbi applicuit, delituisse; exercitus ibi parte ad prouidendum ne foras protumperet, relicta, ipse ad capiendum Comitem totus intendit. Verùm, cùm voti sui compos minimè existeret (non enim trita via, sed secreto quodam diuerterat limite) ad eos, qui in castello se retruserant, obsidendos retrogradum iter festinato inflexit. Episcopus autem Vvintoniensis, audito eorum aduentu, omnia protinus viarum diuerticula militibus oppositis obstruere fecit; tandémque vt fama erat Comiti occurrens, pacis & amicitiæ stabiliùs inter se pactione peracta, virum indemnem abire permisit. Et hoc quidem vulgus, sed omni sanè sentienti dubium constat, & prorsus incredibile, vt frater regni fraterni inuasorem cum osculo susciperet, eúmque à suo prospectu ad regnum in fratrem grauiùs promouendū illæsum dimitteret. Episcopus itaque, B quasi Comite non consequuto, cum multa equestrium ambitione Regem adiuit. Cúmque animaduertisset Regem ad obsidionem ingerendam animum offirmasse, inutilè id & inacceptum tam sibi quàm regno ait esse consilium. Si enim ex vna Angliæ regione Andegauensem Comitissam obsidere disponeret, germanus illius ad regnum perturbandum ex alia quàm festinus parte insurgeret: ideóque consultius sibi esse, & regno salubrius, vt ipsam ad fratrem damni immunem progredi permitteret, quatinus ambobus cum viribus suis in locum vnum redactis, & faciliùs ad eorum cassandum conatum intenderet, & ad eos grauiùs insequendos cum omnibus suis expeditiùs esset. Datis igitur dextris, & sub iureiurando acceptis induciis, ad fratrem Comitissam secedere permisit: tantò liberiùs eos expugnare confidens, quanto in vnam regionis partem ambo redigebantur. Illi denique Bristoam aduentanti, omnes regni Barones aduentum suum certificare, vt eis intentius subuenirent piè & lacrymosè deposcere, illis exenia danda, istis prædia amplificanda promittere, omnibus verò prout poterat omnibus commodis ad votum occurrere. Omnes itaque illorum fautores, qui Regi antea, fictè tamen & dolosè C deseruiebant, rupto iuramenti & hominij fœdere, quod ei pepigerant, ad illos conuertebantur, coniunctíque vno animo, vna & conspiratione ad obsistendum Regi animati, vehementissimè in eum vbique irruebant.

FVIT ea tempestate BRIENVS filius Comitis, vir genere clarus, & dignitate magnificus, qui de illorum aduentu eximiè lætificatus, firmato inexpugnabili, quod penes Vvalengefordiam habuerat, castello, cum militum ingentissima copia aduersus Regem viuè & constantissimè rebellauit. Sed & MILO ille primas Glaornensis, de quo superiùs paucula prælibauimus, mentita quam Regi pepigerat fide, tenacissimè se contra eum erexit, susceptísque quotquot ad eum confluxerant Regis aduersariis, omnem in circumiacentibus Comitatui Glaorniæ prouinciis depopulationem exegit. Et nunc quidem de remotissimis Angliæ finibus innumerabilis multitudinis animalia abducere, nunc quos circa se fide & hominio Regi allectos prænouerat, igne & gladio validissimè vexare, illic iuges Regi suísque confraganeis insidias texere, istic eorumdem terras & possessiones vsque ad solitudinem crudelissimè nudare. Non solùm igitur isti, sed & alij nonD nulli, qui priùs cum Rege fide & iureiurando cōfœderabantur, nunc pacis & cōcordiæ dissoluto annexu effrenatè in eum ingerebantur, omníque truculentia diuersis in Angliæ partibus sæuientes, quicquid grauius aut scelestius excogitarant, vbique locorum impiè committebant. Sed Rex Stephanus in omnibus, quæ vndatim ingruebant, aduersis inexsuperatus prorsus & infractus, viribus suis in grandem exercitum collectis, singulos audacter tentabat affligere. Et primùm quidem Vvalengefordiam cum indicibili veniens multitudine pertinaci eos & inseparabili claudere obsidione proposuit, cùm vtiliori Baronum præuentus consilio, quod animo conceperat ad tempus prætermisit. Dicebant enim, vt res se habebat, castellum illud munimine inseparabili tutissimè firmatum, escas ad plurimorum annorum suffragia copiosissimè ingestas, pubem validissimam inuictissimúmque militiæ robur intus susceptū, nec posse ibi sine maximo sui suorūq; detrimēto diutiùs immorari: cùm palam esset hinc suū à castellanis exercitum quotidianis excursibus grauissimè turbandum, indè ab aduersarijs vndecúmque in eum conspirantibus

STEPHANVS. clanculò vel apertè facillimè infestandum. Quamobrem commodum aiebant, & A suscipiendum consilium, vt duobus ibi constructis castellis, suísque ad obsistẽdum sufficienter impositis, ad alios expugnandos aliorsum diuerteret, quatinus & istos per hoc vrgentiùs coartaret, & ad aliorum debilitandum conamen promptissimus suffragator & insperatus adesset.

DVOBVS igitur sub festinatione erectis castellis, cum omni expeditione versus municipium, quod TROBRIGA dicitur, tetendit, quod VMFRIDVS DE BOVN consilio & incitatu Milonis ad Regi aduersandum defensione inexpugnabili firmarat. Verùm dum iter carperet propositum, mirandus ei fortunæ contigit euentus, quia & castellum de Cernei, quod ad seditionem in eum concitandam Milo construxerat, adhibita captum violentiâ obtinuit, & municipium ciuitatis MALMESBIRIÆ artificiosè & inexpugnanter patratum redditum suscepit, intercepto in eo ROBERTO filio Huberti cum suis, viro crudelissimo, nullíque in malitia & scelere æquando. Verùm quoniam varius est euentus belli, & nunc fortuna secula nostra rotans istum ad summa sustollit, & mox eundem ad inferiora B deicit: post faustissimum huius ominis euentum, subitum ei & insperatum subsecutum est infortunium. Dum enim cœptum iter versus Trobrigam legeret, Milo vir acerrimi animi, & ad magna inuadenda impiger & perpromptus, cum eximio militantium robore Vualengefordiam noctu aduenit, militésque, quos Rex ibi reliquerat, fortiter & animosè impugnatos sibi tandem cedere coëgit: illísque vulneratis, & istis occisis, omnibus autem reliquis captis & vinculatis, cum insigni victoriæ titulo ad propria remeauit. Et ideò planè tam damnosus huius infortunij casus Regi & suis isto in loco contigit, quia ex quadam ibi Ecclesia, ex domo scilicet religionis & orationis, castellum fieri, sanguinísque & belli recessum erigi permisit. Quia enim Ecclesia ad hoc constituitur, vt domus Dei, domus orationis sit & vocetur, ipsum certissimè Deum offendit, qui bellantium eam habitaculum efficit. Vnde quia, vt scriptum est, nullum peccatum impunitum, & mensura qua mensus fuerit quis ei remetietur, non absurdè sentimus, si ideò Regi hoc accidisse confirmamus, quia pacis & salutis domum in belli & discordiæ commutauit asylum.

MILO igitur tam gloriosè aduersarios triumphatus, ad Regem & suos conturbandos totus intendit, omnésque, quorum possessiones Rex depopularat, vel qui C ei aduersari quauis de causa contendebant, Glaorniam adsciscens, tum quia locus munitus & omni copia erat refertissimus, tum quia multitudo ex diuersis locis in vnum conflata tutiùs quæque & auidiùs inuaderet, plurima insigniter & victoriosè peregit. Vt enim maximas illas & innumeras, quas vndecúmque contrahebat, prædas, vt horrendas villarum & vrbium, quas in solitudinem redigebat, cremationes, vt multimodos viros loco & officio diuersos, istos gladio addictos, illos ad redimendos loris innexos reticeanus, pro quibus omnibus dolendum magis est, quàm aliquid enarrandum: solum illud dignè memorandum existimo, quòd castella, quæ Rex in Glaornensi vel Herefordensi locarat prouinciis, quorum municipes inauditam in plebe exercebant tyrannidem, alia viuè & virtuosè capta subuertit, alia ad possidendum suis permisit: istis partim captis, partim à castello prorsus effugatis, vt apud ciuitatem Vvincelcumbæ: illis viuè & virtuosè superatis ac redditis, vt apud Cernei & ciuitatem Herefordiæ. Illud quoque nequaquam præterundum, D Regis Henrici pignoribus adeò eum fidum, adeò fuisse vnanimem, vt non solùm eos coadiuuerit: sed & ipsam Andegauiæ Comitissam cum suis suscipiens, vicem ei patris actu & consilio semper exhibuit, quoúsq. tandem capto & incarcerato Rege, sicut in sequẽtibus pleniùs enodabimus, totius eam Angliæ Reginã effecit. Interea Rex Trobrigam aduenians, cùm locum ipsum officiosissimè firmatum, ad omnem qui includebantur fortunam paratissimos, nec sine graui difficultate cessuros conspexisset, ad machinas operosè componendas, ab obsidionem pertinaciter inferendam insudauit. Sed frustrà nisus, quia nec ipsi machinis atterebantur, nec obsidione licèt valida & prolixa aliquatenus flectebantur. Quamobrem Baronibus, qui in obsidione aderant, aliis ob moram tædiosam vehementer afflictis, aliis autem fictè secum & fraudulenter laborantibus, omnibus verò ne Comes Glaorniæ contractis in vnum viribus in eos repentè irrueret formidantibus: Rex consultu suorum

A suorum Lundoniam remeauit, quatinus viribus ibi innouatis, acriùs postmodum quò fortuna vocaret accederet, & securiùs quæque inuaderet. Reliquit autem in castello, quod Diuisa dicebatur, ad Trobrigam infestandam; eò quòd propè esset, succinctissimam ad Martios congressus militiam, illisque & istis alternis sese incursionibus mutuò impugnantibus, totam circumiacentem prouinciam in miseram solitudinem vbique redegerunt. STEPHANVS.

HISDEM temporibus ROGERIVS Salesbiriensis Episcopus quod vitæ habuit moriens expirauit, qui sicut diuitiarum gloriâ, prudentísque animi ingenio omnes regni Magnates superauit, ita à luxuria fractus, & prorsus eneruatus, quicquid in se virtutis continuit solâ sorduit immunditia. Reliquit autem in Ecclesia Salesbiriæ infinitam nummorum quantitatem, sed & vasa plurima ductili aurificum opere, ista ex argento, illa ex auro artistè & gloriosè cælata: quæ omnia in vsus Regis, ipsis Canonicis fauentibus, immò & vltrò offerentibus cesserunt, & alia multa, quæ Episcopus in vnum thesaurizarat, ignorans secundum Psalmistam cui congregaret ea: similis & Euangelico illi diuiti, cui dicitur, *Hac nocte recipient animam tuam à te, quæ parasti cuius erunt?* Rex verò partem pecuniæ ad Ecclesiam cooperiendam, partem ad Canonicorum releuandam necessitatem indulsit, terrásque Ecclesiarum & possessiones, quas Episcopus in proprios vsus redegerat, déque dominabus sublatis pastoribus ancillas effecerat, liberè & Ecclesiasticè ipsis Ecclesiis reddidit; Pastoribúsque canonicè inthronizatis duas Ecclesias, Malmesbiriensem, & Abbesbiriensem, vt fuerant antiquitus, splendidè restaurauit.

B

AVDIENS Episcopus Eliensis auunculum defunctum, quod animo dudum conceperat aduersus Regem agere studuit, quatinus & iniurias in auunculum à Rege, vt dictum est, irrogatas, in eum quanto nisu posset vindicaret, & Regis Henrici filios ad regnum maturiùs consequendum pro posse adiuuaret. Armis igitur Euangelicis, militiáque Ecclesiasticæ disciplinæ prorsus derelicta, virum sanguinum induit, militibúsque ad quodlibet facinus promptis, opere & animo expeditis in ELI sua pecunia conductis, confines omnes, & eos maximè, qui Regi consentiebantur, turbabat. Est autem ELI insula delectabilis, grandis & populosa, terrâ fertili & pascuosa fœcunda, stagnis & paludibus immeabiliter vndique circumcincta, nec nisi in vna sui parte itineribus peruia, vbi & limes artissimus viam strictissimam in insulam dirigit, castellúmque in medio limine ex antiquo mirificè in ipsis aquis infixum, totam insulam vnum & inexpugnatum efficit castellum. Huc itaque Rex, cùm de incœpta Episcopi seditione vera percepisset, cum grandi exercitu festinus aduenit, consideratáque mira & insuperabili loci munitione, quomodo se cum suis ingereret, plures anxiè consulebat. Datóque tandem consilio, & approbato, vt plures nauiculas in loco, quo gurges circumfluens insulæ parcior apparebat, pariter aggregaret, pontémque super illas ex transuerso positas, craticulis in longum substratis, vsque ad insulæ ripas dirigeret: Rex non minimum gauisus opus maturanter fieri præcepit, tandémque hoc modo ponte super naues ingeniosè constructo, vsque ad vlteriores insulæ ripas ipse cum suis festinanter deuenit. Transitis autem tali artificio aquis, restabant & adhuc limosæ quædam paludes, in quibus vadum fundosum ad transmeandum habile Regi latenter fuit ostensum. Aiunt Monachum quendam Prouinciæ Eli pergnarum, & aquæ transineandæ præscriptorem, & vadi in paludibus monstrandi ducem fuisse & ostensorem, quem & postea ob huius seruitij gratiam non Petri, sed Simonis potiùs claue in Ecclesiam introductum, Abbatémque Ramensem vocatum vidimus, multósque postea ob iniustam Ecclesiæ inductionem labores & afflictiones, Deo iustè de occultis iudicante, pertulisse cognouimus. Sed de his in sequentibus. Rex autem ad interiora insulæ progrediens, exercitum quaqua versum discurrere permisit, captisque nonnullis Episcopi militibus, sed & spoliis magni precij, & thesauris miræ multitudinis repertis, castellulum, quod erat in introitu insulæ, vbi & Episcopi se milites receperat, obtinuit & accepit: habitáque mirè & gloriosè de aduersariis victoria, plurimum

C

D

LLll

hostibus per Angliam terrorem incussit. Episcopus autem vix regiam euadens A virtutem, pauper & depressus Glaorniam aufugit, vbi omnes à Rege infestati quasi in sentinam conuenerant, didicitque egenus quod discere nequit diues & superbus, quia deponit Dominus potentes de sede, & qui se arroganter exaltat vsque ad imum depressum humiliat.

DVM hæc in Eliensi agerentur prouincia, VVILLELMVS filius RICARDI, vir stemmatis illustrissimi, quique Comitatus Cornubiensis amplissimum sub Rege habebat principatum, fidei & iurisiurandi sacramentum Regi promissum dolosè violauit, susceptóque REINALDO filio Regis Henrici in castello, quod regiæ semper erat potestatis & iuris, filiam suam ei despondens, totius Cornubiæ Comitatum commisit. Et Reinaldus quidem tanti Principatus nacto dominatu, fortiter magis quàm prouidenter se continere, omnes B violentia & armis ad nutum sibi inflectere, castella vbicumque aderant suis impositis firmare, Regis quotquot è proximo fuerant fautores grauissimè cœpit opprimere: adeóque præsumptuosæ cœptæ temeritatis præualuit insania, vt nec Ecclesiis parceret, nec suos aliquatenus prędones à rebus Ecclesiasticis cohiberet. Quapropter iustissimo non multum post diuinæ vltionis verbere vidimus circumuentum, quia Episcopus Esoniensis gladio eum anathematis perculsum ab Ecclesiæ limine semouit, & vxor illius furiis agitata, non simplicem in eius amplexus sexum, sed dirum & horrendum offerebat dæmonium: terrámque quam à proditore socero susceperat, à Rege non multò post surreptam tempore plurimo amisit, solúmque quod inhabitabat castellum, vix & cum angustia, præualentibus in eum aduersariis, obtinuit. Audiens siquidem Rex & in patria Cornubiensi rebellium, vt præmisimus, aduersum se concitatum, festinus illuc & improuisus aduenit, resumptísque quæ Reinaldus inuaserat castellis, ALANO Comiti viro summæ crudelitatis & doli, patriam commisit: illóque inibi cum promptissima militum cohorte relicto, iugem C cum Reinaldo, vsque dum indè abigeretur, iussit habere conflictum.

ROBERTVS autem Glaornensis Comes, sed & fortissima illa, quæ Glaorniam incolebat, aduersariorum Regis militia, percipientes tandem fines Cornubiæ Regem subintrasse, eximiè lætabantur: quia & in eum faciliùs irruere, vtpote in extremiore Angliæ parte ab exercitu semotum, & si Deus conamini suo tam fortunatè aspiraret, etiam ibi comprimere autumabant. Collecto itaque immenso militum robore Regem impugnaturi cum grandi apparatu Cornubiam properarunt: cùm ecce nuncij aures illorum insperatè perculerunt, affirmantes Regem felici auspicio cunctis perpetratis tandem redeuntem, & cum ingentissima mirandę militiæ expeditione inter eos sub oculis affuturum. Nec enim falsò, aut friuolosè commenta nuncij proferebant, quia Rex de Comitis aduentu secretè præmonitus, suis ad confligendum doctè & prouisè dispositis, omnibúsque Damnoniæ Baronibus in auxilium suum ascitis, quasi ipsa die cum Comite congressurus approperabat: iamiámque inter vtrósque paucula distante itineris intercapedine votis fecisset satis, ni Comes sano suorum consilio accepto desistere persuasus, iter retrogradum versus Bristoam suam velociùs relegisset. Regrediens itaque Rex sine sui, vel suorum impedimento, plurima adulterina castella, alia solâ aduentus sui famâ vacuata, alia viribus virtuosè adhibitis conquisita subuertit: omnésque circumjacentes prouincias, quas castella inhabitantes intolerabili infestatione degrauabant, pur- D gauit tunc omnino, & quietissima reddidit.

PROPE hoc tempus ROBERTVS filius HVBERTI, vir genere Flandrensis, animo & actu fraudulentus, qui vt de Euangelico Iudice dicitur, nec Deum nec homines reuerebatur, ex Roberti Comitis militia furtiuè proficiscens (erat enim illius stipendiarius) castellum Regis, quod Diuisa dicebatur, ornanter & inexpugnabiliter muratum, tensis à muri propugnaculo scalis vsque ad imum ex corio firmè & ingeniosè contextis noctu occupauit. Cúmque se & suos deceptis manubiis interiùs coniecisset, quotquot ex parte Regis inerant securè soporantes, nec talia suspicantes comprehendit,

A exceptis paucis, qui sub intempesta nocte clamore subeuntium exorto repente se in turri eminentiori contulerunt: sed quia nec escas secum contulerant, nec suffragatores à Rege aduenerant, paucis diebus decursis turrim reddiderunt. STEPHANVS.

HVIVS igitur tam egregij facinoris famâ se latiùs dispergente, Comes Glaornensis filium cum copioso militum agmine, tanquam Roberti conamen astipulaturus transmisit: sed ille verbis eum iniuriosis aspernans, minis quoque intermixtis à portis abigens, vilificatum ad patrem remisit: affirmans, vt castellum possideret, non fortiori se committeret, castellum se conquisisse. Et quidem ita se res habebat, ita & versipellis ille versutè cogitabat, quatinus nec ex parte Comitis se continens, nec ex consortio Regis se profitens, suæ gentis viribus abundanter intrò receptis, omnem circumquáque prouinciam aut dolo deciperet, aut viribus obtineret. Sed malitia illius in seipsum Deo mirabiliter iudice fuit reflexa, quia secundum illam diuinitus prolatam sententiam, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquebitur.* Quia enim alios circumuenire dolosè attentabat, & B ille dolo circumuentus, captus, & catenatus, diuersis suppliciis fatigatus interiit. Fuit siquidem in vicino IOANNES quidam vir itidem tecnosus, & ad magna fraudulenter commouenda paratissimus, castellum tutissimum ex regio iure violenter possidens, MERLEBERGAM nominatum: quod Robertus affectans, vel quia castello suo vicinum erat & commodum, vel quia & illo sub iure suo redacto, toti posset Angliæ licentiùs inferre dissensum, Ioanni per internuncios mandauit, se pacis cum illo & amicitiæ fœdus habiturum, vices castellum suum introeundi causâ consilij dandi & decipiendi velle deposcere, fœdus indisruptum, concordiam intemeratam proposuisse seruare. Ioannes autem animaduertens spe castelli sui decipiendi, vt se res habebat, hæc omnia polliceri, gratanter quæ postulabat & benignè annuit, susceptúmque castello, clausis post se portis, fame & tormentis afficiendum in carcerali angustia deposuit, irruénsque cum suis in Roberti consodales, quos secum proditionis suæ conscios auctitarat, alios iniectis C continuò manibus captos cum Duce suo retrusit, alios cum ignominia turpiter effugatos vsque ad Diuisas cedere coëgit.

AVDIENS Glaorniæ Comes nefandissimum illum in Ioannis custodia, qui suæ adhuc partis fidissimus erat coadiutor, tali modo detentum, non mediocriter collætabatur, eximiámque militum frequentiam in suum aduocans comitatum, ad Ioannem aduenit: adductúmque ante Diuisas Robertum, in omnium suorum oculis altè suspendit, condigna Dei vltione, vt qui multa hominum milia suppliciis attriuerat, & ipse scelestam vitam digno supplicio terminaret. Isto igitur, vt dictum est, suspenso, cognati & commilitones, quos in Diuisa reliquerat, quos & viuens adiurarat, ne cuiquam castellum committerent, quamuis suspenderetur, plurimis à Rege susceptis pecuniis, HERVEO Britoni viro illustri & militari, & genero Regis castellum commiserunt. Et ille quidem fortiter semper & viuacissimè Regem adiuuans, pertinacem & inremissum cum Regis insectatoribus habuit conflictum, quousque tandem à rusticis circumuentus, & ab omnibus comprouincialibus obsessus, vellet nollet, castello amisso ab omni Anglia exul discederet. Sed de his in sequen- D tibus.

ISTIS tali modo perpetratis, Galfridus Talebot, cuius mentionem locis opportunis præmisimus, milites, quos Rex in Herefordensi municipio reliquerat, patriæ defensores, suíque iuris præministros & tutores, obsidere tentauit. Ingressúsque in Episcopalis Sedis principalem Genitricis Dei Ecclesiam, expulsis irreuerenter mensæ Dei ministris, armatorum cœtum temerariè induxit, domúmque orationum & animarum propiciatorium in dissensionis tumultum, in belli & sanguinis conuertit recessũ. Erat profectò horrendũ, omnibúsq. piè sentiẽtibus impatiendum, cernere vitæ & salutis habitaculũ in raptorum & bellantium permutatum azylum: ciuibus vbique lacrymosè eiulantibus, vel quia suorum cimiterium in castelli sustollebatur vallum, parentúmque & cognatorum corpora alia semiputrefacta, alia recentissimè humata, crudele spectaculum, ab imo videbant incompassiuè retracta: vel quia de turri, vnde dulces & imbelles audierant tintinnabulorum monitus, nunc balistas erigi, nunc ad regales damnandos in palam erat missilia torqueri. Galfridus igitur Regis milites in castello suo reclusos infestissimè à templo propugnans,

STEPHANVS. sed & Milo Glaornensis ex alia castelli regione molita obsidione cum machinis eos A vehementer angustians, ... * *.

Rursus hîc desiderantur folia duo.

..... daret totum quod deliquerat diligentiùs emendaturum. Quapropter consultum est Regi, vt viro ad fœdus redintegrandum, ad pacem innouandam recepto, si promissa factis adimpleret, tacitus obseruaret, sicque ad alia explenda aliorsum secederet. Plurimo itaque euoluto tempore, cùm nec Comes solito deuotiùs Regi pareret, cúmque in Lincolnensi cum vxore & filiis commorans castello, ciuibus & affinibus dira iniungeret, ciues Regi priuatim & occultè nunciis destinatis, vt ad Comitem cum suorum suffragiis obsidendum quamfestinus adesset, cum multa supplicatione sæpiùs mandarunt. Rex autem repentè & improuisè adueniens, à ciuibus susceptus, castellum euacuatum penè inuenit; exceptis vxore & fratre Comitis, paucísque eorum suffraganeis, quos idem Rege B ciuitatem subeunte ibi relinquens, vix à castello solus effugit. Rege itaque constanter & animosè castellum obsidente, quíque includebantur balistis, & aliis diuersi studij machinis grauissimè infestante, Comes Cestriæ, mandatis Roberto Comite Glaorniæ, sed & Milone, & omnibus, qui se in Regem armarant; sed & Vvalensium graui secum & intolerabili conducta multitudine, vnà omnes conspiratione, imò & concordi animo ad Regem expugnandum pariter conuenerunt. Erat autem festiuus Purificationis dies. Cúmque in summo diluculo Missarum solemnia celebrarent, & Rex secundum ritum diei & officium accensum in manu cereum gestaret, lumen ipsum subitò extinctum, sed & cereus, vt aiunt, parumper infractus, retentúsque tamen in manu resarcinatus fuit, & iteratò accensus: signum videlicet, quòd propter peccatum suum regni honorem amitteret, tandémque exacta pœnitentiâ Deo sibi propitio mirè & gloriosè idem recuperaret. Quòd etiam cereum, cùm in manu illius infractus esset, in manu tamen retinuit, significat quia nec regnum ex toto deseruit, sed nec Regis nomen, licèt in carcere positus, amisit: miráque Dei actum est dispositione, cùm inter summos detineretur inimicos, non tamen ne Rex esset efficere potuerunt. C

AVDIENS autem Rex hostes in proximo affuturos, ipsáque die ni aufugeret conflicturos, noluit gloriam suam fugæ opprobrio deturpare, sed bellico more cautè & ordinatè dispositis agminibus, extra ciuitatem obuius eis audacter occurrit. Cúmque fortissimam tam militum quàm peditum præmisisset cohortem in exitu cuiusdam vadi eis ad obsistendum; illi econuerso directis prudenter aciebus cum violentia in ipsos irruentes, vadum occupauerunt, dispersísque eis fortissimè, & in fugam emissis, vno & intrepido animo in regium se viuacissimè commiscuerunt exercitum, istísque interemptis, & illis ad redimendum captis, plurimis autem antequam manus consererent, vt Comes Mellonensis, & Vvillelmus ille de Ipra, proh pudor! fugitantibus, Regem tandem validè & constantissimè repugnantem ceperunt. Proinde dum alij ciues in ciuitatem fugitando se recipientes prosequerentur, & cædibus creberrimè peractis, sed & domibus passim & templis prædatis & succensis, lacrymandum depopulationis spectaculum vbique committerent, alij circa immensam quam sibi subdiderant captiuorum multitudinem, sed & circa Regem frequentiùs intenderent: cúmque eum tandem exarmassent, hu- D militer & querulosè sæpiùs inclamantem, hanc sibi improperij notam offensarum suarum vindice Deo accidisse, nec tamen eos criminis præmaximi fuisse immunes, qui rupta fide, spreto iuramento, nihili penso quod sibi pepigerant hominio, in eum, quem sibi Regem & dominum spontaneè præfecerant, tam dirè támque scelerate insurrexissent, tanta omnes pietatis & compassionis teneritudine frangebantur, vt non solùm in lacrymas & eiulatum omnes prorumperent, sed & cordis & oris pœnitudine quammaximè afficerentur.

COMES itaque Glaornensis Regem secum adducens, sorori suæ Comitissæ Andegauiæ in Glaornia obtulit, communíque indè consilio in turri Bristoensi vsque ad extremum vitæ halitum reseruandum custodiis adhibitis reposuit: cæcus in hoc, & Dei secreti ex toto nescius, in cuius manu, vt scriptum est, continetur cor Regis, & quocúmque voluerit vertet illud; qui ideò Regem ad tempus humiliat, vt gloriosius postmodum & potentiùs exaltet. Qui enim

A Regem Babylonicum superbè se & arroganter extollentem vsque ad bestialem formam infirmatum depressit, vt per ipsam depressionem sensu, & meliore in Deum cognitione recepta, altiùs postea & acceptiùs leuaret, qui etiam Regem Dauid per filij insectationem ideò propter peccata sua à sede regali turpiter effugauit, pérque diuersa latibula viriliter & inhonorè discursare permisit, vt eminentiùs perindè & mirabiliùs ad regnum induceret: Ipse idem secreto illo, quo nihil agit sine causa, consilio, Regem Stephanum ad momentum voluit deici, vt excelsiùs postea & mirificentiùs posset eleuari. Sed quomodo illud, & quàm mirabiliter contigerit, clariùs in sequentibus dilucidabimus.

CAPTO itaque Rege, & vt propalatum est, in Bristoam ex Dei dispositione retruso, tota Anglia concussa obstupuit, & aliis quidem festus dies & noua lux visa oriri, dum per hoc discordiæ & bello finem imponendum sperarent, aliis altiùs sentientibus non posse reatum, quem in Regem & dominum commiserant, sine maximo regni & suorum impedimento expiari, sed nec B discordiæ tumultus tam facilè terminari, dum in propatulo esset & maiorem regni partem Regi se inclinasse, & firmiora vbique castella regalibus cessisse. Quod & ita contigisse non multò post experto probauimus. Sed tamen maior regni pars Comitissæ suísque se fautoribus continuò inclinauit, & alij quidem ex regalibus subitis circumuenti infortuniis aut capiebantur, aut ex propriis cum violentia detrudebantur: alij mentita citissimè, quam Regi debuerant, fide, se illi & sua vltroneè contradebant. Hominum profectò seruile & teterrimum genus, qui domino & Rege sinistris auspiciis agitato, non tamen amisso, fidem quam ei promiserant tam repentè immutarunt. Comes namque ALANVS, vir, vt dictum est, immensæ truculentiæ & doli, dum Comiti Cestriæ inhonoram, quam in Regem & dominum commiserat, captionem vlturus, insidias tenderet, aduersariis præualentibus captus & catenatus, suppliciísque in carcerali squalore fuit addictus; donec coactæ humilitatis, & vilissimæ seruitutis induens ceruicem, & hominium Comiti Cestriæ faceret, & castella sua illius deliberationi permitteret: interímque Comitatum Cornubię, quem ex Regis datione percepit, C Reinaldo iam in patria superiore, amisit. Comes etiam HERVEVS gener Regis, in castello, quod Diuisa dicitur, à simplici rusticorum plebe in vnum se globum in malum illius coniurante, diutissimè obsessus, tandémque castello in manus Comitissæ reddito, ab omni Anglia inhonestè depulsus, cum paucis transmeauit. Sed & HVGO cognomine PAVPER, qui Comitatum Bedefordiæ, detruso Milone de Bellocampo, ex regia permissione possederat, negligenter & remissè, vt vir laxus & effeminatus se continens, castellum Miloni vellet nollet commisit, iustóque Dei iudicio de Comite miles, de milite in breui pauperrimus fuit.

ISTIS itaque, sed & aliis nonnullis, qui Regi paruerant, mutabilem infelicis fortunæ aleam perpessis, aliis quoque sponte nullóque cogente ad Comitissæ imperium conuersis, vt ROBERTVS DE OLI ciuitatis Oxenefordiæ sub Rege præceptor, & Comes ille de Vvarvvic, viri molles, & deliciis magis, quàm animi fortitudine affluentes, illa statim elatissimum summi fastus induere supercilium, nec iam humilem femineę mansuetudinis motum vel incessum, sed solitò seueriùs, solitò & arrogantiùs procedere, & loqui, & cuncta cœpit peragere, adeò vt in ipso mox domini sui capite Reginam se totius Angliæ fecerit, & gloriata fuerit appellari. D Consultum autèm est ei, quatenus Henricum Vvintoniensem Episcopum fratrem Regis in amorem suum ascisceret, eo quòd omnibus Angliæ Magnatibus consilio & prudentiâ præstantior, virtute & diuitiis haberetur potentior. Quòd si suæ vellet parti allubescere, honorandum eum, & consiliorum primum: si verò contrarius & rebellis quoquomodo existeret, omnem in eo Angliæ exercitum festinatò dirigendum. Episcopus verò in angustia positus, hinc quia partes Regis tueri, & ad priorem punctum reducere difficillimum erat, maximè quia castella sua nec escis nec hominibus sufficienter firmarat, inde quia graue sibi & in oculis hominum indecens videbatur, spirante adhuc fratre aduersis se illius tam subitò inclinare. Diuerso itaque hamo huc illúcque distractus anceps ferebatur, donec acceptiori confirmatus consilio, disposuit ad tempus pacis amicitiæ fœdus cum inimicis pacisci, dum sic sibi & suis pacis securitate indulta,

STEPHANVS. & quò se regnum, vel quomodo vergeret, tacitus obseruaret, & ad subueniendum A fratri, si oportunitas daretur, promptiùs & liberiùs assurgeret.

PACIS igitur & concordiæ fœdere in commune peracto, cum festina illam occursione in Vventam ciuitatem suscepit, Regísque castello, & regni corona, quam semper ardentissimè affectarat: thesaurísque, quos licèt perpaucos Rex ibi reliquerat, in deliberatione sua contraditis, in publica se ciuitatis & fori audientia dominam & Reginam acclamare præcepit. Illa itaque in hunc supremi honoris cumulum tam gloriosè, tam & excellenter euecta, cuncta cœpit potenter, immò & præcipitanter agere, & alios quidem, qui Regi paruerant, quíque se illi & sua subicere conuenerant, inuitè & cum aperta quandóque indignatione suscipere, alios autem iniuriis & minis afflictos indignando à se abigere: istorum possessiones & terras, vt Rex haberi permiserat, ordine indiscretè permutato minuere vel auferre: illorum feudos & honores, qui licèt perpauci Regi adhuc paruerant, distrahere ex toto, & B aliis permittere. Quicquid Rex decreto regali permissum statuerat, ore imperioso destituere, quicquid Ecclesiis vel secum commilitantibus fixè & inconcussè donarat, abripere confestim, & suis impendere: quódque plurimi fuerat supercilij & arrogantiæ indicium, cùm Rex Scotiæ, & Episcopus Vvintoniæ, & frater illius Comes Glaorniæ, quos totius regni primos continuos tunc comites secum ductabat, pro quolibet supplicaturi poplitibus ante ipsam flexis accesserant, non ipsis ante se inclinantibus reuerenter vt decuit assurgere, nec in postulatis assentiri, sed inexauditos quamsæpè, tumidáque responsione obbuccatos à se inhonorè dimittere: iamiámque non illorum consiliis, vt decebat, & vt eis promiserat, inniti, sed suo quæque prouisu, suæ & dispositionis præsumptu cuncta ordinare. Hæc verò cùm Episcopus Vvintoniensis sine suo assensu, sed & alia nonnulla sine suo consilio agi conspiceret, indignè satis & ægrè tulit, cautéque tamen & versutè cuncta dissimulans, ad quem finem cœpta deuenirent tacitus obseruabat.

CVM igitur illa maiorem sibi regni partem, datis obsidibus, sumpto & ab hominibus hominio tandem inclinasset, & ob hoc in fastuosam elata verticem plurimum se, vt præmissum est, extulisset, cum immenso militum apparatu, rogatu Londo- C niensium, qui se illi supplices obtulerunt, ad ciuitatem postremò deuenit. Cúmque ciues lætos se pacis & tranquillitatis attigisse dies, regníque infortunium in melius permutatum æstimarent, illa ditioribus quibúsque mandatis infinitæ copiæ pecuniam non simplici cum mansuetudine, sed cum ore imperioso ab eis exegit. Proinde cùm illi solitas diuitiarum opulentias per regni dissensionem conquererentur amisisse, ad asperrimæ famis, quæ imminebat, releuandam inediam plurima impendisse, vsque ad impendentem pauperiem Regi semper obtemperasse, ideóque piè & humiliter implorarent, quatinus calamitatis & oppressionis suæ miserta, in exigendis pecuniis modum eis imponeret, in iniungendis insoliti tributi angariis vexatis ciuibus vel pauco tempore parceret: deindè verò cum sopitis per regnum bellorum tumultibus pax ex integro rediret stabilior, quantò ampliùs diuitiis dilatarentur, tantò obnixiùs ei suffragarentur. Talia his modis ciuibus prosequentibus, illa torua oculos, crispata in rugam frontem, totam muliebris mansuetudinis euersa faciem, in intolerabilem indignationem exarsit: Regi inquiens Londonienses plurima & sæpè impendisse, diuitias suas ad eum roborandum, se autem imbecil- D landum, largissimè prorogasse, cum aduersariis suis in malum suum dudum conspirasse; ideóque nec iustum esse in aliquo eis parcere, nec exquisitæ pecuniæ vel minimum relaxare. His ciues perceptis tristes & inexauditi ad sua discessêre.

IN huius etiam temporis instantia Regina astuti pectoris, virilísque constantiæ femina, nunciis ad Comitissam destinatis pro viro ex carcerali squalore eruendo, filióque illius ex paterno tantùm testamento hereditando, enixè supplicauit. Sed cùm duris & inhonestis conuiciata iniuriis, tam ipsa, quàm & illi, qui vice illius supplicaturi accesserant, suæ petitionis compotes * extiterant; Regina quod prece non valuit armis impetrare confidens, splendidissimum militantium decus ante Londonias ex altera fluuij regione transmisit: vtque raptu & incendio, violentiâ & gladio in Comitissæ suorúmque prospectu ardentissimè circa ciuitatem desæuirent, præcepit. Londonien-

* f. non existerēt.

A ses igitur plurimum anxiati, hinc quia in eorum oculis patria nudabatur, hostilíque deprædatione in domos hericij redigebatur, nec qui suffragaretur in promptu habebatur; indè quia noua illa domina discretionis metas transcendens immoderatè se contra eos erigebat, nec futuræ eam mansuetudinis vel pietatis habituram erga se viscera sperabant, cùm in primo iam regnandi capite suorum nequaquam miserta intolerabilia eis postularet. Quocirca dignum consultu iudicarunt, vt cum Regina pacis & confœderationis pactione redintegrata, ad Regem & dominum à vinculis eruendum vnanimiter conspirarent: quòd pro Rege nimis subitò, nimis & indiscretè relicto iustè notati, iniunctam sibi nouorum tyrannidem quoquomodo spirante adhuc Rege susciperent.

CVM ergò Comitissa quid super postulatione sua ciues responderent voluntatis implendæ secura præstolaretur, omnis ciuitas sonantibus vbique campanis, signum videlicet ad bellum progrediendi, ad arma conuolauit, omnésque vnum habentes animum in Comitissam & suos atrocissimè irruere velle, quasi frequentissima ex apium alueariis examina reseratis portis pariter prodierunt. Illa autem, B cùm coquinatis dapibus nimium audacter nimiúmque securè recumbere iam proposuisset, audito ciuitatis horrendo tumultu, & à quodam de proditione in eam concitata secretè permonita, fugæ velocissimè præsidium cum omnibus suis expetiit. Cúmque cursatiles ascensi equos vix antemurales ciuitatis domos fugiendo liquissent, ecce ciuium magna, dictúque & æstimatu indicibilis copia hospicia quæ reliquerant subiens, quodcúmque impræmeditata fugæ velocitas intus deseruerat, sicut relictum inuenit, ita & inuentum vbique diripuit. Comitissa autem, cùm plures secum Barones timore vrgente aufugissent, non tamen continuos eos fugæ & dispersionis suæ secum habuit comites: quia tantus tam repentini pauoris strepitus tam mirabiliter omnes conturbauit, vt dominæ suæ prorsus immemores sibi potiùs fugiendo consulerent, variarúmque viarum diuerticlinia, quæ se citiùs fugitantibus obiciebant, subeuntes, per plurima diuerticula, quasi se Londonienses instanter insequerentur, sua expetierunt. Et Episcopus quidem Vvintoniensis huius vt ferunt factionis conscius & instigator, sed & alij quidam tam Episcopi quàm C cinguli militaris viri, qui ad dominam inthronizandam pomposè Londonias & aroganter conuenerant, multimoda fugæ latibula pernicissimè adierunt. Illa verò cum fratre suo Comite Glaornensi, aliísque Baronibus perpaucis, quibus præcipuè fugiendi oportunitas illò aptiùs dirigebatur, ciuitatem Oxenefordiæ sub omni acceleratione aduenit.

ISTIS igitur à Londonia tali modo exterritis, quicúmque Regis erant fautores, & ex eiusdem captione humiliati deprimebantur, támque noua luce perfusi in inuicem lætè congratulabantur, sumptísque animosè armis, in Comitissæ consentaneos vndecúmque insurgebant. Regina autem à Londoniensibus suscepta, sexúsque fragilitatis, femineæque molliciei oblita, viriliter sese & virtuosè continere, inuictos vbique coadiutores prece sibi & precio allicere, Regis coniuratos vbi vbi per Angliam fuerant dispersi, ad dominum suum secum reposcendum constanter sollicitare: & nunc quidem Vvintoniensem Episcopum totius Angliæ legatum, vt fraternis compatiens vinculis ad eum liberandum intenderet, vt sibi maritum, plebi Regem, regno patronum, toto secum nisu adquireret, viriliter D supplicare. Et Episcopus quidem flexus tum lacrymosis mulieris precibus, quas ei instantissimè suggerebat, tum pia fraterni sanguinis compassione, quæ illum vehementissimè afficiebat, animo secum plurimum moliri, quomodo & fratrem ex carceris improperio subtrahere, & regno ingeniosiùs posset inducere. Sed Comitissa Andegauensis versutiam illius astutè præueniens, cum instructissimo militum apparatu Episcopum si posset interceptura Vventam ciuitatem aduenit: cúmque vnam portam, ciuibus aduentus illius omninò insciis, cum maxima sese ambientium frequentia subintrasset, Episcopus curraci equo ascenso ex alia progrediens ad castella sua celerrimè aufugit. Illa igitur vniuersam sibi parentium per Angliam militiam edicto vbique propenso in grandem exercitum conuocauit, castellúmque Episcopi, quod venustissimo constructum cemate in ciuitatis medio locarat, sed & domum illius, quam ad instar castelli fortiter & inexpugnabiliter firmarat, validissima obsidione claudere præcepit.

STEPHANVS. COMMODVM autem duxi paucis intimare, qui vel quanti coadiutores illius A ad obsidionem secum inferendam contractis ibi viribus affuêre, quatinus his perspectis lector aduertat, non hominum esse potentiam, sed Deicæ potiùs virtutis miram & potentissimam efficaciam, tam validum, támque copiosum militantium examen adeò repentè victum & dispersum captum fuisse, & penitus adnullatum, sicut in sequentibus pleniùs declarabimus. Fuit ibi DAVID Rex Scotiæ, vt præmissum est, bis ab Anglia ignominiosè effugatus, tertiò autem non sine sui flagicio, suorúmque maximo periculo, cum innumeris aliis probrosè effugandus. Fuit & ROBERTVS Comes Glaorniæ, RANNVLFVS Comes Cestriæ, BALDVINVS Comes Esoniæ, REINALDVS filius Regis Henrici, sed nothus, Comes Cornubiæ, MILO Glaornensis, quem ibi cum gratia & fauore omnium Comitem præfecit Herefordiæ, ROGERIVS Comes de Vvarvvic, Vvillelmus de Moiun, B quem Comitem ibi statuit Dorsetiæ, BOTERELLVS quidam Comes Britanniæ. Barones nihilominus fide & merito, virtute & præstantiâ nequaquam Comitibus inferiores, BRIENVS videlicet, cuius superiùs fecimus mentionem, IOANNES ille MARESCALLVS agnominatus, Rogerius de Oleo, Rogerius de Nunant, Vvillelmus filius Alani: sed & alij nonnulli, quos expresè dinominare longum est & tædiosum. Qui omnes, viribus mirè & copiosè vndecúmque secum conductis, ad obsidendum Episcopi castellum vno animo, vno & infatigabili studio pariter contendebant.

EPISCOPVS autem, mandatis ex omni Anglia, qui Regi paruerant, Baronibus, sed & militibus gregariis plurimo ære conductis ad eos extra ciuitatem infestandos toto nisu contendit. Sed & Regina cum eximio militantium robore, cúmque inuicta Londoniensium caterua, qui ferè mille cum galeis & loricis ornatissimè instructi conuenerant, interiùs obsidentes viuacissimè exteriùs & ardentissimè obsidebat. Habuerat & Rex Proceres secreti sui primos, priuatáque familiaritate sibi coniunctiores, non quidem terris amplificatos, sed in castris tãtum merentes: C quorum digniores fuerunt ROGERIVS DE GASNETO, & VVILLELMVS frater illius, viri bellaces, nullísque militari industria, vel quauis probitate secundi, qui capto Rege fidem tamen ei indisruptam seruantes, intestinum eiusdem aduersariis semper & vbique habuêre conflictum. Cúmque ceteri Regis fautores ad eiusdem aduersarios expugnandos Vventam ciuitatem confluxissent, & ipsi cum accinctissima militum & sagittantium cohorte ex vna eos ciuitatis regione infestissimè degrauabant. Facta est autem ibi miranda, nostrísque seculis inaudita obsidio, quia cùm tota Anglia cum inopinabili exteræ gentis affluentia illic vndecúmque coadunata cum armis affuisset: sic in inuicem contrarij habebantur, vt qui Episcopi castellum exteriùs * obsidebant, & ipsi à regalibus exteriùs strictissimè obsidebantur, nunquam sine hominum periculo, nunquam sine vtriúsque gentis quammaximo detrimento. Vt enim de militibus reticeam, qui in cotidiano conflictu nunc ex hâc parte, nunc ex illa capiebantur, vel qui diuersis agitati casibus diuersis modis extinguebantur; nonnulla alia contigerunt incommoda, quia dum illi ad Episcopi obtinendum castellum arte & ingenio contendebant, qui intus recludebantur ignibus foras emissis maiorem ciuitatis partem, sed & duas Abbatias in fauillas penitus redegerunt. Dum etiam regales appositis vbique armatorum cuneis viarum circa ciuitatem diuerticula, ne quid escarum interiùs ingereretur, curiosissimè obseruarent, fames valida omnem vrbem inhabitantium copiam grauissimè vexauit. Prouisum est igitur, & communi consilio prouisè, vt sibi videbatur, statutum, D quatinus penes Abbatiam Vvarvvellensem, quæ à Vventa ciuitate VI. miliariis distabat, trecentis ibi destinatis militibus castellum construerent, vt scilicet indè & regales faciliùs arcerentur, & ciborum subsidia competentiùs in vrbem dirigerentur. Sed regales consultum huiusmodi in malum suum machinatum aduertentes, subitò & insperatè cum intolerabili multitudine Vvarvvellam aduenerunt, fortitérque in eos vndíque irruentes, captis & interemptis plurimis, cedere tandem reliquos, & in templum se recipere compulerunt. Cúmque vice castelli ad se defendendos templo vterentur, alij facibus vndique iniectis semiustulatos eos è templo prodire, & ad votum suum se sibi subdere coëgerunt. Erat quidem horrendum & miserabile videre, quàm impiè, quàm trucu-

*f. interiùs.

A lenter in templo, pietatis videlicet & orationis domo, armatorum cunei grassabantur: maximè quia hic alterutrim cædes committebantur, illic captiui loris vinculati abstrahebantur: hinc incendium templi & domorum fastigia horribiliter depascebat, indè virginum Deo sacratarum, quæ igne vrgente suis de claustris inuitæ prodierant, clamor & eiulatus altè resonabat.

ROBERTVS itaque Glaornensis Comes, ceterique suæ partis suffraganei, vbi lacrymabilem præfati infortunij audissent euentum, de obsidione diutius ingerenda ex toto desperati, fugæ quammaturè inire præsidium sibi consuluêre. Non enim sanum eis erat vel commodum, pro tam luctuosa suorum ibi ampliùs immorari iacturâ, cùm in palam esset & ciuitatem ab Episcopi militibus horridissimo concrematam incendio, famisque & inediæ tabe eos plurimum laborare, & sibi, ni celeriùs aufugerent, idem peruersitatis infortunium quamcitiùs imminere. Collectis itaque sarcinulis è portis pariter prorumpebant, cautéque ad fugiendum & confertim dispositis agminibus fugam omnes cateruatim inibant; cùm ecce indicibilis regalis exercitus multitudo vndique illos circumueniens fortiter in eos irruit & intrepidanter, omnémque aduersariorum copiam in diuersa dispergens, B Comitem tandem Glaorniæ extremi agminis ducem & prouisorem cum omnibus penè suis captum intercepit: deinde in reliquum vulgus per omnes sese prouinciæ fines circumquaque diffundens, non solùm quoscúmque deprehenderat milites captiuauit, sed & inæstimabilis precij spolia sparsim & vbique oblata diripuit. Videres cursatiles equos formâ acceptos & spectaculo dignos hîc præcipitatis rectoribus passim vagare, illic extremum trahentes halitum præ lassitudine deficere: nunc scuta & loricas, armorúmque omnimodum genus solotenus vbique strata iacere, nunc pallia concupiscibilia, sed & metalli appreciandi vasa cum aliis exeniis cumulatim proiecta reperientibus se passim obicere. Quid loquar de militibus, immò & de summis Baronibus, qui omnibus militandi abiectis insigniis pedites & inhonori nomen suum & fugam mentiebantur; & alij quidem in manus rusticorum incidentes dirissimis flagris atterebantur, alij latibulis sese occultantes inhonestis, exangues & metu pleni, vel vsque ad opportunum fugiendi tempus ibi delitescebant, C vel ab aduersariis tandem inuenti probrosè & indecenter inde attrahebantur? Quid etiam Regem Scotiæ memorem, qui tertiò, vt aiunt, captus, sed præmio semper intercurrente dimissus, dolens & defatigatus vix ad sua cum paucis defugit? Quid Cantuariæ Archipræsulem, cum quibusdam Episcopis, aliisque eminentioribus totius Angliæ viris, qui dispersis sociis, equis quoque & vestibus ab istis captis, ab illis horrendè abstractis, vix ad tuta dispersionis huius latibula diffugere potuerunt? Sed & ipsa Andegauensis Comitissa femineam semper excedens molliciem, ferreúmque & infractum gerens in aduersis animum, ante omnes BRIENO tantùm cum paucis comite ad Diuisas confugit, immensum per hoc ipsa & Brienus nacti præconij titulum, vt sicut sese antea mutuò & indiuisè dilexerant, ita nec in aduersis plurimo impediente periculo aliquatenus separarentur.

DVM igitur hæc fugæ & dispersionis varietas variè, vt dilucidatum est, diuersis in locis ageretur, Londonienses cum maxima militum regalium parte, modis horrendis Vvintoniensem ciuitatem expilauêre, domibúsque & cellariis, sed & templis nonnullis fractis & deprædatis, cum multis exeniis, cum innumeris etiam D captiuis, ad propria vnusquisque lætissimè discessêre. Et ita quidem Vvintoniensis sese habuit dispersio, quæ cunctis adeò horrenda fuit & admirabilis, vt vix aliqua ætas consimilem in nostro seculo valeat reminisci.

CAPTO itaque tali modo Glaornensi Comite, paucóque temporis interuallo transcurso, facta fuit inter vtriúsque partis fautores fixéque statuta conuentio, vt Rege & Comite vnoquoque pro altero redditis, ad priorem dissensionis punctum ex integro redirent. Dura quidem & indiscreta, omníque regioni offutura conditio: sed quia alia nequiit ad præsens pacis inter eos & amicitiæ intercurrere consensio, vtrisque in pactione statuenda tumidè inter se diffidentibus partibus, prouisa fuit hæc tandem & gratè vtrinque suscepta conuentio. Reddito itaque Rege, splendida & gloriosa occurrentium Baronum & congredientium fuit eum comitata processio, miréque pietas intermixta cum gaudio festiuum cunctis tripudium adaugebat, dum alij ob propiciam Dei clementiam potenter & mi-

STEPHANVS. rabiliter in eum actam pias amicabiliter & religiosè lacrymas elicerent, alij ob incolumem eiusdem receptionem in vocem iubili & exultationis lætè prorumperent. A

LIBER SECVNDVS.

REGE de carcerali tandem exuto angustia, cùm tam horribili regni malitiæ finem iam imponendum crederes, tantísque doloribus & partem vtramuis condolere, & ad pacem in commune redintegrandam conspirare putares; aggrauata est denuò super Anglenses manus Domini, quia multimodè Deum offenderant, multiplici castigati flagello, vt reseratum est, vapularunt. Comitissa namque Andegauensis ferocem semper & inflexibilem exhalans spiritum, recepta postremo incolumitate (fuerat enim ex Vventoniensi dispersione quassa nimis, & vsque ad defectum penè defatigata) cum valida militarium virorum manu ciuitatem Oxenefordiam, quæ suo se dominio inclinarat, deuenit; B suósque ad resistendum Regi roborans & confortans, plurimas equestrium alas ad prædandum quaqua versum direxit: fide sibi & hominio connexos, vt suo conamini enixiùs suffragarentur, scriptis & nunciis sollicitè flagitauit, castella vbicúmque competentiùs poterat, ista ad regales validiùs arcendos, illa ad suos impensiùs tutandos passim firmauit. Vnum siquidem apud Vvdestoc Regis Henrici familiarem priuati secreti recessum, aliud apud viculum Ratrotam fluctibus inaccessè & paludibus obseptum, tertium penes ciuitatem Cirencestriæ, iuxta piam Religiosorum Ecclesiam, tanquam alterum Dagon iuxta Arcam Domini: quartum in villa Bentonensi super ipsius Ecclesiæ turrim, quæ ex miro cemate stupendóque ingeniosi laboris artificio fuit ex antiquo constructa: aliáque nonnulla diuersis in Angliæ prouinciis fautoribus suis firmare permisit, ex quibus grauissima populi depressio, communis regni depopulatio, belli & dissidij semina vbique pullularunt.

SED Rex Stephanus talibus perceptis, quasi tunc demum à somno experrectus, C à pigritiæ torpore viuè se & audacter excussit, ascitísque suæ partis assentaneis, cum plurimo constantis militiæ apparatu ciuitatem Cirencestriæ improuisè deuenit, castellúmque custodibus furtiuè dispersis euacuatum reperiens, ignibus depascendum commisit, vallóque & propugnaculis vsque ad imum diruto, ad Bentonam constantissimè & Ratrotam exercitum direxit; alteróque cum violentia capto, altero autem ex libitu reddito, quemadmodum de Cæsare legimus, nil actum cedens, cùm quid superesset agendum, ad Oxenofordiam Andegauensis Comitissæ vires impugnaturus virtuose accessit. Est autem OXENEFORDIA ciuitas tutissimè munita, aquis maximæ profunditatis vndique proluentibus inaccessa: hinc vallis antemuralis intentissimè circumcincta, indè inexpugnabili castello & turri eminentissima pulcrè & fortissimè roborata.

HVC igitur cùm Andegauensis Comitissa cùm splendida se cum militantium manu contulisset, nimiùm quidem sui suorúmque secura, tum quia castellum cum omni circumiacente prouincia sub sui imperij redigebatur iure, tum propter insuperabilem loci munitionem, quæ sola est duntaxat aduersantium gloria: ecce Rex cum grandi & exercitato comitatu assistens, ex altera fluuij regione subitò aduenit, cernénsque aduersarios in magnam copiam conflatos è ciuitate prodisse, alićsque solo fluuio dirimente verbis iniuriosis se & suos lacessere, alios verò excussis validè de cornu sagittis suos ex aduersa fluuij parte dirissimè infestare, D præmonstrato antiquo, sed eximiæ profunditatis vado, cum primis seipsum audacissimè immersit, transitóque confestim natando potiùs quàm vadando meatu; virili cum impetu in hostes impegit, retróque vsque ad ciuitatis portas cedere cogens, bellicas cum eis manus virilissimè commiscuit. Cúmque denique sui, flumine post eum transmisso, pariter emersissent, inque vnum constipati globum in aduersarios insurrexissent, illis fugientibus, & apertis portis in ciuitatem se recipientibus, se etiam regales turmatim cum eis intermiscentes, intra mœnia nullo obsistente contulerunt, facibúsque vbique in ciuitate domibus iniectis, insignem de aduersariis victoriæ titulum indepti fuêre. Omnes siquidem horrendo sinistri casus infortunio pariter inuoluere, quia alios quotquot resistebant gladio dissecante

A vitâ priauêre, alios ſub redimendi conditione detentos vinculis iniecêre, iſtos ſecura diſperſionis ſuæ latibula repetentes prodire è ciuitate coëgêre, illos in caſtellum ſub feſtinatione cum domina ſua detruſos fortiter recluſêre. STEPHANVS.

REX igitur tali modo victoria potita, ad obſidionem in Comitiſſam & ſuos ingerendam ſe conſtantiſſimè accinxit, facilè reputans diſcordiæ regni finem imponendum, ſi ſuis illam viribus ſubiugaſſet, per quam diſcordandi ſumpſit exordium. Diſpoſitis igitur ſollicitis hinc indè circa caſtellum cuſtodibus, omnes aditus noctè diligenter & die obſeruare præcepit: tribúſque menſibus cum plurimo ibi perendinans exercitu, vſque ad impudentem famis inediam caſtellum inhabitantes obſidendo redegit. Verùm quoniam prouidentiæ Dei eiuſdemq; iudiciorum cæcus eſt omnis homo, & ex toto ignarus, quod Rex virtuose complere propoſuit, Deus in contrarium repentè immutauit: quia dum fixa obſidione vſque ad ipſam captiuitatem Comitiſſam claudere intenderet, inter tot hoſtes, inter tot nocturni ſilentij excubitores, quos Rex ex omni caſtelli parte curioſè diſpoſuerat, mirãdis illa modis B illæſa euaſit. Eſcis námque & omni viuendi ſolatio penè in caſtello exhauſtis, Rege quoque viribus animoſe & machinis ad illud obtinẽdum deſudante, illa plurimum coartata, venturíq; ex toto deſperata ſubſidij, tribus prudentis ingenij ſe comitantibus militibus è caſtello noctu egreditur, pérque niuem & gelu (nix etenim in omni abundantiſſimè terra incanduerat, & gelu horridiſſimè aquis induruerat) ſex fermè miliariis cum ſummo ſui comitúmque labore pedeſtris inceſſit, quódque manifeſti fuit miraculi indicium, per ipſas, quæ ſuper Regis ſuorúmque capita, dum ad ciuitatem expugnandam tranſmearent, inundauerant, aquas, illa ſicca pedes, immadida omninò veſtes tranſmiſit, pérque Regis excubias, qui noctis ſilentia hinc cornicinum ſtridore, indè vlulantium in altum clamore, vbíque rumpebatur, nullo omninò exceptis ſuis & vno tantùm ex regia parte conſcio, egreſſioníſque illius ſolo proditore, liberè, vt dictum eſt, è caſtello & illæsè ſeceſſit, ciuitatémque Vvalengefordiam cum plurimo labore noctu aduenit. Neſcio autem vtrum ad gloriæ ipſius cumulum in futurum dilatandum, vel ad regni inquietudinem ex Dei iudicio enixiùs exaggerandam: ſed nunquam aliam de tot ſui capitis C hoſtibus, de tantis eminentibus ſibi periculis tam fortunatè ſurreptam legimus feminam, dum verum ſit & ex caſtello Arundel inter medios aduerſarios indemnem eam exiſſe, & ex medio Londonienſium in illam ſolam cum plena indignatione inſurgentium incolumiter euaſiſſe; inde ex Vvintonienſi diſperſione omnibus ferè ſuis interceptis, ſolam mirabiliter elapſam fuiſſe: hinc ex Oxenofordenſi obſidione diſceſſam ſanè, vt præmiſſum eſt, diffugiſſe.

CVM igitur Rex animaduerteret, primam regni ſui & pacis inquietatricem, quam omnibus anhelantiùs comprehendere ſitiebat, furtiuis, vt dictum eſt, latebris imminens periculum deuitaſſe, ſuperſtitioſum & inutile iudicauit tritam laborioſè obſidionem diutiùs protelare: dum tot vndique coartantibus ſe inimicis, facilè peruerſi ſibi caſus ſurripere poſſet infortunium; maximè quia Robertus Comes Glaorniæ ſimul ſororem audiuit obſeſſam, nec virtute ſufficienti ſuffragari præualuit, caſtellum de Vvarham, vbi ſe regales receperant, obſedit & obtinuit, & ad alia in eum incommoda intendenda viriliter ſe ſemper & intrepidè accinxit. Conſilio itaque ſuorum prudenter permonitus, redditum à Comitiſſæ militibus caſtellũ ſuſcepit, ſuíſque impoſitis latiſſimæ prouinciæ dominium illis in partibus potenter e-D xercuit. Deindè pauco dilapſo tempore, cum inſtructiſſima militantium manu ciuitatem Vvarham, vbi Comes Glaorniæ caſtellum munitiſſimè firmarat, aduenit: vidénſque locum intentiſſimè munitum, igne vbique & gladio crudelis deſæuit, direptíſque & ſpoliatis quæcúmque occurrerant, ad ciuitatem Vviltonam, vt Comitis per prouincias inhiberet excurſus, caſtellum offirmaturus acceſſit. Affuit & Epiſcopus Vvintonienſis cum valida virorum militarium manu niſum illius aſtipulaturus, Baronéſque ex omnibus Angliæ partibus mandati vel cum adueniente Rege conuenerant, vel propè affuturi cum omnibus auxiliis ſuis ad eum confluebant. Quod vbi Comiti Glaornenſi certis deferentibus nunciis manifeſtum fuit, mandatis confeſtim totius virtutis ſuæ primis coadiutoribus cum Rege conflicturus Vviltoniam deuenit. Cúmque Rex exercitu ad præliandum comminus in turmas hinc indè ordinato ex aduerſo è ciuitate prodiſſet, Comes quos ſecum adduxerat cautè & con-

STEPHANVS. serte in tres cuneos bellico more diuisit, irruénsque fortiter in aduersarios, cedere Regem constantissimè coëgit, & nisi cum Episcopo Vvintoniensi fugæ præsidium velociùs iniisset, in hostiles secunda vice manus turpissimè incidisset. A

VVILLELMVS autem quidam cognomento MARTELLVS, vir illustris, fide quoque & amicitiâ potissimum Regi connexus, cum militibus sibi assentaneis viriliter dimicando aliquantulum restitit: sed quia maior regalis exercitus copia quaquauersum cum Rege dispersa confugerat, inuictáque hostilis multitudinis atrocitas augentissimè illum circumueniebat, captus postremò cum plurimis aliis detinetur. Deinde Comes, fortunâ sibi tam auspicatò aspirante, regales in ciuitatem & templa securas dispersionis suę latebras repetentes animosè persequitur, iniectísque vbique per ciuitatem ignibus, diem lacrymarum totiúsque crudelitatis reddidit plenã: dum cunctis palam esset, omnes rapinâ & gladio, violentiâ & incendio, hinc in miseros ciues, indè in quos reppererãt regales dirissimè desæuire, quódq; maioris erat eiulatus, reuerendũ Genitricis Dei & sanctæ Etheldridæ virginis, professiońque addictarum virginum Cœnobiũ, confractis truculentissimè ianuis, expilauêre, quique sese præsidij causâ intus contulerant, calcata impudenter pietate, loris innexis foras abstraxêre. Et quidem, quãquam iustũ videatur cum aduersariis peruersè debere contẽdere, & mensura qua nobis mensi fuerint æqua illis vice remetiri: eximiè tamen Comes Glaornensis suíque fautores culpandi, temerariæque præsumptionis præcipuè notandi, quia templum animarum duntaxat, & depressorum notissimũ omni ætate refugium non solùm violarunt; sed & qui spe salutis & securitatis causa introrsum confugerant, cum nudis ab altari abstractos gladiis captiuitati addixerunt. Nec impunè quidem. Iustus námque calamitatum suis iniustè illatarum respector Deus, qui reddit impiis in caput secundum quod promerentur, acerbissimam in eis exercuit vltionem; quia Roberti Glaornensis Comitis filius, specialis scilicet propagationis suæ splẽdor & decus immaturâ non multò pòst morte præuẽtus interiit. Comes quoque Herefordiæ Milo, fomes tanti mali & instigator, sine confessionis verbo, sine pœnitẽtiæ fructu ipso in anno sagittatus interiit. VVILLELMVS nihilominus ciuitatis Saresbiriæ præceptor eo tempore & municeps, horrendis in somnis, ipsâ Virgine, vt aiunt, sibi assistente, deterritus minis; sed & dirissimis ineuitabilis ęgritudinis correptus flagellis, lento tãdem cruciatu tortus interiit. Robertus etiam filius Heldebranti, vir infimi generis, sed summæ semper malitiæ machinator, atrocissimo, & nostris seculis inaudito vexatus cruciatu ad extrema deuenit, sicut in sequentibus pleniùs enarrabimus. Sed & alij nonnulli diuinæ animaduersionis experti vindictam, crudelitatis ob temerariam præfati sacrilegij præsumptionem excepêre sententiam: de quibus plurima præsenti Operi inserere desudarem, nisi & legentibus tædium ingerere, & longè à materia viderer aberrare. B C

ROBERTVS igitur Glaornensis Comes tali modo apud Vviltonã victoriâ potitus, cum multis exeniis, cum Vvillelmo etiam Martello, aliísque innumeris captiuis Bristoam aduenient, in artissimæ eum custodiæ districtionem retrusit: donec tandem reddito, quod illius subdebatur potestati, Siresburniæ castello, latissimæ prouinciæ indemptus fuit Principatum. Quicúmque itaque Regi fauebant, miserè eo in tempore depressi humiliabãtur, tum quia Rex à Vviltonica congressione suis captiuatis ignominiosè diffugerat, tũ quia castellũ præfatũ, quod vna erat totius regni clauis, Comes Glaornẽsis in sui iuris dominiũ susceperat. Et Comes quidẽ, suíque consentanei, victoriosè se postmodũ hilaritérque cõtinêre, regnũ latissimè in suę potestatis iura redigere, castella ista à regalibus possessa ardenter & virtuosè destruere, illa ad eos enixiùs edomandos triumphatissimè surrigere, dimidiámque ferè Angliam à mari in latus vsque ad mare legibus, suis & præceptis sine omni omninò resistente addicere. Hoc autem illius dominium pace & tranquillitate vbique reformata plurimum decorabat, excepto quod in castellis suis ædificandis operariorũ exactiones ab omnibus exigebat; & quotiens cum aduersariis esset congrediendum, omnium sibi auxilia asciscebat, vel in militibus mittendis, vel in æris descriptione reddenda. Et erat quidem illis in partibus vmbra quædam pacis, sed pax necdum perfecta: quia nihil compatriotas anxiùs angebat, quàm non sibi, sed aliis laborare, materiámque discordiæ & belli suis quoquomodo ensibus adaugere. D

OMNIBVS igitur in ea regionis parte Comitem sequentibus, solus HENRI-

CVS

A cvs de Traceio vires Regis roborans inflexibiliter omnibus resistere, bellum intestinum, congressiones assiduas cum aduersariis agere, cum singulis vbique committere, quoúsque omnibus proteruæ insectationis illius importunitate penè afflictis, pacem cum eis ad tempus statuere decreuit, quoad & Rex illis in partibus potentior, & regio sibi belli sedatis tumultibus esset subiectior.

Secvndvm hoc tempus Vvillelmvs de Ponte Arcarvm, vir, vt relatum est, Regi Henrico suísque postumis fidelissimus, grauissimam in fratrem Regis Episcoporum Vvintoniensem dissensionem promouit. Verùm, quia Episcopus cum fortissima militantium manu fortiter semper & constantissimè restitit, omnésque illius conatus non solùm viribus, sed & prudentiæ suæ discretione delusit: dominam suã Andegauẽsem Comitissam scriptis delegatis postulauit, vt ei in auxilium suum plurimum equestriũ virorũ suffragium, quiq; illis præesset artis militariæ callidũ ducem & propugnatorem transmitteret. Illi autem viri petitione suscepta admodũ congaudebant, vel quia Episcopi vires per hũc faciliùs edomãdas credebãt, vel quia suas hinc partes præcipuè roboratas cõfidebant, eò quòd nõ solùm constans esset: & quibus fauebat fidissimus, verùm quia æris & diuitiarũ erat idẽ refertissimus. Miserunt itaq; Robertum filium Heldebrandi, virum plebeiũ quidem, sed militari virtute approbatum, quódq; militantium florem & gloriam dedecorat & confundit, cupidinarius fuit idem, bibax, & impudicus. Cúmq; cum florida militũ caterua adueniens gratãtissimè susceptus fuisset, secretorúmq; Vvillelmi ex toto conscius, vices ingrediẽdi castellũ ipsius egrediendíq; pro libitu frequẽtaret, cupidine vulneratus vxorẽ in amplexus suos cõciuit, habitóq; ex communi sui & vxoris assensu pessimo & detestando consilio, Vvillelmũ cõpede tenacissimè astrictum carcerali in custodia reposuit, castellóq; illius, diuitiis, & vxore fruens, relicta quoq; & aspernata Comitissa, quæ gloriosè illuc eũ direxerat, cũ Rege & Episcopo fœdus iniuit. Nec impunè, vt præmissum est, tam sceleratæ, tamq. infidæ factionis audaciã temerarius ille incestor moliri præsumpsit: quia ex quo in meretricios adulteræ sinus perfidus impudicator accubuit, iustissimo Deo iniustitiæ illius vltore, vermis C quidã inter vitalia illius innatus irrepsit, lentóq. morsu interiora exedens, paulatim sceleratũ depauit, multísque tandem vexatum questubus, multis etiam & horrẽdis tortum cruciatibus dignissimo supplicio ad extrema deduxit. Et hæc quidem non solùm ob perfidam sceleratámque vitam, sed & quia sacratam venerabili virgini Adeldridæ vstulauit Ecclesiam, Deo vindice mirabiliter pertulit.

Hac sub tempestate Anglia multis diuersisq; modis turbari, hinc à Rege suísq. suffraganeis vehementissimè angustiari, inde à Glaornensi Comite turbatissimè tribulari, nunc effrenes istorum impetus, nunc indiscretos illorum tolerare tumultus: semper autẽ & vbiq. commoueri cœpit, & in solitudinẽ redigi. Alij patrię dulcedinẽ in nausientem amaritudinẽ intuentes conuersã, exteras magis regiones inhabitare eligere, alij circa templa spe videlicet se contutandi humilia contexentes tuguria in metu & ærũna vitam ducere, isti cibariis deficientib⁹ (fames namq. in omni Anglia dirissimè inualuerat) vetitis & insuetis caniũ vel equorum carnibus vesci, illi herbarũ vel radicum crudam ingluuiẽ ad famem releuãdã insatiabili morsu consumere, pars hominũ vbique prouinciarum famis præualẽte angustia tabescens caD teruatim mori, pars cũ omni familia spontaneum lugubriter subiẽs exilium exterminari. Videres famosissimi nominis villas, defunctis totius sexus & ætatis colonis, solitarias stare & prors⁹ euacuatas, agros cultissima segete albescẽtes (suberat enim in vicino autũnus) sed eorũ cultores pestifera fame intercurrẽte de medio sublatos, totámque Angliam vultũ doloris & calamitatis, faciẽ miseriæ & oppressionis vbiq. induisse. Ad tantorũ autem accedebat cumulum malorum, quòd effera barbarorum multitudo, quæ gratiâ militandi facto grege Angliam confluxerat, nec visceribus pietatis, nec humanæ compassionis affectu super tot tantísque miseriis frangebatur: sed vbique per castella in scelus & flagitium committendũ vnanimiter conspirare, in rebus pauperum diripiendis insatiabiliter vacare, in discordiis alterutrim promouendis, in cædibus passim peragendis toto malitiosi animi studio intendere. Cũq. Barones, qui eos in auxiliũ suũ ex remotissimis prouinciis cõciuerãt, nec ex propriis reditib⁹ stipẽdia prorogare, nec inexpletã eorũdẽ sitim ex prędarũ vt cõsueuerãt spoliis poterant remunerare: quia nihil indisreptũ indistractũq. vbiuis locorũ

STEPHANVS. reliquerant, Ecclesiarum possessiones, vel vbicúmque suis affiniùs cohærebant A municipiis, vel quos aliis in locis missis competentiùs agminibus infestare valebāt, nunc calumniis & violentiis impiissimè grauare, nunc angariis & tributis atrocissimè premere: istas clanculò vel apertè rebus deprædatione distractis nudare, illas in proprij iuris dominium inuerecundè redigere. Si quis autem vel reuerendæ personæ Monachus, vel nominatæ auctoritatis Clericus pro illata rebus Ecclesiasticis exactione conquesturus accederet, iniuriosis protinus contumeliis affici, minis in faciem impudenter prætextis irreuerenter absterreri, sæpè itineris sui comministri grauissimo verbere ipso conspicante vexari, sæpè idem ipse cuiuscúmque dignitatis esset vel ordinis, spoliis, quæ secum detulerat, incompassiuè subtractis, aut inhonorè nudatus è suo prospectu repelli, aut atrocissima verberis contusione defatigatus relinqui. Et hæc quidē lacrymosæ miseriæ facies, hic questuosæ tragœdiæ inhonestissimus modus, sicut vbique per Angliam publicè cōmittebantur, ita & ad Episcoporum aures vbiq. deferebantur: sed illi timore vilissimè depressi vt arundo vento agitata inflectebantur, habentésque sal infatuatum, non ascendebant ex aduerso, nec se murum pro domo Israël opponebant. Deberent namq. gladio verbi B Dei, qui deuorat carnes, carnaliter sapientibus occurrere, filiísque Belial, qui rebus Ecclesiasticis violenter incumbebant, tunicámque Domini particulatim sibi diripientes, laceram vbique locorum & discissam reliquerant, Hieremiæ faciem, cornutámque Moysi frontem viriliter offerre. Ideò namque ipsi per columnas quæ domum Dei sustentant, per leunculos qui labrum illud Salomonis supportant, per bases quæ mensam propositionis sustentant exprimuntur; quatinus Ecclesiā, quę verè est & dicitur domus Dei, quę & per labrum designatur, quia ibi peccatorum sordes multis modis diluuntur, quæ nihilominus per mensam figuratur, quia ibi vitæ æternæ fercula proponuntur, non solùm sustinere, & fortem efficere, sed & ab aduersariis fortiter semper & inexpugnatè debent defendere. Episcopi autem econtrario, prædonibus Ecclesiarū possessiones vbique, vt sępius propalatum est, diripientibus; alij metu illorum inerter depressi aut succumbebāt, aut tepidè & remissè separationis sententiam non diu permansuram inferebant: alij, quod tamen non erat opus Episcoporum, castella sua escis & armorum copiis, militibus & sagittariis refertissimè supplebant, dúmq; maleficos rerúmque Ecclesiasticarum direptores arcere putarentur, ipsis maleficis in vicinis suis opprimendis, in rebus eorum diripiendis crudeliores, semper & magis immisericordes extiterāt. C Ipsi nihilominus, ipsi Episcopi, quod pudet quidē dicere, non tamen omnes, sed plurimi ex omnibus ferro accincti, armis decentissimè instructi, cum patriæ peruersoribus superbissimis inuehi equis, prædæ participari, milites bellica sorte interceptos vel pecuniosos quibuscúmque occurrerēt vinculis & cruciatibus exponere, & dum ipsi tanti sceleris tantiq. flagitij caput essent & causa, non sibi solebant, sed suis militibus tantum nefas ascribere. Et vt de ceteris impræsentiarum taceam (indecens namque est omnes pariter carpere) Episcopos VVintoniæ, Lincolniæ, & Cestriæ, tantæ irreligionis studiis ceteris enixiùs intentos fama publicè declamabat.

VERVM quamuis Ecclesiasticus rigor, scelere vbique & impietate præualente, inflexus, vt præmissum est, vacillauit: non tamen ROBERTVS Herefordensis Antistes, vir piæ religonis, summæque constantiæ, à statu religionis, à tramite iustitiæ exorbitauit: sed armis assumptis, quibus Apostolus Euangelicum hominem D curiosè armat, & sollicitè instruit, viriliter se contra Catholicæ pacis aduersarios clipeum defensionis tandem opposuit. Cùm enim Herefordiæ Comes ad conducendam, quam aduersus Regem congregarat militiā, ære plurimo indigeret, nouæ exactionis tributa sub sui dominij iugo redactas Ecclesias reddere coëgit: ipsúmq. Herefordiæ Præsulem hinc iure, vt sibi videbatur, astringēs, indè minis ni adquiesceret absterrens, iniunctæ tyrannidis munus reddere postulauit. Cúmque illum frequentiùs vrgeret, Episcopus libera fronte & constanti animo persoluere postulata abnegauit, asserens res Ecclesiasticas per pias deuotæ plebis oblationes altari assignatas, in ipsius Dei manu ad Ecclesiæ seruitium perpetuò mancipatas, nec secularis personæ esse officium plus quàm in sancta ipsis Ecclesiæ rebus quoquomodo inferre dominiū, sicque per earūdem direptionem incurrere sacrilegium, tanquam in ipso quis altari exercuisset, cōmissum. Quamobrē aut à nefaria præsumptione se &

A suos arceret, aut gladio anathematis se & suos incunctanter percelleret.

TALIA Episcopo prosequente, furibundus Milo in iram exarsit, missisque, qui opes & terras Episcopij, vbicúmque essent, inuaderent, omnem in eis depopulationẽ exegit. Episcopus igitur Clero in vnum conuentum haut pigranter ascito, metuendam Ecclesiasticæ percussionis sententiam in Milonem suæque temeritatis astipulatores dictauit, omnémque circúmquaque sui iuris prouinciam intantùm sententiæ rigore astrinxit; vt nec diuini cultus officium celebrare, nec corpus humo imponere, vel aquâ immergere, vel igne consumere, sed nec à loco quo expirauit dimouere liceret, quoúsque tandem sacrilegij præsumptor, omnibus quæ diripuit vsque ad nouissimum quadrantem fideiussoribus interpositis redditis, pœnitentiæ satisfactione ad Ecclesiam reuocatus accessit. Verùm, quia quæ reddere spopõdit fideiussores post hoc persoluere oportuit, dúmque vni Ecclesiæ satisfecit, perplures per hoc impediens Ecclesias onerauit, quorum pastores inter se & Episcopũ plegios esse coëgit, in ipso anno, dum in sacro vigiliarum Natiuitatis Domini die ceruis insidia-
B retur, à milite sagittam imprudenter in ceruũ dirigente pectus transforatus sine pœnitentiæ fructu miserabiliter occubuit. Cuius interitus in nonnullis diuitibus, ne Ecclesiarum possessiones tam abruptè postea peruaderent, aliquanto maiorem terrorem incussit, & reliquos per Angliam Episcopos ad obsistendum deinceps temerariæ diuitum præsumptioni audaciores effecit. Successit dehinc in Comitatum Herefordiæ ROGERIVS Milonis filius, iuuenis quidem ætate, sed eximiæ probitatis decus.

FVIT eo in tempore ex his, qui Regi obtemperabant, GALFRIDVS DE MAGNAVILLA, vir sicut prudentis animi ingenio spectabilis, ita & in aduersis inflexibilis virtutis constantia, militarísque studij probitate admirabilis: qui omnes regni Primates & diuitiarum potentiâ, & dignitatis excedebat opulentiâ: turrim quoque Londoniarum in manu, sed & castella inexpugnabilis fortitudinis circa ciuitatem constructa habebat, omnémque regni partem, quæ se Regi subdiderat, vt vbique per regnum Regis vices adimplens, & in rebus agendis Rege auidiùs exaudiretur, & in præceptis iniungendis plus ei quàm Regi obtemperaretur.
C Quod ægrè ferentes illi præcipuè, qui se familiariori dilectione Regi cõiunctiùs deuinxerant, tum quia Galfridus, vt videbatur, omnia regni iura sibi callidè vsurparat, tum quia regnum, vt in ore iam vulgi celebre fuerat, Comitissæ Andegauensi conferre disposuerat: ad hoc Regem secreta persuasione impulerunt, quatinus Galfridum de proditionis infamia notatum caperet, & redditis quæcúmque possederat castellis, & Rex post hinc securus, & regnum ipsius haberetur pacatius. Rege multo tempore differente, ne regia Maiestas turpi proditionis opprobrio infamaretur, subitò inter Galfridum & Barones iniuriis & minis vtrinque protensis orta seditio: cúmque Rex habitam inter eos dissensionem sedatis partibus niteretur dirimere, affuerunt quidam qui Galfridum de proditionis factione in se & suos machinata libera fronte accusabant. Cúmque se de obiecto crimine minimè purgaret, sed turpissimam infamiam verbis iocosis alludendo infringeret, Rex, & qui præsentes erant Barones, Galfridum & suos repentè ceperunt. Hæc autem, vt relata sunt, apud sanctum Albanum effecta contigerunt.

D REX igitur Galfridum custodiis artissimè adhibitis Londonias adducens, ni turrim, & quæ miro labore & artificio erexerat castella, in manus eius committeret, suspendio cruciari parauit: cùm salubri amicorum persuasus consilio, vt imminens inhonestæ mortis periculum castellis redditis deuitaret, Regis voluntati tandem satisfecit, regníque totius communem ad iacturam, tali modo liberatus de medio illorum euasit. Ferus námque & turbulentus per tyrannidis suæ commotionem totum Angliæ regnum in dissensionem validiùs commouit, dum & Regis aduersarij audientes eum in Regem arma sumpsisse, tanti Comitis roborati suffragio promptiùs & hilariùs ad discordiam vbique ingerendam conuolarent: & qui Regis fautores esse videbantur, tanquam horrendo depressi tonitruo, pro illius à Rege discessione magis ac magis humiliabantur.

GALFRIDVS igitur vbique in regno fide sibi & hominio coniuratis in vnũm secũ

STEPHANVS. cuneum conuocatis, gegariæ quoque militiæ, sed & prædonum, qui vndecúmque A deuotè concurrerant, robustissima manu in suum protinus conspirata collegium, ignibus & gladio vbíque locorum desæuire, gregum & armentorum deprædationi auidus & insatiabilis incumbere, omnia aduersus regiæ partis consentaneos abripere & consumere, nudare & destruere: nulli ætati, nulli professioni parcere, sed in faciatæ atrocitatis sitim vbíque exæstuans, quicquid exquisitæ crudelitatis menti occurrebat instantissimè in aduersarios complere. Ciuitatem námque Cantebrigam regio iuri subditam incautis in eam ciuibus irruens cepit & deprædauit, Ecclesiásque ostiis securibus immersis violenter confregit, distractísque spoliis, & quas ciues in eis recondiderant opes, flammas passim iniecit, talique ferocitate in omnem circúmquaque prouinciam, in omnibus etiam quascúmque obuiam habebat Ecclesiis immiserанter desæuit. Possessiones Cœnobiorum distractis rebus, depopulatis omnibus, in solitudinem redegit, sanctuaria eorum, vel quæcúmque in ærariis concredita reponebantur, sine metu vel pietate ferox abrepsit, Cœnobiúmque sancti Benedicti de Ramesia, non solùm captis Monachorum spoliis, altaribus quoque, & Sanctorum reliquiis nudatis expilauit; sed etiam expulsis incompassiuè Monachis de Monasterio, militibúsque impositis castellum sibi adaptauit. B

CVM igitur primùm tam temerariæ cōmotionis Rex audisset pręsumptionē, effrenémq; Galfridi in omnē circūquaq; patriā eruptionē, ad tam præcipitis insaniæ ausus cohibēdos cum validissimę militię apparatu festinus aduenit. Sed dū ille se à Regis occursu callidè dimoueret, & nunc securas fugæ suæ latebras in locis palustrib., quæ in ea maximè regionis parte exuberāt, celeriter repeteret, nunc prouinciā, qua eum Rex fuerat persecutus, cū suis relinquēs, aliorsū turbationē excitaturus versutè diuerteret: Rex solitos illius in eadē patria excursus prudēter attētās impedire, in locis opportunis castella cōstruxit, militibúsq;, qui patriæ perlitorib. resisterēt, sufficiēter impositis, ad alia explenda regni negocia aliò diuertit. Galfridus autem, Regē discesso, in eos, quos ad se infestandū reliquerat, omnes conaminis sui vires impiger exercuit, sibíq; Regis aduersariis quotquot è diuerso cōfluxerant sociatis, HVGONE C quoq; cognomento BIGOT viro illustri & in illis partib. potēti sibi cōfœderato, quia & ipse regni pacē Regísq; virtutē instātissimè vt præmissū est turbabat, omnē patriā atrox vbique, & in omnē sexū & ordinē immitis cōmouit. Verùm tantarū támq; immaniū persecutionū, tam crudeliū quoque, quas in omnes ingerebat calamitatū, iustissimus tandē respector Deus dignū malitiæ suæ finē imposuit, quia dum nimis audax, nimísq; prudētię suę innitēs regię virtutis castella frequētiùs circūstreperet, ab ipsis tandē regalibus circūuentus prosternitur, & sicut dum viueret Ecclesiā confudit, terrā turbauit, sic ad eū cōfundendū tota Anglię cōspirauit Ecclesia, quia & anathematis gladio percussus & inabsolutus abscessit, & terræ sacrilegū dari nō licuit.

ISTO itaque tali modo ad extrema deducto nox quædam & horror omnes Regis aduersarios impleuit, quíque ex dissensione à Galfrido exorta Regis annisum maximè infirmari putabant, nunc eo interfecto liberiorem, & ad se perturbandum vt res se habebat expeditiorem fore æstimabant. Nec tamen se à scelere & impietate, qua semel imbuebantur, aliquatenus cohibebant, sed maligno eos spiritu in omne nefas propellente, tanto se ad discordiam enixiùs accingebant, & ad omne nefas in omnibus Angliæ partibus ardentiùs peragendum proruebant. Comes námque D Cestriæ vniuersam illam Borealem plagam continua persecutione affligere, Regis Barones quotquot sibi erant affiniores iugi insectatione grauare, & nunc quidem eorum municipia furtis clandestinis surripere, sibique inclinare, nunc igne & gladio eorum possessiones & terras hostica depopulatione delere: bellúmque tantùm & afflictionem anhelans furibundus, cunctis & intolerabilis occurere. Ioannes quoque stipes inferni, & totius radix malitiæ, qui Merlebergensi præerat castello, infatigabili inquietudine regnum turbare, castella miri artificij in locis sibi cōpetentioribus cōstruere, terras Ecclesiarum & possessiones in proprij iuris dominiū, expulsis cuiusuis ordinis possessorib. redigere: cúmq; Ecclesiasticæ militię gladio percelleretur, non ob hoc flexus, sed magis ac magis fuit induratus, quia & sūmi ordinis ministros ad suū facto grege castellū cogebat statutis dieb. accurrere, & eis quasi Episcopali perfungēs imperio vel de tributi solutione, vel de operum cōpulsu mādatū inexpugnabile solebat iniungere. Filij quoq; Roberti Glaornēsis Comitis, viri ætate agi-

A lès & perprompti, in arte quoq; militari assiduo studio exercitati, regnũ in meridiana eius parte turbare, patrísque virtute & cõstantiâ animati, istic vbi competentiùs prouiderant castella erigere, illic à vicinis furtiuè surripere, nunc in aduersarios facto agmine constanter irruere, nunc eorum terras gladio & deprædatione vbiq; vastare. Et quidem isti peramplam regionis partem à mari ex trãsuerso vsque ad mare, patris in omnibus præualente industria, inuaserãt, nactóque tandem amplissimi dominij principatu, pacem simulantes, leges & plebiscita vbique iniungebant: & licet armis & deprædationi erga sibi tantùm consentientes parcere viderentur, siti tamẽ auaritiæ laborantes, tributis assiduis, placitis, & angariis omnes inuoluebant. STEPHANVS.

STEPHANVS nihilominus DE MAGNA-VILLA, vir illustris, militarísque industrię pręcluis, qui & partes Comitis Damnoniæ vehementer attollebat, plurimam in regno discordiam excitare, in præruptis locorum præcipitiis, vbi vetusta ætas vrgente necessitate castella locarat, denuò reparare, latissimas circúmquaque prouincias sub tyrannidis suæ iugo flectere, Regis fautoribus vbicúmque vicinius occurrebãt, molestissimus esse. Isti omnes, sed & alij nonnulli, quos omittimus in præsenti dinumerare, ne tædiosum legenti ingeramus fastidium, regiam potestatem frequentissimè infirmabant. Cúmque dissensionem in regno exortam nunc Rex istis, nunc illis in locis auidus mitigaret, omnes in vnum repentè conglobati propositum illius vigilantissimè cassabant. Tali modo & regales singulis in Angliæ prouinciis nunc viribus collatis, nunc furtiuis incursibus, vbicúmque oportunius iudicabant castella surrigebant: istísque & illis mutuis deprædationibus, alternis concursibus sibi obuiantibus, regnum iubili priùs & quietis, tranquilitatis & pacis, in tristitiam & discordiam, in cædem & vastationem vbique commutarunt.

EO in tempore VVILLELMVS DE DOVRE, vir studij militaris, callidus & acer, Comitis Glaorniæ viribus suffultus, ad villam, quæ Crichelada dicitur, in loco delitioso, totiúsque opulentiæ abundanti sitam, deuenit: castellúmque aquis se & paludibus vndique obicientibus inaccessum feruentissimè erexit, militibúsque stipendiariis, sed & sagittantium turmis secum copiosè comitatis, immitis & inquietus quaquauersum rapiebatur, patriam sibi ex vtróque Tamisij fluuij margine latissimè subiciens, in regales crudelissimè efferuebat. Et nunc reuera feroci incursione circa eorum castella desæuiens, nunc nocturnis in latebris insidias texens, numquam ab assidua eorum infestatione vacabat, numquam vtriúsuis partis periculi immunis habebatur. Quanquam etiam ad regales impediendos impiger & accinctus vbique videretur, circa eos tamen, qui Oxenefordensem incolebant ciuitatem, vel Malmesbiriensi præerant municipio, sæpiùs & feruentiùs desæuiebat: quia vicini ei occurrentes se & suos frequentiùs perturbabant. Comes quoque Glaornensis, erectis in breui prope Malmesbiriam tribus castellis, dum Rex in sedandis belli tumultibus alibi detineretur, non solùm consuetos eorum per patriam cautè præpediuit excursus, verùm vsque ad impudentem famis inediam iugiter eos & constanter coërcuit.

CETERVM, vbi Rex de tanta suorum afflictione vera, percepit, immensa protinus militariæ multitudinis copia conuocata, Malmesbiriam subitus & insperatus aduenit, escísque ad plurimi temporis sufficientiam impositis, circa castella, quæ Comes extruxerat, deprædatione, igne, & gladio, atrocissimè vbique inualuit: fixísque circa Tetebiriam tentoriis, castellum duntaxat tribus à Malmesbiria distans miliariis, viribus & armis ad capiendum constantissimè desudauit: vlteriore quoque castelli propugnaculo virtuosè tandem adquisito, militibúsque nonnullis captis & interemptis, aliis autem spississimè vulneratis, & intra interiorem recessum in angustum locellum cateruatim redactis, machinas instantissimè vndique applicuit, & obsidione eos claudere proposuit. Comes autem Glaornensis, cùm Regis primum comperisset aduentum, immensam quantociùs militum sibi asciuit frequentiam, quippe qui plurima è proximo alia proprij iuris, alia fidissimè sibi parentia habebat castella, crudelémque & indomitũ pedestris multitudinis, Vvalensiũ videlicet & Bristoensiũ, aliarúmque, quæ è vicino aderãt, ciuitatũ, quasi cum Rege cõmissurus, aggregauit exercitũ. Comes etiã Herefordiæ Rogerius, sed & alij robustissimæ virtutis in auxilium suum vnanimiter conspirantes, contractis in vnum viribus citissimè affuerunt: regiúmque duobus tãtum interpositis miliariis

STEPHANVS. ambientes exercitum à longè expectarunt, vsque dum alij qui adesse maturabant, A in suffragium suum pariter conuenissent.

Barones itaque, qui cum Rege conuenerant, tam copiosum aduersariorum examen in suum audientes periculum pariter confluxisse, effrenémque Vvalensium barbariem, sed & incompositum Bristoensium vulgus exhorrescentes, quos Comes Glaorniæ miræ multitudinis conserto agmine ad se conturbandos ducebat, sanum Regis auribus instillarunt consilium, vt obsidione ad tempus soluta aliò, quò necessitas vocaret, admoueret suos: vel quia inconsultum erat, & discrimini proximum, inter tot pedestris multitudinis lanistas lõgè imparem militiæ suæ cuneum obuiam exponere, maximè cùm sui & à propriis sedibus procul elongati, & ab itineris labore essent defatigati, illi è conuerso de suis è vicino prodientes vrbibus & castellis, tanto constantiores ad dimicandum concurrerent, quantò nulla itineris vexatione detriti è patria sua tunc demum prorupissent. Iccirco sanum esse ab obsidione ad præsens desistere, ne à feroci hostium circumuentus concursu, suorum sinistra impediente fortunâ pateretur detrimentum. His Rex animaduersis, sano suorum adquieuit cõsilio, omníque expeditione sub festinatione ab illis locis dimota, ad Vvinchelcomam, vbi Rogerivs nouus ille Herefordensis Comes castellum aduersus sibi consentientes erexerat, improuisè deuenit, reperiénsque castellum vallo eminentissimo in præceps deuexum, insuperabili munitione vndique circumcinctum: sed paucis ad resistendum impositis (diffugerant enim subitum illius & insperatum audientes aduentum) validiores quosque armis se instruere, ad castellum expugnandum se viuacissimè aptare præcepit, istis sagittis spissim emittendis insistere, illis reptando vallum conscendere, omnibus autem impigrè in circuitu discursantibus quæcúmque ad manus occurrerent intus iaculari. B

Dvm igitur Rex cum suis tam viuè, tam validè in capiendo castello desudaret, effrenem tantorum impetum, qui se interiùs recluserant, minimè sufferentes, datis tandem dextris castellum reddiderunt. Exhilaratis denique suis, qui plurimis in Glaornensi prouincia castellis erectis latissimè patriam inuaserant, ad Hvgonem Bigot inquietissimum regni aduersarium tetendit: qui vbi primùm percepit Regem in Glaornensi prouincia ad obsidionem, vt fama erat, offirmandam digressum, æstimans eum diutiùs ibi immorandum, cum omni sese ad prædandum impetu circa Regis castella diffudit. Sed Rex impræmeditatè superueniens totum illius conamen virtuosè subegit, militibúsque suis aliis captis, aliis quaquaversum dispersis, etiam terram eius validissima vastatione consumpsit: tribúsque illa in prouincia erectis castellis, vbi duntaxat frequentiores Hugo variabat decursus, plurimo ibi tempore repausauit. C

Circa id tempus Tvrgisivs quidam genere Normannus, de Aurentia, vt aiebant, ciuitate oriundus, aduersus Regem rebellari disposuit: quod quidem omni audienti absurdum videbatur, & prorsus incredibile, tum quia ille non solùm Regis secreti, eiúsque consiliorum omnium Palatinorum habebatur primus, tum quia ex plebeio genere & paupere domo sibi copulatum diuitiarum & dignitatum fecerat affluentissimum, mirúmque cunctis videbatur, tot sibi à Rege gratiæ & amicitiæ ipsius collatis beneficiis, in eius quoquomodo discordiam posse relabi. Fuit autem huius discordiæ causa & exordium, castellum de Vvaldena, omnísque è vicinio circumiacens prouincia, quam Rex ei ad conseruandum magis quàm ad possidendum commiserat: cúmque Rex in castello, vtpote in sui iuris, suíque vt putabat laboris possessione solitos vellet frequentare ingressus, verens ille ne quod possidebat alteri committeret, omninò inhibuit, séque prouidè & suos Regis conspectu, curialíque intermixtione callidè semouit: incertus profectò futuri, quoquo rerum dispositor Deus cui vult, & quoquomodo vult fortunam permutans, non eum castellum diutiùs habiturum præuidit. Accidit námque vt venerationi studium impensurus ex ipso quadam vice prodiret castello, cúmque canibus aliis sagaci nare nictientibus, aliis præpete cursu bestiolam insectantibus, & ipse Turgisius lituo concrepante lætus insequeretur: ecce Rex cum validissimo militum globo auspice fortunâ, imò, vt veriùs dicam, Deo sibi ad votum conspirante, subitò & improuisè aduenit. Cúmque in aure fuisset instillatum, hostem suum è castello progressum in manibus adesse, viuè vndique in eum D

A præcepit irruere, captúmque incunctanter, vinculísque innexum ante ipsum castelli introitum in altum suspendere, ni reddito castello vitæ suæ consuleret. Ille enim in angusto positus, hinc quia graue esset & onerosum totius spei suæ refugium castellum dimittere, inde quia certissimum erat manus Regis nisi in redditione castelli nullatenus posse diffugere; vitæ suæ tandem consulens, Regis petitioni vt voluit occurrit.

DVM ista tali modo his in partibus gererentur, & Rex in aliis sedandis discordiis ad alia loca promoueretur, milites Rodberti Glaornensis Comitis, Vvillelmus scilicet de Doura, & sui, cuius crudelitatis modum paucis perstrinximus, persecutione incessabili in Regales efferuntur, & nunc quidem aduersus eos, quos Rex in ciuitate Oxenefordiæ ad patriæ tuitionem reliquerat, tumultu & rapina, igne & gladio infestissimè desæuierunt: nunc contra illos, qui vice Regis Malmesbiriæ præsidium obseruabant, sæuissimos quàm sæpè impetus egerunt: numquam sine adiacentis prouinciæ maximo detrimento, numquam sine vtriusB uis partis inrestaurabili damno, nec Vvillelmus ille ab assidua regalium impugnatione vmquam cessauit, quousque captum tandem insidiis VVALTERVM, quem Rex militiæ Malmesbiriensi primipilum præfecerat, virum constantem & circa martios sudores probatissimum, Comitissæ Andegauensi & suo filio commisit, malorúmque & afflictionum, quæ in populo immiseranter exercuerat, pœnitens, sacra Hierusalem pro peccatis expiandis loca petiit. Ibique contra obstinaces fidei Christianæ aduersarios viriliter multa & gloriosè agens, feliciter tandem interfectus occubuit.

COMITISSA itaque Andegauensis nacto viro, quem omnibus pertinaciùs aduersariis oderat, nunc blanditiis intermixtis demulcere, nunc supplicia & necem ni Malmesbiriæ sibi castellum committeret, horrendè minitari: sed ille constantissimè verbis renitens, nec blanda mulieris persuasione aliquatenus frangi, nec minis sæpiùs circumuentus ad castellum reddendum poterat inflecti, sed nec liceret si quantum ad se reddere disposuisset, quia & militiæ regalis consodales, qui se intercepto illo in castellum retruserant, minimè assentirent. & Rex audita Vvalteri caC ptione quàm festinè affuit, impositísque militibus, escarúmque copioso suffragio, ad alia prout necessitas vrgebat indè discessit. Comitissa autem spe sua frustrata, solo crudelitatis studio in virum exarsit, ferróque arctissimè constrictum carcerali squalori cruciandum exposuit.

VVILLELMO quoque, cuius mentionem paulò ante exegimus, à castello Cricheladæ discesso, Philippum filium Glaornensis Comitis, virum discordiæ, in sæuitia primum, in non audendis temerarium, in omni denique malitia omninò consummatum, cum fortissima militum manu imposuit. Et Philippus quidem in regales, vbicumque aderant, feruentissimè desæuiens, nunc eorum terras prædando vacuare, igne consumere, nunc autem eorum municipia militari congressione cum eis confligere. Hîc dominij sui tyrannidem cum violentia extendere, illic aliorum iura indiscreta irruptione occupare, in rebus Ecclesiasticis diripiendis, in omnibus deníque locis quocúmque rapiente se crudelitatis impetu ferebatur grauis & intolerabilis adesse. Erat ipso in tempore VVILLELMVS DE CHAMAI ciuitatis Oxenefordiæ præses, regalísque militiæ Dux & assignator, qui cum promptissima D militantium manu Philippi viribus sæpissimè restitit, illísque alterutrum dissentione mutua concertantibus, solum in illis partibus discordiæ & calamitatis reliquerunt aspectum. Denique cùm Philippus superiorem manum nonnumquam haberet vel propter patris sui suffragium, vel propter Comitissæ Andegauensis fautores, qui quotiens oportebat in auxilium suum promptissimè confluebant, ad hoc patrem permonuit, quatenus propiùs Oxenefordiam accederet, castellísque in oportunioribus locis erectis egressus eorum qui Regi militabant attentiùs arceret. Ille profecto ad obtemperandum accepto consilio facilis, omnem virtutis suæ cõuocauit militiam, veniénsque ad viculum, qui linguâ Anglorum dicitur FERENDVNA, locum delectabilem, omníque copia refertissimum, castellum in eo vallo & propugnaculis munitissimum erexit: militibúsque totius videlicet virtutis suæ flore impositis solitos regalis militiæ impetus, qui ex Oxenefordia, alísque circumquáque castellis ad suos inquietãdos prodierant, virtuosè coërcuit. Et illi reuera vehemen-

STEPHANVS. tissimè constricti, vtpotè qui nec ex castellis prodire angustiatibus se aduersariis valebant, quod solum supererat Regis opem scriptis & nunciis celerrimè implorarūt: A

AVDIENS autem Rex & suorum angustiam, & hostium aduersum se præualentem potentiam, licèt infectis necessariis negociis, cum maximo illuc militum collegio rupta dilatione tetendit; veniénsque Oxenefordiam vsque dum copiosiorem repararet exercitum, paucis diebus ibidem repausauit, collectisque tandem in immensam copiam viribus, circa castellum Ferédunæ obsidionem protelaturus castra metatus fuit. Deinde operi miro & non infructuosè præmonuit suos insistere, vt se scilicet vallo & propugnaculis cautè circumcingerent, ne repentina hostium irruptio ad se perturbandos quoquomodo irruerent, sed quasi intra azylum suum recepti & sibi prudentiùs prouiderent, & hostibus cùm expediret tutiùs audaciúsque occurrerent. Nec mora erectis circa castellum miri artificij machinis, sagittariis B quoque in circuitu differtissimè ordinatis, qui interiùs recludebantur, grauissimè vexabat: quia hinc eos lapides, vel si quid aliud machinæ excutiebant desuper irruentes, vbique contundebant, indè horridissima sagittarum grādo in eorum circumuolans prospectu dirissimè inquietabat: aliquādo tela eminus vibrata, molésue quælibet, lacertis excutientibus interiùs emissa eos molestabat, aliquando valida pubens cliuosi valli celsitudinem animosè conscendens, pugnam cum eis paxillis tantum vtrósque dirimentibus acerrimè committebat. In hunc deníque modum cotidianis regales excursibus eos qui inclusi erant grauare, illique econtra viriliter & inuictè sese defensare, donec qui primi habebantur ceteris insciis ad Regem occultè miserunt, déque reddendo castello factione inter se confecta ei satisfecerunt. Hoc itáque in Regis dispositione contradito castello, plurimum gloriæ cumulum fortunæ Regis Deus aspirato adiecit, quia non solùm ex militum captione, qui se illi sub redimendi conditione commiserant, vel ex armorum & spoliorum copiis, quas intus affluentissimè reppererat, suos largissimè commilitones ditauit, sed etiam ex ipsa, quam potentissimè adeptus fuit victoria, non minimum aduersariis suis terrorem C incussit. Hostes namque illius tam famosum percipientes contigisse illi triumphum, magis ac magis deprimebantur, quia alij tardiùs & remissiùs aduersus eum arma sumebant, alii sibi metuentes, pacis cum eo & concordiæ fœdus quamcitissimè inibant. Comes siquidem Cestræ, qui tertiam ferè regni partem armis præuallentibus occuparat, supplex & mansuetus Regem adiuit, crudelitatísque & perfidiæ, quam in eum egerat: cùm & manus in Lincolnensi captione in Regem & dominum extendit, & regales possessiones sibi vsurpando latissimè inuasit, tandem pœnitens veteris amicitiæ renouato inter eos fœdere in gratiam rediuit. In multis autem solito viuaciùs, solitò & fideliùs Regis vires adjuuit, quia & Bedefordensem ciuitatem, quæ Regiam semper potestatem infirmarat, cum Rege adueniens, viriliter cepit, & obtentam Regi commisit; & ad perturbandum eos, qui se in Vvalegefordensi castello receperant, qui & vbique in regno dissensionis & belli semina respergebant, non solùm promptus & alacer insistebat, verumetiam trecentos secum virilis pectoris equites comitatus Regis lateri continuus comes adhæsit, quousque erecto in prospectu Vvalengefordiæ miri sudoris & artificij castello, solitos eorum per regiones discursus aliquantisper sedauit. Et quanquam Comes redintegrato pacis fœdere commodus ei fidúsque suffragator esse videretur, suspectus ei cunctisque regni sui primis habebatur: tum quia regalium fiscorum redditus & castella, quæ violenter possederat, reddere negligebat, tum quia mobilem leuis & inconstantis animi naturam, quam propriè sibi insitam Comes habebat, obsidibus vel fideiussoribus D datis nequaquam firmarat. Vnde nec Rex, sed nec consilij sui primi super fide viri aliquatenus confidebant, sed inter tot tantósque regni tumultus extrema rerum prudenter obseruabant, quoadusque idem aut redditis ex toto quæ regalis extiterant iuris, firmiùs se illi & fiducialiùs inclinaret: aut si hoc agere prorsus abnueret, ad eum Rex capiendum, vbi oportunitas expeditiùs occurreret, manus iniiceret. Quod & ita contigit, sicut in consequentibus ex ordine pleniùs differetur.

PHILIPPVS quoque filius Roberti Comitis Glaorniæ, cuius mentionem paucis præstrinximus, videns eo in tempore Regem superiorem, & ipse pacis cum eo & concordiæ confœderationem iniuit, terrísque & castellis copiosè ditatus, sed & muneribus à Rege amplissimè donatus, hominium ei datis obsidibus exhibuit, mi-

A nasque & dissentiones in Regis aduersarios vbique respirans, igne & gladio, violentia & deprædatione quaqua versum deseuit, nec solùm Baronum Regi aduersantium, sed & patris sui terras & possessiones in nudum campum, in horrendam passim redigens solitudinem, crudelis vbique locorum & intolerabilis habebatur. Habuit verò idem robur militiæ inuictissimum, castella quoque plurima, alia ex Regis sibi permissione mandata, alia probitatis suæ industriâ ex aduersariis conquisita. Cepit namque ROBERTVM cognomento MVSARD, virum simpliciter, imò, vt verum fatear, imprudenter de castello suo egressum: cúmque Philippus in insidiis delitesceret, progressum eum fortuitò inuenit, suspendiúmque collo loro innexo minitãs, castellum illius violenter obtinuit. Cepit nihilominus & Reinaldum Cornubiæ Comitem, maximúmque militiæ suæ apparatum regiis induciis fretum, & ad pacem cum Rege reparandum cum Comitissa promotum: sed quia Rege nescio captio talis prouenit, imò quia pacis & securitatis ex vtráqne parte datis induciis, ad illicitam Philippus proruit captionem, reddito tandem viro offensum Regem liniuit. Cúmque Rex cum suis assentaneis, sed & Comitissa cum sibi consentiẽtibus, ad pacem confirmandam pariter conuenissent, arrogantiæ tumore vtrimque præualente, istisque & illis discordiam ambientibus, nihil profecerunt: quia Comitissæ fautores regni sibi primatum iure vsurpantes, à regni nomine, & à Regis honore Regem priuare contendebant. Ille autem non solùm possessa iure possidere vendicabat, sed & de qualicúmque modo adquisitis nil eis omninò relaxare velle fixè asserebat: sícque vtrorumque partibus diuersè sentientibus, ad solitum dissensionis punctum ex integro redierunt.

EO in tempore desæuiebant in Glaornensi prouincia Henricus quidam de Caldoet, & Radulfus frater eius, viri bellicosi, & circa martios sudores accinctissimi, ex Anglia quidem militandi studio in Angliam progressi, dolo & perfidiâ quammaximè imbuti, ad rapinã vbique & discordiam promouendam promptissimi, ad scelus & sacrilegium inferendum auidissimi. Isti namque castellis nunc clandestinis furtis, nunc armis præualentibus virtuosè conquisitis, vicinos omnes, & maximè Ecclesiarum possessiones vexabant multis modis: quia non solùm in diuersis operum angariis, in multimodis etiam aliis exactionibus, iugum dirissimæ seruitutis iniungebant, sed & furtis & latrociniis, rapinâ & cæde intolerabiles cunctis se exhibebant. Quapropter Ecclesiarum possessiones illis & illis in locis quam frequenter distrahentes, ab Ecclesiæ limine remoti separationis sententiam sæpissimè pertulerunt: quousque tandem diuinæ vltionis verbere multati condignam sceleribus suis pœnam pariter susceperunt, quia alius suspendio sublatus ante castellum suum horridissimè interiit, alius reddito quod possederat castello inopiâ & iniuriis plenus ab omni tandem Anglia dedecore fugatus abscesit. Et quidem hi verisimè, hi illa diuini eloquij completã sententiâ, vbi in vlciscendis impiorum sceleribus patiens redditor describitur esse Deus, quia postquam inflexibilem eorum superbæ ceruicis pertinaciam, vt in meliùs conuerterentur diutisimè pertulit, postquam atrocisimam inexpletæ tyrannidis violentiam, quam vbique locorum, & in Ecclesiasticis maximè ingerebant possesionibus, patientisimè substinuit, ad totius tandem ignominiæ & dedecoris punctum vtrósque redigens, iustisimo, vt præmissum est, verbere vtrósque multauit: quíque videbantur imperio & gloria, dominatione & potentiâ non solùm Barones conuicaneos excedere, sed & in ipso se regno latisimè extendere, incertum subitò mutabilis fortunæ lapsum experti, ad nihilum cum omnibus suis fuerunt redacti. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. Castella verò ipsorum, & amplisimæ, quas in suum redegerant dominium, possesiones multis in breui cesserunt, aliis proditionis factione ingressum machinantibus, aliis pecuniæ impensione dominium adquirentibus, omnibus verò ad vnum calamitatis & miseriæ propositũ tendentibus, vt effrenem tyrannidis suæ libidinẽ in plebem protẽderet, vt rupta pace, & trãquilitatis fœdere dissoluto, dissensionis motus cõcitarent.

CIRCA idem quoque tempus VVALTERIVS quidam frater Comitis Herefordiæ, assensu vt aiebant ipsius Comitis cepit Rogerium de Berchelai, insidiis prætensis circumuentum, virum indemnem, nec solùm amicitiâ & alternæ pacis fœdere sibi astrictum, sed & germana contribulis sanguinis cognatione propinquum. Vestibúsque tãdem nudatum & ludibriis expositum, sed & vinculis artisimè man-

STEPHANVS. cipatum, ante suum quod in vicino habuerat castellum tribus vicibus loro collo A innexo suspenderunt, & tertiò laxatis vinculis ad ima dimiserũt. Talibúsque indecentibus modis interitum viro minitantes, immò eum nisi castellum suum Comiti cõmitteret, ad interniciẽ dirissimè cõpellẽtes, inexauditi postremò discessẽre, miserũq; seminecis Rogerij cadauer, quia tenuis adhuc vitalis animæ spiritus in vexato corpore palpitabat, secũ ferẽtes, ad carceris perferẽda supplicia diutiùs reseruarunt.

PHILIPPVS autem, cuius superius fecimus mentionem, iniurias Rogerio irrogatas ægrè ferens, hinc quia eum sub defensionis suæ iure tutandum susceperat, inde quia neptem suam vxorandi copula iugatam habebat, armis & deprædatione intolerabiliter desæuit, ferúsque & indignatione plenus totam depopulari prouinciam, súbque sui dominij iure redigere proposuit. Cúmque sibi & suis lætis nonnũquam auspiciis fortuna aspirasset, ínque martios sudores secundos frequenter euentus habuisset, diuino subitò correptus verbere, in ægritudinis insperatæ incidit languorem, fractúsq. diutissimè corpore, & viribus exhaustus, crudelẽ quẽ conceperat spiritũ penitus abiurauit, séq; cum honestis, qui sibi deseruierãt, viris, voto astringẽs, Hierusalẽ inuisere, Sãctorúmq; loca adire sub spontanea peregrinatione proposuit. B

EO in tempore barbara paganorum multitudo nostræ religioni aduersa aduersus Christi nomen intantùm inualuit, vt non solùm Christianorum terras, ciuitatésque opinatissimas armis præualentibus sibi inclinarent, verùm & circa Hierusalem, quæ ciuitas est ciuitatum, soláque militiæ Christianæ gloria & decus, facto grege discurrerent, istos cædibus inuoluerent, illos ad captiuandum, proh pudor! abducerent: quódque nefas est dicere, templa se abolere, sancta conculcare, nomen Christi de medio auferre astruebant. Huius itaque tam intolerabilis exactionis opprobria ad pias matris Ecclesiæ aures fama intimante vbique terrarum delata, commota sunt regna, concussa mundi imperia, & ad communis iniuriæ vlciscendam infamiam totus sese orbis viriliter accinxit. Et licèt valida totiùs Angliæ pubes, omnésque masculi pectoris & constantis animi virtute insignes ad hęc vindicanda paratissimè cõuolarent, itaut tot & tantis vndique promouentibus, vacuam & exhaustam Angliam putares: non tamen discordia & rapina, gladius & aduersarius in Anglia cessauit, quia aliis cedentibus alij succedebant, tantò in agendis malis feruentiores, C quantò recentiùs ad ea accedebant.

ARREPT]A itaque crudelitatis totiúsque * opportunitate, alius alium ad scelus & flagitium æmulari, quantò vrgentiùs poterãt neces sibi alterutrim & insidias moliri: vtque fit, vi iustitia calcatur, leges dissoluuntur, magistratus sibi & dominium quantò diffusiùs poterant passim propugnare. Et nunc quidem in pauperes, & in rerum Ecclesiasticarum possessiones auidè insurgere, quæ erat & assueta & generalis omnium via, nunc vel aliorum castella furto surripere, nunc eos, quibus fidei fœdere connectebantur, dolo decipere. Comes namque Cestræ, cùm plurimum ex regio iure inuasisset, ideóque Rex ei suspectus fuisset, ad callidam consuetæ proditionis tecnam se totum conuertit: versutè annitens, quomodo faciliùs sine infamiæ opprobrio Regem posset in hostiles manus contradere. Cùm igitur paucis se comitantibus curiam aduenisset, quatinus totius per hoc suspicionis nota de medio tolleretur, conquestus est se ab hostibus, & maximè à barbara Vvalensium multitudine grauiter circumuentum, terras suas lacrymabili deprædatione spoliatas, vrbes alias flammis immissis in nudum campum redactas, alias grauissima obsidione cir- D cumcinctas, se & suos in proximo à Comitatus sui finibus exterminandos, ni Regis impigrè præsentiâ illa, qua ceteros releuabat, auxilij sui ope sibi & suis celeriùs subueniret. Asserebat & aduersarios audito tantùm Regis nomine terrendos, plus præsentiæ illius terrore posse deprimere, quàm si multa secum pugnatorum milia sine eius præsentia tentaret inducere. Se quoque plurimi æris copiam regiis militibus largissimè impensurum, sumptus & quæcumque sibi necessaria iudicabat, spondebat collaturum, nec diu Regem secum commorandum, sed patriæ suæ peruersoribus quasi in transitu per Regis præsentiam superatis, cum glorioso conquisitę victoriæ titulo citissimè remeandum.

TALIBVS Rex instigatus iam se cum Comite progressurũ aiebat, iam se in expeditionem promoturum lætus & alacer promittebat: cùm ecce primi omnes, qui ei assistebant, animaduertentes quòd præfata Comes in dolo loqueretur, à proposito

A Regem subitò reuocarunt. Dicebant siquidem nequaquam consultum esse in remotas Vvaloniæ partes, quemadmodum Comes expetebat, Regem procedere, maximè cùm ad plurima sedanda dissensionis semina, quæ vbique locorum per Angliam pullularunt, reuocaretur. Nec tutum esse per abrupta montium, per condensa siluarum, in barbaræ gentis insidias circumquáque dispositas exercitum ducere, vbi nec aquarum liquor ad sitim pro voto releuandam se offerebat, nec escarum suffragia, quæ regio sufficerent apparatui, in promptu occurrebant. Certum quidem plurima imminêre in itinere pericula, plurima patêre quaqua versum discrimina: cùm id quóque esset in dubio, vtrum tandem labore exhausto de victoria potienda certi redderentur. Temerarium quoque esse, nimísque præsumptuosum, in eius se Comitatum tam inconsultè velle ingerere, qui præmaximam regni partem aduersus se præripuisset. Et licèt se Regi, vt videbatur inclinasset, non tamen se in aliquo securiorem, sed nec fidei certitudine, nec obsidum commissione B reddidisset certiorem. Quòd si ad hostes conferendos Regem vt postulabat vellet promouere, redderet priùs quæ de suis iniustè vsurpauerat, fide quoque exhibita, sed & obsidibus oblatis tutiorem faceret. Quòd si in instanti facere renuisset, non solùm eum affirmabant non vt postulabat adiuuare debere, sed & vt in sæuissimum hostem viuè in eum & constanter insurgere, captúmque sine mora donec Regi satisfaceret, carceri mancipare.

CVM igitur sano huiusmodi consilio Rex tandem licèt inuitè adquieuisset, illi facto continuo agmine Comitem talia nequaquam suspicantem adeunt, Regem spondent ad quæcúmque sinistra sors vocasset, perpromptum in suum ac deuotum auxilium, si de singulis quæ præmisimus suum cum Rege haberet assensum. Verùm, Comite protinus respondente, non ad hoc curiam venisse, sed nec de his præmonitũ, vel cum suis consilium accepisse, verbis tumidis & litigiosis vtrímque insurgentibus, dum illi Comitem doli & proditionis factionem in Regem texere proclamarent, ille autem confusus & rubore plenus, vt pote conscius, primum abnegaret, deinde ad alia confugeret, subitò in eum manus iniecerunt, regiísque assi- C gnantes custodiis, ferro vinctum carceri retruserunt.

ISTIS itaque tali modo completis, cùm Proceres, qui Comiti parebant, quósque in singulis sparsim reliquerat castellis, captum dominum famâ intimante percepissent, factis vbique & coadunatis gladiatorum turmis ad arma conuolarunt; Regem turbare, omnibus Regi assentientibus dissensionem inferre, se pro Comite liberando vsque ad mortis angustiam velle decertare firmè promiserunt. Aliis tamen, qui sanioris erant & profundioris consilij, callidè prouidentibus graue esse & periculo proximum sine suo Principe impugnare, melius & consultius quæ Comitis erant in manus Regis committere: sicque illo tandem recuperato, quocúmque fortuna postmodum vocâsset liberè & expeditè sequi, cum amicis Comitis Regem petiêre, castella, quæ sui sanciebat iuris, reddito Comite se sibi velle tradere: obsides, fideiussores, & quæcúmque ad securitatem sui firmiùs subnitendam postulasset offerre, priuatim & publicè fixè spoponderunt. Rex autem habito super his & suscepto consilio, commodum & vtile sibi & regno adiudicauit prout deposcebant petitionem suscipere, quatinus quæ regalis noscebantur iuris receptis, Co- D mes datis obsidibus, insuper & iurisiurandi sacramento, ne Regi deinceps obsisteret in Curiæ prospectu peracto, ad sui tantum Comitatus honores liber abscederet.

LIBERATO itaque tali modo Comite, cùm pacem sequi, cùm fidem quam promiserat seruare deberet, animum secutus ad arma conuolauit, ruptóq. promissi sui fœdere, & iuramenti neglecta virtute, ad discordiam in Regem concitandam se & suos constanter accinxit. Ferus admodum & indignatione plenus militum sibi copiam è diuerso adsciscere, peditum & violentorum dextras ad totius flagitij exercendam malitiam suscipere, raptu & incendio, violentiâ & gladio, nunc in aduersarios quandóque etiam in sibi consentientes, quódque maioris erat doloris, quandóque in Ecclesiasticæ pacis possessiones vbique crudele cœpit desæuire: & omnem ætatem, in omnem sexum Herodianam tyrannidem, Neronianam truculentiam exercere. Et quamuis ob tot & tanta quæ cômittebat scelera nodo anathematis esset innodatus, nunquam ob hoc mitior, numquam cuiuis professioni indulgentior habebatur. Hic Regis castella vel furto intercipere, vel violentiâ inge-

STEPHANVS. rendo perstringere, illic noua raptim sub oculis erigere, sicq. de vna in aliam quam- A frequenter patriam cum effrenato exercitu discursare, omnia in solitudinem & in nudum campum vastando redigere. Ante Lincolnensem ciuitatem, quam pro sui liberatione Regi reddiderat, in qua etiam Rex militiæ suæ florem reposuerat, cum armato milite quam sæpè grassari, & nunc quidem tristes fortunæ ludos experiri, nunc felicis euentus arridente successu, læte de regalibus & magnificè triumphare. Ante castellum quoque Couenterij, vbi se regales receperant, & ipse Comes castellum firmauit, regaliúmque per patriam discursus virtuosè coërcuit; donec Rex clara militum stipatus multitudine illuc aduenit, escas suis, quibus maximè indigi erant, in castellum reposuit, cum Comite, qui sibi in difficilioribus itineris viis insidias tetenderat, multotiens commisit. Multorúmque in primo congressu strage peracta, istísque captis & illis effugatis, Rex ibi ad tempus, quia & aliquantisper vulneratus fuit, aduersariis cessit: sed post pauca viribus denuò repa- B ratis cum Comite conflixit, captísque plurimis, & vulneratis nonnullis, ipsóque Comite pudenter effugato, & penè interempto, ipsum tandem Comitis castellum redditum sibi subuertit. Sed & circa alia nonnunquam Comitis castella victoriosè Rex & constantissimè egit, nunc graui & intolerabili obsidione qui se interius recluserant affligens, nunc mira depopulatione vel ignis conflagratione quæ circa erant destruens & depascens, semper autem Comiti, sibíque consentientibus molestus extitit & peruersus.

GISLEBERTVM quoque filium Ricardi, virum præditum nobilitatis prosapiâ, quia se obsidem & sua pro Comite dederat castella (erat namque illius nepos) in ipso Rex rebellij exordio cepit, suæque diutissimè deputatum custodiæ assiduè detinuit, quoúsque redditis in manu Regis quæcúmque possederat castellis, quod solum erat exilij & propulsionis suæ remedium, ad auunculum se protinus contulit, pacémque regni quanto potuit nisu perturbans vires Regis persæpè infregit. Cuius castella cùm GISLEBERTVS Comes patruus suus à Rege postularet, sibíque iure hereditario competere astrueret, nec Regi consultum foret vt in hac ei petitione hac vice adquiesceret, inexauditus à Regis se præsentia & à Curiæ con- C spectu latenter subtraxit: hoc animo proponens vt à Rege ex toto discederet, firmatísque, quæ plurima in illa regni parte habuerat, castellis, cum Comite Cestriæ, aliísque Regis aduersariis vndíque in eũ insurgeret: quódque iustè, vt sibi videbatur, possidere non poterat, armis præualentibus tandem obtineret. Sed Rex vt animaduertit Gislebertum de Curia se furtiuè substraxisse, idque manifestum esset, quòd vt sibi & regno aduersaretur abscessisset, credulus persuadentibus, maximè quia priùs ei suspectus fuerat, vniuersa statim concitata militiâ, Gislebertum vrgenter fuit insecutus. Et iniuriâ, inquit, cui tot & tantas rerum opulentias contuli, quem ex paupere milite assumptum ad Consulatus apicem honorificè prouexi, cui prælargas possessionum affluentias, prout ipse animo conceperat, totiens & totiens impendi, nunc arma tam subitò támque inconsideratè assumere, nunc partes aduersariorum contra me adniti videtur. Vbi fides, vbi pudor, vbi ille, qui & fidem mihi inconcussam seruare, & dedecoris notam reputare deberet ab amore meo quouis deflectere? qui nec fidẽ erga me singularem sibi & solum dominum seruat, nec infamiæ publicæ ruborem hæc agendo aliquatenus deuitat? Sed iam fugitan- D tem instantiùs vrgeamus, omnésque conatus illius imparatos reddentes, quicquid in nos aduersum struxerit accelerata in eum persecutione cassemus.

NEC mora cùm Comes ad suum, quod propinquius imminebat, castellum tunc primùm adueniret, vt militum ibi & escarum imposito suffragio, Regi suis obsistere præciperet: ecce Rex ex aduersa castelli parte dispositis bellico more agminibus inopinatè astitit, ipsúmque Comitem intercepisset, nisi mentita personâ & occultata facie, inter tumultus passim insurgentes cum paucis aufugisset. Rex itaque repentè assistens, terrore & violentiâ castellanis illata, redditum castellum post pauca suscepit. Duobus quoque Gisleberti castellis festinè, & quasi in ipso currenti impetu occupatis, ad quartum, quod Peneuesel dicebatur, laxata mora tetendit. Est quidem PENEVESEL castellum editissimo aggere sublatum, muro venustissimo vndíque præmunitum, gurgite marino abluente inexpugnabiliter vallatum, loci difficultate penè inaccessum. Huc igitur cùm Rex exercitu comitante se contulisset,

A lisset, locique munitionem ad expugnandum difficilem, qui se intus contulerant, ad resistendum paratos percepisset; fidum protinus & constantem militiæ suæ cuneum, cui præcipuè innitebatur, ad eos obsidendos ibi reliquit: viuè illis iniungens, vt sumptu & opere, ingenio & arte obsidionem à parte maris cum nauibus, à terræ verò prospectu cum militibus intenderent, quoúsque tandem tædio & lassitudine defatigati resistendi impossibilitatem profiterentur.

DVM hæc ita agerentur HENRICVS filius Comitis Andegauiæ, iustus regni Anglorum hæres & appetitor, cum florida militum caterua ex transmarinis partibus Angliam aduenit. Concussum protinus & conturbatum in eius aduentu regnum, quia vt fama aduentus eius se latiùs sicut solet diffunderet, multa scilicet milia secum adduxisse, plurimorum in breui futura, infinitæ copiæ thesauros secum attulisse, nunc illam deprædatam prouinciam, nunc istam combustione depastam mentiebatur. Lætè igitur aures arrigebant, & quasi noua eis lux visa est oriri, qui sibi assentiebantur: cùm econuerso regales quasi graui depressi tonitruo aliquanto tempore humiliarentur. Verùm, postquam certum fuit, & in omnium noB titia manifestè diuentilatum, militum eum globum exiguum, non autem exercitam adduxisse, eos etiam nondum ad tempus stipe data, sed in futuro promissa conductos, nihil egregium facere, sed otio semper & negligentiæ omnia dare, recepto animo fortiter eis vbique & constanter restiterunt; quia cùm ad ciuitatem Cricheladam, & ad municipium, quod BVRTVNA dicitur, quæ tunc regij habebantur iuris, quasi interiùs sine obstaculo irrupturi aduenissent: hinc cum dedecore effugati, indè metu eos abigente festinè fuêre propulsi. Nec multò pòst regiam sæpiùs experti virtutem, ... perior, se fieret vbique constantior, sicut improuidè & indiscretè Angliam ...... inertia & otio dissoluti, penuria & egestate conuicti, egregio in .... suo & iusto totius regni hærede, cum quo aduenerant, derelicto, ... tandem discesserunt. Iuuene quidem tali ingruente infortunio mo .... affici, pudoris & iniuriæ cruciatu macerari: hinc C quia fidos mi .... manipulares, quos ad suum sibi delegerat suffragium, secum vt proposuerat re ...... uit: indè quia nec auxilium speratum à Baronibus sibi inclinatis ob .... ec stipendia in promptu habere potuit, quæ suis impertiret, qui & in castellis ..... & cotidiano conflictu in aduersarios decertabant.

HVIVS mali nec immeritò ..... is circumuentus consuluit matrem: sed ipsa æris indigens nequaquam tantam eius inopiam adiuuare suffecit. Consuluit & auunculum Glaorniæ Comitem, sed ipse suis sacculis auidè incumbens rebus tantùm sibi necessariis occurrere maluit, omnibúsque, in quibus confidebat ..... uius necessitatis articulo deficientibus, ad extremum vt fama erat ad Regem tanquam ad cognatum missis occultè legatis, benignè eum & suppliciter implorauit, vt indigentiam qua premebatur miseranter respiceret, & vt propinqui sanguinis cognatione connexum, sibique quantum in se erat benignum piè exaudiret. Talibus Rex perceptis, vt erat semper compassionis & pietatis abundans, iuuenem exaudiuit, & quem deberet ab omni subuentionis opere destituere, vt pote regni sui æmulum, sibique ex toto aduersum, missis pecuniis vt petiuerat gratanter adiuuit. Et quidem licet Rex à quibusdam in hoc notaretur, quòd non solùm imprudenter, D imò & pueriliter egisset, qui eum, quem maximè persequi debebat, data pecunia tantoperè fulciebat, ego altiùs eum & consultiùs fecisse sentio: quia quantò benigniùs quis & humaniùs se erga aduersarium continet, tantò eum & debiliorem reddit, & ampliùs infirmat; ideóque secundum Psalmistam, noluit retribuentibus sibi mala inferre, sed vt Apostolus præcipit, sic in bonum malum deuincere, quatenus per bonum aduersario benè impensum, carbones compunctionis & correctionis in mente illius ingereret.

SVB eodem fermè tempore Rex EVSTACHIVM filium suum egregiæ indolis adolescentem militiæ cingulo coram Optimatibus honoranter accinxit, cúmque terris & possessionibus amplissimè ditatum, militiæ quoque floridissimæ apparatu præcipuè insignitum ad Consulatus apicem excellenter prouexit. Et ipse profectò annis adolescens, moribus grauis, militiæ industria præcluis, innata probitate præcipuus, ornatissimum eminus in ipso militandi limine gloriosæ famæ promeruit titulum: quia mitem se imprimis & affabilem exhibere, dapsilitatis manum

STEPHANVS. cum hilari munificentia vbique porrigere, plurimúmque de paterno pectore possidens, istis pro tempore parem, illis quandóque superiorem ostendere: hîc pacis fœdera intentissimè firmare, illic duram aduersariis & inexpugnabilem frontem offerre. Cum Comite namque Cestriæ, sed & cum aliis nonnullis, sic nonnumquam mutui certaminis conflictum habuit, sic & insigni famosæ victoriæ splendore multotiens enituit, vt quod tener agebat ephebus (necdum enim primam lanuginem attigerat) perfecti in militari congressione viri admirarentur. Dúmque filius eius ad hostes retundendos ex vna regni parte promptissimè desudaret, pater ex alia consuetam triumphalis militiæ .... ciam frequentissimè reportabat. Castellum siquidem, quod dicebatur de Silua, vbi se totius pacis & trâquilitatis inimici receperant, omnémque circumjacentem prouinciam instantissimè infestarant, improuisè adueniens cum violentia cepit, suísque impositis latissimæ prouinciæ dominutum cõquisiuit. In hoc etiam tempore castellum de Lidelea famosè sibi & triumphaliter redditum suscepit. Fuit namque idem castellum .... iure, quod quidem in illis partibus & ad varios raptorum arcendos incursus .... Ecclesiæ terras tuendas, quas circumquáque Episcopus habuerat possid .... de comitibus BRIENI callidi admodum, & ad quæque mala versuti .... cepisset, terrásque & possessiones Episcopi graui depopulatione nu .... vt erat semper consulti animi, & in rebus agendis strenuissimi, copi ...... adunata multitudine, duo ante ipsum castella instantissi .... militúmque & peditum turmis sufficienter impositis, vsque ad ipsam ip .... mis inediam inclusos coërcuit. Quibus cum Comes Glaornię cum tribus .... tibus, & cum totius militiæ indicibili examine, & escarum suffragia ...... & Episcopi proposuisset castella subuertere, Rex ab Episcopo mandatus repente .... ipsúmque Comitem cum omnibus suis in subitum terrorem conuertit, & redditum sibi castellum Episcopo commisit.

COMES deinde Glaorniæ vt erat Regis aduersariorum ..... & ad magna quæuis struenda paratissimus, iterum atque iterum exercitum ..... rare, iugi hortaminis & admonitionis stimulo complices suos incitauit, illos minis, istos promissis sibi & præmiis coniugare; quatinus omnes in vnam concordiam, in vnum animum conspirati exercitum ediuerso ad idem velle repararent, & collectis vndecúmque agminibus viuè & constanter in Regem insurgerent. Ceterùm, quia non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, dum ille perturbationis & dissensionis semina multipliciùs quàm fecerat, & intentiùs quàm consueuerat in regno iactaret, ad extrema subitò deueniens, sine digno vt aiunt pœnitentiæ fructu in Bristoa sua tandem oppetiit. Successit in Comitatum suum VVillelmus filius suus, senior quidem ætate, sed vir mollis, & thalamorum magis quàm militiæ appetitor. Hic tamen in primo Comitatus sui exordio, quod præter omnium opinionem vix vna vice contigit, egregiæ probitatis successus indeptus fuit. Henricus namque de Traceio vir bellicosus, & in militari exercitio expertissimus, qui & Regis partibus parebat, ante castellum, quod Cari dicitur, & aliud firmabat, quo & Comitem Glaorniæ per hoc faciliùs arceret, diffusioris prouinciæ dominium possideret: cùm ecce ipse Comes talibus fama intimante perceptis, cum immenso repente superuenit exercitu, incœptúmque Henrici municipium fundotenus, ipsúmque cum suis inglorium cedere coëgit.

EO tempore VValterius de Pincbenei, cuius superiùs meminimus, carceralem exutus squalorem, Comite Herefordiæ ad hoc maximè suffragante, ad arma denuò conuolauit, egregio militantium globo ascito, castellum, quod Cristiciria dicitur, furto subintrauit, aliísque, quos in eo repererat, interemptis, aliis autem in vinculis mancipatis, omnibúsque, quæ circumquaq; fuerant, auidissimè direptis, amplissimæ prouinciæ dominiũ possedit. Verũ, cùm deberet veteris crudelitatis & malitiæ obliuisci, ne peccatis exigentibus in manus aduersariorũ iteratò incideret, ferus cunctis & intolerabilis existere, Ecclesiarũ possessiones atrocissimè grauare, vicinos quósque angariis & violentiis molestare, ab omnibus æra & donaria sine cessatione exigere, his pœnas & supplicia, illis diuersas mortes solo crudelitatis studio inferre. Sed tantæ illius malitiæ vindex & retributor Deus iusto eadem iudicio in auctorem tandem reflexit. Ciues namque loci illius, sed & de comprouincialibus non-

A nulli .... tatis illius barbariem ægrè ferentes, in vnam proditionem conspirans ..... militibus, ad cuius feudum ipsi pertinebant, & circa ipsum castellum ..... ositis, Vvalterium & suos, qui de castello progressi in Ecclesiam .... ere, cúmque eum suppliciter implorarent, quatinus in exactionibus ..... uior fieret, & ille fronte peruicaci indignanter respondisset, ... umo multò feraliùs quàm consueuerat acturum, vnus ex eis ..... dacter prosiliens, acutissimam bipennem in eius ceruicem virtuosè ...... iste interempto, reliquos etiam eius commilitones instanter prostrauerunt .... insidiis delitescebant concurrentibus, eos qui in castello erant protinus obser..... tandem datis dextris, & pace confecta castellum receperunt. Circa idem ...... Patritij Comitis castellum, quod Duntuna dicitur, ex iure & possessione .... is Ecclesiæ furto surripueruut, castellum escarum copiis vberrimè re .... apparatu apprimè præmunitum, impositísque prædonibus, & aliorum ...... * STEPHANVS.

B

Cætera desiderantur.

CHRONICA NORMANNIÆ,

CONTINENS MULTA AD FRANCOS ET ANGLOS PERTINENTIA.

Ab anno CHRISTI MCXXXIX. ad annum MCCLIX.

Ex veteri Libro Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis.

CHRONICA NORMANNIAE,

AB ANNO MCXXXIX. AD ANNVM MCCLIX.

MCXXXIX.

A STEPHANVS Rex Anglorum in Natali obsedit Bedefort, qua reddita, exercitum promouit in Scotiam. Rex namque Scotorum DAVID, quia sacramentum fecerat filiæ Regis Henrici quasi sub velamento sanctitatis per suos execrabiliter egit. Mulieres enim grauidas findebant, & fœtus anticipatos abstrahebant, Presbyteros super altaria detruncabant, & alia multa mala perpetrabant. Quæcúmque igitur Scotti attingebant, omnia plena erant horroris, aderat clamor mulierum, eiulatus senum, morientium gemitus, viuentium desperatio. Rex igitur Stephanus insurgens combuxit & destruxit Australes partes regni Regis Dauid, ipso tamen non audente ei congredi. Post Pascha verò exarsit rabies proditorum nefanda. Quidam namque Talebot nomine tenuit contra Regem castellum Herefort in vallibus, quod Rex per obsidionem in sua recepit. ROBERTVS Consul de Glocestria tenuit contra eum Britoetsiede, Radulfus Simelt castellum de Cari, Paganellus castellum de Ludelaue, Vvillelmus de Moum castellum de Duneстor, Robertus de Nichole castellum de Vvarham, Eustachius filius Ioannis Mealcune, Vvillelmus filius Alani Salopesbiri, quod Rex quidem cepit armis, captorúmque nullos suspendit. Vvalchelinus * de Doura hoc audiens reddidit castrum Douræ Reginæ se obsidenti. Occupato igitur circum partes Australes Angliæ, Dauid Scotorum Rex innumerabilem exercitum promouit in Angliam. Contra quem Proceres Borealis Angliæ admonitione & iussu Turstani Eboracensis Archiepiscopi restiterunt viriliter, fixo Standart, id est regio insigni apud Bertumne. B Ibi XII. milia Scotorum fama refert occisa, extra eos, qui in segetibus & siluis inuenti sunt. Ceteri verò minimo sanguine fuso feliciter triumpharunt. Huius pugnæ Dux fuit Vvisinus * Consul de Albemarle, & Vvillelmus Piperellus de Nothigeham, & Vvalterius Espec, & Hilbertus de Laci, cuius frater ibi solus ex omnibus equitibus occisus est. Cuius euentus belli cùm Regi Stephano nunciatus esset, ipse & omnes qui cum eo erant summas Deo gratias exoluerunt. In Aduentu Domini apud Lundoniam Concilium ALBRICVS Ecclesiæ Romanæ Legatus & Hostiensis Episcopus tenuit, & ibidem adnitente Rege Stephano & Regina, Thebaldus Abbas Beccensis Ecclesiæ, Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus effectus est. Hoc eodem anno mense Octobri GAVFRIDVS Comes Andegauis obsiderat Falesiam per XV. dies cum magno exercitu, & Robertus Comes Clocestriæ cum eo, qui circa præteritum Pascha concordiam fecerat. Hoc etiam anno Oximenses & Bajocenses subditi sunt ei.

STEPHANVS. 1139.

* al. Vvillelmus.

* f. Vvillelmus.

REX Anglorum Stephanus post Natale castellum de Ilede cepit obsidione.

STEPHANVS. Posthæc perrexit in Scotiam, vbi cùm rem Marte & Iuliano ducibus ageret, Rex A Scotiæ cum eo concordari coactus est. HENRICVM igitur filium Regis Sco-
1139. torum secum ducens in Angliam cepit Ludelaue, vbi idem Henricus vnco ferreo equo abstractus pene captus est. Sed ipse Rex eum splendidè ab hostibus retraxit. Indè re perfecta Oxinefordiam petiit, vbi Rex infamia notabilis, & ab omni consuetudine remota comparuit. Rex namque ROGERIVM Episcopum Salesberiensem, & ALEXANDRVM Lincoliensem ipsius nepotem violenter in Curia sua cepit, nihil recti recusantes. Ponens igitur ibidem Alexandrum Episcopum in carcerem, Episcopum Salesberiæ secum duxit ad castellum eiusdem, quod vocatur Diuises; quo non erat splendidius inter fines Europæ. Angarians igitur eum fame, & filij eius, qui Cancellarius fuerat, collo laqueum innectens vt suspenderetur, sibi tali modo castellum extorsit, non satis recordans beatorum *, quæ in introitu regni ille sibi præ aliis congesserat. Similiter cepit Sireburnam, quod parum Diuisis decore cedebat, accipiens thesauros Episcopi. Operuit inde CONSTANCIAM sororem LVDOVICI Regis Francorum EVSTACHIO filio suo. Inde Rex rediens similiter egit de Alexandro Episcopo, donec reciperet castellum. Tunc satis proximè filia Regis Henrici, quæ fuerat Imperatrix Alemaniæ, cui Anglia iuramento addicta fuerat, & Robertus Comes Clocestriæ frater eius, mense Augusto transierunt in Angliam. Inuitauerat enim eos VVILLELMVS DE ALBINEIO, qui duxerat ÆLIZ quondam Reginam, quæ habebat castellum & Comitatum Harundel, quod Rex Henricus dederat ei in dote. Appulerunt itaque apud Harundel, quia tunc alium portum non habebant. Exindè Comes Robertus cum militibus, & decem equestribus sagittariis, per mediam terram Stephani Regis perniciter venit Vvarengilefort, & indè Glocestræ nunciauit aduentum Imperatricis BRIENTIO filio Comitis, & Miloni Glocestræ; quam reliquerat cum vxore sua, & aliis impedimentis, in castello Harundel, vbi Stephanus obsedit eam, sed postea abire permisit pacto quodam ad Bristoium. Obiit Rogerius prædictus Episcopus Salesberiensis tam mœrore quàm senio confectus. Innocentius Papa tenuit Concilium Romæ, cui interfuit Thebaldus Cantuariensis Archiepiscopus. Constitutus est Abbas Beccensis Ecclesiæ domnus Lethardus. Stephanus Rex fugauit NIGELLVM Episcopum Heliensem de Episcopatu suo, quia nepos Episcopi Salesberiensis erat, à quo incentiuum in progeniem eius traxerat. Vbi autem ad Natale vel ad Pascha fuerat, dicere non attinet. Iam quippe Curiæ solemnes, & ornatus regij stematis ab antiqua serie descendens, prorsus euanuerant: ingens thesauri copia deperierat, pax in terra nulla, cædibus, incendiis, rapinis omnia exterminabantur: clamor, & luctus, & terror vbique. Obiit Comes Ebroicensis ALMARICVS, & successit frater eius SIMON. Obiit Rabellus Camerarius, & successit Vvillelmus filius eius. Obiit Henricus Comes de Hen, & successit Ioannes filius eius. Obiit Turstinus Archiepiscopus Eboracensis, & successit Vvillelmus Thesaurarius eiusdem Ecclesiæ. Obiit Audoënus Episcopus Ebroicensis in Anglia, & successit Totodius * vir religiosus, bonis ornatus moribus, & dilectus ab omnibus, filius Henrici Comitis de Vvaruerc. Gaufridus Comes Andegauis obsedit, & postea destruxit in Oximensi pago castellum Fontanetum munitissimum & arte & natura; quia Robertus Marmium dominus ipsius castelli tenebat contra eum Falesiam. HENRICVS fit Abbas Fiscanni, nepos Regis Stephani.

* l. Rotrocus.

1140. MCXL. Rex Stephanus Lincoliæ vrbem infra Natale obsedit, cuius munitiones ingenio ceperat Rannulphus Comes Cestrensis: seditque ibi Rex vsque ad Purificationem sanctæ Mariæ. Tunc namque Rannulphus prędictus adduxit secum Robertum filium Regis Henrici, socerum suum, & Proceres multos, & milites validissimos ad obsidionem Regis dissoluendam. Cùm autem Consul validissimus & audacissimus paludem penè intransibilem vix transisset, in ipsa die aciebus dispositis Regem bello aggressus est: ipse cum suis, vt vir admirandæ probitatis, aciem primam construxerat, secundam illi quos Stephanus Rex dehereditauerat, tertiam Dux Robertus magnus cum suis. Rex interea Stephanus exæstuans fluctibus Missam in tanta solemnitate audierat. Cùm autem

A de more cereum Rege dignum Deo offerens, manibus Alexandri Episcopi imponeret, confractus est. Hoc fuit Regi signum ruinæ. Proinde Rex strenuissimus progreditur, aciesque cum summa securitate bello disponit, ipse pedes omnem circa se multitudinem loricatorum equis adductis strictissimè collocauit; Consules cum suis in duabus aciebus equis pugnaturos instituit. Sed admodum paruæ equestres acies illæ comparuerant. Paucos enim secum ficti & factiosi Consules adduxerunt. Acies autem regalis maxima erat, tantum scilicet ipsius insignita vexillo. Principium pugnæ acies exheredatorum, quæ præibat, fecit. Percussit autem aciem regalem, in qua Consul Alanus, & ille de Mellent, & Hugo Consul de Estangle, & Simon Comes, & ille de Vvarenna inerant, tanto impetu, quòd statim quasi in ictu oculi dissipata est, & diuisio eorum in terra deuenit. Alij namque eorum occisi sunt, alij capti, alij aufugerunt. Acies, cui principabatur Consul de Alben. & Vvillelmus Yprensis, percussit Vvalenses qui à latere procedebant, & in fugam coëgit. Sed acies Consulis Cestrensis perculit cohortem prædictam, & dissipata est in momento, sicut acies prior. Fugerunt igitur omnes equites Regis, & Vvillelmus Yprensis vir exconsularis, & magnæ probitatis. Alij verò capti sunt, qui fugæ non paruerunt. Res mira, nimis à multis miranda, cùm Rex Stephanus rugiens vt leo à primore bipenni quadam crebris pulsans ictibus hostium præcipuos, minus ab omnibus admirabatur. O si centum similes essent! campum diutiùs defenderent, cùm solus ipse vix patuit prædæ. Capitur igitur Rex Anglorum Stephanus in die Purificationis sanctæ, & in Lincoliam ab hostibus direptam miserabiliter introductus est. Dei igitur iudicio contra Regem peracto, ducitur ad Imperatricem, & in turri de Bristovv in custodia ponitur. Tunc Imperatrix ab omni gente Anglorum penè suscipitur in dominam, exceptis Ketensibus, vbi Regina & Vvillelmus Yprensis contra eam pro eo viribus repugnabant. Suscepta est priùs Imperatrix à legato Romano Vvintoniensi Episcopo, & mox à Londoniensibus. Igitur subdolorum instinctu, siue Dei nutu expulsa est à Londoniensibus, & Regem tunc in compedibus poni iussit. Post autem dies aliquantos, cum auunculo suo Rege Scotorum, & fratre suo Roberto, viribus coactis veniens, obsedit turrim Vvintoniensis Episcopi. Episcopus autem misit pro Regina & Vvillelmo Yprensi, & ceteris Proceribus Angliæ. Factus est igitur vtrinque magnus exercitus Londoniensium, & acies numerosæ, quæ contra Imperatricem contendebant, eam recedere compulerunt. Capti sunt igitur multi, captus est & Robertus frater Imperatricis, in cuius turri Rex erat: cuius sola captione Rex euadere poterat. Absolutus est vterque. Sic Rex Dei iustitia miserabiliter captus, & Dei misericordia miserabiliter est liberatus. Fuerat autem Robertus captus in die exaltationis sanctæ Crucis. Eodem anno in octauis Paschæ Episcopus Lexouiensis Ioannes subdidit se Gaufrido Comiti Andegauorum, & reddidit ei ciuitatem, quam aliquãdiu contra eum tenuerat. Subditi sunt etiam ei omnes potentes Lexouiensis Comitatus. Circa Pentecostem obiit prædictus Ioannes Episcopus. Hic multùm Episcopalem Sedem ædificiis & ornamentis accreuit. Vrbem quoque, cuius muros Herbertus Episcopus propter Ecclesiam ædificandam *, mœnibus ambiuit. Successit ei ARNVLPHVS nepos eius Sagiensis Archidiaconus, vir admodum callidus, eloquens, literatus. VVALERANNVS Comes Mellenti, qui omnibus Normanniæ primatibus, & firmitatibus, & redditibus, & affinibus præminebat, concordiam fecit cum Comite Gaufrido Andegauensi, & concessum est ei castellum Montisfortis, quod ex tempore mortis Henrici Regis possederat. Subdiderunt itaque se nobili Principi etiam omnes Rothomagenses, non ciues vrbis, sed ij videlicet, qui commanent circa fluuium Sequanæ vsque ad flumen Rilæ. Reddita est etiam Falesia Comiti Gaufrido Andegauensi. Incœptum est Capitulum Becci tam consilio quàm auxilio.

STEPHANVS. 1141

MCXLI. Robertus Comes Clocestræ in æstate transfretauit in Normanniam, ducens secum obsides, filios scilicet Comitum & Magnatum Angliæ, qui Imperatrici fauebant, petentium, quatinus illos Comes Gaufridus retineret, & ad regnum Angliæ subiugandum transfretans se præpararet. Quod Comes ad tempus renuit, quia rebellionem Andegauensium, & aliorum hominum suorum timebat. Tradidit enim illi HENRICVM primogenitum filium suum, vt eum secum 114

STEPHANVS. duceret. Nec mora, præsente Comite Roberto, obsedit castellum Alnei, & cepit; & maiori exercitu congregato pergens ad Moritolium, redditum est ei, & Trinchebrai, Cruces, Tiliolum, scilicet quatuor castella propria Comitis Moritoliensis. Inde Abrincatenses se ei duci *, & Constantinenses. Rex Francorum Ludouicus affecit Comitem Thebaldum,& vastauit terram suam,maximè in Campania, vbi combussit castellum optimum, Vitreium scilicet, vbi multitudo hominum diuersi sexus & ætatis concremati sunt. Innocentius Papa interdixit tunc terram dominicam ipsius Regis, quia nolebat recipere Archiepiscopum Bituricensem, quem postea recepit, & Papa absoluit eum de sacramento, quod irrationabiliter fecerat. Ecclesia de Bellomonte datur Ecclesiæ Beccensi. Rex Anglorum Stephanus construxit castellum apud Vvintoniam. Tunc superueniens multitudo nimia hostium ex insperato, cùm regij .... bellicis incepissent; & non potuissent resistere, Regem in fugam compulerunt. Multi autem de suis capti sunt. Captus est etiam Vvillelmus Martel Dapifer Regis, qui pro redemptione sua dedit insigne castellum de Sireburna. Eodem anno Rex obsedit Imperatricem apud Oxineford, post festum S. Michaëlis vsque ad Aduentum Domini. In eo quippe termino, haud procul à Natali recessit inde Imperatrix per Ramusin glaciatam, tantum amicta vestibus albis, reuerberatione niuis & similitudine fallentibus oculos obsidentium. Abiit autem Vvarengeford, & sic Oxineford tandem Regi reddita est. Obiit Ioannes Imperator Constantinopolitanus, cùm nimis intenderet arcum cum sagitta toxicata, adeo vt in manu lethaliter vulneraretur. Cui successit Manuel filius eius.

1142. MCXLII. Obiit Ricardus Baiocẽsis Episcopus, cui successit PHILIPPVS DE HAVRICVRIA. Obiit etiam Ricardus Abrincensis Episcopus, & successit ei eiusdem Ecclesiæ Decanus. Eodem anno Comes Andegauensis obsedit Cæsaris burgum, donec ei redderetur. Redditum est ei etiam Vernolium, & Vallis Rodulij. Galterius Giffardus Comes, & alij Caletenses pacem eius adepti sunt mense Septembri. Eodem anno obiit INNOCENTIVS Papa, & successit GVIDO DE CASTELLO sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vocatúsque est CELESTINVS, Papa CLXIX. Sedit autem quinque menses, & quinque dies. Rex Stephanus interfuit Concilio Londoniæ in medio Quadragesimæ, quod * quia nullus honor vel Clericis vel Ecclesiæ Dei à raptoribus deferebatur,& æquè capiebãtur & redimebantur Clerici & laici: item Vvintoniensis Episcopus vrbis * Romanæ legatus, apud Londoniam, Clericis pro tempore necessarium: in quo sancitum est, ne aliquis, qui Clerico manus violenter iniecerit, ab alio possit absolui, quàm ab ipso Papa, & in præsentia ipsius. Vnde Clericis aliquantulum serenitatis vix illuxit. Stephanus Rex eodem anno Gaufridum de Magna-villa in Curia sua cepit. Igitur, vt Rex liberaret eum, reddidit ei turrim Londoniæ, & castellum de Vvalendene, & illud de Flesseich. Qui carens possessionibus inuasit Abbatiam Ramesij, & Monachis raptores immisit. Erat autem summæ probitatis, sed maioris in Deum obstinationis. Vvintoniensis Episcopus, & postea Cantuariensis Archiepiscopus Romam petierunt, de legatione acturi, mortuo iam Innocentio Papa. Decessit piæ memoriæ Hugo Canonicus sancti Victoris Parisius, vir religiosus, & admodum tam secularibus quàm diuinis literis eruditus, relinquens multos libros in monumento suæ scientiæ.

*f. sedis

1143. MCXLIII. Stephanus Rex Lincoliam obsedit, vbi cum munitionẽ siue castellum, quod vi obtinebat Consul Cestrensis, construeret, operarij sui ab hostibus præforati sunt ferè octoginta .... imperfecta Rex confusus abscessit. Gaufridus Consul de Magnauilla Regem validissimè vexauit, & in omnibus valde gloriosus effulsit. Mense autem Augusto miraculum iustitia sua dignum Dei splendor exhibuit. Duos namque, qui Monachis auulsis Ecclesias Dei conuerterant in castella, similiter peccantes simili pœna multauit. Robertus Marmium vir bellicosus hoc in Ecclesia de Conuentré peruersus egerat. Porro Gaufridus in Ecclesia Ramesensi, vt diximus, scelus idem patrauerat. Insurgens igitur Robertus Marmium in hostes inter suos cuneos coram ipso Monasterio solus interfectus est, & excommunicatus morte depascitur æterna. Similiter Gaufridus Consul inter acies suorum confertas à quodam pedite vilissimo solus sagitta percussus est, & ipse vulnus ridens, post dies

A .... tantùm ex ipso vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis, omnibus sanctis prædicanda, eiusdem sceleris eadem vindicta. Dum autem Ecclesia pro castello teneretur, ebulliuit sanguis à parietibus Ecclesiæ & claustri, indignationem diuinam manifestans, sceleratorum verò exterminationem denuncians. Arnulfus verò filius, Consul, qui post mortem patris Ecclesiam in castella retinebat, captus est & exulatus. Princeps autem militum ab equo corruens effuso cerebro expirauit. Princeps peditum Ramecius solitus Ecclesias frangere & incendere, demum mare transiens, nauis immobilis facta est. Qui tertiò sorte data, & sibi sortita, missus est in scapha cum vxore, & pecunia, qui statim deperierunt: nauis verò vt antea pacata sulcauit æquora. GALFRIDVS Comes Andegauis, congregato magno exercitu post festum sancti Hilarij, transiit Sequanam apud Vernon, & metatis castris apud sanctam Trinitatem de Monte Rotomagi, sequenti die, videlicet in festiuitate sanctorum Fabiani & Sebastiani, receptus est à ciuibus Rothomagensibus solemniter. In ipso tamen suo introitu, & per totam diem vsque ad Nonam, fuit ventus vehementissimus siluas eradicans, & domos prosternens. B Reddita vrbe homines Comitis Vvarennæ, qui Regi Stephano fauebant, noluerunt turrem reddere. Obsedit ergo eam Comes Gaufridus, & Galerannus Comes Mellenti, & ceteri Principes Normanniæ, qui iam cum Duce concordati erant. Factis igitur multis machinis, non potuerunt eam expugnare propter situm loci, & ipsius arcis fortitudinem. In illa obsidione mortuus est Perticensis Comes RETRODVS, relinquens duos filios paruulos, RETRODVM, & GAVFRIDVM: vxorem verò suam postea Ludouicus Rex Francorum dedit ROBERTO fratri suo. Tandem deficiente alimonia, intra arcem Rothomagensem obsessi reddiderunt se & turrem, videlicet GAVFRIDO antea Andegauensi Comiti iam exinde Normannorum Duci. Anno præterito quædam pars eius cùm ei reddita est, in ea machinas posuit suas ad eandem turrim expugnandam.

[Margin: STEPHANVS. 1143. — GAVFREDVS.]

ORDINATIS igitur in turre & vrbe, quæ necessaria fuerunt, Dux impiger ad interiora se extendens, congregato maximo equestri exercitu, non solùm suorum, sed etiam amicorum & dominorum *. Venerat enim Comes Flandrensis sororius eius, cùm mille quadringentis equitibus. C Venerat & Ludouicus Rex Francorum cum copiis suis. Dux aggressus est expugnare castrum Drincurtis, quod adhuc tenebant ei resistendo stipendiarij Comitis Vvarennæ. Qui videntes se ei non posse resistere, reddiderunt ei antedictum castellum, licet inuiti. Hugo etiam de Gornaco reddidit castellum de Leons, timens ne Comes omnem terram suam exterminaret. Pacificatis itaque omnibus in Normannia, excepto castello de Archis, quod Vvillelmus Monachus Flandrensis adhuc tenebat, propter fidelitatem Regis Stephani, licet homines Ducis Gauffridi illud sine intermissione obsiderent, quisque in sua *.

OBIIT Ioannes Salariensis Episcopus, cui successit Girardus Canonicus eiusdem Ecclesiæ, vir iocundus, & admodum literatus. Iste Ioannes rem dignam memoria tempore Regis Henrici effecit. Canonicos enim seculares eiusdem Ecclesiæ regulariter & secundum sancti Augustini institutionem viuere fecit: additis officinis congruentibus, & claustro. Hoc idem Ioannes Lexouiensis auunculus eius, & Gaufridus Carnotensis Episcopi tentare in suis Ecclesiis voluerunt, D sed in ipso conatu defecerunt. Mense Martio obiit Celestinus Papa, cui successit Girardus Bononiensis, Canonicus Regularis, & Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, & Cardinalis tituli Ecclesiæ sanctæ Crucis, vel Hierusalem: qui idem vocatus postea est LVCIVS Papa, qui sedit anno vno.

MCXLIV. Stephanus Rex Anglorum priùs in agendis circa discursus, Hugo * Bigot occupatus fuit. Sed in æstate Robertus Consul, & omnes inimicorum regalium cœtus castellum construxerunt apud Ferendinium. Sed Rex non segniter viribus coactis aduolat, & Londoniensium terribilem & numerosum adduxit exercitum. Assilientes igitur totis diebus castrum, dum Robertus Consul, & factores sui, copias maiores non procul ab exercitu Regis expectarent, per gloriosissimam probitatem non sine magna sanguinis effusione ceperunt. Tunc demum Regis fortuna cœpit in melius permutari, & in sublime protelari. Linconiensis Episcopus iterum Romam pergit, Alexander videlicet, qui cum Papæ gratia se- 1144.

GAVFRIDVS. quenti anno rediens, à suis cum gaudio *. In æstate redditum est castellum Ar- A
cense Duci Gaufrido, occiso Vvillelmo Monacho fortuitu in turre, sagittâ, qui il-
1144. li præerat. Eodem anno per proditionem perdiderunt Christiani in Principatu Antiochiæ ciuitatem Edessam, quæ antiquitus dicebatur Rages; à modernis verò Rahaies; & venit in potestatem Sarracenorum, occisis Christianis; quos ibi inuenerunt. Gocelinus enim iunior de Cornaisel * Comes ipsius ciuitatis tunc aberat.

* l. de Cortenaio.

Hoc eodem anno cœperunt homines priùs apud Carnotum quartos lapidibus onustos, & lignis, annonâ, & rebus aliis .... trahere ad opus Ecclesiæ, cuius turres tunc fiebant: quæ qui non vidit, iam similia non videbit, non solùm ibi, sed in tota Francia penè, & Normannia, & multis aliis locis. Vbique humilitas & afflictio, vbíque luctus & contritio. Videres homines & feminas per profundas paludes genibus trahere, verberibus cædi, vbíque crebra miracula fieri, Deo cantus & iubilos reddi. Extat de hac re priùs inaudita Hugonis Epistola Rothomagensis Archiepiscopi ad T. Episcopum Ambianensem, super hac re sciscitántem, B dicens Prophetiam impleri, *Spiritus vitæ erat in rotis.* GAVFRIDVS Dux pontem Rothomagi reficit firmissimum. Obiit Lucius Papa mense Martio, cui successit Bernardus Abbas Monasterij sancti Anastasij, quod est extra muros Romæ, vbi Innocentius Papa, qui quartus ante istum fuerat, Abbatiam nouiter fecerat, de ordine Monachorum de Cisteaux. Et Bernardus Abbas de Claraualle, quando illuc misit Conuentum, hunc præfecerat: maximè quia Papa Romanus aliquando ante quam ad Monachatum iste veniret, ad sacrum ordinem illum promouerat. Erat enim Transmontanus, vtpotè ciuis Pisensis. Fuit autem ordinatus prima hebdomada mensis Martij, & vocatus est EVGENIVS Papa CLXXI.

1145. MCXLV. Rex Stephanus magnum congregans exercitum, castellum construxit inexpugnabile, situm contra Vvalingefort, vbi Ranulfus Comes Cestrensis, iam Regi concordiâ coniunctus, cum magnis interfuit copiis. Dehinc verò Consul & ipse ad Regis Curiam cùm pacificè venisset apud Norhantone, Rex nihil tale metuentem cepit, & in carcerem retrusit, donec redderet ei clarissimum C Lincoliæ castellum, quod ab eo dolosè ceperat, & cetera quæcúmque fuerant ditionis suæ castella. Sic igitur Consul eiectus carcere, in liberum constitutus est arbitrium. Visis miraculis, quæ fiebant in locis religiosis, & afflictione, cum humilitate multimoda Carcis venientibus: audita etiam conquestione Christianorum de sanctis locis venientium, super recuperatione paganorum: prædicatione etiam Bernardi Abbatis de Claraualle, viri non contemnendæ auctoritatis, cui Papa Eugenius iniunxerat hoc officium: commoti Ludouicus Rex Francorum, Conradus Imperator Alemannorum, Federicus etiam nepos eius Dux Sueuorum, Galerannus Comes Mellenti tertius, Vvillelmus de Vvarenna Comes frater eius, Theodoricus etiam de Auseis Comes Flandrensis, & alij multi, magnæ audacitatis & dignitatis viri Franci, Normanni, Angli, & de aliis regionibus innumerabiles, non solùm milites & laïci, sed etiam Episcopi, Clerici, Monachi, crucem in humeris assumentes, ad iter Hierosolymitanum se parauerunt. Rex autem Francorum, & Robertus frater eius, & Galerannus Comes Mellenti, iuxta Vizeliacum die Dominica in ramis palmarum crucem assumpserunt.

TORNACENSIS Ecclesia cœpit habere proprium Pontificem, cùm à tempore sancti Eligij sub Nouiomagensi Episcopo egisset. Dux Gaufredus sartatecta turris Rothomagi & castelli, quæ per obsidionem corrupta fuerant, decenter restaurat. Rex ROGERIVS Siciliæ Tripolitanam Prouinciam in Affrica cepit. Inuentus est buffo vnus inclusus in concauo lapide in muro ciuitatis Cœnomanis. Quo occiso, buffones infra mœnia exindè fuerunt, cùm antea nunquàm fuissent. Facta est eclypsis solis v. Kalend. Nouembris. D

1146. MCXLVI. Rex Stephanus in vrbe Lincoliensi ad Natale Domini diademate regaliter insignitus est, quò Regum nullus introire pro .... tibus quibusdam superstitiosis ausus fuerat: vnde comparet quantæ Rex Stephanus audaciæ, & animi pericula non formidantis fuerit. HENRICVS filius Ducis Gaufridi &

A Imperatricis de Anglia in Normanniam veniens susceptus est à Conuentu Becci solemni processione die Ascensionis Domini. Controuersia inter Monachos Becci & inter Canonicos de Oxineford pro Ecclesia de Bellomonte Parisius in præsentia Papæ Eugenij terminata est. Eodem anno Canonici Regulares auctoritate Eugenij Papæ positi fuerunt in Ecclesia sanctæ Genouefæ Parisius, quoniam seculares Canonici fecerant iniuriam hominibus Papæ in quadam processione: & habuerunt iidem Canonici primum Abbatem ODONEM Priorem Ecclesiæ sancti Victoris, de qua Ecclesia Ordinem susceperunt. Ludouicus Rex Francorum, & Alienor, & sui socij, quos suprà memorauimus, præsente Papa Eugenio in expeditionem Hierosolym. ituri à Parisius recesserunt. Quas tribulationes & miserias in ipso itinere, dum per terram Imperatoris Constantinopolitani transirent, à fame, pestilentia, incursione paganorum perpessi sunt, non est nostri studij enarrare. Quia enim de rapina pauperum, & Ecclesiarum spoliatione illud iter ex maiore parte incœptum est, nec in eos qui se in hoste habebant vindicatum est, ferè nihil prosperum, nihil memoriâ dignum in illa peregrinatione actitatum est. Occiso à Sarracenis Raimundo Principe Antiocheno, remansit vxor eius cum filio paruulo Buamundo tertio, & filia Constantia.

GAVFRIDVS. 1146. B

MCXLVII. Peruenerunt Christiani quoquo labore ad sancta loca in Hierusalem, & circa Augustum mensem Damascum obsidentes, & dolo Hierosolymitanorum parum proficientes, repedare citiùs studuerunt. Meliùs acciderat anno præterito Christianis Principibus in Hispania. Nam Imperator, cuius imperij caput est ciuitas Toletum, adiutus à Pisanis & Genuensibus, Almariã nobilissimam vrbem super Paganos cepit. Rex Galliciæ fretus auxilio Normannorum & Anglorum, & aliorum multorum, qui nauali exercitu Hierusalem petebant, Lixebonam vrbem Agarenis abstulit, sicut aliam ciuitatem, Rautarem scilicet, anno præterito super eosdem ceperat. Comes etiam Barcinonensis Tortosam vrbem eodem anno cepit. 114

EODEM anno mortuo Ascelmo Rofensi Episcopo, Theobaldus Archiepiscopus Cantuariensis fratrem suum Galterium Archidiaconum Cantuariæ eidem Ecclesiæ subrogauit. Mortuo etiam Rogerio Cestrensi Episcopo in itinere Hierosolymitano, successit ei Vvalterius Prior Ecclesiæ Cantuariæ. Henricus etiam Murdach Monachus Cisterciensis fit Archiepiscopus Eboracensis. Eugenius Papa in Quadragesima Concilium congregauit Remis, ad quod venit latenter, & contra prohibitionem Regis Stephani Thedbaldus Archiepiscopus Cantuariæ. Vnde & fauorabiliter à Papa susceptus est. Mortuo Roberto Episcopo Herefordensi, successit Gillebertus Abbas Glocestriæ. Vvillelmus etiam de sancta Barbara Decanus Eboracensis anno præterito factus fuerat Episcopus Dunelmensis. Circa Aduentum Domini Dux Gaufridus obsedit in Comitatu Lexouiensi castellum Roberti Becum-fagerium, & destruxit. Mira miranda Eudonis pseudoprophetæ & hæretici patrata sunt, qui in Concilio Remis damnatus, & in turre Archiepiscopi retrusus, vt malè cœpit, ita deperiit. De cuius incantationibus, & fantasiis, & factis, & dictis, melius est silere, quàm loqui. RAINALDVS DE CASTELLIONE factus est Princeps Antiochiæ, ducta vxore Raimundi Principis. C

D MCXLVIII. Obiit Bechardus * VI. Abbas Becci, cui successit ROGERIVS Magister Vvacarius *, gente Longobardus, vir honestus, & iuris peritus, cùm leges Romanas anno ab incarnatione Domini MCXLIX. in Anglia discipulos doceret, & multi tam diuites quàm pauperes ad eum causâ discendi confluerent. Suggestione pauperum, de Codice & Digesta exceptos IX. Libros composuit, qui sufficiunt ad omnes legum lites, quæ in Scolis frequentari solent, decidendas, si quis eos perfectè nouerit. Eodem anno post Pascha obierat Bernardus Abbas Montis Michaëlis. Dux Gaufridus castellum Monasteriolum in pago Pictauensi obsedit, & fecit ibi tria castella lapidea: & durauit illa obsidio per tres annos, vsque quo BERLAI dominus castelli reddidit se Comiti. Tunc etiam Comes turrem & castellum funditus euertit. Eodem anno turbo factus horribilis, subuertens domos, nemora, & virgulta confringens: in quo etiam dæmones in specie turpium animalium pugnasse asseruntur. In festiuitate Pentecostes 1148.

* *sup.* Lethardus.

* *f.* Baccalarius.

GAVFRIDVS. Dauid, cùm * filium Ducis Gaufridi & neptis suæ Mathildis Imperatricis, qui anno præterito de Normannia in Angliam transfretauerat. Eodem anno circa Augustum rediit Ludouicus Rex Francorum de Hierusalem. A

1149. MCXLIX. Fuit hiems maxima tribus mensibus continuata, horribilis, vt quidam hominum præ nimio frigoris dolore in membris suis læderentur: vnde etiam remansit ex maxima parte vernalis agricultura, & inde subsecuta est magna terræ sterilitas. Inde combustum est Monasterium Corbeiæ.

1150. MCL. Theobaldus Comes Blesensis GAVFRIDVM filium Gaufridi Ducis armis militaribus decorauit. Euerso castro Monasteriolo à Duce Gaufrido obsesso tribus castellis lapideis per tres annos, quod inauditum est post Iulium Cæsarem, capto etiam BERLAI domino castelli contra voluntatem domini & probitatem etiam Regis Ludouici, facti sunt inimici adinuicem Rex & Dux Normanniæ Gaufridus. Iam anno præterito Henricus filius Ducis de Anglia redierat, & hereditatem suam ex parte matris, scilicet Ducatum Normanniæ *. Facta itaque discordia inter Regem & Comitem, & venit Rex cum magna militia, & EVSTACHIVS filius Regis Stephani cum eo, in Normanniam ante castellum Archas. Affuit ibidem HENRICVS è contra Dux Normannorum, cum admirabili exercitu Normannorum, Andegauensium, Britonum. Sed principes exercitus eius, qui maturiores eo erant & consilio & ætate, non permiserunt vt cum Rege domino suo congrederetur, nisi ampliùs eum in aliquo quàm antea fecerat, opprimeret. Eodem annò paulò ante idem Dux obsederat castrum Torneij, sed propter aduentum Regis infecto negotio discesserat, conbustis tamen domibus infra muros vsque ad turrem, & paruo castello circa eam. Gaufridus Comes Andegauensis cepit castellum de Nube super ROBERTVM Comitem Perticensem, quod anno præterito perdiderat per traditionem IOANNES filius VVILLELMI TALEVAZ. Vnde Rex Ludouicus iratus, & Robertus frater eius, congregato ingenti exercitu, venerunt vsque Sagium ciuitatem Vvillelmi Taleuaz, & eam combuxerunt. Iterum Rex Ludouicus congregans exercitum de omni potestate sua, mense Augusto fecit illum deduci super ripam Sequanæ inter Mellentum & Meduntam. Nec segnius Gaufridus Comes Andegauensis, & Henricus filius Dux Normannorum, suas cateruas ordinantes, in margine Ducatus Normanniæ sua defensuri consederunt. B C

HENRICVS II.

INTERIM, credo dispositione diuina, quæ videbat negocium illud non posse finiri sine multa effusione humani sanguinis, si vterque exercitus hinc inde conuenirent, Rex Ludouicus in ciuitate Parisius acuta febre interceptus lecto prosternitur. Hac de causa sapientibus viris religiosis intercurrentibus, ex vtraque parte dantur & accipiuntur induciæ, donec Rex conualesceret. Quo conualescente, Dei misericordià serenitas pacis refulsit, reddito GIRARDO BERLAI, pro quo in maxima parte discordia erat, & Rege assumente hominium HENRICI Ducis de Ducatu Normanniæ. Cùm igitur à ciuitate Parisius, s. pater & filius læti discessissent, & Dux Henricus congregasset omnes Optimates Normãniæ apud Lexouias in festo Exaltationis sanctæ Crucis proximè venturo, quatinus de itinere suo in Angliam cum eis tractaret: apud castrum Lodi pater eius pluribus diebus graui febre vexatus viam vniuersæ carnis ingressus est, VII. Idus Septembris, vir magnæ probitatis & industriæ, suis indefinitè plangendus. Hic solus omnium mortalium intra muros ciuitatis Cenomaniæ sepultus est. Conditus est enim in Ecclesia S. Iuliani ante Crucifixum. D

Huic Deus æternum tribuat conscendere regnum,
Quatenus Angelicis turmis conregnet in æuum.

Hic ante mortem Henrico Duci Normanniæ primogenito suo concessit Comitatum Andegauensem, Gaufrido verò secundo filio dedit quatuor castella.

EODEM anno mortuus fuerat SVGERIVS Abbas sancti Dionysij, qui idem Monasterium ornamentis, possessionibus & ædificiis plurimum auxerat. Successit ei ODO Monachus eiusdem loci, qui anno præterito fuerat Abbas coustitutus in Ecclesia Compendij, quando Rex Monachos sancti Dionysij ibidem posuerat. Decessit etiam ALGARIVS Episcopus Constantiensis, vir admodum religiosus, qui Canonicos Regulares posuit in Ecclesia sancti Laudi de Constantino, & in Ecclesia

A Ecclesia sancti Laudi Rothomagi, & in Ecclesia Cæsaris burgi. Cui successit Ricardus Decanus Baiocensis. Fames penè inaudita tempore præterito, mortalitas, sacer ignis, humanum genus, & maximè pauperiores admodum vexat. In Aduentu inundauerunt flumina vltra solitum diruentia pontes lapideos, & domos vicinas. Terræmotus factus est nocte post vel ante festum sancti Michaëlis. Henricus Dux Normannorum receptus est in pace ab Andegauensibus sibi facientibus fidelitatem, & sic factus est Dux Normannorum. HENRICVS II.

MCLI. Obiit venerabilis Comes THEBALDVS Blesensis nepos Regis Henrici, & frater Stephani Regis Anglorum, Princeps magnæ sanctitatis & largitatis in pauperes. HENRICVS primogenitus habuit Comitatum Tricasinum, & Campaniensem, & quicquid pater eius habuerat trans Sequanam. THEBALDVS secundus filius Comitatum Carnotensem, Blesensem, pagum Dunensem. STEPHANVS tertius filius honorem Seruicij in pago Bituricensi. Eodem anno obiit Conradus Imperator Romanorum, qui successerat LOTHARIO nepoti Henrici IIII. mariti Imperatricis. Hic numquam fuit Romæ coronatus, ideo non rectè vocatur Imperator, sed Rex Alemannorum. Huic successit Federicus nepos eius Dux Sueuorum. 1151.

B

ORTA simultate inter Regem Francorum Ludouicum, & vxorem eius, congregatis religionis personis in Quadragesima apud Balgenceium, dato sacramento coram Archiepiscopis & Episcopis, quòd consanguinei essent, separati sunt auctoritate Christianitatis post clausum Pascha. Henricus Dux Normannorum, & Comes Andegauensium, apud Lexouias congregatis Comitibus Normanniæ, & aliis primoribus, de itinere suo in Angliam cum illis tractauit. Venerat enim in Quadragesima pro eo Rainaldus auunculus eius Comes Cornubiæ. Circa Pentecostem Henricus Dux Normanniæ, siue repentino siue præmeditato consilio, duxit Alienor Comitissam Pictauensem, quam paulò ante Rex Ludouicus propter consanguinitatem dimiserat. Quo audito, Rex Ludouicus commotus est contra eundem Ducem. Habebat enim duas filias de ea, & ideò nolebat vt ab aliquo illa filios exciperet, vnde prædictæ filiæ suæ exheredarentur. Post festiuitatem sancti Ioannis, cùm Rex Ludouicus esset apud Barbefluum, & vellet transire in Angliam cum manu armata, conuenerunt in vnum Ludouicus Rex Francorum, Eustachius filius Stephani Regis Anglorum, Robertus Comes Perticensis, filius Thebaldi Comitis, Gaufridus etiam frater Ducis Normanniæ: vt Normanniam, & Andegauensem Comitatum, & Ducatum Aquitaniæ, quem cum vxore sua acceperat, imò & omnem terram suam auferrent, quam etiam filij * quinque inter se diuiserunt. Hac re cognita, audita etiam obsidione Noui-mercati, vbi omnes prædicti Principes conuenerant, excepto Gaufrido fratre suo, qui eum in Andegauensi Comitatu pro posse impugnare debebat. XVII. Kal. Augusti Dux Henricus recessit à Barbefluuio, castello scilicet pro viribus subuenturus obsesso. In ipse nocte fulgor nimius, & postea quasi draco ingens visus est in cœlo discurrere ab Occidente in Orientem. Item, dum Dux ingentem exercitum electorum militum & peditum traheret, redditum est castellum fraude obseruatium, quasi esset ei præceptum: & Dux Henricus, quem etiam ferè omnes Normanni existimabant omnem terram suam in breui amissurum, sapienter se habens sua viriliter defendendo, ab omnibus, etiam ab inimicis admodum laudatus est. Circa verò finem mensis Augusti, collatis militibus ad custodiam Normanniæ, ipse in Andegauensem Comitatum pergens, tamdiu fratrem suum Gaufridum afflixit, donec cum eo concordatus est. Inde datis induciis inter eum & Regem, præparauit se ad transfretandum in Angliam, in qua re potest admirari audacia eius. Eodem anno cuidam in somnis dictum est, vt manus suas & pedes truncaret, & sic saluus fieret: qui dum hoc faceret, expirauit.

C

D

EVGENIVS Papa Ioannem Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Presbyterum cognomento Papato destinauit legatum in Hiberniam cum quatuor palliis, quorum vnum dedit Episcopo Dunelmæ, & reliqua tria tribus aliis Episcopis eiusdem insulæ: subiiciens vnicuique eorum qui pallia acceperunt, quinque alios Episcopos, & hoc factum est contra consuetudinem antiquorum, & dignitatem Cantuarien-

HENRICVS II. 1151. sis Ecclesiæ, à qua solebant Episcopi Hiberniæ expetere & accipere consecrationis benedictionem. A

EODEM anno mortua est MATHILDIS vxor Stephani Regis Anglorum.

IOANNES Monachus Sagiensis fit Episcopus secundus insulæ maris, quæ est inter Angliam & Hiberniam, propinquior tamen Angliæ quàm Hiberniæ: vnde & Episcopus eius subiacet Archiepiscopo Eboracensi. Primus ibi fuerat Episcopus Vvermundus Monachus Sauignensis, sed propter crudelitatem expulsus fuit, & priuatus oculis.

MORTVVS est Episcopus Vvillelmus Dunelmi.

MORTVVS est Radulphus de Parona Comes Viromandorum, relinquens paruulum filium nomine HVGONEM, & vnam filiam sub tutela Galeranni Comitis Mellenti nepotis sui. Hos infantes susceperat ex vxore sua iuniore filia Vvillelmi Ducis Aquitanorum. Primogenitam namque Ludouicus Rex Francorum duxerat, ex qua genuit duas filias. B

MORITVR nihiloninus Henricus filius Dauid Regis Scotorum.

MORITVR iunior Vvillelmus de Rolmare, superstite adhuc Vvillelmo patre suo, relinquens duos filios natos ex sorore Vvillelmi Comitis de Albamarla.

GAVFRIDVS ARTVR, qui transtulerat Historiam de Regibus Britonum de Britonico in Latinum, fit Episcopus sancti Asaph in Norgalis. Sunt itaque hodie in Gualis IIII. Episcopatus, in Anglia XVII. In VIII. eorum sunt Monachi in Episcopalibus sedibus. Hoc in aliis prouinciis aut nusquam, aut rarò inuenies. Sed in omni Anglia hoc reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, scilicet Augustinus, Mellitus, Iustus, Laurentius, Monachi fuerunt. In aliis VIII. Episcopalibus Sedibus seculares, in vna Canonici Regulares. Eodem anno Ioannes Romanus, qui fuerat à paruo Monachus sancti Sabæ, & post Abbas sanctæ Mariæ, in Capitulo Romano, & relicta eadem Abbatiâ factus fuerat Monachus Becci; perrexit Romam, & inde rediens, caput beati martyris Audacti attulit secum, & gratuitò dedit illud Ecclesiæ Beccensi. Pullulante peruersa doctrina HENRICI hæretici in Vvasconia, suscitauit Deus spiritum puellæ minoris in illa prouincia ad eandem hæresim confutandam. Per triduum namque in vnaquáque septimana iacebat absque voce, sensu, & etiam absque flatu: & rediens postmodum ad se, dicebat beatam Mariam orare pro populo Christiano, & beatissimum Petrum docuisse se orthodoxam fidem. Exindè de fide nostra sapienter & catholicè disserebat, & præcipuè hæresim Henrici conuincens, plurimos ab eo seductos ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ reuocabat. C

TRADITA, vt prædictum est, munitione Noui-mercati Ludouico Regi Francorum, idem Rex exercitum suum vsque Caluum-montem reuocauit. Ac Henricus Dux Normanniæ, collecta non minima manu electorum militum & peditum, castra metatus est iuxta fluuium Audelæ: vbi residens aliquandiu, afflixit illam partem Vvilcasini, quæ est inter Audelam & Eptam flumina, quæ ad Ducatum Normanniæ pertinet. Sed Gaufridus Comes Andegauorum post mortem Henrici Regis Anglorum concessit eam ad tempus Ludouico Regi Francorum, sicut & multa alia de diuersis terris Ducatus Normanniæ concesserat quibusdam Magnatibus eiusdem prouinciæ, vt eos faceret hoc modo promptiores ad ferendum sibi auxilium in subiciendo suæ ditioni prædictum Comitatum. Cotidie itaque Rex Henricus in eam populatores mittebat ad quærendum victualia hominibus & iumentis sui exercitus. Destruxit etiam ibi, & igni tradidit castellum Vasteruillæ: & duo alia castella, Chitreium, & Stripinneium, combuxit. Hoc idem significante fumo Francis, qui ex altera parte Eptæ fluminis castra posuerant, nec aliquod suis auxilium ferentibus. Munitionem etiam Hugonis de Gornaco, quam Feritatem nominant, assultu capiens igni tradidit, excepta turre, quæ in alto monte sita est. Denegabat enim idem Hugo prædicto Duci debitum famulatum, & inimicos eius intra castellum Gornaci fouebat. Mediante autem mense Augusto, Lu- D

A douicus Rex exercitum suum fecit transire Sequanam apud Mellentum. Quod Henri-
Dux audiens, & ipse suas copias per pontem Vernonis traducens, concito gradu cvs II.
cum aliquantis expeditis militibus ad Vernolium, quò Regem festinare ab explo- 1151.
ratoribus audierat, tendebat: cum subitò Vvillelmus de Paceio mandauit ei, quatinus Paceium rediret, ad quod Rex cum exercitu maximo veniebat. Ipse impiger & nescius moræ in subueniendo suis, retroacto capite equi tanta festinatione cum sociis remeauit, vt antequam Paceium peruenirent, plurimi equorum suorum aut mortui, aut penè mortui remanerent. Audito Ducis aduentu, Rex maturiore vsus consilio noluit terram eius intrare; sed ipso die Medandeum rediit. Dux verò vocatus à Gisleberto de Tegulariis, combuxit Brueroles castrum Hugonis de Nouocastello, ac alteram quandam munitionem Macuteruillam cognominatam, sitam in Dorcassino pago. Exindè rediens in Normanniam, & af-
B fligens Richerium de Aquila, qui hostibus eius subsidium ferebat, coëgit eum de pace tenenda obsides dare; & munitionem Bonmolini, vbi raptores & excommunicatos receptabat, igni tradidit. Circa verò finem Augusti, collatis militibus ad custodiam Normanniæ, ipse in Andegauensem Comitatum pergens, obsedit munitionem Montis-sorelli, vbi iugi obsidione coartans inclusos, Vvillelmvm dominum ipsius castri, qui partes sui fratris iuuabat, cum aliis pluribus militibus cepit. Hoc itaque infortunio, & aliis pluribus, Gaufridus frater eius afflictus, coactus est cum illo reconciliari.

Interea Rex Francorum de absentia Ducis nactus opportunitatem, instigante eum Comite maximè Roberto fratre suo, qui duxerat relictam Rotronis Comitis Moritoniæ, & cui idem Rex dederat castrum Dorcasinum, partem burgi Tegulariensis & quendam castri vicum Vernolij voracibus flammis tradidit. Castrum etiam Vvannetis-curtis apparatu bellico cingens, nihil ei nocuit. Paucis exindè diebus euolutis, datis induciis inter Regem & Ducem, Dux præparauit se ad transfretandum. Sed antequam transiret, Rex fecit reddere treugas. Nihilominus tamen Dux propositum transfretandi .... auram transeun-
C di aptam iuxta noualia operiebatur, in quo potest animaduerti probitas & audacia eius.

In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne ampliùs aliquam nouam Abbatiam construerent, quia numerus Abbatiarum de illo Ordine vsque ad quingentas ferè Abbatias processerat.

Mortvo Conrado Imperatore Romanorum, vt prædictum est, successit Federicus nepos eius.

Evgenivs Papa fecit transferri de Græco in Latinum Librum Patris Damasceni.

Henricvs Dux Normannorum infra octabas Epiphaniæ transiit in Angliam cum xxxvi. nauibus.

Facta est eclypsis solis vii. Kalend. Februarij circa octauam horam, luna xxxvii.

Dvx Normannorum obsidens castrum munitissimum Mammesberi, homines Regis Stephani in eo ad deditionem coëgit, licèt idem Dux cum pluribus mi-
D litibus armatorum in proximo esset. Obiit Gislebertus filius Ricardi, & sepultus est apud Claram, in Cella quam Gislebertus auus eius dederat Monachis Becci. Successit autem ei Rogerius frater suus. Post octauas Paschæ Ludouicus Rex Francorum cum magno exercitu summo mane veniens de Medunta ad Vernonem, burgum extra muros positum combuxit, & villam optimam, & vinearum fertilem, quam Longam-villam nominant. Irritauerat enim iram eius Ricardus filius Vvillelmi de Vernone, non veritus deprædari mercatores conductu ipsius. Gondreda Comitissa Vvaruicensis eiecit custodes Regis Stephani de munitione ciuitatis Vvaruic, & tradidit eandem munitionem Henrico Duci Normanniæ. Mortuo Rogero Comite Vvarvvicensi, successit Henricvs filius eius, ei natus ex Gondreda sorore vterina Galerani Comitis Mellenti. Mortuo autem Simone Comite Huntedoniæ, successit ei Simon filius eius, quem genuerat ex filia Roberti Comitis Leecestriæ.

HENRICVS II. 1151. Decessit etiam DAVID Rex Scotiæ, vir admodum religiosus, & successerunt ei A duo nepotes eius, quos Henricus filius eius, qui anno superiore obierat, ex filia Vvillelmi Comitis de Varenna, sorore videlicet vterina Galeranni Comitis Mellenti genuerat. Primogenitus horum, scilicet MELCHOMVS regnum Scotiæ adeptus est, frater eius VVILLELMVS Comitatum Londouensem.

MENSE Iulio, VII. Idus eiusdem Mensis, viam vniuersæ carnis ingressus est venerabilis memoriæ EVGENIVS III. Papa, vir admodum religiosus, in eleemosynis largus, in iudiciis iustus, omnibus tam pauperibus quàm diuitibus affabilis & iocundus. Ad cuius tumulum, qui ei in Ecclesia beati Petri venerabiliter factus est, miracula post transitum eius statim apparuerunt. Successit ei Conradus Sabinensis Episcopus, Apostolicæ Sedis in vrbe duntaxat in agendis Episcopalibus, dum Papa deest, ex antiqua consuetudine, pro dignitate loci sui Vicarius, qui erat natione Romanus, vir grandæuus, & apud Romanos auctoritate præclarus; exindè vocatus ANASTASIVS IV. Papa videlicet CLXXII.

1152. MCLII. HENRICVS Dux Normannorum obsedit castrum Crauennense, B quod Rex Stephanus fecerat, haut procul à Vvarenford; quatinus milites Ducis, qui in prædicto castro erant, à transitu pontis Tamisiæ prohiberet. Capto pro maiori parte castello Crauennense, cùm Rex Stephanus illò appropinquaret cum nimio apparatu bellico, vt suis .... subueniret; Dux intrepidus, nec deserens obsidionem, acies è regione contra Regem pugnaturus ordinauit. Verùm intercurrentibus religiosis personis, & secretò cum Summatibus, qui in exercitu Ducis erant, tractantibus, ad hunc finem res deducta est, vt datis quinque dierum induciis, Rex Stephanus proprium castellum, quod obsidebatur, euerteret, eductis tantum LXXX. militum suorum, qui supererant. Nam Dux in quadam turre lignea XX. milites iam ceperat, exceptis LX. sagittariis, quos depicari * fecerat. Hanc conditionem cùm Dux cognouisset, licèt sibi magno honori esset, grauiter tulit hanc duntaxat parte *, de infidelitate suorum, qui eandem C conditionem interpositione suæ fidei firmauerant, conquestus, ne fidem illorum irritam faceret, prædictum pactum concessit. Soluta est itaque obsidio, quæ circa Vvalingeford ordinata fuerat, Rege Stephano Crauennense subuertente. Nam anno præterito, familia Ducis Henrici, quæ Vvalingeford incolebat, non solùm contra ius & fas erexerat apud * Abbatiam Radingis pessumdederat. Exinde Dux Henricus cum Ecclesiasticis militibus obuiauit Vvillelmo de Quereio Præsidi Oxinefordensi, & Ricardo de Luceio, & Vvillelmo Martello, & sociis eorum venientibus in terram suam, & fugauit eos vsque Oxineford, & cepit ex eis XX. milites. Prædam autem innumerabilem, quam velites leuis armaturæ viri, qui eum persecuti fuerant, ex circumiacente regione congregauerant, iussit eis reddi quorum fuerat, dicens se non ad hoc vt raperet, sed vt à rapina potentum populum pauperum liberaret, venisse. Dux Normannorum cœpit castrum munitissimum, & diuitiis opulentum, & quondam Comitatus caput, scilicet Transfort.

CIRCA finem Iulij mensis Ludouicus Rex Francorum congregans maximum exercitum ex omni potestate sua, obsedit castrum Vernonis ferè per XV. dies. Cúmque nihil proficeret nec crebris assultibus, nec diuersis machinis, & Co- D mes Morinorum, quos moderni Flandros nominant, in cuius multiplici militia Rex maximè confidebat, vellet discedere; ne prædictus Rex inglorius recederet, si omninò nihil proficeret, egit secretis conuentionibus & promissis cum Ricardo de Vernone, vt vexillum saltem eius in turre leuaretur, & eadem turris Goëllo filio Baldrici ad custodiam committeretur, qui vtrique, Regi scilicet & Ricardo, beneficio casamenti obnoxius erat. Mense Septembri, Rex Francorum cum paucis veniens, & quasi latenter, combuxit partem burgi Vernolij. Mortuo Vvillelmo de Paceio absque liberis, redditum est castrum Paceij Roberto filio Roberti Comitis Legrecestriæ, quia pertinebat ad honorem Britolij, vnde ille erat legitimus hæres ex parte matris suæ.

DISCORDIA inter SIMONEM Comitem Ebroicensem & filios Ascelini Goëlli,

A scilicet Vvillelmum Lupellum, & Rogerium Balbum. Qua inualescente, prædictus Comes ferè totam terram eorum depopulatus est absque firmitatibus. Mulier quædam religiosa de prouincia Lothariensi habens spiritum prophetiæ, misit literas Capitulo Cisterciensi valde obscuras, & quasi per integumentum loquentes, in quibus poterat tantùm animaduerti quod aliquantulum & stuporem ordinis, & frigus notaret caritatis. Hæc prædixerat Eugenio Papæ, quòd intra octauum annum sui sacerdotij & pacem habiturus esset, & vitæ finem. Tertius BALDVINVS Rex Hierosolymis, gratiâ Dei præeunte diu obsidens ciuitatem, tandem cepit eam, & dedit Almarico fratri suo Comiti Ioppensi. ROGERIVS Rex Siciliæ per Ammiralios suos cepit Tonizam vrbem maximam in Africa. Mortuo Ricardo Episcopo Abrincensi in itinere Romæ, cùm illuc perrexisset causâ altercationis duorum electorum Abbatiæ Montis Michaëlis, HERBERTVS Capellanus Ducis Normanniæ factus est Episcopus prædictæ sedis. HENRICVS II. 1152.

B MENSE Augusto circa octauas sancti Laurentij moritur Eustachius filius Stephani Regis Anglorum, qui prædatus fuerat, vt quidam dicunt, terram sancti Eadmundi Regis & Martyris in ipsa ciuitate sancti Laurentij. In eisdem octauis nascitur filius Henrico Duci Normanniæ ex vxore sua Alenor Comitissa Pictauensi: vocatus est idem VVILLEMVS, quod nomen est quasi proprium Comitibus Pictauorum, & Ducibus Aquitanorum. Venerabilis primus BERNARDVS Abbas Claræuallis, vir admirandæ religionis & doctrinæ efficacis, humanæ vitæ moriendo satisfecit, XIIII. Kal. Septembris, relinquens sapientiæ suæ plurima documenta, maximè in Commentariis in Cantica Canticorum. Cui successit Robertus Flandrita, qui erat Abbas Diuiensis. Decessit nihilominus Henricus Murdach Archiepiscopus Eboracensis, Monachus Cisterciensis.

STEPHANVS Rex Anglorum, & Henricus Dux Normannorum cognatus eius, VII. Idus Nouembris, iustitiâ de cœlo prospiciente, concordati sunt hoc modo. Rex primò recognouit in conuentu Episcoporum & Comitum, & reliquorum Optimatum, hereditarium ius, quod Dux Henricus habebat in regno Angliæ: & Dux benignè concessit, vt Rex tota vitâ sua, si vellet, regnum teneret. Sic tamen in præsentiarum ipse Rex, & Episcopi, & ceteri potentes, sacramento firmarent, quòd Dux post mortem Regis, si tempore eum superuiueret: pacificè, & absque contradictione regnum haberet. Iuratum est etiam, quòd possessiones, quę direptæ erãt ab inuasoribus, ad antiquos & legitimos possessores reuocarentur, quorum fuerant tempore Henrici optimi Regis. De castellis etiam, quæ post mortem prædicti Regis facta fuerant, vt euerterentur: quorum multitudo ad CXXVI. summam excreuerat. RANVLFVS Comes Cestræ moritur, relinquens successorem sui honoris HVGONEM filium, natum ex filia Comitis Glocestriæ. ROBERTVS DE MONTEFORTI cepit auunculum suum Galerannum Comitem Mellenti in colloquio condicto haud procul à burgo Bernai. Obsesso castro Orbecci ab hominibus Comitis Galeranni, in quo idem Comes tenebatur, tandem Comes liber dimissus est: reddita priùs prædicto nepoti suo turre de Monteforti.

(C at margin)

D MCLIII. LVDOVICVS Rex Francorum duxit vxorem filiam ALFONSI Regis Hispaniarum, caput regni huius Regis *, quem, quia principatur Regulis Arragonum & Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant. Galerannus Comes Mellenti obsidens castrum Montisfortis, fugatus est ignominiosè à nepote suo Roberto, euersis castellis, quæ ipse ante Montemfortem erexerat. ROGERVS Rex Siciliæ moritur IIII. Kal. Martij. Huic successit VVILLELMVS filius eius, quem pater ante mortem suam sublimatum in Regem consortem regni fecerat. Hic duxit filiam Regis Nauarræ Garciæ, sororem scilicet Sancij iunioris, & suscepit ex ea filium primogenitum nomine Rogerium. Mortuo, vt prædictum est, Henrico Archiepiscopo Eboracensi, Anastasius Papa restituit in eandem sedem Vvillelmum, donans ei pallium, & consecrans Romæ in præsentia eius HVGONEM DE PVISAT Episcopum Dunelmensem nepotem Stephani Regis Anglorum. Hunc Vvillelmum Eugenius Papa decessor Anastasij deposuerat. 1153.

HENRICVS II. 1153. CIRCA Pascha Henricus Normanniæ Dux transfretauit in Normanniam, & cœpit reuocare paulatim & prudenter in ius proprium sua dominia, quæ pater suus ingenti necessitate primoribus Normanniæ ad tempus concesserat. Indè prouectus in Aquitaniam, rebellionem quorumdam repressit. Guillelmus Archiepiscopus Eboracensis reuersus in Angliam, dum diuina mysteria consummaret, hausto in ipso calice, vt aiunt, veneno, moritur. Cui Rogerius de Ponte Episcopi successit, Archidiaconus Cantuariensis. A

MENSE Augusto concordati sunt Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Dux Normannorum, hoc modo. Rex reddidit ei duo castella, Vernum, & Nouum-mercatum, & Dux dedit ei duo milia marchas argenti, pro resarciendo damno quod passus fuerat in capiendo, muniendo, tenendo easdem firmitates. RAINALDVS DE CASTELLIONE Princeps factus Antiochiæ, ductâ Constantia relicta Raimundi Principis, quem Turci eodem anno, quo Rex Francorum Ludouicus de Hierusalem rediit, occiderant, contra eosdem Turcos viriliter agens, tria castella illis abstulit, quæ fuerant Christianorum. B

CIRCA Kalend. Octobris Henricus Dux Normannorum, sopita aduersa valitudine, Deo miserante, qua periculosè laborauerat, accitus à Rege Francorum cum exercitu perrexit in Vilcassinum, & pacificauit cum Rege Gocelinum Crispinum. Inde rediens obsedit Torineium ferè per XV. dies, incipiens ibi tria castella. Reddito castello, & pacificato RICARDO filio Comitis, qui illud municipium tenuerat, audito veridico nuncio de morte Stephani Regis Anglorum, locutus cum matre sua Imperatrice, conuocatísque fratribus suis Gaufrido & Vvillelmo, & Episcopis & Optimatibus Normanniæ, venit Barbefluuium, & ibi per vnum mensem expectauit ventum opportunum ad transfretandum. Obierat enim Kalend. octaua Nouembris Stephanus Rex Anglorum, cuius corpus tumulatum est in Monasterio Fasseham, quod Mathildis vxor eius ædificauerat: vbi ipsa, & filius eius primogenitus Eustachius sepulti sunt. C

*Quæ sequuntur vsque ad annum 1169. ex Roberto Abbate descripta sūt.

*OBIIT VI. Kalend. Decembris, Anastasius Papa Romanus, & successit Nicolaus Episcopus Albanensis. Moritur & Gillebertus Episcopus Pictauensis, vir religiosus & multiplicis doctrinæ, qui Psalmos, & Epistolas Pauli luculenter exposuit. Ludouicus Rex Francorum gratiâ orationis perrexit ad sanctum Iacobum de Gallicia, & ab Imperatore Hispaniarum socero suo fauorabiliter in Hispania susceptus est. Henricus Dux Normannorum VII. Idus Decembris in Angliam transfretans, cum magno tripudio Clericorum & laicorum exceptus est. XIV. Kalend. Ianuarij, die Dominica ante Natiuitatem Domini apud Vvestmonasterium ab omnibus electus, & in Regem vnctus est à Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi. Affuerunt etiam Episcopi omnes Anglici regni, Rogerius Archiepiscopus Eboracensis, Ricardus Episcopus Londoniensis, Robertus Lincolniensis, Galterus Cestrensis, Gillebertus Herefordensis, Robertus Battensis, Ioannes Vvintoniensis, Robertus Exoniensis, Hilarius Cicestrensis, Gocelinus Saleberiensis, Galterus Rofensis, Nigellus Heliensis, Vvillelmus Norvvicensis, Hugo Dunelmensis, Adelulfus Carluilensis. Affuerunt & de Normannia, vir religiosus ac timens Deum venerabilis Hugo Archiepiscopus Rothomagensis filius Al. Philippus Baiocensis, Arnulfus Lexouiensis, Herbertus Episcopus Abrincensis. Affuerunt Comites regni illius, & de regno Francorum Theodericus Comes Flandrensis, & alij plures. Facta est eclypsis Lunæ die Dominica ante Natalem Domini. D

1154. MCLIV. Rex Henricus cœpit reuocare in ius proprium vrbes, castella, villas, quæ ad Coronam regni pertinebant, castella nouiter facta destruendo, maximè Flandrens. & deponendo quosdam imaginarios & pseudo Comites, quibus Rex Stephanus omnia penè ad fiscum pertinentia minùs cautè distribuerat. Factus est terræmotus XV. Kalend. Martij, maximè in Burgundia, adeo vt ter in nocte festiuitatis sanctæ Priscæ virginis sentiretur apud Cluniacum, & quoddam castellum, quod erat desertum, haud procul à Cluniaco * situm, absorbtum iret in abyssum, & spacium, in quo castellum fuerat, re-

*al. Duniaco.

A plereturaquà inæstimabilis profunditatis. Natus est Lundoniæ pridie Kal. Martij feria II. filius Henrico Regi Anglorum ex vxore sua Alienor, & vocatus est HENRICVS. Henricus Rex Anglorum exhereditauit Vuillelmum Peneel de Nottingeham causâ veneficij, quod fuerat propinatum RANVLFO Comiti Cestriæ in consortio eius. Huius pestis plures participes & conscij extitisse dicuntur. HENRICVS II. 1154.

HOC anno frequenter terræmotus per totam Quadragesimam accidit in Burgundia, & Longobardia. XVIII. Kal. Maij, feria V. etiam apud Montem sancti Michaëlis terræmotus factus est ante solis ortum. Mortuo Roberto Exoniensi Episcopo, successit Robertus Decanus Salesberiæ. Dominica post octauas Paschę, videlicet IV. Idus Aprilis, Henricus Rex apud Vuarengefort fecit Optimates Anglici regni iurare fidelitatem VVILLELMO primogenito suo de regno Angliæ, & si idem puer immatura morte occumberet, Henrico fratri suo. Sopita discordia, quæ erat inter Regem Anglorum Henricum, & Rogerium filium Milonis de Glocestria, propter turrem Glocestriæ. HVGO DE MORTVO-MARI vir arrogantissimus, & de se præsumens muniuit castella sua contra Regem. Ilico Rex Henricus obse-
B dit omnia castella ipsius, id est Burgam, Vvigemoram, & Deobens, quorum vltimum post aliquantum temporis cepit & destruxit. XV. Kal. Iulij, prima hora noctis, eclypsis Lunæ accidit. Mense Iulio, Nonis eiusdem, Hugo de Mortuo-mari pacificatus est cum Rege Henrico, redditis castellis Brugæ, Vvigemoræ. Manerius Abbas Maioris-monasterij moritur, & succedit Robertus natione Brito. Mortuo Rogerio filio Milonis de Glocestra, Comite Herefordensi, successit ei Gauterius frater eius in paternam hereditatem tantùm. Nam Comitatum Herefort, & ciuitatem Glocestræ Rex Henricus detinuit in manu sua.

FEDERICVS Rex Alamannorum Romam perrexit; & ab Adriano Papa contra Romanorum voluntatem receptus est, & in Ecclesia beati Petri in Imperatorem ab eo consecratus est. Volens autem vltrà progredi, scilicet in Apuliam (condixerant enim per legatos suos ipse & Manuël Imperator Constantinopolitanorum, vt venientes ex diuersis partibus pessumdarent regnum Apuliæ, & Regem eius Vuillelmum) mutata protinus voluntate in patriam suam se recepit. Nec tamen Vuillelmo Regi Apuliæ bellum defuit. Nam Robertus Comes de Baseuilla, qui
C erat cognatus eius, & Ricardus de Lingen. Comes Andriæ, putantes Regem mortuum, cùm non esset (ægrotauerat enim, sed tamen postea conualuit) per regnum Apuliæ grauiter debacchati sunt.

CIRCA festum sancti Michaëlis Henricus Rex Anglorum, habito concilio apud Vuincestriam, de cọnquirendo regno Hiberniæ, & Guillelmo fratri * suo dādo, cum Optimatibus suis tractauit. Quod quia matri eius Imperatrici non placuit, intermissa est ad tempus illa expeditio. Henricus Episcopus Vvintoniensis clam præmisso thesauro suo per Abbatem Cluniacum, absque licentia Regis, & quasi latenter recessit ab Anglia. Ideò Rex Henricus omnia castella eius pessumdedit. * f. filio.

MCLV. HENRICVS Rex transfretaturus apud Douram mare intrauit apud Vvisant, in Purificatione sanctæ Mariæ fuit Rothomagi, & in sequenti hebdomada locutus est cum Rege Francorum Ludouico, in confinio Normanniæ & Franciæ. Inde rediens Rothomagum, venerunt ad eum Terricus Flandrensium Comes, & vxor eius amita ipsius Regis, & Gaufridus frater eius. Sed Gaufrido non suscipiente ea, quæ illi à Rege offerebantur, recessit in Andegauensem pagum, & Rex Hen-
D ricus e uestigiò subsecutus est illum. 1155.

CIRCA hoc tempus, inundatione Tiberis facta non modica Romæ, in quadam insula eiusdem fluminis, in Ecclesia antiqua inuentum est in quodam sarcofago corpus beati Bartholomæi Apostoli, totum integrum, excepto corio, quod remansit Beneuenti, quando Otho Imperator capta eadem ciuitate corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut duæ tabulæ æreæ demonstrant, sculptæ literis Græcis & Latinis, quæ repertæ fuerunt cum corpore Apostoli. Repertum est etiam in eadem Ecclesia corpus Paulini Nolani Episcopi.

GAVFRIDVS frater Regis Henrici Anglorum, expulso HOELLO Comite Britanniæ, cepit Nanneticam ciuitatem, consentientibus ciuibus. Guillelmus verò Rex Siciliæ ciuitatem Barum funditus euertit, præter Ecclesiam sancti Michaëlis, quia ciues illius Gręcis fauentes nequissimè contra ipsum conspirauerant. Græcos

HENRICVS II. terra & mari idem Rex superauit,& de spoliis eorum locupletatus est, & ea quæ A
perdiderat castella & ciuitates in ius proprium reuocauit. Exheredauit etiam Co-
1155. mitem Robertum de Barseuilla cognatũ suum,quia ab ipso desciuerat.Nihilominus cum Papa Adriano pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum regni sui & Ducatus,sicut eas habuit antiquitus Ecclesia Romana : vnde discordia fuerat inter patrem suum Rogerium,& Innocentium & Eugenium Romanos Pontifices.Idem verò Apostolicus concessit ei regnum Siciliæ,& Ducatum Apuliæ,ac Principatum Capuæ.

IN octauis Pentecostes,Hugo Rothomagensis Archiepiscopus, & Robertus Eboracensis,& Ricardus Constantiensis,& Herbertus Abrincatensis Episcopi, apud Moretonium leuauerunt corpus beati Firmati.In pago Parisiacensi, Cappa Saluatoris nostri,Monasterio Argentolio reuelatione Dei reperta est,inconsutilis,& subruffo colore , quam , sicut literæ cum ea repertæ indicabant,gloriosa mater illius fecit ei,cùm adhuc esset puer. III. Kal. Iulij feria IV. vigilia Ascensionis Domini B
circa meridiem,per dimidiam ferè horam circulus maximæ latitudinis apparuit in circuitu solis, ignei & cerulei coloris. Obiit Vuillelmus primogenitus filius Henrici Anglorum Regis,& sepultus est Radingis ad pedes Henrici Regis proaui sui. Obiit Nicolaus Adelulfus primus Episcopus de Carloil. Obiit etiam Gillebertus de Gant,& Simon iuuenis filius Comitis Simonis, cùm careret terra, dono Regis Henrici accepit filiam eius vnicam cum honore eius.

HENRICVS Rex Anglorum cepit castrum Mirebellum, & Chinonem longa obsidione. Lodunum verò est ei redditum,quando pacificatus est cum eo Gaufridus frater eius,hac cõditione interposita, quod Rex daret ei singulis annis mille libras Anglicæ monetæ,& duo millia librarum Andegauensium. Et ita Deo fauente, discordia,quæ diu durauerat inter eos,mense Iulio sopita est. Mortuo Alano Episcopo Redonensi successit ei Stephanus Abbas sancti Florentij , vir literatus & eloquens.Obiit etiam Ingelbaudus Archiepiscopus Turonensis, & successit ei Gotho Brito Episcopus sancti Brioci. Conanus Comes de Richemont veniens de Anglia in minorem Britanniam,obsedit vrbem Redonensem,& cepit,fugato Eudone Vicecomite vitrico suo. C

HOC anno fulgura & tempestates mense Iulio frequenter in Normannia acciderunt,vnde in pluribus locis messis periit,& homines fulgurati interierunt. Obsequuta est abundantia pluuiæ,quæ cœpit medio mense Augusti, quæ impediuit & collectionem messium,& subsequentem seminum sparsionem.Ex qua iugi inundatione pluuiarum,quæ diu durauit,multæ turres,& Ecclesiæ, antiquæ maceriæ, in Normannia & in Anglia corruerunt. RADVLFVS DE FVLGERIIS cepit in quodam conflictu EVDONEM Vicecomitem de Porhoet, & hac de causa maior pars Britannorum receperunt Comitem CONANVM in Ducem Britanniæ, excepto Ioanne Dolensi,qui adhuc pro viribus Conano & coadiutoribus eius resistit.

FEDERICVS Imperator Alemannorum duxit filiam Comitis VVILLELMI Masconensis,& cepit cum ea ciuitatem Vesontionem, & alias multas, quas pater eius tenuerat de Duce Burgundiæ. Pars tamen illius honoris quędam remansit RAINALDO Comiti patruo eiusdem puellæ.

1156. MCLVI. Venerabilis PETRVS Cluniacensis Abbas VIII. Kal. Ianuarij ingressus est viam vniuersæ carnis. Guillelmus Rex Siciliæ nauali expeditione per D
Admiralios suos cepit Seuillam ciuitatem metropolim sitam inter Affricam & Babylonem.Est autem eadem ciuitas caput regni insulæ Gerp. in qua idem Rex habitatores immisit Christianos,& eis Archiepiscopum prępfecit. Sabbato infra octauas Paschæ in Abricatino,villâ,quæ vocatur Landa-aronis,circa meridiem quasi de terra emergens turbo maximus,quæque proxima inuoluit & rapuit : ad vltimum, quasi quędam columna rubei & cerulei coloris sub turbine ascendens in sublime stetit,& videbantur & audiebantur quasi sagittæ & lanceæ in ipsa columna defigi; licèt non appareret intuentibus quis eas agitaret. In turbine, qui stabat super columnam,apparebant quasi diuersæ species volucrum in eodem volitantium. Subsecuta est illico in eadem villa mortalitas hominum,inter quos & dominus villæ occubuit.nec solùm in illa villa,sed in multis locis Normanniæ, & finitimarum regionum,mortalitas hoc anno grassata est.

A MONACHI claustrales Cluniaci tumultuaria electione, imò intrusione, quendam semilaicum ROBERTVM GROSSVM cognatum Comitis Flandriæ, pro parentela sua elegerunt: reclamantibus maturioribus viris & honestis personis, quæ de eodem Monasterio ad pastoralem curam assumptæ fuerant. Obiit Girardus Episcopus Sagiensis. Henricus Rex Anglorum post octauas Paschæ apud Barbe-fluuium transiuit in Angliam, & Malchomus Rex Scotorum reddidit ei quicquid habebat de dominio suo, id est ciuitatem Carluith, castrum Baemburch, Nouumcastrum super Tinam, & Comitatum Lodouensem: & Rex reddidit ei Comitatum Huntedoniæ. Similiter GVILLELMVS filius Stephani, qui Comes erat ciuitatis Constantiarum, id est Moretonij, & in Anglia Comes Surreiæ, id est de Vvarenna, propter filiam tertij Guillelmi de Vvarenna, quam duxerat, reddidit ei Penneuesel & Norvvich, & quicquid tenebat de corona sua, & omnes munitiones proprias tam in Normannia quàm in Anglia: & Rex fecit ei habere quicquid Stephanus pater eius habuit in anno & die quo Rex Henricus auus eius fuit viuus & mortuus. HENRICVS II. 1156.

B HVGO BIGOTVS castella sua Regi reddidit.

TERRICVS Comes Flandrensis, & vxor eius amita Henrici Regis Anglorum, perrexerunt Hierusalem, & dimiserunt Philippum filium suum & totam terram suam in manu Henrici Regis Anglorum. Circa festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ Rex Henricus præparauit maximam expeditionem, itaut duo milites de tota Anglia tertium pararent ad opprimendum Galenses. Terra & mari Agareni ciuitatem Almariam in Hispania super Christianos, quam amiserant, obsidentes, cum nonnullis castellis iterum ceperunt, fugato Anfonso Imperatore Hispaniarum. Mors ipsius Imperatoris subsecuta est præ dolore & pudore eiusdem fugæ, & discordia inter filios suos facta est.

DEPOSITO Roberto Abbate Cluniacensi, & mortuo, & sociis suis, in reditu à Roma, HVGO Prior claustrensis factus est Abbas Cluniacensis. Ruptis induciis, quæ erant inter Balduinum Regem Hierosolymitarum, & Coradim filium Sanguim Regem Alapiæ, propter prædam Sarracenorum, quam Rex Balduinus inconsultè ceperat, pagani obsederunt ciuitatem Abilinam, quæ antiquitus dicta fuit Cæsarea Philippi, & omnes vicos destru-

C xerunt, præter principalem munitionem. Sed tandem aduentu viuificæ crucis, & exercitu Christianorum, recedentibus perfidis ad tempus; iterum venerunt, & Regem Balduinum, qui iam copias sui exercitus diuiserat, nihil minus quàm insidias sperantem imparatum inuenerunt, & trucidatis multis ex militibus Templi, qui solùm cum eo remanserant, idem Rex vix cogi potuit vt recederet. Hunc casum Christianorum terræmotus subsecutus est, maximè in transmarinis partibus. Stolus etiam Admiralij Babyloniæ per mensem vnum obsedit Acaron: cùm anno præterito & de Babylone, & de Damasco, Rex Hierusalem habuisset tributum.

ALMARICVS Comes Ioppæ, frater Regis Balduini duxit filiam Gosselini de Torueisel, qui quondam fuerat, antequam eam Agareni cepissent, Comes Rages, quam moderni nunc Rohais vocant. Henricus Rex Angliȩ subiectis ad libitum Vvalensibus, & restitutis terris & munitionibus Baronibus suis, quas tempore Stephani Regis Vvalenses super eos ceperant; extirpatis

D nemoribus, & viis patefactis, castrum * Reuelent firmauit, & dedit illud Hugoni de Bellocampo, & aliud castrum, scilicet Vasingeuuerche, & inter hæc duo castra vnam domum militibus Templi. Mense Septembri natus est Henrico Regi Angliæ filius, & vocatus est RICARDVS. *f. Rodolent.

MCLVII. FEDERICVS Imperator Alemannorum post Pascha transiens Alpes obsedit vrbem nobilissimam Mediolanum, & post longam obsidionem reddita vrbe, & obsidibus datis, processit vlteriùs ad oppressionem si posset Vvillelmi Regis Siciliæ. Mortuo Rege Senche maiore Hispaniarum, successit ei filius natus ex filia Regis Garsiæ Nauarorum. Moritur etiam Gaufridus Archiepiscopus Burdigalensis, vir religiosus, & verbi Dei seminator egregius. Decessit nihilominus Thebaldus Episcopus Parisiensis in festiuitate sancti Ioannis Baptistæ. 1157.

HENRICVS II. 1157. REX Anglorum Henricus militaribus armis accingit apud Carluid Vvillelmum filium Regis Stephani, Comitem Moritonij & de Vvarenna, quem Comitatum habuit propter filiam Vvillelmi Comitis de Vvarenna, quam duxerat. Qui Vvillelmus mortuus fuerat in expeditione Hierosolymitana. Mortuo Gaufrido Comite Nannetensi fratre Henrici Regis Anglorum mense Iulio, Henricus Rex mense Augusto transfretauit in Normanniam, & loquutus est cum Francorum Rege Ludouico super Eptam de pace & de matrimonio contrahendo inter filium suum Henricum, & filiam Regis Francorum Margaretam: & præstitis hinc inde sacramentis, Rex Anglorum venit Argentomagum, & in festo Natiuitatis beatæ Mariæ ibidem iussit submoneri exercitum totius Normanniæ; vt essent apud Abrincas in festiuitate sancti Michaëlis, ituri super Conanum Ducem Britanniæ, vt redderet Regi ciuitatem Nanneticam, quam inuaserat. Exinde Rex euocatus à Rege Francorum cum paucis venit Parisius, & inæstimabili honore à Rege Ludouico, & à Constantia Regina, & à Proceribus regni exceptus est: gaudentibus Francis de pace duorum Regum; & de aduentu tanti hospitis tripudiantibus. Ipse autem magnificè & dapsiliter se agens circa omnes; & maximè circa Ecclesias & pauperes Christi, nusquam in alia Ecclesia cum processione voluit suscipi, licet à Rege Francorum, imò penè ab omnibus & precibus & obsecrationibus, vt id ageret vrgeretur. Inde rediens, filiam Regis Francorum secum adduxit, & eam ad custodiendum & nutriendum Roberto de Nouoburgo fideli suo tradidit. Mense Septembri, IX. Kal. Octobris natus est filius Henrico Regi Anglorum, & vocatus est GAVFRIDVS.

IN festiuitate sancti Michaëlis venit Conanus Comes Redonensis & sui Britanni cum eo ad Abrincas, & reddidit Regi vrbem Nannetis, cum toto Comitatu, valente vt fertur XL. mil. solid. Andegau. monetæ. Inde venit Rex ad montem sancti Michaëlis, & audita Missa ad maius altare, concessit Ecclesias Pontis Vrsonis sancto Michaëli & Abbati & Monachis eiusdem loci, præsente ROBERTO Abbate, & Rannulfo Priore, & pluribus aliis. Ipsa die perrexit ad Pontem Vrsonis, & diuisit ibi ministris suis, & ordinauit quomodo castrum illud reædificarent. Inde descendens cum manu armata, perrexit ad recipiendam vrbem Nannetis. Qua accepta & disposita ad libitum, paucis interpositis diebus cum innumerabili exercitu tertia feriâ obsedit castrum Toarcij, & sequenti feria eiusdem septimanæ cepit. Post aliquantum temporis perrexit obuiam Ludouico Regi Francorum venienti gratiâ orationis ad Montem sancti Michaëlis in periculo maris, quem, ex quo intrauit in Ducatum Normanniæ, deduxit, & suis impensis decentissimè procurauit. In festiuitate verò beati Clementis, die Dominica, venerunt vterque Rex ad montem beati Michaëlis Archangeli, & cum magno tripudio tam cleri quàm populi itum est Regi Francorum obuiam. In ipsa autem processione, excepto Conuentu Monachorum, & Clericorum, & plebe innumera, fuerunt duo summi Pontifices, vnus Archiepiscopus, & alter Episcopus, & quinque Abbates. Audita Missa, redierunt Abrincas, deducente illum Rege, & innumeris regiis muneribus tam illum quàm suos vsque ad finem sui Ducatus prosequente.

MENSE Decembri, concordati sunt Rex Henricus, & Comes Blesensis. Theobaldus redddidit Regi duo castra, Ambaxium, Fractam-vallem, & ROTROCVS Comes Moritonię sororius eius (siquidem vnam sororem eius ODO Dux Burgundiæ, aliam prædictus Comes Retrocus, qui Vsitatius dicitur Comes Perticensis, tertiam Vvillelmus Goët) hîc, inquam Retrocus reddidit Henrico Regi duo castella, Molinas, & Bonum-molinum, quæ erant dominica Ducis Normanniæ: sed post mortem Regis Henrici Retrocus Comes pater huius Retroci occupauerat ea. Rex autem Henricus concessit eidem Retroco Bellissimum castrum, & ille fecit Regi propter hoc homagium.

EODEM anno inuenta sunt corpora trium Magorum, qui Saluatorem nostrum infantem adorauerunt in Bethleem, in quadam Capella iuxta vrbem Mediolanum: & pro timore Federici Imperatoris Alemannorum, qui eam vrbem veniebat obsidere, leuata, & in ciuitate posita. Balduinus Rex Hieroso-

A lymis cepit super paganos Cæsareā magnam Palestinæ, haud procul sitam ab Antiochia. Cepit etiam castrum Harenc,& commendauit Rainaldo de S. Vualerico. HENRICVS II. 1158.

MCLVIII. Rex Henricus egit solemnitatem Natalis Domini cum Regina Alienor apud Cæsaris-burgum, quæ paulo ante transfretauerat in Normanniam. Henricus Rex Anglorum, & RAIMVNDVS Comes Barcinonum apud castrum Blauiam amicitiæ fœdus datis sacramentis hoc pacto inierunt. Ricardus filius Regis filiam Comitis tempore opportuno esset ducturus, & Rex Ducatum Aquitaniæ illis, exactis nuptiis, concessurus. Siquidem hic Raimundus est vir præpotens & diues, vt pote qui regnum Aragonum habeat ex hereditate coniugis suæ, ex paterna autem hereditate Comitatum ciuitatis Barcinonæ. Vt enim aliquantulum ad transacta redeamus, Sanctio Rex Arragonum genuit tres filios, qui sibi vicissim successerunt, Sanctionem, Anfonsum, Remelium. Duobus verò primogenitis sibi inuicem succedentibus, & absque filiis decedentibus, ne regnum illud ab extraneis occuparetur, Remelium Monachum etiam iam senem licentiâ Romani Pontificis à B Monasterio abstractum Regem fecerunt; & vt hæredem haberet, Mathildem matrem Vuillelmi Vicecomitis] Thoarci illi associauerunt, ex qua genuit vnam filiam, quam Raimundus prædictus Comes duxit, de qua nata est ista puella, quam filio Regis diximus copulandam, & filius eius primogenitus Aragonum Rex futurus. Siquidem ipse Comes, quamuis haberet regnum Aragonum, vt posset Rex fieri si vellet, omninò recusauit, regnum reseruans filio suo, quod accidebat ei ex materna genealogia.

HOC etiam anno & præcedenti Federicus Imperator Alemannorum vrbem Mediolanensem obsidet, quia rebellauerunt aduersus eum Mediolanenses. Idem Rex Papiæ & Placentiæ turres deiecit, & fere omnem Longobardiam ad libitum sibi subiecit.

MEDIANTE autem Quadragesima, Rex Fecit submoueri exercitū totius Normanniæ, Angliæ, Aquitaniæ, & ceterarum Prouinciarum quæ sibi subditæ sunt, quia RAIMVNDVS Comes sancti Egidij nollet ei reddere ciuitatem Tolosæ, quam Rex requirebat sicut hereditatem vxoris suæ Alienor Reginæ. C Siquidem Robertus Comes Moritonij vterinus frater Vuillelmi Regis, qui regnum Angliæ subiugauit, habuit vnum filium Vuillelmum, qui ei successit, & apud Tenerchebrai à Rege Anglorum primo Henrico in bello captus est, & tres filias, quarum vnam duxit Andreas de Vitreio, aliam Guido de Laual, tertiam Comes Tholosanus frater Raimundi Comitis sancti Egidij, qui in expeditione Hierosolymitana viriliter se habuit. Genuit autem ex ea Comes Tholosanus vnam solummodo filiam, quam GVILLELMVS Comes Pictauensis & Dux Aquitanorum, mortuo patre prædictæ puellæ, cum hereditate propria, scilicet vrbe Tholosa & Comitatu Tholosano duxit vxorem. Ex qua genuit idē Guillelmus filium Guillelmū nomine, qui ei successit, qui pater fuit Alienor Reginæ Anglorū. Si quis autem requirit quomodo Comes sancti Egidij habuit ciuitatē Tolosam, nouerit quòd prędictus Vuillelmus Comes Pictauensis & Dux Aquitanorum inuadiauit eandem ciuitatē Raimundo Comiti sancti Egedij patruo vxoris suæ, propter pecuniā, quam idem Guillelmus in expeditione Hierosolymitana expendit. Vnde idem Raimundus in libro eiusdem expeditionis nunc Comes sancti Egidij, nunc Comes Tolosanus vocatur. D Quo mortuo, habuit eādem vrbem ANFONSVS filius eius, qui apud Hierusalē mortuus est eodem tempore, quo Ludouicus Rex Frācorum gratiâ orationis illuc perrexerat. Similiter RAIMVNDVS filius eius, qui ei successit, qui habuit in coniugio CONSTANTIAM sororem Ludouici prædicti Regis Francorum, relictam scilicet Eustachij Comitis filij Stephani Regis Anglorum. Rex igitur Henricus iturus in expeditionem prædictam, & considerans longitudinem & difficultatē vię, nolens vexare agrarios milites, nec burgēses, nec rusticos, sūptis LX. solidis Andegauēsiū in Normānia de feudo vniuscuiúsq. loricę, & de reliquis omnibus tam in Normannia quàm in Anglia, siue etiā aliis terris suis, secūdū hoc quod ei visū fuit, capitales Barones suos cū paucis secū duxit, solidarios verò milites innumeros. Ad illā verò expeditionē cū reliquis trāsmarinis venit MALCOMVS Rex Scotiæ, & à Rege Henrico cingulo militiæ ibidē accinctus est. Durauit autē expeditio illa ferè per tres menses,

HENRICVS II. 1158. Et quamuis Rex Henricus cœpisset vrbem Cadurci, & maior pars Ducatus Tholosani sibi esset subdita vi vel timore; vrbem tamen noluit obsidere, deferens honorem Ludouico Regi Francorum, qui eandem vrbem contra Regem Henricum munierat, & die ac nocte volens ferre auxilium Raimundo sororio suo custodiebat. Vnde graues inimicitiæ inter ipsum & Regem Anglorum ortæ sunt, cùm videret sibi Regem Francorum nocere, de cuius auxilio plurimùm confidebat. Remisit itaque Rex Henricus Comitem Theobaldum, qui ei fauebat, vt inquietaret regnum Franciæ. Sed Henricus Episcopus Beluacensis, & Comes Robertus dominus Dorcassini castri, fratres Regis Francorum, eidem restiterunt, & in margine Ducatus Normanniæ aliquos flamma & rapina vexauerunt; Normannis sibi talionem reddentibus. A

MENSE Iulio Robertus de Nouoburgo Dapifer & Iustitiarius Normanniæ aduersa valitudine coactus gibbum cameli deposuit, videlicet innumeras diuitias Ecclesiis & Monasteriis & pauperibus diuidens. Ad vltimum in Monasterio Becci, quod præ omnibus diligebat, habitum Monachi sumens, per vnum mensem ibi pœnitentiam fructuosam egit, & III. Kalend. Sept. hominem exiit, sepultus in Capitulo Becci, quod ipse propriis sumptibus mirificè ædificauerat. B

MORTVO venerabili Milone Episcopo Taruanensi, electus est Milo eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus, Canonicus Regularis, sicut decessor eius fuerat. Quem cùm Samson Archiepiscopus Remensis vellet sacrare, Clerici ciuitatis Boloniæ, qui diu sub Episcopo Taruanensi fuerant, volentes amodo suum proprium Episcopum habere, sicut antiquitus habuerant, prohibuerunt Archiepiscopum sub appellatione Apostolica, ne eum sacraret, nisi tantummodo ad Ecclesiam Taruanensem. Quod prædictus electus refutans, insacratus contra illos Clericos Romam perrexit, & ibi sacratus est. Magister Bernardus Brito Cancellarius Ecclesiæ Carnotensis, factus est Episcopus Cornubiæ in minori Britannia. Magister etiam Petrus Lombardus Parisiensem Episcopatum adeptus est, conniuente Philippo eiusdem Ecclesiæ Decano fratre Regis Francorum, qui, vt dicunt, electionem suam concessit eidem Petro.

KAL. Septembris, mortuo Adriano Papa, electi sunt duo, & consecrati, Rollandus Cancellarius Prestyter Cardinalis tituli sancti Marci, vir religiosus vocatus ALEXANDER III. Papa videlicet CLXXIV. & Octauianus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Mariæ in Cosmidin, dictus VICTOR III. Hic per potentatum & parentes suos nobiles Papatum inuasit. C

FROGERIVS Regis Eleemosynarius factus est Episcopus Sagiensis. Galterius Episcopus Cistrensis obiit. Obiit etiam Episcopus Robertus Exoniensis, vir religiosus & timens Deum. TERRICVS Comes Flandrensis rediit de Hierusalem, & vxor eius MABIRIA remansit cum Abbatissa sancti Lazari de Bethania, inuito coniuge suo.

MENSE Octobri Henricus Rex Anglorum, munita ciuitate Cadurcorum, & commendata Thomæ Cancellario suo, & dispositis custodibus & auxiliariis in locis opportunis, confidens de auxilio Raimundi Berengarij Comitis Barcinonæ, & Trecheuel Comitis Nemausi, & Vvillelmi de Montepessulano, & aliorum sociorum fidelium, rediit in Normanniam. Inde perrexit cum valida manu in pagum Beluacensem, & destruxit munitissimum castellum Guerborei, excepta quadam firmitate, quam ne caperent homines regij, ignis & fumus prohibuit: villas multas combuxit & destruxit. SIMON Comes Ebroicensis tradidit Henrico Regi Anglorum firmitates suas, quas habebat in Francia, scilicet Rupemfortem, Montemfortem, Espernonem, & reliquas. Quod magno detrimento fuit Regi Francorum, cùm non posset liberè procedere de Parisius Aurelianis vel Stampis propter Normannos, quos Rex Henricus posuerat in castris Comitis Ebroicensis. Hac de causa treuiæ captæ fuerunt inter duos Reges à mense Decembri vsque ad octauas Pentecostes. In reditu expeditionis Tolosæ mense Octobri obiit Guillelmus Comes Moritonij. Decessit autem absque liberis, & retinuit Henricus Comitatum in manu sua. D

1159. MCLIX. Rex Henricus egit Natiuitatem Domini cum Regina Alienor apud Falesiam. Exinde eadem Regina transfretauit in Angliam. Kal. Ianuarij terræmo-

tus

A tus accidit in pago Constantino, castro sancti Laudi, circa horam primam. Harduinus Decanus Cenomanensis factus est Episcopus Burdegalensis, cùm decessor ei⁹ vix anno, & dimidio vixisset. Mathilde Imperatrice aduersa valetudine percussa, dapsiliter præeunte consilio filij sui HENRICI Regis Anglorum, diuitias suas Ecclesiis, Monasteriis, & pauperibus distribuit. Ecclesia Baiocensis igne combusta. Philippus Episcopus in eius restauratione iterum viriliter laborat. HENRICVS II. 1159.

MAIO mense pax facta est inter Regem Henricum Angliæ, & Ludouicum Fräciæ, desolutis * prioribus pactis, confirmatis & pacificatis, qui partes vtrorũ adiuuerunt. MATHEVS filius Comitis Flandriæ inaudito exemplo duxit Abbatissam Romesiæ, quæ fuerat filia Stephani Regis, & cepit cum ea Comitatum Boloniæ. *al. renouatis.

MENSE Iulio, Henricus Rex Anglorum congregauit omnes Episcopos Normanniæ, & Abbates & Barones apud Nouum-mercatũ, & Ludouicus Rex Francorum adunauit suos Beluaci: & ibi tractatum est de receptione Papæ Alexandri, & refutatione Victoris, & consenserunt Alexandro, reprobato Victore.

B MENSE Septẽbri obiit Herbertus Episcop⁹ Abrincatensis, & sepultus est in Ecclesia B. Mariæ Becci, sicut prædecessor eius Ricardus de Bello-fago. Prædicto mẽse Regina Anglorum Alienor trãsfretauit in Normanniam iussu Regis, adducẽs secũ Hẽricum filiũ suum, & filiam Mathildẽ. Mortuus est PHILIPPVS filius Ludouici Regis Francorum, Decanus sancti Martini Turonis. Mortua est Constantia Regina Franciæ labore partus, superstite filiâ, cuius causa mors sibi acciderat.

MENSE Octobri Rex Anglorum & Rex Francorum collocuti, pactũ pacis mutuæ confirmauerunt, & Henricus filius Henrici Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorũ de Ducatu Normanniæ, qui est de regno Franciæ. Paucis interpositis diebus Ludouicus Rex Francorũ duxit filiam Comitis Theobaldi senioris. Nec mora Henrico filio Henrici Regis Anglorum desponsata est apud Nouumburgũ Margareta filia Regis Ludouici Franciæ. Et Henricus Rex Anglorum fecit tria castella munitissima, scilicet Gisorz, Niafliam, Nouumcastellum, sita super fluuium Eptæ in confinio Normãniæ & Franciæ: quia pepigerant inter se ipse & Rex Fräcorũ, inito matrimonio filiorũ suorũ, Rex Henricus haberet illas munitiones, quæ C ad Ducatũ Normanniæ pertinẽt. Quo audito, Rex Fräciæ grauiter tulit, ipse, & sororij sui, scilicet Henricus, Theobaldus, & Stephanus. Exinde ij tres Comites, coadunatis viribus suis, cœperũt firmare munitionẽ Caluimontis, quæ erat de feudo castri Blesensis, vt exindè pagum Turonicum infestarent. Rex verò Hẽricus, quia illud castrũ erat de casamento HVGONIS filij SVPPLICII DE AMBASIA, quod tenebat de Comite Theobaldo, caput autẽ sui honoris, scilicet Ambasiam, tenebat de Rege Henrico, Rex, inquam percepto exinde nuncio, non expectatis sociis suis, illuc properauit, volens impedire opus illius castri, per quod licentiùs, si perfectum esset, discurreretur per terram suam. Audito autem aduẽtu Regis Anglorum, Theobaldus discessit à Caluomonte, munita firmitate, & custodibus dispositis. Rex verò Henricus obsedit prædictum castrum, & illico cepit, in quo erant XXV. milites, & LXXX. seruientes, & reddidit Hugoni de Ambasia, qui aduersabatur pro posse suo Comiti Theobaldo, quia in carcere prædicti Comitis Sulpicius ipsius Hugonis pater nequiter extinctus fuerat. Exinde Rex Henricus munitis turribus Ambaziæ & Fractæ vallis, & dispositis custodibus, egit festum Natalis Domini cum Alie- D nor Regina, Cenomannis.

MCLX. HENRICVS Rex munitiones Comitis Mellenti, & aliorum Baronum suorum in Normannia, in manu sua cepit, & fidelibus suis cõmendauit. In margine etiam Ducatus Normanniæ ferè omnia sua castella, & maximè Gisorz, meliorauit, vel renouauit. Parcum, & mansionẽ regiam fecit iuxta fustes plantatos apud Cheruleium iuxta Rothomagum. Domum Leprosorũ iuxta Cadomũ mirabilem ædificauit. Castellum etiam in villa, quæ Amandiuilla, super Viræ fluuium ædificauit. Alchadus * Abbas sancti Victoris Parisius factus est Episcopus Abrinc. 1160. *al Achardus.

IN Capite Ieiunij apud Cenomanis, Hugo Archiepiscopus Dolensis cæcitate debilitatus, præsentibus Hẽrico Rege Anglorũ, & duobus Legatis Romanę Ecclesię, Hẽrico de Pisis, & Guillelmo de Papia, reddidit Archiepiscopatũ, quẽ ferè per VI. annos tenuerat, & in cuius reparatione plurimùm laborauerat. Theobaldus Archiepiscopus Cantuariæ II. feria Paschæ obiit. Post Pascha Rex Anglorum Henricus,

Henricus II. & Ludouicus Rex Francorum, primo in Vilcasino, postea in Dunensi pago, instigante eos ad discordiam Comite Theobaldo, congregatis exercitibus suis, alterutrum terras suas defendendo, ferè in comminus venerunt. Indè, datis induciis, post festum sancti Ioannis, Henricus Rex anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia quæ strenuè gessit, Castellionem supra vrbem Agennum, castrum scilicet natura & artificio munitum obsedit, & infra vnam septimanam festiuitate sancti Laurentij, admirantibus & perterritis Vvasconibus cepit. Regina Alienor apud Domnumfrontem filiam peperit, quam Henricus Presbyter Cardinalis & Legatus Romanæ Ecclesiæ baptizauit, & Achardus Episcopus Abrincensis, & Robertus Abbas de Monte sancti Michaëlis de Periculo maris, cum multis aliis de fonte susceperunt: & vocata est Alienor de nomine matris suæ. A

1161. MCLXI. Rex Henricus egit Natiuitatem Domini apud Baiocas. Mortuo Samsone Archiepiscopo Remensi, Henricus frater Regis Francorum Episcopus Beluacensis successit. Prima Dominica Quadragesimæ Rex Henricus congregauit Episcopos, Abbates, Barones totius Normanniæ apud Rothomagum: & querimoniā faciens de Episcopis, & eorum ministris, & Vicecomitibus suis, iussit vt Concilium Iuliæ bonæ teneretur. Iulia bona in Caletensi pago iuxta Sequanam est sedes regia, à dominis Normannorum multùm amata & frequentata. Hanc Iulius Cæsar, ex cuius nomine Iulia vocatur, condidit, destructa vrbe Caleto, ex cuius veteri vocabulo tota regio sita inter Sequanam & mare adhuc vocatur. B

Primvs Richardus Dux Normannorum, & secundus Ricardus filius eius apud Fiscannum leuati de tumulis suis in quibus separatim iacebant, post altare S. Trinitatis honestiùs ponuntur. Huic translationi Henricus Rex Anglorum interfuit, & Episcopi Normanniæ, & dedit illi Ecclesiæ siluam de Hogis.

Comes Robertus de Basceuilla aduersus Vvillelmum cognatū suum Regē Siciliæ rebellat in Apulia, & multis coadiutoribus secum adunatis, maiorem partē maritimarum ciuitatum sibi conciliat. Federicus Imperator Alemannorum vrbē Mediolanum, quam per tres annos obsederat, necessitate famis afflictā cepit, & destruxit, reseruatis tantummodo matrice Ecclesia & quibusdam aliis. Discordia inter regnum & sacerdotium adhuc perdurante propter scisma Octauiani, quem Rex Romanorū Federicus secum in Italia habebat; Alexander Papa Romanus confidēs de Regibus Francorū Ludouico, & Anglorū Henrico, qui deuotè semper Romanam Ecclesiā fouent & venerantur, ad Cismontanos marina expeditione circa Pascha venit, & apud Montempessulanū in Prouincia debita honorificentia susceptus est. C

Mortvo Balduino Archiepiscopo Burdegalensi apud Montempessulanum, dum ibi in Curia domini Papæ moraretur, Episcopus Latorenensis * ei successit. Fame & mortalitate cismontani maximè in Aquitania laborant. Rainaldvs de Castellione Princeps Antiochiæ, dum incautè in terram Agarenorum intrat, multis suorum occisis vel captis, ipsemet capitur. Mense Iulio in Britannia minori, scilicet in Recello, sanguis pluit, & de ripis cuiusdam fontis ibidem effluxit, necnon etiam de pane.

* al. Lactorensis.

Gvillelmvs Rex Siciliæ transiens de Sicilia in Apuliam cum magno exercitu, Roberto de Basceuilla fugato cum complicibus suis, ciuitates & castella, quę à se defecerant, recuperat. Leupus Rex Valentiæ & Musciæ, licet gentilis & Agarenus, munera ingentia in auro & serico, & in aliis speciebus, & in equis & camelis, mittit Henrico Regi Anglorū, grandia & ipse ab eodem recepturus. Raimundus Berengerius Comes Barcinonēsis, vir omnib. bonis plangēdus, moritur, relicto filio Anforsio, qui factus est Rex Arragonū, quod regnū ei acciderat ex materno genere. D

Federicvs Imperator Alemannorum, & Ludouicus Rex Francorū, cùm super fluuium Sagonam, qui antiquitus Arar vocabatur, de pace tractaturi conuenire debuissent, repēte mutato animo propter scisma Octauiani, cuius partes Imperator adiuuabat, infecto negocio ad propria redierunt. Exinde paruo spatio temporis interiecto, Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum super Ligerim apud Tociacum conuenientes, Alexandrum Papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris pedites dextrâ leuâque frenum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum papilionem perduxerunt. Quo mediante, Deo fauente, pax inter eos firma restituta est.

A HENRICVS Rex, ordinatis & compositis rebus & castellis suis in Normannia, & Aquitania, Andegauia, & etiam in Vasconia; in Aduentu Domini venit Barbefluuium, volens si posset transfretare ad Natale Domini. Sed vento prohibente egit Natale Domini cum Regina Alienor apud Cæsarisburgum. Manuel Imperator Constantinopolitanus duxit CONSTANCIAM filiam secundi Boadmundi vxorem, & Boadmundus tertius frater prædictæ puellæ factus est Princeps; vitrico suo in capite remanente RAINALDO. HENRICVS II.

MCLXII. Mense Ianuario Rex Henricus transfretauit in Angliam ipse & Regina, & cum magno gaudio susceptus est ab omnibus ferè proceribus, qui eum in littore expectabant. Iam enim Henricus filius eius præcesserat, & sicut in Normannia fecerat, sic in Anglia homagia & fidelitates Baronum & militum suscepit. Rotrocus Episcopus Ebroicensis, & Rainaldus de sancto Vualerico fecerunt in Normannia recognoscere iussu Regis, per Episcopatus, legales redditus & consuetudines ad Regem & Barones pertinentes. Philippus Episcopus Bajocensis moritur, qui fuit vir prudens & astutus in augmentandis & reuocandis rebus illius Ecclesiæ, & multum ibi profecit. Sed sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Bellum Roberti de Monteforti cum Henrico de Essessa, pro fuga prælij, contra Vualenses, in quo idem Henricus defecit: exhereditatus factus est Monachus Radingis. Vualenses subditi sunt Regi Henrico ad libitum. Malcomus Rex Scociæ fecit homagium Henrico filio Regis Anglorum, & dedit Regi obsides, scilicet Dauid fratrem suum iuniorem, & quosdam de filiis Baronum suorum, de pace tenenda, & pro castellis suis, quæ Rex volebat habere. 1162. B

MENSE Martio obiit tertius Balduinus Rex Hierusalem, vir per omnia plangendus, & successit ALMARICVS eius frater. Huic Balduino à superna clementia concessum est, vt Ascalonem caperet, & Agarenos expelleret, & seruitio diuino manciparet, quod nec Dauidi propter sanctitatem suam, nec Salomoni propter sapientiam & diuitias suas, nec Ezechiæ propter iustitiam suam, nec alicui Regum antea concessum fuerat. In octauis Pentecostes Alexander Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excómunicauit Octouianum cũ aliis scismaticis & cóplicibus suis.

C MCLXIII. Apud Rotomagum III. Kal. Februarij obiit Vuillelmus frater Regis Henrici, & sepultus est in Ecclesia sanctæ Mariæ. Circa octauas Paschæ Rex Hẽricus fecit dedicari Ecclesiam beatæ Mariæ de Radinges, & per tres dies regaliter procurauit Conuentum Monachorum, & hospites, data etiam dote non minima eidem Ecclesiæ. HAMELINVS naturalis frater Regis Henrici duxit Comitissam de Varenna relictam Vuillelmi Comitis Moritonij filij Stephani Regis. Hæc fuit tertij filia Vuillelmi de Varenna, qui cum Ludouico Rege Franciæ perrexit Hierusalem, & ibi obiit, superstite sola prædicta Comitissa. 1163.

VVALENSES fidem Henrico Regi non seruantes terras proximas latrocinando infestant, agente quodam Regulo eorum vocato RIS, & alio eiusdem peruersitatis homine nomine OENO prædicti Ris auunculo. RICARDVS DE HVMMET Connestabulus Henrici Regis, conuocatis Baronibus Normanniæ & Britanniæ, mense Augusto cepit castrum Combort in Britannia in manu Regis, quod Radulfus de Fulgeriis habuerat post mortem Ioannis de Dol. Eodem mense sanguis pluit in Rechel in Episcopatu Dolensi. Obiit venerabilis Hugo Archiepiscopus Rotomagensis IV. Idus Octobr. Hic vir magnæ literaturæ multa iocunde edidit, D viduis & orphanis & aliis pauperibus largus extitit. Rexit autem Ecclesiam Rothomagensem honestè & viriliter ferè annis XXX.

ALMARICVS Rex Hierusalem conductus ab Admiralio Babylonico, cum exercitu perrexit in adiutorium illius, liberare ciuitatem quandam ipsius nomine Barbacam, quam Salegon Senescallus Norandin fraude occupatam contra ipsum tenebat. Obsessa ergo per aliquantulum temporis tandem capta est, & Admiralio restituta ciuitas. Firmatis autem inter eos amicitiis, & redditis multis captiuis, duplicato etiam tributo (nam antea dabat Admiralius Regi singulis annis XXX. milia aureorum) Rex ad propria rediit. Sed interea Norandin intulerat Christianis magnum damnum. Nam capto castro eorum nomine Harenc, capto etiam Boamundo minore Principe Antiochiæ, & multis interfectis, Habelina, id est Belinas, postmodum à Sarracenis est peruersa.

HENRICVS II. 1164. MCLXIV. Henricus Rex Anglorum in Quadragesima in Normanniam transiens, in octauis Paschæ apud Gisorz cum Rege Francorum locutus est. Inde rediens Rothomagum, Philippum Comitem Flandrensem consobrinum suum regaliter excepit. Venerunt similiter ad eum Legati Federici Imperatoris Alamannorum, Rainaldus scilicet Archiepiscopus Coloniensis, Cancellarius ipsius, & multi alij magni potentatus viri, requirentes eum ex parte Imperatoris, vt daret vnam filiarum suarum Henrico Duci Baioriæ filio Conradi qui ante Federicum imperauerat, & aliam filio suo licèt adhuc puerulo. Exactis itaque sacramentis & datis, Rex postea misit suos legatos in Alemanniam, qui ab Imperatore & Satrapis suis eadem sacramenta de conuentionibus, quæ inter eos conuenerant, acciperent.

RETROCVS Episcopus Ebroicensis fit Archiepiscopus Rothomagensis. Regina Anglorum Alienor euocata à Rege venit in Normanniam, adducens secum filium suum Ricardum, & filiam Mathildem. Redeunte verò Rege in Angliam, & cum multo apparatu bellico super Valenses eunte, Regina remansit in partibus Cismarinis. Alexander Papa Romanus, relinquens Senonem, in qua ferè duos annos moratus fuerat, veniens ad Montempessulanum nauali subuectione perrexit ad terram Vuillelmi Regis Siciliæ, licèt insidiæ piratarum Imperatoris Alemanniæ ei in mari non deessent.

MENSE Augusto, Ludouico Regi Francorum ex vxore sua nascitur vnus filius, & vocatus est PHILIPPVS. Regina Alienor mense Octobri Andegauis peperit filiam, & vocata est in baptismate Ioanna. Malcomus Rex Scociæ religiosus iuuenis obiit. Successit VVILLELMVS frater eius.

1165. MCLXV. Henricus Rex munitis confiniis, inter Anglicos & Valenses, & castellis & militibus dispositis in Quadragesima transfretauit in Normanniam. Deinde locutus est cum Rege Francorum ea quæ ad pacem sunt. Audiens etiam, quòd Rex Francorum statuisset de thesauris & redditibus suis, similiter & omnium hominum tam Clericorum quàm laicorum, qui in sua ditione erant, singulis annis vsque quadriennium de singulis XX. solidis singulos denarios mittere Hierusalem ad defensionem Christianitatis; idem Rex magnanimus fecit duplicari in omni potestate sua redditum primi anni, reliquis annis pertinentibus ad solutionem vnius denarij per singulos XX. solidos. Obiit etiam Vuillelmus Rex Siciliæ, & successit ei Vuillelmus filius eius.

GVILLELMVS Talauacius Comes Sagiensis, & filius eius IOANNES, & item IOANNES nepos, filius GVIDONIS primogeniti sui Comitis Pontiui, concesserunt Regi Henrico castrum Alenceium, & Rocam Mabiriæ, cum eis quæ ad ipsa castella pertinent. Et forsitan ideò prædictas munitiones perdiderunt, quia mala consuetudines ipsi & eorum antecessores diu ibi tenuerant, quas Rex Henricus statim meliorari præcepit. Quia vero Optimates Cenomannici Comitatus & Britanniæ regionis antequam Rex transfretaret, minus obtemperauerant præceptis Reginæ, & vt dicitur, sacramento se obligauerant, vt se communiter defenderent si aliquis eorum grauaretur: Rex ad libitum suum eos & castella eorum tractauit, & congregatis exercitibus suis ferè de omni potestate sua citra mare, castrũ Filgeriarum obsedit, cepit, funditus deleuit. Inde prolocuto quodam imaginario connubio de GAVFRIDO filio suo, & CONSTANCIA filia CONANI Comitis Britanniæ & de Richemont: Comes Conanus concessit Regi quasi ad opus filij sui totum Ducatum Britanniæ, excepto Comitatu de Guingamp, qui ei acciderat per auum suum Comitem Stephanum. Rex verò accepit hominium ferè ab omnibus Baronibus Britanniæ apud Toars. Indè venit Redonis, & per ciuitatem illam, quæ caput est Britanniæ, totum illum Ducatum saisiuit. Et quia numquam viderat Combort neque Dol, postquàm in manus eius venerant, in transitu illa vidit. Causa verò orationis ad Montem sancti Michaëlis veniens, apud Gemeticum illa nocte hospitatus est. Illuc venerunt ad eum GVILLELMVS Rex Scotiæ, & Episcopus Insularum Man, & aliarum XXXI. quæ sunt inter Scotiam & Hiberniam & Angliam. Illas XXXII. Insulas tenet Rex Insularum tali tributo de Rege Noruuegiæ, quòd quando Rex innouatur, Rex Insularum dat ei decem marcas auri: nec aliquid facit ei in tota vita sua, nisi iterum alius Rex ordinetur in Noruuegia. Huius Regis In-

A sularum venit legatus ad Regem Anglorum ex parte Matildis Imperatricis matris suæ. HENRICVS II.

MCLXVI. In Natali Domini fuit Rex Henricus Pictauis. Venit ad eum filius eius Henricus de Anglia. In Quadragesima fuit loquutus Rex Anglorum cum Comite sancti Egidij apud Magnummontem. Post Pascha duxit exercitum militum in Aruernicum pagum, & vastauit terram VVillelmi Comitis, qui data fide pepigerat stare iustitiæ in præsentia domini Regis, nepoti suo quem exheredauerat, minori videlicet Comiti Aruernensi. Sed inueteratus ille dierum malorum rupta fide transtulit se ad Regem Francorum, & seminauit discordiam inter eos. Sed & de collectione pecuniæ deferendæ Hierusalem, quæ adunata fuerat Turonis, quam Rex Anglorum volebat mittere per suos nuncios, vtpote sumptam in suo Comitatu, Rex autem Francorum per suos, quia Ecclesia Turonensis sua est, suggestione Gocij Archiepiscopi Turonensis magna discordia inter Henricum Regem Anglorum & Ludouicum Regem Francorum mota est. Combusta est ciuitas Turonorum cum principali Ecclesia. 1166.

B ALMARICVS Rex Hierusalem euocatus ab Admiralio Babyloniæ, cui confœderatus est, obsedit Alexandriam, quæ caput est Ægypti, & cepit, & reddidit Ammiralio, qui pepigit ei singulis annis tributum de eadem ciuitate quinquaginta milia bizantinorum, exceptis quinquaginta septem milibus quos habet de Babylone. Idem etiam Rex duxit vxorem neptem Manuel Imperatoris Constantinopolitani, cum infinitis thesauris.

IN octauis Pentecostes Rex Anglorum & Rex Francorum in Vilcasino locuturi de pace conuenerunt. Sed primoribus regni Francorum exacerbantibus lenitatem Regis Ludouici, nihil profuerunt. Congregauerunt itaque vterque infinitum exercitum de omni potestate sua, & alterutrim castella sua communierunt. Cùm autem Rex Francorum aliquantas villulas in marca, inter Medantam & Paceium combuxisset, Rex Henricus irritatus, licèt multùm deferret Regi Ludouico, Calummontem castrum munitissimum & ditissimum, in quo Rex Francorum congregauerat expensas & victualia, ad opus belli, & plurimas villas in C circuitu illius combuxit. Quo audito, Rex Francorum grauiter tulit, & collectis viribus suis, latos fundos, quos sanctus Audoënus habebat in Vilcassino, scilicet Vadum Nigasij & alias villas combuxit. Andeliacum etiam burgum optimum, qui erat proprius beatæ Mariæ & Archiepiscopi Rothomagensis, nonnulla etiam, quæ pertinebant ad Ecclesiam sanctæ Trinitatis Rothomagensis vastauit. Sed non defuit festina vindicta. Eadem namque die multi de exercitu eius cùm redirent ac castra, siti, solis feruore, puluere, formidine deficientes expirauerunt. Sic etiam patri ipsius pridem acciderat. Nam initurus certamen cum Henrico Rege Anglorum seniore, in quo inferior fuit, præcedenti nocte in eodem vico hospitatus fuerat, & Franci, qui à ferocitate à Valentiniano Romanorum Imperatore vocati sunt, Ecclesiam beatæ Mariæ Andeliaci stabulum equorum fecerant: vnde alij eorum capti, alij verò vix fugam elapsi sunt.

MENSE Augusto treuiæ sumptæ & iuratæ sunt inter Reges Henricum & Ludouicum, vsque ad Pascha. Inde perrexit Rex Henricus in Britanniam, & subdidit sibi omnes Britannicos & Leonenses. Nam GVIHVMARVS D filius HENRICI Vicecomitis Leonensis, cuius filiam Comes EVDO habebat in coniugium, datis obsidibus, summisit se Regi, terrore exanimatus, cùm videret castrum suum munitissimum combustum & captum, & alia nonnulla vel capta, vel reddita. Cùm adhuc moraretur Rex in Britannia, audiuit nuncium de morte matris suæ Mathildis Imperatricis. Decessit enim IIII. Idus Septembris Rothomagi, & sepulta est Becci. Thesauros infinitos pius filius distribuit Ecclesiis, Monasteriis, Leprosis, & aliis pauperibus pro anima illius. Fecit autem prædicta Imperatrix Monasterium de Voto in Caletensi pago iuxta Villambonam, & posuit ibi Monachos Cistercienses. Fecit & Monasteria Canonicorum, vnum iuxta Cæsarisburgum, & aliud in silua de Gofer. Ad pontem etiam lapideum super Sequanam apud Rotomagum à se inchoatum multam summam pecuniæ dimisit.

HENRICVS II. IOSCIO Archiepiscopus Turonorum concordatus est cum Rege Anglorum. A Regina Alienor trãsfretauit in Angliam, ducens secum filiam suam Mathildem. In vigilia Natalis Domini duæ stellæ ignei coloris, quarum vna erat magna, altera parua, apparuerunt in Occidente quasi coniunctæ, postea disiunctæ sunt longo spatio, & apparêre desiuerunt. Natus est IOANNES filius Regis Anglorum.

1167. MCLXVII. Ad Natale Domini fuit Rex Henricus Rothomagi, & tenuit ibi magnam Curiam in noua aula sua. Mathildis filia Regis Henrici cum infinita pecunia & apparatu maximo ducta est in Alemanniam, ad sponsum suum Henricum Ducem Saxoniæ & Baioariæ, quorum Ducatuum vnum habebat ex patre suo, alterum ex matre. Pater ipsius Henricus fuit Dux, qui fuit natus ex filia Lotharij Imperatoris, qui ante Conradum imperauerat. Hic Henricus minor, qui filiam Regis Anglorum duxit, super Paganos, scilicet Sclauos, & Vindelicos, tantum acquisiuit, quòd fecit ibi tres Episcopatus.

OBIIT Terricus Comes Flandrensis, cui successit Philippus eius filius, qui iam diu Comitatum illum rexerat, cùm pater illius iter Hierusalem frequentabat. Pictaui & Aquitani ex maiori parte, id est Comes de Marca Angolismensium, Hamericus de Lizenino, Robertus & Hugo frater eius de Sileio, & alij multi voluerunt rebellare contra Regem; & rapinis & incendiis pauperum incubantes circumquáque grassabantur. Quod Rex audiens impiger aduolat, & eorum insaniæ obsistens, Lezenninum castrum munitissimum cepit, captum muniuit, & villas & municipia eorum destruxit; munitis suis castellis militibus, & victui necessariis, relicta ibi Regina cum Comite Patricio Salesberiensi auunculo Rotroci Comitis Perticensis, in octauis Paschæ inter Pasceium & Medantum in Normannia, locuturus cum Rege Francorum, & iniurias suas ab eo expostulaturus accessit. Si quidem Pictaui ad Regem Francorum venerant, & obsides suos contra Regem, cuius proprij erant, dederant. Vnde cùm hinc inde grandis altercatio fieret, nec Rex Francorum obsides, quos contra iustitiam ceperat, reddere vellet, induciæ factæ sunt vsque ad octauas sancti Ioannis. Circa verò octauas Paschæ dolo Pictauensium occisus est Comes Patricius, & sepultus est apud sanctum Hilarum. Successit ei filius natus ex filia Guillelmi Comitis Pontiui matre Comitissæ de Varenna.

ANTEQVAM treuguæ datæ essent, Rex Anglorum submonuerat EVDONEM Vicecomitem de Porhoët, qui eatenus vmbratico nomine Comes vocabatur, & cui tanta bona contulerat, vt ad seruitium & adiutorium suum veniret: quod ipse renuit, & quidam alij de Britannis ei confœderati, scilicet Oliuerius filius Oliuerij de Dinan, & Rolandus consobrinus eius. Rex itaque non immeritò aduersus eos iratus, à capite, scilicet ab EVDONE incipiens, vastauit & combuxit eius terram, destructo in primis castello Locennij, quod habebat præcipuum. Comitatum etiam de Boareth abstulit ei, cuius caput est ciuitas Venetensium, quam Rex in manu sua cepit, cuius portum Iulius Cæsar mirificè extollendo collaudat in Libro, quem scripsit de bello Gallico. Dimidium etiam Cornubiæ abstulit ei. Obsedit etiam castellum Abrai, & captum muniuit. Vastata igitur Eudonis terra, & ad libitum suum redacta, ad terram Dinannensium appropinquans, castrum Hecdæ à Gaufrido de Monte-forti sibi redditum muniuit, & Turriniacum euertit. Inde Becherel munitionem Rollandi de Dinan firmissimam per aliquot dies obsidens adhibitis machinis cepit & muniuit. Tum verò castrum, quo Rollandus maximè confidebat, quia erat naturâ & arte munitissimum obsedisset, nisi breuitas termini eundi ad colloquium Regis Francorum eum vrgeret. Tradita itaque terra Rollandi rapinis & incendiis circa Recem fluuium, eadem egit in vlterioribus. Nam transito amne, per Behum * descendens, & aliqua pessundans, Monachis Leumensibus pepercit. Dinam verò circumiens, quædam destruxit, quædam intacta reliquit. In pago Alestensi eadem gessit.

* al. Lehum.

IN octauis sancti Ioannis ventum est ad feritatem Bernardi, vbi de pace inter Reges tractatum est, & infecto negocio discessum. Nam Britones, sicut & Pictaui, obsides Regi Francorum dederant, & fide interposita pactionem acceperant, quòd Rex Francorum sine ipsis Regi Anglorum non concordaretur. Vnde & ipsi Britanni conuentibus quibusdam Cenomanensium, per quorum terram latenter transierunt, colloquio interfuerunt. Munitis autem marchis ex

A vtraque parte, continuata est decertatio vsque ad Aduentum Domini. Rex verò Henricus cautè agens, cognatum suum MATHEVM Comitem Boloniæ sibi pacificauit, spondens ei se daturum per annum maximam partem pecuniæ pro calumnia relaxanda Comitatus Moritonij. Cùm autem idem Mathæus ad auxilium Regis Anglorum domini & cognati sui veniret, IOANNES Comes Pontiui non permisit eum transire per terram suam: vnde necessitate cogente nauali subuectione ad Regem multis expeditis militibus accessit. Quod Rex audiens, rogatu eiusdem Mathæi cum bellico apparatu in terram Ioannis perrexit, & Vvimacensem pagum Vvlcano tradens, quadraginta & eo ampliùs comburens villas, voluntati suæ satisfecit. Rex Francorum veniens latenter ad quoddam municipium Normanniæ, cognominatum Tesnebruc, illud combuxit, & quatuor milites in eo cepit, inter quos & Senescallus Philippi Flandrensium Comitis aduncatus est. Tradidit etiam castellum Hugonis de Nouocastello flammis & incendiis, vocatum Brueroles, vt combustum nomen ex re haberet. Hoc etiam fecit Nouocastello per milites suos, B ipso tamen absente. Vastata est similiter terra Comitis Perticensis ex maiori parte, ipso agente. Venit ad Curiam Regis Henrici Anglorum, Saxonum & Baioariorum Dux Henricus gener eius, & magnis ab eo honoratus muneribus in sua rediit. HENRICVS II.

MCLXVIII. Rex Henricus egit Natale Domini apud Argentomagum. In Epiphania Domini concordati sunt Rex Francorum & Rex Anglorum. HENRICVS filius Henrici Regis Anglorum fecit homagium Regi Francorum socero suo de Andegauensi Comitatu, & de Cœnomanensi, & de Ducatu Britanniæ, quem Rex concessit eidem genero suo. Nam de Normannia ei fecerat antea homagium, & concessit ei Rex Francorum vt esset Senescallus Franciæ, quod pertinet ad feudum Andegau. RICARDVS filius Regis Henrici Anglorum fecit homagium Regi Francorum de Ducatu Aquitaniæ. In Purificatione beatæ Mariæ fuit Henricus filius Regis Anglorum Parisius, & seruiuit Regi Francorum ad mensam, vt Senescallus Franciæ. Hanc Senescalciam, vel, vt antiquitus dicebatur, C Maioratum Domus Regiæ, ROBERTVS Rex Francorum dedit Gaufrido Grisogonella Comiti Andegauorum, propter adiutorium quod ei impendit contra Othonem Imperatorem Alemanniæ. Dedit etiam ei quicquid habebat in Episcopatu Andegauensi. Postea verò, cùm GAVFRIDVS Comes Perticensis & DAVID Comes Cœnomannensis essent rebelles eidem Roberto Regi Francorum, prædictus Rex Gaufrido Grisogonella ferente sibi auxilium, obsedit munitionem Moritoniæ, & cepit. Et quia Dauid Comes Cœnomannensis euocatus à Rege ad eum venire contempsit, dedit Rex Gaufrido homagium illius, & ipsam ciuitatem, & quicquid habebat in Episcopatu Cœnomanensi. 1168.

HENRICVS filius Henrici Regis Angliæ fecit homagium PHILIPPO filio Ludouici Regis Francorum. Henricus Rex Anglorum locutus est cum Ludouico Rege Francorum apud sanctum Germanum in Leia. Gaufridus filius Regis Anglorum fecit homagium Henrico fratri suo de Ducatu Britanniæ, iubente patre eorum. Rex Henricus perrexit in Quadragesima Vvasconiam, & destructis multis castellis quæ contra eum erant, & munitis, Comites Angolism. & de Marca sibi D pacificauit, & multos alios qui non erant tanti nominis. Gaufridus filius Regis Anglorum mense Maio venit Redonis, & Stephanus Redonensis & Aubertus Aletensis Episcopi, & Robertus Abbas sancti Michaëlis de Monte, & aliæ religiosæ personæ receperunt eum cum summa veneratione in Ecclesia sancti Petri. Ibi accepit hominium à Baronibus Britanniæ. Rex Henricus fecit fossata alta & lata inter Franciam & Normanniam, ad prædones arcendos. Mense Augusto, pacificatis ferè omnibus in Pictauensi pago, & Vvasconia, Rex Henricus venit in Normanniam, & euocati Britanni properauerunt ad eum. Cathina ciuitas Siciliæ terræmotu concussa & prostrata est, & multi in ea perierunt *. *Hîc desinit Excerptum Roberti de Monte. Quæ sequntur alij sunt.

MCLXIX. fundata est Ecclesia de Vallomonte à Nicolao de Estouteuilla.

MCLXX. Rex Henricus Anglorum, Dominica, qua cantatur *Deus omnium*, hoc anno contra libertatem Cantuariensis Ecclesiæ, quæ in Anglia Primatum tenet ab antiquo, HENRICVM filium suum coronari fecit in Regem ab Archiepiscopo Eboracensi: cuius coronatio ad Thomam Archiepiscopum Cantuariensem de iu- 11

re & de consuetudine pertinebat. Qui dictus Thomas, orta discordia inter ipsum A
HENRICVS II. & Regem Henricum pro libertate Ecclesiæ suæ, à prædicto Rege relegatus, in Galliis morabatur. Cuius Regis consecrationi interfuerunt plures Angliæ Episcopi, & de Normannia Henricus Baiocensis, & Frogerius Sagiensis.

1171. MCLXXI. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo post sex annos ad propriam sedem reuerso, pace, vt credebatur, cum prædicto Rege Henrico per dominum Papam Alexandrum, & Regem Franciæ Ludouicum, restaurata: à militibus prædicti Regis Henrici prædictus Archiepiscopus in Ecclesia propria occiditur, & martyrizatur, innumerísque statim miraculis choruscat.

1172. MCLXXII. Orta est discordia inter Regem Henricum Anglorum, & eius filium Henricum minorem, quia à tutela ac paterno recedens consilio, ad socerum suum Ludouicum Regem Francorum se contulit: factáque est dissentio inter Regem Anglorum, & Regem Francorum, & guerra magna in regnis eorum. B

1173. MCLXXIII. Ludouicus Rex Francorum cum Henrico iuniore Rege Anglorum & Philippo Comite Flandrensi, maximáque multitudine militum obsedit Rotomagum: sed citò in terram suam cum exercitu suo rediit, eum nemine persequente. Eodem anno pax reformata inter Reges Anglorum, patrem scilicet & filium. Quo etiam dedicata est Ecclesia de Vallemonte.

1174. MCLXXIV. Hoc anno fames afflixit terram Normanniæ.

1175. MCLXXV. Discordia orta inter Papam Alexandrum & Imperatorem Federicum quieuit. Dedicata est Abbatia Becci à Retroudo Archiepiscopo Rothomagensi. Hoc anno Ludouicus Rex Francorum transfretauit in Angliam, pergens ad sanctum Thomam Cantuariensem. Eodem anno coronatus est Philippus eius filius. Fit noua moneta in Anglia.

1176. MCLXXVI. Obiit Ludouicus Rex Francorum. Successit ei Philippus eius filius.

1177. MCLXXVII. Hoc anno obiit Alexander Papa. Successit Lucius. Eodem anno ARNVLFVS Lexouiensis Episcopus mense Iunio senio fractus Lexouiensem Episcopatum dimisit, & ad sanctum Victorem Parisius se transtulit, ibique anno sequenti mortuus est atque sepultus. Cui in Episcopatu Lexouiensi successit RADVLFVS DE VVALLEVILLIS Cancellarius Regis Anglorum. C

1178. MCLXXVIII. Hoc anno obiit RETROVDVS Rothomagensis Archiepiscopus. Cui successit GALTERIVS anno sequenti, Archiepiscopus LII. MARGARITA vxor Regis Henrici iunioris clam exiuit de turre Montisfortis, & à Francis ducta est in Galliam ad fratrem suum Philippum Regem Francorum, de voluntate viri sui, qui eam vltra non vidit.

1179. MCLXXIX. PHILIPPVS Comes Flandriarum duxit vxorem filiam Regis Portugalliæ.

1180. MCLXXX. Obiit Lucius Papa. Successit Vrbanus III. Hoc anno Rex Henricus Anglorum misit IOANNEM filium suum in Hiberniam cum multa classe armato milite plena.

1181. MCLXXXI. Obiit Vrbanus Papa, successit Gregorius VIII. Gaufridus Comes Britannniæ Regis Anglorum filius Parisius obiit, ibique sepultus est.

1182. MCLXXXII. Capitur Hierusalem à Saladino. Obiit Henricus iuuenis Rex D Anglorum apud Martellum III. Idus Iunij, cuius corpus dum Rothomagum deferretur tumulandum, Cœnomannis vi retentum est, ac sepultum in Ecclesia beati Iuliani iuxta Gaufridum auum suum. Postea verò detumulatum est, ac delatum Rothomagum, & in maiori Ecclesia beatæ Mariæ sepultum. Oritur discordia inter Regem Philippum & Henricum Regem Anglorum. Mortuo Papa Gregorio, Clemens III. præsidet.

1183. MCLXXXIII. PHILIPPVS Rex Francorum & Henricus Rex Anglorum in pacem & concordiam redierunt apud Gisorcium, XII. Kal. Febr. ibique causâ peregrinationis crucem vt irent in Hierusalem acceperunt, & multi nobiles cum eis. Sed eodem anno orta discordia inter eos, iter distulerunt.

1184. MCLXXXV. Obiit Rex Henricus nonis Iulij apud Chinonem, sepultúsque est
RICARDVS IV. apud Fontem-Ebraudi in Abbatia Monialium. Cui successit in regno RICHARDVS filius eius. Natus est LVDOVICVS filius Philippi.

A MCLXXXVI. Philippus Rex Francorum, & Ricardus Anglorum cum nobilitate militum Hierusalem perrexerunt. Mortuo Papa Clemente, Celestinus III. præsidet. Galtherus Rothomagensis Archiepiscopus apud Rothomagum cum Episcopis & Abbatibus Concilium celebrauit. RICARDVS IV. 1186.

MCLXXXVII. Philippus & Ricardus Reges obsederunt Ascalonem, & paganis interfectis ceperunt eam circa festum sancti Ioannis Baptistę, reuersúsque est Rex Philippus in Franciam cum paucis, remanente ibidem Rege Ricardo cum exercitu suo, qui postmodum cepit Iopem, & quædam alia castella. 1187.

MCLXXXVIII. Rex Philippus rediens in Franciam, statim guerram mouit contra Regem Ricardum in Normannia, & cepit Gisors. Datis & acceptis treugis cum paganis, Rex Ricardus rediens ad terram suam intrauit mare. Sed vento nauem rapiente, applicuit in partibus Austriæ, captúsque est à LEOPOLDO Duce Austriæ. Traditur Henrico Imperatori, & per annum in eius carcere B detinetur. 1188.

MCLXXXIX. Philippus Rex Francorum iterum mense Septembri cum suo exercitu intrauit Normanniam, cepitque vrbem Ebroicensem, & Vallem Rodolij, & alia plura castella. 1189.

MCXC. Rex Anglorum Ricardus datis obsidibus pro pecuniâ suæ redemptionis, solutus est à carcere Imperatoris. Cuius liberationem audiens Rex Philippus tristis in Francim cum suo exercitu reuertitur. 1190.

MCXCI. Rex Anglorum Ricardus rediens transfretauit in Angliam, & castra sua liberauit de manu fratris sui Ioannis, qui ea tenebat. Leopoldus Dux Austriæ, qui Regem Ricardum captiuauerat reuertentē à Iudæa, graui percussus infirmitate, obsides, quos tenebat pro prædicti Regis redemptione, liberos remisit ad propria, mortuúsque est circa Natale Domini. 1191.

MCXCII. Rex Ricardus Regem Philippum fugauit, qui intrauerat cum exercitu suo in Normanniam. His temporibus fuit maxima guerra inter prædictos Reges. Meliorem partem obtinuit Rex Ricardus. Captus fuit Episcopus Beluacensis. 1192.

C

MCXCIII. Rex Ricardus fecit excambium de Andeliaco cum Galtero Archiepiscopo Rothomagensi. 1193.

MCXCIV. Mortuo Papa Celestino, Innocentius III. præsidet. 1194.

MCXCV. Rex Ricardus in pago Lemouicensi telo percussus apud castellum quod vocatur Chaluz VII. Idus Aprilis moritur, & in Ecclesia Fontis-Ebraudi iuxta patrem suum Henricum sepelitur. Cui IOANNES frater eius in regno succedit, apud Londonias mense Maio coronatus, & ante à Vvaltero Rothomagensi Archiepiscopo Dux factus. 1195. IOANNES

MCXCVI. Oritur discordia inter Philippum Regem, & Ioannem Regem Anglorum. Deditque Rex Ioannes BLANCHIAM neptem suam filiam Regis Hispani pro concordia & pace LVDOVICO filio Regis Philippi. Et sic siluit terra Regum dictorum paucis diebus à guerris. 1196.

MCXCVII. Comes Balduinus Flandrensis Hierusalem pergens cepit Constantinopolim. Hoc anno IORDANVS DE HOMMETO in Episcopum Lexouiensem consecratur, qui Ecclesiam Lexouiensem perfecit, ac multum ditauit. 1197.

D

MCXCVIII. Mota iteratò discordiâ inter Philippum Regem Francorum, & Ioannem Regem Anglorum, iterum pacificantur. 1198.

MCXCIX. Capitur ARTVRVS cum multis apud Mirebellum, hoc procurante Ioanne Rege Anglorum auunculo. Timebat enim ne Ducatum Normanniæ inuaderet, qui ei, vt dicebatur, tanquam filio primogeniti, scilicet GAVFRIDI Comitis Britanniæ de iure debebatur. Qui & eum propriis manibus dicitur occidisse. 1199.

MCC. Mortuo Arturo, Ioannes Rex transfretauit in Angliam. Philippus verò Rex Francorum mouit contra eum guerram, intrauítque Normanniam. Rupem Andeliaci, videlicet castrum Gaillart, quod longa obsidione concluserat, cepit: quod Rex Ricardus regia animositate construxerat. 1200.

MCCI. Philippus Fex Francorum obsedit * Comitatum Moritonij RAINALDO Comiti Boloniæ, quem sibi vendicabat ex parte vxoris suæ. 1201.

* f. dedit

PHILIPPVS. MCCII. Rex Philippus hoc anno totam in suum dominium recepit Normanniam, euertique fecit muros Rothomagi, & Vernolij, & fecit nouam turrem Rothomagi versus fontem Gaalor, & destruxit veterem. Et sic, omnibus pacificatis, totam Normanniam, quæ à tempore Rollonis primi Ducis Normannorum extra manum fuerat Gallicanorum, ad eorum ditionem reduxit, & eam in bona pace possedit. A

1202.

1203. MCCIII. Philippus Rex Francorum audiens quòd Britones à Rege Angliæ discordarent, post Pascha cum exercitu magno perrexit in Britannia, duásque vrbes, Nanthas scilicet & Reudonem cepit, & sic Parisius cum iocunditate reuersus est. Quo anno, vt quidam volunt, beatus Franciscus conuersus est, institutor Ordinis Fratrum Minorum.

1204. MCCIV. Obiit Galterus Archiepiscopus Rothomagensis, qui rexit Ecclesiam Rothomagensem annis ferè XXIV. multúmque ditauit eandem. Cui successit ROBERTVS cognomine POLANVS, ferè contra spem omnium in gradu Archipræsulis eleuatus. B

1205. MCCV. Philippus Rex Francorum cum equis & equitibus, curribus & armis, & cum infinita peditum multitudine perrexit in Aquitaniam. Sed præpediente corporis infirmitate nihil proficiens, rediit in Galliam.

1206. MCCVI. OTHO confirmatur & efficitur Romanorum Imperator.

1207. MCCVII. Discordia oritur inter Innocentium Papam, & Othonem Imperatorem. Mouit Imperator exercitum, & excommunicatur à Papa.

1208. MCCVIII. Otho Imperator totam sibi acquisiuit Apuliam, & reuertitur in Alemanniam.

1209. MCCIX. Ioannes Rex Anglorum contra Regem Philippum parat exercitum, conducens ac muneribus corrumpens Comitem Flandrensem, Comitem Boloniæ, mittens etiam Comitem Salesberiensem ad expugnandum Regem Francorum. Vnde bellum gestum est apud Bouuinas, capti sunt Comites, atque eorum exercitus victus à Rege Francorum Philippo. Quo audito, Otho Imperator, qui pro Rege Anglorum veniebat in dictorum Comitum auxilium, ad partes suas reuertitur. Ferrandus verò Comes Flandrensis Parisius in turri, quæ vocatur LE LOVVRE, Rainaldus Comes Boloniæ in turri de Gollet, perpetuò incarcerantur, atque ibidem moriuntur. C

1210. MCCX. Natus est LVDOVICVS Regis Ludouici & Blanchiæ filius.

1211. MCCXI. * Celebratum est sanctum vniuersale Concilium Lateranense, in quo multa vtilia statuta sunt, pertinentia ad statum vniuersalis Ecclesiæ. Inter quæ & illud statutum fuit, ne nouæ Religiones, siue Ordines, amplius in Dei Ecclesia multiplicarentur, sed qui ad Religionem transiret, vnam de approbatis assumeret: ne Religionum diuersitas grauem confusionem in Dei Ecclesia generaret. Quod paucis potuit temporibus obseruari. Hoc sanctum Concilium Innocentius III. congregauit, eidémque præsedit anno sui Pontificatus XVIII.

** Quæ præcessit, & quæ sequitur annorũ computatio longè alia est à communi & recepta. Sed nihil immutare voluimus.*

OBIIT Ioannes Anglorum Rex, successit HENRICVS filius eius.

MCCXII. Obiit Innocentius Papa. Honorius III. Papa CLXXXI. præsidet. Huius temporibus Ordo Minorum de partibus Lombardiæ venit. Cuius institutor fuit quidam, qui vocabatur FRANCISCVS, ciuis Assisij, fratribus Regulam componens, ac præcipiens vt fratres nec domum, nec locum, nec aliquam rem sibi appropriarent: sed tanquam peregrini & aduenæ in paupertate & humilitate in hoc seculo discurrerent circumquaque. Cuius Regulam prædictus Honorius confirmauit. Eodem tempore Ordo Iacobitarum à quodam, qui DOMINICVS vocatus est, inuentus, de Hispaniæ partibus super terram ascendit: qui sibi postmodum nomen imposuerunt Prædicatorum. Isti duo Ordines cum magno gaudio propter conuersationis nouitatem ab Ecclesia & populo sunt recepti, & vbique cœperunt prædicare nomen Christi. Ad quorum Ordines multi nobilium ac iuuenum sophistarũ propter nouitatem insolitam trãsierunt: intantumque in pauco Christi terram repleuerunt, vt vix ciuitas aut castrum famosum posset inter Christianos reperiri, in quo prædicti Ordines loca sibi non ædi- D

1212.

A ficassent, eligentes in hominum multitudine conuersari. Quorum Ordinum duo PHILIPPVS.
primi institutores, Dominicus scilicet, & Franciscus, meruerunt ab Ecclesia vitæ
sanctitate in catalogo Sanctorum numerari.

MCCXIII. Multi nobilium, vt in Hierusalem irent, pro peregrinatione hoc 1213.
tempore cruce signati mare transierunt. In qua expeditione IORDANVS Episcopus Lexouiensis perrexit.

MCCXIIII. Obiit prædictus Iordanus Lexouiensis Episcopus, in partibus 1214.
transmarinis, ibique sepultus est. Qui Ecclesiam Lexouiensem rexit ferè annis
XVII. & multum accreuit & ditauit eandem.

MCCXV. Hoc anno capta fuit Damieta à Christianis, debellatis Sarracenis. 1215.

MCCXVI. Translatio sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi. GVILLELMVS DE PONTE DE L'ARCHE consecratur, & fit Episcopus Lexouiensis. 1216.

MCCXVII. Obiit Robertus Polain Archiepiscopus Rothomagensis, cui successit THEOBALDVS. 1217.

B Obiit PHILIPPVS Rex Francorum, cui successit LVDOVICVS filius eius.

MCCXVIII. Ludouicus Francorum Rex cum magna militum ac peditum expeditione abiit contra Aubigeos. 1218.

MCCXIX. LVDOVICVS prædicti Ludouici filius coronatur in Regem. Eodem anno obiit Comes Boloniæ in carcere Regis Franciæ. 1219.

MCCXX. Obiit Honorius Papa. Gregorius IX. Papa præsidet. 1220.

MCCXXI. Obiit Theobaldus Rothomagensis Archiepiscopus, cui successit MAVRICIVS Cenomannensis Episcopus, LV. Archiepiscopus. 1221.

MCCXXII. HENRICVS Rex anglorum consilio Comitis Britanniæ in Britanniam venit, volens acquirere Pictauiam & Normanniam. 1222.

MCCXXIII. Obiit Philippus Comes Boloniæ filius Regis Philippi. Fames magna fuit. 1223.

MCCXXIV. Multi nobilium, Baronum, & Comitum cruces assumpserunt 1224.
ad subsidium terræ sanctæ: ad hoc in Franciam misso legato à Papa, fratre Guillelmo de Ordine fratrum minorum. Quo anno PETRVS DE COLLI-MEDIO,
C mortuo Mauricio Rothomagensi Archiepiscopo, consecratur.

MCCXXV. Obiit Guillelmus de Oscilleio Abrincensis Episcopus, cui successit 1225.
Guillelmus de sancta Maria, in Ecclesia vir sapiens, eloquens, & literatus.

MCCXXVI. Combusta est Lexouiensis Cathedralis Ecclesia tempore Guillelmi Episcopi, & Fulconis Decani. 1226.

MCCXXVII. Controuersia circa hæc tempora orta est inter Ecclesiam Roma- 1227.
nam, & Federicum Imperatorem, quæ in tantum exarsit, vt omnes Lombardiæ
& Tuscaniæ ciuitates in duas partes scinderentur: vna parte fauente Ecclesiæ, alia
Imperatori, adinuicem bellum perpetuum & intestinum habentes.

MCCXXVIII. Motio Crucesignatorum Comitum, Baronum, & militum, 1228.
multæque multitudinis aliorum in Hierusalem, inter quos Comes Britanniæ Petrus.

MCCXXIX. Iacobus Prænestinus à Papa Gregorio in Francia destinatur legatus. 1229.

MCCXXX. Obiit Gregorius Papa. Cælestinus IIII. Papa CLXXXIII. præ- 1230.
sidet, qui sedem tantum tenuit per XVIII. dies, & mortuus est. Papa verò Gre-
D gorius eodem anno contra Federicum Prælatos Galliæ plurimos ad Concilium
conuocauit: quorum plurimi à prædicto Federico sunt capti & incarcerati. Vnde
captus fuit Rothomagensis Archiepiscopus, Abbas Fscanni, & alij multi. Terræmotus factus est in Normannia IX. Kal. Octobr. Henricus Rex Anglorum consilio Comitis de Marchia venit cum paucis militibus, vt Pictauiam debellaret. Contra quem Ludouicus Rex Francorum magnum exercitum congregauit, & eum à
Xantonis fugauit: capta ciuitate, ipso Rege per mare fugiente, sic cum suis turpiter euadente.

MORTVO Cælestino Papa, Innocentius IIII. præsidet. Natus est LVDOVICVS Regis Ludouici primogenitus filius. Eodem anno translata sunt corpora sanctorum Vitalis & Guillelmi, & aliorum, apud Sauigneium.

MCCXXXI. Innocentius Papa apud Lugdunum venit propter controuersiam 1231.

LVDOVICVS. Federici. Petro Archiepiscopo Rothomagensi assumpto in Cardinalem, ODO Abbas sancti Dionysij in Archiepiscopum LVII. consecratur.

1232. MCCXXXII. Innocentius Papa apud Lugdunum magnum Prælatorum Concilium contra Federicum Romanorum Imperatorem congregauit. Qui vocatus ad Concilium, non comparens, à prædicto Innocentio, vniuersalique Concilio perpetuo anathemate condemnatur, & ne amodo pro Imperatore habeatur, aut Imperator nominetur, omnibus Catholicis inhibetur. In hoc Imperium Romanum cessasse videtur, secundum prophetiam, vt dicitur Sibyllæ, quæ ait, *Post nullus.* Eodem anno Ludouicus Rex Francorum graui infirmitate pressus itaut crederetur mortuus crucem assumpsit. Odo Tusculanus Cardinalis ad prædicandum de cruce in regno Franciæ destinatur legatus, qui Cancellarius Parisiensis fuerat.

1233. MCCXXXIII. Crux in regno Franciæ vbique prædicatur. Comes Artensis, Comes Pictauensis, & Comes Andegauensis, fratres Regis Franciæ, cum multis aliis Comitibus & Baronibus cruce signantur.

1234. MCCXXXIIII. Mortuo Odone Rothomagensi Archiepiscopo, Odo, qui vocatus est Rigaudus, eidem successit, Archiepiscopus LVIII. à Papa Innocentio apud Lugdunum consecratus mense Martio. B

1235. MCCXXXV. Ludouicus Rex Francorum cum Regina vxore sua, & fratribus suis Roberto Comite Arteuensi, & Carolo Comite Andegauensi, pluribúsque aliis nobilibus circa Pentecostẽ recedens à Parisius, suam aggreditur peregrinationem: intrandóque mare apud Aquam-mortuam, transfretauit insulam Cypri, à quo loco recedens nauigauit cum suo exercitu circa Damietam.

1236. MCCXXXVI. Capta est Damieta à Rege Ludouico, solâ fuga euadẽtibus Sarracenis.

1237. MCCXXXVII. Comes Pictauensis Alfoncius frater Regis, cum reliquijs crucesignatorum, magnáque nobilitate militum in subsidium fratris aggreditur vltra mare: Blanchia matre Regis prædicti regnum Franciæ virili animo gubernante. Oritur discordia & dissentio inter Magistros Theologos Parisius, & Fratres Prædicatores & Minores, propter quædam Magistrorum statuta, de Religiosis & Collegiatis.

1238. MCCXXXVIII. Guillelmo de Ponte-Archæ præ nimia senectute curæ cedente pastorali, FVLCO DASTIM eiusdem Ecclesiæ Decanus in Episcopum eligitur, & ab Archiepiscopo Rothomagensi mense Iunio consecratur. Mense Augusto sequenti prædictus Guillelmus in Abbatia de Bono-portu moritur. C

1239. MCCXXXIX. Ludouicus Rex Francorum castra mouens à Damieta exercitum duxit contra Sarracenos, veniénsque ad quendam locum, qui Mazorà dicitur, ibidem castra metatus est. Comes Robertus Artensis frater Regis secum de exercitu nobilibus assumptis, contra Sarracenos fortiter dimicat, ac eorum multis occisis, de victoria præsumens, eósque fugientes incautè persequens, quoddam eorum castellum ingrediens, cum suis consortibus periit, paucis vix euadentibus. De quo Regis exercitu multum extitit desolatus, Sarracenísque contra eum venientibus fugiendo in aquis plurimi sunt submersi, multi occisi. Rex pressus infirmitate cum fratribus suis captus est, infinitáque exercitus sui multitudine. Sed Solidanis sibi aduersantibus, & adinuicem discordantibus, reddita Damieta, ac magna pro se suísque data pecunia, statim à carcere liberatur, cum omnibus sui exercitus captiuis: reuersúsque apud Aconem, cum vxore sua ibi morabatur. D

1240. MCCXL. Federicus quondam Imperator & condemnatus moritur. Eius filius Corradus in Apulia & Calabria tyrannizat. Innocentius Papa à Lugduno Romam reuertitur. Eodem anno per totum regnum Franciæ falsi pastores surrexerunt, & à diabolo delusi & incitati vt mare contra Sarracenos transirent, despicientes Clerum: & ideò laicis & populo multum accepti. Sed multis malis ab eisdem illatis Clericis & Ecclesiæ Dei, tandem turpiter necati sunt, & eorum multi suspensi, & cessauit tempestas. Comites Andegauis & Pictauis fratres Regis in Gallias reuertuntur. BLANCHIA Francorum Regina, prædictorum Comitum ac Regis mater obiit v. Kal. Decembris. Eodem anno ventus fuit vehemens in octauis Epiphaniæ,

A phaniæ, vnde facta est domorum subuersio, arborum eradicatio, maris inundatio, & gentium & pecudum maxima submersio. Iudæi fugati sunt per totum regnum Franciæ, & à regno eiecti. VI. Idus Decembris obiit GVILLELMVS Abrincensis Episcopus, cui successit RICARDVS dictus Angelus. LVDOVICVS.

MCCXLI. Ludouicus Rex Francorum in partibus transmarinis quædam castella reparauit ac muniuit. Discordia Parisius inter seculares Clericos, & Fratres Prædicatores & Minores ingrauescit, quia Vniuersitati in vindicta quærenda de quibusdam Clericis nequiter occisis noluerunt sua sacramenta adhibere. Vnde sedem Apostolicam fratres prædicti appellantes, à prædicta sunt Vniuersitate eiecti. Henricus Rex Anglorum rebellantibus Gasconibus in Gasconiam transmisit. 1241.

MCCXLII. Ludouicus Rex Francorum à partibus reuertitur transmarinis. Mortuo Papa Innocentio, Alexander IV. præsidet, priùs Hostiensis Episcopus, & Renaudus vocatus. Henricus Rex Anglorum, rebellione Gasconum pacificata, per regnum Franciæ transiens, apud Pontiniacum, vbi sanctus Eadmundus Archiepiscopus Cantuar. requiescit, receptúsque fuit à Rege Franciæ eundo honorificè Aurelianis, & redeundo Parisius. Circa hæc tempora Ordo venit Parisius Saccorum, vel vt aiunt .... Iesu Christi, venerunt Barrati, & fratres sanctæ Crucis, & Guillotini, & Beguinæ, & Cotarenses, & multi alij. Quibus omnibus Ludouicus Rex Francorum loca contulit Parisius ad manendum, Beguinásque in regno suo ferè vbique seminauit. 1242.

B

MCCXLIII. LVDOVICVS Rex castra sua Normanniæ visitat, & vsque ad montem sancti Michaëlis peruenit. Henricus Rex Anglorum à Comitibus suis & Baronibus capitur, iuràtq; stare eorum de regno Angliæ ordinationi. Impetratis quibusdam literis à fratribus Prædicatoribus à Papa Alexandro contra Magistros Vniuersitatis, à lectionibus tota Vniuersitas cessat. Congregantur Archiepiscopi & Episcopi Regni, pacem reformant, ita quod Prædicatores Scholas Magistrorum & Scholarium non intrarent. 1243.

C MCCXLIV. Magistri Theologorũ Vniuersitatis Paris. præcipuè Magister Guillelmus de sancto Amore, prædicare cœperunt, quædam signa Scripturarum ad cognoscendum pseudo-religiosos prædicatores, qui in vltimis temporibus ad debellandum fidem Catholicam sunt venturi. Vnde & quendam de hoc Librum composuerunt, quem intitulauerunt *de Periculis nouissimorum temporum*. De quo prædicti Religiosi, scilicet Mendicantes, supra modũ dolentes, ad Papam Alexandrum Librum prędictum detulerunt, quem condẽnauit, ipsum dicens compositũ in odium & scandalum Religiosorum. Vnde præmissam pacẽ dissoluit, & quatuor de maiorib. Vniuersitatis Parisiẽsis à regno, nisi suos sine mora reciperet, priuauit. Qui ad Papæ Curiã accedentes, tres eorũ voluntati fauentes restituti, & cum ignominia sunt reuersi: scilicet Magister Odo de Douaco, & Magister Christianus, ac Decanus de Barro super Albam. Quartus verò, scilicet Magister Guillelmus de sancto Amore, fortiter in Curia stetit, & in pluribus à prædictis Religiosis accusatus, de sua innocentia & doctrina coram quatuor Cardinalibus competenter satisfecit: à quibus ab omni impetitione fratrum pronunciatus est immunis & absolutus. 1244.

MCCXLV. Magister Guillelmus de sancto Amore, dum obtenta à Papa Alexandro licentiâ redeundi propter grauissimam infirmitatem, quæ eum inuaserat, ad terram suam reuerteretur, infirmus; Papa Alexander eidem literas misit, in quibus eum priuabat ab ingressu regni Franciæ, & ab omnibus suis beneficiis, ab actúque pariter legendi, prædicandi, atque docendi. Obiit IOANNES Ebroicensis Episcopus, & sedes per tres annos vacauit. 1245.

D

MCCXLVI. Circa hæc tempora RICARDVS Comes dictus * Pictau. frater Regis Anglorum in Regem coronatur Alemannorum, ibi vel parum agens, post duos annos, aut parum amplius, ad suum Comitatum in Angliam est reuersus. Luna passa est eclypsim quadam nocte sabbati in æstate. 1246.

MCCXLVII. Henricus Rex Anglorũ venit Parisius, pacificauit cum Rege Frãcorum Ludouico de Ducatu Normãniæ. Dedit ei idem Ludouicus quasdã ciuitates & castella apud Cahors, in Comitatu Pictau. post mortẽ Comitis fratris sui: de qua terra fecit ei homagium prædictus Henricus Rex Anglorum. Eodem anno obiit LVDOVICVS primogenitus Regis Francorum, sepultúsque est in Abbatia Rega- 1247.

PHILIPPVS. lis-montis, quàm eius pater fundauit. Obiit GVIDO Baiocensis Episcopus; A Radulphus de Pins factus est Ebroicensis Episcopus, qui erat Cancellarius Regis.

1248. MCCXLVIII. Corrado mortuo, Menfredus Federici quondam condemnati filius spurius in Apulia & Calabria tyrannizat, regnúmque Siciliæ sibi vsurpat. Sed suis exigentibus meritis, à Papa Alexandro anathematizatur.

1249. MCCXLIX. Mortuo Papa Alexandro, Iacobus Patriarcha Hierosolymitanus vocatus Vrbanus IIII. præsidet. Hic vocauit ad Cardinalatum G. Narbonensem Archiepiscopum, Radulfum Ebroicensem Episcopum, & Simonem Regis Franciæ Cancellarium & Turon. Thesaurarium. Fames valida oppressit Normanniam. CAROLVS Comes Andegauensis vocatus est à Papa Vrbano ad regnũ Siciliç contra Manfredum, obtuleruntque eidẽ Romani vt esset almæ vrbis Senator.

1250. MCCL. Mittitur Simon sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Legatus in regno B Franciæ, ad petendum decimam vsque ad trienniũ Comiti Karolo, ad conquirendum regnũ Siciliæ contra Menfredum. Regnum Franciæ ingressus, Prælatos & Abbates, Capitula atque Priores Parisius conuocauit, & secundum mandatũ Apostolicum vsque ad trienium decimam reddituum Ecclesiasticorũ ab eis obtinuit. Mittitur etiam GVIDO Sabinensis Episcopus Cardinalis Legatus in Anglia, vt regni perturbationẽ in concordiam reuocaret. Sed Comites Angliæ & Barones in regno eum non permiserunt intrare, vnde eos excommunicauit, & terrã supposuit interdicto, & sic imperfecto negocio est reuersus. Cometa apparuit per tres menses. Vrbanus Papa obiit, cui Guido Sabinensis Episcopus Angliæ destinatus legatus successit, qui fuerat primitus Aduocatus, post, vt dicitur, miles, vxore mortua factus est Episcopus sanctæ Mariæ de Podio in Aluernia, dehinc Narbonensis Archiepiscopus, post ab Vrbano Papa ad Cardinalatum vocatus, dictúsque est Clemens IIII. & in Papam præsidet CLXXXVII.

1251. MCCLI. Comes SIMON DE MONTE-FORTI cum aliis Comitibus & Baronibus Angliæ, rebellant, omnes alienigenas expellentes à regno. Rex cum filio suo EDVVARDO & RICARDO Rege Alemannorum, contra eos instruit bellum. Capitur Rex cum filio & Rege Ricardo fratre suo, multísque aliis, plurimis occisis, & aliis per fugam euadentibus, prædicti Reges à dicto Simone captiui tenentur, qui in regno cum suis complicibus tyrãnizat, & etiam in mari multa damna & incommoda mercatoribus infert. Archiepiscopus Tyrensis mittitur legatus à Papa Vrbano in Galliis ad prædicandũ de cruce, & petendum centesimam in subsidium terræ sanctæ, quam vsque ad quinquennium obtinuit de consensu prælatorum. Anno præcedenti Constantinopolis capta fuerat à Græcis expulso Imperatore. Sic cessat Constantinopolitanum Imperium. Combusta est Abbatia Becci-Helluini cum tota villa, mense Maio. C

1252. MCCLII. EDVVARDVS filius primogenitus Regis Angliæ carcerem Simonis de Monteforti euadit. Multi nobiles eum adiuuant. Comes Andegauiæ in vrbem transiit per mare, Senatorem vrbis recipit, in Regem Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ coronatur, exercitum parat ad debellandum Menfredum. Crux Apuliæ in subsidium dicti Regis in Galliis prædicatur, & euntibus plenaria conceditur indulgentia peccatorum. Comes Flandrensis, cui prædictus Rex suam filiam desponsauit, cum Episcopo Altissiodorensi, Comite Vendosmiæ, pluribúsque aliis nobilibus per Lombardiam absque obstaculo transeunt vsque Romam in subsidiũ Regis Siciliæ. Rex Siciliæ exercitum suum post Natale recedens à Roma duxit D contra Mainfredum hostem Ecclesiæ publicum, in Apulia bellum cõseritur apud sanctum Germanum: victus fugit Mainfredus cum suis reliquiis apud Capuã. Rex cum suo exercitu eum insequitur, à Capua fugit versus Vennetum cum multo viarum discrimine. Ibidem adueniente Rege ex vtraque parte bellum duabus aciebus Mainfredi cedentibus *... in fugam conuertuntur, tanta multitudo hostiũ occiditur, quòd oculis ne viderentur, celarent campum. Mainfredus occiditur, Iordanus Comes Guebellinus, & Perusinus de Florentia cum pluribus aliis capiuntur. Sic regnum Siciliæ sibi prædictus Rex subiugauit. Vxor Mainfredi per mare fugiens cum filiis capta est à ciuibus de Barlete, ac reducta, & Regi Siciliæ tradita cum ingentibus thesauris, quos, vt dicitur, secum deferebat. Filius Ducis Burgundiæ cum nobilitate militum crucesignatorum

A per mare transiit in Aconem, in subsidium terræ sanctæ.

MCCLIII. Hoc anno in festo sancti Andreæ Apostoli mortuus fuit NICOLAVS MALERBE miles, cui successit GAVFRIDVS, & IOANNES, eius filij. Et anno Domini MCCLXXIX. in festo sanctæ Priscæ Virginis mortua fuit HAYSIA relicta militis prædicti. 1253.

OBIIT Archiepiscopus Tirensis in regno Franciæ pro negotio terræ sanctæ & Crucis transmarinæ. Primogenitus Ducis Burgundiæ filius in transmarinis partibus moritur, qui anno præcedenti mare transierat in subsidium terræ sanctæ. Solidanus Babyloniæ cum Sarracenis suis Christianis transmarinis multa incommoda infert, castella Christianorum obsidet & capit, & contra promissionem suam trucidat illos, qui castra ei reddunt, saluis corporibus & rebus suis. Castellum Iaphæ aufert eis, quod situm supra mare præsidium erat contra Sarracenos Christianis ac populo terræ sanctæ: & indè recedens exercitum ducit contra .... Christianos, quibus impulsis multa incommoda infert, & contra Antiochiam, vt quidam asserunt, gladium vibrat, minando Christianis. Quo audito, Christiani cismarini grauiter dolent. Audita destructione facta per Sarracenos in partibus transmarinis, Clemens Papa Simoni Cardinali tituli sanctæ Ceciliæ, legato misso à prædecessore suo Vrbano in Galliis ob negocium regni Siciliæ, mandat crucis transmarinæ deprædicationem.

B

LVDOVICVS Rex Francorum, Comitum, Baronum, Militum, & omnium regni sui nobilium militiæ secularis parlamentum parat Parisius in Quadragesima, ad festum Dominicæ Annunciationis, & coram omnibus cruce facta * & Coronam de Capella sua gardino suo apportans, eâ die cum primogenito suo Philippo, & aliis duobus filiis suis, scilicet Ioanne & Petro crucem assumpsit, in quo loco plurimi nobilium crucem assumpserunt, scilicet Comes Britanniæ, Comitissa Flandriæ, Comes Vindocinensis, & Comes de Augo in Normannia, & plures alij nobiles & magnates.

C

HOC anno dominus IOANNES DE CORTONAIO consecratus est in Archiepiscopum Remensem, quo etiam Parisius obiit Episcopus Beluacensis. Regnum Angliæ bellis & contentionibus deuastatur. Tamen fugitiui Edvvardo & eius patri castrum fortissimum .... reddiderunt, sed ad alia loca se transtulerunt. Hoc etiam anno dominus Othobonus Cardinalis à Papa Clemente missus est legatus in Angliam, cui in executione suæ legationis Magister Gregorius de Neapoli Baiocensis Decanus adiunctus est.

MCCLIIII. Obiit Fulco Hastim * Episcopus Lexouiensis, & sepelitur ante maius altare. Cui successit Guido de Veruilla Archidiaconus Constanciensis. In festo Pentecostes eodem anno Philippus primogenitus filius Ludouici Regis Francorum fit miles Parisius, cum tanto vrbis & ciuium apparatu, vt retroactis temporibus vix solemne festum Parisius factum vel alibi reperiatur. Vnde & tota ciuitas sericis pannis & cortinis extitit ornata, & omnia ciuitatis ministeria nouis vestimentis induta de pannis brodatis, sericis, cendalis, aut vestibus aliis secundum præceptum & dispositionem Præpositi Parisius. 1254.

* *sup.* Dastim.

D Qua de causa in Insula beatæ Mariæ per Simonem Legatum & Cardinalem prædicatum est de Cruce, & plurimi nobilium crucem ibidem sumpserunt, scilicet Rex Nauarræ, & cognatus eius Comes Drocensis, cum multa nobilitate militum. Similiter Odo Rigaudus venerabilis Rothomagensis Archiepiscopus cum pluribus Clericis ibidem crucem assumpsit. In Anglia Comes Glocestriæ contra Regem Edvvardum rebellat, & in Lodonia cum Forbannitis includitur. Sed Edvvardus ciuitatem obsedit, & tandem inter eos pax reformatur, & plurimi nobiles cruce signantur. KAROLVS Rex Siciliæ, pacato regno, ad Curiam Papæ reuertitur, & ab eo contra quasdam vrbes iamdiu à prædecessoribus excommunicatas mittitur, scilicet primitus contra Senenses ciues, fortissimum castrum Pulch. .... expugnat, & illi redditur. Quo facto contra Pisanos transit, & omnia terræ nascentia circa vrbem deuastat. Sed Sarracenis de Rocheriis rebellan-

LVDOVICVS. 1254. tibus in Apulia contra eum, ab obsidione reuocatur, atque ad debellandum Sarracenos in Apulia reuertitur, vbi à Cardinali Radulfo de * Piris legato ibidem ad reformandum statum Ecclesiæ destinato indulgentia plenaria euntibus contra Sarracenos prædictos prædicatur. A

HENRICVS frater Regis Hispaniæ ab Hispania relegatus à fratre, cùm in Africa diu sæuisset, tandem ad Regem Siciliæ, & Curiam venit Papæ, & à populo Romano Senator vrbis est electus. Qui postmodum, orta discordia inter Papam, Cardinales, & ipsum, in vrbe, thesauris Ecclesias suis spoliat, & vt dicitur, magnam pecuniam Cardinalium in custodiam depositam rapit. Vnde ad ipsum debellandum ex iussu Papæ Rex Siciliæ exercitum mittit.

AVDITO quòd Ludouicus Rex Francorum à Papa peteret decimam in subsidium terrę sanctæ, procuratores cathedralium Ecclesiarum regni Franciæ Parisius in vnum conuenerunt, & pluribus tractatibus habitis, tres Prouinciæ, scilicet Remensis, Senonensis, & Rothomagensis, solemnes procuratores ad Papam mittunt cum literis sequentibus. B

SANCTISSIMO *Patri in Christo ac domino C. diuina prouidentia sacrosanctæ ac venerabilis Ecclesiæ summo Pontifici, Decanus & Capitulum Remense, vel Rothomagense, cum ceteris Cathedralibus Ecclesiis Prouinciæ nostræ deuota pedum oscula beatorum. Domus Dei, quæ in lapide adiutorij super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum stabilita est, à Petro & eius successoribus, formam semper conditionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ sedis eminenti debent omnes Ecclesiæ, quas vbique terrarũ Religio Christi fundauit. Et quia de manibus cuiuscúmque Rectoris & ducis totius sibi populi commissi pendet salus, eò quòd vniuersa membrorum compago ex dispositione capitis informatur; clamat ad vestram clementiam talis prouidentia sumptibus intolerabilibus exhausta, plenam repertans de vestra sanctitate fiduciam, postulans vt vestræ potestatis consolatione respiret in his, in quibus desolatã se sentit & mœrore affectam. Sanè nouit vestra sanctissima paternitas, & in fines orbis terræ credimus exiuisse, quantis perturbationibus & pressuris vniuersalis Ecclesia, potissimè Gallicana, sit turbata, nunc decimam, nunc duodecimam præstando, nunc centesimã, nunc multarum aliarum exactionum grauamina sustinendo, in quibus nisi à sede Apostolica plenam possit assequi libertatem, pestis ista latissimè se diffundet, & in commune totius Cleri dispendium redundabit. Præsertim cùm interrogante nostro Saluatore seniorem Petrum prædecessorem vestrũ:* C Reges, *inquit,* terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis suis, vel ab alienis? *Respondit Petrus,* Ab alienis. *Et exinde intulit Dei filius, cuius vices geritis in terris:* Ergo liberi sunt filij. *Vbi glosa Rabani ait, Antequam Petrus suggereret, Dominus interrogat, ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi. Quod quidem scandalum, hodie, proh dolor! longè latéque diffunditur in filios totius Ecclesiæ Gallicanæ. Nec mirum, cùm legatur in sacro & antiquo Canone, quod Esdras Sacerdotibus & Leuitis & sacris Cantoribus templi nullum tributum imposuerit. Sed & in Libris Regum legitur de sapientissimo Salomone, quòd vniuersum populum, qui remanserat de Amorreis & Etheis, Phariseis tributarios fecerit. De filiis autem Israel nõ constituit Salomon seruire quenquam cum tributo. Tandem, quantam iugum seruitutis huius Dei filio displicuerit, fide oculata & miserabili experientia nuper demonstrauit. Vnde enim spoliati sunt veri Hebræi ad literam ditati sunt AEgyptij, & Israel anathemate pollutus coram hostibus, licet inimicis Crucis Christi in prælio stare non potuit: quia anathema decimæ & duodecimæ per XII. annos inuentum erat in medio sui. Ceterùm, quòd propter huiusmodi exactiones Orientalis Ecclesia ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserit, patet cunctis. Quod denique Sacerdotes, Clerici, & Monachi per vniuersam Ecclesiam Gallicanam occasione huius decimæ minus plenè solutæ sunt suspensi, excommunicati, & irregulares facti: & quàm crudeliter sint exactæ, turpe est ostendere, impossibile numerare. Insuper, clementissime Pater, pariter ad memoriam reuocate, qualiter in supradictis exactionibus humilis obedientia remuneratur Ecclesia Gallicana, quia afflictæ afflictio superadditur, miseria non miseretur. Vulnus super vulnus conditur, quia princeps Prouinciarum facta est sub tributo, cùm ceteris Reginis mundi tanta seruitutis iugum nusquam imponatur. Imò reuera iam vulgariter ignominiosum prouerbium in nostro regno vertitur, quòd plus sunt serui hodie Clerici quàm laici, vt petita licentiâ vera loquamur. Cùm ergo intellexerimus quòd dominus* LVDOVICVS *Rex illustrissimus Francorum vestræ sanctitati supplicarit, vt decimam, vel aliam quotam in vniuersa Ecclesia Gallicana, vestra sanctitas concedere dignaretur eidem, & per talem concessionem sup-* D

A *poneretur sancta mater Ecclesia iugo perpetuo & intolerabilis seruitutis, idcirco ad pedes vestræ præcelsæ sanctitatis flexis genibus cordis, & complosis manibus cum filiis Israël, compulsi seruitute cum deploratione prouoluti humiliter & feruenter supplicamus; quatinus in ista supplicatione taliter se habeat vestra sanctitas, quod sancta mater Ecclesia temporibus nostris de variis oppressionibus respiret ad pacem, & de tantis tempestatibus ad tranquillitatem resurgat. Conseruet vos Deus ad seruandam debitam Ecclesiis Gallicanis libertatem, & quasi lux splendens & præfulgens crescat vsque in perfectum diem, Amen.* LVDOVICVS.

REX verò Ludouicus circa prędictos Ecclesiarum nuncios ad Papam vehementer exasperauit. Vnde cum magna austeritate nuncios Ecclesiarum suscepit, & durè locutus ad eos, nihil acto de negocio Ecclesiarum, absque honore remisit, decimámque dari Regi per triẽnium confirmauit, magnísque minis & terroribus rebelles compescuit. In Parlamẽto Purificationis Paris. à Rege Ludouico & Comitibus, ceterísque crucesignatis nobilibus iurata est motio ab illo tempore in duos annos.

MCCLV. CORADINVS filius Coradi quodam filij Federici ab Alemania exercitum traducit contra Regem Siciliæ Karolum, & à ciuitatibus rebellibus Ecclesiæ deducitur vsque Romam, & in odium Regis Siciliæ & Ecclesiæ à Romanis cum maximis honoribus recipitur, & vrbem intrauit, plurimósque nobilium vrbis per inanes submissiones suas exercitui iunxit, Henricum filium Regis Hispaniæ Senatorem vrbis sibi sociauit, & terram Apuliæ & Calabriæ vel dare se promisit, Romanósque hæredes, si in bello moreretur, instituit, & exercitum maximum ad vrbem mouit, vt prædictas terras debellaret, quas sibi iure hereditario vendicabat. Auditóque quod veniret Carolus Rex, cum exercitu suo quamuis multo minori illi obuiam venit, prælium in campo Palentino committitur, Corradinus vincitur, magna strages fit sui exercitus, capitur ipse cum filio Ducis Astruciæ, capitur & Henricus Senator vrbis cum nobilibus Romanorum: & post præiudicium nobilium terræ, Coradinus & filius Ducis Astruciæ cum multis aliis nobilibus decapitantur. Henricus Senator captiuus in carcere detinetur. Hoc bellum gestum est die Iouis post octauas Assumptionis beatæ Mariæ. Eodem anno, satis tempestiuè post bellum Rex Carolus electus est in Senatorem vrbis, & per alium Senatoriam administrare illi concessum est: & reuertitur ad bellandam Nucheriam in Apulia ciuitatem Saracenorum rebellem. 1255.

B

C

EDVVARDVS in Anglia crucem assumpsit. Octobonus qui legatus est in Anglia, ad Curiam reuertitur. Ludouicus Rex Francorum iter suum transmarinum præparat, & maximam pecuniarum copiam congregat, tam de decima prouentuum Ecclesiasticorum, quàm ciuitatum, castellorum, & burgorum regni sui. Radulphus de Piris Albanensis Episcopus, Cardinalis Legatus pro negocio crucis à Papa Clemente in Francia, ad supplicationem Regis, & Simon Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Ceciliæ, qui legatus fuerat pro negocio regni Siciliæ, recedit.

OBIIT Clemens Papa circa festum sancti Andreæ Apostoli, & inter Cardinales contentio magna oritur de Pontifice eligendo, non valentes in vnum concordare, in tres partes ita diuisi, vt duæ partes non possent in aliquem promouendum conuenire, sicut electio Papæ requirit.

D MCCLVI. A Rege Siciliæ Carolo Nuceria rebellis ciuitas Sarracenorum capitur. 1256.
Edvvardus primogenitus Regis Angliæ venit in Franciam Parisius, & loquutus est cum Lodouico Rege Francorum, pepigítque & iuramento firmauit, quòd satis tempestiuè pòst eum transfretaret contra Sarracenos. Obiit RAGINALDVS Parisiensis Episcopus. Ludouicus Rex Francorum BLANCHIAM filiam despósauit filio primogenito Regis Castellæ. Adhuc tanta fuit hoc anno Cardinalium dissentio, quòd Papam eligere non potuerunt. Ludouicus Rex Francorũ cum filiis suis, & cum Comitibus & Baronib. iter suæ peregrinationis in principio veris, aggreditur.

MCCLVII. LVDOVICVS circa Octauas beati Ioannis Baptistæ mare apud Marcelliam & Aquam mortuam cum exercitu suo ingreditur, & tendit in Africam, atq; applicat cum exercitu in portu antiquo Carthaginis, eandémque vrbem, sed paruam & destructam cepit, castráque posuit. Carolus Rex Siciliæ in Auxilium fratris sui Ludouici vsque ad Carthaginem transiuit. Rex Ludouicus in castris graui infirmitate pressus obiit, & filius eius Ioannes: Radulphus de Piris 1257.

PHILIPPVS. Cardinalis similiter, & multi alij Comitum & Baronum. Vnde exercitus multum A extitit desolatus, Sarracenis contra illos dimicantibus, & de insidiis cotidie egredientibus, nec eos pacem de nocte habere sinentibus. Exercitus tamen contra Regem de Tunes & eius nobilem ciuitatem mouit, & Sarracenos de tentoriis fugauit: approximans ciuitati, tandem interuenientibus nunciis pacem fecerunt cum Rege de Tunes & Barbariæ, vt subditus esset dictus Rex Regi Siciliæ, & tributum eidem redderet consuetum, quod diu reddiderat antecessoribus suis: sed per multos annos cessauerat, quia Sicilia & Apulia erat in contentione. Quod statim soluit pro annis transactis, & magnam partem sumptuum Philippo Regi Francorum, qui patri Ludouico successerat, atque aliis Comitibus & Baronibus reddidit. Qua pace confirmata, Edvvardus filius Regis Angliæ ad exercitum venit. Et non diu post exercitus cum Regibus transiit ab Africa in Siciliam, treuga accepta cum Sarracenis vsque ad xv. annos, vt dicebatur. B

IN reditu, siue statim post reditum exercitus in Sicilia, obiit Rex Nauarræ. Obiit & vxor eius filia Regis Ludouici. Obiit & iuuenis Regina vxor Philippi primogeniti Ludouici, qui post ipsum regnauit, & plures alij nobilium, Comitum, & Baronum. Circa Quadragesimam Rex Siciliæ Karolus, & Rex Franciæ Philippus venerunt apud Viterbium, Cardinalibus supplicantes vt eligerent Papam. Sed nihil profuit. Et cùm ibidem morarentur, filij SIMONIS DE MONTEFORTI Simon & Guido, cum auxilio Comitis Ruffi in Ecclesia Henricum de Alemannia filium Regis Ricardi cognatum suum, hominem prudentem & pium, qui nec in bello fuerat, & pro illorum reuocatione laborauerat, nequissimè occidunt, quamuis in custodia Regum esset, & coram eis SIMON primogenitus eundem assecurasset: & eo occiso in Ecclesia apud Viterbium, recesserunt liberi in terram Comitis Ruffi, qui GVIDONI filiam suam dederat in vxorem.

1258. MCCLVIII. PHILIPPVS primogenitus Ludouici cum fratre suo, Comitibus, & Baronibus, circa Pentecostem rediit, & venit Parisius, deferens ossa patris sui, fratris, & vxoris; & vocatis Prælatis regni, apud sanctum Dionysium honorificè sepeliuit. C

HOC anno ex nimia inundatione pluuiarum ferè vbique terrarum carum tempus fuit, maximè post Natale Domini. Cardinales circa mẽsem Septembris Papam elegerunt quendam Archidiaconum Leodicensem, genere Placentinum, nomine Theodinum, qui tunc causâ peregrinationis trãsierat mare cum Edvvardo filio Regis Angliæ primogenito, & morabatur apud Achonem. Comes Pictauensis, & vxor eius Comitissa de Tholosa, cùm redirent de Africa, obierunt, quorum corpora in Francia relata sunt, & sepulta apud sanctum Dionysium. Obiit & Ioannes de Cortonoio Archiepiscopus Remẽsis. Rex PHILIPPVS coronatus est Remis ab Episcopo Suessionensi Dominica post octauas Assumptionis beatæ Mariæ, & circa festum sancti Dionysij Parisius cum maximo ciuitatis & ciuium apparatu receptus. Circa Natale Domini in Pictauiam perrexit & Tolosam ex morte Comitis auunculi sui & Comitissæ iure hereditario possidẽdas. Sed quibusdam nobilibus eidem resistentibus, de toto regno suo exercitum ad debellandum eos cõgregat. Circa Quadragesimam Apostolicus à transmarinis partibus Romam rediit, & ibidem consecratus est in Papam, vocatúsque GREGORIVS X. Papa CLXXXVIII. Obiit Rex D Anglorum Henricus, & Rex Alemanniæ Ricardus frater eius in Anglia. Obiit Dux Burgundiæ, & vir venerabilis & discretus Magister G. de sancto-Amore qui * relegatus fuerat à regno Franciæ. Edvvardus primogenitus Regis Anglorum à partibus transmarinis reuersus, circa Quadragesimam venit ad Curiam domini Papæ, & frater eius EADMVNDVS rediit in Angliam.

1259. MCCLIX. Hoc anno Gregorius Prælatorum Concilium & Capitulorum citauit, præfigens à mense Maij in duos. Rex Francorum Philippus Comitem de Fois, & quosdam sibi rebelles nobiles in Comitatu Tolosano eis se tradentes secum adduxit, & carceri mancipauit. In Septembri causâ peregrinationis Montem sancti Michaëlis in periculo maris visitauit, & cum magno apparatu vbi transiit, à ciuitatibus & castellis Normanniæ receptus est.

EXPLICIT.

ANNALIS

HISTORIA BREVIS IN MONASTERIO S. STEPHANI CADOMENSIS CONSCRIPTA,

Et nunc primùm ex antiquo Codice deſcripta.

A ANNO DCXXXIII. ſanctus AVDOENVS ordinatur Epiſcopus.

Anno DCCXXII. ſanctus HVGO Archiepiſcopus præfuit Eccleſiæ Pariſiacenſi & Baiocenſi.

Anno DCCXXX. obiit ſanctus Hugo.

Anno DCCXXXVIII. defuncto Kardo, Karlomannus & Pipinus Maioratum Domus adipiſcuntur.

Anno DCCXLVI. Karlomannus Romam perrexit, & Monachus effectus eſt in monte Sarepti, vbi Eccleſiam in honore S. Silueſtri conſtruxit, & indè ad Montem Caſſinum Monaſterium ſancti Benedicti tranſiit.

Anno DCCLII. Pipinus Rex efficitur.

Anno DCCLV. benedicitur Pipinus Rex à S. Stephano Papa Pariſius, & filij eius Karolus & Karlomannus, & filia Sigila.

Anno DCCLXI. Conſtantinus Imperator Pipino donaria mittit.

Anno DCCLXVIII. Pipinus Rex obiit. Initium regni Karoli Regis.

Anno DCCLXX. Karlomannus obiit, frater Karoli.

Anno DCCLXXIV. Karolus Romam vadit, indè reuerſus Papiam cepit cum Rege Deſiderio. Captis ciuitatibus vniuerſis Italiæ, apud Cæſaraugustam exercitum coniunxit, & acceptis obſidibus, ſubiugatis Sarracenis, per Narbonam, & Vvaſconiam, Franciam rediit. B

Anno DCCLXXIX. Karolus Pampilonam vrbem deſtruxit. Karolus Saxoniam venit.

Anno DCCLXXX. Karolus Romam vadit.

Anno DCCLXXXI. Vuiticingis cum ſociis in Atiniaco baptizati.

Anno DCCLXXXV. Karolus perrexit Romam, deinde ad Capuam & ſanctum Benedictum.

Anno DCCXC. Taſſilo Dux venit in Franciam, & Bauuaria capta eſt.

Anno DCCC. Karolus Rex factus eſt Imperator, & à Romanis Auguſtus appellatus.

Anno DCCCIV. Leo Papa in Franciam venit, & in Cariſiaco villa cum Karolo Imperatore Natiuitatem Chriſti celebrauit.

Anno DCCCVIII. Tranſitus S. Liudgeri Epiſcopi & Confeſſoris, Capellani ipſius Karoli.

Anno DCCCX. Karolus cum Nicephoro Imperatore Constantinopolitano pacem facit. A

Anno DCCCXIV. Karolus Imperator obit. Initium regni Ludouici filij eius. Karolus Ludouico Aquisgrani Palatio coronam Imperij imposuit.

Anno DCCCXXIV. Ludouicus in Pascha à Paschali Papa Romæ coronatur, & Imperator est appellatus.

Anno DCCCXXXI. reliquerunt Ludouicum, & elegerunt Lotharium. Redditum est Ludouico regnum.

Anno DCCCXXXVI. Herio insulâ translatio sancti Filiberti, quando Normanni vastauerunt Britanniam, & alias terras.

Anno DCCCXL. Ludouicus Imperator obit. Drogo frater eius detulit eum ad sepeliendum Mediomatricum.

Anno DCCCXLI. Bellum inter fratres, Ludouicum, Lotharium, & Karolum, filios Ludouici; in quo populus Christianus vtrinque mutua se cæde prostrauit. B

Anno DCCCXLII. Translatio sancti Audoëni, quando Normanni vastauerunt Rothomagum, & succenderunt Monasterium eius.

Anno DCCCLI. venerunt Normanni in Sequanam. Et iterum venerunt alij Normanni.

Anno DCCCLV. obiit Lotharius Imperator filius Ludouici.

Anno DCCCLXV. venerunt Normanni medio Iulio.

Anno DCCCLXVIII. fames & mortalitas hominum, & pestis animalium.

Anno DCCCLXXIII. Karlomannus Abbas à patre suo Karolo Caluo excæcatur.

Anno DCCCLXXV. obiit Ludouicus Rex. Item Karolus Italiam ingreditur, & eandem terram Karlomannus per aliam viam. Inde Karolus territus fugit, & eo itinere mortuus est.

Anno DCCCLXXIX. Ludouicus Rex Saxonum adhuc Karlomanno viuente Bauuariam ingreditur. Initium belli Francorum contra Paganos, Ludouico filio Ludouici primùm exeunte ad pugnam. Deóque donante potiti sunt victoriam, & pars maxima eorum cecidit. C

Anno DCCCLXXXIII. sedes Normannorum in Diusburg.

Anno DCCCLXXXV. Karolus Imperator obit. Arnulfus Rex efficitur Imperator.

Anno DCCCXCII. capta est ciuitas Ebroacensis. Sed Episcopus Sebar Deo adiuuante euasit.

Anno DCCCXCIV. initium regni Karoli pueri. Huius miles Hagano.

Anno DCCCXCVI. Arnulfus Imperator obit.

Anno DCCCXCVII. Ludouicus in Regem eleuatur. Hungari Italiam ingressi multa fecerunt. Zeudebaldus Rex filium Arnulfi interfecit.

Anno DCCCXCVIII. Rollo Carnotis ciuitatem obsedit. Sed religiosus Episcopus Vvaltelmus Ricardum Burgundiæ Ducem, & Ebalum Comitem Pictauiensem in auxilio aduocans, tunicam beatæ Mariæ in manibus ferens, Rollonem fugauit, ciuitatem liberauit, sex millia Nortmannorum interemit.

Anno DCCCCIII. bellum inter Conradum & Adalbertum Francos, in quo Conradus cecidit. D

Anno DCCCCXI. Ludouicus filius Arnulfi obit.

Anno DCCCCXIII. baptizauit Franco Archiepiscopus Rollonem. Facta est pax inter Karolum & Rollonem. Dedítque ei Karolus filiam suam Gislam, de qua nullum filium habuit. Post, accepit Popam * filiam Comitis Siluanectensis, de qua genuit Vvillelmum.

Anno DCCCCXV. relatus est sanctus Audoënus de Francia in Normanniam.

Anno DCCCCXVII. obiit Rollo, successit Vvillelmus.

Anno DCCCCXXVII. obiit Karolus Rex Francorum. Successit Ludouicus.

Anno DCCCCXXXV. firmata est pax inter Regem Francorum Ludouicum, & Regem Teutonum Henricum. In quo placito fuit Vvillelmus Dux Normannorum, & Ricardus Dux Burgundionum. Vvillelmus rediens filium Ludouici Lotharium de fonte leuauit.

A Anno DCCCCXXXVIIII. baptizauit Henricus sanctissimus Præsul Bajocensis Ecclesiæ primum Ricardum Vvillelmi filium.

Anno DCCCCXLII. occiditur Vvillelmus filius Rollonis XVI. Kal. Ianuarij. Succedit Ricardus vetus. Hoc anno eodem fuit Herluinus interfectus.

Anno DCCCCL. Otto Rex ingressus Italiam sibi subiugauit.

Anno DCCCCLVI. Liudulfus Ottonis Regis filius, subiugata sibi Italia, ibidem obiit.

Anno DCCCCLXI. Otto puer in Regem eleuatur in Aquisgrani palatio. Otto ex Rege fit Imperator.

Anno DCCCCLXXII. Otto Imperator obit.

Anno DCCCCLXXXVI. Lotharius Rex Francorum.

Anno * DCCCCLXXXVIII. Lotharius terram Arnulfi nolentis sibi seruire inuadit. Atrebatum, & plures munitiones capit. Sed Ricardus eum Regi pacificauit. *

B Anno DCCCCLXXXIX. dedicatio Ecclesiæ Fiscanensis.

Anno * DCCCCXCI. Obit Lotharius, in quo progenies Karoli Magni à regno funditus destituitur. Et Hugo Magnus filius Hugonis Rotberti Ducis filij in Regem eleuatur. *

Anno DCCCCXCV. Rotbertus Rex Francorum.

Anno DCCCCXCVI. obit Ricardus primus, succedit Ricardus secundus.

Anno MXVII. obit Iudita Comitissa.

Anno MXXV. obit Vvillelmus Monachus, filius Ricardi Comitis.

Anno MXXVI. obit Ricardus secundus Dux Normannorum. Succedit Ricarcardus tertius, qui eodem anno mortuus est. Robertus frater eius succedit.

Anno MXXXI. obit Rodbertus Rex Franciæ, cui succedit Henricus filius eius. eodem anno obit Gunnordis Comitissa.

Anno MXXXIII. obit Mathildis filia Ricardi Comitis.

Anno MXXXV. obit Rodbertus Dux Normannorum. Cui succedit Guillelmus filius eius in puerili ætate.

C Anno MXXXVII. obit Robertus Archiepiscopus. Succedit Malgerius, qui culpâ exigente depositus est.

Anno MXLVI. bellum apud Valliumdunas.

Anno MXLIX. Leo Papa Concilium Remis habuit.

Anno MLIV. Bellum apud Maremortuum.

Anno MLV. deposito Malgerio, succedit Maurilius Rothomagensis Archiepiscopus.

Anno MLX. obit Henricus Rex Francorum, cui succedit Philippus filius eius.

Anno MLXI. Ioannes Episcopus Abrincensis, mense Septembri.

Anno MLXIII. subiugata est Cinomannis Comiti Normannorum Vvillelmo.

Anno MLXV. obit Edvvardus Rex Anglorum.

Anno MLXVI. Vvillelmus Dux Normannorum transiit mare, III. Kal. Octob. cum valida Normannorum manu. Cui occurrit Heroldus cum eo pugnaturus. Cōmissóque prælio pridie Idus Octobris, ruit Heroldus, eiúsque exercitus. Posthoc Vvillelmus eleuatur in Regem die Natalis Domini, apud Londoniam Anglorum maximam vrbem.

D Anno MLXVII. obit Maurilius Rothomagensis Archipræsul, Monachus Fiscannensis.

Anno MLXIX. Maurilio succedit Ioannes filius Rodulfi Comitis fratris Ricardi, qui priùs Abrincensi Ecclesiæ VII. annis & tribus mensibus præfuit. Et postea rogatu Alexandri Papæ, concedente Guillelmo Principe Normannorum, & Rege Anglorum, adeptus est cathedram Rothomagensis Ecclesiæ.

Anno MLXXIII. inuaserunt Monachi S. Audoëni Ioannem Rothomagensem Archiepiscop. Missam celebrantem in festiuitate eiusdem sancti, cum armata manu virorum. Vnde iudicatum est in Concilio in eadem ciuitate congregato, præsidente Rege Anglorum Vvillelmo, Monachos huius criminis reos per Abbatias carceribus retrudi ad placitum Archiepiscopi. Inde complures discipuli fuerunt, vnus Vurnemarus nomine apud Fiscannum, alter apud S. Vvandregisilum nomi-

ne Benedictus, alter apud Gemeticum nomine Rodulfus. Hoc anno dedicata est A
Basilica S. Stephani Cadomi.

Anno MLXXIV. congregatum est Concilium in Rothomagensi vrbe, præsidente Vuillelmo Anglorum Rege, Normannorum Principe, & Ioanne Archiepiscopo cum suis suffraganeis, Odone Bajocensi Episcopo, Hugone Luxouiensi, Michaële Abrincensi, Gilleberto Ebroacensi, Roberto Sagiensi.

Eodem anno obtulit Guillelmus Rex Anglorum die sancto Paschæ in Ecclesia Fiscannensi filiam suam, per manum Ioannis Archiepiscopi consecrandam. Inibi etiam instituit legem sanctam, scilicet ne aliquis homo aliquem hominem assailliret pro morte alicuius sui parentis, nisi patrem aut filium interfecisset.

Anno MLXXIX. obit Ioannes Rothomagensis Archiepiscopus. Huic succedit Vuillelmus Rothomagensis Archiepiscopus, qui fuerat Monachus & Abbas S. Stephani Cadomensis.

Anno MLXXXII. in Normannia & Francia mortalitas hominum fuit. B

Anno MLXXXIII. obit Matildis Anglorum nobilis Regina, ex cuius nobilitate largiflua multa apud nos habentur beneficia.

Anno MLXXXVII. obit Guillelmus Rex Anglorum & Dux Normannorum, cuius amor & iustitia tantùm viguit in sancta Ecclesia, quòd eandem ..... & Deo seruiret in continua pace atque concordia.

Anno MLXXXIX. obit Lanfrancus, primus Abbas Cadomi.

Anno MXCI. magna siccitas gramina terræ perussit, segetes & legumina læsit. Quibus pereuntibus maxima fames successit.

Anno MXCVI. perrexit Comes Normannorum Robertus in Hierusalem, & multi alij.

Anno MXCIX. capta est Hierusalem à peregrinis XV. die mensis Iulij. Ab hac verò die computatis XX. diebus, inuenta est Crux à supradictis peregrinis, videlicet II. Non. Augusti.

Anno MC. occisus est casu sagittâ in Nouaforesta Vuillelmus Rex Rufus Anglorum, filius illius Vuillelmi, qui ipsam terram conquisiuit. Cui successit frater eius C
Henricus. In hoc ipso anno, antequam hoc euenisset de Rege, cœpit sanguis de quodam fonte decurrere in ipsa Anglia, & multa alia signa euenerunt.

Anno MCI. obit Gislebertus Abbas & Monachus S. Stephani Cadomi.

Anno MCV. captus est Robertus Dux Normannorum.

Anno MCVI. apparuit stella perlongum ex se emittens radium mense Febr. Hoc ipso anno obiit Henricus Imperator Alamanniæ, cui successit filius eius Henricus. Hoc ipso anno bellum commisit apud Tonneschebray Henricus Rex Anglorum contra fratrem suum Robertum Ducem Normannorum. Hoc ipso anno obiit Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus.

Anno MCVII. obierunt Robertus Abbas Cadomensis, & Vuillelmus Abbas Fiscannensis.

Anno MCVIII. obit Philippus Rex Francorum, cui succedit Ludouicus filius eius. Hoc tempore in vigilia Natiuitatis Domini fuit ventus vehemens, arbores & multa ædificia prosternens. Eodem anno post Natiuitatem Domini, cuiusdam viri vxori diabolus sub specie sui mariti apparuit, eíque diuersas epulas obtulit, quæ per D
suggestionem sui Sacerdotis, cui confessionem de peccatis suis fecerat, diabolo iterum ei apparenti interrogauit, quid ventus prædictus portenderit. Tot, inquit, homines, quot arbores ceciderunt, hoc anno iudicio Dei morerentur, nisi hæc pestilentia precibus superorum in arbores conuerteretur.

Anno MCX. obit Vuillelmus Rothomagensis Archiepiscopus, Abbas & Monachus sancti Stephani Cadomi. Hoc tempore, vicesimo die mensis Augusti, in quadam campi planitie, quæ sita est inter Andeleium & Nogionem, factum est prælium inter Ludouicum Regem Francorum & Henricum Regem Anglorum: vbi Normanni Francos fugauerunt, & Guillelmum Clitonem postea Flandriæ Comitem abire, & fugere permiserunt.

Anno MCXX. Henricus Rex pace facta in Normanniam venit.

Anno MCXII. apud Hispanias factum est grauissimum prælium inter duos Reges Sarracenorum missos à Rege Alis Africanorum, & Regem Arragonum no-

A mine Ildefonsum: vbi omnis Christianorum exercitus aut est captus, aut occisus; præter Regem, qui iussu & contestatione Archiepiscopi, & ceterorum, tristis & mœrens, quòd eos vsque ad mortem desereret, & vix de prælio penè solus elapsus est. Sed statim cum Roberto cognomine Bordet, & magno exercitu Francorum; qui properabat in eius adiutorium, ad prælium reuersus est; & vniuersa multitudo paganorum cum Regibus eorum Deo iuuante occisa est, & captiuos qui erant in duabus nauibus liberauerunt, ipsasque naues capitibus plenas occisorum, per quosdam paganos, quibus hac de causa pepercerunt, ad Regem Alis trans mare in Africam miserunt. Post paucos dies Ildefonsus Rex senio & laboribus fractus ad extremum venit, & post acceptam à Deo victoriam, gaudens finem vitæ accepit. Cui frater eius nomine Remigius, de Monasterio, vbi erat Monachus, quia alium heredem non habebat, extractus, in regno successit. Eodem tempore Nauares Garsirium elegerunt, & super se Regem constituerunt. Prædictus verò Robertus tunc temporis Terraconensem Prouinciam regebat, & fortiter eam à Paganis defendebat.

B Anno MCXXVI. obit Cecilia Abbatissa, VVillelmi Regis filia.

Anno MCXXVIII. obit VVillelmns Comes Flandriæ. Eodem tempore magnam multitudinem virorum & mulierum mortalitas, sacer ignis, quædam pestilentia flegmatica, maximè in pago Carnotensi prostrauit. Sed beata Dei genitrix apud Carnotum in Ecclesia sua multotiens visibiliter apparuit, & multos infirmos sanauit.

Anno MCXXXIV. obit Robertus Comes Normannorum, scilicet XXIX. anno ex quo captus fuerat.

Anno MCXXXV. obit Henricus Rex Anglorum IV. Non. Decembris, cuius tempore pax fuit in Anglia. Cui successit Stephanus Comes Moritonij, sororis suæ filius.

Anno MCXXXVII. fuit siccitas magna, in tantum vt flumina, fontes, & putei siccarentur.

Anno MCXL. obit Eudo Abbas Cadomensis.

C Anno MCXLI. IV. Non. Febr. captus est Stephanus Rex Angliæ in bello à Roberto Comite Glocestriæ, & multi alij. Eodem anno obsedit eundem Comitem Episcopus VVintoniensis in ipsa VVintonia, & cepit eum. Quo facto, Regem reddidit, & ipse liber euasit.

Anno MCXLIV. subiugata est Normannia Gaufrido Andegauensi Comiti, reddita ei ciuitate Rothomagensi.

Anno MCXLVIII. Ludouicus Rex Franciæ perrexit in Hierusalem, & multi alij per terram & per mare.

Anno MCL. Henricus nepos Regis Henrici suscepit Ducatum Normanniæ. Hoc anno obiit Gaufridus Comes Andegauis.

Anno MCLI. obiit Adamus Abbas huius Monasterij.

Anno MCLIV. obiit Stephanus Rex Anglorum, cui successit Henricus nepos Regis Henrici, filius Comitis Andegauensis.

Anno MCLV. natus est Henricus filius Regis Henrici.

Anno MCLVI. obiit Petrus Abbas huius Monasterij.

D Anno MCLVII. natus est Ricardus filius Henrici Regis Anglorum.

Anno MCLVIII. natus est Gaufridus filius Henrici Regis Anglorum.

Anno MCLXII. fames valida fuit, & penuria victus, in quo plures fame perierunt. Nam vnus sextarius ordei vendebatur XIII. solid. cen.

Anno MCLXIII. obiit Philippus Episcopus.

Anno MCLXVII. obiit Mathildis Imperatrix filia Regis Henrici, & mater iunioris Henrici Regis. Eodem anno subiugauit sibi Rex Henricus totam Britanniam.

Anno MCLXX. Henricus Rex transfretans in Angliam, maximam tempestatem passus est in mari. Eodem anno, interueniente Papa Alexandro, concordatus est cum Rege Henrico Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, sed eodem anno à quibusdam militibus interfectus est. Hoc ipso anno, concedente Papa

Alexandro vnctus est in Regem ab Archiepiscopo Eboracensi Henricus filius Regis Henrici. A

Anno MCLXXIII. Henricus Rex perrexit Hiberniam, & dominationem terræ sibi conquisiuit.

Anno MCLXXIV. Rex Franciæ Ludouicus obsedit vrbem Rothomag. cum exercitu valido.

Anno MCLXXIX. obiit Vuillelmus II. Abbas Cadomi.

Anno MCLXXXIII. Henricus iunior Rex Angliæ obiit. Hoc eodem anno obiit Rotro Archiepiscopus Rothomagi. Cui successit Gualterius de Constantiis.

Anno MCLXXXVII. capta est ciuitas Hierusalem à Saladino Principe paganorum.

Anno MCLXXXIX. obiit illustris Anglorum Rex Henricus pater Henrici & Ricardi Regum, apud Chinon.

Anno MCXC. perrexerunt in Hierusalem Ricardus Rex Angliæ & Philippus Rex Franciæ. In hoc itinere cepit Ricardus Miscenas; Philippo ibi hospitato sibi venalia per inuidiam prohibente. Deinde Cyprum insulam, Imperatore eiusdem B captiuato, cum sua filia sibi nauigio conquisiuit. Qui cùm Achon cum Philippo cepisset, & per se multa oppida subiugasset, rediit; Hierusalem minimè liberata.

Anno MCXCII. eundem Ricardum ab Hierusalem incautè redeuntem cepit Dux de Osteriche. Pro cuius redemptione totius regni Ecclesiæ calicibus & thesauris spoliatæ sunt. Hoc anno Philippus Rex Franciæ multa oppida Normanniæ cepit, & Rothomagum obsedit, dum Rex Ricardus in Alemannia teneretur.

Anno MCXCIII. Rex Ricardus liberatus est. Mensibus XIV. tentus fuit. Hoc anno obiit Petrus Abbas Cadomi.

Anno MCXCV. fuit bellum inter Christianos & paganos in Hispania. Hoc anno venditus est sextarius salis XL. sol. cen. sextarius frumenti XVI. sol. cen. ordei XII. sol.

Anno MCXCVI. obiit Robertus Abbas Cadomi. Hoc anno Philippus Rex Franciæ cepit Albammarlam. Sed pro redemptione hominum, qui dictum oppidum per quinque septimanas strenuè defenderant, accepit à Ricardo Rege Angliæ MMCCCCC. marc. argenti, & postea recessit, terrę coæquata. Interim autem dum C ibi sederet, prædictus Ricardus cepit castellum, quod dicitur Nonancort.

Anno MCXCVIII. obiit Ricardus Rex Anglorum, VII. Idus Aprilis. Et eodem anno successit ei in Regem Ioannes frater eius, & Regis Henrici filius.

Anno MCCV. obiit Henricus Episcopus Bajocensis. Hoc anno subiugata est Normannia Philippo Regi Francorum, tradita ei ciuitate Rothomagensi. Hoc anno factus est cataclismus magnus in Prouinciis Cadomo adiacentibus.

Anno MCCXIV. obiit Samson Abbas Cadomi, VII. Idus Marcij.

Anno MCCXV. fuit vniuersale Concilium apud Romam, præsidente domino Innocentio Papa III. in quo fuerunt Episcopi CCCCXII. & duo Patriarchæ.

Anno MCCXVI. obiit Ioannes Rex Angliæ, IX. Kal. Nouembris. Et eodem anno factus est Rex Angliæ Henricus filius eiusdem Ioannis.

Anno MCCXXI. mortuus est Robertus Archiepiscopus Rothomagensis.

Anno MCCXXIV. obiit Philippus Rex Franciæ.

Anno MCCXXV. fuit fames valida, & penuria victus. Nam vnus sextarius ordei vendebatur XII. sol. cen. & vnus sext. frumenti XV. sol. cen. D

Anno MCCXXVI. mortuus est Ludouicus Rex Francię filius Philippi, & multi alij nobiles, in terra Albigensium. Et eodem anno successit ei in Regem Ludouicus filius suus, habens annos XII.

Anno MCCXXVII. translatum est caput sanctæ Barbarę Martyris in suam propriam Ecclesiam, in Normanniam, in Episcopatu Lexouiensi.

Anno MCCXXXVIII. obiit domnus Odo Abbas huius Monasterij, III. Kal. Aprilis. Qui rexit hanc Ecclesiam XXIV. annis valde vtiliter.

Anno MCCXLI. mense Septembri, in crastino festi sancti Mauricij fuit terræ motus apud nos; ita quòd ædificia lapidea, & magni lapides jacentes super terram videbantur moueri.

Anno MCCXLVIII. Ludouicus Rex Francorum volens ire Hierusalem, exi-

tuit

A uit Parisius post festum S. Ioannis Baptistæ, & iuit apud Aiguemorte, vbi intrauit mare, & applicuit Cyprum.

Anno MCCXLIX. capta est ciuitas Damietæ à Ludouico Rege Francorum post octauas Pentecostes.

Anno MCCLIX. obiit dominus Guido Episcopus Baiocensis, IIII. Kal. Martias.

Anno MCCLX. mortuus est Adam Abbas huius Monasterij, qui rexit hanc Ecclesiam XVI. annis.

Anno MCCLXII. fuit mors valida in Normannia.

Anno MCCLXIII. obiit Ricardus de Condé Prior huius Monasterij, XV. Kal. Iulij.

Anno MCCLXV. obiit Nicolaus Abbas huius Monasterij, qui rexit hanc Ecclesiam V. annis, & obiit III. Idus Iunij.

Anno MCCLXVII. fuit Philippus filius Ludouici Regis Franciæ crucesignatus, B & apud Parisius armis militaribus nouiter insignitus in die sancto Pentecostes. Et tanta lætitia Parisius vtriusque populi facta est, quanta antea audita non fuerat neque visa.

Anno MCCLXIX. XII. Kal. Augusti, conuenerunt apud Cadomum Radulfus Albanensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, & Ludouicus Rex Franciæ, cum tribus filiis suis, videlicet Philippo, Petro, & Ioanne. Qui & triduum ibi commorantes, quarto die recesserunt.

Anno MCCLXXV. perrexit Rex Franciæ in Hispaniam.

Anno MCCLXXVIII. fuit mors valida in Normannia, & in multis partibus.

Anno MCCLXXXIIII. fuit ventus validus, ita quòd ædificia & Monasteria corruerunt.

ANNO MCCXCIII. orta est in mare controuersia magna inter nauigantes regni Franciæ, & remigantes regni Angliæ, causa leuissima præcedente, factis magnis C occisionibus & truncationibus hinc & inde. Quadã die occurrerũt sibi inuicem, & ostenso signo pacis à parte Anglorum, fraudulenter cum magno impetu super Normannos irruerunt. Normanni verò timore perterriti, timentes ne pars aduersariorum præualeret, naues cum omnibus, quæ ferebant, sine læsione aliqua in Anglorum manibus reliquerunt. His auditis, & diligenter examinatis ab excellentissimo Principe Philippo Rege Francorum, humiliter supplicauit Regi Anglorum, vt bona omnia restitui faceret, quæ subditi sui in damnum regni sui turpiter fraudauerunt. Idem verò Rex Anglicus iniquitate repletus, licèt sufficienter, prout moris est, esset monitus, bona reddere totaliter denegauit: & obedientiam domino suo Regi Franciæ præstare, ausu temerario recusauit. Acto igitur consilio cum Comitibus & Baronibus suis, Rex Frãcicus totam terram, quam habebat in regno suo, propter ipsius inobedientiam seueriter occupauit, & illam sibi & regno suo celeriter subiugauit. Memor illius verbi dicentis, quem Dei timor à malo retardare non facit, saltem debet eum coërcere seueritas regiæ potestatis.

APPENDIX
AD
RERVM NORMANNICARVM
SCRIPTORES.

VARIA CONTINENS OPVSCVLA NONDVM edita, præcipuè verò

Catalogum Normannorum qui floruerunt in Anglia tempore Guillelmi Conquestoris.

Nomina militum ferentium bannerias, tam in Normannia quàm aliis Franciæ Prouinciis, tempore Philippi II. Regis.

Feoda Normanniæ, cum Scripto de seruitiis militum, quæ debentur Duci.

Officium ad Ducem Normanniæ constituendum.

Chartas plures tam Ducum Normanniæ, quàm Regum Franciæ, & aliorum.

NOMINA NORMANNORVM QVI FLORVERVNT IN ANGLIA, ANTE CONQVESTVM.

EX LIBRO MS.

GVILLELMVS Episcopus London.
Robertus Archiepiscopus Cantuar.
Randulphus Peuerell. in Essex.
Fitz Scrobi in Salopp.
Ralph Comes East-Anglorum, pater Haraldi domini de Sudley.
Daubine de Beare.
Odo Comes ante Edvvardi tempora in exilium ejectus.
Hugolin Regis Cancellarius & dispensator.
Svveine de Essex.
Robertus Diaconus.
Ricardus filius Scrob, gener suus.
Alfridus Regis strator.
Anfridus, cognomento Ceouffoote.
Plures alij dilecti Regi, populo fideles.
Vrsus Episcopus Dorcacestrensis,
Osbernus cognomento Pentecost.
Hugo socius eiusdem.

COGNOMINA NOBILIVM, QVI GVILL. NORM. *DVCEM in Angliam sequuti sunt.*

Ex Tabula Monasterij de Bello in Anglia, vulgo *Battail Abbay*, cum hac superscriptione.

Dicitur à bello Bellum locus hic, quia bello
Angligenæ victi sunt hic in morte relicti:
Martyris in Christi festo cecidêre Calixti.
Sexagenus erat sextus millesimus annus,
Cùm pereunt Angli, stella monstrante Cometa.

A.

AVMERLE
Audeley
Angilliam,
Argentoun,
Arundell
Auenant
Abel
Avvgers
Angenoun,
Archer
Asperuile
Amonerduile
Arey
Akeny
Albeny
Asperemound.

B.

Bertram
Buttecourt,
Bræhus
Byseg
Bardolf
Basset
Bohun
Baylife
Bondeuile
Barbason
Beer
Bures
Bonylayne
Barbayon,
Berners
Braybuf
Brand
Bonuile
Burgh
Busshy
Blundell
Breton
Belasyse
Bovvser
Bayons
Bulmere
Broune
Beke
Bovvlers
Banestre
Belomy
Belknape
Beauchamp
Bandy
Broyleby
Burnel
Belot
Beufort
Baudevvine
Burdon
Berteuyley
Barte
Busseuile
Blunt,
Beavvper
Bret
Barret
Barneuale
Barry
Bodyt
Berteuile
Bertine
Belevv
Buschell

Beleners
Buffard,
Boteler
Botuile
Braſard
Belhelme
Braunche,
Boleſur
Blundel,
Burdet,
Bigot
Beaupount
Bools
Belefroun
Barchampe.

C.

Camos
Chanuille,
Chavvent
Chancy
Couderay
Coluile
Chamberlaine
Chambernoune,
Cribet
Corbine
Corbet
Coniers
Chaundos
Coucy
Chavvorthe
Claremaus
Clarell
Camnine
Chaunduyt
Claruays
Chantilovve
Colet
Creſſy
Courtenay
Conſtable
Chancer
Cholmelay
Corleuile
Champeney
Carevv
Chavvnos
Claruaile
Champaine,
Carbonell
Charles
Chareberge
Chavvnes
Chavvmont
Cheyne
Curſen
Conell
Chayters
Cheynes
Cateray
Cherecourt
Chaunvile
Clereney
Curly
Clyfford.

D.

Deauvile
Dercy
Dine
Diſpencer
Daniel
Denyſe
Druell
Deuaus
Dauers
Doningſels
Darell
Delabere
De la Pole
De la Lind
De la Hill
De la Vvate
De la Vvatche
Dakeny
Dauntre
Deſuye
Dabernoune
Damry
Daueros
De la Vere
De Liele
De la Vvarde
De la Planch.
Danvvay
De Hevvſe
Diſard
Durant
Diury.

E.

Eſtrange
Eſtutauille,
Eſcriols
Engayne,
Euers
Eſturney.

F.

Foluile
Fitz Vvater
Fitz Marmaduk
Fibert
Fitz Roger
Fitz Robert
Fanecourt
Fitz Philip
Fitz Vvilliam
Fitz Paine
Fitz Alyne
Fitz Raulfe
Fitz Brovvne
Foke
Freuile
Faconbrige
Friſſel
Filioll
Fitz Thomas
Fitz Morice
Fitz Hughe
Fitz Vvarren
Faunuile
Formay
Formiband
Friſon
Finer
Fitz Vrcy
Furniuall
Eitzs Herbert
Fitz Iohn

.H

Gargraue
Graunſon
Gracy
Glaunuile
Gouer
Gaſcoyne
Gray
Golofer
Grauns
Gurly
Gurdon
Gamages
Gaunt

H.

Hanſard
Haſtings
Haulay
Huſie
Herne
Hamelyn
Harevvell
Hardel
Hecket
Hamound
Harecord

I.

Iarden
Iay
Ianuile
Iaſparuile

K.

Karre
Karron
Kyriell.

L.

Leſtrange
Leuony
Latomere
Loueday
Logenton
Leuel
Leſcrope
Lemare
Litterile
Lucy
Liſlay, or Liele
Longſpes
Lonſchampe
Laſtels
Lindſey
Loterel
Longuaile
Levvavvſe
Loy
Laue
Le Deſpenſer

M.

Marmilon
Moribray
Moruile
Manley
Malebranche
Malemaine
Muſchampe
Muſgraue
Meſni-le-Villers
Mortmaine
Muſe
Marteine
Mountbocher
Maleuile
Mountney
Maleherbe
Muſgros
Muſard
Mautrauers
Merke
Murres
Montagu
Montalent
Mandute
Manle
Malory
Merny
Muffet
Menpincoy
Mainard
Morell
Morley
Mountmartin
yners

Mauley
Mainvvaring
Mantell
Mayel
Morton

N.

Neuile
Neumarche
Norton
Norbet
Norece
Nevvborough
Neele
Normanuile.

O.

Otenel
Olibef
Olifaunt
Oyſell
Oliford
Oryoll.

P.

Pigot
Pecy
Perecount
Pershale
Povver
Paynel
Peche
Peuerell
Perot
Picard
Pudſey
Pimeray
Pounſey
Punchardon
Pynchard
Placy
Patine
Pampilion
Poterell
Pekeney
Peruinke
Penicord

Q.

Quincy
Quintine

R.

Roſe
Ridle
Rynel
Rous
Ruſſel
Rond
Richmond
Rocheford
Reymond

S.

Seuche
Seint Quintine
Seint Omer
Seint Amand
Seint Leger
Soueruile
Sanford
Somery
Seint George
Seint Lés
Sauine
Seint Clo
Seint Albine
Seinte Barbe
Sandeuile
Seint More
Seint Scudemor

T.

Tovvs
Toget
Talybois
Tuchet
Truſlot
Truſbut
Traynel
Taket
Talbot
Tanny
Tibtote
Truſſell
Turbeuile
Turuile
Torel
Tauers
Torel
Tirell
Torels
Tauerner

V.

Valence
Vancord
Vauaſour
Vender
Verder
Verdon
Aubrie de Vere
Vernoune
Verland
Verlay
Vernois
Verny
Vilan
Vmframuile
Vnket
Vrnall
Vvake
Vvaledger
Vvarde
Vvardebus
Vvaren
Vvate
Vvateline
Vvateuile
Vvoly
Vvyuell.

COGNOMINA EORVM QVI CVM GVILLELMO CONqueſtore Angliam ingreſſi ſunt.

Ex Hiſtoria MS. Iorvalenſi, authore Ioanne Bramptono Abbate Iorvalenſi, qui floruit anno MCXCIX.

MAVNDEVILE & Daundevile,
Oumfravile & Doumfrevile,
Bolevile & Baſkervile,
Evile & Clevile,
Morevile & Colevile,
Vvarbevile & Cavvile,
Botevile & Storevile.
Deuerous & Canvile.
Mooun & Bohun,
Vipoun & Vinoun,
Baylon & Bayloun,
Maris & Marmioun,
Agulis & Aguloun.
Chamberlain & Chamberſoun,
Ver & Vernoun,
Verdeis & Verdoun,
Criel & Cardoun,
Danver & Dauernoun.
Haſting & Camois,
Bardolph Botes, & Boys,
Vvaren & Vvardeboys,
Rodes & Denverois.
Auris & Argenton
Botetour & Botevillein,
Malebouch & malemein,
Hautevile & Hautein,
Dauney & Deueyn.
Malins & Malveſine,
Morton & Mortemer,
Bravuz & Columber.
Seint Dennis & Seint Cler
Seint Aubin & Seint Omer,
Seint Philbert, Fyens, & Gomer,
Turbevile & Turbemer.
Gorges & Spenſer.
Brus & Botteler.
Crenavvel & ſeint Quintin,
Deueroug & Seint Martin,

Seint Mor & seint Leger,
Seint Vigor & Seint Per.
Avenel & Paynel,
Payver & Perdel,
Riuers & Riuell,
Beauchamp & Beauapel,
Lou & Lovvell,
Ros & Druell,
Mountabouns & Mountsorell,
Trussebot & Trassel,
Burgas & Burnell,
Bray & Botterell.
Biset & Basset,
Malevile & Mallet,
Bonevil & Bouet,
Nervil & Narbet,
Coinel & Corbet,
Mountain & Mount-fichet.
Genevile & Giffard,
Say & Sevvard,
Cari & Chavvard,
Periton & Pipard,
Harecourt & Hansard,
Musgraue & Musard,
Mare & Mautrauers,
Fernz & Ferrers,
Barnevil & Berners,
Cheyne & Chalers,
Danudon & Daungers,
Vescy, Gray, & Graungers.
Bertran & Bigod,
Trayly & Traygod,
Penbert & Pigot,
Freyn & Foliot,
Dapisoun & Talbot,
Saurauer & Saunford,
Vagu & Vautort,
Montagu & Mounford.
Forneus & Forneuous,
Valens, Yle, & Vaus,
Clarel & Claraus,
Aubevil & seint Amous,
Agos & Dragous.
Malherb & Maudut,
Brevves & Chaudut,
Fitz Oures & Fits de Lou,
Cantenor & Cantelou.
Brayfuf & Hulbins,
Bolebek & Molyns,
Moleton & Besil,
Rochford & Dosevil,
Vvatervil & Davil,
Nevers & Nevil.
Heynoys, Burs, Burdevon,
Ylebon, Hyldebrond, & Helion,
Loges & seint Lou,
Moubank & seint Malou.

A Vvake & Vvakeuil,
Coudray & Knevil.
Scaliers & Cleremount,
Beaumis & Beaumount,
Mouns & Mounchamp,
Novvers & Novvchamp.
Percy, Cruce, & Lacy.
Quincy & Tracy,
Stoker & Somery,
Seint Iohn & seint Iay,
Greyly & seint Valery,
Pinkeny & Pauely,
Monhaut & Monchensy,
Louein & Lucy,
Artos & Arcy,
B Grevil & Courcy,
Arras & Cressy.
Merle & Moubray,
Gornay & Courtenay,
Haustlaing & Turnay,
Husee & Husay,
Pounchardon & Pomeray,
Longevil & Longespay,
Payns & Pontelarge
Straunge & Sauuage.

MAGNATES SVPERSTITES ANNO XX. REGNI VVILL. conquestoris.

C

Et quibus in Comitatibus terras tenuerunt.

OMES EVSTACHIVS. Kent, Surrey, Hauischire, Somerset; Herford, Oxon. Cant. Hunt. Bedf. Essex, Norff. Suff.

COMES MORITONIENSIS. Suffex, Surrey, Bork. Vviltz, Dorset, Somerset, Deuon. Cornubia, Mid. Hertford. Buck. Oxon. Gloc. Cant. Northhamp. Nott. Ebor. Norff.

COMES DE OVV. Suffex, Hunt.

D COMES ROGERVS. Suffex, Surrey, Salop. Hampscire, Vvilt. Mid. Hertford. Gloc. Vvigon. Cant. Vvarivvick, Staff. Salop.

COMES ALANVS. Hamteschire, Dorset, Hertford. Cant. Northampt. Derb. Nott. Ebor. Lincoln. Essex, Norff. Suff. Richmūdiæ.

COMES HVGO. Hamschire, Berk. Dorcet, Somerset, Deuon. Buck. Oxon. Gloc. Hũt. Northampt. Vvarvvic. Salop. Cestriæ.

Cestr. Derb. Nott. Roteland. Ebor. Linoln. Norff. Suff.

Comes Ebroicensis. Berk.

Northũbrih mortuus an. xxvv. C. Comes Albericvs. Vvilt. Nort-Hampt. Lecestr. Vvarvvic. Oxon.

Comesde Mellend. Northampt. Lecestr. Vvarvvik.

Comes Ivo Taylebois Lincoln.

Vvillelmvs filius Osberni Comes Herefordiæ, mortuus antea.

Odo Comes Albemarlæ, mortuus antea.

Radvlfvs Comes Estangliæ, mortuus antea.

Sivvardvs Comes, mortuus antea.

Hvgo de Montfort. Kent.

Clare. Ricardvs filius Gisleberti Comitis Kent. Surr. Vvilt. Deuon. Mid.

Hamo Vicecomes Kanciæ. Kent. Surr.

Surrey. Vvillelmvs de Vvarenne. Sussex, Hamt.

Brembr. Vvillelmvs de Braiosa. Sussex, Surr. Hamt. Berk. Vvilt. Dorset.

Vvillelmvs filius Ausculfi. Surr. Berk. Mid.

Vvaltervs filius Otheri. Surr. Hãt. Berk. Mid.

Vv. de Dovvai. Vvaltervs de Dvvay. Surr. Somerset, Deuon.

Gislebertvs filius Ricerij de Aigle. Surr.

Essex. Goisfredvs de Mannevile. Surr. Berk. Mid. Hertf.

Goisfridvs Orlatele. Surr.

Robertvs Malet. Surr.

Hvnfridvs Camerarius. Surr. Hamt. Berk. Vvilt. Dorset, Somerset.

Radvlphvs de Felgeres. Surr.

Alvredvs de Merleber. Surr. Hamt. Vvilt. Somerset.

Hvgo de port. Hamt. Berk.

Hvbertvs de Port. Hamt.

Vvillelmvs de Percy.

CATALOGVS NOBILIVM, QVI IMMEDIATE PRÆDIA A Rege Conquæstore tenuerunt.

Ex Censuali Angliæ Libro, quem ipse Conquæstor anno regni sui xx. *confici iussit.*

Vvillelmvs filius Ansculfi
Vvillelmvs Alisius
Vvillelmus Arcuarius
Osbernus Accipitrarius
A Vvillelmus filius Azor
Goscelinus filius Azor
Gilo frater Asculfi.
Aiulfus Vicecomes.
Albertus
Theodricus Aurifaber
Stephanus filius Airardi
Rogerius Arundel.
Robertus de Albemarle.
Ruald. Adobed.
Aiulphus
Edgarus Adeling
Nigellus de Albigni
Milo frater Ansculfi
Vrso de Abetot
B Hugo Asinus
Dauid de Argentomago * (* Angentomo.)
Henricus filius Azor
Robertus Albus
Vvalterus de Aincurt.
Goiffredus Alselin
Osbernus de Arcis.
Odo Arbalistarius
Norman de Adreci
Ansgotus
Edmundus filius Algoti
Humfredus filius Alberici.
Aluredus
Aldid.
Frodis frater Abbatis
C Vvillelmus de Arcis
Alsi
Rabellus Artifex
Gislebertus Arbalistarius
Bernardus Arbalistarius
Radulfus Arbalistarius
Robertus Arbalistarius
Gislebertus filius Richerij de Aigle

B

Vvillelmvs de Braiose
Vvillelmus Bertram.
Gislebertus de Breteuile
Hugo filius * (* Baldrici)
Vvillelmus filius Baderon
Vvillelmus Belet.
D Hugo Barbatus.
Rogerus de Berchelai
Rogerus de Belmont
Serlo de Burci
Hugo de Bosch-Herberti
Rogerus de Busli
Robertus Bastard
Aluredus Brito
Nicolaus Balistarius
Robertus Blundus.
Radulfus Baignard

Hugo de Belcamp.
Goiffredus de Bech.
Goiffridus de Beluaco.
Maino Brito.
Hugo de Bolebech.
Nigellus de Bereuile
Gozelinus Brito.
Vrſo de Berſeres.
Radulphus de Berchelei.
Vvalterus Baliſtarius.
Balduinus
Humfridus de Buiuile.
Hugo de Berneres.
Vxor Boſelini.
Robertus de Buci.
Drogo de Beurere.
Vvillelmus Buenvalet.
Ogerus Brito.
Rainaldus de Balgiole.
Baldricus
Radulfus de Burun.
Erneis de Burun.
Rainerius de Brimovv.
Vvaldinus Brito.
Odo Baliſtarius.
Vvillelmus Blundus
Heppo Baliſtarius
Thihellus Brito.
Rogerus Bigotus.
Radulfus de Belfago.
Humfridus de Bohun.
Bernardus Baliſtarius.
Herueus Bituricenſis.
Giſlebertus Baliſtarius.
Radulfus Baliſtarius.
Rainaldus Brito
Bigot
Bezelinus.
Terbaldus filius Bernerij.

C

Comes Euſtachius
Comes de Ovv.
Comes Moritonienſis
Comes Alanus
Comes Rogerus.
Comes Hugo
Comes Ebroicenſis
Comes Albericus.
Comes de Mellend.
Comes Iuo Tailebois
Comes Albericus, mortuus.
Ida Comitiſſa Bolonienſis
Iuditha Comitiſſa.
Godeua Comitiſſa
Comitiſſa de Albemarla
Albertus Capellanus
Milo Criſpin
Humfridus Camerarius
Albertus Clericus
Turſtinus Camerarius
Herbertus Camerarius
Raynaldus filius Croc.
Gozelinus de Cormelies
Goiffrid' Camerarius filię regis.
Albericus Camerarius
Vvillelmus filius Corbucion.
Robertus filius Corbucionis
Vvillelmus de Calgi.
Radulfus filius Comitis.
Reimbaldus de Ciceſtre, vel Cireceſtrę
Rogerus de Curcelles.
Rainaldus Canutus.
Vvalterus de Clauile.
Aiulfus Camerarius.
Vvillelmus Chievre.
Girardus Capellanus.
Sigar de Cioches.
Vvillelmus Camerarius.
Vvillelmus filius Conſtantini.
Albericus de Coci
Albericus Cocus.
Ricardus de Curcy.
Criſtina.
Ansfridus de Cormeliis.
Humfridus Cocus.
Vvillelmus de Cahaignes.
Humfridus de Cioches.
Giſlebertus Cocus
Vvido de Credun.
Godefridus de Cambray.
Rogerus filius Corbet.
Robertus filius Corbet.
Radulfus Cocus.
Colſuain.
Normannus Craſſus.
Goiffredus de Cambrai.
Colgrim.
Vvalterus Cocus.
Anſgerus Cocus.
Hubertus de Caneſio.
Gundvvinus Camerarius.

D

Vvalterus de Duay.
Vvalſcinus de Duay.
Robertus Diſpenſator.
Vvalterus Diaconus.
Herman de Drevves.
Eudo Dapifer.
Dauid.
Haimo Dapifer.
Adam filius Durādi Malaopera.
Godricus Dapifer.
Rogerus Deus-ſaluet-dominas.

E

Eldredus.
Ricardus Esturmi.
Eddeva.
Svvainus de Essexa.
Ricardus filius Erfasti.
Eudo filius Erfasti.
Eudo filius Espirevvic.
Edricus Accipitrarius.
Erchengerus Pistor.

F

Radulfus de Felgeres.
Henricus de Ferrers.
Vvillelmus de Faleise.
Fulcherus.
Robertus Fafiton.
Vvalterus Flandrensis.
Vinemarus Flandrensis.
Vvillelmus Froisselevv.
Hugo Flandrensis.
Ricardus Forestarius.
Furstinus.
Baldevvinus Flandrensis.
Ranulfus Flamme.

G

Ricardus filius Gisleberti Comitis.
Robertus filius Geroldi.
Durandus de Glovvcestr.
Vvalterus Giffard.
Gislebertus de Gand.
Osbernus Giffard.
Grimbaldus.
Beringarius Giffard.
Godescallus.
Odo filius Gamelini.
Godeboldus.
Gotscelinus.
Girardus.
Robertus Gernon.
Hugo de Grentemaisnil.
Vvillelmus Gozinboded.
Picotus de Grantebrige.
Girbertus.
Gerinus.
Gospatric.
Hugo de Gurnay.
Robertus filius Goberti.
Godvvinus.
Hugo filius Grip.
Grim præpositus.

H

Hamo Vicecomes.
Ernulfus de Hesding.
Eudo filius Huberti.
Hascoit.
Hernulfus de Hastinges.

A Aluredus Hispaniensis, seu de Hispania.
Herveus de Helion.
Hainricus.
Robertus Hostiarius.
Radulfus filius Huberti.
Robertus filius Vvillelmi Hostiarij.
Helgot.
Hamo.
Vvillelmus Hostiarius.
Hermerus.
Hago.
Tihellus de Herion.
Hachebernus.
B Robertus filius Hugonis.

I

Rogerus de Iveri.
Humfridus de Insula.
Aluredus de Ispania, v. sup.
Iseldis.
Ranulfus frater Ilgerij.
Ricardus de Ingania.
Hugo de Iveri.
Vvillelmus Ingania.
Radulfus de Insula.
Ilbertus.
Ilbodus, vel Ilbodo.
Iudichaël, siue Iuikel Presbyter.
Isaac.
C Vvaldinus Inganiator.
Rainaldus filius Iuonis.

L

Vvillelmus Louet, vel Loveth.
Rogerus de Laci.
Hugo Lasne.
Radulfus de Linesi.
Dermannus Lundon.
Rogerus de Luri.
Vvillelmus Levric.
Ricardus Legatus.
Geri de Loges.
Albertus Lothariensis.
Aluredus de Lincolnia.
Hugo de Luri.
Ilbertus de Laci.
D Gozelinus filius Lamberti.
Gozelinus Loremarius.

M

Hugo de Montford.
Goisfridus de Manneville.
Robertus Malet.
Aluredus de Merleberg.
Radulfus do Mortemer.
Vvillelmus Maudoit.
Vvillelmus filius Manne.
Goisfridus Marescal.

Nigellus Medicus.
Robertus filius Murdac.
Mathiu *, vel Maci de Moretania. *Matheus Mauritaniensis.
Vvillelmus de Moion.
Humfridus Mauldoit.
Robertus Marescal.
Ausgerus de Montagud.
Turstinus Mantel.
Martinus.
Hasculfus vel Hascoit Musard.
Humfridus de Madehalle.
Rogerus de Mucelgros.
Griffinus filius Mariadoc.
Maino.
Durandus Malet.
Hugo de Montgomeri.
Vvillelmus Malbedeng.
Hugo de Mara.
Rogerus Marescalcus.
Modvvinus.
Giroldus Mariscalcus.
Adã filius Durandi Mala opera.

N

Levvinus de Nevvham.
Vvillelmus filius Normanni.
Nigellus.
Normannus.
Vvillelmus filius Nigelli.

O

Odo de Vvincestria Taynus Regis.
Vvalterus filius Otheri.
Goisfridus Ortale, vel Orleteile.
Osvvaldus.
Vvillelmus de Ovv.
Hugo filius Osmundi.
Anschetillus filius Osmundi.
Robertus de Olgi.
Osbernus Presbyter.
Vvillelmus de Odburvilla frater Rogeri.

P

Hugo de Port.
Hubertus de Port.
Vvillelmus de Perci.
Bernardus Pancevolt.
Ricardus Puingiant, vel Puniant.
Milo Portarius.
Vvillelmus Peurel.
Vvalterus filius Ponz.
Drogo filius Ponz.
Radulfus de Pomerei.
Radulfus Paganel.
Vvillelmus de Poilgi.
Ranulfus Perrel.
Hugo Pincerna.
Osbernus Piscator.
Robertus Pincerna.
Vvillelmus Pantulf.

A Picot.
Ricardus Pincerna.
Rogerus Pictauiensis.
Theodericus Pointel.
Radulfus Pinel.
Alvena vxor Phin.
Herbrandus de Ponte-Adomari.

R

Gilbertus filius richerij de Aigle.
Turstinus filius Rolf.
Vvalterus filius Rogeri.
Herbertus filius Remigij.
Vvillelmus filius Ricardi.
Reinbaldus Presbyter.
Robertus filius Rolf.
B Gozelinus de Riuere.
Vvido de Reinbodcourt.
Reinbaldus.
Vvillelmus filius Rogeri.
Heraldus filius Radulfi Comitis.
Rogerus filius Radulfi.
Osbernus filius Ricardi.
Ricardus.
Rainaldus Vicecomes.
Robertus de Rodelent.
Rainaldus.
Restoldus.
Robertus filius Rotscelini.
Rogerus filius Reinardi.
Radulfus Arbalistarius.
C Rabellus.

S

Edvvardus Saresberiensis.
Vvillelmus filius Stur.
Robertus de Stadford.
Radulfus filius Seifridi.
Hugo Stireman.
Ricardus Sturmid.
Vvillelmus de Scoies, vel Scochies.
Osbernus de Salceid.
Vvalterus de sancto Vvalerico.
Robertus de Saint Legire.
Harduinus de Scalers.
Gislebertus filius Salomonis.
Svvain Vicecomes.
D Osbernus filius Ric. Scrupe.
Svvainus de Essex.
Vvillelmus Specs.
Vvalterus filius Secheri.
Siboldus.
Stephanus.
Nigellus de Stadford.
Eudo filius Spirevvic.
Ranulfus de sancto Vvalerico.
Saisselinus.
Hugo de sancto Quintino.
Stainardus.

Starcolfus.
Robertus de Stratford.
Svvain.

T

Henricus Thesaurarius.
Durandus Tonsor.
Radulfus de Todeni.
Gislebertus filius Turoldi.
Iudhel de Totenais.
Richardus filius Turoldi.
Robertus de Todeni.
Radulfus Tailgebosch.
Berengarius de Todeni.
Turchillus.
Ilbertus filius Turoldi.
Turstinus.
Robertus filius Tetbaldi.
Turoldus.
Hugo filius Turgisi.
Osbernus filius Tezzonis.
Gislebertus Tisun.
Vvillelmus Taileborc.
Turchillus Præpositus.
Ivo Tailebois.
Tihellus.
Tovi.
Turchil de Vvarvvik.

V

Hamo Vicecomes.
Vvalerannus Venator.
Croc Venator.
Aiulfus Vicecomes.
Humfredus Vis de Levv.
A Baldevvinus Vicecomes.
Albericus de Ver.
Petrus de Valoignes.
Bertran de Verdon.
Svvain Vicecomes.
Durandus Vicecomes.
Robertus de Vesci.
Rogerus Venator.
Ricardus Vernon.
Vvalterus Vernon.
Radulfus Venator.
Robertus de Verli.
Vlketel.
B Vauasores Regis.
Rainaldus Vicecomes.
Ogerus filius Vngemar.
Vvillelmus de Vvarenne.
Vvillelmus filius Vvidonis.
Vvalterus de facto Vvalerico.
Aluredus nepos Vvigoti.
Vrso de Vircestria.
Vvlmarus.
Ioannes filius Valeranni.
Vvillelmus.
Osbernus filius Vvalteri.
Vvinemarus.
Goiffredus de Vvirce.
Turchil de Vvarvvixe.
Vvalchelinus.
C Robertus filius Vvillelmi.
Vvillelmus Hostiarius.
Ioannes nepos Vvaleranni.
Vvillelmus de Vvateuilla.

NOMINA MILITVM FERENTIVM BANNERIAS, tam in Normannia quàm aliis Franciæ Prouinciis, tempore Philippi II. Regis.

HI SVNT MILITES NORmanniæ ferentes Bannerias.

ONSTABVLARIVS Normanniæ.
Thomas de Homet.
Ingerrannus de Homet.
Radulfus Texon.
Fulco Paganellus
Ioannes Paganellus.
VV. Bacon.
Rob. de Gouilz.
Ph. de Vaace.
Rob. fil Erneis.
Rob. Marmion.
Robertus de Corciaco.
VV. de Reiuers.
Henricus de Bello-fago.
Ioannes de Bruecourt.
Fulco de Alnoto.
Henricus de Ferreriis.
Gilibertus de Aquila.
Guillelmus de Planes.
Rob. de Thebouill.
Ric. de Harecourt.
Dominus Nouiburgi.
Ioannes de Pratellis.
D Ioannes de Tornebu.
Galterus Pipardus.
Rob. Bertranni
Dominus S. Celerini.
Guillelmus de Mortuomari.
Cambellanus Tancaruillæ.
Heres VV. Martelli.

Ioannes de Roboreio.
Ob. de Roureio.
Henricus de Estouill.
Thomas de Paueilli.
Rich. de Vvillequier.
Ren. de Bosco.
Galfridus de Bosco.
Gilo de Hodenc.
Stephanus de Longocampo.
Robertus de Oesneual.
Petrus de Hotot.
Nicolaus de Montegni.
Ingerrannus de Montegni.
Simon de Bellosarto.
Hæres de Gaci.
Hugo de Colunces.
Vv. Crispini.
Roger. Vicecomes.
Robertus le Borne.
Robertus de Iuriaco.
Petrus Maleuicinus.
Castellanus Gallion.
Comes de Alençon.
Dominus de Carroges.
Ioannes de Tilli.
Vv. de Semelli.
Rolandus Tauenel.
Rich. de Argent.

MILITES BRITANNIÆ.

ALanus filius Comitis.
Guiomar de Lion.
Henr. de Lion.
Comes Guido de Toarcio.
Paganus de Malostricto.
Eudo filius Comitis.
Ioscelinus de Rohan.
Radulfus de Monteforti.
Vv. de Monteforti.
Petrus de Loheac.
Roaldus Vicecomes.
Vv. de Guirgia.
Herardus de Braim.
Andreas de Vitreio.
Galfredus de Filgeriis.
Vv. de Filgeriis.
Galfr. Giron.
Alanus de Castro-giron.
Vv. de Albigen.
Iuellus de Mediana.
Oliuerius de Dinan.
Ioannes de Dolis.
Galfredus Spine.
Oliuerius de Tintinimac.
Herueus de Bellomortario.
Galfredus de Castro Brienc.
A Galfredus de Ancenis.
Vv. de Cliçon senex.
Vv. de Cliçon iuuenis.
Vv. Richardus de Reuz.
Vv. de Plessis.
Bern. de Machequeu.
Haculfus de Radiis.
Oliuerus de Rupe.
Eudo de Ponte.
Rollandus de Rex.
Galfredus de Hiheric.
Alemannus de Albigen.

MILITES PERTICI.

B VV. de Longo-radio.
Guido de Mõtedulceto
Vv. de Follet.
Fulcherius Quarel.
Vv. de Feritate.
Hæres Vv. de Veteri-ponte.
Geruasius de Castro.
Hugo de Castro.

MILITES ANDEGAV.

SEnesc.
Galfredus de Rupibus.
Balduinus de Rupe.
C Amalricus de Creone.
Guido Turpin.
Vicecomes sanctæ Susannæ.
Bernardus de Feritate dominus.
Fulco Ribole.
Comes Vindocin.
Guido de Laual.
Paganus de Reges.
Dominus Castri-gonterij.
Dominus de Montoire.
Guillelmus de Selliaco.
Lisiardus Heremita.
Eudo de Cortenerai.
Fulco de Roy.
Henricus de Monsterol.
D Giraudus Bellai.
Dominus de Doé.
Dominus de Passauant.
Galfredus de Losduno.
Theobaldus de Blazon.
Petrus de Brisaio.
Geruasius de Prulaio.
Hugo de Campocheurier.
Ioannes de Brueria.
Galfredus de Vindocino.
Oliuerius de Doom.
Haimericus de la Iaille.
Galfredus de Paluel.

Galfredus

Galfredus de la Gresille.
Ren. de Insula.
Rotroldus de Montfort.

MILITES TVRON.

Dominus Ambaz.
Dominus Montisbasonis.
Vv. de Pressigniaco.
Barth. Bagani.
Barth. de Insula.
Haimericus filius Iuonis.
Hugo de Bauceio.
Iellen. de Blodo.
Neuellus de Fracta-valle.
Robertus de Perrenaio.
Dominus de Monteforel.
Dominus de Rupe Corbon.
Dominus Haiæ.
Guido Sendebaldus.
Garnerius de Donionio.
Gaudinus de Ramefort.
Hugo de Fontanellis.
Vicecomes Brociæ.
Dominus Cliuæ.
Rogerus Paletel.
Heres de Caluigniaco.
Guillelmus de Mirmande.
Dominus de Castro Meliand.
Vv. de Montlion.
Vv. Turpin.
Dominus Pruliaci.
Vicecomes Castri-Airaldi.
Ren. de Perate.

Comes Augi.
Comes Marchiæ.
Galfredus de Lisegnen.
Ioannes Chastenier.
Guillelmus de Maulion.
Vv. de Asperomonte.
Vv. de Soldaio.
Herber. Turpin.
Saueri de Antenoise.
Rogo de Coé.
Rollandus de Montfeul.
Petrus Achardi.
Galfredus de Feritate.
Thebaldus de Matefelon.
Galfredus Godeschal.
Patricius de Chaorce.
Dominus S. Michaëlis.
Hugo Ridel.
Vv. de Erci.
Simon de Simau.
Vv. de Meri.
Simon Meingot.

A Rodulfus de Mortuomari.
Dominus de Montemorellon.
Vv. de Azaio.
Dominus Lochiarum.

MILITES FLANDR.

Comes de Ollandia.
Ioannes de Nigella.
Ericus de Beura.
Boidinus de Prato.
Castellanus de Guistele.
Galterus & Girardus de Soteaguien.
Race de Gaure.
Arnulfus de Audenarde.
B Ph. de Mallegniem.
Balduinus de Cōmines pater.
Gilibertus de Burgale.
Broissardus de Burguele.
Castellanus Tornaci.
Castellanus Gandaui.
Castellanus Insulæ.
Galterus de Formeseles.
Galterus de Hundetot.
Castellanus de Furnes.
Castellanus de Bergues.
Comes Guinarum.
C Castellanus de S. Audomaro.
Hæres de Vvauerin.
Aduocatus Betunæ.
Dominus de Hallu.
Petrus de Bruet.
Petrus de Mesnilio.
Balduinus de Cōmines filius.
Castellanus Duaci.
Daniel de Corteraio.
Præpositus Duaci.
Castellanus de Raisse.
Ioannes de Lens.
Henricus de Balloïl.
Castellanus de Ippra.
Vv. de Cresec.
Rabor de Rume.
D Balduinus Constabularius.
Ioannes de Selinguehen.
Barthol d'Aubi.
Galod. la Copele.
Gerardus de Rodes.
Ioannes de Casonio.

MILITES BOLON.

Comes Bolon.
Simon Bolon.
Vv. de Fienes.
Ansellus de Kaheu.
Eustat. Buticul.

Dominus Hugo Queret.
Guillelmus de Montcaurel.
Vv. Tebrone.
Dominus de Mentenaio.

MILITES PONTIV.

Comes Pontiui.
Thomas de S. Vvalerico.
Galterus de Feritate.
Renaudus de Ambianis.
Vv. de Kehu.
Hugo de Fontanis.
Hugo Boteriu.
Galterus de Halecourt.
Hugo de Balloil.
Radulfus de Areres.
VV. de Belloramo.
Rogo de Bauchien.
Theobaldus de Ambian.
Hugo de Auxi.
Hugo Candauene.
Iohannes de Mairieres.

MILITES COMIT. S. PAVLI.

Comes S. Pauli.
Robertus Fretel.
Hugo Tacon.
Gilibertus d'Auredoing.
Balduinus de Aria.
Euſt. d'Encre.
Balduinus de Crequi.
Balduinus de Pas.

MILITES ATTREBAT.

Dominus Lud.
Hugo de Maloalneto.
Radulfus Plunquet.
Michael de Harnes.
Euſtat. de Nouilla.
Rob. de Beloes.
Alardus de Croſilles.
Caſtellanus de Bellomanſo.
Guido de Caumont.
Ing. de Heſoino.
Guillelmus de Attrebato.
Hæres de Carenci.
Caſtellanus Attrebati.
Caſtellanus de Lens.
Dominus de Houden.
Hugo Hauet.
Dominus Ioannes de Longueual.
Aduocatus Morinenſis.
Dominus Oſiaci.

A

MILITES VIROMANNIÆ.

Robertus de Turnella.
Radulfus de Turnella.
Albertus de Hangeſt.
Bernardus de Pleſſeio.
Hellinus de Vvauerin.
Hæres Radulfi de Roia.
Radulfus de Stratis.
Dominus de Moroil.
Hugo de Boua.
Ingerrannus de Boua.
Robertus de Boua.
Galterus de Hellianco.
B Caſtellanus de Perona.
Hæres de Hangeſt.
Caſtellanus Nouiom.
Radulfus de Claromonte.
Radulfus de Pratellis.
Ioannes de Roia.
Gilo de Marques.
Balduinus de Bellouidere.
Bartholomeus de Roia.
Galterus de Auernis & frater e
Henricus de Cheſſeſio.
Radulfus Flamant.
Caſtellanus de Nigella.

C

MILITES COCIA

Ingelrannus de Cociaco.
Thomas de Cociaco.
Robertus de Cociaco.
Caſtellanus Cociaci.
Radulfus de Sarto.
Alanus de Rociaco.
Clarembaldus de Montchablo.
Fulcaudus de Berziaco.
Ioannes de Montgumbert.
Herueus de Buſenci.
Guido de Villerum.
Ioannes de Tor.
Radulfus Caſtro.
Hæres de Petrapontis.
D Albericus de Buiſſi.
Radulfus de Eſcri.
Ioannes de Colduno.
Anſellus de Ronquerolles.
Manaſſerus de Melloto.
Petrus de Milliaco.
Caſtellanus Beluaci.
Li Tonloiers Beluaci.
Radulfus de Gif.
Galterus Tirel.
Hæres de Argiis.
Comes Bellimontis.

Balduinus de Romis.
Rogerus de Rosaio.
Petrus de Tient.
Dominus Montis acuti.

MILITES VVLCASSIN.

JOhannes de Tria.
Ioannes de Gisorcio.
Ioannes de Montecheurel.
Hugo de Caluomonte.
Guido de Rupe.
Hæres Guidonis Maleuicini.
Robertus de Pinquegni.
Petrus de Richebourc.
Matheus de Montemorenciaco.
Buticularius Siluanect.
Hæres de Ponte sancti Maxentij.
Ph. de Nantel.
Guillelmus de Cornillon.
Galterus de Alneio.
Guido de Nantolio.
Guillelmus de Barris.
Ioannes de Barris.
Odo de Barris.
Petrus de Barris.
Guillelmus de Barris iuuenis.
Hugo de Maroil.
Balduinus Bretal.
Gilo de Aciaco.
Gauter. de S. Dionysio.
Henricus de S. Dionys.
Simon de Pissiaco.
Robertus de Pissiaco.
Robertus de Pissiaco iuuenis.
Dominus de Marli,
Dominus Caprosæ.
Castellanus Neelsæ.
Comes Suession.
Dominus Montisfortis.
Ioannes de Botoruiller.
Ansellus de Tornan.
Guillelmus de Gallande.
Ioannes Beliard.
Vicecomes Meledun.
Vicecomes Corbolij.
Balduinus de Corbolio.
Milo de Corteriaco.
Ferricus de Brunnaio.
Rogerus de Cauda.
Hugo de Pompona.
Guillelmus Prunele.
Paganus de S. Yonio.
Ansellus de Botenuiller.
Ioannes de Botenuiller.
Ioannes de Aurelianis.
Vrsio Cambellanus.

A Guido filius eius.
Thomas de Brueriis.
Gomes Barri super Sequanam.
Hugo de Mauduno super Ligerim.
Ioannes de Baugenciaco.

ROberus de Cortenaio.
Henricus Marescallus.
Adam de Bellomonte.
Guillelmus de Milliaco.
Galterus de Nemosio.
Galterus iuuenis.
Galcherus de Iouign.
B Stephanus de Sacrocæs.
Guillelmus de Torneel.
Adam filius G. iuuenis.
Ield. de Bellouillari.
Stephanus de Fenis.
Iterus de Tociaco pater.
Iterus filius eius.
Droco de Melloto.
Petrus de Iouigniaco.
Guillelmus de Cortenaio.
Bochardus de Vendroure.

COmes P. Altisiod.
VV. de Melloto.
Dominus de Sellenaio.
C Vicec. S. Florentij.
Guido de Mellegn.
Barthol. de Polegni.
Poncius de Monte S. Ioannis.
Dominus Rubeimontis.
Hugo de S. Mauricio.
Ioscelinus de Aualone.
Ascellus de Meri.
Dominus de Noiers.

COmes Herueus.
Herueus de Vlmo.
Odo de Castellione.
Iterus de Fresneio.
Hæres Senesc. de Pogues.
D Chauderon de Feritate.
Dominus de Luzi.
Dominus de Molins.
Dominus de Pierre pertuis.
Ioannes de Monte regali.
Libesors.
Hugo de S. Verano.
Corbel.

COmes Saccesaris.
Dominus Mõtis falconis.
Archembaldus de Soliaco.
Henricus filius.
Odo de Soliaco.

Robertus de Bomecio.
Dominus Exolduni.
Dominus de Charrocio.
Dominus de Lineriis.
Dominus de Cullent.
Dominus de Virſone.
Dominus de Caſtro Meliand.
Guillelmus de Aſaio.
Dominus Magduni ſuper Euram.
Dominus Feritatis ſuper Euram.
Dominus Feritatis Hubert.
Dominus Charentonij.
Dominus Craceij.
Dominus Buſenceij.
Petrus Gar.

Comes Robertus Droc.
Robertus filius eius.
Petrus filius eius.
Hugo de Crux.
Guillelmus de Thienges.
Girardus de Caſtell.
Guillelmus de Tornella.
Petrus de Charenton.

MILITES CAMPANIÆ.

Gvido de Galland.
Petrus Touqui.
Matheus filius eius.
Milo de Pougi.
Odo de Touqui.
Guillelmus de Monnaſt.
Garnerus de Triangulo.
Hæres Trianguli.
Dominus Montis mirabilis.
Robertus de Milliaco.
Erardus de Brena.
Erardus de Caſteneto.
Simon de Gienuilla.
Simon de Caſtrouillani.
Ph. de Planci.
Erardus de Villi.
Ioannes de Arcies.
Vicedominus Cathal.
Galcherus de Nantol.
Guillelmus de Nantol.
Andreas de Nantol.
Comes Iouign.
Comes Brenæ.
Comes Regi ſteſtis.
Comes Grandiſprati.
Comes de Chigny.
Galcherus de Remilli.
Hæres de Remilli.
Nicolaus de Baſoches.
Dominus de Guengnorou.

A Dominus de la Feſche.
Dominus de Rinel.
Robertus de Conde.
Simon de Braies.
Guido de Chapes.
Ogerus de S. Chirone.
Galfredus de Vienna.
O dardus de Alneto.
Dominus de Aſperomonte.
Dominus Renerius de Nongent.
Hugo de Florines.
Renardus de Choiſel.
Renaudus de Dampetra.
Petrus de Bolemont.
Galfridus de Duelli.
B Euſtathius de Coſlant.
Galcherus Deſtrepi.
Milo de Chaumont.
Arnulfus de Ceri.
Hugo de Rinel.
Comes Rociaci.
Henricus filius Comitis de Grandiprato.
Dominus de Cheriſiaco.
Clarembaldus de Cappis.
Ioannes de Baſoches.

MILITES BVRGVND.

Dvx Burgundiæ.
Poncius de Granciaco.
C Bernardus de Montebarri.
Dominus de Vergi.
Dominus de Monte S. Ioannis.
Galterus de Sumbrenon.
Dominus de Sauz.
Dominus de Trichaſtel.
Dominus de Til.
Comitiſſa Cabilon.
Comes Maſticon.
Comes Forés.
Guichardus de Belloioco.
Herueus de Safra.
Dominus de Bellomonte.
Dominus de Meleſiaco.
Dominus de Verdon.
Bertrannus de Sandon.
D Hugo de Vergi.
Dominus de Digona.
Damnardus de Luzi.
Guido de Seueriaco.
Hugo de Caluomonte.
Gaufredus de Lines.
Roſcelinus de Mamberol.
Dominus de Netremico.
Vicedus Camten.
Dominus de Bellonido.
Dominus de Kartier.

FEODA NORMANNIAE.

Feoda Comitatus Britolij.

DOMINA de Boterell. VII. feod. milit.
De bosco Anseredi I. feod. milit.
De Cernaio I. feod. milit.
De Alba Insula II. feod. milit.
De bosco Hernaudum IX. feod. & dimid. tertium feod.
De feod. Escurel dimid. feod. mil.
Guillellmus de Feritate V. feod.
De ponte Erchenfredi III. feod.
De Nich. de Gloz I. feod.
De Sapo V. feod.
De Lendeperosa dimid. feod.
De Abbate Corneliarum V. feod.
De Gueberuill. dimid. feod.
De Heudreuill. dimid. f.
De Marescalla I. f.
De Manleuill. dimid. f.
De Mues II. feod.
De Karon. quarterium feod.
De Bieriis I. f.
De Pomerello I. f.
De Cisseo I. f.
De Hummes I. feod.
Robert⁹ de Iuriaco III. milites pro Ibriaco
De la Hale iuxta Beccũ Helloin. quart. f.
De Plessio I. f.
De Roncerolles dimid. f.
De Chantelou dim. f. quart. f.
De Troncheio iuxta Rothom. dim. f.
De Carauilla I. f.
De Guillelmo Dispensar. I. f.
De Galfrido de Saio apud Til, & apud Toneuill. I. f.
De Oberuilla I. f.
De Guillelmo de Mortuomari I. f.
De Omvill. dim. f.
De Aufai dim. f.
De Boeres & de Liis apud Kareuill. dim. f.
De Gilib. Aufagard. apud Harganuil. dimid. f.
De Maimolins dimid. f.
De Torpes dimid. f.
Rex habet auxilium de omnibus feodis Bretol. & de Grantemenil.
De Guillelmo Recuthero quarter. f.
De Giliberto Mallemains apud Berreuill. dim. f.
De Galtero de Abetot quarter. feod.
De Guillelmo Aguillon quarter. feod.
De Omull. I. quarter.

A De Geralmo de Furnis I. quarter. f.
De Hugone de Hermãuilla I. quart. feod.
De Rogero Ridel apud Espinevill. dim. quart.
De Rich. Rubeo apud Boouil. I. quarter. f.
De Rogero de Roncerolles apud Toqueuill. dim. f.
De Gilib. de Mineriis in valle de Andelia apud Rumilliac. I. quarter. f.

Feoda de honore de Grauenchero in Caleto, de Comitatu Ebroicar.

SILVEST. de Alisceio dim. mil. pro hæred. de Tupin.
B Guillelmus de Estelant I. milit.
Ludouicus de Vvillequier I. mil.
Guillelmus de Vvillequier I. milit.
Ricardus de Liutot I. milit.
Hæres de Bella fossa I. mil.
Hæres Mathei de Becco dim. mil.
Hæres de Tragaruill. I. milit.

Isti debent custodiam apud Ebroic. & quando fecerint custodiam, ipsi comedent cum Comite.

Feoda de Grentemenil.

DE Ou. I. f.
C De Ioannẽ de Albania apud Oscagum. I. f.
De domina de Riueriis I. f.
De Rich. Pantol apud Malucer III. quart. feod.
De Rob. de Viuill. apud Fugi & apud Viuille I. f.
Ren. de Tornaio I. f.
Simon de Vlmaio I. f.
Guillelmus de Cordaio apud Bellummansum I. f.
Robertus Lupellus apud Mortuam-aquam I. f.
De Roberto de Iouineio apud Barou ij. f.
Durandus Durade apud Noereium. I. f.
D De Matheo de Melleo I. f.
De Garion. Gornetot dim. f.
De Guillelmo de Torp. I. f.
De Guillelmo Bordon I. f.
De Guillelmo de Feritate.
De Bosco Robert I. f.
De Hugone Paganel. apud Belloet dim. f.
De Rich. Cafrea apud Ollandone II. f.
Ioãnes de Huesa apud Sauceium dim. f.
De Rich. Ercorcheuille II. partes f.

De Guillelmo Paupere tertium f.
De Godefrido Agvvillon. dim. f.
De Ioanne de Loueries apud Louegn. super Ollam. I. f.
De Michaële de Maletot I. quarter. f.
De Thoma de Viuill. I. f.
De Decano Andegau. apud Olleium III. quarter. f.
De Ernulfo de Maula apud Olleium. IV. feod. & quarter. f.
Robertus de Curciaco tenet VII. feod. per seruitium. II.
Gilebertus Malemeius apud Cheuillac & apud Guerneuill. dimid. f.
Radulfus Restel apud Boissaiam dim. f.
De Galfredo de la Herupe apud Linbos. dim. f.
Summa feodorum Britol. & Grentemesnillij & de Chauz LXXX. & IV.

Feoda de Huimes.

Henricus de Nonant VI. feod. per seruitium vnius. Rex habet.
Renier de Nonant. IV. f. & dimid. per seruitium vnius.
Guillelmus de Veteri-ponte IV. f. per seruitium vnius.
Henricus de Bruecourt. I. f.
Robertus de S. Leonardo. I. f.
Chambaiu. I. f.
Petrus de Super-viam II. feod. per seruitium vnius.
Nealfa V. feod. per seruitium vnius, & est de feodo Bellimontis, Rex habet.
Sancta Anastasia I. quarter. f. Rex habet.
Argentela I. feod. & est de feodo Com. de Cestria.
Menilium Girardi dim. f. & est de eod. feodo.
Cortgiron I. quart. & est de eod. f.
Villa Badein I. quart. de eod. f.
Fielto Passet tam in Balliuia Falesię quàm & de Huimes dimid. feod. de tenemẽto Henrici de Nonant.
Pinus I. f.

Feoda Sagij.

Comes Robertus C. & XI. feod. per seruitium XL. mil.
Episcopus Sagiẽsis debet Regi VI. feoda, de quib. vnũ solũ est in Balliuia Sagij.
Domina de Alteraripa I. f. de Rege.
Guillelmus de sancto Selerino V. f.
Comes Pertici tenet Molins & Bõm olins feod. X. mil. per seruitium vnius.

A Idẽ Comes tenet I. feod. apud Gaspreiã.
Guerinus de Glapion tenet I. feod. sanctę Scolasticæ XV. feod. per seruiciũ duorũ.
De honore de Monsterol. & de Vvasprée, & de Eschaufou & ad suum seruitium XXI. milit.

Feoda milit. de Balliuia Cadomensi.

Abbas Cadom. I. feod. mil.
Hugo Paganellus I. f. Rex habet.
Osmondus Piscis dimid. f.
Feodum Comitis Gloecestriæ.
De honore de Eureceio IX. f. & dim. quæ tenebat de Episc. Baioc. per seruitium duorum milit. ad seruitium Regis. Rex habet.
B Gilebertus de Vilers I. f. de feodo Com. Cestriæ.
Guido de S. galerico dim. f. de eod. feodo.
Eudo Brit. dim. f. de quo medietas est in Balliuia Baioc.
Rogerus Vicecom. dim. f.
Robertus de Gouiz apud Baron. dim. f.
Radulfus Tesson feod. XV. mil. ad seruit. Regis.
Guillelmus de Herõuilla feod. vnius mil.
De Meriaco I. feod. ad seruit. R.
Hugo Guissohardus I. f.
Robertus de Curcell. I. f.
C Iacobus de Mesoard. I. f.
Berthol. de Corcell. I. f.
Simon de Culleio & participes sui feodi, dim. f. de Com. Cestriæ.
Philippa de Rosel dim. f. de eod. f.
De honore Cleuill. VI. f. de quibus. II. vadunt ad seruic. Reg. & de Restono capit Rex Angliæ.

Balliuia Falesiæ.

Mauricius de Vsseio. I. f.
Thomas de Bontemont I. quart. f.
Radulfus Martel tertiam partem mil. de feod. Kauquenuill.
Garinus de Glapion III. mil. de Montepinçon.
D Dominus de Corceio VIII. f.
Brehosa III. f. Rex habet.
Castrum Gontherij ij. f. de quibus Gerardus de Buceio tenet I. f. & Hugo de Liuet alterum. Rex habet.
Guillelmus Mala-herba I. f. apud Noui de feod. de Basoches. Idem Guillelmus apud Basoches quarter. f.
Homines de Basoches tertium f. ad seruitium domini de Basoches.

Robertus Marmion quarterium feodi quod tenet Ioannes de Liuet, & I V. milit. ad seruitium Belmont.

Hugo Garran. duas partes vnius f. de feodo de Chauquem-Vill.

Fulco Basset tres partes I. f. & quart. pars eiusdem feodi est in manu Domini Regis, apud Pontem de Olleio.

Idem tenet de feod. Comit. Cestriæ feod. duor. milit.

Guillelmus de Husseio I. f.

Marescallus debet pro Argentono v. milites, & ex alia parte v. milites.

Guarinus de Logis I. feod. de feodo Guillelmi Crassi.

Robertus de Gouid debet seruitium I. militis de regal.

Comes Robertus de Alencon XXX. mil. de feod. Norm. & X. de feod. Cennom.

De honore de Bauant VII. feod. & dimid. de quib. Rex habet auxilia.

Ballia Castriuill.

PH. de Vace quinque partes I. feodi

Hugo de Colonches I. f. & de Valledari I. mil. & ad suum seruit. II. mil.

Ioannes de Liuet quarter. I. feodi

Radulfus de Argoies I. f.

Ascolfus de Praer. quart. feod.

Feodum de Mobray IV. feod. milit. & III. quarter. Rex habet.

Guillelmus de Roullos I. feod.

Guillelmus de Piron I. f.

Iuhellus de Louign. quart. feod.

Renaudus de Crues dimid. quart.

Richardus Siluain I. feod.

Feoda militaria de Ballia Rothom.

ABbas de Gimeg. III. feod.

Abbas S. Catharinæ de Monte VI. feod. & tertiam partem vnius feod.

Abbas S. Audoeni VI. feod. mil.

Stephanus de Longocampo & Ren. de Bosco duos milit. de honore Challiaci.

De honore S. Victoris V. feod. Rex habet.

Thomas de Pairiliaco II. feoda.

Rob. de Vvesneualle III. feod.

Henricus Porcus I. feod.

Rich. de Rouvis I. feod.

Iordanus de Bosco dim. f.

Laurent. de Montenages dim. feod.

Stephanus Nouill. pro hærede de Mauquincy dimid. feod.

Ioannes de Pratell. . . . .

Hæres de Mauquut I. f. pro domo sua de Blaenuilla, & pro LX. acris terræ.

Robertus de Ledes quarter. I. f. apud Boscum Girardi.

Guillelmus de Fresnosa seruitium cum plenis armis.

Bertinus seruitium cum plenis armis.

Renaudus Ruffus seruitium cum plenis armis.

Guillelmus de Tuit seruitium cum plenis armis.

Guillelmus de Romara seruitium de XII. mil. ad custodiam Noui Mercati. Et si Dux eum alibi mandauerit, ibit cum III. vel IV. milit.

Guilibertus de Vascol. seruit. I. mil. apud Lyons per tres quadragesimas. & si non poterit ire, mittet pro se tres vauasores.

Feoda Balliuiæ de Cauz.

PRior Altifagi dim. feod. milit. ad seruit. Regis.

Iordanus de Lillebof. I. milit.

De honore de Aufay est medietas in manu Regis, & alia medietas Vv. Martel.

Gauter. Branche dimid. milit.

Robertus de Cropiz dimid. milit.

Michaël de Bosco Vvillelmi dim. mil.

Apud Langntuiz dim. mil.

Apud Castello quartam partem mil.

Iocelinus de Belenguiervill. dim. mil.

Domina de Bosco Milonis dim. mil.

Guillelmus de Mota dim. mil.

Guillelmus Sancinelle dim. mil.

Guillelmus Betin dimid. mil.

Galerannus de Mara dim. mil.

Galfredus Rudelli & Guillelm. de Briosseuill, Rad. de Ansseuill. dimid. mil.

Guillelmus Martel tenet medietatem de Aufay, vnde debet domino Regi pro seruitio II. mil. & dim.

Apud Dourenie, Hugo de Hucermesnil I. mil. Rex habet auxilium.

Helyas de S. Sydonio I. milit.

Robertus de Girros I. mil. Aspucheuz.

Robertus de Freauuill. I. milit.

Galfr. de Ballues I. milit.

De feodo de Espinello & de Rons I. mil.

Ioannes de Asneriis pro feod. Galteri de Esselbee I. milit.

Ioannes de Gursale II. milit. ad seruit. domini Reg.

Feodum Guillelmi de Putot dimid. mil.

Feodum Roberti de Ros dimid. mil. Rex habet.

Feodum Rogeri Tronel, cuius hæres est infra ætatem, dim. mil.

Nichol. de Montegniaco pro feodo de A Maci & pertinentiis, & pro feodo Petri de Nicole apud Laoumeruillam & apud Lesmeniz, & pro feodo Galteri de Treli apud Menetot, & pro feodo Guillelmi Crassi apud Richeuillam, seruitium debet Domino Regi de duobus militibus ad sumptus suos.

Ioannes de Roboreto debet seruitium duor. mil. pro terra Rogeri Bigot, ad sumptus suos.

Ioannes de Mongimbert pro terra de Soteuilla seruitium vnius militis.

Ballia Lundæ.

Rogerus de Hais quart. milit.
Robertus de Mucedent I. milit.
Robinus de Nouilete quart. milit.
Feod. de Lesperuer quarter. milit.

Ballia Pontis Audemari.

Ioannes de Ioë dimid. mil.
Guillelmus de Caluomonte I. milit.
Guillelmus de Plagnis I. milit. & dimid.
Radulfus de Pieucort dimid. milit.
Baudoinus de Esperuill quart. milit.
Guillelmus de Torneuill. I. milit.
Thomas de Liuet quarter. milit.
Ludouicus de Villekier I. milit.
Iuliana de Nouill. quart. milit.
Hugo de Esperuill. & Rob. de Condé quart. mil.
Nicolaus de Tanaio I. mil.
Robertus Louuet I. milit.
Robertus Bigot III. milit.
Guillelmus de Bonesbors tertiam milit.
Hugo de Alneto tertiam milit.
Ernaudus de Toruilla quart. milit.
Guillelmus de Seglaz quart. milit.
Gaufredus de Champigné I. mil.
Rogerus de Toruill. II. milit.
Guillelmus Malet II. milit. & dimid.
Henr. de Osmundi-villa & Lipognoor dim. mil.
Rob. de Mosterol quart. mil.
Hysar. de Bellafago I. mil.
Henr. de Osmunvilla dim. mil.
Guillelmus de Houcteuill. dim. milit.
Guillelmus de Friardel dim. mil.
Oliuerius de Aubigni, duas partes mil.
Hugo Croc tertiam mil.
Hamon de Claro becco I. milit.
Eustachius Golias XV. dies.
Lucas filius Ioannis dim. mil. de Reg.
Abbatissa de Pratellis V. milit. auxilium.

Roës I. mil.
Rad. de Bello-montello quart. mil.

Ballia Lexou.

Episcopus Lexou. XX. mil.
Feodum de Ollie I. mil.
Episcopus Abric. III. mil. & dim.
Abbas de Bernaio II. mil. & dim.
Ioannes de Saceio I. mil.
Henricus de Ferreriis V. mil.
Abbas S. Ebrulfi II. mil.
Domina de Sapo II. milit. & dimid.
Hugo Paganelli II. milit. & dim.
Dominus de Gace III. milit.

B *Milites de honore Montisfortis.*

Matheus de Poteria I. milit.
Guillelmus Marmion I. milit.
Gaut. Pipart II. milit.
Rob. Louuet tertiam milit.
Robertus Bigot duas partes milit.
Amauricus de Espineto tertiam milit.
Henricus Biset tertiam milit.
Galerandus de Pontiuo tertiam Pontiui.
Guillelmus de Caluomonte sextam mil.
Rogerus de Toruill. tertiam milit.
Radulfus de Magneuilla V. milit.
Robertus de Harecort II. mil.
C Escacallon I. milit.
Robertus de Iuetot dim. milit.
Hugo de Touqueuill. dim. mil.
Feodum Escaues dim. mil.
Henricus de Perynon dim. mil.
Guillelmus de Mortuomari I. milit.
Richardus filius Landrici quart. mil.
Henricus de Mortuomari quart. mil.
Radulfus filius Alani quart. milit.
Ioannes de Bosco sextam milit.
Henricus de Malloc II. milit.
Guillelmus Ferrand I. milit.
Vvalerannus de Mara dim. mil.
Nicolaus Trossebot I. milit.
Robertus de Varetot dim. mil.
Nichol Siluain dimid. mil.
D Oliuerius de Albigny II. milit.
Roetot I. milit.
Lucas de Auiron quart. milit.

Milites de honore Bellimontis.

Gauterus Pipart I. milit.
Guillelmus de Plaignis II. milit. & dimid.
Robertus Franlencort II. milit.
Rich. de Teuraio I. milit.

Radulfus de Monsterolio quart. milit.
Henricus de Pinu quart. milit.
Ioannes de Ioe & participes eius dim.mi.
Idem Ioannes dimid. milit.
Agnes de Romillé dimid. milit.
Robertus de Morcenc I. milit.
Robertus Marmion v. milit.
Matheus de Hoslaporte quart.milit.
Gillo de Valle quart. milit.
Renaudus de Valle I. milit.
Prior de Bellomonte II. milit.
Gaufredus Paileuilain dimid. mil.
Abbatissa de Pratellis dimid. milit.
Henricus de Toruilla quart. milit.
Bochart quart.milit.
Filius Galeranni de Biguart quarter.mil.
Filius Ioannis de Saquainuille II. mil.
Domina de Corneuille dimid. milit.
Thomas de Osmundi-villa dimid.milit.
Robertus de Thibouvilla II. milit. & dimid.
Hugo Croc tertiam milit.
Aaline de Roene I. milit.
Guillelmus de Houetevilla dimid. milit.
Rogerus de Cirré quart. milit.
Eustachius Golias quart. milit.
S. Albinus I.
Lahai pignore quart. milit.
Robertus de Harecuria v. milit.
Vallis Memum quart. milit.
Grolai I. milit.
Robertus Guischart quart. milit.

Milites de honore Pontis Audemari.

In feodo Comit. Mellent.

HEnricus de Bosco I. milit. Rex habet.
Robertus de Cirra quart. milit. Rex habet
Eustachius de Estoteuilla quart. milit. Rex habet.
Robertus Lexouien. I. milit. Rex habet.
Ioannes de Anneto tertiam milit. Rex habet.
Obertus Torpin quart.milit. Rex habet.
Gauterus de Laci II. milit. Rex habet.

De feodo Hugonis de Monteforti qui seruitium debeant Regi.

IDem Hugo seruitium v. milit. Rex habet.
De illis qui tenent Hug. de Monteforti apud Mesnillium Maugerij tertiam milit. Rex habet.
Apud Montelles tertiam milit.

A Robertus de Tornay apud Mont. tertiam milit.
Guillelmus Pullus ibid. tertiam partem milit.
Robertus de Vvigetot tertiam partem milit.
Radulfus de Herbigneio tertiam milit.
Robertus de Liueto tertiam partem mil.
Hæres de Groseliis VIII. partem milit.
Apud Rovvires in ballia Petri de Tilleio I. milit.
Apud Breteuill. in eadem ballia II. partes I. militis, vna vauuassoria minus.
Apud Ciernie in eadem ballia III. partem milit.
B Rob. I. feod. militis, de quo respondet per auxilium dimid. milit.
Henricus de Bruecourt dim. mil. de quo respondet de XIII. s. minus de auxil.
Idem Henric. apud Adeuillam & apud S. Martinum I. milit.
Robertus de Crekeuill. tertiam partem milit.
Rad. filius Alani dim. milit.
Guillelmus de Sureuilla dimid. milit.
Hugo de Rotis VIII. partem milit.
C Rad. de Bailloil sextam partem milit.
Oliuerius de Albigné III. partem milit.
Guillelmus de Ansieruilla Maresc. tertiam milit.
Guillelmus de Monte tertiam partem milit. XI. s. & I. d. minus de auxil.
Apud Gominvillam III. partem vnius milit.
Galterus Pipart I. feod. milit.
Robertus de Suillie I. milit.
Ioannes de Valle Deruile I. millit. de quo tertia pars est in ballia Cadulci.
Apud Altaria I. milit.
Millessent de Tallia tertiam partem milit.
Ioannes de Asneriis dimid. milit. qui est
D in Ballia Cadulci.
Apud Bevvredam III. partem milit. quæ est in eadem Ballia.
Guillelmus de Balloil in eadem Ballia tertiam partem milit.
Hugo Taillart in ead. Ballia tertiam partem milit.
Robertus Bardol I. milit.
Apud Honf-Essart quart. milit.
Robertus Malevicinus quart. milit.
Guillelmus Trihan quart. milit.
Robertus de Montigniaco, & Robertus de Ansiervilla quart. milit. Rex habet.

Feod. loric. de Balliuia Vernon.

ROBERTUS de Pinquiniaco III. milit. singulis diebus apud Vernonem perendinantes. Et quando Rex summonet exercitum suum aliò, per XL. dies ad sumptus suos.

Galterus de Vernone I. feod. loric.

Gillebertus de Autolio I. feod. loric.

Girelmus de Bosco I. feod. & dimid. resid. apud Vernonem, & in exercitu I.

Ph. de Blarru I. feod. loric.

Odo Florepo & eius participes I. feod. loric.

Gislebertus Canim dimid. feod. loric.

Simon de S. Egidio I. feod. loric. & I. quart. loric. pro villa de Hericort.

Stephanus de Amarauilla I. quart. loric.

Amalricus Coispel pro Nuiseio I. f. loric.

Omnes isti debent summoneri per litteras de Redonis.

Barones Britanniæ, qui debent exercitum Regi.

ALanus filius Comitis.
Guiemardus de Lion.
Herueus de Lion.
Comes Guido de Thoarcio.
Paganus de Malo stricto.
Eudo filius Comitis.
Ioscelinus de Rohan.
Radulfus de Monteforti.
Guillelmus de Monteforti.
Petrus de Loheac.
Factudus Vicecomes.
Guillelmus de Guischia.
Berardus de Baim.
Gaufridus de Fulgeriis.
Gaufridus Giron.
Alanus de Castro-Giron.
Guillelmus de Albiniaco.
Iuellus de Meduana.
Oliuerius de Dinan.
Iohannes Dolensis.

Isti sunt in media.

GAufredus de Castro-Brien.
Gaufredus de Ancenis.
Guillelmus de Cliçon iuuenis.
Guillelmus de Cliçon vetus.
Guillelmus Richardi de Venz.
Bernardus de Machecou.
Hartodius de Radiis.
Item Rolandus Vicecomes.

A Oliuerius de Rupe.
Eudo de Ponte.
Hollandus de Rex.
Gaufredus de Hyherie.

Feoda Vallis Rodolij.

ESquetot duo feoda, & pagauit totum, exceptis XIII. s. & IV. d. quos Rex tenet, & illos non habuimus.

Sotovill. quinque feoda.

Marboe quinque feoda. Vv. de Garlanda tenet II. feod. & dimid.

Toruilla II. partes feod.

Villare I. feod.

B Sesseuill. I. feod.

Rogerus Pescheueron tenet XV. f.

Escanuill. I. feod.

Laindes I. feod.

Barquet I. feod.

Esinanvill. III. feod. R. de Corten habet.

Graueron dim. feod.

Fucheroll. & Crouill. II. feod. quæ Rogerus de Mellento tenet.

Feoda Ebroic.

SAciac. I. feod.

Normanvill. V. f.

Charmoia quartam feod.

C Angeruill. dimid. feod.

Guest. I. f. B. de Plesseio tenet tertiam partem.

Dominus de Anfreuill. II. f. Rex habet, except. II. partib. feod. quod Rogerus Pescheueron habet.

Sisse quartam feod.

Ferreriæ I. feod.

Saquenvill. V. feod. Cad. tenet vnum.

Cirre quartam feodi.

Houeteville I. f.

Guichenvill. II. feod.

Perai I. f.

S. Albinus I. feod.

S. Lucius I. feod.

Nouilla dimid. feod.

D Berou quart. feod.

Matheus de Orenaus quartam f.

Radulfus de Ruelli quartam f.

Autolium II. feod. Cad. tenet quatuor partes.

S. Sanxon dim. f. in friche.

Henricus de Ponciaus quart. feod.

Clauvill. I. f. tertium est in friche.

Hosc. Ioscelni quartam feod.

Apriliac. dimid. feod.

Gartel dimid.

Glisolie I. feod.

Hodier. vill. I. feod. Rogerus Pescheueron tenet.
S. Germanus I. f. B. de Plessseio habet.

Feoda de Paciaco.

GRandissilua I. feod.
Garencieres I. feod.
Bretingnoles I. f.
Noua villa de Vallib. I. feod.
Boscus Rogeri I. feod.
Marci I. feod. Gadencourt I. f.
Feins I. feod. Menilles I. f.
Holebec I. f. La Huenniere I. f.
Brehcourt I. f. Duens I. f.
Gornaium dimid. feod.
Roone dim. f. Plesseium dim. f.
Villeronei dim. f.
Corbert dim. f.
Boisset & S. Vincentius dim. f.
La Ruë Maillart quartam feod.
Feodũ Huberti de Pice quartam feod.
Le Buisson I. f.

Defectus prædictorum feod. Paciaci.

AMaur. Pull. c. s. pro Grandisilua per præcep. Reg.
Magister Iuo c. & x. s. & dim. per præcept. Reg.
Stepha. de Sepe XVI. s. & VIII. d. per præceptũ fratris Guid. G. de f. Gadẽcourt.
Ren. Cambellanus XX. s. pro gadencta per Regem.
Raimundus de Tarente XXIII. s. IIII. d. pro Feins per Regem.
Amar. Coipel L. s. de dim. f. de Vvillennoi per Regem.
Garsirius c. & XVII. s. per Regem.
Abbas Scutif. XXV. s. de feod. de Duens per Regem.
Guillelmus de Huennaria XXIII. s. & IIII. d. per B. de Roia.
Le Buisson L. s. de dim. feod. quod est in manu R.
Feodum Huberti de Pice XXV. s. quod est in manu Regis.

VIcecomes Mellenti I. feod. lig.
Amalr. de Blarru I. feod. lig.
Petrus de Mellento I. feod. lig.
Guillelmus de Mellento I. f. lig.
Sen. Mellenti I. f. lig.
Filius Girardi de Gallion. I. f. lig.
Dominus Longuessæ. I. f. lig.
Hugo de Boamuilla I. f. lig.
Bochardus de Marliaco I. f. lig.

A Dominus Neelsæ I. feod lig.
Dominus Manliæ I. f. lig.
Rogerus de Mellento I. feod. lig.
Dominus Villæpetrosæ I. feod. lig.
Dominus Centenaij I. f. lig.
Guido de Rupe I. feod. lig.
Guillelmus de Gueri I. f. lig.
Gislebertus de Molendino I. f. lig.
Radulf. Vituli I. f. lig.
Radulf. de Aion I. f. lig.
Hæres Guillelmi de Aion I. f. lig.
Dominus de Meneuilla I. f.
Humbertus Caprarius recepit à Gilone de Soiliaco, & Gilo à nobis nemus de Mõte Ferier, & XV. familias hominũ
B cũ possessionibus suis, & terrã quam habet apud Cierni extra burgum.
Idẽ Gilo recepit à nobis domum de Podio Narioti de S. Gund. Item domũ Bernardi in Insula de Spineto, & totã terrã quã habet Bernardus in Castellania Soliaci, præter terram de Vannis, & totam terram quam habet in Castellania de Argento. Itẽ VII feoda militum casatorum ad Curconcelliũ, quæ tenet Burdinus Monachus. Item quicquid ipse Gilo habet in alodio apud Anorde. Itẽ totũ nemus de Signi quod est Girardi de Blancafort. Item nemus de Morez, & terram in qua manent LX. homines, vel etiam amplius, quæ tenet Manlgainus de Aiis
C de G. Monacho, & Girardus tenebat pro alodio. Alia etiam omnia feoda G. recipit à nobis, quæ homines sui tenent pro alodiis.
Homines Petri de Singula I. feod. lig.
Galerannus de Bruellio I. f. lig.
Tionnius de Ruello I. f. lig.
Simon de Vigneio I. feod. lig.
Hugo Iambon custodiam terræ suæ.
Ioannes de Montcheurel. I. feod. lig.
Bertinus de Auesnis I. feod. lig.
Alauda de Iambeuilla I. f. lig.
Hugo de Leiuilla I. f. lig.
Guillelmus de Bosco Rob. I. f. lig.
D Quesnellus de Triel I. feod. lig.
Albericus de Marolio I. f. lig.
Hæres Guidonis Maleuicini I. f. lig.
Ansoldus de Herberuilla I. f. lig. Apud Bogimont I. f. lig.
Robertus de Monstelleto I. f. lig.
Ioannes Tonon custodiam terræ suæ.
Nesi & Neseell. I. f.
Radulf. de Quercu I. f. lig.
Herbert Neel. I. f.
Hugo Pullus apud Auesnes I. f. lig.

Simõ de Iambeuilla custodiã terræ suæ.
Radulfus de Hantonne mod. bladi.
Hugo Presbyter herbiagiam suam. mappis quirendum Parisius tota Grauia, & Moncellum S. Geruasij.
Hugo de Castro i. f. apud Meduntam
Blarru i. f.
Simon de Nealfa pro costis Cheuriæ.
Dominusde Serenz domum suam de Serenz ad magnam & paruam vim.
Dominus Mõtemorenciaci terram suã Mellẽti,& Fraxinos,& Truiã,& Vernoliũ,& id quod tenetur ab eo apud Medec. & Eloiencort,& Orgeuall.

Feoda Vulcassini Gallici.

Radulfus de Lie. Galterus Tyrel.
Ansellus de Valmondois.
Droco Basein. Ioannes de Poiz.
Yue le Minier. Theob. de Vallengoiard.
Hugo de Rognel. Thomas de Brieçon.
Galterus de Marines.
Ioannes de Gisorcio.
Petrus de Ruell. Galterus Dues.
Odo de Dugni. Petrus d'Aneri.
Hugo de Caluomonte.
Ioannes de Trya. Guido de Rupe.
Thibaldus de Maudestor.
Vicecomes Meduntæ.

Feoda Vulcassini Normanni.

VV. de Insula Med. S. Dionys. & de Amencort per xi. mensem custodiæ apud Nealfam. & debet pleuium cum euenit.
Ioan. de Gisorcio Besu cum omnib. pertinentiis per tria seruitia militum.
Ioan. de Mucegros Med. S. Dionys. & de Amécort xv. dies custodię Nealfę & alij de Amécort debet xv. dies custodiæ Nealfæ per manũ Ioannis de Mucegros.
Vv. Crispini Baronum de Nealpha & vasiassoriam de Dangu.
Galterus Dargax molẽdinum Beneelin.
Vv. le Galois Galteri Mesnilium.
Hugo de Tignonvilla per escheamenta feod. Tignonuill. & apud Estrepigni terram.
Huesart feodum apud Estrepigni.
Adã Chabot id quod habet apud Basincourt.
Episcop⁹ Lexou. terrã apud Estrepigni.
Balduinus Danemois apud Autauesnes feod. de Tornebu.
Ioannes de Tria Fontanemen.
Hugo de Caluomonte Dodein-vill.

A Gerelmus de Fors quicquid habet in Vulcassino præter Roquetort, quod est de feodo Vernon.
Rogerus Torel v. hospites apud Andel. & dimid. mod. bladi apud Espineiũ, & consuetudinẽ suã in foresta. De his debet vnũ mensẽ custodiæ apud Andel. xv. d. ad custum suum, & xv. d. ad custum domini Regis.
Vv. de Caluomonte Quitriacũ, & Forestam, & Limbecourt, & vnum feodũ apud Estrepigniacum & Mosleines, per vnum militem & dimid.
De eschaetis Vv. le Mareschal. est de feodo Reg. med. de Corni.
B Robertus de Pinqueni Basqueuill. & Baudemont de feodo Vern.
Vv. de Gallande Nouum-Castellum.
Galterus de Torni, Torni per xl. dies seruit. apud Creel, ad castrũ Domini Regis.
Rogerus de Muies feodum de Muies.
Petrus Moret Radepont, & Noiõ super Andelã
Robertus de Pissiaco Mosleiues
Richardus de Plesseio lx. s.
Eustachius de Cleri quod habet apud Corcelles.
Aubertus de Hangest.
Rabellus de Muies. Vv. de Limoges.

Feoda Mellenti in manu Regis.

C De feodo de Abigaret vnũ clausum vineæ, in quo clausoduo arpenni vineæ, & vnus hospes.
In Esmeard duo frusta vineæ, & vnum frustum vineæ apud Bengnols, & clausum de Albergein-villa.
In feodo de Tiboldi-villa duos hospites, & duo frustra vinearum.
In feodo de Anglemare vnum clausum vineæ.
In feodo de Homines, & in feod. de Ioiaco tres hospites & vnum clausum vineæ apud Valles, & alię vineæ apud Nocennias, & apud Mellentum.
D In feodo de Harecourt vnus hospes & vnum frustum vineæ, & vnum clausum apud Mellenti villam.
Iu feodo de Herneis, quod adcensetur x. s. est quædam vinea.
Aliud feodũ est apud Valles, in quo est vinea Hunfredi.
F. Anquetini malore de Tessencourt.
Tota Nealpha cum suis pertinẽtiis spectat ad feodum Mellenti, itaque dominus Nealphæ est homo ligius Comitis Mellenti.
Villers & Vicecomitatus est de feodo Nealfæ.

Nealfę. Tiuervall. cũ suis pertinẽtiis; & la Boissere, feod. & propriũ; & Plessçiũ, feodũ & propriũ; & le Bué, feod. & propriũ, & Villers in Creia; & Aueners, fe. & propr. Baalli, feo. & propr. Noisi, f. & pro. & Bogiual: Villoslemẽ. feod. & propriũ, & custodia de Videuilli & Chancuieres, feo. & propr. & Meullemõt f. & propr. Veillencies, f. & propr. Blarru, feod. & propr. & feo. de Tilleut, quod tenet Hebert⁹ de Lõguesse de Dom. Amalric. de Nealfa; & fe. de Berõual, quod Galeranus de Fraxinis tenet de præd. Amalr. de Nealfa. & feod. de Felins, quod Guil. Monach. tenet, & feod. de Tieci, quod Roger. de Mãlia tenet de dom. Nelfæ, & feod. de Autoil, quod Roch. de Hauemõt tenet de dom. Neelfæ. & fe. de Croissi, & feod. de Saumarches quod mouet de Neelfa. & feod. Arnulfi de Arsiz quod ipse ten. apud Cressi. & feod. de Mõtjoie, & quotquot feoda dominus Nealfæ habet in Belsia.

SCRIPTVM DE SERVITIIS militum, quæ debentur Duci Normanniæ.

EPISCOPVS Abrincensis debet seruitium v. milit. de Abrinc. & de honore S. Philiberti v. milit.

Episcop. Cõstãt. seruit. v. mil. & ad suum seruit. XIII. milites, id est debet capere seruitium XIII. milit. pro exercitu, & similiter de aliis.

Episcopus Baiocen. seruit. XX. mil. & ad suum seruitium CXX. mil.

Episcop. Sagiensis seruit. VI. milit.

Episcop. Lexouiẽ. seruit. XX. milit. & ad suũ seruitiũ XXX. mil. & tertiã partem vnius mil. Et præter hoc habet X. mil. in banleuca Lexouiẽsi, qui remanent ad custodiẽd. ciuitatem, donec retrobannus summoneatur, & tunc ibunt cum propriis expensis Episcopi. Idem habet II. mil. de dono Reg. H. filij Mathildis, scilicet in Mesnilio Odonis, & in Corbespina.

Abbas Fiscanni seruit. X. milit. & ad suum seruit. XIII. milit. & tres partes vnius militis.

Abbas Bernaij ad suum seruit. II. mil.

Abbas Gemetic. seruit. III. mil. & præter hos ad suũ seruit. I. milit. in Esmaleuilla, quẽ Comes Hug. le Bigot ei disforc.

Abbas Montis Roth. seruit. VI. milit. & tres partes I. milit.

Abbas de Mõte S. Michaëlis seruit. VI. milit. in Abrinc. & Cõstant. & I. mil. in Bajocasino, quem faciunt vauasores nisi fuerint in exercitum.

Abbas Cadom. seruit. I. milit. de feodo de Taillebois.

Abbas S. Ebrulfi seruit. II. milit. & præter hos feod. Rogeri Galafre, quod Guill. Paganel. habet de Rege in vadio, vnde disforc. seruit. Abbatis.

Abb. S. Audoëni de Rothom. seruit. VI. mil. & ad suum seruitium XIV. milit.

Abb. de Bernaio habet de fe. suo II. mil.

Abbas S. Dionysij seruit. I. milit. de feodo Bonæuall.

Abbas de Monasteruiller seruit. III. milit. & ad suum seruit. V. milit. & tertiam partem vnius militis.

Comes Ioannes seruitium XX. militum, & ad suum seruitium C. & XI. milit.

Comes Mellẽti seruitium XV. milit. & ad suum seruit. LXXIII. milit. & dim.

Comes Cestriæ seruit. X. mil. de S. Seuerio, & de Bricessart, & ad suum seruit. LI. milit. & dimid. & IV. partem & octauam vnius militis.

Item de feodo Moretonij.

COmes Leecestriæ seruit. X. milit. de honore de Grẽtemesnill. & ad suum seruitium XL. mil. Idem LXXX. & I. milit. ad suum seruitium de honore Britol. Faciet tantum quòd honor sit Duci & Comiti.

Robertus de Curceio ser. V. mil. de honore de Curceio, & ad suũ seruitium XXXIII. mil. & III. part. & IV. mil. Idẽ seruitiũ III. mil. de honor. de Escajol, & ad suũ seru. XVII. mil. & I. quarram.

Hugo Paganellus seruit. V. milit. & ad suum seruit. VI. milit.

Rob. de Mõteforti seruit. VI. mil. de honore de Chauqueinvilla, & ad suum seruit. XXXIII. milit. & III. & IV. milit. Idẽ seruit. de hono. de Orbech, & ad suum seruit. XI. milit. vauasoria minus, Rex habet.

Richardus de Ausai V. mil. & ad suum seruit. VI. milit.

Engoug. de Bohony II. milit. & VII. partẽ mil. & ad suũ seruit. VII. mi. R. habet.

Humfridus de Bohum II. mil. & VII. partem tertij mil. & ad suum seruit. II. milit. Rex habet.

Rich. fil. Com. III. mil. de feodo Eudonis Dapiferi, & ad suũ seruit. XI. mil. præter prædict. Gaufridus de Rupibus habet.

Guillelmus de Aurea-valle seruit. II. milit. & dim. & ad suum seruit. VI. mil. Rex & Comes Bolon. habent.

Osbertus de Kalleio II. mil. de honore A de Kalleio. Regn. de Bosco habet.
Hugo de Gorneio seruit. de XII. milit. & omnium reliquor. ad marchiam.
Turgissus de Traccio II. mil. & ad suum seruit. VIII. mil. Guillel. de Pirō habet.
Guillel. de Romara seruit. XII. mil. apud Nouū-mercatum. Et si Dux eum mādauerit alibi, ibit cum III. vel IV. mil.
Hugo de Montepinçon III. milit. & ad suū seruit. XII. mi. de honore de Mōtepinçon. Garinus de Glapion habet.
Iordanus Taxon x. milit. de honore de Tiureio, & ad suum seruit. xxx. mil. & dim. Idem seruit. v. milit. de hono- B re S. Saluatoris, & ad suum seruit. xv. milit.
Guillel. de Moion seruit. v. milit. & ad suum seruit. XI. milit. Garinus de Glapion habet.
Robertus Bertran v. milit. & ad suum seruit. XXXIV. milit. & dimid.
Richerius de Aquila seruit. v. milit. & dimid. de feodo de Carpon.
Camerarius de Tanquaruilla x. milit. & ad suum seruit. LXXX. & XIV. milit. & III. quartam milit.
Nigellus de Mōbrai seruit. v. mil. de honore de Mōbrai & Castri Gont. & ad suum seruit. XI. milit. & IV. partem C & septimam milit. Rex habet.
Amalricus de Sabloio seruit. apud Gaceiū III. milit. & ad suū seruit. XI. mil. & dimid. Guido de Sabloio habet.
Fulco de Veteri-ponte seruit. II. milit. & ad suum seruit. x. milit. & IV. partē milit. Guillelmus de Veteri-ponte.
Iuliana de Vaaceio seruit. IV. milit. Ph. de Vaaceio in Ballia Cadom.
Mattheus de Icerardi-villa seruit. IV. milit. & ad suum seruit. XII. mil. & dimid. Guillelmus de Pratellis habet.
Galfred. de Marcel seruit. II. mil. & ad suū seru. VIII. mil. & III. partem mil.
Thomas de Tornebu seruit. III. milit. & ad suum seruit. XVII. milit. Richar- D dus de Harcurt habet.
Robert. de Vvesneual III. milit. & ad suū seruit. XII. mil. & III. partem milit.
Vvauquelinus de Ferrariis v. mil. & ad suū seruit. XLII. mil. & III. quart. & IV. milit. cum planis armis.
Rogerus de Nonant I. milit. & ad suum seruit. III. milit. & dimid.
Rich. de Vernone seruit. x. milit. de Neauhou, & ad suū seruit. xxx. mil. Idē de Comitatu Moret. v. mil. Idem seruit. XVI. mil. de honore Vernonis ad custodiam eiudem castri.
Iordanus de Humeto III. mil. & dimid. de honore de Humeto, & ad suum seruit. XIII. mil. Rex habet. Idem seruit. corporis sui de Bellomonte.
Herr. de Nouoburgo seruit. x. milit. & ad suum seruit. xv. milit. & XVI. partem milit.
Richardus de Bellafago II. milit. & ad suum seruit. VI. mil. & tertiam partem vnius mil. Henricus habet.
Eudo filius Herneis seruit. corporis sui, & ad suum seruit. II. milit. & dimid. & octauam & sextam milit. Rob. in Ballia Fal.
Guillelmus Perrinz de honore Landæ I. milit. & ad suum seruit. III. milit.
Simon Aneti II. milit. & ad suum seruit. IV. milit.
Gilleb. de Tileriis seru. IV. mil. & ad suū seruitium IV. mil. & III. quartam.
Rogerus de S. Andrea seruit. I. milit.
Fulco de Arnou seruit. de IV. milit. & ad suum seruit. XXXIV. milit. & dimid. in Ballia de Argentonio.
Guillel. de Braiosa III. mil. de honore Braiosæ. Idē seruit. I. mil. de Couert.
Guillelmus de sancto Selerino v. mil. de honore de Mosterol. & de Vvasprée, & de Eschaufou, & ad suum seruit. XXI. milit. in Lexouien.
Hugo de Mortuomari v. mil. & ad suum seruit. XIII. milit. & dim. Rex habet.
Galfredus de Mōteforti seruit. III. mil. & dimid. & ad suum seruit. XIII. milit. & dimid. Rex habet.
Guillelmus de Veteri-ponte II. milit. & ad suum seruit. XI. milit. & IV. partem milit. in Ballia Sagiensi.
Rogerus de Paucilli II. milit. & ad custodiam de Lions IV. milit. per tertiā partem anni in Ballia Rothom.
Ioannes de Solligneio I. milit. & ad suū seruit. III. milit. Rex habet.
Guido de Nonant I. milit. & ad suum seruit. XI. mil. & I. quartā in Sagiensi.
Radulfus de Haia II. milit. & dimid. de honore Plesseij, & I. milit. de honore Moret. de feodo de Crienciis, & ad suum seruicium VI. milit. & dimid. Rex habet.

In Ballia Ricardi de Bleuille.

Richardus Talebot seruit. I. milit. Guillelmus Chaillot seruit. I. milit. de feodo de Gumfreuilla. Rex habet.
Rogerus Marcel I. mil. in Angeruilla cū pertinētiis. Alex. de Piccot vnū militē

in Piccor, in Chanceio.

Feodũ Guillelmi de Moretonio I. mil. & dimid. Richardus de Riseio I. milit. Guillelmus Bordet I. milit. Robertus Catot dimid. mil. Gill. de Fontibus dimid. mil. Hugo Talebot dimid. milit. Godardus de Vallibus II. milit. Radulfus Recucon I. milit. Galterus d'Aufai de feodo Guillelmi de Fiscanno II. milit. De feodo de Lomeruilla quod Nichol. habuit, dimid. milit. De feodo de Berneual, quod Abbas S. Dionysij habet, I. milit. Hugo de Euremou I. milit. Matheus de Lindebuë quartam partem milit. Manesserus Biset I. mil. in Chauceio.

De honore Comitis Gifardi C. & II. mil. & duas tertias partes, & quartam partem milit. per Iureiam ad seruitium Comitis. Sed ad seruitium Regis nescitur quot.

Galfridus de Malchecei domum suam de Blienuilla, & LX. acras terræ. & de hoc seruit Regi vt mil. Ioannes de Pratellis habet.

In Balliua de Constanciis.

GVillelm. de Tresgot I. milit. & dim. Guillelmus de Ouuilla iuxta Constanc. tres partes milit.

In Ballia de Gaureio.

ROgerus de Monteacuto quartam partem mil. ad custodiam castri de Gaureio, quando Rex est in exercitu.

Radulfus de Teuuill. I. mil. ad eandem custodiam. Idem de feodo Torgissi de Traceio quartam partem mil. ad eandem custodiam.

Helias de Amnerdeuilla I. mil. ad seruitium de Gaureio.

Radulphus de V. I. mil. similiter.

Richardus de Rollo I. mil. de feodo de Rollos.

Guillelmus de Diua III. quartam mil. de feodo Asbloet.

Guillelmus de Busseio I. mil. Galfredus Trossebot I. milit. de serjanteria foresteriæ. Rex habet.

In Ballia Regn. de Comelun.

PH. de Kartrai I. mil. Petrus de Valoniis I. mil. Guillelmus de Siffreuvast III. partem mil. Guillelmus filius Estulti dimid. milit. Rich. de Martinvvast. cum equis & armis, cum Communia de Cæsaris burgo.

De honore Moretonij in eadem Ballia.

RIchardus filius Rou I. milit. Iordanus de Barneuill. I. milit. vno die cum constamento suo, & deinceps cum constamento Comitis.

Rogerus de Manneuilla II. milit. & dimid. & ad seruitium suum III. milit. Ioannes de Rotemont tertiam partem milit. De feod. Rob. de Vrseio I. milit. & ad suum seruitium III. mil. & dim. Rex habet.

Henricus de Ponneria tertiam partem milit. de feodo de Vad. Et tenet castrum de Ponneria cum propristura de Rege. Guillelmus de Vxeio I. milit. Rex habet.

In Vicecomitatu de Cerentiis.

OLuerus de Traceio I. mil. & ad suum seruit. IV. milit. Et isti quatuor debent esse in seruitio Comitis Moreton. vno die cum constamento suo, & deinceps cum constamento Comitis.

Hugo de Bellocampo Regi, de Com. Moreton. Guillelmus de Sola I. mil. & ad suum seruit. II. milit. de Com. Moreton. Vvillelmus Albincar. I. mil. de Com. Moreton. Iordanus de Campo Arnulfi I. milit. & ad suum seruit. II. milit. Guillelmus Auennel V. mil. Reg. & sibi I. mil. de Com. Moreton. Comes habet. Robertus de Tronqueuill. I. mil. per mensem ad constamentum suum.

In Ballia de Nonencuria.

GAlterus de Bosco-Geroldi I. mil. similiter.

In Ballia Guillelmi Pollicaduci.

GVillelmus Croc I. mil. Reg. Osbernus Porcus I. mil. Goël de Baudemont I. mil. Hugo de Mauquencie dimid. mil. Michaël de Bosco dimid. milit.

Rogerus de Pauillie IV. mil. apud Leones per tres quarantenas. Et si Rex eum alibi mandauerit, ibit cum II. mil. Gilebertus de Vvasquoil I. mil. apud Leones per tres quarantenas; & si nõ poterit ire, mittet tres vauassores.

Nicolaus de Soteuilla I. mil. de feodo de Logis & Prato, & VII. hospitibus, quos habet apud Fiscannum. Guillelmus de Soteuilla I. mil. de feodo de Dodeauuille.

A

De honore sanctæ Mariæ Ecclesiæ.
In Ballia Caduci.

RIchardus de Tregeuilla dimid. mil. Galfridus Maluesin dimid.milit. Guillelmus de Mara dimid.mil. Galterus deBoseinuilla dimid.mil.Sanson Marmita dimid. mil. Ibertus de Vvilleuill. dimid. mil. Richardus filius Eutæ dimid. mil.

De Vicecomitatu de Contenuilla.

GIlebertus de Alneto dimid. mil.Iocelinus Crespin dimid.mil.& sibi B remanent XXXII. milit.Et de feodo de Nouo-mercato II. mil.& I.mil.de XV. dieb.ad custodiã Noui-mercati. Hasculphus de S.Hilario II. mil. & dimi.scilicet de Com. Moreton.I.mil. & dim. & de Abrincassino I. mil.

De Ballia de Oismes.

RObertus de Superviam I.mil.Reg. & sibi II. mil. Gilibertus de Bruecort I. mil. Reg. de Pinu cum pertinentiis. Idem I. mil. de feodo Moreton. in Cerentiis.
Robertus de S. Iohanne mil. de terra C Vvasta.

De Ballia de Castro Viræ.

IOannes de Praeriis dimid. mil. Matheus de Praeriis IV. partem mil. Thomas de Colunces I. mil. Reg.& sibi I. mil. de Colunces. Idem de Valdari I.mil.Reg. & sibi I. mil.

De Bajocassino.

SEllo de Lingevvre dimid.milit. Guido de sancto Galico I. mil. pro allodio de Taillebois. Robertus de Bonescoz I. mil. Reg. de trib. mil. D quos habet in Algia. Robertus de Auurlers I. mil. de II. mil. & IIII. parte mil. quos habet. Feodus de Merie I. mil. de IIII. mil. & trib. quart. Richardus Brito II. mil. Reg. de feodo de Spineto quod Rex habet in vad. de Com. Mellent.

De Passeis.

AChardus de Ambreres I. mil. de XI. mil. cum scutis. Guillelmus de Traceio I.mil. & sibi V. mil. Guillelmus de Ferraria I. mil. & sibi V. mil. Henricus de Bosleio I. mil. & sibi VII. mil. Geruasius Paganellus I. mil. & sibi IV. mil. Richardus de Luceio I. mil. & sibi XVII. mil. Matheus de Feritate II. mil. & sibi XV. mil. Henricus de Danfront I. mil. Comes habet.
Oliuerius de Riolei. Guillelmus Gerei de Valle-Borel.Mornel. I.mil.Regi, & vnusquisque debet gardam per mensem in Passeis, & extra Passeis I. mil. Robertus de Capella I. mil. XL. dies de garda, & post ad constamentum Regis. Guillelmus Baudet I. mil. similiter. Hamelinus de Villana I. mil. similiter. Odo de Montegerol I. mil. similiter. Richardus de Luceio I. mil. de Balliuia de Cerenciis,scilicet feod. Hug. de S. Dionysio. Hugo Carbonel I. mil. primo die cum constamento suo, deinde cum constamento Comitis Moretonij. Hugo de Longocampo I. mil. in Braio. Comes habet.

In Ballia de Tenechebrai.

ROgerus de Amondeuist I.mil. & sibi I.mil. Iordanus de Champbernon I. mil. Radulfus de Chaagnes I. mil. Ioannes de Soligneio I. mil. de honore de Giliberuilla, & sibi IIII. mil. Gebertus de Parceio I. mil. de eod.honore,& sibi III. mil.
De honore de Sapo I. mil. de Bosco Bald. III. mil.
Galerannus de Iureio I. mil. de pincernatu,& sibi III. mil.& de idem habet de Iureio VIII. mil.& dim.& Regi quod Rex voluerit. Feodus Gilib. Abrincar. II. mil.

In Ballia de Londa.

MArcus de Mucedent I. mil. Rogerus Lesperuier dimid. mil.Guillelmus de laBataille dimid.mil.Guillelmus de Molis III. partem mil. Robertus de Offel quartam partem milis. Guillelmus Haiis quartam partem mil. quod Ric. de Bosco,Ranul. & Ric. de Beruille tenent.

In Ballia Falesiæ.

RIch. de Oilleio dim.mil.de Tillolio & de Valle Herbaut.Honor Haiæ

de Puteo dimid. Comitat. Moreton. A I. mil. Regi. Flers I. mil. Regi. de Baronia de sancto Sydonio III. mil. Regi. Osbertus de Challi II. mil. scilicet vnum ad suum custum, & alium ad custum Domini.

De S. Sydonio.

GVillelmus de Maletuple I. mil. Ric. de Pirrecort I. mil. Galfridus de S. Martino I. mil. Michaël de Bosco I. mil. Galfredus de On I. mil. & I. quin. mil. seruiunt ad custum Domini.

Manasserus Agullon I. mil. ad custodiam Falesf. quamdiu homines villæ erunt in B exercitu.

Gilebertus de Bruecourt senex quartam partem mil. in Colleuill. & I. aus Guill.

Henricus de Tilli tenet castrum de Tilli, & X. acras terræ in villa de Rege.

Gilibertus de Roures I. mil. Regi de terra sua de vltra Sequanam in Bondeuill. & in Maloalneto.

De honore de Conches & de Tooni XLIV. milit. & VII. milit. quos Matheus de Clara tenet. Præter hoc quod Comes de Albemalle, & Comes Hugo Bigot, & Hugo de Moreton. tenent de feodo C illo. Ad seruitium verò Reg. nesciuntur quot.

De honore Montisfortis XXI. mil. & dimid. & II. partes mil. & IV. partem mil. ad seruitium de Monteforti per Iuream. Sed ad seruitium Regis nesciuntur quot.

De honore Com. Moreton. per Richardum Siluanum XXIX. mil. & VIII. partem mil. ad seruit. Regis per manum Comitis ad marchiam per XL. dies ad constamentum eorum, deinceps ad constamentum Regis vel Comitis. Et Comiti seruiebant prout debebant.

Sunt etiam in Ballia de Cerenciis & in D Ballia de Constant. qui hîc positi sunt in Ballia R. de Cornelum.

Iordanus de Mesnilio I. mil. Regi, & sibi I. mil. Godefridus de Gamaches dim. mil. Regi. Guillelmus Abrincar. I. mil. de honore de Moreton. Ioannes de Gisorcio III. mil. ad custodiam Neophili per III. menses, vel per totum annum si Regi placuerit cum carta. Robertus de Pissiaco I. mil. Regi de terra de Mõtflames, & de Aaqueuill. & I. mil. de feodo Britol.

Feodus de Alisi I. mil. propè pontem Archæ Regi, & Domino feodi III. milit. & Kenonus de Pierrefons tenet.

Guillelm. de Aubigniaco in Basqueuilla.

Robertus de Vitré medietatem de Ria in Bajocassino, & Trungiæ, & Chamel, & Duxeium in Boscagio.

Isti, qui non venerunt, nec miserunt, nec aliquid dixerunt.

ARchiepiscopus Rothomagensis.
Episcopus Ebroicensis.
Comes Glooceſtriæ.
Comes Arundelli.
Comes Albemarlæ.
Comes Augi.
Gerardus de Camuil.
Hugo de sancto Claro in Algia.
Guillelmus de Cortenaio.
Robertus de Estuteuilla.
Robertus le Ros.
Doun Bardof.
Guillelm. de Humet pro feodo de Saceio.
Richerius de Aquila pro feodo de Crespon.
Robertus Marmion.
Comes de Garennes.
Hugo Bigot.
Galterus de Mediana.
Comes Ebroicensis.
Bernardus de S. Galerico pro feodo de Valle de Duno.
Osbertus de Pratell.
Comes Guillelmus.
Rogerus de Bacon pro quarto de Champigneio.
Summa militum istius Scripti D. & LXXX. & I. milit. ad seruitium Regis.
Summa militum ad seruitium Baronum circiter M. & D. milites.

Isti sunt milites, qui fecerunt fidelitatem Domino Regi Franciæ Philippo, de honore & Comitatu Moritolij.

FReslinus Malesmeins.
Rogerus de Miliaco.
Guido de Hencon.
Henricus de Ballolio.
Fulquetus de Pratis.
Guillelmus de S. Britio.
Guillelmus de Astin.
Radulfus de Buato.
Guillelmus de Guuiniaco.
Iordanus de Mesnillo Reinfredi.
Guillelmus de sancto Simphoriano.
Guillelmus de Parriniaco.

Ivinus de Ferreriis.
Guillelmus de Oissi.
Guillelmus Mansel.
Iordanus Rosel.
Rogerius de Chinon.
Philippus de Moissi.
Guillelmus de Ferreriis.
Ricardus Rosel.
Ricardus Seruain.
Hamelinus de Breti.
Guillelmus de Basogia.
Guillelmus de sancto Ioanne.
Alanus de Chacegné.
Hugo de Heuci.
Philippus de Hisengni.
Guillelmus de Breti.
Rogerus de Argentiis.
Guillelmus Grimaut.
Guillelmus de Landa.
Radulfus de Oisiaco.
Robertus de Cunes.
Guasius de Chance.
Galterus Tirel.
Radulfus Lesnier.
A Rieleyn de la Basoge.
Robertus de Teillolat.

Hæc sunt nomina militum de feodo Britolij qui fecerunt homagium Domino Regi.

GVillelmus de Feritate.
Matheus de bosco Ansen.
Rogerus de Bieres.
Guillelmus Agullon.
Guillelmus de Oiniuilla.
B Hugo de Limanuilla.
Ricardus de Glos.
Helias de Roeles.

Hi sunt milites, qui venerunt ad hominagium Domini Regis, de feodo de Grentemesnil.

IOannes de la House.
Thomas de Vvinill.
Robertus de Vvinill.
Galfredus de la Herupe,
Radulfus Rastel.

OFFICIVM AD DVCEM CONSTITVENDVM.

TE Deum laudamus, te inuocamus, te adoramus, te laudamus, ô beata Trinitas. Vers. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus qui dedisti nobis famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere & in potentia maiestatis adorare vnitatem, quæsumus vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis, qui viuis &c. *Finita oratione hæc tria Dux se seruaturum iuret & dicat.*

HÆc tria populo Christiano & mihi subdito in Christi nomine iuro, *in primis.* Vt Ecclesiæ Dei, & omni populo Christiano, veram pacem meo arbitrio in omni tempore seruabo. *Aliud.* Vt rapacitates & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam. *Tertium.* Vt in omnibus iudiciis æquitatem & misericordiam præcipiam, vt mihi & vobis indulgeat misericordiam clemens & misericors Deus qui viuit & regnat.

Alia Oratio.

TE inuocamus Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, vt hunc famulum tuum N. quem tuę diuinæ dispensationis in primordio plasmatum vsque in hunc præsentem diem iuuenili flore lætantem crescere concessisti, eum tuæ pietatis dono ditatum, plenúmque gratia veritatis de die in diem coram Deo & hominibus ad meliora semper proficere facias: vt suum Ducatus solium gratiæ supernæ largitate gaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro ab hostium aduersitate vndique munitus plebem sibi commissam cum pace propiciationis & virtute victoriæ feliciter regere mereatur. Per

Oratio.

DEus, qui populis tuis virtute consulis & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ cum ducatu disciplinæ, vt tibi toto corde deuotus in Ducatus regimine maneat semper idoneus, tuóque munere ipsius securitas Ecclesię diri

A gatur, & in tranquillitate deuotio Christiana permaneat, vt in bonis operibus perseuerans ad æternum te duce valeat Ducatum peruenire. Per Dominum.

Hic detur annulus Duci.

ACcipe annulum signaculum videlicet sanctæ fidei, soliditatem Ducatus, augmentum potentiæ, per quem scias triumphali potentia hostes repellere, hereses destruere, subditos coadunare, & catholicæ fidei perseuerabilitati connecti. Per Dominum.

Sequitur Oratio post datum annulum.

DEus cuius est omnis potestas & dignitas, da famulo tuo propriæ dignitatis effectum, in qua te remunerante permaneat, sempérque timeat, tibíque iugiter placere contendat. Per.

B

Hic accingatur gladio ab Archiepiscopo & cantetur.

N. Confortare & esto vir & obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & custodias ceremonias eius & præcepta eius, & testimonia & iudicia: quocúmque te verteris confortet te Dominus.

Dicatur hæc Oratio ab Archiepiscopo.

ACcipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus sancti resistere & eiicere omnes inimicos tuos valeas, & cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ aduersarios, Ducatúmque tibi commissum tutari, atque protegere castra Domini per auxilium inuictissimi triumphatoris Domini nostri Iesu Christi, qui cum patre in vnitate Spiritus sancti viuit & regnat. Per.

Alia Oratio.

C

DEus qui prudentia tua cœlestia simul & terrena moderaris, propitiare Christianissimo Duci nostro, vt omnis hostium suorum fortitudo virtute gladij spiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur. Per Dominum.

Alia Oratio.

INimicos tuos caritatísque benignitatem conuertat Dominus Deus noster, & bonis omnibus te gratiosum & amabilem faciat, quosque in tui insectatione & odio confusione salutari induat, super te autem sanctificatio sempiterna floreat. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem de visibilibus atque inuisibilibus hostibus semper efficiat, & sancti nominis sui timorem pariter & amorem continuum cordi tuo infundat, & in fide recta ac bonis operibus perseuerabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa cum palma victorię te ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere Ducem, & in præsenti seculo felicem & æternæ felicitatis faciat esse consortem. Amen.

D Quod ipse præstare dignetur.

Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti descendat & maneat super te semper. Amen.

C'EST LE SERMENT QVE DOIT FAIRE Monsieur le Duc de Normandie à son entrée, & ioyeux aduenement en sa Ville, & cité de Roüen.

C'Est asçauoir qu'il gardera & entretiendra l'Eglise & les Ministres d'icelle, & mesmes les nobles & autres manans & habitans de ses pays & Duché de Normandie, en leurs droi-

ctures, priuileges, libertez & franchises. A

ITEM *qu'il gardera, & maintiendra, & faira entretenir & garder les droits, loys, coustumes, Chartre aux Normans, vsages, franchises & libertez dudit pays & Duché.*

ITEM *qu'il administrera, & faira administrer par ses officiers à sesdits subiects, & autres frequentans audits pays, bonne Iustice aussy bien au pauure comme au riche, les gardera & deffendra d'oppressions, exactions, & violences indeus.*

ITEM *qu'il gardera & entretiendra son Demaine & droits de sesdits pays & Duché sans en faire alienation, & se aucune chose en a esté indeuement estrangee le temps passé, le reuoquera & retraira de tout son pouuoir.*

CHARTAE PLVRES TAM DVCVM NORMANNIÆ, QVAM Regum Franciæ, & aliorum.

B

Charta de Excambio quod fecit Rex Ricardus Galtero Archiepiscopo Rothom. de Andel. & de Gaillart.

1190. RICHARDVS Dei gratia Rex Angliæ &c. Facta est hæc permutatio inter Ecclesiam Rothom. & Archiepiscopum Rothomag. GALTERVM ex vna parte, & nos ex altera, de manerio de Andeliaco in hac forma. Scilicet quòd idem Archiepiscopus de consensu & voluntate Domini Papæ CELESTINI III. & de assensu Capituli Rothomag. Ecclesiæ, & Coepiscoporum suorum, & Cleri eiusdem Archiepiscopatus, concessit, & in perpetuum quietum clamauit nobis & heredibus nostris prædictum manerium Andelij, cum nouo castello de Rupe, & cum foresta, & cum omnibus aliis pertinentiis, & libertatibus suis. Exceptis Ecclesiis & præbendis in feod. milit. & excepto manerio de Fraxinis cum pertinentiis suis. Quæ omnia idem Archiepiscopus Ecclesiæ Rothom. sibi, & successoribus suis retinuit, cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, & cum omni integritate sua in perpetuum. C Ita quòd tam Milites, quàm Clerici & omnes homines de feod. militum, quàm de præbendis, sequantur molendina de Andeli, sicut consueuerunt & debent, & molitura erit nostra. Archiepiscopus autem, & homines sui de Fraxinis molent vbi idem Archiepiscopus volet. Et si voluerit molere apud Andel. dabunt molturas suas sicut alij ibidem molentes. In excambium autem prædicti manerij de Andeli cum pertinentiis, concessimus, & in perpetuum quieta clamauimus Ecclesiæ Rothom. & prædicto Archiepiscopo, & successoribus suis omnia molendina quæ nos habuimus Rothomagi, quando hæc permutatio facta fuit integrè, cum omni sequela & moltura sua, sine aliquo retinamento eorum quæ ad molendina pertinent, vel ad molturam, & cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus quas solent & debent habere. Nec aliter alij licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum prædictorum molendinorum. Et debet Archiepiscopus soluere antiquitus statutas de eisdem molendinis. Concessimus etiam eis villam de Deppa, & villam de Boitelles, cum omnibus pertinentiis & habitantibus, & liberis consuetudinibus suis; exceptis eleemosynis constitutis in manerio de Deppa, ab antecessoribus nostris, quarum summa est CCC. & LXXII. libr. Andeg. quæ debent solui per manum prædicti Archiepiscopi & successorum suorum, his quibus assignatæ sunt. Concessimus etiam eisdem manerium de Loueris, cum omnibus pertinentiis, & libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, cum ministerio de Louers. Saluis ad opus nostrum venatione nostra, & destructione forestæ. Ita tamen quòd non sit in regardo. Concessimus etiam eis totam forestam de Aliermont, cum feris & aliis omnibus pertinentiis, & libertatibus suis, sicut ea habuimus. Hæc autem omnia in excambium prædicti manerij de Andel. cum prædictis pertinentiis data, habebunt Ecclesia Rothom. & prædictus Archiepiscopus & successores

A sui in perpetuum: cum omnibus libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, sicut prædictum est. Homines autem prædicti Archiepiscopi de prædicto excambio habebunt omnes libertes & liberas consuetudines, quas habuerunt homines de Andeli, dum manerium illud esset in manu ipsius Archiepiscopi. Hæc etiam omnia, quæ idem Archiepiscopus in hoc excambio recepit, garantizabimus nos & heredes nostri, Ecclesiæ Rothom. & prædicto Archiepiscopo, & successoribus suis in perpetuum contra omnes homines. Ita quòd si aliquis excambium aliquod est recepturus pro aliquo prædictorum, quæ memoratus Archiepiscopus hic recepit, nos vel heredes nostri faciemus illud excambium, & Ecclesia Rothom. hæc prædicta in perpetuum pacificè possidebit. Nos autem quantum Rex potest excommunicamus, & concedimus quòd indignationem omnipotentis Dei, quicúmque contra hoc factum venerit incurrat. Testibus his, Huberto Cãtuariensi Archiepiscopo; Ioanne Vvigornensi, Hugone Couintrensi, Sauar. Batoniensi, Henrico Baiocensi, Gar. Ebroic. Lisiardo Sagiensi, Guillelmo Constant. Episcopis. Guillelmo Abrinc.
B electo. R. sanctæ Trinitatis de Monte Rothomag. Regin. S. Vvandregisili, Victore S. Georgij, Arturo vlterioris Portus, Osberto de Pratellis, Hugone de Augo, Guillelmo de Cornauilla Abbatibus. Ioanne Comite Moretonij, Othone Comite Pictau. Balduino Comite de Albemarle, Radulfo Comite Augi, Guillelmo Marescallo Comite de Estrigol, Guillelmo filio Radulfi Senescal. Norman. Roberto de Torneham Senescallo Andegau. Guillelmo de Hommet Constabulario Norman. Hugone Bruno, Radulfo Camerario Tanquaruillæ, Guillelmo Martello, Radulfo Texon, Galfrido de Sey, Giliberto filio Renfredi, Roberto de Harecuria, & multis aliis. Datum per manum Eustachij Elien. electi tunc agentis vices Cancellarij, apud Rothomagum, anno ab Incar. Domini. MCXC.XVII. die Octobr. regni nostri anno VIII.

Charta de Pace Exolduni inter duos Reges, anno MCXCV.

C RIchardus Dei gratia Rex Angl. &c. Nosse vos volumus quòd hæ sunt conuentiones pacis inter nos & dominum nostrum PHILIPPVM illustrem Regem Francorum factæ in vigilia S. Nicolai inter Exoldunum & Charrocium, videlicet quòd eidem & heredibus suis iure hereditario in perpetuum dimittimus & quittamus Gisortium, & Neelpham, & Vvlcassinum Normannum. Ita quòd Stephanus de Longocampo debet habere Baudemont, & terram suam, & tenebit eam de Rege Franc. De Hugone de Gornaco ita erit. Homagium eius remanet Regi Franciæ ad vitam dicti Hugonis, nisi voluerit redire ad nos. Et post mortem eiusdem Hugonis, debet totum feodum suum de Normannia ad nos & heredes nostros redire. Terra eiusdem Hugonis, quam habuit in Anglia & in Normannia, debet dari Richardo de Vernone pro excambio illo quod Rex Franciæ debet facere eidem Richardo pro castello Vernonis, scilicet de octingentis libr. parisien. de redditibus. Ita quòd si præfata terra Hugonis tantum non valeret per annum, Rex Franciæ ei in terra sua præficeret * residuum. Richardus autem & filius suus Regi Franciæ & heredibus suis Vernonem cum Castellania sua in perpetuum quitauerunt de mandato & assensu nostro, & quitationem iurauerunt. Præterea quitationem illam,
D quam Comes Leicestrię domino nostro Philippo Regi Franciæ fecit de castello Paciaci tam in feodo quàm dominio cum Castellania sua & pertinentiis suis, ratam habemus & firmam. Præterea quitamus Regi Franc. & heredibus suis in perpetuum iure hereditario Nouummercatum, Vernonem, Gaillionum, Paciacum, Ebriacum, Nonencurt, cum Castellaniis eorum. Et sciendum, quòd metæ ponentur inter fortelitiam Gaillon. & fortelitiam Vallis Rodolij, in Media-villa: & ex illa meta sicut se portabit vsque in Secanam, & ex alia parte vsque in Euriam. Ita quod erit ex parte Gaillon. erit Regis Franc. & id quod erit ex parte Vallis-Rodolij erit nostrum. Quittamus etiam eidem Regi Philippo & heredibus suis in perpetuum Aluerinam feodum & dominium, & quod habebamus ibi, & quod nos habituros expectabamus. Præterea si Comes Leecestriæ, aut Richardus de Vernone, aut filius suus, aut aliquis ex hominibus nostris, occasione feodi & dominij, quæ nos per

[Margin: 1195.]
[Margin note: * perficeret.]

hanc pacem eidem Regi dimittimus, ipsi aut suis aliquod malum faceret, nos mitteremus in manus eiusdem Regis Philippi terras eorum, & saluos eum tenere faceremus, vsque dum damna ipsi & suis restituta essent: vel nos de nostro eidem Regi & suis restitueremus, & illos de terra nostra fugaremus. A

Vt autem firma pax sit inter nos & dominum nostrum Regem Francorum, dimittit & quittat nobis & heredibus nostris in perpetuum idem Rex Francorum Exoldunum & Crassaium, & omnia feoda quæ pertinent ad Exoldunum & Crassaium, & feodum de la Chastre, & de sancto Chartier, & de Castelleto, sicut Andreas de Caluiniaco tenebat ea de Rege Francorum: & feodum castelli Meillantis, sicut Odo de Dolis eum de Rege Francorum tenebat: & Sellatum cum pertinentiis, eo excepto, de quo Comes sancti Egidij & sui, aut Vicecomes Turaniæ & sui in vigilia beati Michaëlis erant tenentes. Si Rex Francorum vellet firmare in Villa-noua super Cherum, firmare poterit. Nobis autem remanent Comitatus Augi cum omnibus pertinentiis suis, sicut Comes Augi & sui homines habuerunt; Comitatus de Albamarla cum pertinentiis suis, Archæ & Driencourt cum pertinentiis suis. Terræ verò militum de terra Hugonis de Gornaio, qui venerunt ad nos, reddentur illis. Ita quòd de terris illis facient hominagium & seruitium Hugoni de Gornaio, salua fidelitate quam ipsi nobis debebant. Dimittat etiam nobis Rex Francorum Belueer, & officium de Belueer, & totam aliam terram nostram, & hominum nostrorum, quam amisimus postquam capti fuimus in Alemannia exceptis prædictis terris, quæ remanent Regi Francorum, & heredibus suis in perpetuum, sicut dictum est. In vno & eodem pacto erimus nos, & Comes sancti Egidij, quòd nos tenebimus totam terram, quam tenebamus in vigilia sancti Nicolai: & faciemus & inforciabimus in terra nostra, quam tunc tenebamus, sicut voluerimus, tanquam de nostra. & Comes S. Egidij similiter de sua, quam tunc tenebat. Et si Comes sancti Egidij nollet esse in hac pace, dominus noster Rex Franc. non erit in auxilium contra nos; & nos omnia mala, quæ possemus ei facere, faceremus, & de incendio, & de euersione. Et si nos vellemus tenere firmum id quod cepissemus, quando Comes S. Egidij vellet esse in pace, nos redderemus ei totam terram suam, quam à vigilia beati Michaëlis acquisiuissemus. & similiter erit de Comite S. Egidij. Et si Comes S. Egidij noluerit esse in hac pace, nos neque malum neque guerram faciemus eidem Comiti, quamdiu idem Comes voluerit rectum facere per Regem Frãciæ. Comes Petrogoræ habebit terram suam, sicut habebat quando recessit à nobis, & similiter Vicecomes Brociæ. Comes Engolismensis rehabebit terram suã, & homines sui. Et ipsi tres facient nobis hominagium & seruitium, sicut priùs. Vicecomes Turaniæ tenebit de Rege Francorum id quod debet, & de nobis id quod debet. De Fortunato de Gordeo, sic erit, quod si poterimus probare per sacramenta xx. vel xxx. legitimorum hominum, quod duo castella, scilicet * & Perille, tenuissemus per vnum annum & vnum diem, & ampliùs, & nos ea prædicto Fortunato tradidissemus, si nos ea habere voluerimus, dominus noster Rex Francorum indè se non intromittet. De domo Castelli-noui Turon. ædificanda, faciemus ad consilium Archiepiscopi Remensis, & Droconis de Melloto. De Andeliaco sic erit, quòd nec cominus noster Rex Franc. nec nos in eo clamamus feodum, siue dominium. Et si contigerit, quòd Archiepiscopus Rothomagensis in terram Regis Franciæ aut suorum sententiam interdicti vel excommunicationis miserit, dominus Rex Franc. poterit assignare ad Andel. & ad ea quæ Archiepiscopus ibi habet, & ad eius pertinentias: vsque dum duo Diaconi, vel Presbyteri, quos Rex Franc. per sacramentum suum bona fide ad hoc elegerit: & duo Diaconi, siue Presbyteri, quos nos per sacramentum nostrum bona fide ad hoc elegerimus, decreuerint; vtrum interdictum vel excommunicatio iustè latum fuerit, vel iniustè. Si decreuerint quòd iustè, Rex Franc. prædicto Archiepiscopo reddet Andel. & ea quæ interim exindè leuauerint, & ad verbum dictatorum faciet emendari. Si verò decreuerint quod iniustè positum fuerit, ea quæ Rex Franciæ de Andel. & de pertinentiis eius leuauerit in deperdito erunt Archiepiscopi, & Archiepiscopus interdictum vel excommunicationem soluet. Similiter erit de nobis. Si aliquis prædictorum dictatorum moreretur hinc vel indè, per sacramentum nostrum alterius alter loco mortui similiter supponetur. Quando Archiepiscopum mori contigerit,

A redditus de Andel. & de pertinentiis erunt in manu Capituli beatæ Mariæ Rothomagensis, donec alius succedat Archiepiscopus: nec nos aliquod malum faciemus prædictis dictatoribus propter arbitrium ipsorum. Andeliacum non poterit infortiari. Nos domino nostro Regi Franciæ faciemus quittari omnia illa, quæ cepit de rebus Ecclesiarum terræ nostræ, quæ sunt in terra sua. & idem Rex Franc. similiter nobis. Neque nos, neque Rex Francorum de cetero propter aliquam guerram, quæ euenire possit, aliquid capiemus, vel super capiemus de rebus Ecclesiarum, alter de terra alterius. Et in ea libertate erunt Ecclesiæ hinc indè, in qua erant ante guerram. Amodo non intromittemus nos de hominibus regni Franciæ, neque de feodis quæ ad eum pertinent, neque ipse de nostris. Saluis tamen Regi Franc. seruitiis, quæ ipsi debemus de feod. quæ ab ipso tenemus, sicut feod. apportant. Neque nos recipiemus amodo homines ligios Regis Franciæ contra ipsum, quamdiu vixerit, neque ipse nostros homines ligios, quamdiu vixerimus. His omnibus peractis, Comes Leecestriæ, & omnes prisones, & hostagij prisonum, prout diuisum est, hinc indè liberabuntur. Nos iurauimns bona fide, quòd nos hæc te-
B nebimus, & Rex Franciæ similiter. Quæ omnia supradicta, vt firma & stabilia permaneant, sigillo nostro confirmamus. Actum inter Gaillion. & Vallem-Rodolij, anno Domini MCXCV.

Charta pacis factæ inter Regem Franciæ Philip. & Regem Angliæ Ioannem anno MCC.

IOHANNES Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Norman. & Aqui- 1200.
taniæ, Comes Andeg. atque Pict. Omnibus ad quos præsens Charta peruenerit salutem. Noueritis quòd hæc est forma pacis factæ inter dominum nostrum PHILIPPVM illustrem Regem Franciæ & nos, quòd nos tenebimus illi & heredibus suis pacem, quam frater noster Rex Richardus fecit illi inter Exoldunum & Charrotium, exceptis quæ per præsentem Chartam excipiuntur vel mutantur, propter interceptiones quæ idem frater noster fecit illi de pace illa. Scilicet quòd nos donauimus illi & heredibus suis, sicut rectus hæres Regis Ricardi fratris nostri, ciuitatem Ebroicarum, & Ebroicium, cum omnibus feodis & dominiis, sicut subse-
C quentes metę determinant. Metę autem sunt positæ in media via inter Ebroicium & Nouumburgum; & totum quod erit intra has metas ex parte Franciæ, erit domini Regis Franciæ. Id autem quod erit ex altera parte versus Nouumburgum, erit nostrum: & quantum terrę habebit Dominus Rex Franciæ versus Nouũ-burgũ, tantum terræ habebit versus Conches & versus Aquigni, ad eandem mensuram ex ea parte vbi Abbatia de Noa sita est; sicut aqua Ituniæ currit Vvitebof, vbicúmque sit, donauimus domino Regi Franciæ. Tileriæ cum pertinentiis, & Danuilla, remanent nobis. Ita tamẽ quòd dominus de Brueroles habebit id quod habere debet in dominatu de Tileriis, & dominus de Tileriis habebit id quod habere debet in dominatu de Brueroles. Cõcessimus etiam de Episcopatu Ebroicensi domino Regi Francię, id quod est inter has metas, vnde Episcopus Ebroicẽsis Domino Regi Franciæ & heredibus respõdebit. Idem autem Episcopus nobis & heredibus nostris respõdebit de hoc quod erit extra has metas. Et sciendũ, quòd non poterimus firmare intra metas constitutas inter Nouumburgum & Ebroic. neque apud Vvittebof, ne-
D que nos ex parte nostra, neque dominus Rex Franc. ex parte sua, nisi vbi firmatum est infra metas prædictas. Præterea forteliciæ de Portis & des Landes incontinenti diruentur, neque ibi aliæ fortelitiæ poterunt reædificari. Hæc autem omnia quæ Comes Ebroicensis infra has metas tenebat, fecimus domino Regi Franc. quitari à recto herede Ebroic. De Vvlcasino Normanno ita erit. Nobis & heredibus nostris remanent feoda & dominium, sicut dominus Archiepiscopus Rothomagẽsis exindè tenens erat die quo fecit excambium de Andeliaco. Totum residuum Vvlcasini domino Regi Franciæ remanebit. Ipse verò Rex Franciæ non poterit firmare vltra Gamag. ex parte Norman. neque vltra finem forestæ Vernonis, sed infra; neque nos vltra forestam Andel. poterimus firmare, sed infra. Dedimus autem in maritagium LVDOVICO filio Domini Regis Franc. cum filia Regis Castellæ nepte matri mea, feodum Exolduni, & feodum Crasceij, & feoda Bituresij, sicut An-

dreas de Caluiniaco ea tenebat de Rege Angliæ. Et de omnibus his erit dominus A Rex Franciæ saisitus vsque dum matrimonium prædictum sit consummatum. Et quicquid contingat de matrimonio, postquam factum fuerit, dominus Rex Franciæ tenebit prædicta feoda tota vita sua, & post decessum suum redibunt prædicta feoda ad nos & hæredes nostros; si prædictus Ludouicus hæredem non habuerit de prædicta nepte nostra. Si verò nos mori contigerit absque hærede de vxore nostra desponsata, cum prædictis feodis dedimus eisdem in maritagium feodum Hugonis de Gornaco citra mare Angliæ, sicut id tenet de nobis, & feodum Comitis Albemallæ citra mare Angliæ, & feodum Comitis Pertici, sicut ea tenent de nobis citra mare Angliæ. Præterea nos dedimus domino Regi Franciæ xx. milia marcharum sterlingum ad pondus & legem in quo fuerint, videlicet XIII. sol. & IV. den. pro marcha, propter rachatum suum, & propter feoda Britanniæ, quæ Rex Franciæ nobis dimisit. Nos verò recipiemus ARTVRVM in hominem, ita quòd Arturus Britanniam tenebit de nobis; & nos sicut rectus hæres tenebimus de domino Rege Franc. omnia feoda sicut pater noster, & frater noster Rex Ricardus B ea tenuerunt à domino Rege Franciæ, & sicut feoda debent. Exceptis supradictis, quæ domino Regi Franciæ remanent, sicut suprà dictum est. De Comite Engolismi, & Vicecomite Lemouic. sic erit, quòd nos recipiemus eos in homines, ita quòd eis iura eorum dimittemus. De Com. Flandriæ & Bolon. sic erit, quòd Comes Flandriæ tenebit de terra domini Regis Franc. id quod tenet, & dominus Rex Franciæ ea quæ tenet de rebus Com. Bolon. feodum & dominium: & ea quæ Comes Pontiui indè tenet, feodum & dominium remanent domino Regi Franc. & Com. Pontiui, propter hoc quòd Comes Flandriæ tenet de rebus domini Regis Franc. Comes verò Flandriæ faciet domino Regi homagium ligium. Et si ideò Comes Flandriæ, aut aliquis hominum ipsius Regis Francorum, qui melius sint aut debeant esse homines ipsius Regis Franciæ quàm nostri, ipsi Regi Franc. malum vellet facere, aut nocere, nos non possemus cōtra dominum Franciæ iuuare, vel manutenere: neque Dominus Rex Franc. similiter nostros; qui melius homines nostri sint quàm sui, aut debeant esse, salua forma huius pacis prædictæ. In conuentionibus istis domino Regi Franc. habemus conuentionem, quòd nos nepoti C nostro OTHONI nullum auxilium faciemus, nec per pecuniam, nec per gentes, nec per nos, nec per alium, nisi per consilium & assensum domini Regis Franc. De Arturo sic erit, quòd nos non minuemus eum nec de feodo nec de dominio Britanniæ citra mare, nisi per rectum iudicium Curiæ nostræ. Nos verò dedimus domino Regi Franciæ securitates de hominibus subscriptis, scilicet Balduinum Comitem Albemallæ, Vvillelmum Marescallum, Hugonem de Gornaco, Vvillelmum de Hummet Constabularium Normanniæ, Robertum de Harecort, Ioannem de Pratellis, Vvillelmum de Keu, Rogerium de Tooniaco, Garnerum de Glapion, qui iurauerunt hoc modo: quòd ipsi cum omnibus feodis suis citra ad dominū Regem Francorum irent, si hanc pacem ei non teneremus, sicut est diuisa. Dominus quoque Rex Franc. similiter dedit nobis securitates de hominibus suis subscriptis, scilicet Comitem Robertum Drocarum, Galfredum Comitem Pertici, Geruasium de Castello, Guillelmum de Garlanda, B. de Roia, G. Cam. patrem, Vrsionem filium eius, Philippum de Liuiis, G. iuuenem Camer. qui similiter hoc modo iurauerunt, quod cum omnibus feodis suis ad nos venirent, si dominus Rex Franc. hanc pacem non teneret, sicut est diuisa. Nos autem, & ostagij prænominati D iurauimus hæc omnia prædicta bona fide & sine malo ingenio, fideliter & firmiter obseruanda. Quod vt perpetuum robur obtineat, præsentem, &c. Actum apud Goletum, anno Domini MCC. mense Maio.

Inquisitio de Regalia Rothomagensi.

IOannes de Pratellis, Richardus de Rui, Richardus de Villequier, Robertus de Fresquines, Vvillelmus de Viuario, Reginaldus de Petrauillula, Robertus de Tiliolo, Galfredus de Mesnilio, Galterus de sancto Ioanne, Vvillelmus Pantol, Gilibertus

A Gilibertus de Remfreuilla, Adam de Maretot, Richardus de Sahors, Vvillelmus de Riparia milites iurati dixerunt, quod mortuo ROTBERTO Rothomagensi Archiepiscopo, Rex HAINRICVS cepit Regalia in manu sua, & posuit custodes suos ad ea custodienda. Cùm autem GALTERVS de Constantiis, qui erat familiaris Regis, in Archiepiscopum promoueretur, Rex reddidit ea illi. Sed dixerunt se nescisse vtrum reddiderit ei amore, quia familiaris eius erat, vel de iure, vel aliquo modo alio. De electione dicunt se vidisse Rotroldum & Galterum de Constant. recipi in Archiepiscopatum Rothom. ad preces & ad voluntatem Regis Hainrici. Cùm autem Archiepiscopus Rotroldus mortuus esset, orta est lis & contentio inter Regem & Capitulum, ita quòd Capitulum elegit ROBERTVM de Nouoburgo, & alios duos qui erant de Capitulo suo, volentes quod Robertus de Nouoburgo esset Archiepiscopus. Rex verò timens ne irent contra voluntatem suam, noluit sustinere hoc, & elegit GALTERVM de Constantiis, & duos alios Episcopos de Anglia, volens quod idem Galt. esset Archiepiscopus. Capitulum verò pro posse suo Regi contradixit. Tandem Canonici videntes Regem turbatum, interrogauerunt eum B vtrum hoc fieri vellet de iure regiæ, vel precibus. Rex verò dixit. Volo & precor vt ita fiat. Capitulum verò acquiescens voluntati Regis, receperunt Galterum prænominatum, & eum constituerunt Archiepiscopum, & cetera.

Cirographus Rothomagensium de conuentionibus habitis cum domino Rege anno MCCIV.

PETRVS DE PRATELLIS, & alij milites, qui cum eo sunt apud Rothomagum, Robertus Maior, Iurati, & Communia ciuitatis Rothomagensis, vniuersis ad quos literæ præsentes peruenerint, salutem. Nouerit vniuersitas vestra, quòd hæ sunt conuentiones inter nos & dominum Regem Franciæ, excepto Comite de Mellento, & Guillelmo Crasso, & Rogero de Thooniaco, & filiis eius, quos Dominus Rex Franciæ de omnibus conuentionibus subsequentibus excepit. Dominus Rex Franciæ nobis dedit inducias à prima die præsentis mensis C Iunij vsque ad XXX. dies, tali conditione, quòd si IOANNES Rex Angliæ infra prædictos XXX. dies non fecerit cum prædicto Rege Franciæ pacem ad voluntatem ipsius, vel ipsum Regem Franciæ de loco in quo ipse est, per vim & bellum remouerit, nos trademus eidem Regi Franciæ, vel mandato ipsius, ciuitatem Rothomagi integrè cum omnibus forteliciis. Et super his conuentionibus obseruandis iuramentum præstitimus, ego Petrus de Pratellis, Gaufridus de Bosco, Henricus de Estouteuilla, Robertus de Hiuesneual, Thomas de Paueliaco, Richardus de Huillecher, Petrus de Hostot, & omnes alij milites, qui sunt apud Rothomagum hoc idem se obseruaturos bona fide infra diem Dominicam proximam post Ascensionem Domini iurabunt. De burgensibus verò isti iurauerunt, ego Robertus Maior, Gaufridus Cambitor, Matheus Grossus, Hugo filius Vicecomitissæ, Radulphus de Chaliaco, Ioannes Lucas, Radulphus Grommet, Enardus de Ripa, Ioannes Fesardi, Clarembaudus, Ioannes Batiecoc, Rogerus Malasn. Vvalo de Ripa, Hosmundus Pirus, Bernerus Faber, Guillelmus Grommet, Guillelmus Freschetus, Robertus de Mesni-le-lac, Auguerus de Super-ripam, Robertus de Ca- D stello, Nicolaus de Depia, Robertus Pirus, Robertus Villani, Rogerus Galteri, Robertus de Malepalu, Siluester de Vvateuilla, Martinus de Coruesceria, Hugo nepos Vvalonis, Richardus de sancto Vvandregisilo, Gaufridus Villanus, Petitus Piscator, Lucas Baudrici, Guillelmus Molendinarius, & omnes alij burgenses Rothomagi debent similiter iurare infra diem Dominicam proximam post Ascensionem Domini, se id bona fide obseruaturos, & de omnibus his conuentionibus tam præcedentibus quàm subsequentibus tenendis isti qui subscribuntur Domino Regi Franciæ debent dare ostagios infra proximam Ascensionem Domini. Ego P. de Pratellis 1204.

Guillelmum nepotem meum filium Ioannis de Pratellis, Reginaldus de Bosco Gaufridum filium suum, Gaufridus de Bosco Guillelmum nepotem suum filium Hauis sororis suæ. Et omnes alij milites, qui habent fortericias, tradere debent Domino Regi Franciæ ostagios ad laudem Ioannis de Pratellis & Ioannis de Roboreto. Nos verò burgenses Rothomagenses Domino Regi Franciæ similiter tradere debemus infra proximam Ascensionem Domini pro his omnibus conuentionibus præcedentibus & subsequentibus obseruandis XL. ostagios tam filios quàm propinquiores heredes de parentela nostra, quales idem Rex elegerit. Nos etiam tradimus eidem Regi Franciæ barbachannam quæ est in capite pontis, ex illa parte pontis in qua idem Rex est, integrè, & decem pedes de aqua Sequanæ vltra barbachannam de bongo versus pontem, & ibidem idem Rex firmabit & fortericiam faciet ad voluntatem suam quando voluerit. Et vltra illos decem pedes nos diruemus quatuor archas pontis quando eidem Regi placuerit, & ad voluntatem ipsius: & ad caput archarum illarum, quæ diruentur versus Rothomagum, nos faciemus portam vel obstruemus, sicut eidem Regi placuerit. Militibus autem, burgensibus, & seruientibus, qui prima die præsentis Iunij erant apud Rothomagum, post complementum prædictarum conuentionum & subsequentium, dimittet idem Rex tenementa illa, de quibus prædicta die saisiti erant, si venerint ad hominagium & seruitium ipsius Regis. Ita tamen quòd ipsi illa seruitia facient eidem Regi, qualia feoda & terræ ipsorum debent. Milites & burgenses de Comitatu Augi, qui eadem die erant apud Rothomagum, saisiti erunt de terris suis & erga Comitem Augi facient quod debebunt. Burgenses de Driencort & Augi & Albemarlæ rehabebunt tenementa sua, reddendo seruitia, quæ ipsa tenementa apportant, vbi debuerint: si tamen ipsi redierint ad locum illum vbi tenementa erunt. De militibus & vassletis de terra Comitis ROBERTI DE ALENZON, qui similiter eadem die erant Rothomagi, sic erit. ipsi erunt saisiti de terris suis, & facient erga Comitem Robertum hoc quod debebunt. His omnibus completis, sicut supradictum est, & sicut inferiùs dicetur, & postquam nos eidem Regi reddiderimus ciuitatem Rothomagi integrè cum omnibus forteritiis, ipse nobis creantat pedagiorum libertates & consuetudines ad ipsam pertinentes, quales habuimus in Normannia, præterquam in Comitatu Ebroicarum, & in Vulcassino Normanno, & apud Paciacum, & in terra Hugonis de Gornaco, à Ponte-Archæ ex parte Rothomagi per aquam & per terram, & in Pictauia, Andegauia, Britannia, Cenomannia, & in Vuasconia. Idem Rex Franciæ faciet dari conductum militibus & seruientibus qui erant Rothomagi prima die præsentis Iunij, qui noluerint esse in his conuentionibus, infra XXX. dies prædictos si voluerint recedere vel per terram vel per aquam. Idem Rex Franciæ omnia vasa sua & naues & galeas poterit ducere & reducere vbi voluerit, per aquam sine mercatione emendi, nisi mercatio illa esset de suis lucris: & si gentes eiusdem Regis, quæ essent in suis vasis seu nauibus aliquid caperent de rebus nostris, & eorum qui sunt in his conuentionibus, à prima die Iunij in antea idem Rex nobis reddi faceret illud quod nos vel illi, qui sunt in his conuentionibus, legitimè, & per legitimos testes possemus probare nostrum esse, vel eorum qui sunt in his conuentionibus sine parte alterius infra hos XXX. dies. Milites & seruientes, qui eadem die erant apud Rothomagum, poterunt ire ad tenementa sua, vnde tenentes erant prædicta die. Et si interim eidem Regi fecerint hominagium de terris illis, de quibus ipsa die saisiti erant, Dominus Rex recipiet eos in homines de illis terris. Mercatores autem Rothomagi poterunt deferre mercaturas suas per terram & per aquam infra hos triginta dies in terram ipsius Regis, & reducere, sine pane & blado, reddendo suas rectas consuetudines & pedagia sua vbi debuerint. Et quando omnia supradicta erunt omninò completa, idem Rex reddet nobis ostagios nostros. Ego Robertus Maior Rothomagensis me vicesimo iurabo, quòd capita hominum Domini Regis non fuerunt amputata per nos in ciuitate Rothomagensi, sed plus de hoc doluimus, quàm gauisi fuerimus. Et si eos capere potuerimus qui hoc fecerunt, eos ipsi Regi trademus ad faciendam voluntatem suam. De

A Vernolio & de Archis sic erit. Si homines de Vernolio voluerint venire ad pacem Domini Regis, & exindè eum benè securum fecerint, & id infra diem Dominicam proximam post Ascensionem Domini ei significauerint, ipse Rex dabit eis easdem inducias, quas nobis dedit. Similiter si illi de Archis ad pacem Domini Regis venire voluerint, & inde eum benè securum fecerint, & id infra diem Veneris proximam post Ascensionem Domini eidem significauerint, ipse Rex dabit eis easdem inducias quas nobis dedit. Has conuentiones tenendas creantauit idem Rex, & hi qui subscribuntur iurauerunt, H. Comes Niuernensis, R. Comes Drocarum, P. Comes Altisiodori, D. de Melloto Constabularius, Guido de Donnapetra, B. de Roia, Guillelmus de Garlanda, H. Marescallus, Ioannes de Roboreto, Albertus de Hangest, G. pater Camerarius, Gaucherius de Castellione, Comes Iouiniaci, Gaucherus frater ipsius, Comes Barri, Robertus de Curteneio, G. iunior, Hugo de Maloalneto, Radulfus Ploquetus, Radulphus de Roia. Actum ante Rothomagum anno Domini MCCIV. prima die Iunij.

B

Litteræ quas misit Rex Angliæ obsessis in Gaillardum.

IOANNES Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Andegauiæ, dilectis & fidelibus suis ROGERIO de Cestria Constabulario & aliis fidelibus suis in castro Andeliaci commorantibus salutem. Gratias vobis referimus super bono & fideli seruitio vestro, & vos rogamus in fide & hominagio, quibus nobis tenemini, quatenus de castro nostro custodiendo pro posse vestro intendatis, vt à Deo & nobis, & omnibus qui fidem & deuotionem vestram erga nos audierint, dignè laudari debeatis. Si verò, quod absit, in tam arcto fueritis positi, quòd vos vlteriùs tenere non possitis, tunc faciatis quod dilecti & fideles nostri Petrus de Pratellis, & Guillelmus de Mortuomare, & Hugo de Huellis Clericus noster vobis mandabunt.

C

Stabilimentum factum apud Rothomagum inter Clericos & Barones Normanniæ.

EGO Reginaldus Comes Boloniæ, & ego Guillelmus Martel, & ego Henricus de Estoteuille, & ego Vv. Cambellanus Tanquaruillæ, & ego Radulphus Tesson, & ego Robertus de Vestieual, & ego Ioannes de Pratellis, & ego Henricus de Ferrariis, & ego Ph. de Nauce, & ego Vv. de Mortuo-mari, & ego Robertus de Torci, & ego Vv. de Seranz, & ego Fulco Paganellus, & ego Vv. de Homet, & ego Stephanus de Longocampo, & ego Hugo de Colunces, & ego Robertus de Vvesneual, & ego Vv. de Pratell. & ego Ioannes de Roboreto, & ego Odo Castellanus Beluaci, & ego Nich. de Montegniaco, & ego Thomas de Proaiuilliaco, & ego Rogerus de Mellento. Notum facimus vniuersis, quòd nos iurauimus super sacrosancta, quòd iura quæ HENRICVS & RICHARDVS quondam Reges Angliæ habuerunt in Normannia aduersus Clerum, & apud Lexouium & alibi, 1205.
D & iura nostra diceremus. Nos autem per sacramentum nostrum diximus, quòd vidimus tempore Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ, quòd si Ecclesia pertinens ad donationem laicæ personæ vacaret, si ille ad quem donatio illius Ecclesiæ pertinebat, præsentaret idoneam personam Archiepiscopo, vel Episcopo, in cuius dioecesi sita esset Ecclesia illa: Archiepiscopus vel Episcopus eandem personam de iure recipere tenebatur, nisi alius contenderet præsentationem illius Ecclesiæ ad se pertinere. Si verò de iure patronatus contentio oriretur, Archiepiscopus vel Episcopus numquam posset alicui conferre Ecclesiam illam, nec aliquem recipere ad Ecclesiam illam, donec contentio in

Curia Domini Regis, vel in Curia illius, de cuius feodo mouet Ecclesia, terminaretur. Quando verò causa terminata esset in Curia Domini Regis, aut in Curia illius, de cuius feodo mouebat Ecclesia, Archiepiscopus, vel Episcopus, ad testimonium litterarum patentium Domini Regis, vel Bailliui sui, in cuius Curia causa esset terminata, vel illius de cuius feodo mouebat Ecclesia, deberet recipere idoneam personam, quam præsentaret ille, cui adiudicatum esset ius patronatus illius Ecclesiæ. A

ITEM diximus per sacramentum nostrum, quòd Archiepiscopus vel Episcopus, vel alia inferior Ecclesiastica persona non debet ferre sententiam excommunicationis in Barones, vel in Bailliuos, aut in seruientes Domini Regis, aut in Clericos domus suæ, Rege non requisito, vel suo seru.

ITEM diximus per sacramentum nostrum, quòd nulla Ecclesiastica persona debet aliquem trahere in causam pro fide, vel pro sacramento quod fiat de laico feodo, vel catallo hominis laici. Sed si fides data fuerit de catallo maritagij, vel de legato mortui, vel de catallo Clerici vel crucesignati, de causa illa benè possunt iudicare. B

ITEM diximus per sacramentum, quòd non vidimus tempore Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ, quòd aliquis redderet decimas de feriis, aut de genestis, aut de foscis, vbi priùs fuerint demosmatæ.

ITEM diximus per sacramentum nostrum, quòd vidimus Henricum & Richardum quondam Reges Angliæ tenentes placitum spatæ in ciuitate & banleua Lexouij, postquam ARNVLFVS Lexouiensis Episcopus recessit à Normannia exul hac de causa.

ITEM diximus per sacramentum nostrum, quòd in feodo terræ Gornaij & Feritatis, & Gellefontis, non debet Archiepiscopus tenere nisi tantum tria placita, scilicet de maritagio, de legato mortui, & de catallo Clerici.

ITEM diximus per sacramentum nostrum super hoc quod Archiepiscopus petit apud Louers, quòd Richardus quondam Rex Angliæ fecit ei excambium, & indè dedit ei Cartam suam. Et Dominus Rex faciet ei iustitiam secundum tenorem Cartæ suæ, si ei placuerit. C

ITEM diximus per sacrawentum nostrum de Clerico, qui tenet laicum feodum, quòd si Clericus iniuriosus existit Domino, à quo tenet feodum, super feodo illo; Dominus feodi potest saisire omnia catalla clerici, quæ inuenerit super feodum, de quocúmque loco venerint, donec ei satisfecerit de his quæ pertinent ad laicum feodum.

ITEM diximus per sacramentum nostrum, quòd si Clericus teneat aliquid de quo conqueratur laicus, & Clericus dicat se tenere illud nomine eleemosynæ: per sacramentum legalium hominum patriæ recognoscetur, vtrum sit laic. feod. an eleemosyna, & hoc in Curia Domini Regis. Similiter si laicus tenet rem, quam Clericus dicat esse suam nomine eleemosynæ, recognoscetur similiter in Curia Domini Regis, per sacramentum legalium hominum patriæ.

ITEM diximus per sacramentum nostrum de rebus vsurarij, quòd quandiu vsurarius est in lecto ægritudinis, si distribuat res suas propria manu sua, stabile est. Post mortem verò vsurarij, omnes res suæ Domini Regis erunt, si probatum fuerit quòd infra annum ante mortem commodauerit ad vsuram. D

ITEM diximus de illo qui moritur intestatus, si iacuerit in lecto ægritudinis per tres dies aut per quatuor; omnia mobilia ipsius Domini Regis debent esse, aut illius in cuius terra est, de illo qui se interficit spontaneus.

ITEM diximus de treuga, quòd si aliquis vulnerat alium, vnde debet perdere membrum, aut vitam, placitum remanebit in Curia Domini Regis, si conquerens vult prosequi causam; & Ecclesia habebit emendam suam vsque ad IX. libr. si accusatus fuerit conuictus, & Dominus Rex habebit

A totum residuum. Treuga verò durat à die Mercurij serò; vsque ad diem Lunæ mane.

Item diximus, quòd si Clericus capiatur quacúmque ex causa, & Ecclesia eum requirat, reddi debet Ecclesiæ. Et si conuictus fuerit de furto, vel de homicidio, degradabitur, & aluurabit terra, nec aliter pro delicto illo punietur, nec poterit postea intrare terram sine licentia Domini Regis; quin de ea fiat iustitia. Si verò postea aliquid forifecerit, Dominus Rex de illo faciet iustitiam sicut de laico.

Notum facimus præterea, quòd iura Domini Regis & nostra, quæ nobis memoriæ occurrebant, sicut vidimus tempore Henrici & Richardi Regum ea obseruari, aduocato consilio prudentum virorum, scilicet Richardi de Villequier, Richardi de Argentiis, Richardi de Fonteneto, & Radulfi Labé, & quorumdam aliorum, bona fide scripsimus, pro iure Domini Regis & nostro conseruando. Et quia iura Domini Regis & nostra nobis memoriæ non occurrebant, & quia quidam de Baronibus Norman. præsentes non erant; decreuimus inter nos, quòd ad aliam diem conueniremus, & Barones absentes aduocaremus, si Domino Regi placeret. Et tunc iura Domini Regis & nostra, quæ
B hîc scripta non sunt, per sacramentum nostrum scribemus. Huic autem scripto sigilla nostra dignum duximus apponenda. Actum Rothom. anno Domini MCC. quinto, mense Nouembr. Dominica post octauam omnium Sanctorum.

Charta treugæ inter Philippum Regem Franc. & Ioannem Regem Angliæ anno MCCVI.

Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegauensis, omnibus ad quos præsentes litteræ per- 1206.
uenerint, salutem. Noueritis, quòd hæc est forma treugæ inter Regem Francorum & nos, à die Veneris proxima ante festum sancti Lucæ Euangelistæ nuper præteritum duraturæ vsque in duos annos proximos sequentes. Videlicet quòd Rex Franciæ habebit homines & imprisios suos, qui apertè vverrauerunt nos pro eo in hac vverra: & nos similiter homines & imprisios nostros,
C qui apertè prædictum Regem Franciæ vverrauerunt pro nobis in hac vverra: Ita tamen quòd in Norman. Cenoman. Brit. Turon. Andegau. vltra Ligerim ex parte ciuitatis Andegau. non remanebit nobis terra, homo, vel imprisius per hanc treugam; Et Rex Francorum, & nos, & homines, & imprisij sui & nostri erimus tenentes bona fide, sicut eramus tenentes prædicta die Veneris ante festum sancti Lucæ. Et si contentio fuerit in teneura hominum Reg. Franc. per dictum & sacramentum Reg. Comitis Augi, & Hugonis Vicecomitis Castri-Heraudi, ad hoc ex parte ipsius Regis Francorum appositorum; & Sauarici de Maloleone, & Guillelmi de Cantumerulæ ad hoc ex parte nostra appositorum, emendabitur. Et similiter si contentio fuerit de teneura hominum nostrorum citra Ligerim ex parte Pictau. per dictum & sacramentum istorum quatuor prædictorum emendabitur. Si interceptiones fiant in treuga, siue de catallo, siue de villanis captis, siue de præda, emendatio indè capietur per prædictos quatuor infrà XL. dies postquam propter
D hoc summoniti dictum suum indè dixerint. Si autem interceptio fiat vel de forteritia, vel de castro furato, siue de corpore Baronis capto; emendatio indè fiet similiter per prædictos quatuor bona fide infra XL. dies, postquàm ipsi dictum suum indè dixerint, vel duo ex illis si alij dicere non voluerint. vel treuga propter hoc interrumpi poterit sine interceptione post illum terminum XL. dierum. Hæc treuga assecurabitur ex parte Regis Franciæ per eos, quorum nomina subscripta sunt, scilicet per Comitem Britanniæ, Hugonem Brunum, Comitem Augi, G. de Lizegnem, Vicec. Lemouicensem, Vicecomitem Castri Heraudi, Vv. de Maloleone, Th. de Blazon, G.

deToch. Sulpic. de Ambaz. G.Sonnebauth Vicecomitem Bruciæ, Eschiuardum A
de Pruliaco. Ex parte nostra per Vicecomitem Thoarc. Sau.de Maloleone, Vv. de Mauseio, Vv.Meingot, H. Archiepiscopum, G. Martel, B. de Mauleurier, Theobaldum Crispini, Radulfum de Marthaio, G. de Taun. G. de Rancon. Reginaldum de Pontibus iuniorem, T. Chabot. Omnes isti ex vtraque parte iurabunt, quòd bona fide treugam tenebunt, & de se & de suis hominibus, & volent quòd bona fide teneatur. Si aliquis de prædictis quatuor, qui ad dicendum de teneuris, & interceptionibus treugæ sunt appositi, exonium manifestum habuerint, ad hoc alios idoneos in loco suo ponent, per sua sacramenta, donec interesse possint bona fide. Et si fortè infra treugam aliquis eorum quatuor obierit, alius idoneus loco eius ponetur ab eo, de cuius parte fuerit. Omnes homines & terræ Regis Franciæ scilicet & nostri erunt in treuga ista, & poterunt interim hinc indè ire & redire, & negotiari securè, præterquàm in Curia Regis Franciæ, & in Curia nostra: ad quos nullus veniet, nisi vir Religiosus, vel mercator cognitus, sine licentia Regis Franciæ vel nostra. Terræ communes erunt interim, & mercatores ibunt B
& redibunt per legitimas consuetudines antiquas. Si mercatores Flandriæ fecerint conuentiones in terra nostra. Rex Franciæ, si contradicit *, & illi de terra nostra volunt eas tenere. Hanc treugam fecit Rex Franc. iurare pro se in anima sua, & nos similiter. Et in manum capit Rex Franciæ, quòd Vv. de Rupibus, Mauricius de Creone, Vv. de Guirchia, G. de Ancenis, qui ad treugam iurandã ex parte nostra requisiti fuerunt, eam tenebũt. A. Rex Castellæ erit in hac treuga si voluerit, & infra hanc treugam poterit nobiscum componere, si nos voluerimus. Actum apud Thoarcium, anno Domini MCC. sexto, mense Octobri. Test. Domino B. Vvinton. Episcopo, Vvillelmo Brievverra, Rob. filio Vvalteri. Dat. per manum Hugonis Archidiaconi Vvellen. apud Thoarc. XXVI. die Octob. anno regni nostri octauo.

Charta Rothomagensis.

1207. PHILIPPVS Dei gratia Fr. Rex, Notum &c. Quòd nos dilectis & fidelibus nostris ciuibus Rothom. consuetudines & libertates suas concedimus, sicut inferiùs C
continentur. Concedimus siquidem eis quitantiam de his quæ ad nos pertinent ex propriis mercaturis suis per totam terram, quam HENRICVS quondam Rex Angliæ tenuit, præterquam in Comitatu Ebroic. & in Vulcassino Norman. & apud Paciacum, & in terra Hugonis de Gornaco, & præterquàm à ponte Archiæ superiùs versus Franciam. Modiationem tamen nostram de vino Rothom. reddent nobis, præterquàm de vino, quod eis datum fuerit ad potum suum, quod nullo modo vendere poterunt, quin indè reddant modiationem. Concedimus etiam quòd ipsi habeant Communiam & banleugam ad metas, quas RICHARDVS quondam Rex Angliæ eis concessit, & iustitiam suam iuxta metas. Saluo tamen iure Dominorum, qui ibi terras habuerint. Et habeant etiam placita de hereditatibus & catallis suis & conuentionibus factis Rothomagi, & infra banleugam, saluis Curiis Dominorum, qui ibi terras habuerint. Qui Domini habent Curias hominum suorum in villas tenendas vsque ad recognitionem. Recognitio autem fiet in Communia. Recordationem quoque tenebunt de iis, quæ facta fuerint inter eos, saluo nobis placito ensis. Super debitis mutuatis apud Rothom. si debitor infra Rothom. venerit ex quo de equo descenderit, castallum vel hernesium D
suum per Maiorem propter debitum arrestari poterit, quoúsque illud cognouerit vel negauerit: nisi tamen ita sit, quòd per summonitionem nostram illuc venerit, vel in exercitum eat. Qui debitor si cognouerit in Communia, de eo ius faciet ad diem. Si verò illud negauerit, ius inde faciet coram Balliuo nostro apud Rothomagum. Et Balliuus noster de eo securitatem accipiet ad diem veniendi, & ius ibi coram ipso faciendi. Et si debitor, vel ille, qui conuentionem Rothomagi fecerit, Rothomagum non veniret: si in iustitia & potestate nostra esset, compelleremus ipsum vt Rothomagum veniret, & super hoc iuri pareret coram Balliuo nostro Rothom. Nullus ciuium Rothom. potest appellari ab aliquo latrone confesso,

A vel aliquo crimine conuicto, vel deprehenso, vel falsario: nec etiam ab aliquo, qui legem non habeat. Cõtra omnes legitimos homines & legales testes respondebūt; sicut alij de Normãnia. Præterea ciues Rothomagi cogere non poterimus ad custodiendum prisones nostros, nec carcerem, nec alibi, nisi tãtummodo quoúsque illos tradiderint Balliuo nostro, si eos ceperint. Nullum insuper cogere poterimus ad custodiendum Monetam, vel Vicecomitatum, vel aliud ministerium nostrum. Nec eos cogeremus ad reddendum nobis talliam per consuetudinem, nisi sponte sua nobis dare voluerint. Nullus ciuium Rothomagi debet accipere intersignia à vic. ad barrarium, sed affidet barrario quòd consuetudine non debet, si aliter ei non crediderit: & non dabit barrario, nisi voluerit. Præterea vinum, quod apud Rothomagum in taberna capietur ad opus nostrum, ad forum capietur quo aliis venditur. Illud autem quod non erit in taberna, per quatuor legitimos homines ciuitatis super fidem vel sacramentum eorum apreciabitur, & precium indè reddetur. Præterea prædicti ciues cum mercaturis suis quæcúmque fuerint, venientes in domaniis nostris, poterunt eas licitè vendere ad detallium, vel alio modo sicut voluerint pacificè & quietè, & eas chargiare & deschargiare, & portare & reportare vbicúmque voluerint, præterquàm in illis terris quas suprà excepimus. Nullus

B mercator cum mercatura sua poterit transire Rothomagum per Sequanam ascendendo vel aualando, nisi per ciues Rothomagi. Nullus, nisi manens fuerit apud Rothomagum, poterit dischargiare vinum in cellario vel in domo apud Rothom. propter illud reuendendum. Præterea concedimus eis pasnagium & pasturagium porcorum & animalium suorum ad suum proprium vsum in forestis & domaniis nostris in Norman. præterquàm vbi aliis gentib. faciemus prohibitionem: exceptis tamen terris, quas suprà excepimus. Naues quoque & homines ipsorum cum aueriis & pecuniis suis poterunt ascendere & auallare per aquam Sequanæ, in quamcúnque partem voluerint, & pontes & perchias, si eis necesse fuerit, leuare, & reficere sine licentia alicuius, præterquàm in illis terris, quas superiùs excepimus. Nulla nauis de tota Norm. præterquàm de Rothomago poterit eskipare ad Hiberniam, excepta vna sola, cui semel in anno de Cesarisburgo licitum erit eskipare. Et quæcúmque nauis de Hibernia venerit, ex quo caput de Gernes transierit, Rothomagum debet venire. Vnde nos de vnaquáque naui habebimus vnum tinbr. martrinar. vel x. libr. si mercatores nauis iurare poterunt quòd martrinas non inuenerint emendas ad portum in quo chargiauerunt, neque id fecerint,

C pro consuetudine nobis auferenda: & Vicec. Rothom. de qualibet naui habebit xx. sol. & Cambellanus de Tanquaruilla vnum ostorium vel xvi. s. si nullum ostorium habuerint. De mercaturis quæ de vltra mare venerint apud Rothom. nullus extraneus poterit emere ad reuendendum, nisi per ciues Rothomagi. Quod si quis fecerit, medietas mercis erit nostra, & altera medietas ciuium Rothom. pro fori facto. Nulla mercatura potest chargiari apud Rothomagum in naui ad descendendum sursum versus Franciam, sine societate ciuium Rothom. quin indè in forifactum nostrum incidat, & nos pro forifacto medietatem illius mercaturæ habebimus, & ciues Rothom. alteram: saluis consuetudinibus quibus villæ de terra nostra vsæ sunt erga Rothom, & Rothom. erga eas temporibus Henrici & Richardi quondam Regum Angliæ. Item nullum de ciuibus Rothom. cogere poterimus de filiis maritandis, nisi de voluntate sua. Volumus etiam, vt nullus eorum possit retari de vsura, nec iurea fiet super eum vel super heredes eius post mortem suam. Item nullus manens infra muros Rothom. debet foagium. Concedimus quoque

D quòd ipsi teneant per libertatem Rothomagi omnia placita & omnes mesleias infra Rothom. & infra banleugam Rothomagi, in quibus mors vel mechaigniez, vel placitum ensis non appendet. Et si illa placita non fuerint secuta per vadium belli, saluo sicut dictum est iure Dominorum, qui ibi terras habuerint. Præterea si quis de Bailliuia Maioris fuerit in prisonia nostra, vel in Monasterio, vel se absentauerit pro aliquo delicto, volumus quòd Maior custodiat catalla eius in manu sua, & Balliuus noster indè habeat quoddam scriptum, & Maior aliud, donec iudicetur. Et si damnatus fuerit, catalla eius nostra erunt. Item Maior habebit omnes submonitiones hominum Balliuiæ suæ, & illos habebit ad rectum, nec aliquis in eos manum apponet sine ipso vel seruiente suo, nisi sit de placito ensis. Et ad hæc

Balliuo nostro debet Maior auxilium impendere ad iustitiam faciendam de Balliuia sua. Item nonnisi per Marecallum nostrum poterunt vetare aduenientes ad hospitandum, nisi ipsi eis forifecerint, vel nisi ciues rationabilem causam ostenderint, quare id facere non possint. Quod vt perpetuum robur obtineat, ea sicut superiùs continentur saluo iure nostro, & saluo iure Ecclesiarum nostrarum confirmamus. Actum Pac. Anno Domini MCCVII. A

De saisina Paganelli.

1213. IVDICATVM est apud Rothomagum, quòd Guillelmus Paganellus habeat saisinam terræ, quæ fuit Domini Radulfi Tesson, sicut antenatus; sicut alia vice iudicatum fuit apud Rothomagum coram fratre Gar. Postea iudicatum est, quòd terra quæ fuit eiusdem Radulfi partita erit in tribus portionibus, & quòd vltimò natus partietur tali modò, quòd faciet duas portiones de duabus Baroniis, & tertiam partem de escaëtis, & quòd Baroniæ non erunt dismembratæ nisi pro æquanda portione in qua escaetæ erunt, si minus esset valens quàm vna Baroniarum, vel pro æquanda de Baroniis, si minus esset valens, quàm alia Baronia. Et si escaetæ magis valerent quàm vna Baroniarum, Baronia illa poterit emendari de escaetis. Et quando portiones illæ erunt factæ, antenatus capiet portionem suam primus, & post secundò natus, & ille qui portiones fecerit habebit residuum. Et vltimo natus habebit terminum faciendi portiones de vno mense, videlicet vsque ad clausum Pachæ. Et primo natus habebit post terminum XV. dierum prouidendi & capiendi portionem suam. Et secundo natus habebit eundem terminum quem primo natus. Et quando vnusquisque habebit portionem suam, si dominus Fulco Paganellus aliquid ceperit in portionibus postnatorum suorum, & ipsi de hoc conquesti fuerint, ipse eis reddet de post primum terminum, quo primum iudicium factum fuerit apud Rothomagum de prædictis portionibus. Et si aliquis prædictorum defecerit de partiendo vel capiendo portionem suam, sicut prædictum est, infra prædictum terminum, iustitia Domini Regis partietur loco partitoris, vel capiet portionem antenati loco ipsius. Et iustitia Domini Regis faciet habere partitores homines patriæ, quos à iustitia interrogabit.

IVDICATVM fuit hoc apud Rothomagum in media Quadragesima anno Domini MCCXIII. coram Bartholomeo de Roia, Guillelmo de Capella, Episcopo Lexouiensi, Episcopo Ebroicensi, Episcopo Constant. Episcopo Sagiensi, Ioanne de Pratellis, Guillelmo de Mortuomari, Stephano de Longocampo, Ioanne de Roboreto, Guillelmo de Bomez, Guillelmo de Pratellis, Roberto de Pinniaco, Henrico de Nouoburgo, Roberto de Corcy, Henrico de Bellafago, Philippo de Vaaci, Roberto de Pissiaco, Guidone de Rupe, Oberto de Roboreto, Castellano de Gallione, Roberto Crasso, Richardo de Fontanis, Richardo de Huislikier, Richardo de Argenc. Ioanne de Bosco Bernardi, Roberto de Fresqueniis, Petro de Tilleio, Rogero Destheueron, Ren. de Coruilon, Ren. de Villaterri, Guillelmo Escuacol, Hugone de Botigni, Gaufrido de Capella.

Charta Philippi Regis, de Treugis cum Ioanne Rege Angliæ factis.

1214. PHILIPPVS Dei gratia Francorum Rex omnibus ad quos litteræ præsentes peruenerint. Noueritis, quòd nos Ioanni Regi Angliæ, & hominibus & imprisiis suis, qui apertè guerreauerunt pro ipso de hac vltima guerra vsque ad diem Iouis proximam post exaltationem sanctæ Crucis in Septembris dedimus rectas treugas de nobis & hominibus & imprisiis nostris, qui apertè guerreauerunt vsque ad instans Pascha, quod erit anno Domini MCCXV. & ab eodem Pascha in quinque annos continuos & completos. Saluis tamen nobis prisonibus nostris quos penes nos habemus, & saluo iuramento quod villæ Flandriæ & Haynoiæ, & milites & alij homines Flandriæ & Hayn. nobis fecerunt: & saluis similiter prisonibus quos Ioannes Rex Angliæ habet penes se. Nos autem & homines nostri & imprisij eri-

A mus in eadem tenetura, in qua eramus prædicta die Iouis in qua data est ista treuga. Et Ioannes Rex Angliæ, & homines & imprisij sui similiter erunt in eadem tenetura, in qua erant prædicta die Iouis, vsque ad prædictos quinque annos completos. Nullus multrarius, aut aliquis qui fuerit forbannitus à nobis à tempore alterius treugæ inter nos & prædictum Regem Angliæ dudum factæ, poterit intrare in terram nostram infra prædictum terminum, nisi de voluntate nostra. Neque similiter multrarius, aut aliquis forbannitus ab ipso Rege Angliæ, poterit intrare terram suam infra prædictum terminum, nisi de voluntate ipsius Regis Angliæ. Si autem aliquis, cuius terram habeamus in manu nostrâ, venerit in terram nostram pro suo negotio, per eam poterit transire, sed in ea morari non poterit, nisi habeat rectum Essonnium, præterquàm ad portum maris, vbi licitè poterit ventum expectare per tempus competens. Si quis de Comitatu Andegauiæ vel Britanniæ, qui dicta die Iouis datæ treugæ adhæreret Ioanni Regi Angliæ, faciendo guerram apertè contra nos & ipsum manifestè iuuando, voluerit intrare Comitatum Andegau. vel Britan. & ibi morari infra terminum treugæ prætaxatum; si sit de Comitatu Andeg. Senescallo Andeg. si sit de Comitatu Britanniæ, Comiti Britanniæ faciet competentem securitatem, quòd nullum malum ipsis vel terris eorum per eum e-
B ueniet. Et si aliquis de Pictau. qui prædicta die Iouis adhæreret nobis, faciendo guerram apertè contra Ioannem Regem Angliæ, & iuuando nos apertè contra ipsum, vellet intrare terram ipsius Ioannis Regis Angl. in Pictau. ipse faciet competentem securitatem Senescallo Pictau. quòd nullum malum Ioanni Regi Angliæ & terræ suæ de Pictau. per eum eueniet. Isti sunt dictatores & emendatores huius treugæ inter nos & Ioannem Regem Angliæ. Hubertus de Bore Senescallus Pictauensis, Reginaldus de Pontibus, Abbas sancti Ioannis Angeliac. & Decanus Xantonensis, ex parte Regis Angliæ. Ex parte verò nostra Petrus Sauarici, Guido Turpini, Abbas Maioris Monasterij, & Gaufridus Archidiaconus Turonensis. Et omnes isti iurauerunt bona fide, quòd si contingeret aliquem ex eis decedere aut infirmari, aut à nobis vel à Ioanne Rege Angliæ reuocari infra prædictum terminum; ipsi bona fide eligent & ponent alium in loco illius ad hoc idoneum. Quicquid autem quinque aut plures ex prædictis dictatoribus de interpretationibus hinc indè factis per sacramentum suum dixerint & ordinauerint, tam nos quàm prædictus Rex Angliæ tenebimus. Et si per ipsos dictatores treugæ emendari non poterit, nos illud bona fide emendari faciemus infra LX. dies post-
C quam dicti dictatores dictum suum dixerint, & illud nobis significauerint. Isti autem dictatores huius treugæ pro discordiis & interpretationibus emendandis, quæ forte orientur in Pictauia, in Comitatu Andegau. vel Britan. & in Turonia, conueniant apud Abbatiam Monialium de Fulcherosis iuxta Passauant. Et pro aliis interceptionibus quæ fient in Bituresio, in Aluernia, in Comitatu Marchiæ,, & in Lemouicio, inter Agurandas & Cuson castrum Com. Marchiæ. De malatolta, quam Ioannes Rex Angliæ & sui imposuerunt, & capiunt, sic erit. Si Ioannes Rex Angliæ & sui voluerint eam quittare & dimittere, nos eam similiter quittabimus & dimittemus. Quantum autem Ioannes Rex Angliæ & sui de ipsa malatolta leuauerint & ceperint, nos similiter & nostri tantumdem de illa leuabimus & capiemus. FREDERICVS Rex Romanorum & Siciliæ erit in ista nostra treuga si voluerit, & Rex OTHO similiter erit in treuga Regis Angliæ si voluerit. Et si alter illorum noluerit esse in treuga, nos poterimus iuuare Fredericum in Imperio, & Rex Angliæ Othonem in Imperio similiter, absque messacere, &
D absque faciendo guerram inter Ioannem Regem Angliæ & nos de terris nostris. Hanc autem treugam bona fide tenendam iurauerunt Vrsio Cambellanus in animam nostram, & omnes alij qui subscribuntur, pro se vnusquisque de mandato nostro: scilicet Gualcherus Comes sancti Pauli, Robertus Comes de Alençon, Guido de Dampetra, Guillelmus de Barris, Guillelmus de Caluiniaco, Theobaldus de Blazon, Burchardus de Marliaco, Iohellus de Meduana, Hugo de Bauceio, Guido Senesbaldus, Americus de Credona, Giraldus Belois. Actum apud Chinonem anno Domini MCCXIV. mense Septembri, die Iouis proxima sequenti post exaltationem sanctæ Crucis.

A

Hoc est stabilimentum Communiæ Rothomagi, & Falesiæ, & Pontis Audomari.

SI oporteat Maiorem in Rothom. siue in Falesia fieri, illi centum qui Pares constituti sunt, eligent tres proborū hominū ciuitatis, quos domino Regi præsentabunt: vt de quo illi placuerit, Maiorem faciat. De centum verò prædictis Paribus eligentur viginti quatuor ascensu centum Parium, qui singulis annis remouebuntur. Quorum, XII. Eschiuini vocabuntur, & alij XII. Consultores. Isti XXIIII. in principio sui anni iurabunt se seruaturos iura sanctæ Ecclesiæ, & fidelitatem domini Regis, atque iustitiam, quòd & ipsi rectè iudicabunt secundum conscientiam suam. Quia & si quid Maior fortè celari præceperit, celabunt. Hoc quicúmque detexerit à suo officio deponetur, & in Communiæ misericordia remanebit. Maior verò & XII. Eschiuini conuenient bis quáque hebdomada, pro ciuitatis vel castelli Falesiæ negotiis. Et si de aliquo agendo dubitauerint, de XII. Consultoribus quot voluerint conuocabunt, eorum consilio super hoc fruituri. Et XII. Consultores cum Maiore & Eschiuinis quoque Sabbato simul erunt & quaque quindena, die sabbati similiter omnes centum Pares. Quicúmque verò omnium prædictorum ad dies, vt prædictum est, sibi constitutos, antequam Prima cantetur, sine submonitione cum aliis non adfuerit Paribus, si sit Eschiuinus pagabit v. solid. ad negocia ciuitatis Rothom. vel castelli Falesiæ: & Consultor absens III. solid. & sic de aliis Paribus. Et sol. nisi idoneam excusationem die præcedenti Maiori notam fecerit. Et quicúmque prædictorum sine licentia Maioris abierit de congregatione aliorum, tantumdem pagabit, quantum ei pagare statutum est, si ad horam Primæ non venisset. Et si Maior aliquando istorum prædictorum aliquibus eguerit, tunc si quis eorum ad mandatum & summonitionem non venerit, præconstitutam sibi emendationem pagabit; nisi apertam excusationem ostenderit. Si quis XII. Eschiuinorum in Angliam, siue in regionem longinquam, vel peregrinationem abire voluerit, licentiam accipiet à Maiore & aliis Eschiuinis, quando erunt sabbato congregati; & ipso instanti communiter eligent, quem loco eius statuant donec repatriet. Si Maior & Escheuini sederint in Escheuinagio, & loquente Maiore aliquis verba eius interruperit, vel aliquem, quem Maior auscultari velit, disturbauerit, Maior ei tacere præcipiet. Et si postea turbauerit memoriam eius qui loqui debet, mox pagabit XII. denar. si sit de Iuratis Communiæ, quorum octo erunt in vsus ciuitatis Rothom. vel castelli Falesiæ; & quatuor habebunt Clerici, & seruientes. Si quis Escheuinorum, Consultorum, seu aliorum Parium, diebus sibi constitutis, postquam pro recto faciendo cum aliis sederit, sine Maioris licentia sedem suam consiliandi causa reliquerit, pagabit XII. d. octo scilicet vrbi Rothom. vel castello Falesiæ proficuos, & quatuor Clericis & seruientibus. Si Maior & Eschiuini sedeant in Eschiuinagio, & tunc aliquis conuicietur alij in audientia; erit in misericordia Maioris & Eschiuinorum secundum quantitatem conuicij, & quod conuic. consueuit. Si Maior institutionem Communiæ transgressus fuerit, ad duplum erit misericordiæ, quòd esset aliquis Eschiuinorum; quia ab eo debet sumi iuris & æquitatis exemplum & instituta seruandi. Si contigerit aliquem intertiare aliquid de suo super latronem vel falsonarium in Rothom. vel castello Falesiæ captum & conuictum, & possit ostendere legali testimonio vicinorum suum esse quod clamat, reddetur ei latro, vel falsonarius iudicabitur per Communiam, & ponetur in pilorio, vt eum omnes videant atque cognoscant: & si debet habere misericordiam, fiet ei. Et si fori fecerit membrum, vel amplius, reus & catellus eius tradentur iustitiis Domini Regis, ad faciendam de eo iustitiam. Si Iuratus Communiæ Iuratum suum occiderit, & fugitiuus vel conuictus inde fuerit, domus sua prosternetur: & ipse reus cum catallis suis tradetur iustitiis Domini Regis, si poterit teneri. Si Iuratus Iuratum membro aliquo debilitauerit, placitum inde & emendatio erit Domini Regis: & ipse reus in misericordia Communiæ remanebit, eò quòd membro Iuratum suum debilitauerit. Si quis seditionem in vrbe Rothomagensi, vel in castello Falesiæ fecerit, & duo de XXIV. Iuratis hoc vide-

B C D

A rint, reus verbo eorum conuincetur. Qui ideò solo verbo, credentur, quia in initio sui Eschiuinatus iurauerant, se verum dicturos de hoc quod audierint & viderint. Si qui verò duo de ceteris Paribus viderint, reus iuramento illorum conuictus remanebit in misericordia; & emendabit in intuitu Maioris & Eschiuinorum malefactum, secundum quod est, & iuxta quod consuetus est forifacere. Si aliquis alicui verbo conuiciabitur in ciuitate, siue in vico, siue in domo castelli Falesiæ, siue in castello, conuincetur per duos testes de c. Paribus sine iuramento, & emendabit in misericordia Maioris & Eschiuinorum conuicium secundum quod est, & iuxta quod consuetudinarius est inferre conuicia. Et si conuiciator non habet testes de Paribus, querela eius deducetur lege terræ. Si quis in pilorio fuerit non propter furtum, sed quia aliquid egerit contra statutum Communiæ, & aliquis ei exprobrauerit, vt faciat ei verecundiam coram coniuratis vel coram aliis hominibus, pagabit xx. solid. quorum is cui exprobratio facta est habebit v. sol. & xv. erunt ad negocia ciuitatis Rothom. vel castelli Falesiæ. Et si ille qui exprobrauit non velit, vel non possit pagare xx. sol. ponetur in pilorio. Si femina conuincatur esse litigiosa & maledica, alligabitur fune subtus assellas, & tunc in aquam proiicietur. Cui si quis vir exprobrauerit, pagabit x. sol. Si verò femina exprobrauerit, x. sol. pagabit, vel tunc in aquam proiicietur. Si aliquis, qui non
B fuerit de Communia, forifecerit alicui Iurato Communiæ, mandabitur ei quod emendet forifactum. Quod si contempserit, defendetur Iuratis, ne communicent vendendo, neque credendo, nec emendo, nec hospitando, nisi Dominus Rex, vel filius eius assunt Rothomagi, vel Falesiæ, vel assisia. Et si ille pro hoc forifactum emendare noluerit, Communia ostendet iustitiis Domini Regis, & Iurato suo auxiliabitur rectum proquirere. Et si quis Iuratorum nostrorum contra prohibitionem hanc fecerit, erit in misericordia Maioris & Eschiuinorum. Si quis fecerit clamorem de sibi malefacto, & rectum inde iudicio Maioris & Eschiuinorum accipere noluerit, retinebitur: & positus per vadium & per plegios iurabit pro forifacto illo, non malefacturum se illi de quo clamauerat. Si verò postea pro forifacto illo sibi malefecerit, iudicabitur sicut transgressor iuramenti. Si quis Iuratorum nostrorum Communiæ sit in misericordia positus pro forifacto suo, & fecerit nos indè requiri ab aliquo, nisi faciat præcepto Domini Regis, sua misericordia multiplicabitur: quia nolumus habere maliuolentiam diuitum vicinorum nostrorum. Si quis dixerit se esse nostrum Iuratum, & nos indè minimè certi simus, testimonio duorum Iuratorum approbabit verum esse quod dicit. Si Clericus ali-
C quis seu Miles debeat debitum cuiquam de ciuitate Rothom. siue de castello Falesiæ, & debitor iustitiam per Maiorem neque per Pares Communiæ voluerit, defendetur quòd nullus communicet ei vendendo, nec emendo, nec hospitando: nisi Dominus Rex vel filius eius affuerit Rothomagi, vel Falesiæ, vel assisia. Quod si quis contra prohibitionem fecerit, reddet debitum creditori, & erit in misericordia Maioris & Cōmuniæ. Et si super hoc debitor non vult iustitiam, Communia auxiliabitur Iurato rectum proquirere. Si sit in Communia contentio de debito, vel conuentione, vel aliquo mercato, ipsa terminabitur recordatione & testimonio duorum de XXIV. Iuratis. Quod solo verbo suo credetur, quia iurauerant hoc in initio sui Eschiuinatus. Et si postquam perfecerint annum sui Eschiuinatus, & depositi fuerint, surgit contentio de debito coram eis credito, vel de cōuentione, vel aliqua re ante eos facta, iuramento illorum finietur. Si verò vnus de XXIV. Iuratis portat indè testimonium, & vnus vel plures de reliquis Paribus
D cum eo, ille qui est de XXIV. Iuratis solo verbo, & alij iuramento credentur. Si autem tres de aliis Paribus ferunt testimonium, iuramento res terminabitur. Et si nullus centum Parium testis fuerit, querela ducetur lege & consuetudine terræ. Et si de x. sol. vel de minus querela fuerit, testimonio Parium sine iuramento finietur. Si quis fecerit clamorem de terra super alium, clamans dabit vadium & plegios sequendi clamorem suum. Et si postea facta fuerit recognitio de terra ista, & clamans sit conuictus, per cognitionem de falso clamore, remanebit in misericordia Maioris & Communiæ de LIX. solid. Andegau. Si quis requisierit Curiam suam de terra, concedetur ei: & nisi fecerit rectum clamanti in duabus quindenis, Communia faciet nisi ipse habuerit iustam excusationem, quam Maior &

Eschiuini sciant. Si quis requisierit Curiam suam de debito, concedetur ei, & faciat rectum clamino in duabus octonis; & nisi fecerit, Communia faciet nisi qui tenet Curiam hanc exonium iustum habuerit, quòd Maior & duo Eschiuini sciant. Si quis debeat alicui debitum, quod non possit, vel nolit reddere, tantum de suo tradetur creditori, quòd pagetur, si tantum habet. Et si debitor non habet tantum, vnde ille possit perpagari, tamdiu ponetur extra ciuitatem Rothomagi vel castellum Falesiæ, quòd faciat gratum Maioris, & creditoris sui. Et si inuentus fuerit in ciuitate Rothom. siue in castello Falesiæ, priusquā gratum illorum fecerit, tamdiu retinebitur in carcere Communiæ, donec redimatur de c. solid. per se, vel per amicos suos. Et tunc iurabit se non reuersurum in dictam ciuitatem, siue in dictum castellum, donec gratum fecerit Maioris, & creditoris. Si homo forensis clamorem fecerit in Communia pro debito quod iuratus ei debeat, Dominus eius habebit inde Curiam, si eam requisierit: & nisi ipse in tribus diebus clamanti rectum fecerit, Communia faciet. Si Communia præcepto Domini Regis, vel iustitiæ suæ debeat iter facere, Maior & Eschiuini prouidebunt, quos statuent remansuros ad vrbem Rothom. vel castellum Falesiæ custodiendos. Et qui post horam nominatam exeundi inuentus fuerit in dicta ciuitate, vel in dicto Castello, ille conuictus erit per illos, qui custodes vrbis, vel castelli Falesiæ remanserunt. Et erunt in misericordia Domini Regis, & in misericordia Communiæ de domo sua prosternenda, vel de c. sol. si domum non habuerit. Et si postquam Communia mouerit, aliquis ab ea recesserit causa hospitandi, vel alterius rei, sine licentia Maioris, vel sui corporis exonio, erit in misericordia. * *

Addenda pag. 34. in fine.

Ex libro Obituum Ecclesiæ Carnotensis.

858. ANNO incarnationis Dominicæ DCCCLVIII. Indict. VI. à paganis Sequanensibus facta est magna cædes Carnotis, in qua interempti sunt Frotboldus Episcopus, Stephanus Presbyter, Titulfus Presbyter & Monachus, Tetbertus Presbyter, Rannulfus Presbyter, & Adalgaudus Clericus.

Ex Chronicis S. Benigni Diuionensis.

CRESCIT innumerabilis multitudo Normannorum, Danorum, atque Britonum. Fiunt passim Christianorum strages, deprędationes, vastationes, incensiones. Capiuntur quascúmque adeunt ciuitates nemine resistente. Capitur Burdegala, Petragorium, Santonum, Lemouigas, Engolisma, atque Tolosa. Andegauorum, Turonensium, perinde & Aurelianensium ciuitates pessundantur.

FINIS.

FAMILIÆ

REGVM, DVCVM, COMITVM, ET ALIORVM NOBILIVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE DEDVCVNTVR.

FAMILIA

DVCVM NORMANNIAE:

In qua Reges Anglorum tres.

N. *vir potens in Dacia, pag.* 70.

I.

1. Popa *filia Berengarij Comitis, p.* 77.	Rollo, *qui & Robertus Dux Normanniæ, pag.* 83. 84.	2. Gisla *filia Caroli Simplicis Regis Fräcorum, p.* 82. 83.	Gurim, *occisus in Dacia, p.* 71.

II.

Sprota *ex Danico genere, p.* 234.	Guillelmus I. *cognomento* Longa-Spata, *Dux Normanniæ, interfectus anno* DCCCCXLIII. *p.* 77. 89.	Leudegardis *filia Herberti Comitis Virom.*	Gerloc, *uxor* Guillelmi *Co. Pict.* 97. 229.

III.

1. Emma *filia Hugonis Magni Ducis Franc. p.* 137. 152.	Richardus I. *Dux Normanniæ senex dictus, p.* 102. 110. 243.	2. Gunnor *primò concubina, posteà uxor, p.* 311. 312.

IV.

2. Paphia *seu* Popia, *p.* 270.	Richardus II. *Normanniæ Dux, p.* 213.	1. Iudith *filia Goiffredi Comitis Britanniæ, p.* 255.	Robertus *Archiepiscopus Rothom. & Co. Ebro.*	Malgerius *Co. Curbol. p.* 260. *pater* Guillelmi *cognomento* Vverlengi *Comitis Moritolij, p.* 660.	N. & N. *filij, p.* 260.	Emma *Regina Angliæ, p.* 213.	Haduuis *uxor Goifredi Comitis Britanniæ, p.* 251. Matildis *iuncta* Odoni *Comiti Carnot. p.* 260.

V.

Malgerius *Archiepisc. Rothom. pa.* 194. 270. 566. 657	Guillelmus *Archacēsis, seu Talogij Co. duxit N. sororē Vvidonis Co. Pötiui, p.* 270. 271. 657.	Richard⁹ III. *Dux Normäniæ sed pauco tempore, p.* 213. 255. 257. 566.	Robertus *Dux Nor. post fratrē.* Herleua *cōcubina, p.* 213. 255. 257. 258.	Vvillelmus *Monachus Fiscannēsis, p.* 255. Adelis *uxor* Rainaldi *Burg. Comitis, p.* 255.	N. *iuncta* Balduino *Comiti Flandrensi, p.* 255. Papia *uxor* Gulberti *Aduocati de sancto Galerico, p.* 606. 724.	N. *adulta obiit virgo,* 255.

VI.	Nicolaus *Abbas ſancti Audoeni Rothomagenſis*, *p.* 213. 258. 530. 710.	Guillelmus *nothus*, *Normannorum Dux*, *& Rex Angliæ.* Mathildis *filia Balduini Comitis Flandriæ*, *pag.* 178. 213. 266. 267. 277.

VII.	Margareta *filia Comitis Cenomanẽſis, deſponſata tantùm*, *p.* 293. *N. concubina.*	Robertus II. *Normanniæ Dux*, *pag.* 213. 278. 289. 295. 484. 512. 638. 665.	Sibylla *ſoror Guillelmi Comitis Conuerſanæ vxor*, *pag.* 299. 780. 784. 810.	Richardus *in Noua foreſta interfectus p.* 278. 484. 512. 573. 638. Guillelmus II. *cognomẽto* Rufus *Angliæ Rex*, *pag.* 192. 213. 278. 484. 512. 638. 659.	1. Matilda *filia Malcolmi Regis Scotiæ*, *pa.* 213.	Henricus I. *Angliæ Rex*, *pag.* 213. 278. 296. 304. 484. 512. 638. 659. 668.	2. Adeliza *filia Godefredi Ducis Louaniæ*, *pa.* 306. *poſt mortem Henrici nupſit Vuillelmo de Albineio*, *p.* 978. *

VIII.	Richardus *in Noua foreſta occiſus*, *p.* 780. Guillelm⁹ *apud Hieruſ. obiit*, *p.* 780. 781. N. *vxor Heliæ de ſancto Sidonio*, *p.* 681.	Sibylla *filia Fulconis Comit. Andegauẽſ. ſponſata tantùm*, *p.* 838.	Guillelm⁹ *Comes Flandriæ*, *pag.* 876. 841. 884. *obiit an.* MCXXVII *p.* 887.	N. *filia* Rainerij *Marchionis*, *Adelaidis Fr. Reginæ ſoror vterina*, *p.* 884.	Vvillelm. *cognomento* Adelinus. Mathildis *filia Fulconis Co. Andeg.* *p.* 213. 310. 649. 702. 851. 869.	Henricus V. *Imperator*, *p.* 297. 702. 763. 838.	Mathildis *Duciſſa Normanniæ.*	Goffredus *Comes Andegauorum*, *pa.* 763. 889. 913. 946.

IX.	Henricus II. *Angliæ Rex*, *Dux Normanniæ*, *& Comes Andegauenſis.* Vide Familiam Comitum Andegauenſium. *pag. abhinc ſecunda.*

* Filiæ Guillelmi I. Regis Angliæ, & Normanniæ Ducis.

VII.	Agatha, *quæ &* Adelis, Haraldo *Angliæ Regi*, *poſteà Amfurcio Regi Galliciæ deſponſata*, *virgo obiit*, *pa.* 285. 310. 486. 512. 573. 638.	Conſtantia *vxor* Alani *cognomento* Fergani *Britanniæ Comitis*, *pag.* 303. 486. 512. 544. 573. 638.	Adelidis *iam nubilis obiit*, *pag.* 512. 573. 638. videtur eadem eſſe cum *Agatha.*	Adela *vxor* Stephani *Comitis Bleſenſis*, *p.* 310. 486. 512. 573. 638.	Cecilia *in Cœnobio ſancti Stephani Cadom. Deo ſacrata*, *pag.* 282. 307. 486. 512. 548. 638. 648.

VIII.	Stephanus *Comes Boloniæ*, *& Rex Anglorum.* Vide Familiam Comitum Bleſenſium & Carnotenſium, pag. ſeq.

PARS
FAMILIAE COMITVM
BLESENSIVM, ET CARNOT.

E qua Anglorum Rex vnus.

N.

I. Theobaldus *Comes Blesensis & Carnotensis, p.* 228. Ledgardis *relicta* Guillelmi I. *Ducis Normanniæ.*

II. Mathildis *filia Richardi* I. *Normanniæ Ducis, p.* 247. — Odo *Comes Blesensis & Carnotensis, p.* 253. — Berta *filia Conradi Regis Burgundiæ, p.* 626.

III. Odo II. *Comes Blesensis & Carnotensis.* Hermengardis.

IV. Theobaldus *Comes Blesensis & Carnotensis, pa.* 182. 276. 574. | Henricus *cognomento* Stephanus *Comes Trecensis.* | Alanus *Comes Britanniæ, p.* 532. — Berta, *p.* 532. 574. — Hugo *Comes Cenomanensis.*

V. Stephanus *Comes Blesensis & Carnotẽsis.* Adela *filia* Vvillelmi I. *Regis Angliæ & Ducis Norm. p.* 310. 313. 573. 708. 723. 785. | Hugo *Comes Trecensis.* Constantia *filia Philippi* I. *Regis Francorum, pag.* 310. 574. 677. 817. 857. | Odo *Comes Hildernessæ in Anglia.* N. *soror vterina Guillelmi* I. *Regis Angliæ, & Ducis Normanniæ, Comitissa Albemarlæ, pag.* 294. 295. 512. 522. 574. 681.

VI. Vvillelmus *dominus Soleij. N. filia & hæres* Gilonis *domini de Soliaco.* | Theobaldus III. *Comes Blesens. Carnotens. & Trecensis.* Mathildis *filia Ingelberti Ducis, pag.* 310. 574. 811. 923. | Hẽricus *Episcopus Vintoniensis, pa.* 310. 574. 811. 928. | VIII. Stephanus *Comes Boloniæ & Angliæ Rex.* Mathildis *filia Eustachij Comitis Boloniæ pa.* 310. 313. 574. 702. 811. 902. 928. 974. | Mathildis *vxor* Richardi *Comitis Cestrensis, p.* 313. 787. 870. | Stephanus *Comes de Albemarla, p.* 294. 681. 843.

VII. Odo, *p.* 810. Raherius, *p.* 811. | Henricus de Soleio *Abbas Fiscanni, pag.* 920. 978. N. *vxor* Hẽrici *Co. Aucensis, p.* 810. | Henricus *Comes Trecassinus, p.* 985. Theobaldus IV. *Comes Blesensis, & Carnotensis, p.* 985. | Stephanus *Comes Sanceri, pag.* 985. *Plures filiæ, pag.* 994. | Eustachius. Constancia *soror Ludouici Regis Francorũ. pag.* 979. 985. 990. | Vvillelmus *Comes Moritonij. N. filia* Vvillelmi de Vvarenna *Comitis Surreiæ, pag.* 993. 996. | N. *vxor* Heruei *Britonis, p.* 953. N. *desponsata* Galerano *Comiti Mellenti, pa.* 903.

PARS FAMILIAE COMITVM ANDEGAVENSIVM,

In quâ plurimi Reges Angliæ & Hierusalem, ac Duces Normanniæ.

N.

I. Gaufredus *cognomento* Martellus *Andegauorum Comes*, *p.* 482. 532. — N. *vxor* Alberici *cognomento* Breuis *Comitis Vvastinensium*, *p.* 484. 532.

II. Gaufredus. — Fulco *cognomento* Rechin *Andegauorum & Turon. Comes*. Berta *siue* Bertrada de Monte-forti *tertia vxor*.

III. Ereburgis *filia* Heliæ *Cenomanensis Comitis*, *p.* 296. — Fulco *Comes Andegauensis, Turonensis, & Cenomanensis, ac Hierosolymæ Rex*, *p.* 304. 310. 684. 769. 785. 818. — Milesendis *filia Balduini* II. *Regis Hierusalem*, *p.* 310. 746. 889. — N. *secunda vxor* Alani *cognomento* Fergani *Britanniæ Co. p.* 310.

IV. Gaufredus *Comes Andegauẽsis, Turonensis, & Cenom.* Mathildis *filia & cohæres* Henrici I. *Regis Angliæ, & Ducis Norm. p.* 306. 310. 763. 769. 871. 889. 903. 946. 977. 978. — Helias, *p.* 310. 871. Mathildis *vxor* Vvillelmi Adelini *filij Hẽrici* I. *Regis Angliæ*, *p.* 310. 769. 851. 875. — Sibylla *desponsata* Guillelmo *filio Rober. Norm. Ducis, sed nupta Terrico Comiti Flandriæ*, *p.* 310. 769. 838. 841. 876. — Balduinus *Rex Hierosolymæ*, *pa.* 993. — Amalricus *Comes Ioppæ*, *Rex Hierosolymæ post fratrem*, *p.* 993. 999.

V. Henricus *Dux Normanniæ, Comes Andegauensis, Turon. & Cenom. ac tandem Angliæ Rex.* Alienor *Comitissa Pictauensis & Ducissa Aquitaniæ*, *p.* 304. 763. 973. 979. 984. 985. 990. — Gaufredus *Comes Nãnetensis*, *pa.* 984. 990. 991. 994. — Vvillelmus, *p.* 990. 991. — Hamelinus, *spurius*. N. de Vvarenna *Comitissa Surregiæ, relicta Guillelmi Comitis Moritonij*, *pag.* 999.

VI. Vvillelmus, *p.* 989. 991. 992. — Henricus *dictus* Iuuenis *Angliæ Rex coronatus*. Margareta *filia Ludouici Regis Franc. p.* 991. 994. 997. 1004. — Richardus *Rex Angliæ & Dux Normanniæ. N. filia Raimundi Comitis Barcin. desponsata tantùm*, *pag.* 993. 995. — Gaufridus *Comes Britanniæ*. Constancia *filia & hæres* Conani *Co. Bri. & Richem. p.* 994. 1000. 1003. — Ioannes *Rex Anglorum, & Dux Norma. p.* 1002. 1004. 1005. Ioãna. 1000. *

Posteritas Henrici I. ex concubinis.

VI. * 1. Robertus de Cadomo *Co. Glocestriæ, & dominus Toriney*. Mathildis *filia Rober. filij Haimonis*, *p.* 306. 581. 840. 854. 929. 978. — 2. Richardus. Amicia *filia Radulfi de Guader pacta tantùm*, *p.* 306. 854. 856. 867. 870. 875. 3. Rainaldus de Dũstaniuilla, *Co. Cornubiæ*, *p.* 915. 950. 956. — 4. Robertus, *p.* 306. 5. Gislebertus. 6. Vvillelmus de Traceio, *p.* 306. 7. Mathildis *vxor* Rotroci *C. Pertic. p.* 307. 810. 870. 891. — 8. Mathildis *nupta Conano C. Britann. p.* 307. 544. 841. 9. Iuliana *iuncta* Eustachio de Britolio, *p.* 300. 307. 810. 10. N. *vxor* Vv. Goiet, *p.* 307. — 11. N. *vxor Vicecomitis de Bellomonte*, *p.* 307. 12. N. *copulata* Matheo *filio* Burcardi de Montemor. *p.* 307. — 13. N. *nata ex Elizabeth sorore Vvallerani C. Mellenti*, *p.* 307. 14. N. *vxor* Alexandri *Regis Scotiæ*, *p.* 702.

VII. Vvillelmus *Comes Glocestriæ*, *p.* 306. 974. — Philippus, *p.* 967. 968. — Ricardus *Episc. Baiocens. p.* 897. — Mathildis *vxor* Ranulfi *Comitis Cestriæ*, *p.* 306. 313. 512. 921. 989.

FAMILIA

COMITVM CENOMANENSIVM,

QVÆ IN COMITVM ANDEGAVENSIVM Familiam desiit:

NECNON

Pars Familiæ dominorum de Balgenciaco.

N.

I. Hugo *Comes Cenomanensis*, *p.* 487. 532.

II. Herbertus *cognomento* Euigilans-canes, *Comes Cenomanensis*, *p.* 189. 487. 532.

III.
- Hugo II. *Comes Cenomanensis.* Berta *soror Theobaldi Comitis Blesf. relicta Alani Britanniæ Comitis*, *p.* 183. 253. 532.
- Biota *uxor* Gualterij *Comitis Caluimontis & Medantæ*, *p.* 189. 487. 532. 534.
- *N. uxor* Lancelini de Balgenciaco, *p.* 684.

IV.
- Herbertus Iunior *Comes Cenomanensis*, *p.* 189. 532.
- *N. uxor* Azonis *Marchionis Liguriæ*, *p.* 294 532.
- Margareta Rodberto *Duci Normanniæ desponsata*, *virgo obiit*, *p.* 190. 293. 487. 532. 683
- Paula *uxor* Ioãnis de Flechia, *p.* 532. 768. — 2. Ioannes de Flechia, *p.* 684.
- 1. Lãcelinus de Balgenciaco.

V.
- Fulco *Marchio Liguriæ*, *p.* 683.
- Hugo *Comes Cenomanẽsis. N. filia Roberti Vviscardi Ducis Apuliæ*, *p.* 684. 768.
- Goisbertus *post militiam Monac.* *p.* 532. 769.
- Matildis *filia Geruasij de Castro-ligeri*, *p.* 684. 769.
- Helias *Comitatum Cenomanensem emit ab* Hugone *consobrino suo*, *p.* 294. 532. 674. 683. 684. 768. 785. 839.
- Agnes *filia Guillelmi Co. Pictau.* *p.* 785.
- Enoch *Monachus post militiam*, *p.* 769.
- Iofredus. Lancelinus. Milo. Guillelmus, *pag.* 769.
- Radulphus de Belgéciaco, *p.* 684.

VI. Eremburgis *Comitissa Cenomanensis*, *uxor prima* Fulconis *Comitis Andegauensis*, *p.* 296. 310. 684. 769. 785. 818.

PARS FAMILIAE REGVM FRANCORVM,

In qua EMMA Normanniæ Ducissa, & MARGARETA Regina Angliæ.

N.

I. Robertus *Comes Andegauensis*, *p*. 3. 4. 7. 15. 30. 304.

II. Hugo *Abbas*, *p*. 12. 25. 29. 30. Odo *Rex Francorum*, *p*. 8. 12. 30. 37. 39. 41. 48. 304. — Robertus *Rex Fräcorum*, *p*. 8. 30. 38. 83. 84. 129. N. *filia Herberti Comitis Peronæ*, *p*. 305.

III. Hugo Magnus *Dux Francorum*. -- *N. filia Othonis Regis Saxonum*, *p*. 94. 97. 103. 129. 305.

IV. Hugo Capeth *Rex Francorum*, *p*. 155. 305. 637. — Henricus *Dux Burgundiæ*, *p*. 256. 637. — Emma *vxor* Richardi I. *Ducis Normanniæ*, *p*. 137. 152.

V. Robertus *Rex Francorum*. -- Constancia, *p*. 176. 256. 305. 637. 638.

VI. Henricus *Rex Francorum*, *p*. 266. 638. — Robertus *Dux Burgundiæ*, *p*. 256. 260. 638. 655. 897. — Adela *siue* Athala *vxor* Balduini *Comitis Flädr*. *p*. 176. 259. 638.

VII. Philippus *Rex Francorum*. Berta *filia Florentij Comitis Frisiæ*, *p*. 188. 282. 283. 299. 699. 835. — Bertrada *filia* Simonis de Monte-forti, *p*. 719. 812. — Hugo *Comes Virom. & Crispeij*, *p*. 283. 723. — Henricus, *pag*. 638. 897. — Robertus *Comes Siciliæ*. *N. filia Rogerij Siciliæ Comitis*, *p*. 897. — Simõ, *pag*. 638. 897.

VIII. Ludouicus-Theobaldus *Rex Francorũ*. Adelhais *filia* Hũberti *Prin. Intermõtiũ*, *p*. 301. 699. 812. 835. 836. — Constancia, *p*. 291. 589. 700. 817. — Philippus, *p*. 699. 852. Florus, *ibid*. Cecilia *vxor Täcredi Princ. Antiochiæ*, *p*. 825. — Radulfus *de Parrona*, *p*. 723. 911. — Henricus. Elizabeth *iũctã primũ* Roberto *Comiti Mellẽti*, *postea* Vvillelmo II. *de Vvarẽna Co. Surreiæ*, *p*. 314. 723. — Hugo *Dux Burgundiæ*, *p*. 638. — Odo *Dux Burgundiæ*. *N. filia* Guillelmi *Burgundiæ Comitis*, *p*. 897. 638. 897. — Robertus *Episcopus Lingonensis*, *p*. 897.

IX. Philippus *Rex coronatus viuẽte patre*, *pag*. 836. 895. — Ludouicus-Florus *Rex Fr*. *p*. 836. 895. 901. 911. 997. — Philippus *Decanus S. Mart. Tur*. *p*. 997. Henricus *Archiepisc. Rem*. *pag*. 836. 998. Robertus, *p*. 981. — Hugo, *p*. 836. Constantia, *p*. 699. 995. *N. altera filia vxor* Guillelmi de Caluomonte, *pag*. 856. 857. — Hugo, *p*. 986. — *N. filia in tutela Gualerani Comitis Mellenti*, *p*. 986. — Hugo *Dux Burgũdiæ*, *pa*. 838. 897. — Hela *vxor primo Bertrãni Comitis Tolosani*, *postea Guillelmi Pontiui Comitis*, *pag*. 897.

X. Philippus II. *Rex Francorum*, *p*. 1000. 1004. — Margareta *vxor* Henrici *Iunioris Angliæ Regis*, *p*. 994.

PARS FAMILIAE COMITVM FLANDRENSIVM,

In qua vna Angliæ Regina, ac Ducissa Normanniæ.

N.

Arnulphus *Comes Flandriæ*, Guillelmum I. *Normanniæ Ducem interfici iussit. p.* 102. 103. I.

Balduinus *Comes Flandriæ. N. filia Richardi* II. *Normanniæ Ducis, p.* 245. 255. II.

Balduinus cum Barba *Comes Flandriæ.* Adela *siue* Athala *filia Roberti Regis Francorum, p.* 176. 184. 259. 299. 526. 638. III.

IV.

2	1.				
Balduinus, *obiit ante patrem. N. Comitissa Hainaucensis, p.* 299. 526. 638.	Robertus *cognomento* Frisio, *Comes Flādriæ & Camerac. N. relicta Florentij Com. Frisiæ, p.* 282. 299. 301. 526. 638.	Arnulphus *Comes Flādriæ, p.* 526. 638. videtur esse idē cum Ernulpho filio Balduini.	Vdo *Treuer. Archiepiscopus, p.* 526. 570. 638. Henricus *Clericus, pa.* 526. 638.	Mathildis *vxor* Guillelmi I. *Ducis Normanniæ, & Regis Angliæ, p.* 277. 484. 526. 638.	Iuditha *copulata Tostico fratri Haraldi Angliæ Regis, p.* 492. 526 638.

V.

Ernulphus *Comes Hainaucensis & Flandriæ, p.* 526.	Balduinus *cum fratre interfectus, p.* 526.	Robertus *cognomento* Hierosolymitanus *Flandriæ Comes.* Clementia *neptis Calixti* II. *Papæ, p.* 282. 301. 837. 866.	Philippus, *p.* 282. 301.

Balduinus *Comes Flandriæ, obiit sine liberis, p.* 302. 837. 843. 844. 851. 862. VI.

PARS FAMILIAE COMITVM TOLOSANORVM, ET Pictauensium:

E qua vna Angliæ Regina, Comitissa Pictauensis & Aquitaniæ Ducissa.

N.

I.

- Guillelmus *Comes Tolosanus.* Emma *filia Roberti Comitis Meritolij, p.* 995.
- Raimundus-Berengerij *Comes sancti Egidij & Tolosæ.* *N. filia Hildefonsi Regis Gallicia, & Agnetis filiæ Guillelmi Pictauensis Comitis, p.* 721. 779. 785. 995.

II.

- N. *Comitissa Tolosæ vxor* Guillelmi *Comitis Pictauensis, & Ducis Aquitaniæ, qui Comitatum Tolosæ inuadiauit Raimundo patruo coniugis suæ, pag.* 995.
- Bertrannus *Comes Tolosæ, p.* 779. Hela *filia* Odonis I. *Ducis Burgundiæ, p.* 897.
- Hildefonsus, *seu* Andefonsus, *Constantinopoli natus, Comes Tolosæ post fratrem, p.* 779. 923.

III.

- Guillelmus *Comes Pictauensis & Dux Aquitaniæ, p.* 995.
- Poncius *Comes Tripolitanus, pa.* 897.
- Raimundus *Comes Tolosæ.* Constancia *soror Ludouici Regis Francorum, relicta Eustachij Comitis Meritolij, p.* 995.

IV.

- Ludouicus Iuuenis *Rex Francorum.* — Alienor *Comitissa Pictauensis & Ducissa Aquitaniæ, pag.* 909. 985. 995. — Henricus II. *Rex Angliæ, Dux Normanniæ, & Comes Andegauen. Turon. ac Cenomanens.*

V.

- Maria *vxor* Henrici *Comitis Trecensis, p.* 985.
- Adelais *copulata* Theobaldo *Comiti Blesensi, p.* 985.
- Vvillelmus, Henricus, Richardus, Goffridus, Ioannes. *Vide familiam Comitum Andegauensium, suprà.*

FAMILIA
REGVM SCOTTHORVM:

In qua vna Angliæ Regina.

N.

I. Melcomus *seu* Melculfus *Rex Scotiæ*. Margareta *filia Eduuardi Regis Hunnorum*, *p.* 701. 784. — Dunaualdus *regni vsurpator post obitum fratris*, *p.* 702.

II. Edgarus à *patruo interfectus*, *p.* 701. 702. — Alexander *Rex Scotiæ*. *N. filia Henrici* I. *Regis*, *p.* 702. *N. concubina*, *de qua* — Dauid *Rex Scotiæ*. *N. filia Vvaldeui Comitis*, *p.* 701. 702. — Edith, *quæ &* Mathildis *vxor Hērici* I. *Regis Angliæ*, *pa.* 702. 784. — Maria *copulata* Eustachio *Boloniæ Comiti*, *p.* 702.

III. Melcofus *nothus*, *pag.* 702. — Henricus *de Scotia*. *Adelina filia Guillelmi de Vvarenna Comitis Surreiæ*, *p.* 702. 918. 978. 986. 988. — Claricia, *pa.* 702. — Hodierna, *p.* 702.

IV. Melcomus *Rex Scotiæ*, *obiit sine liberis*, *p.* 988. 995. 1000. — Guillelmus *Comes Lundonensis*, *posteà Scotiæ Rex*, *p.* 988. 1000.

PARS
FAMILIAE REGVM
ANGLIÆ ET HVNNORVM,

E qua nata Margareta vxor Melcomi Regis Scotthorum.

N.

I. Eduuardus *Rex Anglorum*, *p.* 701. — Edmundus *cognomento Irnesides*, *p.* 502. 701.

II. Eduuardus *exul accepit filiam* Salomonis *Regis Hunnorum cum regno*, *p.* 502. 701. 778.

III. Edgarus Adelinus *Rex Angliæ*, *pap.* 502. 512. 525. 778. — Margareta *vxor Melcomi Regis Scotthorum*, *p.* 701. suprà.

PARS
FAMILIAE COMITVM BOLONIENSIVM,

E qua nata MATHILDIS vxor STEPHANI Regis Anglorum.

N.

I. Eustachius *Comes Boloniæ*. Ita *soror Godefridi Lotharingiæ Ducis*, *p.* 509. 757. — Goffredus *Episcopus Parisiensis*. — N. *filia, de qua natus*

II. Eustachius *Comes Boloniæ*. Maria *filia Melcomi Regis Scottorum*, 702. 757. — Godefridus *Rex Hierusalem*, *p.* 310. 509. 639. 743. 757. 777. — Balduinus *Rex Hierusalem*. Godehildis *filia Radulfi de Conchis*, 310. 509. 576. 689. 757. — N. *vxor Henrici* IV. *Imperatoris*, *p.* 509. 639. — Goffredus *Episcopus Carnotensis*, *pag.* 583. 604. 608.

III. Mathildis *Comitissa Boloniæ copulata* Stephano *Comiti Moritolij*, *qui Rex Anglorum post Henricum* I. *factus est*, *p.* 310. 313. 702. 811. 902. 928.

PARS
FAMILIAE REGVM HIEROSOLYMÆ.

N.

I. Balduinus II. *consobrinus primi*, *Rex Hierosolymæ*, *p.* 310.

II. Milesendis *vxor Fulconis Comitis Andegauensis*, *qui & Rex Hierosolymæ coronatus est*, *p.* 310. 746. 889. — N. *vxor Buamundi* II. *Principis Antiochiæ*, *p.* 831.

III. Balduinus III. *Rex Hierosolymæ*, *p.* 993. — Amalricus *primò Comes Ioppæ*, *postea Rex Hierosolymæ*, *pag.* 993. 999.

PARS
FAMILIAE COMITVM
BRITONVM,

In qua vna Normanniæ Ducissa.

N.

Gofredus *Comes Britonum*. Haduuis *filia Richardi* I. *Ducis Normanniæ*, *p.* 251. Iudith *vxor prima Richardi* II. *Ducis Normanniæ*, *p.* 255. I.

Alanus *Comes Britonum*. Berta *soror Theobaldi Comitis Blesensis*, *pag.* 532. Eudo *Comes*, *pag.* 188. 191. II.

Conanus, *p.* 191. 192. 286. Briennus, *p.* 290. 956. 978. III.

PARS
ALTERIVS FAMILIAE
COMITVM BRITONVM:

In qua filiæ duæ Regum Angliæ, & Ducum Normanniæ matrimonio iunctæ.

N.

Hoellus *Comes*, *Nannetensis*, *pag.* 310. 573. I.

Alanus Ferganus *Comes Britanniæ*, *post Conanum*, 310. Constancia *filia Guillelmi* I. *Angliæ Regis vxor prima*, 544. *N. filia Fulconis Comitis Andegauensis secunda*, *de qua*, 544. 573. 841. II.

Conanus *Comes Britonum*. 310. Mathildis *filia Henrici* I. *Angliæ*, *p.* 307. 544. 841. III.

Hoellus *Comes*, *p.* 307. 533. IV.

FAMILIA
RADVLPHI COMITIS,
FRATRIS VTERINI RICHARDI I. Normanniæ Ducis.

In qua & pars Familiæ dominorum de Bellofago.

I. VVILLELMVS I. *Dux Normanniæ*. — Sprota | Asperlengus *vir diues*.

II. Richardus I. *Normanniæ Dux*. | Rodulphus *siue* Radulphus, *Comes Iureij & Baiocensis*. Albereda, *p.* 195. 248. 288. 493. 507. 664. 705.

III. Hugo *Episcopus Baiocensis, p.* 259. 288. 705. | Ioannes *Episcopus Abrincensis, posteà Rothomagensis Archiepiscopus, pag.* 195. 288. 289. 493. 507. 705. | N. *vxor* Richardi *de Bellofago, p.* 289. | N. *copulata* Osberno de Crespon, *pa.* 289.

IV. Robertus de Bellofago, *primò miles & vxoratus, posteà Monachus Becci, pa.* 289. | N. N. *filiæ*. | N. *vxor* Hugonis de Monteforti, *p.* 289.

V. Richardus de Bellofago, *Monachus Becci, pag.* 289. | Vvillelmus *Beccensis etiam Monachus, p.* 289. | N. *filia, de qua natus*

VI. Robertus Bauiel. *Hic auo suo materno successit, pag.* 289.

FAMILIA
HERFASTI FRATRIS
GVNNORIS DVCISSÆ
Normannorum:

E qua Domini de Bretolio, Paceio, & Iureio.

HERFASTVS *frater* Gunnoris *Ducissæ Normannorum*. I.

Osbernus de Crespon *Senescallus Normanniæ*. N. *filia* Rodulphi *Comitis Iureicensis*, *p.* 268. 289. 299. 313. 467. II.

Vvillelmus *Normanniæ Dapifer*, *& Comes Herefordiæ in Angliæ*; *dominus Insulæ Vectæ*, *& Bretolij*. Adelina, *seu* Adeliza *filia Rogerij de Toeneio*, *p.* 182. 202. 208. 278. 281. 283. 299. 460. 493. 521. 527. III.

IV.

- Vvillelmus II. *dominus Bretolij*, *Paceij*, *& Iureij*. Adelina *filia Hugonis de Monteforti*, *pag.* 299. 300. 527. 576. 810. *Ex concubina verò natus*
- Rogerus *Comes Herefordiæ*, *pag.* 299. 527. 534. 576.
- Emma *vxor* Rodulfi de Guader *Comitis Norvvicensis*, *domini de Guader & de Montisforti in Britannia*, *p.* 282. 299. 534. 535. 577.
- N. *altera filia*, *de qua natus*
- Isabel *notha*, *vxor* Ascelini *cognomento* Goelli *filij Roberti domini Iureij*, *& Breherij-vallis*, *pag.* 300. 596. 565. 684. 685. 702.

V.

- Eustachius *dominus Bretolij & Paceij*. Iuliana *filia naturalis Henrici* I. *Regis Angliæ*, *p.* 300. 307. 577. 810. 948. (*son of Vvillelmus II.*)
- Rainald⁹, *pag.* 536. Rogerus, *p.* 536. (*sons of Vvillelmus II.*)
- Rodulfus de Guader *hæres Guillelmi de Bretolio*, *pag.* 300. 849. Alanus, *pag.* 729. (*sons of Emma*)
- Rainaldus de Craceio, *pag.* 810. (*son of N.*)
- Robertus de Ibreio, *p.* 596. 850. Guillelmus Lupellus *dominus Ibreij*. N. *filia Roberti Com. Mellenti*, *p.* 300. 302. 596. 876. Rogerius Balbus, *p.* 300. 596. 911. (*sons of Isabel*)

VI.

- Vvillelmus de Paceio, *p.* 307. 907. Rogerius, *p.* 307. 907. (*sons of Eustachius*)
- Amicia *siue* Ita *pacta* Richardo *filio Henrici* I. *Regis*, *p.* 866. *data verò Roberto Comiti Legrecestriæ*, *p.* 300. 875. (*daughter of Rodulfus de Guader*)

FAMILIA SORORVM GVNNORIS NORMANNIÆ DVCISSÆ:

In qua Giffardi Comites de Buckingham.

N.

I.

- *Sainfria uxor cuiusdam Forestarij, pag.* 311.
- Gunnor *Ducissa Normanniæ, p.* 311.
- Vveua *seu* Vveuiua *copulata* Turulfo de Ponte *Audomari filio Torf, p.* 312.
- Auuelina *uxor* Osberni de Boslebec, *p.* 312.

II.

- Humfredus de Vetulis *pater Rogerij de Bellomonte, p.* 312. Vide Familiam Comitum Mellenti.
- Ioscelina *uxor* Hugonis de Montegomerici, *p.* 311. 313.
- Galterius Giffardus. *N. filia Girardi Flaitelli, p.* 312.
- Godefridus, *pag.* 312.

III.

- Galterius Giffardus II. *Comes de Buchingeham in Anglia.* Agnes *soror Ansoldi de Ribothmonte, p.* 312. 522. 809.
- Rohais *uxor* Richardi *filij Gisleberti Comitis, p.* 312.
- Vvillelmus de Archis, *p.* 312.

IV.

- Galterius Giffardus III. *Comes de Buchingeham, p.* 809. 810.
- Mathildis *uxor* Vvillelmi *Camerarij de Tancaruilla, p.* 312.

V.

- Comites de Buchingeham.
- Rabellus *Camerarius de Tancaruilla, p.* 312.

GVNNORIDIS NEPTES EX SORORIBVS, ET EARVMDEM posteritas:

In qua Comites Vuarennæ ac Surreiæ, nec non origo Dominorum de Baqueuilla, de sancto Sidonio, & & de Colungis.

I.

- N. *vxor* Vualterij *de sancto Martino*, *p.* 313.
- N. *iuncta* Nicolao *de Bacherituilla*, *pag.* 313.
- N. *vxor Richardi Vicecom. Rothomagensis*, *p.* 313.
- N. *vxor* Hugonis de Montegomerici, *pag.* 313.
- N. *copulata Osmundo de Centumuillis Vicecomiti Vernonij*, *p.* 313.

II.

- Vvillelmus de Vvarenna I. *Comes Surreiæ in Anglia*, *pag.* 278. 313. Gundreda *soror Gerbodi*, *p.* 522. 680
- Rogerus *de Mortuomari*, *p.* 278. 313. 657.
- Vvillelmus Martellus, *p.* 313.
- Vvalterius *de sancto Martino*, *p.* 313.
- Lambertus *de sancto Sidonio*, *pag.* 313.
- Rogerius de Mōtegomerici, *p.* 313. Vide Familiam Belisimi & Alenceij Comitum.
- Fulco de Aneio, *p.* 313.
- N. *de qua natus*

III.

- Vvillelmus II. *Comes Varennæ & Surreiæ.* Elizabeth *filia Hugonis Magni Comitis Virom. p.* 296. 314.
- Rainaldus *de Varenna*, *p.* 680.
- Editha *nupta primùm* Girardo de Gornaco, *deinde Drogoni de Monceio*, *pag.* 296.
- N. *vxor* Erneisi de Coluncis, *p.* 574. 600.
- Helias *de sancto Sidonio.* N. *filia Roberti Ducis notha*, *pag.* 313. 681. 837. 838.
- Balduinus I. *de Reners*, *p.* 313.

IV.

- Vvillelmus III. *Comes Varennæ & Surreiæ.* N. *filia Vvillelmi Talvacij Comitis Pontiui*, *pag.* 311. 314. 982. 1000.
- Gundreda *vxor Rogerij Comitis de Vvarvvic.* 314. 987.
- Adelina *iūcta* Hērico *filio Dauid Regis Scotiæ*, *pag.* 918. 988.
- Richardus de Colungis. Adelaiza, *p.* 601.
- Rogerius, *pag.* 574. 600.

V.

- N. *Comitissa Surreiæ*, *vxor* Vvillelmi *Comitis Moritolij*, *p.* 993.
- Hugo. Goiffredus. Ricardus, *p.* 601.
- Ioānes *Monachus Vtic. p.* 601. Odo. Henricus. *p.* 601.
- Yuo. Rodulfus. Guillelmus. Henricus, *p.* 601.
- Rohes. Mathildis. Auicia, *pag.* 601.
- Adeliza *sanctimonialis in Cænobio S. Trinitatis Cadom.*

FAMILIA COMITVM EBROICENSIVM, EX RICHARDO I. NORMANNIÆ Duce.

RICHARDVS I. *Normanniæ Dux.*

I. Robertus *Archiepiscopus Rothomagensis, & Comes Ebroicensis.* Herleua, *p.* 248. 258. 288. 301. 566.

II. Richardus *Comes Ebroicensis. N. vidua Rogerij de Toenio, p.* 197. 269. 301. 566. 838.

Rodulfus de Vvaceio *cognominatus* Caput-asini, *tutor Vvillelmi Ducis, & Princeps militiæ Normann.* Basilia *filia Girardi Flaitelli, p.* 268. 269. 301. 312. 488. 566. 681.

Vvillelmus, *duxit* Hadeuisam *filiam Geroij, relictam Roberti de Grentemesnil, p.* 269. 465. 566.

III. Vvillelmus *Comes Ebroicensis.* Heluisa *filia Guillelmi Comitis Niuernensis, p.* 202. 269. 681. 689. 834. 843.

Agnes *uxor* Simonis de Monte-forti, *p.* 301. 576. 681. 838.

Iudith *coniux* Rogerij *Comitis Siciliæ, p.* 465. 484.

Emma *alteri Comiti in Sicilia sociata, p.* 484.

IV. Amalricus de Monteforti *Comes Ebroicensis, p.* 301. 834. Vide Familiam Comitum de Monteforti.

Berta *copulata* Fulconi *Comiti Andegauensi.*

FAMILIA
COMITVM BRIONIAE,

In qua & origo Familiæ de Clara, & Comitum de Pembroch.

RICHARDVS I. *Normanniæ Dux.* — N. *concubina*, *p.* 152. 300.

- **I.** Godefridus *Comes Aucensis*, *&* *Brioniæ*, *p.* 152. 300. 312. 686.
  - **II.** Gislebertus *Comes Brioniæ*, *tutor* Vvillelmi II. *Normanniæ Ducis*, *cognomento Crispinus*, *p.* 247. 261. 268. 269. 460. 686.
    - **III.** Richardus *cognomento* de Benefacta *seu* de Clara. Rohais *siue* Roaldis *filia Galterij Giffardi*, *p.* 300. 312. 493. 535. 687.
      - **IV.** Rogeri' *de Benefacta*, *seu de Clara dominus Humeti*, *p.* 300. 312. 570. 687. 765.
        - **V.** Richardus, *pag.* 312. N. *soror Ranulfi Comitis Cestræ*, *pag.* 930.
          - **VI.** Gislebertus, *pa.* 312. 987.
          - **VI.** Rogeri', *p.* 987.
          - **VI.** N.N. *alij filij*, *p.* 312.
      - **IV.** Gislebertus de Clara. N. *filia Comitis de Claromonte*, *pag.* 247. 312. 687. 765. 853. 987.
        - **V.** Gislebertus de Clara *Comes de Pembroch*, *p.* 312. 917. 987. Elizabeth *soror Vvalerani Co. Mellenti*, *p.* 312.
          - **VI.** Richardus *Comes Pembrochiæ*, *p.* 312. 930.
          - **VI.** Balduinus, *p.* 930.
        - **V.** Vvalterus, *p.* 312.
        - **V.** Rohais, *p.* 312.
      - **IV.** Robertus de Clara. N. *filia Vvaldeui Comitis Huntindoniæ*, *p.* 312.
        - **V.** N. *primogenitus*, *pa.* 312.
      - **IV.** N. *vxor Radulfi de Telegeriis*, *p.* 312.
        - **V.** Fransualo.
        - **V.** Henricus.
        - **V.** Robert' Giffard', *p.* 312.
      - **IV.** Vvalterius *seu* Gauterius, *p.* 312. 687.
      - **IV.** N. *vxor Baldrici Teuthonici domini de Balgenzeio.*
        - **V.** Nicolaus *de Bascheuilla*, *pag.* 479. *N. neptis Gunoris*, *pag.* 313.
          - **VI.** Vvillelmus *Martellus*, *p.* 313.
          - **VI.** Vvalterus *de sancto Martino*, *pag.* 313.
        - **V.** Fulco *de Alnou*, *p.* 479.
        - **V.** Robert' *de Curceio*, *p.* 479.
        - **V.** Richard' *de Nouauilla.*
        - **V.** Baldricus *dominus de Balgenzeio*, *pag.* 479.
        - **V.** Vvigeri' Apuliensis, *p.* 497.
        - **V.** Helizabeth *vxor Fulconis de Bonaualle*, *p.* 479.
          - **VI.** Theodoricus *Monachus sancti Ebrulfi*, *p.* 479.
      - **IV.** Richardus *Abbas Eliensis*, *pag.* 687. 783.
    - **III.** Balduinus de Molis. N. *filia amitæ Guillelmi Ducis*, *p.* 312. 493. 510. 687. 694.
      - **IV.** Robertus.
      - **IV.** Vvillelmus.
      - **IV.** Richard', *pag.* 687.
      - **IV.** Guigeri' *nothus*, *Becci Monac.* *pag.* 687.
      - **IV.** N. N. *&* N. *filia*, *p.* 687.

FAMILIA
COMITVM AVCENSIVM,
E RICHARDO I. DVCE ET
concubina:

In qua & origo veterum Comitum Suessionensium.

RICHARDVS I. *Normanniæ Dux.* N. *concubina*, *p.* 152. 300.

I. Vvillelmus I. *Comes Oximensis, posteà Aucensis.* Lescelina *filia Turchetilli*, *pag.* 150. 277. 544. — N. & N. *filiæ*, *p.* 152. 300.

II. Robertus *Comes Aucensis*, *p.* 187. 197. 493. 550. — Vvillelmus *cognomento Busacius, Comes Suessionensis*, *p.* 277. — Hugo *Lexouiensis Episcopus*, 195. 250. 277. 467. 550.

III. Vvillelmus *Comes Aucensis*, *pa.* 310. 704. N. *soror Hugonis Comitis Cestræ*, 704.

IV. Henricus *Comes Aucensis.* N. *filia Guillelmi domini de Soleio*, *pag.* 310. 814. — Guillelmus de Grandicorte, *pag.* 880.

V. Ioannes *Comes Aucensis*, *p.* 978. — N. & N. *filij*, *p.* 310. — N. *filia vnica*, *p.* 310.

REGES ANGLORVM
EX EMMA FILIA RICHARDI I.
Normanniæ Ducis.

RICHARDVS I. *Normanniæ Dux.*

Edelredus *Rex Anglorum, pag.* 178. 206. 492. — Emma, p. 942. — Cnuto *filius Sueini Regis Danorum.* — Elsgina *concubina, p.* 271.						I.
Eduuardus *Rex Angliæ, Guillelmũ Bastardum hæredẽ instituit, pag.* 174. 178. 181 199. 271. 492.	Alfredus *seu* Aluredus *interfectus ab Haraldo, p.* 175. 178	Godioua, *vxor* Drogonis *Comitis Vuilcassini, pa.* 534. 655.	Hardecnuto *Rex Danorum & Anglorum, pag.* 172. 174. 181.	Gunildis *vxor* Henrici III. *Imperatoris, p.* 253.	Heraldus *Anglorum Rex, p.* 271.	II.
Galterus *Comes Medantæ & Caluimontis, p.* 534. 655.	Radulfus *Comes, p.* 655.	Fulco *Episcopus Ambianensis, p.* 655.				III.

COMITES BVRGVNDIAE EX ADELIZA
FILIA RICHARDI II. DVCIS.

Richardus II. *Normanniæ Dux.*

Adeliza. 848. — Rainaldus *Comes Burgundiæ, p.* 179. 255. 257.			I.
Guillelmus *Testardie Comes Burgundiæ, p.* 180. 255. 848.	Guido *Comes Brionij ac Vernonij in Normannia, p.* 179. 180. 184. 255. 275. 848.	Robertus *Burgundio, p.* 648.	II.
N. *Comes Burgundiæ.*	Guido *Viennensis Archiepiscopus*, posteà Papa dictus *Calixtus* II. *p.* 848.	N. *vxor* Odonis *Ducis Burgundiæ, p.* 897.	III.

FAMILIA COMITVM MORITOLII, ET HVNTINDONIÆ:

Ex Herleua matre Guillelmi II. Ducis.

FVLBERTVS *Cubicularius Roberti Ducis*, *p.* 268.

I. Robertus *Dux Normanniæ*. — Herleua *concubina Roberti Ducis*, *p.* 268. — Herluinus *miles*, *Herleuæ maritus*, *p.* 268.

II. Guillelmus II. *Normanniæ Dux*, *&* *Rex Angliæ* I. | Robertus *Comes Moritolij*. Mathilda *filia Rogerij de Montegomerici*, *p.* 197. 277. 493. 578. | Odo *Episcopus Baiocensis*, *&* *Cantiæ Comes*, *pag.* 195. 208. 275. 646. 660. | N. *Comitissa de Albemarla*, *secundum maritum habuit* Odonem *filium Henrici Stephani Comitis Trecẽsis*, *p.* 293. 312. *Ex primo genita*

III. Guillelmus *Comes Moritolij*, *p.* 811. 819. 995. | N. *oblata Guillelmo de Grentemaisnil*, *sed iuncta* Andreæ de Vitreio, *p.* 717. 995. | N. *vxor* Guidonis de Laual, *p.* 995. | N. *vxor Tholosani Comitis*, *pag.* 995. | Ioannes, *pag.* 886. | N. *vxor Vvaldeui Comitis Huntindoniæ*, *pa.* 312. | Iudith *nupta Gualleuo Comiti Northantoniæ*, *pag.* 312. 522.

IV. Simon *Siluanectensis Comes Huntindoniæ*, *p.* 312. — N. *primogenita*, *p.* 312. — Dauid *Rex Scotiæ frater* Mathildis *Reginæ Anglorum*, *pag.* 312. 702. | Iudith, *siue* Adeliza *vxor Rodulphi de Toeneio*, *p.* 312. 813. | N. *vxor* Roberti *filij* Richardi *de Clara*, *p.* 312.

V. Simon *Siluanectensis Comes Huntindoniæ*. N. *filia Roberti Comitis Lecestriæ*, *p.* 312. 987. | Henricus *de Scotia*, *p.* 312. | *Plures filij*, *p.* 312.

VI. Simon *iuuenis*. — N. *filia Gilleberti de Gant*, *p.* 987. 992.

FAMILIA DVCVM APVLIAE, COMITVM ET REGVM Siciliæ,

NECNON Principum Antiochiæ, Normannorum.

N.

I.

Tancredus de Alta-villa, *de pago Constantino*, XII. *filios & plures filias habuit de duabus legitimis vxoribus, quarum vna* Fredesendis *dicta, pag.* 284. 472. 483.

II.

- Goifredus *paternæ hæreditatis agros in Normãnia possedit, pag.* 483.
- Vmfred⁹ *Dux Apuliæ, p.* 284. 472.
- Drogo *Princeps Normãnorum in Apulia, à Vvasone C. Neapolitano occisus, p.* 284. 472.
- Vvillelmus, *pa.* 472.
- Hermãnus, *pag.* 472.
- Robertus Vvischardus *Apuliæ Dux, habuit duas vxores, pag.* 284. 483. *Ex prima, quam propter consanguinitatem reliquit, natus, pag.* 291. 584. 644. — Sichelgauta *filia Gaumari Principis Salerni, secũda vxor, pag.* 644.
- Rogerius *Comes Siciliæ, pag.* 472. 479. 484. 727. 897. Adelais *filia Bonifacij Marchisi, pag.* 884. 897.

III.

- Abailardus, *quem pater moriens Roberto Vvischardo commendauit, p.* 284.
- Marcus Buamũdus *Princeps Antiochiæ, pag.* 291. Constancia *filia Philippi Regis Fr.* 589. 641. 677. 742. 817.
- Rogerus *Bursa, Dux Apuliæ, seu Calabriæ, p.* 644. 677. 780.
- Guido.
- Mabilia *vxor Guillelmi de Gretemesnil, p.* 677. 692. 717.
- N. *vxor Hugonis Comitis Cenomanensis, p.* 684.
- N. *copulata Michaëli Imper. Constant. p.* 291. 640.
- Rogerius *Comes Siciliæ, & Dux Apuliæ, tandẽque Rex, pag.* 291. 884. 895. 897. 898. *Iudith filia Vvillelmi Ebroic. p.* 465. 780.
- N. *vxor Roberti filij Roberti Ducis Burgundiæ, p.* 897.

IV.

- Buamundus II. *Princeps Antiochiæ, p.* 291. 831. N. *filia Balduini* II. *Regis Hierusalem, p.* 831.
- Guillelmus *Dux Apuliæ obiit sine liberis, p.* 884. 898.
- Vvillelmus *Rex Siciliæ & Dux Apuliæ, p.* 989. 998. N. *filia Garsiæ Regis Nauarræ, p.* 989.

V.

- Raimundus *frater Vvillelmi vltimi Comitis Pictauensis*, 291. 831. 914. — Constãcia *Principissa Antiochiæ.* — Rainaldus de Castellione, *pag.* 983. 990.
- Rogerius, *p.* 989.
- Vvillelmus, *p.* 1000.

VI.

- Buamundus III. *Princeps Antiochiæ, pag.* 999.
- Constancia *vxor Manuelis Imperatoris Constantinopolitani, pag.* 999.

FAMILIA PRINCIPVM CAPVAE, NORMANNORVM.

N.

I. Anschetillus de Quadrellis *miles Normannus*, *p.* 483.

II. Richardus *senior Princeps Capuæ*, *pag.* 483.

III. Iordanus *Princeps Capuæ*, *pag.* 291. Gatteclima *filia Gaumarij*, *sororque Gisulphi Principum Salernitanorum*, *pag.* 645. 677.

IV. Richardus *Iunior Princeps Capuæ à* Rogerio II. *Comite Siciliæ consobrino suo exheredatus*, 291. 898.

PARS FAMILIAE COMITVM, DE CONVERSANA NORMANNORVM.

N.

I. Goiffredus *Comes de Conuersana*, *nepos Roberti Vvischardi*, *pag.* 645. 780.

II. Guillelmus de Conuersana, *p.* 809. — Sibylla *vxor* Roberti II. *Ducis Normannorum*, *pag.* 780. 810.

PARS FAMILIAE COMITVM MELLENTI, VVARVVICI, & Legrecestræ:

In qua & origo Familiarum de Bellomonte, ac de Nouoburgo in Normannia.

TORF, *pag.* 312.

Turulfus, *seu* Turoldus *de Ponte-Audemari, p.* 312. Vvevva *soror Gunnoris Ducissæ, p.* 312. 460.	Turchetillus, *p.* 312.	I.

Humfridus de Vetulis, *p.* 211. 312. 460.	Ioscelina *vxor Hugonis de Montegomerici, p.* 311. 313.	Anschetillus de Harecurt, *p.* 312.	MELLENTVM. VVALERANNVS *Comes Mellenti, pag.* 269.	II.

Robertus de Bellomonte *à Rogerio de Clara occisus, p.* 709.	Rogerius de Bellomonte, *p.* 197. 211. 269. 278. 572. 686. 709.	Adelina *nupta Rogerio de Bellomonte, p.* 202. 269.	Hugo *Comes Mellenti obiit sine liberis, pag.* 202. 460. 686.	Duda *secunda vxor Guillelmi de Molinis, pag.* 577.	III.

Robertus de Bellomonte *Comes Mellenti post auunculum, p.* 202. 269. 300. 709. Elizabeth *filia Hugonis Magni Comitis Viromandiæ, quæ secundò nupsit* Vvillelmo II. *Comiti Vvarennæ & Surreiæ, p.* 314. 572. 686. 723. 806.	Henricus de Bellomonte *Comes Guarevvici, seu Vvarvvici in Anglia, p.* 269. 572. 686. 709. Margareta *soror Rotroci Comitis de Pertico, p.* 114. 676. 709. 846.	IV.

Vvalerãnus *Comes Mellenti, pag.* 302. 314. 809. 851. 875. N. *filia Stephani Regis Angliæ, biennis, despõsata tantùm, pag.* 903.	Robertus *Comes Legrestræ in Anglia.* Ita *seu* Amicia *filia Rodulfi de Guader Comitis Norvvicensis, p.* 300. 314. 806. 811. 851. 875.	Hugo *cognomento Pauper, Comes Bedefordiæ, p.* 806. 953. Adelina *vxor Hugonis* IV. *de Monteforti,* 289. 875. 876. 989. N. *copulata Hugoni de Nouo-castello,* 876. 877.	N. *sociata Guillelmo Lupello filio Ascelini Goel domini de Ibreio, p.* 876. N. *desponsata Amalrico de Monteforti, p.* 811. Elizabeth *primò concubina Henrici* I. *Regis Angliæ, ex quo vna filia; secundò vxor Gisleberti de Clara Comitis Pembrochiæ, pag.* 312. 917.	Rogeri⁹ *Comes Vvarvvici, p.* 314. 709. Gũdreda *filia* Vvillelmi II. *de Vvarenna Comitis Surreiæ, pa.* 314. 987.	Rotrocus *primò Archidiacon⁹ Rothomag. posteà Ebroicensis Episcopus, pag.* 846. 919. *ac tandem Archiepiscop⁹ Rothomagensis, pag.* 1000.	Robertus de Nouoburgo *dominus plurium terrarũ in Normannia.* Godechildis *filia Rodulfi de Toeneio, p.* 314. 709. 996.	V.

Robertus *Comes Legrecestræ, & dominus Paceÿ, p.* 300. 988.	*Filiæ plures, quarum vna copulata Simoni* II. *Comiti Huntindoniæ, pag.* 300. 987.	Henricus *Comes Vvarvvici, pag.* 898.	Henricus de Nouoburgo, *p* 314.	*Aliÿ filÿ plures, p.* 314.	VI.

PARS FAMILIAE COMITVM DE MONTEFORTI, ET
eorum origo vera.

N.

I. Guillelmus Hainoensis, *p.* 655.

II. Amalricus de Monteforti, *pag.* 655.

III. N. *prima uxor.* — Simon *Comes de Monteforti, p.* 301. 576. 681. 688. 838. — Agnes *soror Guillelmi Comitis Ebroicensis secunda uxor.*

IV.

Amalricus *cognomento* Fortis. 301. Richildis, *uxor eius p.* 590. Richardus *successor Amalrici, pag.* 685. 688.	Simon *dictus Iuuenis successor Richardi, pag.* 836. 978. 988. 996.	Elizabet *uxor* Raduliphi de Toeneia, *seu de Conchis, pag.* 301. 575. 687 N. *altera filia mater Guillelmi Crispini, p.* 879.	Fulco *Comes Andegauensis, p.* 310. 681.	Berta — *seu* Bertrada.	Philipp' — *Rex Francorum, p.* 699. 719	Amalricus *Comes Ebroicensis.* N. *filiã Roberti Comitis Mellenti desponsauit, sed aliam duxit, pag.* 302. 309. 311. 810. 811. 834. 840. 843. 846. 850. 852. 853. 855. 859. 863. 870. 880. 884. 885. 978.

V.

Comites Montis-fortis & Ebroicarum.	Fulco *Comes Andegauensis, pag.* 310. 682.	Philippus, *p.* 699. 813. Florus, *p.* 699. 813.	Cecilia *uxor Tancredi Principis Antiochiæ, p.* 825.

FAMILIA
DOMINORVM BELISMI,
COMITVM PERTICI, Alenceij, & Pontiui,

N.

I.
- Yuo de Belismo, *pag.* 240. 311.
- Siffridus *Episcopus Cenomanensis.*

II.
- Guillelmus de Belismo, *Comes Alenceij, pag.* 240. 259. 311.
- Auesgaudus *Episcopus Cenomanensis.*
- Yuo.

III.
- Vvarinus *dominus Damfrontis, à dæmonio strangulatus, pag.* 259. 890. 891. * * *
- Fulco *iugulatus, p.* 259. Robertus *Comes Alenceij & Bellismi, apud Balaum securibus occisus, pag.* 259. 260. 271. 891.
- Guillelmus *cognomento* Talauacius *Comes Alenceij, & Belismi, pag.* 259. 260. 271. 311. Hildeburgis *filia Arnulfi, pag.* 272.
- Yuo *Episcopus Sagiensis, pag.* 273. 469.
- MONS-GVMMERI. Rogerivs de Montegvmmeri, *pag.* 269.

IV.
- Arnulfus *strangulatus ab Oliuaro germano suo, pag.* 273.
- Mabiria *Comitissa Belismi, & Alenceij, p.* 275. 470. 891. *occisa ab Hugone de Salgeio, p.* 578. 584.
- Rogerius de Montgummeri *Comes Scrobesburiæ, p.* 275. 311. 462.
- Adelaisa *de Puisacio secunda vxor, pag.* 578.
- Hugo *de Montgummeri.* Iosceline *neptis Gunnoris Ducissæ, pa.* 311. 313.
- Robertus, *p.* 269. Vvillelm', *pag.* 268. Gisslebertus, *p.* 489.

V.
- Robertus de Belismo *Comes Belismi, & Alenceij.* Agnes *filia & hæres Vvidonis Comitis Pontiui, pag.* 311. 546. 578. 672. 675. 708. 908.
- Hugo de Mõtegomerici *Comes Scrobesburiæ, pag.* 578. 581. 708. Rogerus *cognomento Pictauinus, Comes, p.* 275. 578. 708. 808. Philippus, *pag.* 275. 708.
- Arnulfus *de Montegomerici, Comes, p.* 275. 708. 847. Lafracot *filia Regis Hiberniæ, pag.* 808. Emma *Almaniscarum Abbatissa, p.* 275. 578. 808.
- Mathildis *vxor Roberti Comitis Moritolij, p.* 275. 578. Mabilia *vxor Hugonis de Nouocastello, p.* 275. 546. 578. Sibylla *nupta Roberto filio Haimonis, p.* 275. 578.
- Ebrardus *Capellanus Henrici Regis Angliæ, pag.* 579. 708.

VI.
- Vvillelmus *cognomento Talauacius Comes Alenceij & Pontiui.* Hela *filia Odonis Ducis Burgundiæ, pag.* 311. 675. 708. 841. 897.
- Mathildis *Almaniscarum Abbatissa, pag.* 809.

VII.
- Guido *Comes Pontiui, p.* 311. 897.
- Ioannes, *p.* 311. 984. 1000.
- N. *nupta primò* Vvillelmo III. *de Vvarenna Comiti Surreiæ, deinde* Patricio *Comiti Saresbur, pag.* 1002. *de qua natus est*
- N. *vxor* Iuhelli *filij Vvalterij de Meduana, p.* 311.

VIII.
- Ioannes *Comes Pontiui, p.* 1000.
- N. *Comes Saresbur, pag.* 1002.
- *Plures liberi.*

PARS

FAMILIAE COMITVM PERTICI, SEV MORITONIÆ.

* * *

N.

I. Rotro *Comes Moritoniæ, seu Pertici, pag.* 890.

II. Goiffredus *Comes Moritoniæ interfuit prælio Senlaceto anno* MLXVI. *pag.* 202. 675. Beatrix *filia Consulis de Rupeforti, pag.* 715. 890.

III. Mathildis *filia Henrici* I. *Regis Angliæ, p.* 307. 870. 891. — Rotro *Comes Pertici, & dominus Belisimi, p.* 311. 715. 810. 845. 870. 890. 923. — Harvvisa *secunda vxor, p.* 981. 1002. | Margareta *copulata Henrico de Mellento Comiti Vvarvvici, pag.* 314. 676. 709. | Iuliana *vxor Gisleberti de Aquila, p.* 649. 676. 685.

IV. Philippa, *pag.* 307. 810. | Rotrocus *Comes Pertici. N. filia Theobaldi Comitis Blesensis, pag.* 981. 994. | Goffridus, *pag.* 981.

Integram horum Comitum Historiam, sicut & Comitum Belisimi, Alenceij, ac Pontiui, propediem editurus est V. Cl. Egidius Bry, dominus de la Clergerie, in Senatu Parisiensi Aduocatus.

FAMILIA COMITVM CESTRAE NORMANNORVM.

ANSFRIDVS DANVS, *pag.* 270. I.

Turstinus *cognomento Goz*, *pag.* 270. 488. II.

Ricardus *Vicecomes Abrincatensis, cognomine Goz*, *pag.* 270. 313. 488. 522. 649. 670. III.

Hugo *Comes Cestræ in Anglia*, *pag.* 313. 522. Ermentrudis *filia Hugonis de Claromonte*, *pag.* 522. 670. 787. — Iudith *vxor Richerij de Aquila*, *pag.* 649. 703. 704. — N. *copulata Guillelmo de Auco*, *p.* — Mathildis, *pag.* 871. *de qua natus* IV.

Ricardus *Comes Cestrensis*, *p.* 522. 787. Mathildis *filia* Adelæ *Comitissæ Blesensis*, *p.* 313. *iuuenis adhuc & liberis carens cum vxore naufragio periit*, *pag.* 522. 840. 870. — Othuerus *pædagogus Guillelmi Adelini filij Henrici* I. *pag.* 870. — Robertus *Monachus Vticensis*, *pag.* 602. *posteà Abbas sancti Edmundi in Anglia*, *p.* 783. — Ranulfus de Brichsard *Vicecomes Baiocasini Comes Cestræ post consobrinum*, *pag.* 313. 851. Lucia *relicta Rogerij filij Gheroldi*, *pag.* 871. 921. V.

Guillelmus, *p.* 921. — Ranulfus *Comes Cestræ*, *p.* 313. Mathildis *filia Roberti Comitis Glocestriæ*, *pag.* 313. 729. 871. 921. 978. 989. — Agnes *vxor Roberti de Grentemaisnilio*, *p.* 692. — N. *nupta* Richardo *filio Gisleberti Comitis*, *qui peremptus est à Vvalensibus*, *pag.* 313. VI.

Hugo *Comes Cestræ*, *pag.* 313. 989. — Ricardus. VII.

FAMILIA DOMINORVM DE MONTEFORTI IN NORMANNIA.

I. TVRSTINVS DE BASTEMBVRG.

II. Vvillelmus Bertrannus, *pag.* 289. — Hugo *cum* Barba *dominus de Monteforti, p.* 268. 289. — Gisla *vxor Geroij domini Monsterioli & Escalfoij, pag.* 272.

III. N. *filia Richardi de Bellofago, pag.* 202. 289. — Hugo II. *dominus de Monteforti.* — N. *secunda vxor.*

IV. N. *vxor Gisleberti de Ganz, pag.* 289. — Hugo III. *dominus de Monteforti peregrè defunctus sine liberis, pag.* 289. — Robertus *obiit cum fratre.*

V. Hugo IV. *dominus de Monteforti.* Adelina *filia Roberti Comitis Mellenti, p.* 289. 876. 877. 989. — N. *vxor Simonis Iuuenis filij Simonis Comitis Huntindoniæ, p.* 992.

VI. Robertus *dominus de Monteforti Princeps Militiæ* Vvillelmi II. *Regis Anglorum, p.* 289. 775. 823. 989. — Adelina *vxor* Guillelmi *de Britolio, de qua nulli liberi, pag.* 810.

FAMILIA

DOMINORVM AQVILAE.

N.

Engenulphus *de Aquila in prælio Senlaciano corruit.* Richuereda *vxor eius, p.* 479. 502.	I.

Rogerius, *p.* 479.	Richerius de Aquila, *p.* 545. 649. Iudith *filia Richardi Abrincatensis cognomento Goz, pag.* 649. 703.	Gislebertus, *p.* 649. 685.	II.

Gislebertus *dominus Aquila, p.* 649. Iuliana *filia Goiffredi Comitis Mauritaniæ, p.* 649. 685. 777.	Engenulphus *obiit sine liberis, p.* 649.	Mathildis *nupta primò Roberto de Molbraio Comiti Nordanhymbrorum, p.* 649. 703. *postea Nigello de Albinneio, p.* 704.	*Alij filij, & filiæ,* 649.	III.

Richerius *dominus Aquila, p.* 649. 685. 845. 923.	Goiffredus *naufragio periit, pag.* 649. 685. 845.	Engenulphus *cum fratre quoque periit, p.* 649. 845.	Gislebertus, *p.* 649. 685.	IV.

PARS

FAMILIAE DOMINORVM DE MONTEPINCIONIS.

N.

Radulfus de Montepincionis *Dapifer Guillelmi* I. *Regis Angliæ, p.* 585. Adeliza *vxor.*	I.

Hugo *de Montepincionis.* Mathildis *filia Hugonis de Grentemaisnil, p.* 585.	Radulfus, *p.* 585.	II.

Radulfus *de Montepincionis, p.* 585. N. *filia Ranulfi Cancellarij Regis Henrici* I.	Guillelmus *hæres Radulfi fratris sui, p.* 585. 906.	Arnulfus, *p.* 585.	III.

FAMILIA ADVOCATORVM DE S. GVALERICO, DOMINORVM Alfagienſium, & de Hugleuilla.

N.

I. Gulbertus *cognomento Aduocatus de S. Gualerico, p.* 606. Papia *filia Ricardi* II. *Normanniæ Ducis, pag.* 606. 724.

II.
- Bernardus *de ſancto Gualerico, p.* 606. 724.
- Richardus, Adam *Herluini ſenis* de Hugleuilla *relictam cum toto patrimonio eius vxorem accepit, burgúmque* Alfagium *vocatum condidit, p.* 606.

III.
- Gualterius *de ſancto Gualerico, p.* 724.
- Gulbertus *Alfagienſis Cænobij fundator,* 604. 664. Beatrix *filia Chriſtiani de Valencenis, pag.* 606.
- Ada *vxor Goiffredi filij Turchetilli de Nouomercato, pag.* 606.

IV.
- Bernardus *de ſancto Gualerico, p.* 729.
- Gualterius *dominus Alfagij & Hugleuillæ, p.* 605. Auicia *filia* Herbranni de Salcheuilla, *ſoror Iordani, Guillelmi, atque Roberti de Salcheuilla, p.* 605. 607.
- Hugo *Monachus Vticenſis, p.* 606.
- Beatrix. 606.
- Drogó *Monachus Vticenſis, pag.* 606.
- Bernardus *regni Vuallorum conquaſtor, pag.* 606.

V.
- *Filij & filiæ* XII. *quorum magna pars immatura morte abſorpti. Quatuor tantum patri ſuperuixerunt, p.* 607.
- Ricardus *duodennis obiit, pag.* 607.
- Iordanus *dominus Alfagij & Hugleuillæ.* Iuliana *Godeſcali filia, quæ cum Adelide Angliæ Regina de Louennenſi regione venerat, p.* 607.
- Gualterius, *p.* 607.
- Helias, *pag.* 607.

FAMILIA
DOMINORVM DE TOENEIA,
ET DE CONCHIS.

N.

Rodulfus *Toenites de stirpe* Malahulcij *patrui Rollonis*, *p.* 253. 268. — I.

Rogerius *Toenites Normanniæ signifer*, *cuius vidua nupsit* Richardo *Comiti Ebroicensi*, *pag.* 253. 268. 269. 468. 576. — II.

Rodulphus II. *dominus de Toeneia & de Conchis*, N*ormanniæ signifer*, *p.* 202. 278. 481. 493. 576. 809. Elizabeth de Monteforti, 576. 687. | Helbertus, *p.* 268. 468. | Elinantius, *pag.* 468. | Adelina *uxor Vuillelmi filij Osberni*, *p.* 278. — III.

Rodulphus III. *dictus de Conchis*, *p.* 301. 576. 810. 856. Iudith, *seu* Adeliza *filia Vualdevvi Comitis Huntindoniæ*, *pag.* 301. 813. | Rogerius *de Toeneia*, *p.* 314. 576. 688. *obiit sine liberis*, *p.* 689. | Godehildis *primò copulata Roberto de Nouoburgo*, *p.* 314. *deinde Balduino filio Eustachij Comitis Boloniensis*, *p.* 576. 689. — IV.

Rogerius de Toeneia, *p.* 813. 900. | Hugo, *p.* 813. | *Plures filiæ*, *p.* 813. — V.

FAMILIA DOMINORVM DE GRENTEMAISNILIO.

N.

I. Robertus de Grentemaisnil, *p.* 268. 465. Haduisa *vxor eius, vidua nupsit secundò* Vuillelmo *filio Roberti Comitis Ebroicensis.*

II. Hugo de Grentemaisnil *Vicecomes Legrecestræ, Præsésque Guentoniensis, p.* 203. 279. 460. 461. 465. 481. 600. 691. 716. Adelis *filia Yuonis de Bellomonte, pag.* 717.

Robertus *Monachus, deinde Abbas sancti Ebrulfi, pag.* 279. 281. 282. 283. 460. 461. 465. 467.

Ernaldus, *p.* 465. 472. Agnes *vxor Roberti de Molinis, p.* 578.

Adeliza *nupta Vmfrido de Telliolo filio Amfridi, pag.* 512. 574. 669.

III. Robertus *hæres patris, pag.* 691. 692. Agnes *prima vxor, p.* 692. Emma *secunda, pag.* 692. Lucia *tertia, pag.* 692. 717. 777.

Guillelm. *pag.* 671. Mabilia *filia Roberti Vuischardi Ducis Apuliæ, pag.* 677. 691. 692. 717. 738.

Hugo *de Grentemaisnil, p.* 664. 691. 717.

Yuo, *pag.* 545. 691. 717. 724. N. *filia Gisleberti de Ganda, p.* 692.

Albericus, *pag.* 545. 691. 717. 724. 738.

Adelina *vxor Rogerij de Ibreio, p.* 585. 692.

Haduisa, *pag.* 692.

Rohes *seu Rochesia vxor Roberti de Curceio, p.* 691. 692.

Mathildis *nupta Hugoni de Montepincionis, p.* 585. 692.

Agnes *vxor Guillelmi de Saia, pag.* 692.

Ernaldus *Monachus sancti Ebrulfi, p.* 574. 600. 671.

Guillelmus *Abbas sanctæ Euphemiæ, pag.* 671.

Robertus *de Rodelento, pag.* 666. 669. 670. *& sequ.*

IV. Guillelmus, *pag.* 717. Robertus, *pag.* 717.

FAMILIA DOMINORVM MONASTERIOLI, ESCALFOII, SANCTI Cerenici, & Sabloili.

I. ABONIVS BRITO, *pag.* 463.

II. Ernaldus Grossus *de Corte Sedaldi*, *p.* 463.

III.
- N. *filia Helgonis Normanni sponsata, ante nuptias obiit*, *pag.* 463.
- Geroius *dominus Monasterioli & Escalfoij*, *pag.* 272. 463. — Gisla *filia Turstini de Basteburgo*, *p.* 272. 463.
- Hildiardis *de qua nati tres filij*, *&* x I. *filia*, *p.* 463.

IV.
- Ernaldus *sine liberis*, *pag.* 272. 464.
- Vuillelmus *dominus Monasterioli, Escalfoij, & sancti Cerenici*, *pag.* 260. 280. 464. — Hiltrudis *prima uxor*, *pag.* 464. — Emma *filia Vualchelmi de Taneto secunda uxor*, *pag.* 272. 464.
- Fulcoius *dominus medietatis Monasterioli*, *pag.* 268. 272. N. *concubina*, *pag.* 464.
- Radulfus *Clericus*, *Mala-Corona dictus*, *p.* 272. 464.
- Robertus *dominus sancti Cerenici*, *pag.* 464. Adelida *consobrina Vuillelmi* I. *Regis Angliæ*, *pag.* 478.
- Hugo, *pag.* 269. 465. Geroius, *p.* 269. 465. Hereburgis. Haduisa. * Emma. Adelais, *pag.* 269. 465.

V.
- Ernaldus *de Escalfoio*, *dominus sancti Cerenici*, *pag.* 283. 464. 466. 478. 481. 489. Emma *filia Turstini cognomento Halduc*, *p.* 489.
- Vuillelmus *de Monasteriolo*, *Bonus Normannus dictus*, *pag.* 281. 466. 472.
- Geroius. Fulcoius, *pag.* 466. 483.
- Robertus *dominus sancti Cerenici*, *pag.* 464. 674. 706. Felicia *filia Garnerij de Coneraia*, *pag.* 707. 844.

VI.
- Vuillelmus *de Escalfoio armiger Philippi Regis*, *pag.* 489.
- Rainaldus *Monachus Vticensis*, *cognomine* Benedictus, *p.* 490.
- Petronilla *sanctimonialis apud Andegauum*, *p.* 490. Geua *sanctimonialis apud Cadomū*, *p.* 490.
- Guillelmus, *pag.* 707. Robertus.
- Mathe', *pag.* 707. Agatha.
- Damatha, *p.* 707. Auelina.

POSTERITAS FILIARVM GEROII DOMINI Monasterioli.

GEROIVS.

IV. * Eremburgis *vxor Vvascelini de Ponte-Erchenfredi, pag.* 269. 465. — Haduisa *primò sociata Roberto de Grentemaisnilio, secundò Vvillelmo de Ebroicis, p.* 269. 465. — Emma *vxor Rogerij de Merula, pag.* 269. 465. — Adelais *iuncta Salomoni de Sabloilo, pag.* 269. 465.

V. Vvillelmus, *pag.* 465. 466. — Radulfus. — Radulfus *de Merula.* — Vvillelmus, *pag.* 465. — Rainaldus *de Sabloilo, pag.* 465.

VI. Radulphus *de Merula, p.* 465. — Rogerius, *pag.* 465. — Lisiardus *de Sabloilo.*

FAMILIA DOMINORVM DE GORNACO.

N.

I. Hugo de Gornaco, *pag.* 296. Basilia *filia Girardi Flaitelli relicta Rodulfi de Vvaccio, vxor eius, pag.* 312. 681.

II. Giraldus de Gornaco, *p.* 296. 681. Editha *soror Vvillelmi Comitis de Vvarenna vxor eius, pag.* 681.

III. Hugo de Gornaco. N. *soror Rodulfi de Parona,* 296. 843. 844. — Gundreda *vxor Nigelli de Albinneio, pag.* 296. 704. 844.

IV. Hugo de Gornaco, *pag.* 296. 986.

FAMILIA
DOMINORVM MAVLIENSIVM.

N.

GVARINVS, *pag.* 590. — I.

Ansoldus *cognomento* Diues *Parisiensis*, *pag.* 587. — II.

Petrus *dominus de Maulia*, *pag.* 587. Guindesmoth *vxor eius*, *pag.* 588. 589. — III.

IV.

Ansoldus *dominus de Maulia*, *pag.* 588. 589. Odelina *filia Radulfi Maliuicini*, *pag.* 589. 590.	Theobaldus, *pag.* 588. Guarinus, *p.* 588. Guillelmus, *pag.* 588.	Hudelina *vxor* Gualterij *de Pexeio*, *pag.* 588.	Eremburgis *sociata* Balderico *de Drocis*, *pag.* 588.	Odelina, *p.* 588. Hersendis *vxor* Hugonis *de Vicinis*, *pag.* 588. 590.

V.

Petrus *dominus Mauliæ*, *p.* 589. 590. 593. 595. 878. Ada *neptis Burchardi de Montemor. & Comitis Guisn. filia*, 593.	Radulfus. Guarinus. Lisiardus. Guido, *p.* 589.	Ansoldus. Hugo, *p.* 589. Maria. Guindesmoth, *pag.* 589.	Amalricus de Drocis, *pag.* 591.

PARS
FAMILIAE DOMINORVM
DE PERNIS IN VVLCASSINO.

N.

I. Radulfus de Caldreio *dominus de Pernis, pag.* 496.

II. Fulcoius *dominus de Pernis.* Ita *filia Heremari de Pontesia, p.* 496. Vvascelinus, *p.* 496.

III. Vvalterius. Mainerius *Monachus, pag.* 496. Hugo. Geruasius. Hermarus. Fulcoius *Monachus, p.* 496. Luxouia.

PARS
FAMILIAE DOMINORVM
DE MOLINIS, ET BONMOLINIS.

N. N.

I. Guitmundus *dominus de Molinis, & Bonmolinis, p.* 577. Gualterius de Falesia, *p.* 567.

II. Albereda *domina de Molinis prima uxor, à viro tandem separata velum religionis suscepit, pag.* 577. — Guillelmus *dictus de Molinis, pag.* 577. — Duda *filia Gualeranni Comitis de Mellento, secunda uxor, pag.* 577.

III. Guillelmus, *p.* 577. 768. Robertus *dominus de Molinis.* Agna *filia Roberti de Grentemaisnilio, cum qua in Apuliam expulsus est à Guillelmo* I. *Rege, pag.* 577. 578. Simon, *Roberti fratris sui successor.* Adelina, *p.* 577. 578. 852. *sine liberis.* Hugo *immatura morte periit, p.* 577. 870

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM HVIVS COLLECTIONIS.

A

M

N

O

Tedbaldus

V

FINIS.

LVTETIAE PARISIORVM,

Apud { Robertum Foüet
Nicolaum Buon
Sebaſtianum Cramoiſy } Via Iacobæa.

M. DC. XIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.